



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
43 K
9

ARISTOTELIS OPERA,

Quæ extant omnia, breui paraphraſi, ac litteræ perpetuò inhærente explanatione illuſtrata

A P. SYLVESTRO MAVRO SOCIETATIS IESV.

TOMVS PRIMVS

CONTINENS PHILOSOPHIAM RATIONALEM, HOC EST LOGICAM, RHETORICAM, ET POETICAM.

Totum opus diuiſum eſt in ſex Tomos, quorum ordinem ſequens pagina indicabit.



Bibliotheca S. Pudentianæ de Vrbe





ROMÆ, M.DC.LXVIII.

Typis Angeli Bernabò. SVPERIORVM PERMISSV

Sumptibus Federici Franzini, ſub ſigno Fontis.

Cum Priuilegijs.

DIVISIO TOTIVS OPERIS
In ſex Tomos.

Omus primus continet Philoſophiam rationalem, hoc eſt logicam, Rhetoricam, & Poeticam.

Tomus ſecundus continet philoſophiam moralem, hoc eſt omnes libros Ethicorum, politicorum, & Oeconomicorum.

Tomus tertius continet primam partem phyſicæ, ſeu philoſophiæ naturalis, hoc eſt libros de phyſico Auditu, de Cœlo & Mundo, de Generatione, & Corruptione, Meteorologicorum, & de Hiſtoria Animalium.

Tomus quartus continet ſecundã partem phyſicæ, ſeu philoſophiæ natura-

ralis, hoc est libros de partibus, & de incessu Animalium, de anima, parua naturalia, de Generatione Animalium, libros Quæstionum Mechanicarum, de lineis insecabilibus, & physiognomicorum.

Tomus quintus continet Metaphysicam, seu philosophiam transnaturalem, librum de Zenophane, Zenone, & Gorgia, & Problemata.

Tomus sextus continet indicem, & breuem veluti summã rerum, quæ in omnibus Aristotelis operibus, eorumque paraphrasi, atque explanatione continentur.



ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. DOMINO SIGISMVNDO CHISIO.

SYLVESTER MAVRVS FELICITATEM.





AM auri, argentique copiam in beatas Peruuiæ fodinas munifica manu coegit natura, vt quanquam victrix Hiſpania immiſſis foſſorum agminibus æraria montium altero iam ſæculo populetur, non modo nũquam defecerit pretioſum metallum, ſed quo propius ad tartara ventum eſt, eo ditior occurrerit

præda, auiditatem victorum superante opulentia victæ telluris. Aristotelis libros quidni disciplinarum fodinas Peruuianis multo feraciores appellem? Duobus iam annorum millibus non vna Prouincia, sed orbis terrarum vniuersus, coniunctis ingeniorum viribus, Aristotelis voluminibus non tam explicandis, quam effodiendis insudat, & licet immensas sapientiæ opes eruerit, haud temerè suspicatur maius aliquid in immani adhuc profunditate latere. Græci omnium primi fodinas hasce, vt pote suo natas in solo, scrutari aggressi, mirati sunt vnum Aristotelem eos doctrinarum thesauros congerere potuisse, quibus vniuersa Græcia non sufficeret egerendis. Græcos excepit Arabs, qui Hispania potitus, atque acerrimum ingenium à Cœlo nactus Hispano, Aristotelem Græcum scriptorem Arabicè loqui docuit, erubescente Græcia, quod Aristoteles clarior, ac ditior esset Cordubæ, quam Athenis. Superbiebat ventosa, atque insolens Arabum natio, atque Aristotele sibi vindicato non minus, quam subacta gloriabatur Hispania: ausa etiam iactare Christianam Religionem cum Aristotelica, hoc est vera cum philosophia stare non posse. Barbaros, ac Mahometanos Christo, ac veritati insultantes, Christiani, ac Latini non tulimus: Aristotelem quasi quamdam Herculis clauam, qua petebamur, ex eorum manibus extorsimus, eaque superstitionum, atque hæresum mon-

stra

ſtra contriuimus ita, vt hæretici Ariſtotelem non minus oderint, quam formident, Mahometani verò abiurata philoſophia ſtatuerint iam non rationibus pugnandum eſſe, ſed viribus, hoc eſt armis non hominum, ſed ferarum. Exinde Chriſtiani ſapientes, quorum ad id tempus labor fuerat vnicus è ſacrorum voluminum venis eruere doctrinas Cœleſtes, quas extra naturæ conſpectum Deus eſſe voluerat, operam etiam dedere, vt ex Ariſtotelis fodinis haurirent diſciplinas humanas, atque id ſunt aſſecuti, vt ex fidei diuinæ, ac naturalis philoſophiæ conſortio, & quaſi ex Cœli, terræque coniugio, prodiret in lucem ſcholaſtica Theologia, quæ vtrumque parentem referens oſtendit, quam apto nexu, effatis naturæ per Ariſtotelem editis oracula diuina cohæreant.

Me quoque ſubijt cupido Ariſtotelicas fodinas trita iam tot interpretibus via luſtrandi, atque eas, quas poſſem, ſapientiæ diuitias efferendi. Auarum animum ad hauriendum impulit ipſa exhauriendi deſperatio, cum pergratum ſitientibus ſit è non defecturo fonte potare. Et quia non ignoro, quanta in te bonarum artium ſitis exæſtuet Sigiſmunde Chiſi, dicare conſtitui Tibi Ariſtotelem hunc meum, hoc eſt omnium oceanum diſciplinarum. Adoleſcens iſtius ætatis, qua plerique in ſola grammatica detinentur, iſtius fortunæ, qua non pauci ſtudia omnia dedignantur, Rhetoricis ſimul, &

Poe-

Poeticis erudiris, ad Dialecticam formaris, & Physicam, Mathematicis etiam institueris, ac modo cum Geographis terras lustras, & maria, modo cum Astronomis Cœlum contemplaris, ac sydera, modo cum militaribus architectis munis vrbes, arcesque delineas. Multum disputas, multum audis, multum lectitas, multum scriptitas, atque ita tempus, otiũque disponis, vt non tantum singulis horis, sed singulis momentis aliquid addiscas. Sine æmulo, sine æqualium exemplo tecum certas, tecum contendis, atque eniteris, vt quotidie te ipso doctior euadas. Sed hæc, quæ in alijs prima, in te postrema sunt decora. Illa præcipua tua gloria est, quod ex hac amplitudine fortunæ nihil aliud arrogas tibi, nisi vt qui Romanæ iuuentutis es Princeps, virtute, & morum innocentia velis esse secundus nemini. Quam seuerè te ab omni vitiorum contagione reprimis, ac reuocas? Quam religiosè non modo crimina, sed ipsam criminum vmbram exhorres? Quã frequenter animum contractis maculis eluis? Quo sensu pietatis diuina te fruge pascis? Nonne affectata alijs, tibi ingenita, & innata modestia est, & custos modestiæ verecundia? Virtutes has tuas non adeo miraremur, si tibi indoles minus excelsa, si minus erecta mens foret. Nunc autem cum animum geras summæ fortunæ capacem, vnam tibi vindicas obsequij laudem. Iam verò actum in Galliam iter, quam prudentem te, quam constantem,

recti-

rectique propositi tenacem exhibuit. Illud prudentiæ tuæ fuit, quod priuatum Pontificij Legati asseclam,& Alexandri Pontificis Maximi ex fratre nepotem tam aptè miscueris, vt quo humanius te cæteris æquabas, eo impensius omnes hanc ipsam tuam humanitatem venerarentur. Illud fuit constantiæ, vt qualis ante latueras, in tuæ domus vmbra,talis effulseris in Galliæ luce,ac plurimum tibi ad famam innocentiæ contulerit, penitus inspici. In illo itineris tumultu consueta pietatis, ac literarum studia nunquam intermissa. Gestiebat Galliarum populus visere te, cum sacris adesses,ac maiores natu eumdem te,quasi quoddam virtutis exemplar iunioribus ostentabant. Cognouisti mores gentium, regionum situs, locorum interualla, naturam marium, positiones vrbium, eaque omnia tam eleganti carmine descripsisti, vt facile appareat, quam in te viuat, ac spiret ingenium illius, qui sub Philomathi nomine in suis musis iuuenilibus cecinit itinera, per quæ septentrionem, ac meridiem non pedibus magis, quam virtutibus peragrauit. Sed qui iuueniles Patrui tui musas tam feliciter imitatus es suauitate carminis, plus esse in eo iudicasti, vt eiusdem virtutes morum concentu referres, atque id es assecutus, vt speculi vice fungaris; siquidem in te videmus, qualis olim Fabius fuerit adolescens, in Alexandro vicissim cernimus prudentia, & probitate qualem,

auden-

audentiore forsan voto, at non indebito; ominemur fore te iam ætate grandæuum. Quo tanti voti compotes simus, illud vnum à Superis petimus, vt dum tibi annos addunt, animum seruent. Nàm licet in adolescentia sis maximus, non exigua tui parte in isto modestiæ recessu æquè lates, & luces; cum autem per ætatem ex te ipso totus eruperis, in eo nostram expectationem falles, quod summa pollicitus, maiora præstabis.

IN-

INDEX LIBRORVM,

Et Capitum, quæ hoc primo Tomo continentur.

INDEX CAPITVM.

In Libros Perihermenias, seu de interpretatione.

Aristotelis Perihermenias, seu de Interpretatione. Liber Primus.

Aristotelis Perihermenias, seu de Interpretatione. Liber Secundus.

In duos libros Priorum Analyticorum, hoc est Resolutoriorum.

Aristotelis Priorum Analyticorum, hoc est Resolutoriorum. Liber 1. Sectum 1. De constructione syllogismi.

Sectum Secundum. De Inuentione medij.

Sectum Tertium. De Reductione rationum inordinatarum in formam syllogisticam.

Aristotelis Priorum Analyticorum, hoc est Resolutoriorum. Liber II. Pars Prima. De potestatibus, & virtutibus syllogismorum.

Pars Secunda. De impotentijs, ac defectibus syllogismorum.

Pars

Pars Tertia. De annexis syllogismo.

In duos libros Posteriorum Analyticorum, hoc est Resolutoriorum.

Aristotelis Posteriorum Analyticorum, hoc est Resolutoriorum. Liber Primus.

Cap. 15.

Aristotelis Posteriorum Analyticorum, seu Resolutoriorum. Liber Secundus.

In octo Libros Topicorum.

INDEX CAPITVM.

Aristotelis Topicorum. Liber Primus.

Aristotelis Topicorum. Liber Secundus.

Aristotelis Topicorum. Liber Tertius.

Aristotelis Topicorum. Liber Quartus.

Aristotelis Topicorum. Liber Quintus.

Cap. 2.

Aristotelis Topicorum. Liber Sextus.

Aristotelis Topicorum. Liber Septimus.

Aristotelis Topicorum. Liber Octauus.

INDEX CAPITVM.

In duos libros Elenchorum.

Aristotelis Elenchorum. Liber Primus.

Aristotelis Elenchorum. Liber Secundus.

INDEX CAPITVM.

In tres Libros Rhetoricorum.

Aristotelis Rhetoricorum. Liber Primus.

Cap. 15.

Aristotelis Rhetoricorum. Liber Secundus.

Aristotelis Rhetoricorum. Liber Tertius.

 ad

In Aristotelis Poeticam.

Aristotelis Poetica.

Cap.6.

IOAN-

IOANNES PAVLVS OLIVA

SOCIETATIS IESV PRAEPOSITVS GENERALIS.

CVM Commentarium P. Syluestri Mauri nostræ Societatis Sacerdotis in vniuersam Aristotelis Logicam, libros Rhetoricorum, & Poeticam nonnulli eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, potestatem facimus, vt typis mandetur, si ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In cuius rei fidem &c. Datum Romæ 18. Nouembris 1664.

Ioannes Paulus Oliua.

Imprimatur.
Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

O. Caraffa Archiep. Patrac. Vicesg.



Imprimatur.
Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apost. Mag. Ordinis Prædicatorum.

ALE-

ALEXANDER PP. VII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

CVm sicut exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Ioãnes Dominicus Franzini bibliopola in alma Vrbe nostra commorans ipse librum, seu opus vnum quinque tomis comprehensum, cui titulus est, *Aristotelis opera, quæ extant omnia breui paraphrasi, ac litteræ perpetuò inhærente explanatione, illustrata à Syluestro Mauro Societatis Iesu* typis in eadem Vrbe nostra mandari facere intendat, vereatur autem, ne postmodum alij, qui ex alieno labore lucrum quærunt eundemmet librũ in ipsius exponentis præiudicium etiam imprimi curent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerit, vt desuper opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Ioannem specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati, eidem Ioanni, vt decennio proximo durante à primæua dicti libri, dummodo tamen ille antea à dilecto filio Magistro Sacri Palatij Apostolici approbatus sit, impressione computando, nemo tam in Vrbe, quàm in reliquo Statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè Nobis subiecto librum præfatum, vel vllam explanationis, ac Paraphraseos in eo libro contentæ partem cum textu, vel sine textu, cum additionibus, ac mutationibus, vel sine additionibus, ac mutationibus in quauis forma sine speciali dicti Ioannis, aut eius hæredum, & successorum, vel ab eis causam habentium licentia imprimere, aut ab alio, vel alijs impressum vendere, seu venalem habere, seu proponere possit, & valeat auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea vniuersis, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, præsertim librorum impressoribus, & bibliopolis sub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amissionis librorum, & typorum omnium pro vna Cameræ nostræ Apostolicæ, & pro alia eidem Ioanni, ac pro reliqua tertijs partibus accusatori, & Iudici exequenti irremissibiliter applicandis, & eo ipso absque vlla declaratione incurrendis pœnis, ne dicto decennio durante librũ prædictum, aut vllam explanationis, ac Paraphraseos in eo libro contentæ partem cum textu, vel sine textu, cum additionibus, ac mutationibus, vel sine additionibus, ac mutationibus in quauis forma sine huiusmodi licentia imprimere, aut ab alijs impressum vendere, seu venalem habere, vel proponere quoquo modo audeant, seu præsumant. Mandantes propterea dilectis filijs nostris, & Sedis Apostolicæ de latere Legatis, seu eorum Vicelegatis, aut Præsidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & alijs Iustitiæ Ministris Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, & locorum Status nostri Ecclesiastici prædicti, quatenus eidem Ioanni, eiusque hæredibus, & successoribus, seu ab eis causam habentibus, huiusmodi in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, quandocumque ab eodem Ioanne, seu alijs prædictis requisiti fuerint, pœnas prædictas contra quoscumque inobedientes irremissibiliter exequantur. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis; priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam in ipso libro impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam maiorem, sub Annulo Piscatoris die quinta Decembris M. DC. LXIV. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

S. Vgolinus.

PROEMIVM TOTIVS OPERIS.

PROPONITVR DIVISIO PHILOSOPHIÆ, & librorum Aristotelis; Explicatur scopus Authoris, & diuisio operis in quinque Tomos.

1 EXPLICATVRI vniuersos, qui extant Aristotelis libros, præmittendum duximus Proemium totius operis, in quo primo afferemus diuisionem Philosophiæ, & librorum Aristotelis; secundo explicabimus scopum à nobis in hoc opere intentum, ac proponemus ordinem, & diuisioné totius operis in quinque tomos, & rationem talis diuisionis, & ordinis.

2 Quoad primum: Philosophia ex Platone, quem sequutus est Aristoteles, alijque communiter diuiditur in realem, rationalem, & moralem. Philosophia realis est, quæ agit de ente reali, hoc est de rebus secundum se, & secundum prædicata, quæ rebus conueniunt à parte rei, & nemine cogitante. Subdiuiditur in Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam. Physica agit de ente vt naturali, hoc est sensibiliter mobili, ac mutabili. Mathematica agit de ente vt extenso. Metaphysica agit de ente immateriali positiuè, vel præcisiuè, hoc est de rebus carentibus materia, ac de rationibus communibus enti materiali, & immateriali, cuiusmodi sunt ratio entis, substantiæ, &c. vt magis explicabitur in Proemio Physicæ, & Metaphysicæ.

3 Philosophia rationalis est, quæ agit de ente rationis, hoc est de rebus relatè ad actus rationis, & ad eorum signa, ac de ipsis actibus rationis, & eorum signis. Subdiuiditur in Logicam, Rhetoricam, Poeticam, & Grammaticam. Logica agit de rebus relatè ad actus rationis, siue intellectus, ac de ipsis operationibus intellectus, ac docet modum rectè definiendi, diuidendi, argumentandi, &c. Rhetorica agit de rebus relatè ad orationem rectam, & aptam ad persuadendum, ac docet modum dicendi aptè ad persuadendum. Poetica agit de rebus relatè ad orationem imitatiuam, ac docet modum delectabiliter imitandi oratione metrica. Grammatica demum agit de rebus relatè ad congruam orationem, ac docet modum rectè loquendi.

4 Philosophia moralis est, quæ agit de ente morali, hoc est de rebus relatè ad actus morales, ac de ipsis actibus moralibus, ac docet modum rectè viuendi. Sunt autem actus morales, per quos homo efficitur simpliciter bonus, vel malus, hoc est aptus, vel ineptus ad consequendum suum vltimum finem. Bene viuere est viuere aptè ad consequendum suum vltimum finem, hoc est felicitatem. Philosophia moralis subdiuiditur in tres partes, in monasticam nimirū, seu solitariam, quæ retinet commune nomen moralis, Oeconomicam, & Politicam. Ratio est, quia Philosophia moralis debet ordinare ad vltimum finem non solum vnūquemque hominem solitariè acceptum, sed etiam familiam, Ciuitatem & regnum; Sed illa pars Philosophiæ moralis, quæ docet, quo pacto sint ordinandæ ad vltimum finē actiones vniuscuiusque hominis solitariè accepti, vocatur monastica, & retinet commune nomen moralis; illa pars, quæ docet, quo pacto sint ordinandæ ad vltimum finē actiones familiæ, vocatur oeconomica, seu familiaris; illa pars, quæ docet quo pacto sint ordinandæ ad vltimum finem actiones totius Ciuitatis, ac regni vocatur Politica, seu ciuilis; ergo Philosophia moralis diuiditur in monasticam, quæ absolutè dicitur moralis, Oeconomicam, & Politicam, vt magis explicabitur in Proemio Philosophiæ moralis.

5 Philosophiam, & omnes eius enumeratas partes excepta Mathematica, & aliqua-

quatenus Grammatica in suis libris accuratissime tradidit Aristoteles: Et quidem cum tres sint præcipuæ partes Philosophiæ rationalis, Logica, Rhetorica, ac Poetica, Logicam tradidit in libris prædicamentorum, in libris Perihermenias, seu de interpretatione, in quibus etiam multa affert, quæ videntur spectare ad scientiam Grammaticæ; in libris de priori, & posteriori resolutione, Topicorum, & Elenchorum. Rhetoricam tradidit in tribus libris Rhetoricorum, quibus aliqui addunt Rhetoricam ad Alexandrum, licet hic liber ab alijs censeatur non esse Aristotelis. Poeticam tradidit in libro, qui inscribitur Poetica.

6 Philosophiam moralem secundum partem monasticam, quæ absolutè dicitur moralis, tradit Aristoteles in decem libris Ethicorum, seu moralium ad Nicomachum: in duobus libris magnorum moralium, & in septem libris moralium ad Eudemum, quibus aliqui addunt libellum de virtutibus. Oeconomicam tradidit in duobus libris Oeconomicorum. Politicam demum tradidit in octo libris Politicorum.

7 Primam partem Philosophiæ realis, hoc est Physicam tradit octo libris de Physico auditu; quatuor de Cœlo, & mundo; duobus de Generatione, & Corruptione; quatuor meteorologicorum, nouem de historia animalium, quibus aliqui addunt decimum, qui ab alijs censetur non esse Aristotelis; quatuor de partibus Animalium, vno de Incessu Animalium; tribus de Anima, libris, qui inscribuntur parua naturalia, & quinque libris de Generatione Animalium; quibus aliqui addunt duos libros de Plantis, qui ab alijs censentur non esse Aristotelis. His accedit liber Physiognomicorum, liber de admirandis auditionibus, & duo libri Physicomathematici, liber nimirum quæstionum mechanicarum, & liber de lineis insecabilibus, de quo tamen dubitatur, an sit Aristotelis. Accedunt etiam liber de coloribus, de audibilibus, de spiritu, de proprietatibus elementorum, de mundo ad Alexandrum, qui communiter censentur non esse Aristotelis.

9 Omissa Mathematica, quæ est secunda pars Philosophiæ realis tertiam, & altissimā partem Philosophiæ realis, hoc est Metaphysicam, tradit Aristoteles in quatuordecim libris Metaphysicorum, quibus additur libellus de Xenophane, Zenone, & Gorgia, qui est Metaphysicus. Aliqui addunt etiam librum de caussis, & libros de Theologia Aegyptiorum, qui profecto non sunt Aristotelis,

10 His libris, quibus Aristoteles complexus est singulas Philosophiæ partes, addidit librum Problematum, in quo proponit, ac soluit plurimas quæstiones spectantes ad omnes partes Philosophiæ, ad Rhetoricam nimirum, Poeticam, Logicam, Physicam, Mathematicam, Metaphysicam, & moralem.

10 Quoad secundum: Propositum nobis in hoc opere fuit omnes Aristotelis libros breuiter, ac dilucidè ita explanare, vt facilè, ac iucundè possint legi, & intelligi: an id simus assecuti, aliorum esto iudicium. In horum librorum explicatione stilo à scholasticis vsitato sumus vsi, ac optimos quosque ex interpretibus secuti, & præsertim Sanctum Thomam, qui quia ingenio fuit Aristoteli simillimus, ita Aristotelem explicat, vt non alius Aristotelem, sed Aristoteles se ipsum explicare videatur. Quia verò vsitatus plerisque interpretibus modus exponendi textum verbatim, ac pene dixerim syllabatim, identidem repetendo *Dicit, deinde dicit, &c.* licet sit ad singula explicanda aptissimus, tamen solet esse lectoribus permolestus, ideo aliam rationem explicandi secuti sumus, ac textum in varias particulas diuisum, ac numeris distinctum, perpetua deinde paraphrasi in totidem particulas diuisa, ac totidem numeris distincta, sumus interpretati: in qua paraphrasi curauimus, vt nihil textui adderemus, nihil ex ijs, quæ sunt in textu, omitteremus, ideoque studiosè à quæstionibus, ac dubijs circa doctrinam textus occurrentibus abstinuimus, quas quæstiones, ac dubia videre quiuis poterit apud interpretes.

11 Aristotelis libros, ac paraphrasticam nostram explanationem in quinque tomos sumus partiti. Tomus primus continebit Philosophiam rationalem, hoc est Logicam Rhetoricam, & Poeticam. Tomus secundus continebit Philosophiam moralem, hoc est omnes Libros moralium, Politicorum, & Oeconomicorum. Tertius, & quartus Tomus continebunt Philosophiam naturalem, seu Physicam, hoc est octo libros de Physico auditu, quatuor de Cœlo, & mundo; duos de Generatione, & Corruptione: quatuor Meteorologicorum; nouem de historia Animalium; quatuor de partibus Animalium; librum vnum de incessu Animalium; Tres libros de Anima; libros qui inscribuntur parua naturalia, & quinque libros de Generatione

tione Animalium, & alia Opuscula partim Physica, partim Physicomathematica, nimirum librum quæstionum mechanicarum, librum de lineis insecabilibus, librum Physiognomicorum &c. Quintus Tomus complectetur Philosophiam transnaturalem, ac diuinam, hoc est quatuordecim libros Metaphysicorum, quibus accedet libellus de Xenophane, Zenone, & Gorgia, qui est Metaphysicus. In vltima parte Tomi quinti addetur liber Problematum, qui continet varias quæstiones spectantes ad vniuersam Philosophiam, & omnes eius partes.

12 Ratio ordinis explicati est, tum quia hoc fere ordine Aristotelis libri continentur in tomis Auerrois, qui in omnium manibus versantur; tum quia cum Logica doceat modum sciendi, debet præmitti cæteris scientijs, & facultatibus, etiam Rhetoricæ, quæ vt ex Aristotele dicetur libro primo Rhetoricorum, cap. 1. art. 3. num. 1. & sequentibus, haurienda est ex fontibus Logicæ, & quodammodo est pars Logicæ; sed Rhetorica est affinis dialecticæ, & proportionaliter illi altera ex parte respondet, vt docet Aristoteles initio primi Rhetoricorum, in quo videtur Logicam immediatè coniungere dialecticæ; ergo post Logicam ponenda est Rhetorica, & post Rhetoricam Poetica, quæ est affinis Rhetoricæ, & est tertia pars Philosophiæ rationalis. Post Philosophiam rationalem ponenda videtur Pphilosophia moralis, quia sicut Philosophia rationalis agit de rebus relatè ad actus rationis, siue intellectus, sic Philosophia moralis agit de rebus relatè ad mores, siue ad actus voluntatis. Post Philosophiam moralem ponenda est Philosophia realis. Et quia intellectus noster à sensibilibus procedit ad intelligibilia, ideo prius ponenda est Physica seu naturalis, quæ agit de ente sensibili, deinde Metaphysica, seu transnaturalis, ac diuina, quę agit de ente intelligibili. Liber demum Problematum, quia continet quęstiones spectantes ad omnes sciętias, & ad omnes partes Philosophiæ, ponendus est vltimo loco post omnes scientias, & post omnes partes Philosophiæ.

13 Iam verò cum plures versiones librorum Aristotelis circumferantur, apponemus versionem communem, quæ habetur in Tomis Auerrois, quia sub illa solet communiter Aristoteles legi, & ab autoribus citari. Retinebimus etiam communem diuisionem in libros, & capita: sed quia aliquando capita sunt longiora, tum illa in plures articulos subdiuidemus.



PROEMIVM
IN ARISTOTELIS LOGICAM, ET PORPHYRII INTRODVCTIONEM.

Proponitur diuisio Logicæ, & librorum Aristotelis; explicatur subiectum Introductionis Porphyrij, & examinatur an sit pars Logicæ.

1 ISCIPLINÆ debent ordinari, ac diuidi sicut res, quæ sunt obiecta talium disciplinarum; sed Logica, hoc est disciplina rationalis habet pro obiecto, vel actus rationis, seu operationes intellectus, vel entia rationis, seu secundas intentiones, hoc est res, atque obiecta prout denominata ab actibus rationis, & intellectus iuxtà varias sententias; ergo Logica debet ordinari, ac diuidi, sicut ordinantur, ac diuiduntur actus rationis, qui vel sunt obiectum Logicæ, vel constituunt entia rationis, seu secundas intentiones, quæ sunt obiectum Logicæ; sed actus rationis, seu operationes intellectus diuidũtur communiter ex Aristotele 3. de Anima tex. 21. in tres; primam apprehensionem, seu simplicem intelligentiam, compositionem, & diuisionem, seu iudicium immediatum; & discursum, seu iudicium mediatum; ergo proportionaliter Logica debet ordinari, ac diuidi in tres partes; in quarum prima agatur de rebus, prout simpliciter intelliguntur; in secunda de rebus, prout per secundam operationem enunciantur; in tertia de rebus, prout per tertiam operationem syllogizantur, & concluduntur.

2 Hoc ordine tradens Aristoteles Logicam, primam eius partem tradidit in libro prædicamentorum, in quo agit de rebus, in quantum simpliciter intelliguntur, & apprehenduntur; secundam partem tradidit in libris Perihermenias, seu de interpretatione, in quibus agit de enunciatione, ac de rebus, in quantum enunciantur; tertiam tradidit in libris de priori, & posteriori resolutione, in topicis, atque elenchis, in quibus agit de syllogismo in genere, ac de varijs syllogismorum speciebus; hoc est de syllogismo demonstratiuo, topico, seu probabili, & sophistico, ac de rebus, in quantum syllogizabilibus, demonstrabilibus, ac probabiliter, vel solum apparenter inferibilibus.

3 His Aristotelis libris Porphyrius Philosophus, Platonicus simul, & Peripateticus addidit librum introductoriũ de quinque prædicabilibus. Subiectum huius libri, vt patet ex eius proemio, sunt quinque prędicabilia; hoc est genus, species, differentia, proprium, & accidens. Doctrina libri pene tota desumpta est ex Aristotelis libris, præsertim topicis, ità tamen vt aliquando Porphyrius declinet in sententias Platonis Aristotelicis contrarias.

4 Aliqui dicunt hunc librũ non esse partem Logicæ, sed esse solum introductorium ad Logicam. Dicendum tamen, quod ita hic liber est introductio ad Logicam Aristotelis, vt ipse etiam sit liber logicus. Probatur, quia liber, in quo agitur de obiecto logicæ, est logicus; sed in hoc libro agitur de obiecto logicæ; ergo hic liber est logicus. Probatur minor; prædicabilia enim sunt obiectum logicæ; sed in hoc libro agitur de prædicabilibus; ergo &c. Probatur maior; nam obiectum logicæ sunt entia rationis, hoc est res, in quantum denominantur per actus rationis, seu intellectus; sed prædicabilia, vt genus, species, &c. sunt entia rationis, hoc est res, in quantum per actus intellectus denominantur genera, species &c. ergo &c.


5 Infertur, quod hic liber spectat ad primam

mam partem Logicæ, ficut liber prædicamentorum. In hoc enim libro agitur de rebus, in quantum ſimpliciter intelliguntur, & per ſimplicem apprehenſionem denominantur prædicabiles, hoc eſt genera, ſpecies, &c.

6 Diuiditur liber in ſeptem capita: in primo ponit Porphyrius proemium, in quo explicat neceſſitatem, & vtilitatem huius introductionis, ac modum in ea tradenda ſeruandum: In ſecundo agit de genere; in tertio de ſpecie; in quarto de differentia; in quinto de proprio; in ſexto de accidente; in ſeptimo comparat quinque prædicabilia inter ſe, & explicat eorum communitates, ac differentias, hoc eſt ea, in quibus conueniunt, ac differunt.

PORPHYRII INTRODVCTIO.

De neceſſitate, ac vtilitate huius introductionis, ac de modo in ea tradenda ſeruando. Cap. I.



1 *CVM ſit neceſſarium Chryſaori & ad eam, quæ eſt apud Ariſtotelem prædicamentorum doctrinam, noſſe quid ſit genus, quid differentia, quid ſpecies, quid proprium, & quid accidens: & ad definitionum aſſignationem, & omnino ad ea, quæ de diuiſione, & demonſtratione ſunt: vtili exiſtente iſtarum rerum ſpeculatione, compendioſam tibi traditionem faciens, tentabo breuiter, velut introductionis modo, ea, quæ*
2 *ab Antiquis dicta ſunt aggredi: * Ab altioribus quidem quæſtionibus abſtinens, ſimpliciores vero mediocriter coniectans. Mox de generibus ac ſpeciebus, illud quidem ſiue ſubſiſtant, ſiue in ſolis nudis intellectibus poſita ſint: Et ſiue ſubſiſtentia corporalia ſint, an incorporalia: Et vtrum ſeparata, an in ſenſibilibus poſita, & circa hæc conſiſtentia, dicere recuſabo: altiſſimum enim eſt huiuſmodi negotium, & alius maioris egens inquiſitionis. Illud verò quemadmodum de his, ac de propoſitis magis probabiliter Antiqui tractauerunt, & horum maximè Peripatetici, tibi nunc tentabo monſtrare.*

SCripturus Porphyrius ad Chryſaorium ſuam introductionem de quinque prædicabilibus, præmittit proemium, in quo explicat huius introductionis neceſſitatem, & vtilitatem, ac modum in ipſa tradenda ſeruandum.

1 Docet igitur, quod hæc introductio eſt vtilis, ac neceſſaria ad Logicam. In Logica enim explicatur doctrina libri prædicamentorum Ariſtotelis, ac præterea agitur de definitione, diuiſione, ac demonſtratione; Sed ad percipiendam doctrinam libri prædicamentorum, & doctrinam de definitionibus, diuiſionibus, ac demonſtrationibus eſt maximè vtile, ac neceſſarium præcognoſcere, quid ſit genus, ſpecies, differentia, proprium, & accidens; hæc autem breuiter explicantur in hac introductione, iuxtà doctrinam antiquorum; ergo hæc introductio eſt maximè vtilis, ac neceſſaria ad Logicam. Probatur minor; primo enim in libro prædicamentorum aſſignantur decem ſumma genera, ac diuiduntur per differentias eſſentiales in ſuas ſpecies ſubalternas, & infimas, & aſſignantur accidentia tum propria, tum communia talium generum, & ſpecierum; ergo ad hæc bene intelligenda vtile, ac neceſſarium eſt præcognoſcere, quid ſit genus, quid ſpecies, quid differentia, quid accidens proprium, & quid accidens commune. Secundo, definitio eſſentialis explicat ſpeciem, ſiue eſſentiam rei per genus, ac differentiam; definitio deſcriptiua explicat ſpeciem per genus, & propriam paſſionem; quædam etiam deſcriptiones explicant rem per accidentia communia: diuiſio alia eſt generis in ſpecies; alia generis in differentias; alia ſubiecti in accidentia, tum propria, tum communia; alia accidentis in ſubiecta: medium demonſtrationis potiſſimæ eſt definitio ſubiecti, quæ definitio conſtat ex genere, & differentia; per ipſam verò de-

demonstrationem de subiecto demonstrantur propriæ passiones; ergo ad doctrinam de definitionibus, diuisionibus, & demonstrationibus est vtilis, ac necessaria doctrina quinque prædicabilium.

2 Explicata vtilitate, ac necessitate huius introductionis, explicat Porphyrius modum, quem in ea tradenda est seruaturus. Dicit ergo, quod abstinebit ab altioribus, ac difficilioribus quæstionibus circà genera, & species; faciliores verò quæstiones tractabit iuxtà captum Chrysaorij, & aliorũ, qui ad Logicam debent introduci. Sunt autem difficiliores, & altiores quæstiones, an genera, & species dentur à parte rei, vel solum per intellectum, & in intellectu; & siquidem dantur à parte rei, an sint entia corporea, vel incorporea; an dentur in sensibilibus, vel sint separata à sensibilibus, vel media inter sensibilia, & insensibilia. Hæ igitur, & aliæ similes quæstiones, vt potè altissimæ, & ad Metaphysicam spectãtes in hac introductione sunt omittendæ; de facilioribus verò agendum non omninò exactè, sed modo logico, prout de illis egerunt antiquiores, ac præsertim Peripatetici.

De Genere. Cap. II.

1 *VIdetur autem neque genus neque species simpliciter dici. Genus enim dicitur, & aliquorum quodammodo se habentiũ ad vnum aliquod, & ad se inuicem collectio: secundum quam significationem Romanorum dicitur genus, ab vnius scilicet habitudine (dico autem Romuli) & multitudinis habentium aliquo modo adinuicem eam, quæ ab illo est, cognationem secundum diuisionem ab alijs generibus dictum.*

2 *Dicitur autẽ & aliter rursus genus, quod est vniuscuiusque generationis principium: vel ab eo qui genuit, vel ab eo loco in quo quis genitus est. Sic enim Orestem quidem dicimus à Tantalo habere genus, Hylum autem ab Hercule. & rursus, Pindarum quidem Thebanum esse genere, Platonem vero Athenienscm. Etenim patria principiũ quoddam est vniuscuiusque generationis, quemadmodum & pater. Hæc autem videtur promptissima esse significatio. Romani enim dicuntur, qui ex genere descendunt Romuli, & Cecropidæ, qui à Cecrope, & horum proximi. Et prius quidem appellatum est genus vniuscuiusque generationis principiũ: dehinc etiam & multitudo eorum, qui sunt ab vno principio, vt à Romulo: quam diuidentes & ab alijs separantes, dicebamus omnem illam collectionem Romanorum genus.*

3 *Aliter autem rursus genus dicitur, cui supponitur species: ad horum fortasse similitudinẽ dictum. Etenim principium quoddam est huiusmodi genus earum, quæ sub ipso sunt specierum; videtur etiam multitudinem continere omnem, quæ sub ipso sunt, specierum.*

PRæmisso proemio, incipit Porphyrius agere de ipsis prædicabilibus; ac primo agit de genere: circà quod primo explicat tres acceptiones generis; secundo affert descriptionem generis Philosophici, & ex ea declarat, in quo genus conueniat cum alijs prædicabilibus, in quo differat.

1 Quoad primum; genus, & species dicuntur multipliciter. Primo dicitur genus multitudo hominum, certa inter se cognatione coniunctorum, eo quod originem ducant ab aliquo vno; Ex. gr. genus Heraclydarum dicebatur multitudo hominum certa inter se cognatione coniunctorum, eo quod originem ducerent ab Hercule, per quam originem differebant ab alijs generibus hominum, qui non ducebant originem ab Hercule.

2 Secundo dicitur genus principium generationis, seu tale principium sit Pater, & Mater, seu Patria, quæ est quodammodo mater. In hoc sensu dicimus Orestem habere originem à Tantalo, Hylum ab Hercule, quià Orestes habuit principium generationis à Tantalo, Hylus ab Hercule, tanquam à Parentibus; dicimus rursus Pindarum esse Thebanum genere, Platonẽ Atheniensem, quià Pindarus principium generationis habuit à Thebis, Plato ab Athenis, tanquam à Patria. Hæc secunda acceptio generis videtur vsitatior. Dicuntur enim Heraclydæ, qui descendunt ab Hercule; Cecropidæ, qui descendunt à Cecrope, & horum propinqui. Videtur etiàm nomen generis primo impositum esse ad significandum principium generationis; deinde verò esse translatum ad significandam totam multitudinem eorùm, qui profluxerunt ab vno principio generationis; Ex. gr. primo dicimus genus Heraclydarum ipsum Herculem, à quo Heraclydæ descendunt; deinde verò etiam multitudinẽ descendentiũ ab Hercule, prout distinguitur ab alijs multitudinibus, appellamus genus Heraclydarũ.

Tertio

3 Tertio genus dicitur id, cui subijcitur species, Ex. gr. animal est genus, quia sub animali sunt species hominis, leonis, canis, &c. Porrò id, cui subijciuntur species, videtur dici genus, per quamdam analogiam, & similitudinem ad genus, in quantum sumitur pro principio descendentium, & pro multitudine eorum, qui ab vno descendunt. Nam & id, cui species subijciũtur, est quoddam principium specierum subiectarum; Ex. gratia animal est quoddam principium hominis, leonis, & aliorum animalium; & præterea id, cui species subijciuntur videtur continere totam multitudinem specierum subiectarum, ex. gr. animal videtur continere omnes species animalium, hominem, leonem, &c. quæ animalia participant de genere, tanquam de vno.

4 *Tripliciter igitur cum genus dicatur, de tertio apud Philosophos sermo est: quod etiam describentes assignauerunt, Genus esse, dicentes, quod de pluribus & differentibus specie in eo quod quid est prædicatur, vt animal. Eorum enim quæ prædicantur, alia quidem de vno dicuntur solo, sicut indiuidua, vt Socrates, & hic, & hoc: alia vero de pluribus, quemadmodum genera, & species, & differentia, & propria, & accidentia communiter sed non propriè alicui. Est autem genus quidem, vt animal: species vero, vt homo: differentia autem, vt rationale: proprium, vt risibile: accidens, vt album, nigrum, sedere. Ab ijs igitur, quæ de vno solo prædicantur, differunt genera: eò quòd hæc de pluribus prædicantur. Ab ijs autem rursus quæ de pluribus: a speciebus quidem, quoniam species etsi de pluribus prædicantur, non tamen de differentibus specie, sed numero. homo enim cum sit species, de Socrate & Platone prædicatur, qui non specie differunt, sed numero: animal vero, cùm sit genus, de homine, & boue, & equo prædicatur, qui differunt à se inuicem specie, non numero solum. A proprio verò differt genus: quoniam proprium quidem de vna sola specie, cuius est proprium prædicatur, & de ijs, quæ sub ipsa specie sunt indiuiduis: quemadmodum risibile de homine solo, & de particularibus hominibus: genus autem non de vna specie prædicatur, sed de pluribus & differentibus. A differentia vero, & ab ijs, quæ cõmuniter sunt accidentia, differt genus: quoniã & si de pluribus & differentibus specie prædicantur differentia, & communiter accidentia, non tamen in eo quod quid est prædicantur, sed in eo quod quale quid est. Interrogantibus enim aliquibus, quid est illud, de quo prædicantur hæc, genus respondebimus, differentias autem & accidentia non respondebimus: non enim in eo quod quid est prædicantur de subiecto, sed magis in eo quod quale quid est: interroganti enim quale quid est homo, dicimus quod rationale; & quale quid est coruus, dicimus quòd nigrum. est autem rationale quidem differentia, nigrum vero accidens. quando autem quid est homo interrogamur, animal respondemus, est autem hominis genus animal. Quare de pluribus prædicari diuidit genus ab ijs, quæ de vno solo eorum, quæ sunt indiuidua prædicantur. Hoc verò, de differentibus specie, separat ab ijs, quæ sicut species prædicantur, vel sicut propria. In eo autem quod quid est prædicari diuidit à differentijs, & cõmuniter accidentibus, quæ non in eo quod quid est, sed in eo quod quale quid est, vel quomodo se habet vnumquodque prædicatur de ijs, de quibus prædicatur. Nil igitur superfluum, neque minus continet generis dicta descriptio notionis.*

4 Quoad secundum: De genere in hac tertia acceptione agitur à Philosophis, adeoque de eo tantum est agendum in præsenti. Genus igitur in hac tertiâ acceptione describitur à Philosophis, *quod de pluribus specie differentibus, in eo quod quid est, prædicatur*, vt animal. Explicat Porphyrius hanc definitionem, ac simul probat illam esse bonam; tum enim definitio generis esset bona, quando explicaret, in quo genus conueniat, ac disconueniat ab omnibus, quæ prædicantur; sed explicat; ergo, &c. Probatur minor; quæ enim prædicantur, vel prædicantur de vno tantum, vt indiuidua, ex. gr. *Socrates; hoc, illud, &c.* vel prædicantur de pluribus; si de pluribus, vel prædicantur vt genera, ex. gr. *animal*; vel vt species ex. gr. *homo*; vel vt differentiæ, ex. gr. *Rationale*; vel vt propria alicuius speciei, ex. gr. *risibile*; vel vt accidentia non quidẽ propria vnius speciei, aut vnius indiuidui, sed communia indiuiduis plurium specierũ, ex. gr. *Album, nigrum, sedens, &c.* sed allata descriptio explicat in quo genus conueniat, ac differat ab his; ergo, &c. Probatur minor, quia cum omnibus conuenit in hoc quod sit *prædicabile*; ab indiuiduo differt in hoc, quod indiuiduum est prædicabile de vno tantum, genus est *prædicabile de pluribus*; à specie differt in hoc, quod species est prædicabilis de pluribus solo numero differentibus, genus autem est *prædicabile de pluri-*

pluribus differentibus specie; ex. gr. homo potest prædicari de Socrate, Platone, &c. differentibus solum numero; animal verò potest prædicari de Boue, Equo, atque homine &c. differentibus specie; à proprio differt in hoc, quod proprium prædicatur de vnica specie, cuius est proprium, ac de indiuiduis talis speciei; ex. gr. risibile prædicatur solum de specie hominis, ac de singularibus hominibus; genus verò *prædicatur de pluribus speciebus, ac de indiuiduis plurium specierum*; à differentia, & accidentibus communibus differt, quod differentia, & accidentia communia, licet prædicentur de pluribus specie differentibus, non prædicantur *in quid*, sed in *quale quid*, genus verò prædicatur *in quid*; ex. gr. si quis interroget *quale animal est homo?* respondemus per differentiam, ac dicimus *rationale*; si quis interroget, *quale animal est coruus?* respondemus per accidens, ac dicimus, *nigrum*: At verò interroganti, *quid est homo?* Non respondemus, *est rationalis*, sed *est animal*; interroganti, *quid est coruus?* non respondemus, *est niger*, sed *est animal*; ergo genus prædicatur *in quid*, differentia, & accidens *in quale quid*. Genus igitur per hoc, quod prędicetur de pluribus differt ab indiuiduis, quæ prædicantur de vno tantum; per hoc, quod prædicetur de pluribus specie differentibus, differt à speciebus, & proprijs, quæ prædicantur de pluribus solo numero differentibus; per hoc, quod prædicetur *in quid* differt à differentijs, & accidentibus communibus, quæ prædicantur non *in quid*, sed in *quale quid*; ergo bona est allata descriptio generis, cum nihil plus, aut minus explicet, quam quæ sunt de conceptu generis, prout differt ab alijs prædicabilibus.

De Specie tum subalterna, tum infima, ac de indiuiduo. Cap. III.

1 *Species autem dicitur quidē & de vniuscuiusque forma: secundum quam dictū est: Prima quidem species digna est imperio.*

2 * *Dicitur autem species & ea, quæ est sub assignato genere: secundum quam solemus dicere hominem quidem speciem animalis, cùm sit genus animal: album autem coloris speciem: triangulum vero figuræ speciem.*

3 *Quòd si etiā genus assignantes speciei meminimus dicentes, quod de pluribus & differentibus specie in eo quod quid est prædicatur, & speciem dicimus id, quod sub assignato genere est: nosse oportet quod, quoniam & genus alicuius est genus, & species alicuius est species, vtrumque vtriusque, idcirco necesse est in vtrorumque rationibus vtrisque vti.*

4 *Assignant ergo & sic speciem. Species est, quæ ponitur sub genere: & de qua genus in eo quod quid est prædicatur. Amplius autem sic quoque. Species est, quæ de pluribus & differentibus numero in eo quod quid est prædicatur. Sed hæc quidem assignatio specialissimæ est, & quæ solum species est, non autem & genus: aliæ vero erunt etiam non specialissimarum.*

POstquam Porphyrius egit de genere, agit de specie; ac primo explicatis duabus acceptionibus speciei, definit speciem philosophicam, tum prædicabilem, tum subijcibilem; secundo explicat, quo pacto in omnibus prædicamentis inueniatur genus generalissimum, species specialissima, ac genera, speciesque subalternæ; atque hæc describit, & comparat inter se, ostendens etiam, quod non datur vnum genus generalissimum commune omnibus, sed dantur decem genera, hoc est decem prædicamenta; tertio explicat, quo pacto genera, & species, atque vniuersim superiora, & inferiora se habeant secundum prædicationem; quarto demum describit indiuiduum, & concludit.

1 Quoad primum; species dicitur à spectando, ideoque primo significat formam spectabilem, seu exteriorem apparentiam, iuxtà quam acceptionem, speciosus idem significat, ac formosus, ac species idem significat, ac formositatem, seu pulchritudinem. De hac specie dicebatur à Barbaris, qui dignitatem hominis metiebantur potius a pulchritudine corporis, quam à virtute animi; *prima species digna est imperio*.

2 Secundo, species dicitur à Philosophis, quæ sub assignato est genere. In hoc sensu dicimus hominem esse speciem animalis; albedinem esse speciem coloris; triangulum esse speciem figuræ. Ratio, cur natura, quæ est sub genere, vocetur species est, quia addit supra genus, quod est quiddam in

determinatum, & informe, formam, pulchritudinem, & perfectionem differentiæ; Ex. gr. homo suprà animal, quod concipitur tamquam aliquid indeterminatum, & informe addit formam, pulchritudinem, & perfectionem rationalitatis.

3 Obijcit sibi Porphyrius; genus describitur per speciem, dicendo, quod est *id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid*; species rursus describitur per genus, dicendo, quod est *id, quod sub assignato est genere*; ergo in his descriptionibus committitur circulus, atque idem explicatur per idem.

Respondet, quod relatiua mutua non possunt definiri, nisi vnum ponatur in definitione alterius, eo pacto, quo quia duplum est duplum dimidij, in definitione dupli ponitur dimidium; & quia dimidium, est dupli dimidium, in definitione dimidij ponitur duplum; sed genus, & species sunt mutuò relatiua; genus enim est genus speciei, & species generis; ergo non est mirum, quod in suis descriptionibus se mutuo includant.

4 Definitur etiam species, *id, quod subijcitur generi, & de quo genus prædicatur in quid*; ex. gr. homo est species animalis, quià subijcitur animali, ità vt animal prædicetur de homine *in quid*. Vt autem hæc definitio sit bona, & conueniat soli speciei, non autem indiuiduo, debet intelligi de subiectione immediata. Nam etiam indiuidua subijciuntur generi mediante specie, ac etiam de indiuiduis genus prædicatur *in quid*; ex. gr. animali non solum subijcitur homo, qui est species, sed etiam Socrates, qui est indiuiduum, ità vt animal prædicetur *in quid* non solum de homine, sed etiam de Socrate; quià tamen Socrates non subijcitur immediatè generi, hoc est animali, ideò Socrates non est species. Rursus species definitur, *quod est prædicabile de pluribus solo numero differentibus in quid*; ex. gr. homo est species, quià est prædicabilis de pluribus hominibus solo numero differentibus *in quid*. Addit Porphyrius, quod hæc vltima definitio solum conuenit speciei specialissimæ, quæ nimirum est species tantum, non autem genus; aliæ autem definitiones conueniunt etiam speciebus subalternis, quę simul sunt species, & genus.

5 *Planum autem erit quod dicitur hoc modo. In vnoquoque prædicamento sunt quædam generalissima, & rursus alia specialissima: & inter generalissima, & specialissima sunt alia, quæ genera & species dicuntur eadem. Est autem generalissimum quidem, supra quod nullum aliud sit superueniens genus. Specialissimum autem est post quod non est alia inferior species. Inter generalissimum autem & specialissimum alia, quæ genera & species sunt eadem: ad aliud tamen & ad aliud sumpta.*

6 *Fiet autem in vno quidem prædicamento manifestum quod dicitur. Substantia est quidem & ipsa genus: sub hac autem est corpus, & sub corpore animatum corpus: sub quo animal: sub animali vero rationale animal: sub quo homo: sub homine vero Socrates & Plato, & qui sunt particulares homines. Sed horum substantia quidem generalissimum est, & quod genus solum: homo vero specialissimum, & quod solum species: corpus autem species quidem est substantiæ, genus vero animati corporis: sed & animatum corpus species quidem est corporis, genus vero animalis: rursus animal species quidē est corporis animati, genus vero rationalis animalis. sed rationale animal species quidem est animalis, genus autem hominis: homo vero species quidem est rationalis animalis, non autem genus particularium hominum, sed solum species. & omne, quod ante indiuidua proxinque prædicatur, species erit solum, non etiam genus.*

Quemadmodum igitur substantia cùm suprema sit, eò quòd nihil supra eam sit, genus est generalissimum: sic etiam homo cùm sit species, postquam non est alia species, neque aliquid eorum, quæ possunt diuidi in species, sed solum indiuidua (indiuiduum enim est Socrates, & Plato, & hoc album) species erit solum & vltima species, & (vt dictum est) specialissima. Quæ vero sunt in medio, eorum quidē, quæ ante ipsa sunt, erunt species: eorum autem, quæ post ipsa sunt, genera. Quare hæc quidem duas habent habitudines, eam, quæ est ad ea, quæ antecedunt, secundum quam species ipsorum esse dicuntur: & eam, quæ est ad posteriora, secundum quam genera ipsorum esse dicuntur. Extrema vero vnam habent habitudinem. Nam & generalissimum ad ea quidem, quæ posteriora sunt, habet habitudinem, cùm sit genus omnium id quod est supremum: eam vero, quæ ad superiora non habet, cùm sit supremum & primum principium, & (vt diximus) supra quod non

non est aliud superueniens genus. Specialissimum autem vnam habet & ipsum habitudinem, hanc quidem, quæ est ad superiora, quorum est species: eam vero, quæ est ad posteriora non diuersam habet habitudinem, sed eandem, & species indiuiduorum dicitur. Sed species quidem dicitur indiuiduorum, velut ea continens: species autem superiorum, velut quæ ab iis continetur.

5 Quoad secundum: quia Porphyrius mentionem fecit speciei specialissimæ, vt hanc explicet, aduertit, quod in quocunque prædicamento dantur genus generalissimum, species specialissimæ, & species subalternæ, quæ simul sunt genera, & species respectu diuersorum. Genus generalissimum est, *quod non habet suprà se aliud genus*; Species specialissima est, *quæ non habet sub se aliam speciem*; species, & genera media, ac subalterna sunt, *quæ & habent suprà se aliud genus, & habent sub se alias species*, ideoque habent rationem speciei respectu superioris generis, cui subijciuntur, & habent rationem generis respectu inferiorum specierum, de quibus prædicantur.

6 Explicatur hæc doctrina exemplificando in prædicamento substantiæ. Substantia est quoddam genus; sub substantia est corpus, quod est species substantiæ; sub corpore est viuens, seu corpus animatum; sub viuente est animal; sub animali est animal rationale, quod iuxtà Platonicos, quos in hoc errore sequitur Porphyrius, est genus commune animalibus rationalibus immortalibus, & mortalibus; sub animali rationali est homo, seu animal rationale, mortale; sub homine est Socrates, Plato, & alij singulares homines. Ex his substantia est genus generalissimum, quia non habet suprà se aliud genus, adeoque ità est genus, vt non sit species; homo est species specialissima, quia non habet sub se alias species, cum non dentur homines specie differentes, adeoque ita est species, vt non sit genus; alia intermedia sunt genera, simul, & species; corpus enim est species substantiæ, genus viuentis, seu animati; viuens est species corporis, genus animalis; animal est species viuentis, genus rationalis; animal rationale est species animalis, & iuxtà errorem Platonicorum est genus hominis; homo iuxta eundem errorem est species animalis rationalis, non autem est genus, sed solum species prædicabilis hominum singularium, qui non differunt specie, sed solo numero; & vniuersim quod est immediatè ante, & suprà singularia, est species specialissima, ac non est genus. Sicut igitur substantia est supremum, ac generalissimum genus, quià non habet suprà se aliud genus, sic homo est vltima, ac specialissima species, quià non habet sub se aliam speciem: quæ verò sunt in medio, nimirum animal, viuens &c. sunt species eorum, quibus subijciuntur, & simul sunt genera eorum, de quibus prædicantur, ideoque duas habent habitudines, alteram ad superiora genera, secundum quam dicuntur species illorum, alteram ad inferiores species, secundum quam dicuntur genera specierum inferiorũ, cum extrema, hoc est genus generalissimum, ac species specialissima, vnicam habeant habitudinem; nam genus generalissimum cum non habeat suprà se aliud genus, non habet habitudinem speciei subijcibilis ad genus superius, sed solum habet habitudinem generis ad species inferiores; species verò specialissima habet habitudinem speciei ad genera superiora, ad inferiora verò, hoc est ad indiuidua, non habet aliam habitudinem, quam speciei, cum sicut est species subijcibilis superioribus generibus, sic sit species prædicabilis de inferioribus indiuiduis, adeoque & est species continens indiuidua inferiora, & est species contenta in generibus superioribus.

7 *Determinant igitur generalissimum genus ita, quòd, cùm genus sit, non est species. Et rursus, supra quod non est aliud superueniens genus. Specialissimam vero speciem sic, quæ cùm sit species, non est genus: & quam, cum sit species, in species diuidere non possumus: adhuc autem, & quæ de pluribus & differentibus numero in eo quod quid est prædicatur. Ea vero, quæ in medio sunt extremorum, subalterna vocant genera & species, & vnumquodque ipsorum speciem esse, & genus ponunt: ad aliud tamen & aliud sumptum. Ea enim, quæ sunt ante specialissima vsque ad generalissimum ascendentia, & genera dicuntur, & species subalterna: vt Agamemnon, Atrides, & Pelopides, & Tantalides, & vltimum Iouis.*

Ex

7 Ex dictis inferuntur definitiones generis generalissimi, speciei specialissimæ, ac generum, & specierum subalternarum. Genus generalissimum est *quod ita est genus, vt non sit species, seu supra quod non est aliud genus*; species specialissima est *quæ ita est species, vt non sit genus, seu non est diuisibilis in alias species inferiores*; species ac genera subalterna sunt, *quæ sunt genera simul, & species, sed respectu diuersorum*: Respectu enim generum superiorum, quibus subijciuntur, sunt species; respectu specierum inferiorum, de quibus prædicantur, sunt genera. Sunt autem hæc genera, & species subalterna omnia intermedia, per quæ à specialissimis speciebus ascenditur ad genus generalissimum. Explicari potest hic ascensus per analogiam ad ascensum in genealogijs familiarum. Sicut enim in familijs ab aliquo vltimo ascenditur ad primum principium familiæ; ex. gr. ab vltimo, qui sit Agamemnon, ascenditur ad Iouem, qui est principium familiæ, dicendo, quod Agamemnon fuit filius Atrei; Atreus Pelopis; Pelops Tantali; Tantalus fuit filius Iouis: sic ab vltima specie ascenditur ad generalissimum genus; ex. gr. homo est sub animali; animal sub viuente; viuens sub corpore; corpus sub substantia, quæ est genus generalissimum.

8 *Sed in familijs quidem plerumque ad vnum reducuntur principium, v.g. ad Iouem: in generibus verò & speciebus non sic se habet. Neque enim est commune vnum genus omnium ens: nec omnia eiusdem generis sunt: secundum vnum supremum genus, quemadmodum dicit Aristoteles: sed posita sint (quemadmodum in prædicamentis dictum est) prima decem genera, quasi prima decem principia. Et si omnia quis entia vocet, æquiuoce (inquit) nuncupabit, sed non vniuoce. Si enim vnum esset commune omniũ genus ens, vniuocè omnia entia dicerentur. Cum vero decem sint prima, communio secundum nomen est solum, non tamen secundum rationem, quæ secundum nomen est. Decem igitur generalissima quidem sunt: specialissima vero in numero quidem quodam sunt, non tamen infinito: Indiuidua autem, quæ sunt post specialissima, infinita sunt: Quapropter vsque ad specialissima à generalissimis descendentes iubebat Plato quiescere: descendere autem per media diuidentes specificis differentijs: Infinita verò (inquit) relinquenda sunt: Neque enim eorum scientiam posse fieri. Descendentibus igitur ad specialissima, necesse est diuidentes per multitudinem ire: ascendentibus vero ad generalissima, necesse est colligere multitudinem in vnum. Collectiuum enim multorum in vnam naturam species est, & etiam magis id, quod genus est: particularia vero & singularia è contrario semper in multitudinem diuidunt id, quod vnum est: participatione enim speciei plures homines, vnus: particularibus autem & singularibus vnus & communis, plures. Diuisiuum enim semper est, quod singulare est: collectiuum autem & adunatiuum, quod commune est.*

8 Verum hæc est differentia inter genealogias familiarum, ac reductiones generum, & specierum, quod plerumque familiæ reducuntur ad vnum primum principium omnium familiarum, puta Iouem, iuxtà errorem gentilium, vel Adamum iuxtà veritatem fidei. At species, & genera non reducuntur ad vnum generalissimum genus omnibus commune. Neque enim datur vnum genus generalissimum commune omnibus entibus, ac prædicamentis, vt Aristoteles docet, sed dantur decem prima genera, & quasi prima principia, hoc est decem prædicamenta. Prædicamenta verò conueniunt quidem in hoc, quod sint ens, non tamen vniuocè, sed æquiuocè, vel analogicè, adeoque ens non est genus: si enim esset genus, deberet dici de prædicamentis vniuocè, & secundum eamdem omninò rationem, cum non dicatur secundum eamdem omninò rationem, sed secundum rationem partim diuersam, hoc est analogicè. Genera igitur generalissima sunt decem; species specialissimæ non sunt infinitæ, sed innumeræ; indiuidua sunt infinita; ex. gr. sunt possibiles infiniti homines. Ita dicebat Plato, quod incipiendo a generalissimis generibus, diuidendo talia genera per differentias immediatas, descendendum est vsque ad species specialissimas, ibique sistendum, non descendendo ad indiuidua, quia cum hæc sint infinita, non sunt scibilia; infinitum enim non est scibile ab intellectu finito. In hoc descensu fit progressus ab vno genere generalissimo ad multitudinem maiorem, & maiorem; e conuerso in ascensu, in quo ab indiuiduis, ac speciebus ascenditur ad genera, à multitudine fit progressus ad paucitatem, donec perueniamus ad

ad ipsum vnum. Nam species colligit in vnum infinita indiuidua; genus colligit in vnum innumeras species &c. E conuerso plures species diuidunt vnum genus; plura indiuidua diuidunt vnam speciem, adeoque inferius, & propinquius singularibus, semper est magis, ac magis diuisiuum; superius, & propinquius generi generalissimo, semper est magis, ac magis adunatiuum.

9 *Assignato autem genere & specie quid sit vtrunque eorum, & genere quidem vno existente, speciebus vero pluribus (semper enim in plures species diuisio generis est) genus quidem semper de specie prædicatur, & omnia superiora de inferioribus: species autem neque de proximo sibi genere, neque de superioribus: neque enim conuertitur. Oportet enim aut æqua de æquis prædicari, vt hinnibile de equo: aut maiora de minoribus, vt animal de homine: minora vero de maioribus minime. Neque enim dices animal esse hominem: quemadmodũ hominem dices esse animal. De quibus autem species prædicatur, de ijs necessario & speciei genus prædicabitur, & generis genus vsque ad generalissimum. Si enim verum est dicere Socratem hominem, hominem autem animal, animal autem substantiam; verum est & Socratem animal dicere, atque substantiam. Semper enim cùm superiora de inferioribus prædicentur, species quidem de indiuiduis prædicabitur: genus autem & de specie, & de indiuiduo: generalissimum vero de genere vel generibus, si plura sint media & subalterna, & de specie, & de indiuiduo. Dicitur enim generalissimum quidem de omnibus sub se positis generibus, & speciebus, & indiuiduis: genus autem, quod ante specialissimum est, de omnibus specialissimis & indiuiduis: solum autem species de omnibus indiuiduis: indiuiduum autem de vno solo particulari. Indiuiduum autem dicitur Socrates, & hoc album, & hic veniens Sophronisci filius, si solus sit ei Socrates filius.*

9 Quoad tertium; explicata diuisione generum in subiectas species, tradit Porphyrius regulas prædicationum. Docet ergo, quod genera prædicantur de speciebus, & superiora de inferioribus; at species non prædicantur de generibus proximis, neque de superioribus. Ratio est, quia æqualia prædicantur de æqualibus, ex. gr. hinnibile prædicatur de equo; & maiora, seu latius patentia prædicantur de minoribus, ex. gr. animal de homine: At minora, seu minus latè patentia non prædicantur, saltem prædicatione naturali, de maioribus; ex. gr. homo non prædicatur de animali; sed species minus latè patent, quam genera; ergo species non prædicantur de generibus, licet genera prædicentur de speciebus, ac de omnibus, de quibus prædicantur species. Ex. gr. quia homo prædicatur de Socrate, animal de homine, substantia de animali, ideò substantia prædicatur etiam de homine, & de Socrate; ita vt verum sit, quod non solum animal, sed etiam homo, & Socrates sunt substantia. Species igitur prædicatur solum de indiuiduis; genus prædicatur de speciebus, & de indiuiduis; genus generalissimum prædicatur de omnibus generibus subalternis, de specie specialissima, ac de indiuiduis; genus proximum prædicatur de specie specialissima, ac de indiuiduis; species specialissima prædicatur de solis indiuiduis; indiuiduum prædicatur de vno tantum; est autem indiuiduum *Socrates, & hic veniens, & Sophronisci filius,* si solus Socrates sit filius Sophronisci.

10 *Indiuidua autem dicuntur huiusmodi; quoniam ex proprietatibus consistit vnumquodque eorum, quarum collectio nunquam in alio eadem erit: Socratis enim proprietates nunquam in aliquo alio particularium erunt eædem. Eæ vero, quæ sunt hominis proprietates (dico autem eius qui est communis) erunt eædem in pluribus, magis autem & in omnibus particularibus hominibus, in eo quod homines sunt.*

11 *Continetur igitur indiuiduum quidem sub specie: species autem sub genere. Totum enim quiddam est genus, indiuiduum autem pars: species vero & totum est & pars. Sed pars quidem alterius: totum autem non alterius, sed in alijs. In partibus enim totum est. De genere igitur & specie, & quid generalissimum, & quid specialissimum, & quæ genera eadem, & species sint, quæ etiam indiuidua, & quot modis genus & species dicantur, sufficienter dictum est.*

10 Quoad quartum; quia sæpius Porphyrius mentionem fecit indiuidui, describit ipsum indiuiduum. Est igitur indiuiduum, quod ex proprietatibus consistit, quarum aggregatum nunquam in alio idem fiet;

fiet; ex. gr. Socrates habet proprietates, quarum aggregatum nunquam in alio idem fiet. Solent autem hæ proprietates exprimi hoc versu;

Forma, figura, locus, stirps, nomen, Patria, tempus.

Aggregatum talium proprietatum nunquã erit in alio indiuiduo. Nunquam enim inuenientur duo homines, qui vocentur eodem nomine, sint ex eadem stirpe, habeant similem omninò figuram, staturam &c. Porrò istæ proprietates, per quas indiuidua eiusdem speciei differunt, ac sunt discernibilia inter se, vocantur indiuiduales; proprietates verò, in quibus conueniunt omnia indiuidua eiusdem speciei, vocantur specificæ; ex. gr. proprietates, in quibus conueniunt omnes homines, vocantur specificæ.

11 Ex hactenus dictis patet, quod indiuiduum continetur sub specie, species sub genere, adeoque indiuiduum est pars speciei, quia continetur in specie; genus est totum respectu speciei, quia continet speciem; species est totum simul, & pars; respectu generis est pars, quia continetur in genere; respectu indiuidui est totum, quia continet indiuiduum. Sufficienter igitur dictum est de genere, & specie, explicando etiam, quid sit generalissimum, quid specialissimum, quid genera, & species subalternæ, quæ sunt simul genera, & species, quid indiuiduum, & quot modis dicantur tum genus, tum species.

De Differentia. Cap. IV.

1 *Differentia vero & communiter, & propriè, & propriissime dicatur. Nam communiter quidem differre alterum ab altero dicitur, quod alteritate differt quocunque modo, vel à seipso vel ab alio. Differt enim Socrates à Platone alteritate, & ipse à seipso, & puero existente & viro facto & faciente aliquid vel quiescente: & semper in aliquo modo habendi se alteritatibus spectatur.*

2 *Proprie autem differre alterum ab altero dicitur, quando inseparabili accidente alterum ab altero differt. Inseparabile vero accidens est, vt cæsitas oculorum, aut nasi curuitas, aut cicatrix cùm ex vulnere occalluerit.*

3 *Propriissime autem differre alterum ab altero dicitur, quando specifica differentia differt: quemadmodum homo ab equo specifica differentia differt, rationali qualitate.*

4 *Vniuersaliter ergo omnis differentia addita alicui alteratum facit. Sed ea quidem, quæ & communiter & proprie sunt, alteratum faciunt, quæ vero propriissime aliud. Quæ quidem igitur aliud faciunt, specificæ vocantur: illæ vero quæ alteratum, simpliciter differentiæ. Animali enim aduenïens rationalis differentia, aliud fecit: eius autem quod est moueri, alteratũ solum à quiescente fecit. Quare illa quidem aliud, hæc vero alteratum solum fecit. Secundum igitur aliud facientes differentias diuisiones generum fiunt in species, & definitiones assignantur, quæ sunt ex genere & huiusmodi differentijs: secundum autem eas, quæ solum alteratum faciunt, alteritates solum consistunt, & aliquo modo se habentis permutationes.*

1 Differentia dicitur tripliciter, communiter, propriè, & propriissimè. Differentia communis est alteritas, per quã res quomodocunque differt à se ipsa, vel ab alia re, eo quod alio modo se habeat; ex. gr. quia Socrates iam vir differt à se ipso puero, & à Platone, alijsque adhuc pueris: & quia Socrates sedens differt à se ipso ambulante, & à Platone, alijsque ambulantibus, ideo ætas, sessio, & alia omnia accidentia separabilia sunt differentiæ communes Socratis.

2 Differentia propria est accidens inseparabile à re, per quod vna res differt ab alia re; ex. gr. Cæsitas est differentia propria, quia est accidens inseparabile ab eo, qui habet oculos cæsios, per quod differt ab ijs, qui non habent oculos cæsios; curuitas nasi, ac cicatrix vulneri obducta, cum occalluerit, sunt differentiæ propriæ ex eadem ratione.

3 Differentia propriissima est, per quam vnum specie differt ab alio; ex. gr. rationale est differentia propriissima hominis, quia homo per rationalitatem specie differt ab equo.

4 Differentiæ communes, propriæ, & propriissimæ conueniunt in hoc, quod faciunt rem quodammodo alteram, & alio modo se habentem, & disconueniunt in hoc, quod differentiæ communes, & propriæ non faciunt aliud, sed solum alio modo se

se habens; at differentia proprijssima facit aliud. Ideò possumus differentiam diuisione bimembri diuidere, dicendo, quod aliæ differentiæ faciunt solum alteratum, aliæ faciunt aliud: illæ, quæ faciunt solum alteratum, sunt differentiæ vtcunque; illæ quæ faciunt aliud, sunt specificæ; ex. gr. differentia rationalis adueniens animali facit, vt homo sit aliud animal specie differens ab equo; at differentia ambulantis adueniens homini, qui ante quiescebat, non facit alium hominem, sed solum alio modo se habentem. Homo enim ambulans, ac sedens est idem, sed alio modo se habet quando ambulat, ac quando sedet. Porro diuisiones generum in species non fiunt per differentias, quæ faciunt solum alteratum, sed per differentias, quæ faciunt aliud; Ex. gr. si debeat animal diuidi in suas species, non diuiditur in animal actu ambulans, & actu quiescens, sed in animal rationale, & hinnibile. Similiter cum species definiuntur per genus, & differentiam, non definiuntur, per differentias facientes solum alteratum, sed per differentias facientes aliud; ex. gr. homo non definitur *animal ambulans actu*, sed *animal rationale*; per differentias verò facientes solum alteratum, explicatur tantum, quo pacto res se habeat; ex. gr. an homo ambulet, vel quiescat.

5 *A superioribus ergo rursus incohanti, dicendum differentiarum alias quidem esse separabiles, alias vero inseparabiles. Moueri enim & quiescere, & ægrum esse & sanum esse, & quæcunque his proxima sunt, separabilia sunt. At vero aquilinum esse vel simum, vel rationale vel irrationale inseparabilia sunt.*

6 *Inseparabilium autem aliæ quidem sunt per se, aliæ vero per accidens. Nam rationale per se inest homini, & mortale, & disciplinæ esse susceptiuum: at vero aquilinum esse, vel simum per accidens, & non per se. Illæ igitur, quæ per se sunt, in substantiæ ratione accipiuntur, & faciunt aliud: illæ vero, quæ secundum accidens, nec in substantiæ ratione accipiuntur, nec faciunt aliud, sed alteratum. Quæ quidem igitur per se sunt, non suscipiunt magis & minus: quæ vero per accidens (etsi inseparabiles sint) intensionem accipiunt & remissionem. Nam neque genus, aut magis & minus prædicatur de eo cuius fuerit genus, neque generis differentiæ, secundũ quas diuiditur. Ipsæ enim sunt, quæ vniuscuiusque rationem complent: esse autem vnicuique vnum & idem, neque intensionem, neque remissionem suscipiens est. aquilinum autem esse, vel simum, vel coloratum, aliquo modo & intenditur, & remittitur.*

7 *Cùm igitur tres species differentiæ considerentur: & ea quidem sint separabiles, illæ vero inseparabiles: & rursus inseparabilium hæ quidem sint per se, illæ vero per accidens: rursus earum, quæ per se sunt, differentiarum, aliæ quidem sunt, secundum quas diuidimus genera in species, aliæ vero, secundum quas ea, quæ diuisa sunt, specificantur: vt cum per se differentiæ omnes huiusmodi animalis sint, animatum & sensitiuum, rationale & irrationale, mortale & immortale: animati quidem & sensitiui differentia constitutiua est substantiæ animalis (est enim animal substantia animata sensitiua) mortalis vero & immortalis differentia, & rationalis & irrationalis diuisiuæ sunt animalis differentiæ: per eas enim genera in species diuidimus. Sed eæ quidem, quæ diuisiuæ sunt differentiæ generum, completiuæ fiunt, & constitutiuæ specierum. Diuiditur enim animal rationalis & irrationalis differentia: & rursus mortalis & immortalis differentia. Sed rationalis & mortalis differentiæ constitutiuæ fiunt hominis: rationalis vero & immortalis Dei: irrationalis autem & mortalis irrationalium animalium. Sic vero & supremæ substantiæ, cum diuisiuæ sint animati & inanimati differentiæ, & sensitiui & insensitiui, animata quidem & sensitiua, iuxta substantiam sumptæ animal perfecerunt: animata vero & insensitiua perfecerunt plantam. Quoniam ergo eædem aliquo modo quidem acceptæ fiũt constitutiuæ, aliquo modo autem diuisiuæ, specificæ omnes vocantur, & his maximè opus est ad diuisiones generum, & ad definitiones: sed non his, quæ secundum accidens inseparabiles sunt, neque etiam magis ijs, quæ sunt separabiles.*

5 Verum, vt exactius differentia diuidatur, ac melius explicetur natura differentiæ specificæ, de qua agere intendimus, dicendum, quod differentiæ primo diuiduntur in separabiles, atque inseparabiles; ex. gr. differentiæ ambulantis, ac quiescentis, ægroti, ac sani, sunt differentiæ separabiles ab eo, cuius sunt differentiæ; idem enim homo aliquando ambulat, aliquando quiescit; ali-

quan-

quando est sanus, aliquando ægrotus. At differentiæ habentis nasum aquilinum, vel simum, sunt inseparabiles ab eo, cuius sunt differentiæ; neque enim potest qui habet nasum aquilinum mutare illum in nasum simum; similiter etiam sunt inseparabiles differentiæ rationalis, & irrationalis; neque enim animal, quod nunc est rationale, potest euadere irrationale.

6 Secundo differentiæ inseparabiles subdiuiduntur in differentias per se, & per accidens; ex. gr. differentiæ rationalis, mortalis, ac disciplinabilis, per se insunt homini; at differentiæ habentis nasum aquilinum, vel simum, licet sint inseparabiles, adhuc non per se, sed solum per accidens insunt homini. Illæ igitur solæ differentiæ, quæ per se insunt, sumuntur in ratione substantiæ, hoc est in definitione explicante essentiam rei, & faciunt aliud: Differentiæ verò, quæ per accidens insunt, nec sumuntur in definitione essentiali, nec faciũt aliud, sed alteratum; Ex. gr. in definitione hominis sumitur rationale; homo enim definitur animal rationale; at verò in definitione hominis non sumitur differentia habentis nasum simum; neque enim homo definitur animal habens nasum simum. Rursus differentiæ, quæ per se insunt, non suscipiunt magis, & minus, neque sunt capaces intensionis, ac remissionis: At differentiæ etiam inseparabiles, quæ per accidens insunt, suscipiunt magis, & minus, ac sunt capaces intensionis, & remissionis; Ex. gr. potest quidem vnus homo habere nasum magis simum, aut magis aquilinum, quam alius; at non potest vnus homo esse magis rationalis, quam alius. Ratio est, quia ipsa essentia rei non est capax intensionis, ac remissionis; sed genera, ac differentiæ constituunt ipsam essentiam rei; ergo genera, & differentiæ non sunt capacia intensionis, ac remissionis.

7 Tertio differentiæ per se subdiuiduntur in constitutiuas, ac diuisiuas. Differentiæ constitutiuæ sunt, quæ ita per se dicuntur de eo, quod diuiditur, vt illud constituant, ac specificent: Differentiæ diuisiuæ sunt, quæ ita per se dicuntur de eo, quod diuiditur, vt illud non constituant; ex. gr. differentiæ per se animalis sunt non solum animatum, & sensibile, sed etiam rationale, & irrationale; omnes enim hæ per se dicuntur de animali; at animatum, & sensibile sunt differentiæ constitutiuæ animalis, quia animal constituitur per hoc, quod sit corpus, animatum, sensibile; at verò rationale, & irrationale non sunt differentiæ constitutiuæ, sed solum diuisiuæ animalis, quia animal non constituitur per differentias rationalis, & irrationalis, sed solum per illas diuiditur. Differentiæ tamen diuisiuæ generum sunt constitutiuæ specierum; ex. gr. differentiæ rationalis, & irrationalis, mortalis, & immortalis, ita diuidunt genus animalis, vt rationale, & irrationale constituant species hominis, ac bestiæ; rationale mortale, & immortale constituant species hominis, ac Dei, iuxtà errorem Platonicorum, qui putabant Deos, hoc est Angelos esse animalia rationalia immortalia; irrationale verò mortale, constituit speciem bestiæ. Similiter differentiæ per se diuisiuæ substantiæ sunt animatum, & inanimatum; sensibile, & insensibile. Ex his animatum, & sensibile addita substantiæ, constituunt animal; animatum, & insensibile addita substantiæ, constituunt plantam. Quià ergo omnes differentiæ aliquo pacto sunt diuisiuæ, aliquo pacto constitutiuæ, & specificatiuæ, vt explicatum est, ideò omnes hæ differentiæ vocantur specificæ; his verò maximè indigemus ad diuisiones generum in suas species, & ad definitiones specierum, vt dictum est num. 4. cum differentijs per accidens tum separabilibus, tum inseparabilibus nullo pacto indigeamus; siquidem nec genus diuiditur in suas species per differentias per accidens, nec species definiuntur per differentias per accidens.

8 *Quas etiam determinantes dicunt: Differentia est, quæ abundat species à genere. Homo enim plus habet quam animal, rationale & mortale: animal enim nihil horum est. Nam vnde species haberent differentias? Neque verò omnes oppositas habet, quoniam idem simul habebit opposita. Sed, quemadmodum censent, potestate quidem habet omnes eorum, quæ sub se sunt, differentias, actu verò nullam. Ac sic neque ex ijs, quæ non sunt, aliquid fit, neque opposita circa idem erunt.*

9 *Definiunt autem eam & hoc modo. Differentia est, quæ de pluribus & differentibus specie in eo, quod quale quid est prædicatur. Rationale enim & mortale de homine prædicatum in eo quod quale quid est homo dicitur: sed non in eo quod quid est. Quid est enim homo, nobis interrogatis, conueniens*

dicere

dicere animal: quale autem animal inquisitis, quod rationale & mortale est conuenienter assignabimus. Rebus enim ex materia & forma constantibus, vel secundum proportionem ad materiam & formam, constitutionem habentibus, quemadmodum statua ex materia quidem est ære, ex forma autem figura: sic & homo communis, & specialis ex materia quidem proportionaliter consistit ex genere, ex forma autem differentia. Totum autem hoc, animal rationale mortale, homo est, quemadmodum illic statua.

10 *tua. * Describunt autem & hoc modo. Differentia est quod aptum natum est diuidere ea, quæ sub eodem genere sunt. Rationale enim & irrationale hominem & equum, quæ sub eodem genere sunt, quod est animal, diuidunt.*

11 *Assignant autem & hoc modo: Differentia est, qua differunt à se singula. Namque homo, & equus secundum genus non differunt; sumus enim animalia nos, & equi: sed additum rationale disiunxit nos ab illis: & rationales sumus & nos, & Dij: sed mortale appositum disiunxit nos ab illis.*

12 *Exactius autem pertractantes ea, quæ ad differentiam pertinent, dicunt non quodlibet diuidentium ea, quæ sub eodem genere sunt, esse differentiam, sed quod ad esse conducit, & quod quid erat esse, & quod rei pars est. Neque enim quod natum est nauigare, est hominis differentia, etsi sit proprium hominis. Dicere enim possumus animalium hæc quidem apta esse ad nauigandum, illa verò minimè, diuidentes hominem ab alijs. Sed aptum natum esse ad nauigandum, non est substantiæ completiuum, nec eius pars, sed aptitudo solum ipsius: iccirco quia non est talis differentia, quales sunt, quæ specificæ dicuntur differentiæ. Erunt ergo specificæ differentiæ, quæcunque alteram faciunt speciem, & quæcunque in eo quod quid erat esse accipiuntur. Et de differentia quidem tot sufficiant.*

8 Explicatis varijs diuisionibus, & subdiuisionibus differentiæ, affert Porphyrius quinque descriptiones differentiæ specificæ acceptas ab antiquis. Prima descriptio est: differentia specifica est, per quam species abundat à genere, seu per quam species excedit genus; ex. gr. rationale est differentia hominis, quià homo non solum est animal, sed rationalis, adeoque suprà animal, quod est genus, addit differentiam rationalis, cum genus animalis per se præcisè neque sit rationale, neque irrationale. Sed contra hoc Porphyrius opponit: si genus non continet differentias, vnde nam species accipiunt differentias? Ex. gr. si animal non continet differentiam rationalis, vnde nam homo accipit differentiam rationalis? Respondet quod genus non continet differentias actu, sed potentia, eo pacto quo materia continet formas; per hoc autem saluatur, & quod genus non habeat actu simul oppositas differentias rationalis, & irrationalis ex. gr; & quod differentiæ non fiant ex nihilo, sed quodammodo educantur ex potentia generis.

9 Secundo describitur differentia, vt prædicabilis; quæ prædicatur de pluribus specie differentibus in eo, quod quale quid est; ex. gr. differentiæ rationalis, & mortalis dicuntur de homine, sed non in quid. Interroganti enim *quid est homo?* conuenienter respondetur assignando genus, ac dicendo, quod est animal; at non conuenienter respondetur assignando differentiam, ac dicendo quod est rationalis; interroganti verò, *quale animal est homo?* conuenienter respondetur, quod homo est animal rationale mortale. Ratio est, quià sicut res physicè constituuntur ex materia, & forma, sic metaphysicè constituuntur ex genere, & differentia, habentibus proportionem cum materia, & forma: idcircò genus se habet vt materia, & vt pars determinabilis, differentia se habet vt forma & vt pars determinatiua, & qualificatiua generis, ideoque prædicatur *in quale*. Sicut igitur statua constituitur ex ære, vt materia, & ex figura, vt forma; sic homo constituitur ex genere animalis, vt materia, & ex differentijs animalis, & mortalis vt forma. Sequitur verò in hac definitione differentiæ Porphyrius sententiam Platonicorum, quod non dentur differentiæ simplices, & conuertibiles cum speciebus, sed solum differentiæ communiores speciebus.

10 Tertio describitur differentia, id quod ex suaptè natura diuidit ea, quæ sunt sub eodem genere; ex. gr. rationale, & hinnibile sunt differentiæ specificæ animalis, quià diuidunt inter se hominem, & equum, qui sunt sub eodem genere animalis.

11 Quarto describitur differentia, per quã singula differunt; ex. gr. rationalitas, & hinnibilitas sunt differentiæ hominis, & equi, quia homo, & equus, qui conue-

nituit

niunt in genere animalis, differunt per hoc, quod homo est animal rationale, equus est animal hinnibile. Rursus homines, & Angeli iuxtà errorem Platonicorum non differunt, sed conueniunt in hoc, quod sint animalia rationalia, differunt verò per mortalitatem, & immortalitatem: Nam Angeli iuxtà illum errorem sunt animalia rationalia immortalia; homines sunt animalia rationalia mortalia.

12 Quinto demum qui magis intimè penetrarunt naturam differentiæ specificæ, afferunt aliam descriptionem magis exactam, ac dicunt, quod differentia specifica non est quodlibet eorum, quæ diuidunt ea, quæ sunt in eodem genere; sed est illud, quod ita diuidit singula, vt spectet ad essentiam, & quidditatem rei, & est pars quidditatiua ipsius: Ex. gr. licet homo diuidatur ab alijs animalibus per hoc, quod cum cætera animalia non sint apta ad nauigandum, homo est animal capax artis nauticæ, & ad nauigandum aptum, adhuc aptitudo ad nauigandum non est differentia specifica hominis, quia non spectat ad essentiam hominis, sed est quædam proprietas consequens ad rationalitatem, quæ est hominis essentia. Sunt igitur differentiæ specificæ, quæ ità diuidunt species, & faciunt alias, vt sint partes quidditatiuæ specierum. Hoc autem, quod differentia sit pars quidditatiua speciei, debet subintelligi in omnibus alijs allatis descriptionibus. Illud enim, quo species abundat suprà genus; & quod est prædicabile de pluribus differentibus specie in quid; & quod suaptè natura diuidit ea, quæ sub eodem genere sunt; & per quod differunt singula; adhuc non est differentia specifica, si non sit pars quidditatiua speciei.

De Proprio. Cap. V.

1 *Proprium verò quadrifariam diuidunt. Nam & id, quod soli alicui speciei accidit, & si non omni, proprium dicitur: vt*
2 *homini medicum esse, vel geometram.* * *Et quod omni accidit speciei, etsi non soli: quemadmodum homini esse bipedem.* * *Et quod*
3 *soli & omni, & aliquando: vt omni homini*
4 *in senectute canescere.* * *Quartum autem id in quo conuenerunt & soli, & omni, & semper: quemadmodum homini esse risibile: nam & si non semper rideat, tamen risibilis dicitur: non quòd rideat semper: sed quòd semper aptus natus sit vt rideat. Hoc autem ei semper connaturale est, quemadmodum & equo hinnibile. Hæc autem & propriè propria dicuntur, quoniam etiam conuertuntur. Si quid enim equus est, hinnibile est: & si quid hinnibile est, equus est.*

1 Proprium dicitur quatupliciter. Primo proprium est, quod conuenit solum alicui speciei, sed non conuenit omnibus indiuiduis talis speciei; ex. gr. *esse medicum, ac Geometram* est proprium hominis, quia solus homo potest esse medicus, ac geometra, licet non omnis homo sit medicus, aut geometra.

2 Secundo proprium est, quod conuenit omni, sed non soli; ex. gr. *esse bipedem*, est proprium hominis, quia omnis homo est bipes, sed non solus homo est bipes, cum etiam Gallina sit bipes.

3 Tertio proprium dicitur, quod conuenit omni, & soli, sed non semper; ex. gr. in senectute canescere est proprium hominis, quia omnis, & solus homo canescit, sed non semper sed aliquando, hoc est in senectute.

4 Quarto proprium dicitur, quod conuenit omni, soli, & semper; ex. gr. *esse risibile* est proprium hominis, quia omnis, & solus homo, & semper est risibilis. Licet enim homo non semper rideat, adhuc ex sua natura semper est aptus ad ridendum; sicut licet equus non semper hinniat, adhuc ex sua natura semper est aptus ad hinniendum. Propria quarto modo constituunt quartum prædicabile, & vocantur propriè propria, & dicuntur de specie conuertibiliter. Sicut enim omnis equus est hinnibilis, sic omne hinnibile est equus.

De Accidente. Cap. VI.

1 *Accidens autem est, quod adest & abest præter subiecti corruptionem. Diuiditur autem in duo: hoc enim ipsius separabile est, illud vero inseparabile. Dormire quidem separabile accidens est: nigrum verò esse inseparabiliter coruo & Aethiopi accidit. Potest enim intelligi & coruus albus, & Aethiops abijciens colorem, præter subiecti corruptionem.*

2 *Definiunt autem sic quæque. Accidens est quod contingit eidem inesse & non inesse. Et quod neque genus est, neque differentia, neque species, neque proprium: semper autem est in subiecto subsistens. Omnibus autem determinatis, quæ proposita sunt (dico autem genere, specie, differentia, proprio, accidente) dicendum est quæ eis communia sunt, & quæ propria.*

1 Accidens est, quod adest, & abest præter subiecti corruptionem. Diuiditur in accidens separabile & accidens inseparabile: ex. gr. actus dormiendi est accidens separabile ab homine, quià homo ità dormit, vt possit non dormire; è conuerso nigredo est accidens inseparabile à Coruo, & ab Æthiope. Hinc oritur difficultas, quo pacto accidenti inseparabili conueniat definitio accidentis, per quam dicitur esse id, quod potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionem, cum accidens inseparabile, ex. gr. nigredo non possit separari à Coruo, vel Æthiope, quin corrumpatur. Respondet Porphyrius, quod potest intelligi Coruus, ac Æthiops albus, quin corrumpatur; ergo accidens inseparabile potest per intellectum abesse, præter subiecti corruptionem, quod sufficit ad definitionē.

2 Definitur etiam accidens, quod contingit eidem inesse, vel non inesse: Definitur rursus, quod neque est genus, neque species, neque differentia, neque proprium, semper autem est in subiecto subsistens. Concludit Porphyrius, quod cum actum sit de quinque prædicabilibus, agendum est de ijs, in quibus conueniunt, ac de ijs, in quibus differunt, seu de communitatibus, ac differentijs quinque prædicabilium.

De communitatibus, ac differentijs, seu de conuenientijs, ac disconuenientijs quinque prædicabilium. Cap. VII.

1 *Commune quidem est omnibus de pluribus prædicari, quemadmodum dictum est. Sed genus quidem de omnibus sub se speciebus & indiuiduis: & differentia similiter. Species autem de ijs, quæ sub ipsa sunt indiuiduis. At verò proprium & de specie, cuius est proprium, & de ijs, quæ sub specie sunt indiuiduis. Accidens autem & de speciebus & de indiuiduis. Nanque animal de equo & boue prædicatur, quæ sunt species, & de hoc equo, & de hoc boue, quæ sunt indiuidua. Irrationale verò & de equo & boue, & de ijs, qui sunt particulares prædicatur. Species autem, vt homo, solum de ijs, qui sunt particulares homines, prædicatur. Proprium vero de specie cuius est proprium, & de ijs, quæ sub specie sunt indiuiduis: vt risibile de homine, & de ijs, qui sunt particulares. Nigrum autem & de specie coruorum, & de ijs quæ sunt particulares, quod est accidens inseparabile: & moueri de homine, & de equo, quod est accidens separabile: sed principaliter quidem de indiuiduis, secunda ratione autem de ijs, quæ continent indiuidua.*

Postquam Porphyrius egit de quinque prædicabilibus secundum se consideratis, comparat illa inter se, vt explicet in quibus inuicem conueniant, & in quibus differant: ac primo vniuersim explicat, quo pacto omnia quinque prædicabilia conueniant, ac differant in hoc, quod de pluribus prædicentur; secundo explicat ea, in quibus genus conuenit, ac differt cum differentia, specie, proprio, & accidente; tertio explicat ea, in quibus differentia conuenit, ac differt à specie proprio, & accidente; quarto explicat ea, in quibus species conuenit, ac differt à proprio, & accidente; quinto demum explicat ea, in quibus conueniunt, ac differunt proprium, & accidens; & per hæc concludit suam introductionem.

1 Quoad primum: omnia quinque prædicabilia conueniunt in hoc, quod prædicantur de pluribus; at genus, & differentia prædicantur de omnibus speciebus inferioribus, & de omnibus indiuiduis, quæ sunt sub talibus speciebus; species prædicatur de omnibus indiuiduis; proprium prædicatur de specie, cuius est proprium, ac de indiuiduis talis speciei; accidens demum prædicatur primo, & per se de indiuiduis, secundario de speciebus. Explicatur exemplis: Animal, quod est genus, prædicatur de homine, leone, equo &c. & prætereà de omnibus singularibus hominibus, leonibus, equis &c. Irrationale, quod est differentia prædicatur de boue, leone, equo, & omnibus bestijs, & prætereà de omnibus indiuiduis

uiduis talium specierum. Homo, qui est species prædicatur solum de singularibus hominibus, Socrate, Callia &c. Risibile, quod est proprium hominis prædicatur de homine, cuius est proprium, & de omnibus singularibus hominibus. Nigrum, quod est accidens inseparabile à coruo prædicatur de specie corui, ac de omnibus singularibus coruis. Moueri, quod est accidens separabile, prædicatur de homine, & equo, & alijs speciebus animalium, & præterea de singularibus hominibus, equis &c. sed primo, & per se de indiuiduis, secundario de speciebus. Homo enim, & equus, in tantum dicuntur moueri, & ambulare, in quantum homines, & equi singulares mouentur, & ambulant.

2 *Commune autem est generi, & differentiæ continentia specierum. Continet enim differentia species, & si non omnes quot genera. Rationale enim, & si non continet irrationalia, quemadmodum animal, tamen continet hominem, & Deum, quæ sunt species.*

3 *Et quæcunque prædicantur de genere vt genus, & de ijs, quæ sub ipso sunt speciebus prædicantur: & quæcunque prædicantur de differentia, vt differentia, & de ea quæ ex ipsa est, specie prædicabuntur. Nam cùm genus animal sit, non solum de eo prædicantur, vt genus, substantia, & animatum & sensibile, sed etiam de ijs, quæ sunt sub animali speciebus omnibus prædicantur hæc, vsque ad indiuidua. Cùmque differentia sit rationale, prædicatur de ea, vt differentia, id quod est ratione vti: & non solum de eo quod est rationale, sed etiam de ijs, quæ sunt sub rationali, speciebus prædicabitur ratione vti.*

4 *Commune quoque est perempto genere, vel differentia simul perimi quæ sub ipsis sunt. Quemadmodum enim, si non sit animal, non est equus, neque homo: ita si non sit rationale, nullum erit animal, quod vtatur ratione.*

2 Quoad secundum; genus conuenit cum differentijs in tribus, differt in sex, & etiam in alijs. Primo ergo genus, & differentia conueniunt in hoc, quod sicut genus, sic etiam differentia continet sub se species, licet non omnes, quas continet genus; Ex. gr. sicut genus animalis continet sub se hominem, Leonem, & alias species animalium, sic differentia irrationalis continet sub se Leonem, Equum, & plures species animalium, licet non omnes; non enim continet hominem, qui tamen continetur in genere animalis. Differentia etiam rationalis, licet non contineat sub se species irrationalium, adhuc continet sub se species hominis, & Angeli, iuxtà errorem Platonicorum, quod Angeli sint animalia rationalia immortalia.

3 Secundo conuenit in hoc, quod sicut, quæ prædicantur de genere, vt genere, prædicantur etiam de speciebus, quæ continentur sub tali genere; sic quæ prædicantur de differentia, vt differentia, prædicantur etiam de speciebus contentis sub tali differentia: Ex gr. de animali, vt genere prædicatur substantia animata sensibilis; ideoque hæc omnia sunt prædicabilia de homine, leone, atque omnibus speciebus, & indiuiduis animalium; homo enim, & omnes homines singulares sunt substantia animata sensibilis; equus, & omnes equi singulares sunt substantia animata sensibilis, &c. proportionaliter, sicut de differentia rationalis prædicatur hoc, quod est, *ratione uti*, sic hoc ipsum, quod est *ratione vti* prædicatur de omnibus speciebus, & indiuiduis rationalium.

4 Tertio genus, & differentia conueniunt in hoc, vt ablatis generibus, & differentijs auferantur omnia, quæ sunt sub ipsis, ideoque valet; *non est animal; ergo non est homo, nec equus, &c.* proportionaliter valet; *non est rationale; ergo nec est homo, nec Angelus*, posito, quod etiam Angelus sit rationalis, vt supponit Porphyrius.

5 *Proprium autem est generi de pluribus prædicari quàm differentia, & species, & proprium, & accidens. Animal enim de homine & equo, & aue, & serpente prædicatur: quadrupes verò de solis quatuor pedes habentibus: homo verò de solis indiuiduis: & hinnibile de equo solum, & de ijs, qui sunt particulares: & accidens similiter de paucioribus. Oportet autem differentias accipere quibus diuiditur genus, non eas quæ complent substantiam generis, sed quæ sunt diuisiuæ.*

6 *Amplius, genus continet differentiam potestate (animalis enim hoc quidem rationale est, illud verò irrationale) differentiæ verò non continent genera.*

6 *Amplius, genera quidem priora sunt ijs,*

quæ sunt sub se posita differentijs: propter quod simul quidem eas auferunt non autem simul auferuntur ab eis: sublato enim animali, aufertur rationale, & irrationale. Differentiæ verò non amplius simul auferunt genus; nam etsi omnes interimantur, tamen substantia animata sensitiua intelligitur, quæ est animal.

8 *Amplius, genus quidem in eo quod quid est: differentia verò in eo quod quale quid est, quemadmodum dictum est, prædicatur.*

9 *Amplius, genus quidem vnum est secundum vnamquamque speciem, vt hominis id, quod est animal: differentiæ verò plures sunt, vt rationale, mortale, mentis & disciplinæ perceptiuum, quibus ab alijs animalibus differt.*

10 *Et genus quidem consimile est materiæ, formæ verò differentia. Cùm autem sint & alia communia, & propria generis, & differentiæ, nunc ista sufficiant.*

5 Primo genus differt à differentia in hoc, quod genus prædicatur de pluribus, quam differentia diuisiua generis, & quam reliqua prædicabilia; ex. gr. animal, quod est genus, prædicatur de omnibus speciebus animalium, puta de homine, equo, serpente, aue, &c. at quatrupes, quod est differentia diuisiua animalis, non prædicatur de omnibus his; non enim de homine, nec de serpente, nec de multis auibus, sed de solis speciebus animalium quadrupedum: Homo, qui est species animalis prædicatur de solis hominibus singularibus; hinnibile, quod est proprium equi, prædicatur de sola specie equi, ac de eius indiuiduis; accidens etiam prædicatur de paucioribus, quam genus; ex. gr. accidens nigri non prædicatur de omnibus animalibus, sed solum de aliquibus, puta de Coruo. Dum verò dictum est, quod genus prædicatur de pluribus, quam differentia, debet intelligi de differentia diuisiua, non verò de constitutiua; neque enim animal prædicatur de pluribus, quam sensitiuum, quod est differentia constitutiua animalis.

6 Secundo genus differt à differentia in hoc, quod genus continet differentias diuisiuas potestate, differentiæ non continent genus; ex. gr. animal continet potestate rationale, & irrationale, cum possit esse rationale, & irrationale; at differentiæ rationalis, & irrationalis non continent animal, sed continentur in animali.

7 Tertio, genus est prius differentijs diuisiuis prioritate à subsistendi consequentia, quæ consistit in hoc, vt ablato genere auferantur differentiæ, ablatis differentijs, non eo ipso auferantur genera; ex. gr. si non est animal, neque est rationale, neque irrationale; at si non est rationale, non sequitur, quod non sit animal. Et licet ablatis omnibus differentijs auferatur genus à parte rei, non tamen aufertur per intellectum; ex. gr. licet auferantur omnes differentiæ animalis, adhuc potest intelligi animal, hoc est substantia animata sensibilis.

8 Quarto genus prædicatur in quid, differentia in quale quid, vt explicatum est cap.2. num.5. & cap.4. num 9.

9 Quinto genus in vnaquaque specie est vnum, differentiæ plures; ex gr. genus hominis est vnum, hoc est animal, differentiæ sunt plures, hoc est rationale, mortale, disciplinæ susceptiuum, &c.

10 Sexto demum genus est simile materiæ, differentia est similis formæ. Possunt etiam assignari alia, in quibus genus, ac differentia conueniunt, & disconueniunt; sed hæc sufficiunt.

11 *Genus autem, & species commune quidem habent de pluribus quemadmodum dictum est, prædicari. Sumatur autem species, vt species solum, sed non vt genus: si fuerit idem species & genus. Commune autem his est, & priora esse ijs, de quibus prædicantur. Et totum quoddam esse vtrunque.*

12 *Differunt autem eò, quòd genus quidem continet species sub se: species verò continetur, & non continet genera: de pluribus enim genus quàm species prædicatur.*

13 *Amplius, genera præiacere oportet & informata specificis differentijs perficere species. Vnde & priora sunt naturaliter genera, & simul interimentia, sed quæ non simul interimantur: & species quidem cùm sit, est & genus omnino: genus verò cùm sit, non omnino erit species.*

14 *Et genera quidem vniuoce de speciebus prædicantur: species verò de generibus minime.*

15 *Amplius, genera quidem abundant earum, quæ sub ipsis sunt specierum continentia: species verò a generibus abundant proprijs differentijs.*

16 *Amplius, neque species fiet vnquam genera-*

ralissima, neque genus fiet vnquam specialissimum.

11 Explicata prima comparatione generis cum differentia, procedit Porphyrius ad secundam comparationem generis cum specie. Quià verò species subalternæ sunt simul species, & genus, quando comparantur cum genere, debent considerari præcisè, in quantum sunt species. Genus, & species conueniunt in tribus, differunt in quinque. Primo genus, & species conueniunt in hoc, quod prædicantur de pluribus: secundo conueniunt in hoc, quod sunt priora à subsistendi consequentia inferioribus, de quibus prædicantur: Tertio conueniunt in hoc, quod sunt quoddam totum.

12 Differunt primo in hoc, quod genus continet species sub se, cum de pluribus prædicetur, quam species; at species, cum de paucioribus prædicentur, quam genera, continentur sub genere, & non continent genera.

13 Secundo differunt, quod genera præiacent ad modum materiæ, ita vt ex generibus vt informatis per differentias specificas fiant species: Ex. gr. animal substat differentijs rationalis, hinnibilis, &c. Ex animali verò vt informato differentia rationalis, fit species hominis; ex eodem vt informato differentia hinnibilis, fit species equi, &c. Hinc oritur, vt genera sint priora à subsistendi consequentia speciebus, ita vt ablatis generibus auferantur species, non è contrà; positis speciebus, ponantur genera, non è contrà; valet enim; *non est animal; ergo non est homo*; at non valet, *non est homo; ergo non est animal*. Similiter valet; *est homo; ergo est animal*; non valet, *est animal*; ergo est homo.

14 Tertio differunt in hoc, quod genera prædicantur de speciebus vniuocè, species verò non prædicantur de generibus saltem prædicatione naturali: Dicitur enim, *homo est animal*; at non dicitur nisi prædicatione innaturali, quod *animal est homo*.

15 Quarto genus suprà singulas species addit alias species, quas continet potentia; species supra genus addit differentias, quas continet actu; ex. gr. animal vltra hominem, dicit in potentia equum, auem, &c. homo vltrà animal, includit actu differentiam rationalis.

16 Quinto neque species fient vnquam quid generalissimum, neque genus quid specialissimum.

17 *Generis autem & proprij commune quidem est sequi species. Si quid enim homo est, animal est: & si quid homo est, risibile est.*

18 *Et æqualiter prædicari genus de speciebus, & proprium de ijs, quæ illo participant indiuiduis. Aequaliter enim & homo & bos animal est, & Cato & Cicero risibile est.*

19 *Commune autem est etiam vniuocè prædicari genus de proprijs speciebus, & proprium de ijs, quorum est proprium.*


20 *Differunt autem, quoniam genus quidem prius est, posterius verò proprium. Oportet enim esse animal, dehinc diuidi differentijs, & proprijs.*

21 *Et genus quidem de pluribus speciebus prædicatur, proprium verò de vna sola specie, cuius est proprium.*

22 *Amplius, proprium quidem conuersim prædicatur de eo, cuius est proprium, genus verò de nullo conuersim prædicatur: nam neque si quid animal est, homo est: neque si quid animal est, risibile est: si quid verò homo est, risibile est, & conuerso.*

23 *Amplius, proprium omni speciei inest, cuius est proprium, & soli, & semper: genus verò omni quidem speciei inest, cuius fuerit genus, & semper, non autem soli.*

24 *Amplius, propria quidem interempta non simul interimunt genera: genera verò interempta simul interimunt species, quarum sunt propria: quare & his, quorum sunt propria, interemptis, & ipsa simul interimuntur.*



17 Procedit iam Porphyrius ad tertiam comparationem generis cum proprio. Genus, & proprium conueniunt in tribus, disconueniunt in quinque. Primo conueniunt in hoc, quod est sequi species per legitimam consequentiam. Sicut enim ex specie infertur genus, sic infertur proprium. Valet enim *est homo; ergo est animal*: valet similiter *est homo; ergo est risibilis*.

18 Secundo conueniunt in hoc, quod sicut genus æqualiter prædicatur de speciebus inferioribus, sic proprium æqualiter prædicatur de indiuiduis inferioribus; Ex. gr. Sicut equus, & bos æquè sunt animal, & æqualiter participant rationem animalis, sic Socrates, & Plato æquè sunt risibiles, & æqualiter participant rationem risibilis.

19 Tertio conueniunt in hoc, quod sicut genus vniuocè prædicatur de subiectis speciebus, sic proprium vniuocè prædicatur de ijs, quorum est proprium; ex. gr. sicut animal vniuocè dicitur de homine, & leone, sic risibile vniuocè dicitur de Socrate, & Platone.

20 Differunt primo, quod genus est prius, proprium posterius. Primo enim est animal, deinde diuiditur per differentias specificas in rationale, & irrationale, & per proprietates in risibile, hinnibile, &c.

21 Secundo genus prædicatur de pluribus speciebus, proprium de vnica speciè, cuius est proprium; ex. gr. animal, quod est genus hominis, non solum prædicatur de specie hominis, sed etiam de speciebus aliorum animalium; at risibile, quod est proprium hominis, prædicatur solum de specie hominis.

22 Tertio proprium prædicatur conuertibiliter de specie, cuius est proprium; at genus non prædicatur conuertibiliter; ex. gr. valet; *est homo; ergo est animal;* at non valet è conuerso; *est animal; ergo est homo.* Neque enim sicut omnis homo est animal, sic omne animal est homo. At sicut valet; *est homo; ergo est risibilis*, sic valet etiam; *est risibile; ergo est homo*: sicut enim omnis homo est risibilis, sic omne risibile est homo.

23 Quarto proprium inest omni speciei, cuius est proprium, & soli, & semper; at genus conuenit omni speciei, cuius est genus, & semper, sed non soli; ex. gr. omnis, & solus homo, ac semper est risibilis; at licet omnis homo sit animal, ac semper sit animal, non tamen solus est animal.

24 Quinto licet ablatis, ac interemptis generibus auferantur, & interimantur species, non tamen ablatis, & interemptis speciebus, auferuntur genera; valet enim; *non est animal; ergo non est homo;* at non valet; *non est homo; ergo non est animal:* at & ablatis speciebus auferuntur propria, & ablatis proprijs auferuntur species; ex. gr. si non est homo, non est risibilis; & rursus, si non est risibilis, non est homo.

25 *Generis verò & accidentis commune est, de pluribus, quemadmodum dictum est, prædicari, siue separabilium illud accidens sit, siue inseparabilium: etenim moueri de pluribus, & nigrum de coruis, & de æthiopibus, & aliquibus inanimatis prædicatur.*

26 *Differt autem genus ab accidente: quoniam genus ante species est: accidentia verò speciebus posteriora sunt: nam etsi inseparabile sumatur accidens, & prius est illud, cui accidit, quam accidens.*

27 *Et genere quidem quæ participant, æqualiter participant, accidente verò non æqualiter: intensionem enim & remissionem suscipit accidentium participatio: generum verò minime.*

28 *Et accidentia quidem in indiuiduis principaliter subsistunt: genera verò & species naturaliter priora sunt indiuiduis substantijs.*

29 *Et genera quidem in eo quod quid est prædicantur de ijs, quæ sub ipsis sunt: accidentia verò in eo quod quale aliquid est, vel quomodo se habeat vnumquodque: qualis enim est æthiops interrogatus, dices niger: & quemadmodum se Socrates habeat, dices, quòd sedet vel ambulat.*

25 Sequitur quarta comparatio generis cum accidente. Genus, & accidens conueniunt in vno, differunt in quatuor. Conueniunt in hoc, quod tum genus, tum accidens, seu separabile, seu inseparabile prædicantur de pluribus; ex. gr. moueri, quod est accidens separabile dicitur de pluribus; esse nigrum, quod est accidens inseparabile dicitur pariter de pluribus, nimirum de Coruis, de Æthyopibus &c.

26 Differunt primo, quod genus est prius speciebus; accidentia, etiam inseparabilia sunt posteriora; ex. gr. prius est esse coruum, quam esse nigrum, cum nigrum accidat Coruo vt subiecto.

27 Secundo differunt, quod quæ participant genus, æqualiter de ipso participant; at quæ participant de accidentibus, possunt de ipsis participare inæqualiter, cum accidentia suscipiant magis, & minus, ac sint capacia intensionis, ac remissionis; ex. gr. omnia animalia sunt æquè animalia, at non omnia alba sunt æquè alba, sed quædam sunt magis alba, quædam minus.

28 Tertio accidentia principaliter sunt, subsistunt, ac fundantur in indiuiduis; ex. gr. albedo est in hoc subiecto; at genera, & species naturaliter sunt priora indiuiduis, etiam substantialibus; videtur verò hoc Porphyrius dicere in sententia Platonis, ponentis ideas priores singularibus.

29 Quarto genera de interioribus prædicantur *in quid*, accidentia *in quale*, vel in hoc,

hoc, quod quomodocunque res se habeat secundum alia prædicamenta; ex. gr. *esse album* prædicatur de homine vt qualitas; *esse bipalmarem* prædicatur vt quantitas. Si enim quis interroget, quomodo Socrates se habeat? respondemus, quod sedet, & sic prædicamus situm, vel respondemus, quod ambulat, adeoque prædicamus actionem, vel motum.

30 *Genus igitur, quo ab alijs quatuor differat dictum est. Contingit autem etiam vnumquodque aliorum differre ab alijs quatuor: quare cum quinque quidem sint, vnumquodque autem ab alijs quatuor differat, quater quinque, viginti fiunt omnes differentiæ. Sed non ita se habet, sed semper deinceps enumeratis, & duobus quidem vna differentia deficientibus (propterea quoniam iam sumpta est) tribus verò duabus, quatuor verò tribus, quinque vero quatuor, decem omnes fiunt differentiæ, quatuor, tres, duæ, vna. Genus enim quo differt à differentia, & specie, & proprio, & accidente, dictum est: quatuor igitur differentiæ. Differentia vero, quo differat à genere dictum est, quando quo differt genus ab ea dicebatur: reliquum est igitur quo differat differentia à specie, proprio, & accidente dicatur: & fiunt tres. Rursus species quo quidem differat à differentia dictum est, quando quo differt à specie differentia dicebatur: quo etiam differat species à genere dictum est, quando quo differt genus à specie dicebatur: reliquum est igitur vt quo differat species à proprio, & accidente dicatur: duæ igitur sunt & hæ differentiæ. Proprium autem quo differat ab accidente relinquetur: nam quo à specie, & differentia, & genere differat, prædictum est in illorum ad ipsum differentijs. Quatuor igitur sumptis generis ad alia differentijs, tribus vero differentiæ, duabus autem speciei, vna vero proprij ad accidens, decem erunt omnes: quarum quatuor, quæ sunt generis ad reliqua, superius demonstrauimus.*

30 Quoad tertium: explicatis quatuor comparationibus generis cum quatuor alijs prædicabilibus, procedit Porphyrius ad explicandas alias comparationes. Præmittit, quod quia prædicabilia sunt quinque, adeoque vnumquodque eorum potest comparari cum quatuor reliquis, quinque verò quatuor sumpta faciunt viginti, possibiles videntur viginti comparationes prædicabilium. Quia rursus comparatio generis cum differentia coincidit cum comparatione differentiæ, cum genere, idemque dic de reliquis, ideo decem comparationes coincidunt cum alijs decem, adeoque viginti cõparationes reducuntur ad decem. Prima est generis cum differentia; secunda generis cum specie; tertia generis cum proprio; quarta generis cum accidente. Et quia comparatio differentiæ cum genere coincidit cum comparatione generis cum differentia, illa omissa dantur tres aliæ comparationes differentiæ, ac quinta comparatio est differentiæ cum specie; sexta differentiæ cum proprio; septima differentiæ cum accidente. Et quia comparationes speciei cum genere, ac differentia coincidunt cum secunda, ac quinta comparatione generis cum specie, ac differentiæ cum specie, ideo illis omissis dantur duæ comparationes speciei, ac octaua comparatio est speciei cum proprio; Nona est speciei cum accidente. Demum quia comparationes proprij cum genere, differentia, & specie coincidunt cum comparationibus iam enumeratis generis, differentiæ, ac speciei cum proprio, superest solum vnica comparatio proprij cum accidente, quæ est decima, & vltima: nam comparationes accidentis cum genere, differentia, specie, & proprio coincidunt cum iam enumeratis comparationibus generis differentiæ, speciei, ac proprij cum accidente.

31 *Commune ergo differentiæ & speciei est, æqualiter participari. Hominem enim æqualiter participant particulares homines, & rationalis differentia. Commune etiam est & semper adesse ijs, quæ illis participant. Semper enim Socrates rationalis est, & semper Socrates homo.*

32 *Proprium autem differentiæ quidem est in eo quod quale est prædicari: speciei verò in eo quod quid est. Nam etsi homo velut quale quid accipiatur, non tamen simpliciter erit, quale, sed secundum id, quod generi aduenientes differentiæ eum constituerunt.*

33 ** Amplius, differentia quidem in pluribus sæpe speciebus consideratur, quemadmodum quadrupes in pluribus animalibus specie differentibus: species verò in solis ijs, quæ sub specie sunt, indiuiduis est*

34 ** amplius, differentia prior est ea specie, quæ est secundum ipsam: simul enim ablatum rationale interimit hominem; homo verò interemptus non*

35 *aufert rationale, cùm sit Deus.* * *Amplius, differentia quidem componitur cum alia differentia (rationale enim & mortale compositum est in substantia hominis) species verò speciei non componitur, vt gignat aliam aliquam speciem. Quædam enim equa cuidam asino permiscetur ad muli generationem: equa autem simpliciter asino composita nunquam perficeret mulum.*

31 Hoc præmisso descendit Porphyrius ad explicandas tres comparationes differentiæ cum specie, proprio, & accidente. Differentia, & species conueniunt in duobus, differunt in quatuor. Primo conueniunt in hoc, quod sicut inferiora æqualiter participant de specie, sic æqualiter participant de differentia. Sicut enim Socrates, & Plato sunt æque homines, sic sunt æquè rationales. Secundo conueniunt in hoc, quod semper competunt ijs, de quibus dicuntur. Sicut enim Socrates, & Plato semper sunt homines, sic semper sunt rationales.

32 Primo differunt, quod species prædicatur *in quid*, differentia in *quale quid*. Licet enim homo, qui est species, videatur dici in *quale quid*, tamen eatenus solum dicitur in *quale quid*, quatenus includit differentiam, quæ dicitur in *quale quid*.

33 Secundo differunt, quod differentia sæpe inuenitur in pluribus specibus, eo pacto quo differentia quadrupedis inuenitur in pluribus speciebus quadrupedum; at species vt species inuenitur solum in pluribus indiuiduis, eo pacto quo homo inuenitur solum in pluribus hominibus. Species verò subalterna, in quantum habet sub se plures species habet rationem generis, non speciei.

34 Tertio differentia habet prioritatem à subsistendi consequentia respectu speciei, quam constituit; ex. gr. rationale est prius à subsistendi consequentia, quam homo; si enim non est rationale non est homo; at etiamsi non sit homo, potest esse rationalis, iuxtà sententiam Platonicorum, quod Angeli sint propriè rationales.

35 Quarto plures differentiæ possunt simul componi, & coniungi ad faciendam vnam speciem; at plures species non possunt simul componi, & coniungi: ex. gr. differentiæ rationalis, & mortalis simul componuntur ad faciendam speciem hominis; at homo, & equus non possunt simul coniungi ad faciendam aliam tertiam speciem. Licet enim aliqua equa singularis possit coniungi Asino ad generandum mulum, tamen simpliciter species equæ, & Asini coniungi nequeunt.

36 *Differentia verò & proprium commune quidem habent æqualiter participari ab ijs, quæ illis participant. Æqualiter enim rationalia, rationalia sunt: & risibilia, risibilia sunt. Et semper & omni adesse commune vtrisque est. Etsi enim curtetur qui bipes est, tamen ad id, quod natum est semper dicitur, quoniam & risibile in eo quod natum est habet semper, sed non in eo quod semper rideat.*

37 *Proprium autem differentiæ est, quòd hæc quidem de pluribus speciebus dicitur sæpe, vt rationale de Deo, & homine: proprium verò dicitur de vna sola specie, cuius est proprium. Et differentia quidem illis est consequens, quorum est differentia, sed non conuertitur: propria verò conuersim prædicantur de ijs, quorum sunt propria, propterea quòd conuertuntur.*

36 Sequitur sexta comparatio differentiæ cum proprio. Differentia, & proprium conueniunt in duobus, differunt in duobus. Primo conueniunt in hoc, quod æqualiter participantur ab ijs, quibus conueniunt. Sicut enim omnes homines sunt æqualiter rationales, sic sunt æqualiter risibiles. Secundo conueniunt in hoc, quod competunt omni, soli, & semper. Sicut enim omnis homo, & semper est rationalis; sic omnis homo, & semper est risibilis. Ad vitandas æquiuocationes aduertit Porphyrius, quod proprietates, ac differentiæ debent sumi secundum naturalem aptitudinem, non secundum actum; ex. gr. differentia hominis non est *habere actu duos pedes*, potest enim dari homo habens actu vnicum pedem, eo quod alter sit illi amputatus; sed differentia hominis est, *ex sua natura esse aptum ad habendum duos pedes*. Proportionaliter proprium quarto modo hominis non est *actu ridere*, sed *ex sua natura esse aptum ad ridendum*.

37 Disconueniunt differentia, & proprium primo in hoc, quod sæpe differentia dicitur de pluribus speciebus; at proprium dicitur tantum de vnica specie, cuius est proprium; ex. gr. *esse rationale* dicitur de homine, & Angelo, iuxtà platonicos; at *esse risibile* de solo dicitur homine. Secun-

do differentia sequitur per legitimam consequentiam ex ijs, quorum est differentia, sed non dicitur de illis ad conuertentiam; at proprium dicitur ad conuertentiam de specie, cuius est proprium: ex. gr. rationale dicitur quidem de omni homine, sed non è conuerso, omne rationale est homo, cum Angeli iuxtà platonicos sint rationales, & non sint homines; at risibile dicitur de homine ad conuertentiam.

38 *Differentiæ autem & accidenti commune quidem est de pluribus dici. Commune verò est & ad ea, quæ sunt inseparabilia accidentia, semper & omni adesse. Bipes enim semper adest omni homini: & omnibus coruis nigrum esse similiter.*

39 *Differunt autem, quoniam differentia quidem continet species, & non continetur: continet enim rationale Deum & hominem: accidentia verò aliquo quidem modo continent, eò quòd in pluribus sint: aliquo verò modo continentur, eò quòd non vnius accidentis susceptiua sint subiecta, sed plurium.*
40 *Et differentia quidem inintensibilis est, & irremissibilis: accidentia verò magis & mi-*
41 *nus suscipiunt. * Et impermixta quidem sunt contraria differentiæ: mixta verò nonnunquam sunt contraria accidentia. Huiusmodi quidem communiones & proprietates differentiæ, & cæterorum sunt. Species verò quo quidem differt à genere, & differentia dictum est in eo, quod dicebamus, quo genus differt à cæteris, & quo differentia differt à cæteris. Deinceps quo differt à proprio & accidente dicetur.*

38 Septima comparatio est differentiæ cum accidente. Differentia, & accidens conueniunt in duobus, & differunt in tribus. Primo conueniunt in hoc, quod dicuntur de pluribus. Secundo differentia, & accidentia inseparabilia conueniunt in hoc, quod competunt omni, & semper. Sicut enim omnis homo, & semper est bipes, sic omnis coruus, & semper est niger.

39 Differunt primo, quia differentiæ continent species, & non continentur à speciebus, cum differentiæ latius pateant, quã species, eo pacto, quo rationale, quia iuxtà Platonicos conuenit Angelis, latius patet, quam homo. At accidentia ita continent species, vt etiam contineantur à speciebus; continent, in quantum conueniunt pluribus speciebus; continentur, in quantum species continent plura accidentia; ex gr. album continet hominem, in quantum conuenit etiam alijs, quæ non sunt homo; continetur verò ab homine, in quantum homo, non solum est albus, sed habet alia multa accidentia: Ideò accidens & species se habent per modum excedentis, & excessi.

40 Secundo differunt, quia differentia non suscipit magis, & minus, neque est capax intensionis, ac remissionis; at accidentia suscipiunt magis, & minus, & sunt capacia intensionis, ac remissionis.

41 Tertio differunt, quod contrariæ differentiæ non possunt inuicem misceri; at accidentia contraria possunt inuicem misceri: ex. gr. non potest idem esse rationale, ac irrationale, at potest idem esse tepidum, & sic participare calorem, & frigus.

42 *Speciei autem & proprij commune quidem est, adinuicem conuersim prædicari. Nam si quid homo est, risibile est: & si quid risibile est, homo est. Risibile verò quòd secundum id, quod natum est ridere sumendum, sæpe iam dictum est. Commune est quoque & æqualiter esse. Aequaliter enim adsunt species ijs, quæ illis participant & propria ijs, quorum sunt propria.*
43 *Differt autem species à proprio, quoniam species quidem potest & aliorum genus esse: proprium verò aliarum specierum esse pro-*
44 *prium impossibile est. * Et species quidem ante subsistit quàm proprium: proprium verò post fit in specie. Oportet enim hominem*
45 *esse, vt sit risibile. * Amplius, species quidem semper actu adest subiecto: proprium verò aliquando & potestate. Homo enim semper actu est Socrates: non verò semper ridet, quamuis natus sit semper vt sit risi-*
46 *bilis. * Amplius, quorum termini sunt differentes, & ipsa sunt differentia. Est autem speciei quidem sub genere esse, & de pluribus & differentibus numero in eo quod quid est prædicari, & cætera huiusmodi: proprij verò, & soli, & omni, & semper adesse.*

42 Quoad quartum, explicanda est octaua, & nona comparatio speciei cũ proprio, & accidente. Species, & proprium conueniunt in duobus, differunt in quatuor. Primo conueniunt in hoc, quod mutuo dicuntur ad conuertentiam: Sicut enim omnis homo est risibilis, sic omne risibile est homo. Risibile autem dicitur, non quod actu ridet, sed quod ex sua natura est aptum ad riden-

ridendum. Secundo conueniunt in hoc, quod æqualiter dicuntur de inferioribus; ex. gr. ſicut Socrates, & Plato æquè ſunt homines, ſic æquè ſunt riſibiles.

43 Differunt primo, quod ſpecies poteſt eſſe genus aliarum ſpecierum; at proprium vnius ſpeciei non poteſt eſſe proprium alterius ſpeciei: ex. gr. animal, quod eſt ſpecies viuentis, eſt genus hominis; at riſibile, quod eſt proprium hominis, non eſt proprium alterius ſpeciei.

44 Secundo differunt, quod ſpecies prius ſubſiſtit quam proprium, proprium verò eſt in ſpecie: ex. gr. cum riſibile adueniat homini vt iam conſtituto in ſpecie hominis eſt quid poſterius homine.

45 Tertio ſpecies ſemper actu conuenit ſubiecto, hoc eſt indiuiduo, proprium non conuenit ſemper actu, ſed aliquando potentia: ex. gr. Socrates ſemper eſt actu homo; at non ſemper actu ridet, ſed aliquando eſt ſolum in potentia ad ridendum.

46 Quarto, differunt in ipſis definitionibus. Definitio enim ſpeciei eſt, vt ſit ſub genere, & vt prædicetur de pluribus ſolo numero differentibus in quid; at definitio proprij eſt conuenire omni, ſoli, & ſemper.

47 *Speciei verò & accidentis commune quidem eſt de pluribus prædicari. Raræ verò ſunt aliæ communitates, propterea quod quàm plurimum diſtant abinuicem accidens, & id cui accidit.*

48 *Propria verò ſunt vtriuſque, ſpeciei quidem in eo quod quid eſt prædicari de ijs, quorum eſt ſpecies: accidentis autem in eo quod quale quiddam eſt, vel quomodo ſe habens*
49 *eſt. * Et vnamquanq; ſubſtantiam vna quidem ſpecie participare, pluribus autem accidentibus & ſeparabilibus & inſeparabi-*
50 *libus. * Et ſpecies quidem præintelliguntur accidentibus, etſi etiam ſint inſeparabilia (oportet enim eſſe ſubiectum, vt illi quidem accidat) accidentia verò poſterioris generis*
51 *ſunt, & aduentitiæ naturæ. * Et ſpeciei quidem participatio æqualiter eſt: accidentis verò etſi inſeparabile ſit non æqualiter: æthiops enim æthiope habere poſſet colorem vel intenſum, vel remiſſum ſecundum nigredinem.*

47 Nona comparatio eſt ſpeciei cum accidente. Conueniunt in hoc, quod de pluribus prædicantur, in paucis verò alijs conueniunt, propterea quod accidens, & ſubiectum accidentis, quod ſubiectum eſt ſpecies, plurimum diſtant.

48 Differunt in quatuor; primo, quod ſpecies prædicatur de ijs, quorum eſt ſpecies in quid, accidens prædicatur de ijs, quorum eſt accidens in quale, vel in quocunque modo ſe habendi.

49 Secundo vnumquodque participat vnicam ſpeciem, at habet plura accidentia tum ſeparabilia, tum inſeparabilia: Ex. gr. Socrates eſt ſolum in ſpecie hominis, at habet plura accidentia plurium prædicamentorum.

50 Tertio ſpecies eſt prior accidentibus, quia accidentia adueniunt ſubiectis vt conſtitutis in ſua ſpecie; accidentia verò etiam inſeparabilia ſunt poſteriora, quia ex ſua natura adueniunt ſpeciebus iam conſtitutis.

51 Quarto ſpecies participantur æqualiter, accidentia etiam inſeparabilia, participantur inæqualiter, cum poſſit vnus Aethiops eſſe magis niger, quam alius.

52 *Reſtat autem de proprio & accidente dicere: quo enim proprium à ſpecie, & differentia, & genere differt, dictum eſt. Commune autem proprio & inſeparabili accidenti eſt, quòd præter ea nunquam conſiſtant illa, in quibus conſiderantur: quemadmodum enim præter riſibile non ſubſiſtit homo, ita nec præter nigredinem ſubſiſtit æthiops. Et quemadmodum ſemper & omni adeſt proprium, ſic & inſeparabile accidens.*

53 *Differunt autem, quoniam proprium vni ſoli ſpeciei adeſt, quemadmodum riſibile homini: inſeparabile verò accidens, vt nigrum, non ſolum æthiopi, ſed etiam coruo adeſt, &*
54 *carboni, & ebeno, & quibuſdam alijs. * Amplius, proprium conuerſim prædicatur de eo cuius eſt proprium, & æqualiter eſt: inſeparabile verò accidens conuerſim non prædi-*
55 *catur. * Et proprium quidem æqualis eſt participatio: accidentium verò vel magis vel minus. Sunt quidem aliæ communitates, vel proprietates ijs, quæ dicta ſunt: ſed ſufficiunt & hæ ad diſcretionem eorum, communitatiſque traditionem.*

52 Quoad quintum: ſupereſt decima, & vltima comparatio proprij cum accidente. Proprium, & accidens inſeparabile conueniunt in duobus, differunt in tribus. Primo conueniunt in hoc, quod eorum ſubiectum nunquam exiſtit ſine ipſis: ex. gr. ſicut homo nunquam exiſtit ſine riſibi-

lita-

litate; sic coruus, vel Aethiops nunquam existit sine nigredine. Secundo conueniunt in hoc, quod sicut proprium conuenit omni, & semper, sic accidens inseparabile: ex. gr. sicut omnis homo, & semper est risibilis, sic omnis coruus, & semper est niger.

53 Differunt primo, quod proprium conuenit vni soli speciei, at accidens inseparabile non conuenit vni soli speciei, sed etiam alijs: ex. gr. *esse risibile* conuenit soli homini, at *esse nigrum* non conuenit soli coruo, sed etiam carboni, ebeno, & quibusdam alijs

54 Secundo differunt, quod proprium prædicatur de specie conuertibiliter, accidens inseparabile prædicatur non conuertibiliter: Ex. gr. risibile conuertitur cum homine; sicut enim omnis homo est risibilis, sic omne risibile est homo: at nigrum non conuertitur cum coruo; licet enim omnis coruus sit niger, non omne nigrum est coruus.

55 Tertio differunt, quod proprium non suscipit magis, & minus, sed æqualiter participatur: ex. gr. omnia risibilia sunt æquè risibilia: at accidens suscipit magis, & minus; non enim omnia nigra sunt æquè nigra. Addit Porphyrius, quod possunt assignari aliæ conuenientiæ, ac disconuenientiæ prædicabilium; sed hæ sufficiunt, & librum concludit.



IN

IN LIBRVM PRÆDICAMENTORVM ARISTOTELIS.

PROEMIVM.



1 SVPPONENTES ex communi sententia, quod Auctor libri prædicamentorum non sit Architas Tarentinus, vt quidam docuerunt, sed Aristoteles, vt patet ex stilo,& ex consonantia doctrinæ,antequam libri explicationem aggrediamur,primo debemus examinare,quid sit categoria, seu prædicamentum: secundo, an prædicamentum sit subiectum huius libri: tertio, an hic liber sit necessarius ad Logicam, & an sit liber Logicus: quarto demum per breuem synopsim ponenda est ob oculos doctrina libri.

2 Quoad primum: *categoria, seu prædicamentum est ordinatio prædicatorum essentialium secundum subiectionem, & prædicationẽ*: ex. gr. prædicamentum substantiæ est illa ordinatio prædicatorum essentialium, secundum quam vt primum subiectum ponitur prima substantia, puta Socrates; suprà Socratem ponitur species specialissima,hoc est homo; suprà hominem animal; suprà animal viuens; suprà viuens corpus; suprà corpus substantia,vt ex doctrina Porphyrij in sua introductione explicatum est cap. 3. num.6. prædicamentum quantitatis est similis ordinatio, ac series &c.

3 Hinc infertur primo prædicamentum non esse genus generalissimum, sed esse totam seriem prædicatorum comprehendentem genus generalissimum,species subalternas, ac specialissimas, & indiuidua, vt colligitur ex eodem cap.3. Porphyrij num. 6.

4 Infertur secundo, prædicamentum esse ens rationis Logicum, seu secundam intentionem. Probatur, quia secundæ intentiones sunt res, prout denominatæ ab actibus intellectus, seu rationis; sed res habent denominationem prædicamenti ab actibus rationis; ergo &c. Probatur minor, quià res per actus rationis ordinantur in prædicata superiora, & inferiora; sed per hanc ordinationem habent esse, ac denominationem prædicamenti; ergo res habent esse, ac denominationem prædicamenti ab actibus rationis. Prædicamenta igitur non sunt nomina, & conceptus, vt docuerunt nominales, sed res, vt denominatæ à nominibus, & conceptibus, vt docuerunt reales.

5 Quoad secundum: subiectum attributionis huius libri est categoria, seu prædicamentum,vt patet ex titulo libri; & quià vt iam diximus,prædicamentum constituitur ex rebus denominatis,& ex nominibus, seu conceptibus denominantibus, ideò in hoc libro agitur tanquam de obiectis attributis, tum de rebus ipsis, hoc est de substantia, quantitate &c. tum de conceptibus, ac nominibus, per quæ res denominantur æquiuocæ, vniuocæ &c.

6 Quoad tertium: aliqui dixerunt hunc librum non esse necessarium, neque vtilem ad Logicam, nec esse librum Logicum, sed Metaphysicum. Contrà hos dicendum, quod liber prædicamentorum est vtilis, ac necessarius ad Logicam, & est liber logicus.

7 Probatur, quià ad logicam spectat dirigere tres operationes intellectus, adeoque tradere artem non solum rectè discurrendi, ac rectè componendi, & diuidendi, sed etiam rectè, & ordinatè apprehendendi; sed ad hoc, vt sciamus rectè & ordinatè apprehendere, debemus scire, quo pacto sint ordinanda prædicata rerum; ergo liber prædicamentorum, in quo, vt dictum est num. 1. & 2. agitur de ordinatione prædicatorum, non solum est vtilis, ac necessarius ad logicam, sed etiam est liber logicus, cum agat de obiecto logicæ, hoc est de rebus vt rectè intelligibilibus, & ordinabilibus secundum prædicata superiora, & inferiora. Aristoteles proinde sicut in libris Priorum, Posteriorum, Topicorum, & Elenchorum tradidit artem rectè discurrendi;

rendi; in libris Perihermenias tradidit artem componendi, ac diuidendi; sic in libro Prædicamentorum tradidit artem rectè, & ordinatè intelligendi. Ne igitur intellectus vagetur per infinitum pene numerum entium, primo diuidit omnia entia in decem classes, deinde per varias definitiones, ac diuisiones, ordinat genera, species, ac differentias entium vniuscuiusque classis, considerat etiam quasdam proprietates, & accidentia talium entium, ac sic instruit intellectum ad rectè, & ordinatè res intelligendas, tum secundum prædicata quidditatiua, hoc est generica, specifica, ac differentialia, tum secundum prædicata non quidditatiua, hoc est secundum accidentia propria, & communia. Liber ergo prædicamentorum simul cum introductione Porphyrij continet primam partem logicæ, vt etiam dictum est in proemio ad Porphyrij introductionem num. 2.

8 Quoad quartum: acturus Aristoteles de prædicamentis primo præmittit quædam necessaria, quæ vocantur antepredicamenta: secundo agit de ipsis prædicamentis: tertio agit de quibusdam consequentibus ad prædicamenta, quæ idcirco vocantur postprædicamenta: ideò liber apud latinos diuiditur in tres tractatus, quorum primus est de antepredicamentis, secundus de prædicamentis, tertius de postprædicamentis.

9 In antepredicamentis cap. 1. & 2. proponit Aristoteles definitiones æquiuocorum, vniuocorum, & denominatiuorum, quæ definitiones sunt necessariæ ad doctrinam prædicamentorum, ac præmittit duas diuisiones eorum, quæ dicuntur, & eorum, quæ sunt, necessarias ad statuendum, quæ nam debeant poni in prædicamento, & quæ debeant poni vt subiecta, vel vt prædicata: cap. 3. & 4. ponit duas regulas de prædicatis superioribus, & de diuisionibus generum non subalternatorum; cap. 5. tradit diuisionem prædicamentorum.

10 Tractatu secundo agit de prædicamentis in particulari per sex capita: cap. 1. de substantia, cap. 2. de quantitate, cap. 3. de ad aliquid, seu de relatiuis, cap. 4. de qualitate, & quali, cap. 5. de actione, & passione, cap. 6. de reliquis prædicamentis.

11 Tractatu tertio de postprædicamentis cap. 1. agit de oppositis, cap. 2. de priori, cap. 3. de simul, cap. 4. de motu, cap. 5. & vltimo de habere, & librum concludit.



ARI-

ARISTOTELIS PRAEDICAMENTA:

TRACTATVS I.

DE ANTEPRAEDICAMENTIS.


De vniuocis, æquiuocis, ac denominatiuis, complexis, & incomplexis. Cap. I.

1 *Æquiuoca dicuntur, quorum nomen solum commune est, secundum nomen verò substantiæ ratio diuersa: vt animal, & homo, & quod pictum est. Horum enim solum nomen commune est, secundum nomen verò substantiæ ratio diuersa. Si enim quis assignet quid sit eorum vtrunque quò animal est, propriam assignabit vtriusque rationem.*

2 *Vniuoca verò dicuntur, quorum & nomen commune est, & secundum nomen eadem substantiæ ratio: vt animal & homo, atque bos. Communi enim nomine horum vtrunque animal nuncupatur, & est ratio substantiæ eadem. Si quis enim assignet vtriusque rationem, quid vtrunque est quò animal est, eandem assignabit rationem.*

3 *Denominatiua verò dicuntur, quæcunque ab aliquo, differentia casu, secundum nomen habent appellationem: vt à grammatica grammaticus, & à fortitudine fortis.*

4 *Eorum quæ dicuntur, alia quidem secundum complexionem dicuntur, alia verò sine complexione. Ea igitur quæ secundum complexionem dicuntur, sunt, vt homo currit, homo vincit. Ea verò quæ sine complexione dicuntur, sunt, vt homo, bos, currit, vincit.*



VIA ens dicitur de decem prædicamentis non vniuocè, sed æquiuocè, vel analogicè; in ipsis autem prædicamentis superiora dicuntur vniuocè de inferioribus, vnum verò prædicamentum dicitur denominatiuè de alio, ideò Aristoteles cap. 1. ponit definitiones æquiuocorum, sub quibus comprehendit analoga, vniuocorum, & denominatiuorum.

1 Aequiuoca sunt, *quorum solum nomen commune est, secundum nomen verò substantiæ ratio diuersa*: Ex. gr. animal dicitur æquiuocè de homine, & de animali picto, quià licet & homo dicatur animal, & quod est pictum dicatur animal, adeoque conueniant in nomine animalis, ratio tamen substantiæ, siue essentiæ, hoc est definitio explicans significationem nominis; est diuersa, vt patet ex eo, quià si quæratur, quid sit hominem vel aliquid pictum esse animal? afferetur diuersa definitio, seu ratio nominis, & dicetur, *hominem esse animal est esse viuens sensitiuum; aliquod pictum esse animal non est esse viuens sensitiuum, sed esse imaginem viuentis sensitiui.*

2 Vniuoca sunt, *quorum nomen commune est, & secundum nomen eadem substantiæ ratio*: ex. gr. animal dicitur vniuocè de homine, & de boue, quia homo, & bos non solum conueniunt in nomine animalis, sed etiam in ratione, seu definitione nominis; si enim quæratur, quid sit hominem, & bouem esse animal? afferetur eadem definitio, seu ratio nominis, ac dicetur, *hominem, & bouem esse animal est esse viuens sensitiuum.*

3 Denominatiua sunt, *quæ ab aliquo differentia casu secundum nomen habent appellationem*, vt à Grammatico Grammaticus, & à fortitudine fortis. Aliqui ità explicant illam

illam particulam *Differentia casu*, vt dicant, nomen denominatiuum debere differre desinentia verbali, ac grammaticali ab eo nomine, à quo deriuatur, & sortitur appellationem, eo pacto, quo Grammaticus differt à Grammatica, eo quod Grammaticus desinat in *us*, Grammatica desinat in *a*. Sed præter quam quod hæc explicatio est nimis grammaticalis, sequitur, quod nomen *musica* in quantum significat cantatricem, non sit denominatiuum à musica, in quantum significat artem canendi, cum habeat eamdem desinentiam. Sensus ergo est, denominatiua differre casu, quia significant in obliquo id, quod nomen denominans significat in recto, eo pacto, quo *iustus* significat iustitiam in obliquo, quam nomen *iustitia* significat in recto.

4 Traditis tribus definitionibus, ponit Aristoteles duas diuisiones eorum, quæ dicuntur, & eorum, quæ sunt. Prima diuisio eorum, quæ dicuntur est in complexa, & incomplexa. Incomplexa sunt, *quæ dicuntur sine vlla complexione*, vt *homo*, *bos*, *currit*, *vincit*, &c complexa sunt, *quæ dicuntur secundum complexionem*, vt *homo currit*; *homo vincit*. Hæc diuisio est necessaria ad distinguenda ea, quæ ponuntur in prædicamento ab ijs, quæ non ponuntur in prædicamento; ideoque est diuisio antepredicamentalis. In prædicamento enim ponuntur sola incomplexa, non autem complexa.

Proponitur diuisio eorum, quæ sunt. Cap. II.

1 *Eorum quæ sunt, alia de subiecto aliquo dicuntur, in subiecto verò nullo sunt. Vt homo de subiecto quidem dicitur quodam homine, in subiecto verò nullo est: Alia autem in subiecto quidem sunt, de subiecto autem nullo dicuntur. In subiecto verò esse dico, quod cùm in aliquo sit, non sicut quædam pars, impossibile est esse sine eo in quo est: vt quædam grammatica in subiecto quidem est in anima, de subiecto verò nullo dicitur. Et hoc album in subiecto quidem est corpore: omnis enim color in corpore est: de subiecto autem nullo dicitur. Alia verò de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt. Vt scientia in subiecto quidem est in anima, de subiecto verò dicitur, vt de grammatica. Alia verò neque in subiecto sunt, neque de subiecto aliquo dicuntur: vt quidam homo, & quidam equus: nihil enim talium, neque in subiecto est, neque dè subiecto aliquo dicitur. Simpliciter autem quæ sunt indiuidua, & vnum numero de subiecto nullo dicuntur: in subiecto autem nihil aliqua prohibet esse. Quædam enim grammatica in subiecto est: at de subiecto nullo dicitur.*

1 Vt proponatur secunda diuisio eorum, quæ sunt, debet prius explicari, quid sit *dici de subiecto*, quid sit *esse in subiecto*. *Dici de subiecto*, prout sumitur hoc loco est, *prædicari de aliquo inferiore*: *esse in subiecto*, vt explicat Aristoteles est *esse in aliquo non tanquam pars, & ita, vt non possit esse sine eo, in quo est*: Ita albedo est in homine tanquam in subiecto, quia est in illo non tanquam pars: E conuerso anima est in homine non tanquam in subiecto, quià est in ipso tanquam pars. Hoc posito: eorum, quæ sunt, alia dicuntur de subiecto, & in subiecto non sunt, & huiusmodi sunt omnes substantiæ completæ vniuersales: dicuntur enim de indiuiduis tanquam de subiecto, & inferiori, dicendo *Petrus est homo, Paulus est homo*: & non sunt in subiecto modo explicato, cum *esse hominem* sit essentia Petri. Alia sunt in subiecto, & non dicuntur de subiecto, cuiusmodi sunt accidentia singularia; ex. gr hæc grammatica est in anima tanquam in subiecto, & non dicitur de vllo subiecto inferiori. Alia de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt, vt accidentia vniuersalia; ex. gr. scientia dicitur de grammatica, tanquam de subiecto inferiori, & est in anima tanquam in subiecto: Alia demum neque dicuntur de subiecto, neque sunt in subiecto, cuiusmodi sunt substantiæ completæ singulares, ex. gr. Petrus; nam neque possunt prædicari de aliquo inferiori, neque sunt in aliquo tanquam in subiecto. Substantiæ igitur singulares neque sunt in subiecto, neque dicuntur de subiecto: substantiæ, vniuersales dicuntur de subiecto, sed non sunt in subiecto: accidentia singularia sunt in subiecto, sed non dicuntur de subiecto: Accidentia vniuersalia sunt in subiecto, ac dicuntur de subiecto.

Hæc diuisio est necessaria ad explicandum quænam in singulis prædicamentis ponantur purè vt subiecta, quæ vt prædicata.

In

In prædicamento substantiæ purè vt subiecta ponuntur substantiæ singulares, quæ neque sunt in subiecto, neque dicuntur de subiecto; substantiæ verò vniuersales ponuntur vt prædicata, quæ licet non sint in subiecto, dicuntur de subiecto. In prædicamentis accidentium purè vt subiecta ponuntur accidentia singularia, quæ licet sint in subiecto, non dicuntur de subiecto; Accidentia verò vniuersalia ponuntur vt prædicata, quià & sunt in subiecto, & dicuntur de subiecto.

De prima regula antepraedicamentali. Cap. III.

1 *QVando alterum de altero prædicatur, vt de subiecto, quæcunque de eo, quod prædicatur dicuntur, omnia etiam de subiecto dicentur: vt homo de homine quodam prædicatur: animal verò de homine: ergo & de quodam homine animal prædicabitur: quidam enim homo, & homo est, & animal.*

1 POsitis tribus definitionibus, ac duabus diuisionibus, ponit Aristoteles duas regulas, quæ vocantur antepraedicamentales, quia sunt necessariæ ad doctrinam prædicamentorum. Prima regula est: quando alterum de altero prædicatur, vt de subiecto, (hoc est de inferiori) quæcunque de eo, quod prædicatur, dicuntur, omnia de subiecto dicuntur. Exemplum ponit: Homo prædicatur de Petro, vt de inferiori; animal prædicatur de homine essentialiter; ideò animal prædicatur etiam de Petro; atque adeo cum Petrus sit homo, & homo sit animal, Petrus etiam erit animal. Excipiuntur tamen prædicata, quæ conueniunt superiori ratione abstractionis, ideoque licet *homo* prædicetur de Petro, & de homine prædicetur species, adhuc de Petro non prædicatur species. Ratio est, quia *esse speciem* conuenit homini non secundum se, sed propter abstractionem ab inferioribus.

De secunda regula antepraedicamentali. Cap. IV.

1 *DIuersorum generum & non subalternatim positorum diuersæ sunt specie & differentiæ: vt animalis, & scientiæ: animalis enim differentiæ sunt, gressibile, bipes, & volatile, & aquatile: scientiæ verò nulla earum est; neque enim scientia à scientia differt, in eo quod bipes est.*

2 *Subalternorum verò generum nihil prohibet easdem esse differentias: superiora enim de ijs, quæ sub ipsis sunt generibus prædicantur: quare quotcunque differentiæ prædicati fuerint, totidem & subiecti erunt.*

1 ANtequam proponatur secunda regula, explicandum est, quæ sint genera subalternatim, vel non subalternatim posita. Genera non subalternatim posita sunt, quæ mutuò contradistinguuntur, vt *animal*, & *planta*: nam nullum animal est planta; nulla planta est animal. Genera subalternatim posita sunt, quæ non mutuo contradistinguuntur, sed se habent vel vt superius, & inferius, vel vt excedentia, & excessa: ex. gr. animal & viuens se habent tanquam superius, & inferius: animal, & intellectuale se habent vt excedentia, & excessa; nam intellectuale includit quædam non animalia, animal includit quædam non intellectualia.

Regula igitur est: Diuersorum generum, & non subalternatim positorum, diuersæ sunt specie differentiæ, vt animalis, & scientiæ; animalis enim differentiæ sunt gressibile, bipes, volatile, & aquatile; scientiæ verò nulla earum est; neque enim scientia à scientia differt in eo, quod bipes est.

Potest obijci: substantia, & qualitas sunt genera mutuo contradistincta, & non subalternatim posita, & tamen diuiduntur ijsdem differentijs: nam substantia alia est materialis, alia spiritualis; & similiter qualitas alia est materialis, alia spiritualis.

Respondetur, materiale in quantum est quid commune substantiæ & qualitati, non esse differentiam substantiæ, sed esse aliud genus subalternatim positum, & respectu substantiæ se habens per modum excedentis, & excessi. Nam differentia comparata debet

debet ad genus, ficut pars determinatiua ad determinabilem; at æquè fubftantia cum poffit effe materialis, vel fpiritualis determinatur per hoc, quod fit materialis, ac materiale, cum poffit effe fubftantia, vel qualitas, determinetur per hoc quod fit fubftantia. Vt igitur materiale fit differentia fubftantiæ, debet effe ipfa determinatio fubftantiæ ad hoc vt fit materialis: hæc autem differentia quæ eft *determinare fubftantiam ad hoc vt fit materialis*, non poteft conuenire qualitati, fed folum qualitati conuenit proportionalis differentia, quæ eft *effe determinatiuum qualitatis ad hoc, vt fit materialis*.

3 Subdit Ariftoteles, quod fubalternorum generum nihil prohibet eafdem effe differentias. Patet, nam quæ funt differentiæ generis inferioris, funt etiam differentiæ generis fuperioris: Ex. gr. ficut rationale eft differentia animalis, fic eft differentia viuentis: Sicut enim animal diuiditur in rationale, & irrationale, fic viuens diuiditur in rationale, & irrationale. Nec folum genera, quæ comparantur vt fuperiora, & inferiora, fed etiam quæ comparantur per modum excedentis, & exceffi, poffunt diuidi, ac determinari iifdem differentijs: ex. gr. animal, & intellectuale determinantur eadem differentia rationalis.

Hæ duæ regulæ funt neceffariæ ad doctrinam prædicamentorum, ideoque funt anteprædicamentales. Prima enim regula, per quam dicitur, quod id, quod prædicatur de fuperiori, prædicatur etiam de inferiori, eft vtilis ad rectè ordinanda in quolibet prædicamento prædicata fuperiora, & inferiora. Secunda regula de diuifione generum, eft vtilis ad diuidenda genera cuiufcunque prædicamenti in fuas differentias.

De diuifione entis in decem prædicamenta. Cap. V.

1 *Eorum quæ fecundum nullam complexionem dicuntur, vnumquodque, aut fubftantiam fignificat, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut vbi, aut quando, aut fitum effe, aut habere, aut agere, aut pati. Eft autem fubftantia quidem, vt in figura dicatur, vt homo equus. Quantum autem, vt bicubitum, tricubitum. Quale, vt album, grammaticum. Ad aliquid, vt duplum, dimidium, maius. Vbi verò, vt foro, in lycio. Quando autem, vt heri, fuperiore anno. Situm verò effe, vt iacet, fedet. Habere autem, vt calceatum effe, armatum effe. Agere verò, vt fecare, vrere. Pati, vt fecari, vri.*

2 *Singula igitur eorum quæ dicta funt, ipfa quidem fecundum fe in nulla affirmatione dicuntur, vel negatione: horum autem ad fe inuicem complexione affirmatio, vel negatio fit. Omnis enim affirmatio, aut negatio videtur vel vera, vel falfa effe: eorum autem, quæ fecundum nullam complexionem dicuntur, nullum neque verum, neque falfum eft: vt homo, album, currit, vincit.*

1 Præmiffis definitionibus, diuifionibus, ac regulis antepraedicamentalibus, tradit Ariftoteles diuifionem entis in decem prædicamenta, quam dicitur fumpfiffe ex Archita Tarentino. Docet igitur, quod eorum, quæ fecundum nullam complexionem dicuntur, quædam fignificant fubftantiam, vt *homo, equus*; quædam quantitatem, vt *bicubitum, tricubitum*; quædam qualitatem, vt *album, grammaticum*; quædam relationem, feu ad aliquid, vt *duplum, dimidium, maius, minus*; quædam vbi, feu locum, in quo res eft, vt cum dicitur, *Socrates eft in foro, vel in lyceo*; quædam fignificant quando, feu tempus, in quo res eft, vt cum dicitur, *heri*, vel *anno fuperiori*; quædam fitum, vt cum quis dicitur federe, vel iacere; quædam habitum, vt cum quis dicitur veftitus, vel armatus; quædam actionem, vt cum quis dicitur fecare, vel vrere; quædam paffionem, vt cum quis dicitur fecari, vel vri.

2 Addit, quod licet prædicamenta fecundum fe præcisè non fignificent affirmationem, vel negationem, adhuc ex prædicamentorum ad inuicem complexione fit affirmatio, vel negatio: ex. gr. Socrates, qui eft in prædicamento fubftantiæ, & album, quod eft in prædicamento qualitatis non fignificant affirmationem, neque negationem; at fi dicatur *Socrates eft albus*, vel *non eft albus*, fignificatur affirmatio, vel negatio. Incomplexa non fignificant verum, neque falfum; complexa fignificant verum, & falfum; ex. gr. hæc incomplexa *homo*, *al-*

album, *currit*, *vincit*, non significant verum, neque falsum; at hæ complexiones, *homo est albus*, *homo currit*, significant verum, & falsum.

TRACTATVS II.


DE PRAEDICAMENTIS.

De substantia. Caput I. vel VI.

1 *SVbstantia autem est, quæ propriè, & principaliter, & maximè dicitur, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est: vt quidam homo, & quidam equus.*

2 *Secundæ autem substantiæ dicuntur species in quibus eæ, quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt: & hæ quidem, & harum specierum genera. Vt quidam homo in specie quidem est in homine, genus verò speciei animal. Secundæ igitur hæ substantiæ dicuntur: vt est homo, atque animal.*

3 *Manifestum est autem ex ijs, quæ dicta sunt, quòd eorum quæ de subiecto dicuntur, necesse est & nomen, & rationem de subiecto prædicari: vt homo de subiecto quodam homine dicitur. Prædicatur etiam & nomen: hominem enim de quodam homine prædicabis. Et ratio quoque hominis de quodam homine prædicabitur: quidam enim homo & homo est, & animal: quare & nomen & ratio de subiecto prædicabitur. Eorum verò quæ in subiecto sunt, in plurimis quidem neque nomen, neque ratio prædicatur de subiecto: in aliquibus autem nomen quidem nihil prohibet prædicari aliquando de subiecto, rationem verò impossibile est. Vt album cùm in subiecto sit corpore prædicatur de subiecto: dicitur enim corpus album, ratio verò albi nunquàm de corpore prædicabitur.*



PRÆMISSA diuisione prædicamentorum, descendit Aristoteles ad agendum de prædicamentis in particulari: ac primo agit de substantia, quæ est primum prædicamentum, & fundamentum, ac basis cæterorum. Primo ergo explicat, quid sit prima, & secunda substantia: secundo comparat primas, & secundas substantias inter se: tertio enumerat sex proprietates substantiæ.

1 Quoad primum: prima substantia, quæ propriè, & principaliter, & maximè dicitur est, *quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est, vt quidam homo, & quidam equus*: Ex. gr. *Petrus, Paulus, Bucephalus, &c.* sunt primæ substantiæ, quia sunt entia per se, & prima subiecta, quæ neque sunt in subiecto, neque dicuntur de subiecto, sed substant, & subijciuntur omnibus entibus, quæ sunt in subiecto, vel dicuntur de subiecto.

2 Secunda substantia *sunt species, & genera, in quibus insunt, & continentur primæ substantiæ*: ex. gr. quia Petrus, qui est prima substantia, continetur in specie hominis, & in genere animalis, ac viuentis, &c. ideo homo, animal, & viuens sunt secundæ substautiæ. Definiri etiam potest secunda substantia definitione allata cap. 3. antepraedicamentorum, *quæ non est in subiecto, sed dicitur de subiecto*; homo enim non est in Petro, tanquam in subiecto, sed dicitur de Petro tanquam de subiecto, hoc est de inferiori.

3 Addit Aristoteles, quod licet tum secundæ substantiæ, tum quædam accidentia prædicentur de primis substantijs; (Petrus enim dicitur homo, & dicitur albus) tamen non prædicantur eodem modo. Secundæ enim substantiæ prædicantur de primis, non solum secundum nomen, sed etiam secundum rationem: nam non solum Petrus est homo, & est animal, sed etiam *esse Petrum* est *esse hominem, & esse animal*, adeoque etiam ratio hominis, & animalis, quæ ratio est *esse hominem*, & *esse animal*, prædicatur de ratione primæ substantiæ, quæ ratio est *esse Petrum*. At accidentia quædam nec dicuntur

cuntur de prima substantia secundum nomen, nec secundum rationem: ex. gr. albedo nullo pacto prædicatur de Petro, cum Petrus non sit albedo: alia verò accidentia licet prædicentur secundum nomen, non prædicantur secundum rationem: ex. gr. albus prædicatur de Petro secundum nomen, cum dicatur quod *Petrus est albus*, sed ratio albi non prædicatur de Petro, cum aliud sit *esse Petrum*, ac *esse album*, adeoque dici non possit *esse Petrum est esse album*, sicut dici potest *esse Petrum est esse hominem*.

4 *Alia verò omnia aut de subiectis dicuntur primis substantijs, aut in subiectis eis sunt. Hoc autem manifestum est ex ijs, quæ per singula proponuntur. Vt animal de homine prædicatur: ergo & de quodam homine animal prædicabitur: nam si de nullo quorundam hominum, neque omnino de homine. Rursus color in corpore est: ergo & in quodam corpore. Nam si non in aliquo esset singulorum, nec omnino in corpore. Quare alia omnia aut de subiectis primis dicuntur*
5 *substantijs, aut in subiectis eis sunt.* * *Non ergo existentibus primis substantijs, impossibile est aliquid aliorum esse.*

6 *Secundarum verò substantiarum, magis substantia est species, quàm genus: propinquior enim est primæ substantiæ. Si quis enim assignet primam substantiam quid est, euidentius & conuenientius assignabit, speciem quàm genus assignans. Vt hominem quendam aliquis assignans manifestius assignabit, hominem quàm animal assignans. Illud enim proprium magis cuiusdam hominis, hoc autem communius. Et cùm quandam arborem assignauerit, manifestius assignabit, assignando arborem quàm plantam. Amplius, primæ substantiæ, ideo quòd alijs omnibus subijciuntur, & omnia alia vel de ipsis prædicantur, vel in ipsis sunt, propter hoc maximè substantiæ primæ dicuntur. Quemadmodum autem primæ substantiæ ad alia omnia se habent sic & species ad genus se habet. Subijcitur enim species generi: genera enim de speciebus prædicantur: species autem cum generibus non conuertuntur. Quare & ex his species genere magis substantia est.*

7 *Ipsarum verò specierum, quæcunque non sunt genera, nihil magis alterum altero substantia est: nihil enim familiarius assignabis de quodam homine, hominem assignando, quàm de quodam equo, equum. Similiter autem & in primis substantijs nihil magis alterum altero substantia est: nihil enim magis quidam homo substantia est: quàm quidam bos. Merito igitur post primas substantias sola aliorum omnium species, & genera secundæ substantiæ dicuntur. Sola enim hæc, eorum quæ prædicantur, primam substantiam indicant: quendam enim hominem si quis assignauerit quid est, speciem quidem, quàm genus assignando, familiarius demonstrabit: & manifestius faciet hominem assignando, quàm animal: aliorum verò omnium quicquid assignauerit quis, assignabit extranee: velut album, aut currit, aut aliud quodcunque talium assignãs. Quare merito hæ solæ aliorum secundæ substantiæ dicuntur. Amplius, primæ substantiæ, eò quòd alijs omnibus subijciuntur, & omnia alia de illis prædicantur, vel in ipsis sunt, proprijssimè substantiæ dicuntur: sicut autem primæ substantiæ ad alia omnia se habent, ita genera & species primarum substantiarum ad reliqua omnia se habent: de his enim reliqua omnia prædicantur: quendam enim hominem dices grammaticum esse: ergo & hominem, & animal grammaticum dices: similiter autem & in alijs.*

4 Quoad secundum; traditis definitionibus primæ, & secundæ substantiæ, progreditur Aristoteles ad illas inuicem comparandas. Primo igitur comparans primas substantias cum secundis, rationem affert, cur primæ substantiæ proprijssimè, & maximè dicantur substantiæ. Proprijssimè enim, & maximè substantia est, quod est subiectum substans omnibus, quæ dicuntur de subiecto, vel sunt in subiecto; sed primæ substantiæ sunt huiusmodi: nam omnia prædicata, quæ dicuntur de secundis substantijs, dicuntur etiam de primis: ex. gr. *animal*, quod dicitur de homine, qui est secunda substantia, dicitur etiam de Petro, qui est prima substantia: rursus omnia accidentia, quæ sunt in secundis substantijs, sunt etiam in primis substantijs: ex gr. si color est in homine, qui est secunda substantia, est in aliquo homine singulari, qui est prima substantia: & si in nullo homine singulari daretur color, nec daretur in homine vniuersali; ergo primæ substantiæ sunt maximè, & principaliter substantiæ, quia maximè substant.

5 Hinc infert, quod non existentibus primis substantijs, impossibile est aliquid

aliorum esse. Probatur, quia quod non est prima substantia, vel est secunda substantia, vel accidens; sed non existentibus primis substantijs, neque possunt existere secundæ substantiæ, neque accidentia; ergo &c. Probatur minor: nam secundæ substantiæ, hoc est vniuersalia non possunt esse separatæ à primis substantijs, hoc est à singularibus, vt docuit Plato; accidentia verò non possunt esse extra subiectum, quod subiectum est substantia; ex. gr. motus non potest esse extra mobile.

6 Secundo comparans secundas substantias inferiores cum alijs secundis substantijs inferioribus, hoc est species cum generibus, docet species esse magis substantias, quam genera. Probat primò, quia species sunt magis propinquæ primis substantijs, & magis explicant essentiam earumdem; magis enim declaratur essentia Petri, dicendo, quod *Petrus est homo*, quam dicendo, quod *Petrus est animal*: & similiter magis explicatur essentia alicuius arboris singularis dicendo, quod est arbor, quam dicendo, quod est planta. Secundo probat, quia ideò singularia sunt maximè substantiæ, quia de illis dicuntur omnia, quæ dicuntur de subiecto, & in ijs sunt omnia, quæ sunt in subiecto; sed omnia genera dicuntur de speciebus, tanquam de subiecto; species verò non dicuntur ad conuertentiam de generibus tanquam de subiecto; ergo post singularia species sunt magis substantiæ, quam genera, quia pluribus subijciuntur, & substant.

7 Tertio comparans species infimas, seu specialissimas inter se, docet, quod æqualiter participant rationem substantiæ: ex gr. homo, ac equus æquè sunt substantia, quia *esse hominem* æquè explicat essentiam Petri, & aliorum hominum singularium, ac *esse equum* explicet essentiam Bucephali, & aliorum equorum singularium. Similiter primæ substantiæ æqualiter sunt substantiæ: ex. gr. Petrus, & Bucephalus æqualiter sunt substantiæ. Quæ adduntur in textu vsque ad numerum octauum: repetunt aliqua ex superius dictis.

8 *Commune autem omni substantiæ est in subiecto non esse. Prima nanque substantia nec in subiecto est, nec de subiecto aliquo dicitur. Secundarum verò substantiarum constat quidem etiam sic, quòd nulla est in subiecto; homo enim de subiecto quidem quodam homine dicitur: in subiecto verò non est: neque enim in quodam homine homo est: similiter autem & animal de subiecto quidem dicitur quodam homine: non est autem animal in quodam homine.*

9 *Amplius, eorum quæ in subiecto sunt, nomen quidem de subiecto aliquando nihil prohibet prædicari: rationem verò impossibile est: secundarũ verò substantiarum de subiecto & ratio prædicatur & nomen: rationem enim hominis de quodam homine prædicabis, & animalis similiter: quare non erit eorum substantia, quæ sunt in subiecto. Non est autem proprium substantiæ hoc: sed & differentia eorum est, quæ non sunt in subiecto: bipes enim & gressibile de subiecto quidem quodam homine dicitur, in subiecto verò non est: neque enim in homine est bipes, neque gressibile. Ratio quoque differentiæ de illo prædicatur, de quocunque ipsa differentia dicitur: velut si gressibile de homine prædicatur, & ratio gressibilis de homine prædicabitur: est enim homo gressibilis.*

8 Quoad tertium: affert Aristoteles sex proprietates substantiæ. Prima proprietas, in qua conueniunt primæ, & secundæ substantiæ est, *non esse in subiecto*; ex. gr. prima substantia, vt Socrates, Bucephalus &c. neque sunt in subiecto, neque dicuntur de subiecto, vt dictum est num. 1. Secundæ verò substantiæ, vt *homo*, *animal*. dicuntur quidem de primis substantijs, tanquam de subiecto inferiore, at neque ipsæ sunt in subiecto. Licet enim homo, & animal dicantur de Socrate, adhuc non sunt in Socrate, tanquam in subiecto.

9 Secunda proprietas, quæ non conuenit primæ substantiæ, sed tantum secundæ est vniuocè prædicari de primis substantijs, non solum secundum nomen, sed etiam secundum rationem, in quo sensu nullum accidens prædicatur vniuocè de primis substantijs. Cum enim dico *Petrus est musicus*; de Petro, qui est prima substantia, prædico nomen musici, quod est accidens, sed non prædico rationem, cum *esse Petrum* non sit *esse musicum*: at cum dico *Petrus est homo*, non solum prædico de Petro nomen, sed etiam rationem hominis, vt explicatum est num. 3. Addit Aristoteles, quod hoc, quod est *non esse in subiecto, & prædicari de inferioribus vniuocè non solum secundum nomen, sed etiam secundum rationem*, non conuenit solis generibus, & speciebus, quæ simpliciter sunt

secun-

secundæ substantiæ, quæ non tam sunt secundæ substantiæ, quam constitutiua secundarum substantiarum. Patet: nam sicut homo,& animal,quæ sunt genus,& species, dicuntur quidem de subiecto, sed non sunt in subiecto; sic differentiæ bipedis, gressibilis, mortalis &c. dicuntur quidem de subiecto, sed non sunt in subiecto: ex. gr. dicitur de Socrate quod est bipes, & gressibilis; at gressibile, & bipes non sunt in Socrate tanquam in subiecto. Rursus, sicut homo, & animal prædicantur de Socrate, non solum secundum nomen, sed etiam secundum rationem; sic gressibile, & bipes prædicantur de Socrate, non solum secundum nomen,sed etiam secundum rationem: homo enim, & Socrates non solum sunt gressibile bipes, sed etiam *esse hominem*, & *esse Socratem* est *esse gressibile bipes*. Conueniunt igitur secundæ substantiæ, hoc est genera & species cum differentijs in hoc,quod prædicantur vniuocè, non solum secundum nomen,sed etiam secundum rationem; cum è conuerso primæ substantiæ de nullo dicatur, sed sint subiectum,de quo dicuntur cætera.

10 *Non conturbent autem nos substantiarum partes, quæ ita sunt in toto, quasi in subiecto sint: ne forte cogamur eas non esse substantias confiteri: non enim ita ea quæ sunt in subiecto dicebantur, quasi vt partes inessent alicui.*

11 *Inest autem substantijs & differentijs omnia vniuoce prædicari. Omnia enim,quæ ab his prædicata sunt, aut de indiuiduis prædicantur, aut de speciebus: à prima nanque substantia nulla est prædicatio:de nullo enim subiecto dicitur. Secundarum verò substantiarum species quidem de indiuiduo prædicatur: genus verò & de speciebus, & de indiuiduis. similiter autem & differentia & de speciebus, & de indiuiduis prædicantur. Et rationem quoque suscipiunt primæ substantiæ specierum, & generum,& species generis: quæcunque enim de prædicato dicuntur, eadem & de subiecto dicentur. Similiter autem rationem differentiarum suscipiunt & species & indiuidua. Vniuoca autem erant, quorum & nomen commune est, & ratio eadem. Quare omnia quæ à substantijs & differentijs sunt,vniuoce prædicantur.*

10 Antequam proponat Aristoteles tertiam proprietatem substantiæ soluit quandam obiectionem contra primam proprietatem: & quædam aduertit circa secundam proprietatem. Objicit ergo: partes substantiarum videntur esse in toto tamquam in subiecto: ex.gr. anima videtur esse in homine tamquam in subiecto; ergo non esse in subiecto non est proprietas conueniens omni substantiæ. Respondet falsum esse, quod partes sint in toto tamquam in subiecto: vt enim dictum est tract. 1. cap. 2. n. 1. *esse in subiecto* est esse in altero, & non tamquam pars; sed partes substantiarum sunt in toto tamquam partes; ergo propriè non sunt in subiecto.

11 Circa secundam proprietatem aduertit, quod ex secundis substantijs species dicuntur de indiuiduis: ex gr. homo dicitur de Socrate,& Platone; genera dicuntur de speciebus, & indiuiduis: ex. gr. animal dicitur de homine, & leone, & præterea de singularibus hominibus, & leonibus; differentiæ prædicantur de speciebus, & indiuiduis: ex. gr. rationale prædicatur de homine, & de singularibus hominibus. Neque solum de primis substantijs prædicantur species, genera, & differentiæ, sed etiam rationes, seu definitiones specierum, generum,ac differentiarum: ex. gr. Socrates non solum est homo, animal, & rationalis, sed *esse Socratem est esse hominem, esse animal*, & *esse rationale*. Rationes ergo generum, & differentiarum prædicantur de speciebus,& indiuiduis, iuxtà regulam traditam cap. 3. num. 1. quod quæcunque prædicantur de superiori,prædicantur de inferiori. Rationes verò specierum prædicantur de indiuiduis: & quià vniuoca sunt, quæ prædicantur non solum secundum nomen, sed etiam secundum rationem, ideò genera, species, & differentiæ sunt vniuoca.

12 *Omnis autem substantia videtur hoc aliquid significare. In primis igitur substantijs indubitabile, & verum est, quòd hoc aliquid significant. Indiuiduum enim & vnum numero est quod significatur. In secundis verò substantijs videtur quidem similiter appellationis figura hoc aliquid significare, quando quis dixerit hominem vel animal: non tamen verum est, sed magis quale aliquid significant. Neque enim vnum est quod subiectum est, quemadmodum prima substantia: sed de multis homo dicitur, & animal. Non autem simpliciter quale quid significat, quemadmodum album (nihil enim*

aliud significat album, quàm qualitatem) at species & genus circa substantiam qualitatem determinant. Qualem enim quandam substantiam significant. Plus autem in genere determinatio fit quàm in specie. Dicens enim animal plus complectitur, quàm qui hominem.

13 *Inest autem substantijs nihil illis esse contrarium. Primæ enim substantiæ quid erit contrarium, vt cuidam homini, vel cuidam animali? at verò nec homini nec animali aliquid est contrarium. Non est autem hoc substantiæ proprium: sed etiam multorum aliorum vt quantitati. Bicubito enim vel tricubito nihil est contrarium. At verò nec decem, nec alicui talium, Nisi forte quis multum pauco dicat esse contrarium, vel magnum paruo. Determinatorum vero quantorum nullum nulli est contrarium.*

14 *Videtur autem substantia non suscipere magis & minus. Dico autem, non quòd substantia non est à substantia magis & minus substantia (hoc enim dictum est quod est) sed quod vnaquæque substantia hoc ipsum quod est, non dicitur magis & minus. Vt si est eadem substantia homo, non erit magis & minus homo, neque ipse seipso, neque alter altero: non enim est alter altero magis homo: sicut est album alterum altero magis & minus album: & bonum alterum altero magis & minus bonum: sed & ipsum seipso magis & minus dicitur. Vt corpus cùm sit album, magis nunc album esse dicetur quàm prius: & cùm calidum sit, magis & minus calidum dicitur. Substantia vero non dicitur magis neque minus. Nihil enim homo magis nunc homo quàm prius dicitur: neque aliorum quicquam, quæcunque substantiæ sunt. Quapropter non recipiet substantia magis & minus.*

12 Tertia proprietas substantiæ est, significare *hoc aliquid*. Hæc proprietas conuenit primis, & singularibus substantijs. *Hoc aliquid* enim significat ens per se subsistens, indiuiduum, & vnum, adeoque designabile, cum dicimus, *hoc aliquid*; sed primæ substantiæ sunt entia per se subsistentia, & indiuidua, ac vna numero; ergo &c. At licet etiam secundæ substantiæ, vt *homo animal*, cum significantur per nomen substantiuum, videantur significare *hoc aliquid*, tamen verè non significant *hoc aliquid*, sed *quale aliquid*. Homo enim non est vnum designabile, cum dicimus *hoc aliquid*, sed de pluribus dicitur; ideò non tam est *hoc aliquid*, quam dicitur de his, quæ sunt *hoc aliquid designabile*. Non tamen *homo* significat *quale* sicut *album*. Ratio est, quia genera, & species dicuntur de primis substantijs, tanquam ipsarum constitutiua, adeoque significant id, quod dicitur de primis substantis, tanquam constitutiuum ipsarum, & tanquam qualitas essentialis: at album dicitur, non tanquam constitutiuum, sed vt adueniens primis substantijs iam constitutis. Porrò genera ad plura extenduntur, quam species: ex. gr. animal plura complectitur, quam homo.

13 Quarta proprietas substantiæ est, quod non habeat contrarium. Primæ enim substantiæ, ex. gr. Socrates, Plato, *hic homo*, *hoc animal*, proculdubio non habent contrarium. Quid enim est contrarium Platoni, vel Socrati? similiter nec secundæ substantiæ, ex. gr. *homo*, *animal* habent contrarium. Porrò hoc, quod est *non habere contrarium*, non ità est proprium substantiæ, vt non conueniat etiam pluribus alijs, ex. gr. quantitati. Bicubito enim, & tricubito, quæ significant quantitatem, nihil est contrarium. Si verò quis opponat, quod multum est contrarium pauco, & magnum paruo, adhuc quantitates determinatæ, vt *palmare, bipalmare &c.* non habent contrarium.

14 Quinta proprietas substantiæ est, vt non suscipiat magis & minus. Non est autem sensus, quod vna substantia non sit magis substantia, quam alia: iam enim dictum est num. 4. quod primæ substantiæ sunt magis substantiæ, quam secundæ, & dictum est num. 6. quod species sunt magis substantiæ, quam genera: sed sensus est, quod ea, quæ significant substantiam, non magis conueniunt vni, quam alteri: ex. gr. quod vnus homo non est magis, aut minus homo, quam alter; cum è conuerso vnum album sit magis, aut minus album, quam aliud; & vnum bonum sit magis, aut minus bonum, quam aliud; immo & idem vno tempore sit magis, aut minus tale, quam alio tempore; eo pacto, quo idem corpus aliquando est magis album, aliquando minus album, aliquando est magis calidum, aliquando est minus calidum: Hoc autem non euenit in prædicatis, quæ significant substantiam: neque enim idem aliquando est magis homo, aliquando minus.

Maxi-

15 *Maxime verò proprium ſubſtantiæ eſſe videtur, cùm vnum & idem numero ſit, contrariorum ſuſceptiuum eſſe: quale in alijs quidem non habet quiſquam quod proferat tale, quæcunque non ſunt ſubſtantiæ: quod cùm ſit vnum numero, ſuſceptibile contrariorum ſit. Velut color, qui eſt vnus & idem numero, non dicitur albus & niger: neque eadem actio & vna numero praua & ſtudioſa. Similiter autem & in alijs, quæcunque non ſunt ſubſtantiæ. Subſtantia vero, cùm vnum & idem numero ſit ſuſceptiua contrariorum eſt. Vt quidam homo cum vnus & idem ſit, aliquando quidem albus, aliquando ſit niger, & calidus & frigidus, & prauus & ſtudioſus. In alijs autem nullis aliquid tale videtur.*

16 *Niſi quis forſitan inſtet, dicens orationem & opinionem contrariorum eſſe ſuſceptibilia. Eadem enim oratio vera, & falſa videtur eſſe. Veluti ſi vera ſit oratio ſedere quempiam eo ſurgente ipſa eadem falſa erit. Similiter autem & de opinione. Si quis enim verum putet aliquem ſedere, ſurgente eo, falſo putabit, eandem de ipſo opinionem habens. Sed ſi quis & hoc ſuſcipiat, tamen modo differt. Nam ea, quæ in ſubſtantijs ſunt, ipſa quidem mutata ſuſceptibilia ſunt contrariorum. Frigidum enim ex calido factum mutatur (alteratur enim) & nigrum ex albo, & ſtudioſum ex prauo: ſimiliter autem & in alijs vnumquodque eorum mutationem ſuſcipiens, ſuſceptibile contrariorum eſt. Oratio autem & opinio, ipſa quidem immobilia omnino perſeuerant: cùm vero res mouetur, contraria circa ipſa fiunt. Oratio namque eius quod ſedeat aliquis, permanet eadem: cùm vero res mota ſit, aliquando quidem vera, aliquando autem falſa dicitur. Similiter autem eſt in opinione. Quapropter ſaltem modo proprium ſubſtantiæ eſt, vt ſecundum mutationem ſuiipſius ſuſceptibilis ſit contrariorum. Si quis autem recipiat etiam hæc, orationem & opinionem ſuſceptibilia eſſe contrariorum, non eſt hoc verum. Oratio namque & opinio, non eò quod ipſa aliquid recipiant, contrariorum ſuſceptibilia eſſe dicuntur: ſed eò quod circa alterum aliqua paſſio facta ſit. Nam eò quod res eſt, aut non eſt, eò etiam oratio vera vel falſa eſſe dicitur, non eò quod ipſa ſuſceptibilis ſit contrariorum. Simpliciter enim à nullo, neque oratio neque opinio mouetur. Quapropter non erunt ſuſceptibilia contrariorum, cùm nulla contrarij ſit paſſio in eis facta. Verùm ſubſtantia eò quòd ipſa contraria recipiat, hoc ſuſceptibilis eſſe contrariorum dicitur. Languorem enim & ſanitatem ſuſcipit & candorem & nigredinem: & vnumquodque talium ipſa ſuſcipiendo, contrariorum ſuſceptibilis eſſe dicitur. Quare proprium erit ſubſtantiæ hoc, cùm vnũ & idem numero ſit, ſecundum ſuiipſius mutationem, ſuſceptibilem contrariorum eſſe. De ſubſtantia quidem hæc dicta ſint.*

15 Sexta proprietas, quæ ſoli conuenit ſubſtantiæ eſt, cum vnum & idem numero ſit, eſſe contrariorum ſuſceptiuum; Petrus enim cum ſit idem numero, modo eſt albus, modo niger, modo calidus, modo frigidus. At non poteſt afferri aliquid, quod cum non ſit ſubſtantia idem numero ſit contrariorum ſuſceptiuum: ex. gr. color idem numero non poteſt modo eſſe albus, modo niger: eadem numero actio non poteſt modo eſſe praua, modo honeſta.

16 Opponitur, quia eadem numero oratio, & opinio, qua aliquis dicat *Petrus ſedet*, poteſt modo eſſe vera, modo falſa: ſi enim Petro ſurgente, perſeueret aliquis in eadem opinione, & oratione, opinio, & oratio eadem manens, mutabitur de vera in falſam.

Reſpondet primo Ariſtoteles, quod proprium ſolius ſubſtantiæ eſt, cum idem numero ſit ſecundum ſui mutationem ſuſceptibile eſſe contrariorum: ex. gr. corpus cum ex frigido fit calidum, vel ex nigro album, ſuſcipit mutationem álterationis, & ſic ex frigido mutatur in calidum; cum quis ex prauo fit bonus, mutatur intrinſecè ex prauo in bonum: at cum Petrus ſurgit, & oratio dicens *Petrus ſedet* de vera fit falſa, mutatio non fit in ipſa oratione, ſed in Petro. Hinc deducit ſecundam reſpõſionem, quod oratio non ſuſcipit in ſe paſſionem, per quam ex vera fiat falſa, eo pacto, quo ſubſtantia ſuſcipit paſſionem, per quam ex calida fit frigida. Neque enim oratio ex vera fit falſa, quia facta fuerit aliqua mutatio in ipſa oratione, ſed quia facta fuit mutatio in altero. At ſubſtantia ſuſcipit contraria, ita vt in ipſamet fiat mutatio: ex. gr. cum aliquis ex ægroto fit ſanus, vel ex albo niger, ipſe met ex vno contrario mutatur in aliud. Eſt igitur proprium ſubſtantiæ, cum idem numero ſit, ſecundum ſui mutationem eſſe contrariorum ſuſceptiuum. Atque hæc de ſubſtantia dicta ſufficiant.

De Quanto. Cap. II. vel VII.

1 *Quanti autem aliud quidem est discretum: aliud autem continuum: & aliud quidem ex habentibus positionem ad se inuicem in ipsis, partibus constat, aliud autem ex non habentibus positionem. Est autem discretum quidem vt numerus, & oratio: continuum vero, vt linea, superficies, corpus: amplius autem præter hæc locus & tempus.*

2 *Partium etenim numeri nullus est communis terminus, ad quem copulantur partes eius. Vt quinque, si sunt denarij partes ad nullum terminum communem copulantur quinque & quinque, sed semper discreta sunt. Et tria & septem ad nullum communem terminum copulantur. Neque omnino habeas in numero communem terminum partium accipere, sed semper discreta sunt: quapropter numerus quidem discretorum est.*

3 *Similiter autem & oratio. Quod etenim quantum est oratio, manifestum est: mensuratur enim syllaba breui, & longa: dico autem cum voce orationem factam: ad nullum enim communem terminum particulæ eius copulantur: non enim est communis terminus, ad quem syllabæ copulentur: sed vnaquæque diuisa est, ipsa secundum seipsam.*

4 *Linea verò continua est: est enim sumere communem terminum punctum, ad quem partes eius copulentur: & superficiei lineã: plani nanque partes ad aliquem communem terminum copulantur: similiter autem & in corpore habeas sumere communem terminũ, lineam, vel superficiem, ad quam corporis*

5 *partes copulantur. * Est autem talium & tempus & locus: præsens enim tempus copulatur ad præteritum & ad futurum.*

6 ** Rursus locus continuorum est: locum enim quendam partes corporis obtinent, quæ ad communem terminum copulantur: ergo & loci partes, quæ obtinent singulas corporis partes ad eundem communem terminum copulantur, ad quem & corporis partes. Quapropter continuus erit & locus: ad vnum enim communem terminum eius partes copulantur.*

Explicato prædicamento substantiæ, explicat Aristoteles prædicamentum quantitatis: ac primo affert duas diuisiones, atque explicat species quantitatis: secundo proponit tres proprietatis quantitatis.

1 Quoad primum: prima diuisio quantitatis est in quantitatem continuam, & discretam: secunda in quantitatem, quæ constat ex partibus habentibus positionem ad inuicem, & in quantitatem, quæ constat ex partibus non habentibus positionem ad inuicem. Species, & exempla quantitatis discretæ sunt, numerus, & oratio: species, & exempla quantitatis continuæ sunt linea, superficies, corpus, seu solidum, locus, & tempus.

2 Quantitas discreta est, *cuius partes non copulantur ad aliquem terminum communem. Quantitas continua est, cuius partes copulantur ad aliquem terminum communem.* Hinc primo colligitur numerum, ex. gr. denarium, (idem valet de cæteris numeris) esse quantitatem discretam: partes enim numeri denarij, hoc est decem vnitates, nullum habent communem terminum, ad quem copulentur, sed vnaquæque vnitas est discreta ab alijs vnitatibus.

3 Colligitur secundo orationem vocalem esse quantitatem discretam. Quod sit quantitas, probatur, quia oratio mensuratur syllaba longa, & breui; sed longum, & breue mensurant solam quantitatem, & sola quanta; ergo oratio est quanta. Quod verò sit discreta, ostenditur, quia partes orationis sunt syllabæ; sed syllabæ non copulantur ad vllum terminum communem; cum enim dico, *Petrus currit*, ad quem communem terminum copulantur syllabæ *Pe*, et, *trus*? ergo oratio est quantitas, cuius partes non copulantur ad vllum terminum communem, sed manent discretæ.

4 Colligitur tertio, lineam, superficiem, & solidum, seu corpus, esse quantitates continuas. Nam potest in linea sumi punctum aliquod intermedium, ad quem copulentur partes lineæ, tanquam ad communem terminum, eo quod tale punctum sit finis vnius partis, & principium alterius: Potest similiter in superficie sumi aliqua linea intermedia, ad quam copulentur partes superficiei, tanquam ad terminum communem, qui sit finis vnius partis, & principium alterius: Potest in corpore, seu solido sumi aliqua superficies intermedia, ad quam copulentur partes corporis, tanquam ad principium vnius partis, & finē alterius.

5 Col-

5 Colligitur quarto, tempus eſſe continuum, quià in hac hora ex. gr. pars præterita, & pars futura copulantur ad præſens inſtans, tanquam ad terminum communem. Præſens enim inſtans eſt finis temporis præteriti, & principium futuri.

6 Colligitur quinto, etiam locum eſſe continuum. Sicut enim corpus, quod eſt in loco, habet partes correſpondentes loco, & copulatas ad terminum communem, ità etiam locus habet partes copulatas ad terminum communem.

7 *Amplius autem, alia quidem conſtant ex partibus, quæ in eis ſunt, poſitionem habentibus ad ſe inuicem, alia autem ex non habentibus poſitionem. Vt lineæ quidem partes poſitionem habent ad ſe inuicem. Singulæ nanque earum ſitæ ſunt alicubi: & habeas vnde distinctè ſumas, & aſsignes vbi ſingulæ ſitæ ſint in plano, & ad quam partem reliquarum copulantur. Similiter autem & partes plani poſitionem habent aliquam. Similiter nanque aſsignaretur vnaquæque vbi iacet: & quæ copulantur ad ſeinuicem. Sed & ſolidi partes ſimiliter, & loci. In numero autem non poterit quiſquam oſtendere, quemadmodum partes eius poſitionem aliquam habent ad ſeinuicem, aut vbi iacent, aut quæ partes ad ſe inuicem connectuntur. Neque eæ quæ temporis ſunt. Nihil enim permanent partes temporis: quod autem non eſt permanens, quomodo poſitionem aliquam habebit? Sed magis ordinem quendam dices habere: eò quod aliud quidem prius ſit temporis, aliud vero poſterius. Sed & in numero ſimiliter: eo quòd prius numeratur vnus quam duo, & duo quam tria. Et ſic habebunt aliquem ordinem: poſitionem vero non omnino accipies. Sed & oratio ſimiliter. Nulla enim remanet partium. Sed dictum eſt ſimul, & non eſt hoc amplius aſſumere. Quapropter non erit nulla poſitio partium eius: ſiquidem permanet. Igitur alia ex habentibus poſitionem partibus conſtant: alia ex non habentibus poſitionem.*

8 *Propriè autem quanta hæc dicuntur ſola quæ dicta ſunt: alia vero omnia ſecundum accidens. Ad hæc enim aſpicientes & alia dicimus quanta, vt multum dicitur album, eò quod ſuperficies multa ſit: & actio longa, eò quod tempus multum ſit, & motus multus. Neque enim horum ſingulum per ſe quantum dicitur. Vt ſi quis aſsignet quanta actio eſt, tempore definiet annuam, vel ſic aliquo modo aſsignans. Et album quantum quid ſit aſsignans, ſuperficie definiet: quanta enim fuerit ſuperficies, tantum album eſſe diceret. Quare ſola propriè ſecundum ſeipſa dicuntur quanta, quæ dicta ſunt: aliorum vero nihil per ſe, ſed ſi forte per accidens.*

7 Progreditur Ariſtoteles ad ſecundam diuiſionem quantitatis. Alia enim quanta conſtant ex partibus habentibus poſitionem ad ſe inuicem, (eſt autem poſitio, per quam partes ità iacent, vt vna ſit ante, alia retro; vna ſit ſuprà, alia infra; vna ſit ad dexteram, alia ad ſiniſtram,) alia quanta conſtant ex partibus, quæ non habent poſitionem ad inuicem, ſed merum ordinem, per quem vna ſit prius, alia poſterius. Linea, ſuperficies, corpus, & locus conſtant ex partibus habentibus poſitionem, quià poſſumus in ijs aſſignare partem, quæ ſit ante, & partem quæ ſit retro &c. Numerus, oratio, & tempus, conſtant ex partibus non habentibus poſitionem, ſed merum ordinem, per quem vna pars eſt prior, alia poſterior. Vna enim pars orationis profertur prius, alia poſterius: vna pars temporis præcedit aliam: vna pars numeri prius numeratur, quam alia. Prius enim numeratur vnum, quam duo, & duo, quam tria, &c. Cæterum in his non inuenitur ſurſum, & deorſum; dexterum, & ſiniſtrum; ante, & retro; & vniuerſim in quantitate ſucceſſiua, cuius partes ſimul non manent, non datur poſitio partium, ſed ſolus ordo.

8 Addit Ariſtoteles, ſola enumerata propriè, & per ſe dici quanta, alia verò dici quanta ſolum per accidens, & ratione iſtorum: ex. gr. albedo dicitur magna à magnitudine ſuperficiei, in qua eſt albedo; actio, vt ſtudium, dicitur longum, aut breue, quia tempus, quo quis ſtudet eſt longum, aut breue; & ſi quæratur *quantum eſt ſtudium?* reſpondebitur per tempus, quod eſt horarium: ſi quæratur, *quanta eſt albedo?* reſpondebitur per quantitatem ſuperficiei, quæ eſt palmaris.

9 *Amplius, quanto nihil eſt contrarium. In definitis enim manifeſtum eſt quòd nihil eſt contrarium: vt bicubito vel tricubito, vel ſuperficiei, vel alicui talium. Nihil enim illis eſt contrarium.*

10 *Niſi quis forte dicat multum pauco eſſe contra-*

contrarium, vel magnum paruo. Horum autem nihil est quantum, sed magis eorum quæ sunt ad aliquid. Nihil enim ipsum per seipsum magnum vel paruum dicitur: sed eò quòd ad alterum refertur. Vt mons quidem paruus dicitur, milium vero magnum: quod hoc ijs quæ sunt sui generis maius sit, illud vero ijs quæ sui sunt generis minus: ergo ad alterum est eorum relatio. Nam si per seipsum magnum vel paruum diceretur, nunquam mons quidem aliquando paruus, milium vero magnum diceretur. Rursus in vico quidem plures homines esse dicemus, Athenis vero paucos, cùm sint illis multo plures. Et in domo quidem multos, in theatro vero paucos, cùm sint plures. Amplius, bicubitum quidem, & tricubitum, & vnumquodque talium quantum significat: magnũ vero vel paruum non significat quantum, sed magis ad aliquid: quoniam ad alterum consideratur & magnum & paruum. Quare manifestum est, quòd ipsa sunt eorum quæ ad aliquid.

11 *Amplius, siue aliquis ponat quanta esse hæc siue non ponat, nihil est in illis contrarium. quod enim non potest sumi per seipsum, sed ad alterum refertur, quomodo huic aliquid erit contrarium? Amplius autem, si sunt magnum & paruum contraria, continget idem simul contraria suscipere, & ea ipsa sibimet esse contraria. Contingit enim simul idem paruum esse & magnũ. Est enim ad hoc quidem paruum, ad aliud vero idipsum magnum. Quare idem & paruum & magnum eodem tempore esse contingit: quare simul contraria suscipere. Sed nihil est, quod videatur simul contraria suscipere posse. Vt in substantia quidem: susceptibilis enim contrariorum esse videtur: sed nullus simul sanus est & æger, neque album & nigrum est simul: nihilque aliud simul contraria suscipiet. Et eadem sibiipsis contingit esse contraria: nam si est magnum paruo contrarium: ipsum autem idem simul est magnum & paruum: ipsum sibi erit contrariũ. Sed impossibile est aliquid sibi ipsi esse contrarium: non est igitur magnum paruo contrarium, neque multum pauco. Quare nisi & eorum quæ ad aliquid hæc quis dicat, sed quanti, nihil contrarium habebunt. Maxime autem circa locum esse videtur contrarietas quanti. Sursum enim ei quod est deorsum contrarium ponunt: locum qui in medio est deorsum dicentes, eò quod plurima distantia est medij ad mundi terminos. Videntur autem & aliorum contrariorum ab his afferre definitionem. Quæ enim plurimum à se inuicem distant eorum quæ sunt sub eodem genere, contraria esse definiunt.*

9 Quoad secundum: proponit Aristoteles tres proprietates quantitatis. Prima est, quod non habet contrarium. Probat inductione in determinatis speciebus quantitatis: bicubitum enim, ac tricubitum non habent contrarium.

10 Opponit, quia paruum est contrarium magno, & multum pauco. Respondet primo, hæc non spectare ad quantitatem, sed ad relationem, ac dici cum respectu ad aliud. Magnum enim est, *quod est maius ijs, quæ sunt sui generis*: paruum est, *quod est minus ijs quæ sunt sui generis.* Et probat, quià granum milij, si excedat alia grana milij, dicitur magnum; mons, si excedatur ab alijs montibus dicitur paruus: & tamen secundum quantitatem absolutam talis mons, qui dicitur paruus, est incomparabiliter maior maximo grano milij. Idem contingit in numeris. Si enim in vico sint homines trecenti, dicemus esse multos; si Athenis sint decem hominum millia, dicemus esse paucos: Si in domo sint centum homines, dicemus esse multos: si sint in theatro, dicemus esse paucos; ergo bicubitum quidem, & tricubitum significant quantum; magnum, & paruum significant relationem.

11 Respondet secundo, quod licet admittamus magnum, & paruum spectare ad quantitatem, adhuc non sunt contraria, quia quæ dicuntur respectiuè non sunt cõtraria, alioquin posset idem simul suscipere contraria, cum possit idem esse magnum, & paruum respectu diuersorum. Ex quo etiã sequeretur, quod idem esset contrarium sibi, cum idem possit esse magnum, & paruum respectu diuersorum; sed est impossibile, vt idem simul recipiat contraria; quamuis enim substantia possit successiuè recipere contraria, tamen non potest illa recipere simul: ex. gr. non potest idem simul esse sanus, & ægrotus, albus, & niger; ergo &c. Addit Aristoteles contrarietatem non dari in quantitate, neque in relatione, sed præcipuè, ac principaliter in loco, & sursum, ac deorsum esse loca contraria. Contraria enim sunt, quæ maximè distant in eodem genere; sed medium mundi, seu centrum quod

quod vocatur *deorsum* maximè distat à terminis, & circumferentia mundi, quæ vocatur *sursum*: in figura enim rotunda, ac circulari, qualis est figura mundi, nihil magis distat à circumferentia, quam medium, seu centrum; ergo sursum, & deorsum sunt contraria loca, quia maximè distant in genere loci.

12 *Non videtur autem quantum suscipere magis & minus: vt bicubitum. Neque enim alterum altero magis bicubitum. Neque in numero: vt tria quàm quinque nihil magis quinque aut tria dicuntur, neque quinque quàm tria. Nec tempus alterum altero magis tempus dicitur: nec in nullo eorum, quæ dicta sunt omnino, magis & minus dicitur. Quare quantum non suscipit magis & minus.*

13 *Proprium autem maximè quanti est, quod æquale & inæquale dicitur. Vnumquodque enim eorum quæ dicta sunt quantorum, æquale, & inæquale dicitur. Vt corpus, æquale & inæquale dicitur. Et numerus & tempus, æquale, & inæquale dicitur. Similiter autem & in alijs, quæ dicta sunt, vnumquodque æquale, & inæquale dicitur. In cæteris vero quæcumque quanta non sunt, non prorsus videbitur æquale, & inæquale dici. Vt dispositio æqualis & inæqualis non omnino dicitur, sed magis similis & dissimilis. Et album æquale & inæquale non omnino dicitur, sed simile vel dissimile. Quare quanti maximè sit proprium, æquale & inæquale dici.*

12 Secunda proprietas quantitatis est, non suscipere magis & minus. Nam licet vnum album sit magis album, quam aliud, tamen vnum palmare non est magis palmare, quam aliud; nec vnum bicubitum est magis bicubitum, quam aliud; nec tres homines sunt magis tres, quam tres equi sint tres; nec tria sunt magis tria, quam quinque sint quinque; nec vnum tempus est magis tempus, quam aliud.

13 Tertia proprietas est, vt omnia quanta sint inter se propriè vel æqualia, vel inæqualia, cum res aliorum prædicamentorum propriè non dicantur æqualia, nec inæqualia, sed similia, ac dissimilia: ex. gr. duo corpora dicuntur æqualia, vel inæqualia; duo numeri dicuntur æquales, vel inæquales; duo tempora dicuntur æqualia, vel inæqualia; duæ etiam orationes dicuntur æquales, vel inæquales. E conuerso duæ dispositiones, quæ sunt de prædicamento qualitatis, non solent dici æquales, vel inæquales, sed potius similes, vel dissimiles; ac similiter duo alba propriè non dicuntur æqualia, sed similia, vt patet ex opposito; nam album, & nigrum non dicuntur inæqualia, sed dissimilia. Hæc tertia proprietas proprijssimè conuenit quantitati.

De Relatiuis, seu de his, quæ ad aliquid. Cap. III. vel VIII.

1 *AD aliquid vero talia dicuntur, quæcunque hæc ipsa quæ sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum. Vt maius hoc ipsum quod est alterius dicitur; aliquo enim maius dicitur; & duplum alterius dicitur hoc ipsum quod est: alicuius enim duplum dicitur. Similiter autem & alia, quæcunque huiusmodi sunt. At vero sunt etiam & hæc ad aliquid: vt habitus, dispositio, sensus, scientia, positio. Hæc enim omnia, quæ dicta sunt, hoc ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum, & non aliud quiddam. Habitus enim alicuius habitus esse dicitur, & scientia alicuius scientia, & positio alicuius positio: & alia quoque similiter. Ad aliquid igitur sunt, quæcumque hæc ipsa quæ sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum. Vt mons magnus dicitur ad alterum (magnus enim mons dicitur ad aliquid) & simile alicui simile, & cætera talia similiter ad aliquid dicuntur. Sunt autem & accubitus, & statio, & sessio positiones quædam. Positiones vero ad aliquid sunt. Iacere autem & stare vel sedere, ipsa quidem non sunt positiones: denominatiuè vero dicuntur ab ijs, quæ dictæ sunt, positionibus.*

POstquam Aristoteles egit de substantia, & quantitate, agit de relatiuis, seu de his, quæ dicuntur ad aliquid. Primo ergo proponit communem, & antiquam definitionem relatiuorum, & quatuor eorum pro-

proprietates enumerat: secundo ostendit illam definitionem conuenire aliquibus, quæ propriè non videntur relatiua, ideoque ad illa excludenda, affert aliam definitionem strictiorem, ex eaque colligit vnam proprietatem relatiuorum propriè dictorum.

1 Quoad primum: antiqua definitio relatiuorum est: ***Ad aliquid talia dicuntur, quæcunque hæc ipsa, quæ sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet ad alterum***. Sensus est, quod relatiua sunt, quæ hæc ipsa, quæ sunt, dicuntur alterius cum habitudine casus genitiui, vel quomodolibet aliter ad alterum, cum habitudine alterius casus obliqui. Ex. gr. duplum, dimidium; pater, filius; habitus, dispositio; scientia, sensus; positio, &c. sunt relatiua, quia dicuntur alterius, cum habitudine casus genitiui: duplum enim est dimidij duplum; dimidium est dupli dimidium; pater est filij pater; filius est patris filius; habitus est habentis habitus; dispositio est dispositi dispositio; scientia est scibilis scientia; sensus est sensibilis sensus; positio est positi positio. Accubitus etiam, statio, & sessio sunt positiones quædam, ideoque dicuntur ad aliquid. Accubitus enim in aliquo est accubitus; statio, & sessio in aliquo sunt statio, & sessio. At iacere, siue accumbere, stare, & sedere non sunt positiones, sed dicuntur denominatiuè ab accubitu, statione, & sessione, quæ sunt positiones. Rursus simile, ac dissimile sunt alteri simile, ac dissimile, ideoque important ad alterum habitudinem casus datiui: magnum, & paruum ad alterum dicuntur magnum, & paruum, ideoque important habitudinem accusatiui: maius dicitur minore maius; minus maiore minus: scibile est scientia scibile: sensibile est sensu sensibile, ideoque important habitudinem casus ablatiui. E conuerso homo, equus, &c. sunt entia absoluta, quia homo non dicitur alterius homo, vel alteri homo.

2 *Inest autem & contrarietas in ijs quæ sunt ad aliquid. Vt virtus vitio contrarium, cùm sit vtrumque eorum ad aliquid: & scientia ignorantiæ. Non autem omnibus ijs, quæ sunt ad aliquid insunt contraria. Duplici enim nihil est contrarium, neque triplici, neque vlli talium.*

3 *Videntur autem & magis & minus ea quæ ad aliquid sunt, suscipere. Simile enim & dissimile magis & minus dicitur: & æquale & inæquale magis & minus dicitur, cùm vtrunque sit ad aliquid. Simile enim alicui simile dicitur; & inæquale alicui inæquale. Non autem omnia quæ sunt ad aliquid suscipiunt magis & minus. Duplum enim non dicitur magis & minus duplum, nec aliquid talium.*

2 Prima proprietas relatiuorum est, quod quædam habent contrarium, alia non. Virtus enim, & vitium, ignorantia, & scientia dicuntur ad aliquid, & tamen sunt inuicem contraria. E conuerso duplex, & triplex, & alia huiusmodi non habent contrarium.

3 Secunda proprietas est, vt quædam suscipiant magis, & minus, alia non: Ex. gr. simile, & dissimile; æquale, & inæquale suscipiunt magis, & minus; quædam enim sunt magis similia, vel æqualia, quam alia: At duplum, triplex, dimidium, & alia huiusmodi, non suscipiunt magis, & minus; vnum enim duplum non est magis duplum, quam aliud.

4 *Omnia autem quæ sunt ad aliquid, ad conuertentia dicuntur. Vt seruus domini seruus: & dominus serui dominus esse dicitur. Et duplum dimidij duplum: & dimidium dupli dimidium. Et maius minore maius: & minus maiore minus. Similiter autem & in alijs. Sed casu aliquotiens different secundum locutionem. Vt scientia scibilis scientia dicitur: & scibile scientia scibile. Et sensus sensibilis sensus: & sensibile sensu sensibile. At vero aliquotiens non videbitur conuerti: nisi conuenienter ad quod dicitur assignetur sed peccet is qui assignat. Vt ala si assignetur auis, non conuertitur vt sit auis ala. Non enim prius conuenienter assignatum est ala auis. Neque enim quatenus auis est, eatenus ala ipsius dicitur, sed eò quòd alata est. Multorum enim & aliorum alæ sunt, quæ non sunt aues. Quare si assignetur conuenienter, & conuertitur: vt ala alati ala est: & alatum ala alatum.*

5 *Aliquotiens autem forte & nomen fingere necesse erit: si non fuerit nomen impositum ad quod conuenienter assignetur: vt temo si assignetur nauigij, non est assignatio conueniens. Neque enim eò quòd nauigium est, eo ipsius temo dicitur. Sunt enim nauigia, quæ*

quorum temones non sunt: quare non conuertitur: nauigium enim non dicitur temonis nauigium. Sed forte conuenientior assignatio erit, si sic quodammodo assignetur: temo temonata rei temo est, aut quomodocunque aliter: nomen enim non est positum. Et conuertitur si conuenienter assignetur: temonatum enim temone temonatum est. Similiter autem & in alijs, vt caput conuenientius assignabitur capitati caput, quam si animalis assignetur. Neque enim eò quòd est animal, caput habet. Multa enim animalia sunt capita non habentia. Sic autem fortasse facillime quis sumet, quibus posita non sunt nomina, si ab ijs quæ prima sunt, & ijs ad quæ conuertuntur, nomina ponantur: vt in ijs quæ prædicta sunt, ab ala alatum, à temone temonatum. Omnia igitur quæ ad aliquid dicuntur, si conuenienter assignentur, ad conuertentia dicuntur: quoniam si ad quodlibet aliud assignantur, & non ad id ad quod dicuntur, non conuertuntur. Dico autem, quoniam neque eorum quæ in confesso ad conuertentia dicuntur, & nomina eis posita sunt, nihil conuertitur, si ad aliquid eorum quæ sunt accidentia assignentur, & non ad id ad quod dicuntur. Vt seruus, si non domini assignetur, sed hominis vel bipedis, vel cuiuscunque talium, non conuertitur. Neque enim dici potest, homo est seruus homo: non enim conueniens est assignatio.

6 *Amplius si quidem conuenienter assignetur ad quod dicitur, omnibus alijs sublatis, quæcunque accidentia sunt relicto autem solo illo ad quod assignatum est conuenienter, semper ad ipsum dicetur. Vt si seruus ad dominum dicitur; circumscriptis omnibus, quæ accidentia sunt domino, vt esse bipedem, vel scientiæ susceptibilem, vel hominem, relicto verò solo quod dominus est, semper seruus ad ipsum dicetur: seruus enim domini seruus dicitur. Si autem non conuenienter ad id, ad quod dicitur assignetur, circumscriptis omnibus alijs, relicto autem eo solo, ad quod assignatum est, non dicetur ad ipsum. Assignetur enim seruus hominis, & ala auis, & circunscribatur ab homine esse dominum, non sanè amplius seruus ad hominem dicetur: cùm enim dominus non sit, neque seruus est: similiter & de aue, si adimitur eam alatam esse: non enim amplius erit ala ad aliquid. Cum enim non sit alatum, nec ala erit alicuius. Quare oportet assignare ad id, ad quod conuenienter dicitur. Et si sit nomen positum, facilis erit assignatio: si autem non sit, fortasse necessarium erit nomen fingere: si autem sic assignentur, manifestum est, quoniam omnia quæ ad aliquid sunt, ad conuertentia dicuntur.*

4 Tertia proprietas communis omnium relatiuorum est, vt si conuenienter assignetur terminus correlatiuus, dicantur ad conuertentiam, licet non semper cum habitudine eiusdem casus. Conuertuntur cum habitudine eiusdem casus pater, & filius; dominus, & seruus; duplum, & dimidium; maius, & minus. Pater enim est filij pater; filius est patris filius: seruus est domini seruus; dominus est serui dominus: duplum est dimidij duplum; dimidium est dupli dimidium: maius est minore maius; minus est maiore minus; idemque dic de pluribus alijs. Conuertuntur cum habitudine casus diuersi scientia, & scibile, sensus, & sensibile, &c. Nam scientia est scibilis scientia, ideoque importat habitudinem casus genitiui; scibile verò dicitur scientia scibile in ablatiuo. Sensus dicitur sensibilis sensus; & sensibile dicitur sensu sensibile. Cum verò terminus non assignatur conuenienter, tunc non conuertitur: ex. gr. si quis assignet terminum alæ dicendo, quod *ala est auis ala*, non conuenienter assignat terminum, ideoque non valet è conuerso, quod auis sit alæ auis. Debuit igitur terminus alæ assignari *alatum*, siquidem ala conuenit aui, non in quantum est auis, sed in quantum est aliquid alatum, ideoque conuenit etiam quibusdam alatis, quæ non sunt aues, ex. gr. draconi. Si verò terminus alæ assignetur *alatum*, dicitur ad conuertentiam; quandoquidem sicut ala est alati ala, sic alatum est ala alatum.

5 Porrò cum termino conuenienti non est impositum nomen, debemus illud fingere: ex. gr. temo, & remus sunt alicuius temo, & remus: non tamen conuenienter assignatur terminus temonis, ac remi dicendo, quod remus est nauigij remus, temo est nauigij temo: siquidem temo, & remus conueniunt nauigijs non in quantum sunt nauigia, cum dentur etiam nauigia sine temone, & remis, ideoque nauigium non dicitur ad conuertentiam, temonis, aut remi nauigium. Quia igitur terminus temonis, ac remi non habet nomen, debemus nomen fingere, dicendo, quod temo rei temonatæ est temo, remus rei remitæ est

est remus, & tum terminus dicitur ad conuertentiam: temonatum enim temone est temonatum; remitum remo est remitum. Similiter non bene assignatur terminus capitis, dicendo, quod caput est animalis caput, sed debet dici, quod caput capitati est caput. Neque enim caput conuenit animali, in quantum est animal, siquidem non omne animal habet caput, sed conuenit animali, in quantum est capitatum. Debent autem relatiuis innominatis imponi nomina per analogiam, & proportionem ad ea, quibus nomina sunt imposita: ex. gr. quia ab ala impositum est nomen alati, à temone debet imponi nomen temonati. Patet igitur, quod omnia, quæ dicuntur ad aliquid, dicuntur ad conuertentiam, si conuenienter sumantur: si verò non conuenienter sumantur, non dicuntur ad conuertentiam. Seruus enim licet manifestissimè dicatur cum conuertentia ad dominum, tamen si terminus serui assignetur homo, vel bipes, vel aliquid, ad quod per accidens, & materialiter dicitur seruus, eo ipso non dicitur ad conuertentiam: homo enim, & bipes non est serui homo, vel bipes.

6 Vt verò conuenienter fiat assignatio termini in relatiuis, tradit Aristoteles hanc regulam. Assignandum est pro termino id, quo remanente, & circumscriptis, seu sublatis omnibus alijs, adhuc relatiuum dicitur ad ipsum: ex. gr. terminus serui non debet assignari homo, vel bipes, sed dominus. Ratio est, quia remanente domino, seu dominus sit homo, seu Angelus, seu sit bipes, seu carens pedibus, adhuc seruus erit domini seruus. Similiter terminus alæ non est auis, sed alatum: si enim detur auis non alata, ala non erit talis auis; si verò detur alatum, quod non sit auis, sed draco, adhuc ala erit talis alati.

7 *Videntur autem ipsa ad aliquid simul esse natura: & in plurimis quidem verum est: in aliquibus vero non verum. Simul enim duplum & dimidium sunt: & cùm sit dimidium, duplum est: & cùm sit dominus, seruus est: & cùm sit seruus, dominus est: similiter autem his & alia. Simul autem hæc auferunt sese inuicem: si enim non sit duplum, non erit dimidium: & si non sit dimidium, non erit duplum. Similiter autem & in alijs, quæcunque talia sunt. Non autem in omnibus his quæ ad aliquid, verum videtur, esse simul natura. Scibile enim scientia prius videbitur esse: nanque in pluribus præexistentibus rebus scientias accipimus: in paucis enim vel nullo, quisquam hoc perspiciet simul cum scibili scientiam esse factam. Amplius, scibile sublatum simul aufert scientiam: scientia verò simul non aufert scibile. Nam si scibile non sit, non erit scientia: nullius enim erit scientia. Scientia vero si non sit, nihil prohibet esse scibile: vt circuli quadratura si est scibilis, scientia quidem eius nondum est: ipsa verò scibilis est. Amplius, animali quidem sublato non erit scientia: scibilium vero plurima esse contingit.*

8 *Similiter autem his sese habent ea quæ de sensu sunt. Sensibile enim prius quàm sensus esse videtur. Sublatum enim sensibile simul aufert sensum: sensus verò sensibile non simul aufert. Sensus enim circa corpus & in corpore sunt: sensibili autem sublato, aufertur & corpus: sensibile enim corpus est. Cùm autem corpus non sit, aufertur & sensus. Quare simul aufert sensibile sensum: Sensus verò sensibile non simul aufert. Sublato enim animali, sensus quidem aufertur. Sensibile autem erit corpus: vt calidum, dulce, amarum, & omnia alia quæcunque sunt sensibilia. Amplius, sensus quidem simul cum sensitiuo fit: simul enim fit animal, & sensus: sensibile vero ante animal aut sensum est. Ignis enim, & aqua, & alia huiusmodi, ex quibus ipsum animal constat, ante sunt quam animal omnino sit aut sensus: quare prius sensibile quam sensus esse videbitur.*

7 Quarta proprietas relatiuorum est, vt quædam relatiua sint simul natura, ita vt neutrum ipsorum possit formaliter poni, quin simul ponatur aliud, neutrum possit tolli, quin simul tollatur aliud: quædam è conuerso non sint simul natura. Ex. gr. pater, & filius sunt simul natura, quia non potest aliquis esse pater actu, filio non existente, nec potest desinere esse pater, filio remanente; duplum etiam, & dimidium; dominus, & seruus sunt simul natura, ex eadem ratione. E conuerso scientia & scibile non sunt simul natura, sed scibile videtur esse prius, quam scientia. Probatur primo, quia quæ sunt simul natura non ita se habent, vt vnum sit ante aliud; sed pleraque scibilia sunt antequam à nobis sciantur, pauca verò, vel nulla scibilia sunt,

ſunt, quæ eo ipſo, quod ſunt ſciantur à nobis; ergo, &c. Secundo probatur, quia quæ ita ſe habent, vt vno ablato, auferatur aliud, non autem è conuerſo, non ſunt ſimul natura; ſed illud, quo ablato aliud aufertur, eſt prius; ſed ſcibile, & ſcientia ita ſe habent, vt ablato ſcibili, eo ipſo auferatur ſcientia, ablata ſcientia non eo ipſo auferatur ſcibile; poteſt enim non dari ſcientia de aliquo, & tamen illud eſſe ſcibile, eo pacto, quo non datur ſcientia, ac demonſtratio de quadratura circuli, & tamen quadratura circuli eſt ſcibilis; ergo ſcientia & ſcibile non ſunt ſimul natura, ſed ſcibile eſt prius, ſcientia eſt poſterior. Confirmatur; quia animali ſublato, aufertur ſcientia; ſed adhuc animali ſublato, poſſunt remanere multa ſcibilia; ergo poteſt auferri ſcientia, & adhuc remanere ſcibile.

8 Proportionalibus rationibus probatur ſenſibile eſſe prius ſenſu. Primo enim ablato ſenſibili aufertur ſenſus, ablato ſenſu non aufertur ſenſibile; ergo ſenſibile eſt prius ſenſu. Probatur prima pars antecedentis, quod ablato ſenſibili, auferatur ſenſus: omnis enim ſenſus eſt in aliquo corpore; ſed ablato ſenſibili aufertur omne corpus, cum omne corpus ſit ſenſibile; ergo ablato ſenſibili aufertur ſenſus. Probatur ſecunda pars antecedentis, quod ablato ſenſu, non auferatur ſenſibile: ablato enim animali, aufertur ſenſus, cum ſenſus non poſſit eſſe niſi in animali; ſed ablato animali, adhuc poſſunt remanere corpora ſenſibilia, calida, frigida, dulcia, amara, &c. ergo ablato ſenſu non eo ipſo aufertur ſenſibile. Confirmatur, quia ſenſus fit ſimul cum animali, nec eſt ante animal; ſed ſenſibilia ſunt ante animal; ergo, &c. Probatur minor, quia elementa vt ignis, aqua, &c. ſunt ante animal, cum ex ipſis animal fiat; ſed elementa ſunt ſenſibilia; ergo ſenſibilia ſunt ante animal, adeoque ſenſibilia ſunt ante ſenſum, & ſunt priora ſenſu.

9 *Habet autem dubitationem, vtrum nulla ſubſtantia ad aliquid dicatur, quemadmodum videtur, an hoc contingat ſecundum quaſdam ſecundas ſubſtantias. Nam in primis ſubſtantijs verum eſt. Nam neque tota, neque partes primarum ſubſtantiarum dicuntur ad aliquid. Nam quidam homo non dicitur alicuius quidam homo, neque quidam bos alicuius quidam bos. Similiter autem & partes. Quædam enim manus non dicitur alicuius quædam manus, ſed alicuius manus: & quoddam caput non dicitur alicuius quoddam caput, ſed alicuius caput. Similiter autem & in ſecundis ſubſtantijs, atque hoc quidem in pluribus: vt homo non dicitur alicuius homo, nec bos alicuius bos, nec lignum alicuius lignum, ſed alicuius poſſeſſio dicitur. In huiuſmodi ergo manifeſtum eſt, quoniam non ſunt ad aliquid. In aliquibus verò ſecundis ſubſtantijs habet dubitationem. Vt caput alicuius caput dicitur, & manus alicuius dicitur manus, & ſingula huiuſmodi. Quare hæc fortaſſe ad aliquid eſſe videbuntur.*

10 *Si igitur ſufficienter eorum quæ ſunt ad aliquid, definitio aſſignata eſt, aut omnino difficile, aut impoſſibile eſt oſtendere quòd nulla ſubſtantia eorum quæ ſunt ad aliquid dicitur. Si autem non ſufficienter, ſed ſunt ad aliquid, quibus hoc ipſum eſt eſſe, ad aliquid quodammodo ſe habere, fortaſſe aliquid contra iſta dicetur. Prior verò definitio ſequitur quidem omnia ea quæ ſunt ad aliquid, non tamen in ipſis idem eſt: cum eo quod eſt eſſe ad aliquid, ipſa quæ ſunt, aliorum dicantur.*

9 Quoad ſecundum: proponit Ariſtoteles dubium contrà allatam definitionem relatiuorum. Videtur enim ſequi, quod quædam ſecundæ ſubſtantiæ ſint relatiuæ. Licet enim primæ ſubſtantiæ tum totales, tum partiales non dicantur ad aliquid: Petrus enim non eſt alicuius Petrus; Paulus non eſt alicuius Paulus; hæc manus non dicitur alicuius hæc manus, & hoc caput non dicitur alicuius hoc caput: & licet etiam quædam ſecundæ ſubſtantiæ totales non dicantur ad aliquid; ex. gr. homo, & equus non dicuntur alicuius homo, vel equus, licet equus dicatur alicuius poſſeſſio, ideoque poſſeſſio ſit relatiua: tamen quædam ſecundæ ſubſtantiæ partiales dicuntur alicuius, vel ad aliquid: nam manus dicitur alicuius manus; caput alicuius caput; ſed abſurdum eſt, quod ſubſtantia, quæ eſt ens omninò abſolutum ſit relatiua; ergo definitio allata non eſt bona.

10 Reſpondet, quod admiſſa allata definitione, difficile, imo impoſſibile eſt ſaluare, quod nulla ſubſtantia ſit relatiua, ideòque ponit aliam definitionem relatiuorum dicens: *Ad aliquid ſunt, quibus hoc ipſum eſt eſſe, ad aliquid quodammodo ſe habere.*

Non

Non sufficit igitur ad hoc, vt aliqua sint relatiua, quod dicantur ad aliquid, vt ponit prima definitio; sed requiritur, vt ipsum esse relatiuorum, & eorum essentia sit *esse ad aliquid, & certo modo se habere ad illud, ad quod dicuntur*. Ita *esse Patrem* est relatiuum; quia non solum pater dicitur filij pater, sed ipsum *esse patrem*, & essentia patris formaliter sumpti est *taliter se habere ad filium*. Ex eadem ratione *esse duplum, dimidium, &c.* sunt relatiua. At *esse caput, vel manum* non est relatiuum, quia licet caput sit capitati caput, tamen ipsum *esse capitis* non consistit in hoc, quod est *habere ordinem ad capitatum*, sed in alijs prædicatis absolutis, ex quibus sequitur talis ordo. Similiter manus, pes, & aliæ substantiæ partiales non sunt relatiuæ ex eadem ratione.

11 *Ex his autem manifestum est, quòd si quis aliquid eorum quæ sunt ad aliquid, definite sciet, & illud ad quod dicitur, definite sciturus est. Manifestum igitur & ex ipsis est. Si enim nouit aliquis hoc quod ad aliquid est (est autem esse ijs, quæ ad aliquid sunt, idem ac ad aliquid aliquo modo se habere) & illud nouit, ad quod hoc aliquo modo se habet. Si enim non nouit omnino ad quod hoc aliquo modo se habet: neque si ad aliquid hoc aliquo modo se habet, noscet. Sed & in singulis palam hoc est. Vt si quid nouit quis definite, quod duplum est, & cuius duplum est, mox definite nouit. Si enim nullius definitorum nouit ipsum duplum esse, neque si sit duplum omnino nouit. Similiter autem & hoc aliquid si nouit quis quod melius est, & quo melius est statim definite necessarium est nosse. Propter hac autem non indefinite hoc cognoscet, quòd hoc est peiore melius. Suspicio enim hæc est, non scientia. Non enim adhuc sciet exacte quod est peiore melius. Si enim sic accidit, nihil est deterius ipso. Quapropter palam est quod necessarium est, si nouerit quis aliquod relatiuorum definite, & id ad quod definite necesse est nosse. Caput vero & manus, & eorum singula, quæ substantiæ sunt, ea ipsa quæ sunt sciri definite possunt: ad quod vero dicantur non est necessarium scire. Cuius enim hoc caput, vel cuius hæc manus sit, non est scire definite. Quare non erunt hæc ad aliquid. Si verò non sunt hæc eorum quæ sunt ad aliquid, verum erit dicere quòd nulla substantia eorum est quæ sunt ad aliquid. Fortasse autem difficile sit de eiusmodi rebus vehementer asserere, nisi ea sæpe pertractata sint. Dubitasse autem de horum vnoquoque non est inutile:*

11 Ex tradita definitione infert Aristoteles proprietatem relatiuorum esse, vt sint simul cognitione, & definitione, ita vt non possit quis vnum relatiuum definitè cognoscere, quin definitè cognoscat terminum. Ratio est manifesta, quia essentia relatiui est *ad aliquid se habere*; ergo impossibile est per definitionem scire eius essentiam, quin sciatur, quod ad aliquid sic se habet, adeoque quin cognoscatur terminus: si verò quis non cognoscat terminum, ad quem certo modo se habet relatiuum, neque cognoscit definitè essentiam relatiui, quæ consistit in hoc, vt ad talem terminum sic se habeat. Confirmatur inductione relatiuorum, in quibus patet, quod non possit vnum sciri definite, quin cognoscatur aliud: Si quis nouit definitè duplum, cognoscit, quod duplum est bis tantum, quantum est aliud, respectu cuius est duplum; ergo cognoscit subduplum, cuius essentia est, vt alterum sit bis tantum, quantum est ipsum, & si non cognoscat subduplum, neque definitè cognoscet duplum. Similiter si quis cognoscat aliquid esse melius, cognoscet, quod est deteriore melius: si verò non cognoscat, ac sciat definitè, quod est deteriore melius, sed dubitet, an sit aliquid deterius ipso, nec cognoscet, aut sciet definitè, quod sit melius, sed solum suspicabitur esse melius, sicut suspicatur aliquid esse deterius ipso; ergo vniuersim qui definitè scit vnum relatiuum, scit etiam definitè id, ad quod dicitur, adeoque est proprietas relatiuorum, vt non possit vnum definitè sciri, quin cognoscatur aliud. Hæc autem proprietas non conuenit substantijs partialibus. Possumus enim scire definitè caput, manum, & alias partes substantiales, quin sciamus definitè cuius hæc sint manus, aut caput, cum aliud sit *esse caput*, aliud sit respectus ad rem capitatam; ergo caput, & aliæ substantiæ partiales non sunt relatiuæ; ergo vniuersim nulla substantia est relatiua. Concludit Aristoteles, quod difficile est aliquid certum circa hæc statuere, nisi sæpius fuerint pertractata, sed est vtile dubitando hanc quæstionem mouisse.

De qualitate, & quali.
Cap. IV. vel IX.

1 *QVALITATEM verò dico, secundum quam quales quidam esse dicuntur.*

2 *Est autem qualitas, eorum quae multipliciter dicuntur. Vna quidem igitur species qualitatis, habitus & dispositio dicantur. Differt autem habitus à dispositione, quòd permanentior, & diuturnior est. Tales verò sunt scientia, & virtutes. Scientia enim videtur esse permanentium, & diuturnorum: vt si quis vel mediocriter sumat scientiam, nisi grandis permutatio facta sit, vel ab aegritudine, vel ab aliquo huiusmodi. Simililter autem & virtus, vt iustitia, & temperantia, & singula talium non videntur posse facile moueri, neque facile permutari. Dispositiones verò dicuntur, quae sunt facile mobilia, & cito permutabilia: vt calor, & infrigidatio, & aegritudo, & sanitas, & quaecunque alia huiusmodi. Afficitur enim quodammodo secundum eas homo: cito autem permutatur, & ex calido frigidus fit, & ex sanitate in aegritudinem transit. Similiter autem & in alijs, nisi aliqua earundem contingit per temporis longitudinem congenita, & immobilis, vel omnino difficile mobilis existens, quam iam quispiam, vt habitum vocet. Manifestum est autem quod haec volunt habitus dicere, quae sunt diuturniora, & difficilius mobilia. Nanque disciplinas non valde retinentes, sed facile mobiles existentes, non dicunt habitum habere, & tamen dispositi sunt aliquo modo secundum scientiam peius, meliusue. Quare differt habitus à dispositione, quòd haec quidem facile mobilis sit: ille verò diuturnior, & difficilius mobilis. Sunt autem habitus & dispositiones: dispositiones vero non necesse est habitus esse. Qui enim retinent habitum, & quodammodo dispositi sunt secundum ipsos: qui autem dispositi sunt, non omnino retinent habitum.*

POstquam Aristoteles egit de relatiuis, agit de qualitate, & quali: ac primo definit qualitatem, tum in concreto, tum in abstracto, & enumerat quatuor species qualitatis: secundo proponit proprietates qualitatis, & soluit quandam obiectionem.

1 Quo ad primum: qualitatem definit Aristoteles, *secundum quam quales quidam esse dicuntur*. Supponit igitur per se notum esse, quid sit *esse qualem*. Cum enim omnes quaerant, *qualis est res?* intelligunt id, quod quaerunt, adeoque intelligunt, quid sit *esse qualem*.

2 Qualitas dicitur multipliciter. Prima species qualitatis est habitus, & dispositio. Habitus differt à dispositione per hoc, quod dispositiones sunt facilè mobiles, ac cito mutabiles; habitus autem sunt permanentiores, diuturniores, ac difficilè mobiles, ac permutabiles, vt scientiae, & virtutes: Ex. gr. quando aliquis habet habitum scientiae, non facile illum amittet, nisi magna facta sit mutatio, vel propter ingentem aegritudinem, propter quam inciderit in obliuionem, aut amentiam, vel propter aliam causam: Similiter, si quis habeat habitum virtutis, vt iustitiae, temperantiae, &c. non facile illum amittet. E conuerso calor, & frigus non sunt habitus, sed merae dispositiones, quia facilè mutantur: Rursus sanitas, & aegritudo, cum sunt facilè mutabiles, adhuc non sunt habitus, sed merae dispositiones bonae, vel malae: Cum verò sunt difficilè permutabiles, sunt habitus, secundum quos aliquis dicitur sanus, vel aegrotus habitualiter. Proportionaliter qui in disciplinis, ac virtutibus non sunt firmiter, & immobiliter radicati, non dicuntur habere habitum, sed solum esse bene dispositi. Addit Aristoteles dispositionem comparari ad habitum, sicut genus ad speciem; quia omnis habitus est quaedam dispositio, non omnis dispositio est habitus, quandoquidem si dispositio sit facilè mobilis, non peruenit ad perfectionem habitus.

3 *Aliud verò genus qualitatis est, secundum quod pugillatores vel cursores, vel salubres, vel insalubres dicimus: & simpliciter quaecunque secundum potentiam naturalem, vel impotentiam dicuntur. Non enim, quoniam sunt dispositi aliquo modo, vnumquodque huiusmodi dicitur: sed quod habent naturalem potentiam vel impotentiam facile aliquid facere, vel nihil pati: vt pugillatores, vel cursores dicuntur, non quòd sint dispositi aliquo modo, sed quòd habeant potentiam naturalem vel impotentiam aliquid facilè faciendi. Salubres autem dicuntur eò quòd habeant potentiam naturalem, vt nihil*

à quibuslibet accidentibus facile patiantur: insalubres vero, quod impotentiam habeant naturalem nihil facile à quibuscunque accidentibus patiendi. Similiter autem his durum & molle se habent. Durum enim dicitur, quod habeat potentiam non facile secari: molle verò, quod eiusdem ipsius habeat impotentiam.

3 Secunda species qualitatis est naturalis potentia, & impotentia: ex. gr. potentia naturalis, per quam aliquis etiam ante exercitium actuum est agilis, & aptus ad currendum, vel est robustus, ac firmus, & aptus ad luctandum, vel pugnandum; & similiter impotentia naturalis, per quam aliquis est tardus, & ineptus ad cursum, vel debilis, & ineptus ad luctam, spectat ad secundam speciem qualitatis. Ad eamdem spectat qualitas, per quam aliquis est aptus ad hoc, vt non patiatur à frigore, calore, & alijs huiusmodi, vel est naturaliter obnoxius ad patiendum ab his, quæ qualitas ab Aristotele vocatur salubritas, & insalubritas. Rursus durities est qualitas, per quam aliquid, ex. gr. lignum, habet potentiam, vt non facilè secetur; mollities est qualitas, per quam lignum habet oppositam impotentiam. Porrò omnes istæ qualitates non sunt habitus, & dispositiones, quià non sunt acquisitæ per actus, sed sunt naturales potentiæ, & impotentiæ datæ à natura.

4 *Tertium vero genus qualitatis est, passibiles qualitates, & passiones. Sunt autem huiusmodi vt dulcedo & amaritudo, & austeritas & omnia his cognata. Amplius, & calor, & frigus, & albedo, & nigredo. Quod quidem igitur & hæ qualitates sunt, manifestum est. Quæcunque enim has susceperint, ipsa qualia dicuntur secundum ipsas: vt mel, quoniam dulcedinem suscepit, dicitur dulce: & corpus album, quoniam albedinem suscepit. Similiter & in cæteris. Passibiles vero qualitates dicuntur, non quòd ea, quæ illas susceperint qualitates, aliquid patiantur. Neque enim mel, quoniam aliquid passum sit, dicitur dulce, neque aliquid aliud huiusmodi. Similiter autem his & calor & frigus passibiles qualitates dicuntur, non quòd ea quæ illas suscipiunt, aliquid passa sint: sed quoniam secundum sensus vnaquæque dictarum qualitatum passionis effectiua est, passibiles qualitates dicuntur. Dulcedo enim passionem quandam secundum gustum efficit, & calor secundum tactum: similiter autem & aliæ. Albedo autem, & nigredo, & cæteri colores non eodem modo ijs, quæ dicta sunt, passibiles qualitates dicuntur: sed eò quòd ipsæ ab aliqua passione innascuntur. Quòd enim fiant propter aliquam passionem multæ colorum mutationes, manifestum est. Erubescens enim aliquis, rubeus factus est: & timens pallidus, & vnumquodque talium. Quare etiam si quis natura aliquid talium accidentium, perturbationumue passus est, similem colorem verisimile est eum habere. Quæ enim affectio nunc in eo quod verecundetur circa corpus facta est, etiam secundum naturalem constitutionem eadem fieri potest affectio, vt & naturalis color similis sit.*

4 Tertia species qualitatis dicitur passibilis qualitas, vt dulcedo, amaritudo, austeritas, & his similia; rursus calor, frigus, albedo, nigredo &c. Quod hæ omnes sint qualitates, probat Aristoteles, quia interroganti *qualis est cibus?* respondemus quod est dulcis, vel amarus; interroganti *quale est corpus?* respondemus, quod est album, aut nigrum; ergo dulcedo, amarities, albedo, nigredo &c. sunt qualitates. Ex qualitatibus passibilibus, quædam dicuntur passibiles, non quià nascantur in subiecto ex aliqua passione, sed quia efficiunt aliquam passionem in sensu; aliæ verò dicuntur passibiles, quia nascuntur in subiecto ex aliqua passione: ex. gr. dulcedo dicitur qualitas passibilis mellis, non quià nascatur in melle ex aliqua passione, siquidem mel non dicitur dulce ex eo, quod sit aliquid passum, sed quia efficit aliquam passionem in sensu gustus: similiter calor, & frigus dicuntur passibiles qualitates, non quià nascantur in subiecto ex aliqua passione, sed quia efficiunt aliquam passionem in sensu tactus. E conuerso albedo, nigredo, & cæteri colores dicuntur qualitates passibiles, eo quod nascantur in subiecto ex aliqua passione. Quod autem colores nascantur in subiecto ex aliqua passione, probat Aristoteles, quia sicut in vultu humano ex passionibus fiunt mutationes colorum; nam cum aliquis pudore afficitur, fit rubeus, cum timet fit pallidus; ita verisimile est, quod ex proportionalibus naturalibus passionibus in rebus colores innascantur.

5 *Quæ-*

5 *Quæcunque igitur talium accidentium ab aliquibus passionibus difficile mobilibus & permanentibus principium sumpserunt, passibiles qualitates dicuntur. Siue enim secundum naturalem constitutionem pallor sit aut nigredo, qualitates dicuntur (quales enim secundum eas dicimur) siue propter ægritudinem longam, vel propter æstum eidem contigit nigredo, vel pallor, & non facile prætereunt, vel etiam per vitam permanent, passibiles qualitates & ipsæ dicuntur: similiter enim quales secundum eas dicimur. Quæcunque vero ex ijs, quæ facile soluuntur, & cito transeunt, fiunt, passiones dicuntur, qualitates vero minime. Non enim aliqui secundum ipsas dicuntur quales. Neque enim qui propter verecundiam rubeus factus est, rubeus dicitur: neque cui pallor propter timorem venit, pallidus est: sed magis eò quòd aliquid passus est. Quare passiones quidem huiusmodi dicuntur: qualitates vero minime. Similiter autem his, & secundum animam passibiles qualitates & passiones dicuntur. Quæcunque enim mox in nascendo ab aliquibus passionibus difficulter mobilibus fiunt, qualitates dicuntur & ipsæ: vt amentia, mentis alienatio, & ira, & alia huiusmodi: quales enim secundum eas dicuntur, idest iracundi atque amentes. Similiter autem & quæcunque alienationes non naturales, sed quæ ab aliquibus alijs accidentibus facta sunt difficile prætereuntes, & omnino immobiles, qualitates sunt etiam huiusmodi, quales enim & secundum eas dicuntur. Quæcunque vero ab ijs, quæ facile & cito prætereunt, fiunt, passiones dicuntur: vt si quis contristatus, iracundior fiat. Non enim dicitur iracundus, qui huiusmodi passione iracundior est: sed magis quia aliquid passus. Quare passiones quidem huiusmodi dicuntur: qualitates vero minime.*

5 Ex accidentibus, quæ oriuntur ex passionibus, quædam dicuntur passibiles qualitates, quædam non dicuntur passibiles qualitates, sed meræ passiones. Passibiles qualitates dicuntur, quæ oriuntur ex passionibus difficilè mobilibus, & permanentibus: ex. gr. pallor, & nigredo, per quas aliquis est permanenter niger, vel pallidus, propter naturalem corporis constitutionem, dicuntur qualitates passibiles, quia per illas dicitur quis fieri qualis. Rursus pallor, & nigredo, quæ alicui accidunt propter longam ægritudinem, vel propter æstum, si non facilè permutentur, vel sint permanentes per totam vitam, dicuntur qualitates ex eadem ratione, quia per illas dicimur quales. Interroganti enim, *qualis est Petrus?* bene respondetur, *est pallidus, aut niger*, si permanenter sit pallidus, aut niger. E conuerso, quæ accidunt alicui propter aliquam passionem cito transeuntem, adeoque non multum permanent, sed cito transeunt, non dicuntur qualitates, sed passiones. Ratio est, quia per illas non dicitur quis fieri qualis. Neque enim interroganti, *qualis est Petrus?* bene respondetur, quod est pallidus, vel rubeus, licet de facto propter timorem factus sit transeunter pallidus, vel propter verecundiam factus sit transeunter rubeus. Quod dictum est de accidentibus corporis, proportionaliter dicendum est de accidentibus animæ. Quæ enim accidunt animæ naturaliter, hoc est ab ipsa hominis natiuitate, propter aliquam passionem difficile mobilem, vt amentia, mentis alienatio, iracundia, & alia huiusmodi, dicuntur passibiles qualitates, quia per illas qualis quis dicitur. Interroganti enim, *qualis est Petrus?* bene respondetur, quod est amens, vel iracundus, si permanenter est talis. Amentia etiam, ac mentis alienatio accidens alicui permanenter propter ægritudinem, dicitur qualitas ex eadem ratione. E conuerso quæ accidunt animæ transeunter, propter aliquam passionem facile mobilem, non dicuntur qualitates, sed passiones: ex. gr. si quis propter tristitiam sit pronus ad iram, non idcirco dicitur iracundus, sed solum dicitur pati passionem iræ.

6 *Quartum vero genus qualitatis est figura, & circa vnumquodque constans forma. Amplius autem ad hæc rectitudo, & curuitas, & si quid aliud his simile est. Secundum enim vnumquodque eorum quale quid dicitur: Triangulum enim vel quadrangulum esse quale quid dicitur, & rectum aut curuum. Et secundum etiam formam vnumquodque quale dicitur. Rarum vero & spissum, & asperum & læue putabuntur quidem quale quid significare: sed aliena huiusmodi putantur esse à diuisione, quæ circa quale est. Quandam enim positionem magis videntur partium vtrunque monstrare. Spissum enim dicitur, eò quod partes sibi ipsis propinquæ sint: rarum vero, eò quod distent à se inuicem. Et læue quidem, quòd in rectitudinem*

aliquo modò partes iaceant: asperum vero, quod hæc quidem superet, illa vero sit inferior. Fortasse quidem igitur alius quispiam modus apparuerit qualitatis: sed ferè, qui maximè dicuntur hi sunt. Qualitates itaque sunt, quæ dictæ sunt.

6 Quartum genus qualitatis est forma, & figura: ex. gr. qualitas superficiei est *esse triangularem*, vel *quadrangularem*: qualitas lineæ est *esse rectam, aut curuam:* qualitas est corporis est *esse rotundum, aut quadratum*. Addit Aristoteles rarum, ac densum, seu spissum, asperum, ac læue non tam esse qualitates, quam positiones, ac situs partium. Densum enim, seu spissum est, *cuius partes sunt valde propinquæ*; rarum est *cuius partes distant*; læue est, *cuius partes in rectitudinem quodammodo iacent*; asperum est, *cuius partes ita iacent, vt vna emineat, altera sit depressa*. Concludit Aristoteles fortasse dari etiam alios modos qualitatis, sed hos esse præcipuos, ac magis principales.

7 *Qualia vero sunt, quæ secundum has denominatiue dicuntur, vel quomodolibet aliter ab his. In plurimis itaque & ferè in omnibus denominatiue dicuntur: vt à candore candidus, & à grammatica grammaticus, & à iustitia iustus. Similiter & in alijs. In aliquibus vero, eò quòd non sunt posita qualitati nomina, non contingit ea quæ dicuntur, ab ijs denominatiue dici. Vt cursor, aut pugillator, qui secundum naturalem dicitur potentiam, à nulla qualitate denominatiue dicitur. Non enim posita sunt nomina potentijs, secundum quas isti quales dicuntur: sicuti disciplinis, secundum quas pugiles vel palæstrici secundum dispositionem dicuntur. Pugillatoria enim & palæstrica disciplina dicitur: quales vero ab his denominatiue dicuntur, qui disponuntur. Aliquando autem & posito nomine non dicitur denominatiue, quod secundum eam quale dicitur: vt à virtute studiosus. Eo enim quòd virtutem habeat studiosus dicitur: sed non denominatiuè à virtute. Non autem in pluribus hoc tale est. Qualia ergo dicuntur, quæ denominatiue à dictis qualitatibus dicuntur, aut aliquo modo aliter ab eis.*

7 Post definitionem qualitatis in abstracto, tradit Aristoteles definitionem qualis in concreto, dicens: *qualia sunt, quæ dicuntur denominatiuè à qualitatibus, vel quomodolibet aliter ab illis*. Plurima ergo, ac penè omnia dicuntur denominatiuè à qualitatibus: ex. gr. à candore, qui spectat ad tertiam speciem qualitatis, dicitur denominatiuè candidus; à grammatica, & iustitia dicitur denominatiuè grammaticus, & iustus. Aliqua tamen sunt, quæ non dicuntur denominatiuè à qualitatibus, eo quod talibus qualitatibus non sint imposita nomina: ex. gr. cursor, & pugillator, qui non dicuntur secundum habitum acquisitum, sed secundum naturalem potentiam currendi, ac pugnis certandi, non dicuntur denominatiuè, quia non est impositum nomen naturali potentiæ currendi, ac pugnis certandi, sicut est impositum nomen disciplinis acquisitis currendi, ac pugnis certandi, à quibus disciplinis denominatiuè dicuntur *cursor*, & *pugillator*. Sunt etiam quædam qualitates habentes nomen, à quibus tamen non dicitur denominatiuè subiectum, quod afficitur talibus qualitatibus: ex. gr. virtus habet nomen, & tamen qui virtutem habet, non dicitur virtuosus, sed studiosus. Qualia igitur sunt, quæ dicuntur denominatiuè à qualitatibus, vt accidit in plerisque, vel quomodolibet aliter dicuntur à qualitatibus, vt accidit in aliquibus.

8 *Inest autem & contrarietas secundum qualitatem: vt iustitia iniustitia contraria est, & albedo nigredini, & alia. Similiter autem & ea quæ secundum eas qualia dicuntur: vt iniustum iusto, & album nigro. Non in omnibus autem hoc accidit. Rubro enim aut pallido, aut huiusmodi coloribus nihil est contrarium, qualibus existentibus. Amplius, si contrariorum alterũ fuerit quale, & reliquum erit quale. Hoc autem palam est ex singulis proponenti alia prædicamenta. Vt si est iustitia iniustitiæ contrarium: quale autem est iustitia: quale igitur & iniustitia. Nullum enim aliorum prædicamentorum aptabitur iniustitia, neque quantum, neque ad aliquid, neque vbi, nec omnino aliquid huiusmodi, nisi quale. Sic autem & in alijs, quæ secundum quale sunt cõtraria.*

8 Quoad secundum: prima proprietas qualitatis est, vt quædam habeant contrarium, aliæ non: ex. gr. iustitia est contraria iniustitiæ; virtus vitio; albedo nigredini; iustus etiam est contrarius iniusto; album nigro. E conuerso rubedo, pallor, & colo-

colores medij, licet sint qualitates, adhuc non habent propriè contrarium. Rursus cum vnum contrariorum est qualitas, etiam aliud est qualitas: ex. gr. si iustitia est qualitas, & iniustitia est contraria iustitiæ, etiam iniustitia est qualitas, nec spectat ad prædicamentum quantitatis, neque ad prædicamentum relationis, neque ad prædicamentum loci, neque ad vllum aliud prædicamentum à qualitate distinctum.

9 *Suscipiunt autem qualia magis & minus. Album enim magis & minus album alterum altero dicitur: & iustum alterum altero magis & minus. Sed & ipsa intensionem suscipiunt. Cùm candidum nanque sit, contingit amplius candidum fieri. Non tamen omnia, sed plurima. Iustitia nanque, si dicatur magis & minus iustitia, potest quilibet ambigere: similiter autem & in alijs dispositionibus. Quidam enim dubitant de talibus. Iustitiam nanque iustitia non omnino aiunt magis & minus debere dici, nec sanitatem sanitate. Minus autem habere alterum altero sanitatem aiunt: & iustitiam alterum minus altero habere dicitur. Sic autem & grammaticam, & alias dispositiones. Sed tamen ea, quæ secundum eas dicuntur, indubitanter recipiunt magis & minus. Grāmaticior enim alter altero dicitur, & iustior, & sanior: sic autem & in alijs. Triangulus vero & quadrangulus non videntur magis & minus suscipere: neque aliqua aliarum figurarum. Quæ enim definitionem trianguli recipiunt & circuli, omnia similiter triāguli vel circuli sunt. Eorum autem, quæ non recipiunt rationem eandem, nihil magis alterum altero dicetur. Nihil enim quadratum magis quam parte altera longius, circulus est: neque alterum enim recipit circuli rationem. Simpliciter autem, si vtraque non recipiunt propositi rationem, non dicetur alterum altero magis; non ergo omnia qualia recipiunt magis & minus. Horum itaque, quæ prædicta sunt, nullum est proprium qualitatis.*

9 Secunda proprietas qualitatis est, vt quædam qualia in concreto suscipiant magis, & minus: ex. gr. vnus est altero iustior; vnus est magis albus, quam alter: imo potest idem, qui est iustus, fieri magis iustus; & potest idem, qui est albus, euadere magis albus. Videtur tamen, quod qualitates in abstracto non suscipiant magis, & minus: nam vna iustitia non est magis iustitia, quam alia; nec vna sanitas est magis sanitas, quam alia. Imo figuræ neque in concreto suscipiunt magis, & minus. Neque enim vnum triangulum est magis triangulum, quam aliud; neque vnus circulus est magis circulus, quam alius. Vel enim comparantur ea, quibus propriè conuenit definitio circuli, & trianguli, vt duo circuli, & duo trianguli; & ex his neuter est magis circulus, quam alius, neuter est magis triangulus quam alius: vel comparantur ea, quibus non conuenit definitio circuli, ac trianguli, vt quadratum, & altera parte longius; & ex his etiam neuter est magis circulus, ac triangulus, quam alius: neque enim quadratum magis est circulus, quam altera parte longius sit circulus &c. Addit Aristoteles, quod ex his duabus proprietatibus, neutra est proprietas qualitatis quarto modo.

10 *Similia vero, aut dissimilia secundum solas dicuntur qualitates: simile enim & dissimile alterum alteri non est secundum aliud, nisi secundum id quod quale est. Quare proprium est qualitatis secundum eam simile, vel dissimile dici.*

11 *At verò non decet conturbari, ne quis nos dicat de qualitate propositum facientes, multa eorum, quæ sunt ad aliquid connumerasse: habitus enim & dispositiones eorum quæ ad aliquid sunt, esse dicebamus.*

12 *Penè enim in omnibus qualitatibus genera ad aliquid dicuntur: nihil autem eorum quæ sunt singularia. Nam cùm disciplina genus sit, idipsum quod est alterius dicitur: alicuius enim disciplina dicitur. Eorum vero quæ singularia sunt, nihil ipsum quo ad alterius dicitur, vt grammatica non dicitur alicuius grammatica: nec musica alicuius alterius musica. Sed fortè secundum genus & hæ ad aliquid dicuntur: vt grammatica alicuius dicitur disciplina, non alicuius grāmatica: & musica alicuius disciplina, non alicuius musica. Quapropter quæ singularia quidem sunt, non sunt ad aliquid. Dicimur autem quales secundum singula: hæc enim & habemus. Scientes enim dicimur, eò quòd habemus singularum scientiarum aliquas. Quare hæ erunt etiam qualitates, quæ singulares sunt, secundum quas aliquando & quales dicimur: hæ autem non sunt eorum quæ sunt ad aliquid. Amplius, si contingit idem ipsum & quale & ad aliquid esse,*

se, nihil est inconueniens in vtrisque hoc generibus enumerare.

10 Tertia proprietas quarto modo qualitatis est, vt secundum qualitates res dicantur similes, & dissimiles. Neque enim res propriè dicuntur similes, ac dissimiles nisi in qualitate.

11 Opponit Aristoteles contrà doctrinam traditam: quædam, quæ enumerata sunt inter qualitates, dicuntur *ad aliquid*, adeoque spectant ad prædicamentum relationis; ergo confunduntur prædicamenta. Probatur antecedens: nam habitus, & dispositiones, alicuius sunt habitus, ac dispositiones; ergo &c.

12 Respondet Aristoteles dupliciter: primo, quod habitus, & dispositiones dicuntur ad aliquid secundum genus commune, non verò secundum proprias species: ex. gr. disciplina, quæ est genus ad grammaticam, musicam &c. dicitur alterius disciplina: at grammatica, musica &c. non dicuntur alterius grammatica, neque alterius musica, sed solum dicuntur alterius disciplinæ; ergo species particulares non dicuntur ad aliquid; sed nos dicimur quales à speciebus particularibus, quas habemus in nobis: ex. gr. dicimur grammatici eo quod habeamus grammaticam; dicimur etiam scientes, eo quod habeamus aliquam ex scientijs particularibus; ergo dicimur quales à qualitatibus, quæ secundum rationem specificam non sunt ad aliquid, licet secundum genus sint ad aliquid. Secundo respondet, quod si idem sit quale, & ad aliquid, non est inconueniens, quod ponatur in vtroque genere, & prædicamento, qualitatis nimirum, & relationis.

De Actione, & Passione. Cap. V. vel X.

1 *Recipit autem agere & pati contrarietatem, & magis & minus. Calefacere enim ei quod est frigefacere contrarium est, & calefieri ei quod est frigefieri, & delectari ei quod est contristari. Quare suscipiunt contrarietatem. Et magis & minus. Est enim calefacere & magis & minus, & calefieri magis & minus, & tristari magis & minus. Suscipiunt igitur magis & minus agere & pati. De his igitur tot dicuntur.*

1 Postquam Aristoteles fusius egit de primis quatuor prædicamentis, breuissimè expedit, quæ spectant ad actionem, & passionem, & reliqua prædicamenta. Assignat duas proprietates actionis, & passionis. Prima est, quod agere, & pati habent contrarium: secunda est, quod suscipiunt magis, & minus. Quod habeant contrarium, patet: nam frigefacere, & calefacere sunt contraria, & significant actionem; frigefieri, & calefieri, delectari, & contristari sunt contraria, & significant passionem. Quod suscipiant magis, & minus, patet: potest enim aliquid magis, aut minus calefacere; potest magis, aut minus calefieri; potest magis, aut minus tristari. Cum verò vtraque proprietas conueniat, etiam aliquibus alijs prædicamentis, patet neutram esse proprietatem actionis, aut passionis quarto modo.

De Reliquis prædicamentis. Cap. VI. vel XI.

1 *Dictum est & de eo, quod est situm esse in ijs quæ sunt ad aliquid, quod denominatiuè à positionibus dicitur. De reliquis vero, id est Quando, & Vbi, & Habere: propterea quòd manifesta sunt, nihil de ipsis aliud dicitur, quàm quæ in principio dicta sunt: quòd Habere quidem significat calceatum esse, armatum esse. Vbi verò, ut in lyceo, in foro. & alia quæcunque de his dicta sunt. Igitur de omnibus generibus, quæ proposuimus, sufficiunt quæ dicta sunt.*

1 Quoad situm, dictum est cap. 3. vel 8. de relatiuis num. 1. quod situs dicitur per denominationem à positionibus, quæ dicuntur ad aliquid. De reliquis tribus prædicamentis, quæ sunt *quando*, *vbi*, & *habere*, quià sunt manifesta, nihil est addendum præter ea, quæ de ipsis dicta sunt tractatu 1. cap. 5. *Habere* enim significat *calceatum esse, armatum esse &c.* *vbi* significat *esse in lyceo, vel in foro &c.* Hæc igitur de decem prædicamentis dicta sufficiant.

TRA-

TRACTATVS III.

DE POSTPRAEDICAMENTIS.

De Oppositis. Caput I. vel XII.

1 *DE oppositis autem quot modis solent opponi dicendum est. Dicitur enim alterum alteri opponi quadrupliciter, aut vt ea quæ ad aliquid, aut vt contraria, aut vt priuatio & habitus, aut vt affirmatio, & negatio. Opponitur autem vnumquodque istorum, vt sit figuratim dicere, tanquam ea quæ ad aliquid quidem, vt duplum dimidio: tanquam contraria, vt malum bono: tanquam autem secundum priuationem & habitum, vt cæcitas, & visio: tanquam vero affirmatio, & negatio, vt sedet, non sedet.*

2 *Quæcumque igitur ad aliquid opponuntur, ea ipsa quæ sunt oppositorum dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ipsa: vt duplum dimidij, hoc ipsum quod est, alterius dicitur: alicuius enim duplum dicitur: & scientia scibili, tanquam ea quæ sunt ad aliquid opponitur, & dicitur scientia ipsum quod est scibilis: & scibile dicitur ipsum, quod est ad oppositum ad scientiam. Scibile enim aliquo dicitur, scilicet scientiæ scibile. Quæcumque ergo opposita sunt tanquam ad aliquid, ea ipsa quæ sunt oppositorum, vel alio quolibet modo ad inuicem dicuntur.*

POSTQVAM Aristoteles egit de singulis prædicamentis in particulari, agit de quibusdam, quæ quia consequuntur omnia, vel pleraque prædicamenta, tanquam quædam illorum proprietates, & accidentia, vocantur postprædicamenta. Sunt autem hæc numero quinque. *Oppositio, prius, simul, motus,* & *habere*. Oppositio, prioritas, & simultas conueniunt aliqualiter omnibus prædicamentis; nam & omnia prædicamenta habent inuicem oppositionem, cum sint primo diuersa; & diuiduntur in suas species per oppositas differentias; & in singulis genus est aliquo modo prius, quam species; & genus, & species sunt simul tempore. Motus latè sumptus pro mutatione, sequitur ad quatuor prædicamenta, substantiam nimirum, quantitatem, qualitatem, & locum. *Habere* præsertim consequitur ad substantiam, cum substantia dicatur habere accidentia &c.

1 Primo igitur Aristoteles agens de oppositis, docet quod opposita dicuntur quadrupliciter: relatiuè nimirum, contrariè, priuatiue, hoc est vt habitus, & priuatio, ac contradictoriè, hoc est vt affirmatio, & negatio. Ex. gr. duplum opponitur relatiuè dimidio; malum opponitur contrariè bono; cæcitas opponitur priuatiuè visioni; *sedet*, & *non sedet* opponuntur contradictoriè, seu tanquam affirmatio, ac negatio.

2 Relatiuè opponuntur, *quæ hæc ipsa, quæ sunt, oppositorum esse dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ipsa opposita*: ex.gr. duplum opponitur relatiuè dimidio, quia duplum, hoc ipso, quod est duplum, dimidij est duplum; similiter disciplina, & disciplinatum opponuntur relatiuè, quia disciplina est disciplinati disciplina, disciplinatum disciplina est disciplinatum; ergo vniuersim relatiuè opposita sunt, *quæ hoc ipsum, quod sunt, oppositorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad opposita*.

3 *Illa verò, quæ opponuntur vt contraria, ea ipsa quidem quæ sunt nullo modo ad se inuicem dicuntur: contraria tamen sibi inuicem dicuntur: neque enim bonum mali dicitur bonum, sed contrarium. Quare differunt ab inuicem hæ oppositiones.*

4 *Quæcumque verò contrariorum talia sunt, vt in quibus nata sunt fieri, & de quibus prædicantur, necessarium sit alterum ipsorum inesse, horum nihil est medium. Quorum verò non est necessarium alterum inesse, horum omnino est aliquid medium. Vt ægritudo & sanitas in corpore*

pore animalis nata sunt fieri, & necessarium est alterum ipsorum inesse animalis corpori, vel ægritudinem, vel sanitatem. Et par quidem & impar de numero prædicantur: & necesse est horum alterum numero inesse vel par vel impar: & non est horum aliquod medium, neque ægritudinis & sanitatis, neque imparis atque paris. Quorum autem non est necessarium alterum inesse, eorum est aliquod medium: Vt nigrum & album in corpore animalis nata sunt fieri, & non est necessarium alterum eorum inesse corpori. Non enim omne corpus vel album, vel nigrum est. Sed & prauum & studiosum prædicantur quidem de homine & de alijs compluribus: non est autem necessarium alterum eorum inesse ijs, de quibus prædicantur. Non enim omnia aut praua, aut studiosa sunt, sed est aliquid eorum medium: vt albi & nigri fuscum & pallidum, & quicunque alij colores; praui verò & studiosi, quod neque prauum neque studiosum est. In aliquibus igitur medijs posita sunt nomina: vt albi & nigri, fuscum & pallidum & quicunque alij huiusmodi colores: in aliquibus verò non est nomine facile medium assignare. Vtriusque verò extremorum negatione medium definitur: vt quod neque bonum, neque malum est, neque iustum, neque iniustum.

3 Contrariè opponuntur, *quæ hac ipsa, quæ sunt, nullo modo ad se inuicem dicuntur, sed contraria sibi inuicem dicuntur*. Ex. gr. bonum, & malum non opponuntur relatiuè, quia bonum non dicitur mali bonum, sed solum dicitur contrarium malo, ideoque opponuntur contrariè: similiter albũ, & nigrum non opponuntur relatiuè, sed contrariè, quia album non dicitur nigri album, sed dicitur contrarium nigro. Differunt igitur opposita relatiuè ab oppositis contrariè, quod opposita relatiuè dicuntur esse alterius oppositi, vel quomodolibet ad alterum oppositum; at opposita contrariè non dicuntur alterius, sed solum dicuntur contraria alteri.

4 Ex contrarijs, quædam non habent medium positiuum, quædam habent medium positiuum. Ea non habent medium positiuum, quorum alterum necessario inest subiecto proprio, in quo nata sunt fieri, & de quo nata sunt prædicari: ex. gr. quia in corpore viuo animalis necessario inest ægritudo, vel sanitas, ideò sanitas, & ægritudo ita sunt contraria, vt non habeant medium positiuum: quia numerus necessario est vel par, vel impar, ideo par, & impar ita sunt contraria, vt non habeant medium positiuum. Ea contraria habent medium positiuum, quorum non est necessarium alterum inesse subiecto proprio: ex. gr. non est necessarium, vt corpus animalis sit album, aut nigrum, cum possit esse pallidum, aut fuscum, aut rubrum; ideò album, & nigrum sunt colores ita contrarij, vt inter eos dentur colores medij: similiter potest homo nec esse bonus, neque malus, ideoque inter bonum, & malum datur medium, hoc est homo, qui neque sit bonus, neque malus. Addit Aristoteles medium contrariorum aliquando habere nomen proprium, vt in coloribus; aliquando non habere nomen proprium, vt in bonitate, & malitia. Medium, quod non habet nomen propriũ, definitur per negationem vtriusque extremi: ex. gr. medium inter bonum, & malum est, quod neque est bonum, neque malum; medium inter iustum, & iniustum est, quod neque est iustum, neque iniustum.

5 *Priuatio verò & habitus dicitur quidem circa idem aliquid: vt visio & cæcitas circa oculum. Vniuersaliter autem dicere est, in quo natus est habitus fieri, circa hoc dicitur vtrunque eorum fieri. Priuari verò tunc dicimus vnumquodque habitus susceptibilium, quando in quo natum est inesse, vel quando illud natum est habere, nullo modo insit. Edentulum enim dicimus, non quod non habet dentes, & cæcum, non quod non habet visum: sed quod non habet, quando natum est habere. Aliqua enim ex natiuitate, neque dentes habent, neque visum: sed non dicuntur edentula, neque cæca.*

6 *Priuari verò & habere habitum non est priuatio & habitus. Habitus enim visus est; priuatio verò cæcitas: habere autem visum, non est visus, nec cæcum esse, cæcitas. Priuatio enim quædam est cæcitas: cæcum verò esse, priuari, non priuatio est. Amplius, si idem esset cæcitas, & cæcum esse, vtraque de eodem prædicarentur: sed cæcus quidem dicitur homo: cæcitas verò homo nullo modo dicitur. Opponi quidem etiam ista videntur, priuari scilicet, & habere habitum, quemadmodum priuatio & habitus. Idem enim modus est*

oppo-

oppositionis. Nam sicut cæcitas visui opponitur, sic cæcum esse, & visum habere opponuntur. Non est autem neque hoc, quod sub affirmatione & negatione est, affirmatio & negatio. Affirmatio namque oratio affirmatiua est, & negatio oratio negatiua: quod verò sub affirmatione & negatione est, nulla est oratio, sed res. Dicuntur autem hæc esse opposita ad inuicem, tanquam affirmatio & negatio: nam & in his modus oppositionis idem est. Sicut enim affirmatio ad negationem opponitur, vt quod sedet, ei quod non sedet, sic & res quæ sub vtroque est opponitur, scilicet sedere aliquem ad non sedere.

5 Priuatiuè opponuntur forma, & carentia formæ circa idem subiectum aptum habere vtrumque: ex. gr. respectu oculi priuatiuè opponuntur cæcum, & habens visum. Subiectum capax tum solum dicitur priuari, quando ex sua natura est aptum habere formam, & non habet: ex. gr. canis recens natus, licet non habeat visum, adhuc non dicitur cæcus, quia adhuc non debet visum habere; sed cum debet habere visum, & non habet, tum dicitur cæcus: similiter infans carens dentibus, non dicitur edentulus, quia non debet habere dentes; si verò tum homo careat dentibus, cum debet habere dentes, dicitur edentulus.

6 Addit Aristoteles, quod non est idem *priuari, & priuatio, habere habitum*, & *habitus*. Probat primo: si enim idem esset habere habitum, & habitus, cum visus sit habitus, idem esset habere visum, & visus: similiter si idem esset *priuari, & priuatio*, cum cæcitas sit priuatio, idem esset priuari visu, seu esse cæcum, & cæcitas; quod est falsum: nam *esse cæcum* est priuari visu, non autem priuatio visus. Secundo probat, quia si idem esset cæcitas, & *esse cæcum*, de omni, de quo dicitur *esse cæcum*, posset dici cæcitas, quod est falsum: de homine enim potest dici, quod sit cæcus, non autem, quod sit cæcitas. Adhuc tamen *priuari*, & *habere habitum* eodem pacto opponuntur, sicut priuatio, & habitus: ex. gr. eodem genere oppositionis, quo opponuntur visus, & cæcitas, opponuntur *habere visum* & *esse cæcum*. Sicut non est idem priuari, & priuatio, habere habitum, & habitus, sic quod affirmatur, aut negatur non est idem cum affirmatione, aut negatione. Affirmatio enim, & negatio sunt oratio: quod autem affirmatur, aut negatur non est oratio, sed res. Dicuntur tamen res affirmatæ, & negatæ opponi sicut affirmatio, & negatio. Sicut enim orationi dicenti *Petrus sedet*, opponitur oratio dicens *Petrus non sedet*; sic sedere opponitur *non sedere*.

7 *Quod autem priuatio & habitus non opponuntur vt ad aliquid, manifestum est. Non enim dicitur id ipsum quod est oppositi. Visus enim non est cæcitatis visus, nec vllo alio modo ad ipsum dicitur. Similiter autem neque cæcitas visionis cæcitas dicitur: sed priuatio quidem visionis dicitur, cæcitas verò visionis non dicitur, neque visus cæcitatis. Amplius ad aliquid omnia ad conuertentia dicuntur. Quare, si cæcitas eorum, quæ ad aliquid sunt, esset, vtique & conuerteretur ad illud ad quod dicitur. Sed non conuertitur: non enim dicitur visus cæcitatis visus.*

7 Explicatis relatiuis, contrarijs, & priuatiuis, quia poterat dubitari, an oppositio priuatiua distinguatur à relatiua, & à contraria, probat Aristoteles, quod distinguatur, afferendo quædam discrimina inter oppositionem priuatiuam, relatiuam, & contrariam. Primum discrimen oppositionis priuatiuæ à relatiua est: vnum relatiuorum dicitur alterius, vel quomodolibet ad aliud: at habitus, & priuatio non dicuntur alterius, vel quomodolibet ad alterum: nam visus non dicitur cæcitatis visus, nec alio modo dicitur ad cæcitatem: similiter cæcitas non dicitur visionis cæcitas, sed solum dicitur priuatio visionis. Secundum discrimen est: relatiua dicuntur ad conuertentiam, priuatiua non dicuntur ad conuertentiam: licet enim cæcitas dicatur priuatio visus, visus non dicitur visus cæcitatis.

8 *Quod autem neque vt contraria opponuntur quæ secundum priuationem & habitum dicuntur, ex his manifestum est. Contrariorum enim, quorum nihil est medium, necesse est vel in quibus fieri nata sunt, aut de quibus prædicantur, alterum ipsorum inesse semper: eorum enim nihil medium erat, quorum alterum inesse susceptibili necessarium erat, vt in languore & sanitate, & impari atque pari.*

9 *Quorum verò aliquid medium est, nunquam*

quam necesse est omni inesse alterum. Neque enim necesse est omne susceptibile vel candidum, vel nigrum esse, neque frigidum vel calidum: horum enim medium aliquid nihil esse prohibet.

10 *Insuper autem & horum erat aliquid medium, quorum alterum inesse susceptibili non necessarium erat præter illa, quibus vnũ inest naturaliter, vt igni calidum esse, & niui candidum. In his enim determinate necessarium alterum est inesse, & non vtrumuis contingit. Non enim possibile est ignem frigidum esse, neque niuem nigram. Quare omni quidem susceptibili non necessarium est alterum ipsorum inesse, sed solis quibus natura vnum inest: & his determinate vnũ, non vtrumuis contingit. In priuatione autem & habitu neutrum eorum, quæ dicta sunt verum est. Non enim semper alterum eorum inesse susceptibili necessarium est. Quod enim nondum natum est habere visum, neque cæcum, neque visum habens dicitur. Quare non erunt hæc, vt ea contraria, quorum nihil est medium. Sed neque vt ea, quorum aliquid est medium. Necessarium enim est aliquando omni susceptibili alterum eorum inesse. Quando enim iam ad habendam visionem natum fuerit, tunc aut cæcum, aut habens visum dicetur. Et eorum non determinate alterum, sed vtrumuis contingit. Non enim necessarium est vel cæcum, vel visum habens esse, sed vtrumuis contingit. In contrarijs autem, quorum aliquid medium est, nunquam necessarium erat omni susceptibili alterum inesse, sed quibusdam: & his determinate vnum, & non vtrumuis contingit. Vnde palam est, quòd secundum neutrum modorum tanquam contraria opponuntur ea, quæ secundum priuationem, & habitum opponuntur.*

11 *Amplius, in contrarijs quidem cùm sit susceptibile, ad inuicem mutationem fieri possibile est, nisi alicui vnum natura insit, vt igni calidum. Etenim sanum possibile est languere, & candidum nigrum fieri, & calidum frigidum, & ex studioso prauum, & ex prauo studiosum fieri possibile est. Prauus enim ad meliores exercitationes deductus, & doctrinas (etsi ad modicum aliquid proficiat, vt melior sit) si certe semel quamuis modicum incrementum sumpserit, palam est, quia aut perfecte mutabitur, aut satis multum incrementum sumet. Semper enim bene mobilior ad virtutem fit, etiam quodcunque incrementum sumpserit à principio. Quare etiam verisimile est plenius eum sumere incrementum: & hoc dum semper fit, perfecte in contrarium habitum restituetur, nisi fortè tempore prohibeatur. Verum in priuatione & habitu impossibile est adinuicem mutationem fieri. Ex habitu enim in priuationem mutatio fit: à priuatione verò in habitum impossibile est. Neque enim cæcus factus aliquis, rursus vidit: neque cùm fuerit edentulus, dentes ei iterum orti sunt.*

8 Primum discrimen, per quod priuatiua differunt à contrarijs est, quod contraria, quorum non est medium, talia sunt, vt necesse sit eorum alterum semper inesse subiecto capaci, & apto: eo pacto, quo animal semper est, aut sanum, aut ægrotum; numerus semper est par, aut impar: at subiectum capax formæ, & priuationis, potest neutram habere: ex. gr. subiectum capax cæcitatis, ac visus, potest aliquo tempore nec habere visum, nec cæcitatem, vt patet in canibus recenter natis, qui nec habent visum, neque sunt cæci.

9 Secundum discrimen est: ex contrarijs habentibus medium, nunquam est necesse omne subiectum capax habere alterum: ex. gr. nunquam est necesse parietem vel esse album, vel nigrum: at necesse est vt subiectum capax formæ, & priuationis, pro tempore, pro quo est aptum habere formam, vel habeat formam, vel priuationem: ex. gr. necesse est, vt animal, pro tempore, pro quo est aptum habere visum, aut habeat visum, aut sit cæcum.

10 Tertium discrimen est: si necesse est alicui subiecto particulari inesse vnum contrariorum, necessario inest vnum determinatè cum incapacitate alterius contrarij: ex. gr. quia necesse est niuem vel esse nigram, vel albam, necesse est, vt nix determinatè sit alba, cum incapacitate nigredinis: at nullum subiectum est determinatum ad habitum cum incapacitate priuationis, neque est determinatum ad priuationem cum incapacitate habitus: quod enim est cæcum, est capax visus; & quod est visiuum est capax cæcitatis. Explicat hanc doctrinam Aristoteles pluribus verbis, sed hic est sensus.

11 Quartum discrimen est: cum vnum subiectum est susceptibile, & capax vtriusque contrarij, & non se habet, sicut ignis, qui est capax solum alterius ex contrarijs, hoc est caloris, non frigoris; tum subiectum

potest

potest ad inuicem ex vno contrario mutari in aliud: Ex. gr. potest quis ex ægroto fieri sanus,& ex sano ægrotus; ex albo niger,& ex nigro albus; ex calido frigidus, & ex frigido calidus; ex bono prauus,& ex prauo bonus. Quod verò quis ex prauo possit fieri bonus, probat Aristoteles: si enim aliquis, cum sit prauus, instituatur ad virtutem, & in illa exerceatur, incipiet proficere, & fieri melior, & paulatim ità proficiet, vt vel omninò euadat bonus, vel saltem magnum incrementum bonitatis accipiat; ergo quià semper fiet magis dispositus, & magis mobilis ad virtutem, verisimile est, quod paulatim perueniet etiam ad virtutem perfectam, nisi prohibeatur tempore, eo quod moriatur, antequam acquisiuerit perfectam virtutem. E conuerso inter priuationem, & habitum non datur mutua permutatio. Licet enim possit aliquis ex vidente fieri cæcus, & ex dentato edentulus, & ex comato caluus; tamen non potest ex cæco fieri videns, ex edentulo dentatus, & ex caluo comatus, adeoque non datur naturaliter regressus à priuatione ad habitum.

12 *Quæcunque verò tanquam affirmatio & negatio opponuntur, palam est, quod nullo prædictorum modo opponuntur. In solis enim his necessarium est semper, hoc quidem eorum verum, illud autem falsum esse. Neque enim in contrarijs necessarium est semper alterum verum esse, alterum autem falsum: neque in ijs, quæ ad aliquid sunt: neque in habitu & priuatione. Vt sanitas & languor contraria sunt: & neutrum horum neque verum, neque falsum est. Similiter autem & duplum & dimidium tanquam quæ ad aliquid opposita sunt: & non est eorum neutrum, neque verum, neque falsum. Sed neque ea, quæ secundum priuationem & habitum dicuntur: sicut visio & cæcitas. Omnino autem eorum, quæ secundum nullam dicuntur complexionem, nihil neque verum, neque falsum est. Omnia autem quæ dicta sunt, sine complexione dicuntur. Veruntamen maximè tale hoc continget e videbitur in ijs, quæ secundum complexionem contraria dicuntur. Sanum nanque esse Socratem ad languere Socratem contrarium est. Sed neque in his necessarium semper alterum verum esse, & alterum falsum. Cùm enim Socrates sit, aliud quidem verum, aliud autem falsum erit: cùm verò non sit, ambo falsa sunt. Neque enim languere, neque sanum esse verum est, cùm ipse non sit omnino Socrates. In priuatione verò & habitu cùm non sit omnino, neutrum verum est: cùm autem sit, non semper alterum quidem verum erit, alterum autem falsum. Habere nanque visum Socratem ei, quod est cæcum esse Socratem, opponitur, sicut priuatio & habitus. Et cùm sit, non necessarium est alterum verum esse vel falsum. Cùm enim nondum sit natus habere, vtraque falsa sunt: & cùm non sit omnino Socrates, similiter quoque falsa sunt vtraque & visum eum habere, & cæcum eum esse. In affirmatione verò & negatione semper siue sit, siue non sit, hoc quidem falsum erit, illud autem verum. Languere nanque Socratem, & non languere Socratem cùm ipse sit, palam est quòd alterum eorum verum, alterum verò falsum est: & cùm non sit, similiter. Languere etenim cùm non sit, falsum est: non languere autem, verum. Quare in his solis proprium erit semper alterum eorum verum, alterum falsum esse, quæcunque tanquam affirmatio & negatio opponuntur.*

12 Contradictoriè opponuntur, *quæ se habent, sicut affirmatio, & negatio, si ut esse, & non esse*. Proprietas contradictorium est, quod est necessarium, vt de quocunque subiecto alterum ex contradictorijs sit verum, alterum falsum. Probat Aristoteles hanc proprietatem non conuenire alijs oppositis, adeoque oppositionem contradictoriam esse diuersam ab alijs tribus generibus oppositionum: ac primo probat, quod non conueniat incomplexis. Sanitas enim, & ægritudo opponuntur contrariè; duplũ, & dimidium opponuntur relatiuè; cæcitas, & visus opponuntur priuatiuè: & tamen nullum ipsorum est verum, vel falsum, cum incomplexa neque sint vera, neque falsa. Addit neque de oppositis sumptis complexè necesse esse, vt semper alterum sit verum, alterum falsum: ex. gr. de homine non existente neque est verum, quod sit sanus, neque quod sit ægrotus: si enim Socrates non existat, neque est sanus, neque ægrotus; ergo de Socrate non existente neutrum contrariorum verificatur: similiter si Socrates non existat, neque est pater, neque filius; neque est cæcus, neque videns; ergo de Socrate non existente neutrum oppositorum relatiuè, vel priuatiuè verificatur, At etiam si Socrates non existat verificatur

catur de eo, quod vel est ægrotus, vel non est ægrotus; si enim non existat, non est ægrotus; ergo est proprietas contradictoriorum, vt de quocunque subiecto alterum sit verum, alterum falsum.

13 *Contrarium autem bono quidem ex necessitate malum est. Hoc autem per singulorum inductionem palam est. Vt sanitati languor, & iustitiæ iniustitia, & fortitudini timiditas: similiter autem & in alijs. Malo autem aliquando quidem bonum est contrarium, aliquando malum. Defectui enim, cùm malum sit, superabundantia contraria est, cùm sit etiam ipsa malum. Similiter autem & mediocritas, cùm vtrique contraria sit, bonum est. Sed in paucis quis tale hoc aspiciet: in pluribus verò semper malo bonum contrarium est.*

14 *Amplius, contrariorum non necessarium est si alterum sit, & reliquum esse. Sanis nanque omnibus, sanitas quidem erit, languor verò non. Similiter autem albis omnibus, albedo quidem erit, nigredo verò non. Amplius, si ei quod est Socratem sanum esse, Socratem languere contrarium est: non contingit autem simul vtraque eidem inesse: non vtique continget cùm alterum contrariorum sit, & reliquum esse. Cùm enim sit Socratem sanum esse, languere Socratem non erit.*

15 *Palam verò est quòd circa idem, aut specie, aut genere nata sunt fieri contraria. Languor nanque, & sanitas in corpore animalis nata sunt fieri: Albedo autem & nigredo, simpliciter in corpore: Iustitia verò & iniustitia in anima hominis.*

16 *Necessarium autem est omnia contraria, vel in eodem genere esse, vel in contrarijs generibus, vel ipsa genera esse. Album enim & nigrum in eodem genere sunt: color enim eorum genus est. Iustitia verò & iniustitia, in contrarijs generibus: illius nanque virtus genus est, huius autem vitium. Bonum verò & malum non in genere sunt, sed ipsa sunt genera aliquorum existentia.*

13 Enumerat demum Aristoteles aliqua prædicata, & quasi proprietates cõtrariorum. Prima est: id quod est contrarium bono, semper est malum. Patet inductione: nam bono sanitatis contraria est ægritudo; bono iustitiæ contraria est iniustitia; bono fortitudinis contraria est timiditas, quæ sunt mala. Non tamen è conuerso id, quod est contrarium malo, semper est bonum: nam aliquando id, quod est contrarium malo, est etiam malum. Ei enim, quod est malum propter defectum, non solum contraria est mediocritas, quæ est bona, sed etiam excessus, qui est malus: ex. gr. auaritiæ contraria est non solum liberalitas, quæ consistit in mediocritate, & est bona, sed etiam prodigalitas, quæ consistit in excessu, & est mala. Rarò tamen accidit, vt contrarium malo sit malum: plerumque contrarium malo, est bonum.

14 Secundo contraria non possunt simul inesse eidem subiecto: ex. gr. quia *esse sanum*, & *esse ægrotum* sunt contraria, non contingit Socratem esse simul sanum, & ægrotum. Hinc infertur non esse necessarium, vt si datur vnum contrariorum, detur alterum. Nam *Petrum esse sanum* est contrarium huic, quod est, *Petrum esse ægrotum*; *esse album*, est contrarium huic, quod est, *esse nigrum*, & tamen si omnes sint sani, & omnes albi, dabitur sanitas sine ægritudine, & albedo sine nigredine: alioquin idem esset simul album, & nigrum; sanum,& ægrotum; ergo potest dari vnum contrarium sine alio.

15 Tertio contraria nata sunt fieri circa subiectum vnum specie, vel genere: nam sanitas, & ægritudo nata sunt fieri in corpore animalis; albedo, & nigredo in corpore vt sic; virtus, & vitium, iustitia, & iniustitia in animo hominis; quæ omnia sunt vnum specie, vel genere.

16 Quarto & vltimo necesse est omnia contraria vel esse in eodem genere; vt albedo, & nigredo sunt in eodem genere coloris: vel esse in contrarijs generibus; vt iustitia, & iniustitia sunt in contrarijs generibus virtutis, ac vitij:, vel ipsa contraria esse genera; vt bonum, ac malum sunt duo genera contraria.

De Priori. Cap. II. vel XIII.

1 *PRius autem alterum altero dicitur quadrupliciter. Primo quidem & maxime proprie secundum tempus: secundum quod antiquius alterum altero, & vetustius dicitur. In eo enim quòd tempus amplius est, & antiquius & vetustius dicitur.*

Se-

2 *Secundo autem, quod non conuertitur secundum subsistendi consequentiam. Vt vnũ duobus prius est. Duobus enim existentibus, mox vnum esse consequens est: vno verò existente, duo esse non necessarium est. Quare non conuertitur ab vno consequentia, vt reliquum sit. Prius autem illud esse videtur, à quo non conuertitur eius quod est esse consequentia.*

3 *Tertio verò secundum ordinem quendam prius dicitur: quemadmodum & in scientijs, & in orationibus. Nam in demonstratiuis scientijs est prius & posterius ordine: elementa enim priora sunt ordine ijs quæ describuntur. Sed & in Grammatica elementa syllabis priora sunt. Et in orationibus similiter proœmium narratione prius ordine est.*

4 *Amplius præter ea, quæ dicta sunt, quod melius & honorabilius est, prius natura esse videtur. Consueuerunt autem & multi honorabiliores & magis dilectos à se priores apud se dicere. Est quidem & penè alienissimus priorum hic modus. Modi igitur qui dicti sunt de priore, ferè tot sunt.*

5 *Videtur autem præter eos, qui dicti sunt, alter esse prioris modus. Eorum enim, quæ conuertuntur secundum esse consequentiam, quod alteri quomodolibet causa est, conuenienter prius natura dici possit. Quod verò quædam sunt huiusmodi, palam est. Esse namque hominem, secundum ipsius esse consequentiam ad veram de se conuertitur orationem. Nam si homo est, vera est oratio, quâ dicimus, quòd homo est. Et conuertitur: nam si vera est oratio, quâ dicimus quòd homo est, est homo. Est autem vera oratio, nequaquam causa, vt sit res: veruntamen res quodammodo causa videtur, vt sit vera oratio. Eo enim quòd res est, aut non est, vera oratio aut falsa dicitur. Quare secundum quinque modos prius alterum altero dici potest.*

1 PRius dicitur quinque modis: primo, & maximè propriè prius dicitur, quod est prius tempore, quam aliud: id enim, in quo, vel à quo est plus temporis, dicitur antiquius, & vetustius.

2 Secundo dicitur vnum prius altero à subsistendi consequentia: id enim, à cuius esse non valet cõsequentia ad esse alterius, cum ad esse alterius valeat consequentia ad esse illius, est prius illo: ex. gr. vnum est prius, quam duo, quia non valet consequentia; *datur vnum; ergo dantur duo;* cum valeat, *dantur duo; ergo datur vnum:* animal est prius, quam homo, & genera quam species ex eadem ratione.

3 Tertia est prioritas ordinis, per quam in scientijs vnum debet prius tractari, quam aliud: ita in geometria elementa sunt priora descriptionibus; in grammatica elementa sunt ordine priora, quam syllabæ; in oratione proœmium est prius ordine, quam narratio.

4 Quarta, & valdè impropria est prioritas dignitatis, per quam honorabiliores, aut magis dilectos, priores apud nos dicimus.

5 Quinta est prioritas naturæ, & causalitatis, per quam etiam si quædam conuertantur secundum essendi consequentiam, id quod alteri est causa quomodolibet vt sit, dicitur prius natura, quam illud: ex. gr. valet mutua consequentia, *homo est; ergo vera est oratio dicens hominem esse; vera est hæc oratio dicens hominem esse; ergo homo est:* sed quia oratio vera non est causa, vt homo sit, sed *hominem esse* est causa, vt vera sit oratio: eo enim, quod res est, aut non est, oratio vera, vel falsa dicitur; ideo *hominem esse*, prius est natura, quam orationem esse veram. Prius ergo dicitur quinque modis enumeratis.

De simul. Cap. III. vel XIV.

1 *SImul autem dicuntur simpliciter quidem & propriissimè, quorum generatio in eodem est tempore. Neutrum enim eorum, neque prius, neque posterius est. Simul autem secundum tempus hæc dicuntur.*

2 *Natura verò simul sunt, quæcunque conuertuntur quidem secundum eius, quod est esse consequentiam, sed nequaquam alterum alteri causa est vt sit. Vt in duplo & dimidio. Conuertuntur etenim hæc. Nam cùm duplum sit, dimidium est: & cum dimidium sit, duplum est: sed neutrum alteri causa est, vt sit.*

3 *Dicuntur autem simul natura, & quæ ex eodem genere è diuerso ab inuicem diuiduntur. E diuerso autem diuidi ab inuicem dicuntur, quæ secundum eandem sunt diuisionem: vt volatile, gressibili, & aquatili. Hæc enim ab inuicem è diuerso diuiduntur,*

cùm

cùm sint ex eodem genere. Animal nanque diuiditur in hæc, in volatile, gressibile, & aquatile: & nihil horum prius vel posterius est, sed simul hæc natura esse videntur. Diuiditur autem & vnumquodque horum in species rursus, vt volatile, gressibile, & aquatile. Erunt ergo & illa simul natura, quæcunque ex eodem genere secundum eandem sunt diuisionem. Genera verò speciebus semper priora sunt: neque enim conuertuntur secundum eius, quod est esse consequentiam. Vt cùm quidem aquatile sit, animal est: cum verò sit animal, non necesse est vt aquatile sit. Simul ergo natura dicuntur, quæcunque quidem conuertuntur secundum eius, quod est esse consequentiam, sed nequaquam alterum alteri vt sit, causa est: & ea quæ ex eodem genere è diuerso diuiduntur ab inuicem. Simpliciter autem simul sunt, quorum generatio in eodem est tempore.

1 Simul dicitur tribus modis. Primo simpliciter, & proprijssimè dicuntur simul, quorum generatio in eodem est tempore. Cum enim neutrum eorum sit prius, aut posterius tempore, quam aliud, sunt simul tempore.

2 Secundo dicuntur simul natura, quæcunque conuertuntur secundum essendi consequentiam, sed neutrum causa est alteri, vt sit: ex. gr. duplum, & dimidium: valet enim consequentia, *est duplum; ergo est dimidium; est dimidium; ergo est duplum*, & tamen neque duplum est causa vt sit dimidium, neque dimidium vt sit duplum. Idem dic de alijs correlatiuis formaliter sumptis.

3 Tertio dicuntur etiam simul natura, quæ ex eodem genere è diuerso ad inuicem diuiduntur, hoc est sunt membra eiusdem diuisionis: ex. gr. quia genus animalis diuiditur in volatile, gressibile, & aquatile, hæc sunt simul natura: genera verò sunt priora speciebus à subsistendi consequentia.

De Motu. Cap. IV. vel XV.

1 *Motus autem species sunt sex: generatio, corruptio, augmentum, diminutio, alteratio, & secundum locum mutatio.*

2 *Alij itaque motus palam est quod ab inuicem diuersi sunt. Non enim est generatio, corruptio, neque augmentum diminutio, neque secundum locum mutatio. Similiter autem & alij. In alteratione verò habet quandam dubitationem: ne sit forte necessarium id quod alteratur, per aliquam reliquarum motionum alterari. Hoc autem non verum est. Nam secundum omnes penè passiones, aut complures accidit nos alterari, nulla aliarum communicante motionum. Nam neque augeri necessarium est quod per passionem mouetur, neque diminui. Similiter autem & in alijs. Quare alia præter alios motus erit alteratio. Nam si esset eadem, oporteret id quod alteratur, mox & augeri, vel minui, vel quandam aliarum motionum sequi: sed non necesse est. Similiter autem & quod augetur, aut alia aliqua mutatione mouetur, alterari oporteret. Sed sunt quædam quæ augmentantur, quæ non alterantur. Vt quadratum gnomone circumposito creuit quidem: alteratum verò nihil factum est. Sic & in alijs huiusmodi. Quare alij motus sunt ab inuicem.*


1 Species motus sunt sex, nimirum generatio, & corruptio, qui sunt motus ad substantiam completam: ex.gr. simplex generatio est, per quam arbor producitur; simplex corruptio, per quam arbor corrumpitur, & exiccatur: augmentatio, & diminutio, qui sunt motus secundum quantitatem: per augmentum enim res crescit acquirendo maiorem quantitatem; per diminutionem decrescit transeundo à quantitate maiori ad minorem: alteratio, quæ est motus secundum qualitatem: vt cum aliquid dealbatur, aut denigratur; calefit, aut frigebit: & latio, seu mutatio secundum locum, hoc est motus localis.

2 Addit Aristoteles manifestum esse, quod alij motus sunt inuicem diuersi: generatio enim manifestè non est corruptio; augmentum non est diminutio; nec motus localis est aliqua alia ex dictis mutationibus. De sola alteratione potest dubitari, an sit motus distinctus à reliquis, & an possit aliquid ita alterari, vt non moueatur aliquo alio motu. Probat igitur Aristoteles etiam alterationem esse motum distinctum à reliquis. Potest enim aliquid alterari, ex. gr. calefieri, quin moueatur secundum locum; quin augeatur, aut diminuatur secun-

cun-

cundum qualitatem; quin generetur, aut corrumpatur secundum substantiam, ergo cum motus alterationis possit dari sine cæteris motibus, distinguitur à reliquis motibus. Similiter possunt aliqua augmentari, & augeri secundum quantitatem sine vlla alteratione, vt cum quadratum fit maius addendo aliquam partem, hoc est gnomonem, vt patet in descripta figura.

Quadrati accretio, Gnomone circumposito.



3 *Est autem simpliciter motui quidem quies contrarium: ijs verò quæ per singula sunt, & singula. Generationi quidem corruptio contrarium: augmentationi verò diminutio: secundum locum mutationi secundum locum quies. Maxime autem videtur opposita esse ad contrarium locum mutatio. Vt ei quæ inferius est, ea quæ superius est: & ei quæ superius est, ea quæ inferius est. Reliquo vero assignatorum motuum non facile est assignare quid forte est contrarium. Videtur autem nihil esse ei contrarium: nisi quis & in hoc secundum qualitatem quietem opponat, aut in contrarium qualitatis mutationem: sicut & in mutatione secundum locum, quietem secundum locum, aut in contrarium locum mutationem. Est enim & alteratio mutatio secundum qualitatem. Quapropter opponitur motui secundum qualitatem quies secundum qualitatem, aut in contrarium qualitatis mutatio, vt album fieri ad id quod nigrum est fieri. Alteratur enim in contraria, qualis mutatione facta.*

3 Motui vt sic est contraria quies; in singulis verò speciebus motus, præter quietem est contrarius alius motus: ex. gr. generationi est contraria corruptio; augmentationi diminutio; motui locali, quies in loco, & motus ad locum contrarium. Alterationi tamen non statim apparet, quid sit contrarium. Potest tamen dici, quod sicut motui secundum locum, opponitur, & quies in loco, & motus ad locum contrarium; sic alterationi, quæ est motus secundum qualitatem, opponitur & quies in tali qualitate, & mutatio ad contrariam qualitatem: ex. gr. calefactioni opponitur frigefactio; dealbationi denigratio.

De Habere. Cap. V. vel XVI. & vltimum.

1 *Habere secundum plures modos dicitur. Aut enim vt habitum & dispositionem, aut aliam aliquam qualitatem. Dicimur enim disciplinam aliquam, atque virtutem habere. Aut vt quantum, vt quam contingit aliquis habens magnitudinem. Dicitur enim tricubitam habere magnitudinem, vel quadricubitam. Aut vt ea, quæ circa corpus sunt, vt vestimentum, vel tunicam. Aut vt in parte, vt in manu annulum. Aut vt partem, vt manum, vel pedem. Aut vt in vase, vt modius grana tritici, aut amphora vinum. Vinum enim habere amphora dicitur, & modius grana tritici. Hæc enim omnia habere dicuntur, vt in vase. Aut vt possessionem. Habere enim domum, & agrum dicimur. Dicitur autem & vir vxorem habere, & vxor virum. Sed qui nunc dictus est modus, alienissimus est eius, quod est habere. Nihil enim aliud vxorem habere significamus, quam quod cohabitant. Forte tamen & alij quidam eius quod est habere, apparebunt modi: sed qui dici consueuerunt, penè omnes enumerati sunt.*

1 Octo modis dicitur vnũ habere aliud. Primo dicitur subiectum habere habitum, & dispositionem, vel aliam qualitatem; eo pacto, quo dicitur aliquis habere scientiam, aut virtutem. Secundo dicitur subiectum habere aliud, vt quantitatem; vt cum quis dicitur habere magnitudinem tricubitam, aut quadricubitam. Tertio dicitur aliquid habere aliud, vt vestimentum adiacens corpori, quo pacto dicitur aliquis ha-

habere vestimentum, aut tunicam. Quarto dicitur habere tanquam adiacens vni parti corporis; eo pacto, quo dicitur quis habere annulum in digito. Quinto dicitur habere aliquid vt partem; eo pacto, quo dicitur aliquis habere pedem, aut manum. Sexto dicitur vnum habere aliud, vt in vase; eo pacto, quo amphora dicitur habere vinum, & modius triticum. Septimo dicitur habere aliquid vt possessionem; eo pacto, quo dicitur quis habere domum, aut agrum. Octauo demum, & valde impropriè dicitur vxor habere virum, & vir vxorem, eo quod cohabitant. Addit Aristoteles fortasse posse etiam afferri alios modos habendi, sed allatos esse vsitatiores: Et per hæc concludit prædicamenta.




IN

IN LIBROS PERIHERMENIAS, SEV DE INTERPRETATIONE.

PROOEMIVM.

Quid sit interpretatio: an & quomodo sit subiectum horum librorum: & quem locum hi libri teneant in Logica.



1 QVIA hic liber, qui apud Græcos est vnus, apud Latinos diuiditur in duos, inscribitur de interpretatione, præmittendum est primo, quid sit interpretatio: secundo an, & quomodo interpretatio sit subiectum huius libri: tertio quem locum hic liber teneat in Logica: quarto per breuem synopsim proponenda est ob oculos doctrina huius libri.

2 Quoad primum: interpretatio definitur à Boetio: *Vox significatiua ex instituto, quæ per se aliquid significat, complexa, vel incomplexa*. Dicitur *vox significatiua ex instituto* ad excludendas voces brutorum animalium, quæ quia significant non ex instituto, sed naturaliter, non sunt interpretationes. Dicitur *per se aliquid significans* ad excludendas præpositiones, coniunctiones, & alias partes orationis, quæ quia non per se aliquid significant, sed consignificant alijs partibus, non sunt interpretationes. Dicitur demum *complexa vel incomplexa*, quia non solum orationes compositæ ex pluribus vocibus, sed etiam nomina, & verba sunt interpretationes. Licet tamen nomina, & verba, & quælibet orationes aliquo pacto sint interpretationes, proprijssimè sola oratio significans verum, & falsum, quæ dicitur enunciatio, est interpretatio. Ratio est, quia proprijssimè interpretatio dicitur per quam exponere intendimus quid sentiamus; sed per solam orationem enunciatiuam exponere intendimus, quid sentiamus; ergo proprijssimè sola oratio enunciatiua est interpretatio.

3 Quoad secundum: subiectum adæquatum horum librorum, quod dicitur, subiectum communitatis, est interpretatio latius sumpta, in quantum comprehendit nomina, verba, orationes, & enunciationes: subiectum principale, quod vocatur, subiectum attributionis, est interpretatio proprijssimè sumpta, hoc est enunciatio. Probatur prima pars: subiectum enim adæquatum est, quod comprehendit omnia, de quibus agitur; sed in his libris agitur de interpretatione in genere, tum verò de nomine, verbo, oratione, & enunciatione, ac de speciebus, & proprietatibus enunciationis; ergo subiectum adæquatum horum librorum est interpretatio latius sumpta, in quantum comprehendit hæc omnia.

4 Probatur secunda pars, quia illud est subiectum attributionis, quod consideratur per se, & cætera considerantur in ordine ad illud, vel tanquam principia, vel tanquam partes, vel tanquam proprietates; sed in his libris enunciatio per se consideratur; nomen verò, & verbum considerantur vt principia intrinseca, seu partes enunciationis; oratio consideratur vt genus enunciationis; oppositio, veritas, & falsitas,

tas,&c. considerantur vt proprietates enunciationis, vt patebit in decursu explicationis horum librorum; ergo enunciatio est subiectum attributionis horum librorum. Debet autem hoc intelligi de enunciatione mentali, atque interna. Cum enim in logica voces externæ non considerentur per se, sed in ordine ad conceptus, enunciatio vocalis non consideratur per se, sed in ordine ad enunciationem mentalem.

5 Quoad tertium: in his libris continetur secunda pars logicæ. Cum enim logica agat de tribus operationibus intellectus, seu de secundis intentionibus, vt constitutis per tres operationes intellectus, prima pars logicæ est liber prædicamentorum, in quo agitur de rebus, vt simpliciter apprehensis, ac denominatis per primam operationem. Secunda pars est liber Perihermenias, in quo agitur de enunciatione, seu de secunda operatione intellectus, ac de rebus prout enunciabilibus. Tertia continet libros priorum, posteriorum, topicorum, & elenchorum, in quibus agitur de tertia operatione intellectus, hoc est de syllogismo, & eius speciebus, de syllogismo nimirum demonstratiuo, topico,& sophistico.

6 Infertur, cur Aristoteles, postquam de simplicibus egit ex professo in libro prędicamentorum, rursus hic agat de nomine, & verbo, quæ sunt simplicia, & iterum in libris priorum agat de terminis. Ratio est, quia simplicia possunt considerari tripliciter. Primo secundum se absolutè, vt simpliciter apprehendibilia; & sub hac ratione de simplicibus egit Aristoteles in libro Prædicamentorum, ac illa vocauit prædicamenta. Secundo possunt considerari in ordine ad enunciationem, in quantum sunt eius partes; & sub hac ratione vocantur nomina, & verba, & de ijs agit Aristoteles in hoc libro Perihermenias. Tertio possunt considerari in ordine ad syllogismum, in quantum ponuntur vt prædicatum, aut subiectum propositionum, ex quibus conficitur syllogismus; & sub hac ratione vocantur termini, ac de ijs agit in libris Priorum. Orationes etiam affirmatiuæ, vel negatiuæ possunt considerari dupliciter; vel secundum se absolutè, & vocantur enunciationes, ac de ijs agit Aristoteles in libris perihermenias; vel in quantum ponuntur in syllogismo, & vocantur propositiones, ac de ijs Aristoteles agit in libris Priorum.

7 Quoad quartum: acturus Aristoteles de enunciatione, quia enunciatio est oratio quædam composita ex nominibus, & verbis tanquam ex partibus, nomina autem, & verba sunt voces significatiuæ, ideo capite primo secundum diuisionem latinorum agit de vocibus significatiuis in genere; cap.2. de nomine; cap.3. de verbo; in prima parte capitis 4. de oratione,& eius diuisione in enunciatiuam, & non enunciatiuam; in secunda parte capitis 4. de oratione enunciatiua, & eius diuisione in simplicem, & compositam, affirmatiuam, & negatiuam, veram, & falsam; in tertia parte cap. 4. & toto cap.5. agit de oppositionibus enunciationum simplicium, ac de regulis talium oppositionum; cap.6. & vltimo examinat, an regula contradictoriarum enunciationum, quod altera sit vera, & altera falsa, ita conueniat enunciationibus contradictorijs de futuris contingentibus, vt altera debeat esse determinatè vera, altera falsa.

Libro 2. capite primo agit de differentijs enunciationum simplicium finitarum, & infinitarum, ac de earum regulis; in prima parte cap. 2. agit de enunciationibus non simplicibus, & earum differentijs; secunda parte eiusdem capitis examinat, an omnia prædicata, quæ possunt prædicari separatim, possint prædicari coniunctim, & quæ in hoc sit regula; capite tertio agit de enunciationibus modalibus, earum oppositionibus, & consequentijs; cap. 4. & vltimo examinat quæstionem, vtrum affirmationi veræ sit contraria negatio eiusdem, vel affirmatio contrarij, & concludit hos libros.



ARI-

ARISTOTELIS PERIHERMENIAS, HOC EST DE INTERPRETATIONE.


LIBER I.

De Interpretationibus, hoc est de vocibus significatiuis in generali. Cap. I.



1 *RIMVM oportet ponere quid sit nomen, & quid verbum: postea quid est negatio, & affirmatio, & enunciatio, & oratio.*

2 *Sunt ergo ea quæ sunt in voce, earum quæ sunt in anima passionum notæ: & ea quæ scribuntur, eorum quæ sunt in voce. Et quemadmodum nec litteræ omnibus eædem, sic nec eædem voces. Quarum tamen hæc primum notæ sunt, eædem omnibus passiones animæ sunt: & quarum hæ similitudines, res etiam eædem. De his quidè dictum est in ijs qui sunt de anima: alterius enim hæc sunt negotij. Est autem quemadmodum in anima, aliquando quidem intellectus sine vero vel falso, aliquando autem cui iam necesse est horum alterum inesse: sic etiam in voce. Circa compositionem enim, & diuisionem est verum, & falsum. Nomina igitur ipsa, & verba consimilia sunt ei, qui sine compositione, & diuisione est, intellectui: vt homo, vel album, quando non aliquid additur. Neque enim falsum, neque verum adhuc est. Signum autem huius est. Hircoceruus enim aliquid significat: sed nondum verum aliquid, vel falsum, nisi esse vel non esse addatur, vel simpliciter, vel secundum tempus.*



1 NITIO cuiusque scientiæ poni debent vt principia definitiones subiecti, & eorum, quæ spectant ad subiectum, eo pacto, quo initio Geometriæ ponuntur definitiones, puncti, lineæ, & aliorum, quæ spectant ad subiectum Geometriæ; sed, vt dictum est, in his libris agitur de enunciatione tanquam de subiecto; ergo præmitti debent definitiones enunciationis, & eorum, quæ spectant ad enunciationem. Quia igitur enunciatio componitur ex nomine, & verbo, tanquam ex partibus integralibus, diuiditur in affirmationem, & negationem tanquam in species, seu partes subiectiuas, & continetur sub oratione tanquam sub proximo genere, ideo Aristoteles incipit librum dicendo, quod debent primo poni definitiones explicantes, quid sit nomen, & verbum, quid negatio, & affirmatio, quid enunciatio, & quid oratio. Et quia hæc omnia conueniunt in hoc, quod sint voces significatiuæ complexæ, vel incomplexæ, ideo Aristoteles præmittit breuem tractatum de vocibus significatiuis.

2 Nomina, verba, affirmationes, negationes, enunciationes, orationes, & alia huiusmodi, quæ exprimuntur voce, exprimuntur vt quædam signa, ac notæ ad significandas passiones, seu conceptus, quos habemus in anima: & proportionaliter, quæ exprimuntur scripto, exprimuntur vt si-

gna, & notæ vocum. Voces, & scripturæ conueniunt inter se, & disconueniunt à conceptibus significatis in hoc, quod voces, & scripturæ significantes non sunt eædem apud omnes nationes, cum conceptus, & res significatæ per conceptus, tanquam per similitudines rerum sint eædem: Ex. gr. licet equus, & conceptus equi sit idem apud omnes nationes, tamen non apud omnes significatur eadem voce, nec eadem scriptura, sed apud Latinos significatur hac voce, & scriptura *equus* apud Græcos hac voce, & scriptura ἵππος, &c. idemque dic de cæteris. Licet tamen in hoc voces, & scripturæ disconueniant à conceptibus, in aliquo alio proportionaliter conueniunt cum conceptibus, nimirum in hoc, quod sicut in anima dantur aliqui conceptus per modum simplicis apprehensionis, in quibus neque datur veritas, neque falsitas, & præterea dantur conceptus per modum compositionis, ac diuisionis, in quibus datur veritas, aut falsitas; sic dantur quædam voces, per quas neque dicimus verum, neque falsum, & dantur quædam, per quas dicimus verum, aut falsum. Nomina igitur, & verba seorsim prolata, neque significant verum, neque falsum, & in hoc imitantur simplices apprehensiones: at verò enunciationes significant verum, aut falsum, & in hoc imitantur conceptus compositiuos, ac diuisiuos: Ex. gr. ista nomina simplicia *homo*, *albus*, & etiam hoc nomen compositum *hircocervus*, *hippocentaurus*, non significant verum, neque falsum, idemque dic proportionaliter de istis verbis *currit*, *ambulat*: at istæ enunciationes *homo est albus*; *hippocentaurus est*, significant verum, aut falsum.

De Nomine. Cap. II.

1 *Nomen igitur est vox significatiua, secundum placitum, sine tempore, cuius nulla pars significatiua est separata. In nomine enim quod est equiferus, ferus nihil per se significat quemadmodum in oratione, quæ est equus ferus. At verò non quemadmodum in simplicibus nominibus, sic se habet in compositis. In illis enim nullo modo pars significatiua est: in his autem vult quidem, sed nullius est, separata. Vt in eo quod est equiferus, hoc quod est, ferus, nihil significat per se.*

2 *Secundum placitum verò, quoniam natura, nominum nullum est, sed quando fit nota. Quoniam designant & illiterati soni, vt ferarum: quorum nullum nomen est.*

3 *Non homo verò non est nomen. At verò nec positum nomen est, quo illud oportet appellare. Neque enim oratio, neque negatio est: sed sit nomen infinitum: quoniam similiter in quolibet est, & quod est, & quod non est. Philonis autem, aut Philoni, & quæcunque talia sunt, non sunt nomina, sed casus nominis. Ratio autem ipsorum est, in alijs quidem eadem: differunt autem, quoniam cum est, vel fuit, vel erit, neque verum, neque falsum est, nomen verò semper: vt Philonis est, vel non est: nondum enim neque verum dicit, neque falsum.*

POstquam Aristoteles egit de voce significatiua, quæ est genus commune nomini, verbo, &c. descendit ad agendum de his in particulari, ac primo agit de nomine.

1 Nomen definitur *vox significatiua ex instituto, sine tempore, cuius nulla pars significat separata*. Differentia igitur nominis ab oratione est, quod partes nominis non significant separatæ, partes vero orationis significant separatæ: Ex. gr. hoc nomen Κάλλιππος differt ab hac oratione Καλὸς ἵππος in eo, quod ἵππος in quantum est pars huius orationis Καλὸς ἵππος est se significat equum; in quantum verò est pars huius nominis Κάλλιππος ex se nihil significat, sed totum nomen Κάλλιππος per modum vnius significat hominem vocatum hoc nomine. Si verò velimus afferre exemplum latinum, hoc nomen *equiferus* differt ab hac oratione *equus ferus*, quod ferus in quantum est pars huius orationis *equus ferus* per se significat ferum; in quantum vero est pars huius nominis *equiferus* per se nihil significat. Hinc patet differentia inter nomina simplicia, & composita. Partes nominum simplicium separatæ non solum non significant, sed neque habent vim significandi: Ex. gr. partes huius nominis *Petrus*, quæ sunt *Pe*, *trus* non habent vllam vim significandi, quia non sunt impositæ ad aliquid significandum. At verò partes nominum compositorum separatæ habent vim significandi, sed in quantum sunt partes talis

talis nominis non exercent talem uim significatiuam: ex. gr. *ferus*, quod est pars huius nominis *equiferus* separatim habet uim significandi, sed in quantum est pars huius nominis, non exercet talem uim, neque significat ferum.

2 Explicata hac vltima particula definitionis, explicat Aristoteles priorem, quæ est, vt nomen sit *vox significatiua ex instituto*. Licet enim dentur voces significatiuæ naturaliter, quales sunt voces ferarum, gemitus, & suspiria, & aliæ voces, quæ quia non exprimuntur scripto, vocantur ab Aristotele illitteratæ, adhuc istæ voces non sunt nomina, sed illæ solum voces sunt nomina, quæ ex placito hominum sunt impositæ ad aliquid significandum.

3 Tradita definitione, docet Aristoteles aliquas partes orationis, quæ videri possunt nomina, propriè non esse nomina: Ex. gr. hæc pars orationis *non homo* videri potest nomen, & tamen propriè non est nomen. Et quia potest quæri, quomodo debeat vocari, respondet Aristoteles, quod isti parti orationis adhuc non est impositum nomen, potest tamen vocari nomen infinitum, ita vt ly *infinitum* sit additum distrahens. Dicuntur autem nomina infinita, quia non determinant vllum ens, sed æquè possunt dici de ente, & non ente. Nam non solum multa entia, sed etiam non entia possunt vocari *non leo*. Rursus casus obliqui, ex. gr. *Philonis, Philoni* propriè non sunt nomina, sed casus nominum. Rationem affert Aristoteles, quia nomen propriè est illa pars orationis, quæ addito verbo efficit orationem veram, vel falsam; sed solum rectum addito verbo efficit orationem veram, vel falsam; ergo solum rectum est propriè nomen. Minor probatur; nam hæc oratio *Philo est* vel est vera, vel falsa; at hæc *Philoni est, Philonis est &c.* adhuc non est vera, neque falsa. Ex hac doctrina Aristotelis addunt communiter Summulistæ definitioni nominis tres alias particulas, ita vt integra definitio nominis sit: *nomen est vox significatiua ex instituto, sine tempore, cuius nulla pars significat separata, finita, & recta, quæ cum verbo veram, & falsam efficit orationem*.

De Verbo. Cap. III.

1 *Verbum autem est, quod consignificat tempus, cuius pars nihil significat seorsum, & est semper eorum, quæ de altero prædicantur, nota. Dico autem, quod consignificat tempus. Vt valetudo quidem nomen est: valet verò verbum. Consignificat*
2 *enim nunc esse. * Et semper eorum quæ de altero dicuntur nota est, vt eorum, quæ de subiecto, vel in subiecto sunt.*

3 *Non valet autem, & non laborat, non verbum dico: consignificat enim tempus, & semper de aliquo est. Differentiæ autem huic nomen positum non est: sed infinitum verbum sit: quoniam similiter in quolibet est, & quod est, & quod non est. Similiter autem & valebit, & valebat, non verbum est, sed casus verbi. Differunt autem à verbo, quòd hoc quidem præsens consignificat tempus, illa verò id, quod circuncirca est.*

4 *Ipsa igitur secundum se dicta verba nomina sunt, & significant aliquid: constituit enim qui dicit intellectum, & qui audit, quiescit. Sed si est vel non est, nondum significat. Neque enim signum est rei esse, vel non esse: neque si ipsum ens dixeris nudum. Ipsum enim nihil est, consignificat autem compositionem quandam, quam sine compositis non est intelligere.*

1 Verbum definitur, *quod insuper adsignificat tempus, & cuius nulla pars significat separata, & est semper eorum, quæ de altero prædicantur nota*. Explicat Aristoteles primam particulam, *quod adsignificat tempus*. Nam hoc nomen *valetudo* non adsignificat tempus; at hoc verbum *valeo* significat, quod valeo nunc, ideoque adsignificat tempus præsens.

2 Explicat vltimam particulam, quod *verbum sit nota eorum, quæ de altero prædicantur*. Semper enim significat, quod aliquid sit in subiecto, vel de subiecto dicatur: Ex. gr. cum dicitur *Socrates ambulat*, significatur quod ambulatio sit in Socrate, tanquam accidens in subiecto; dum vero dicitur *Socrates est homo*, significatur, quod homo dicitur de Socrate.

3 Addit, quod sicut propriè nomen debet esse finitum, & rectum, sic verbum. Ideo

non valet propriè non est verbum, sed vocari potest verbum infinitum, & proportionaliter *valebit, valuit &c.* non est verbum, sed casus verbi. At vero rectum, quod significat tempus præsens, propriè est verbū. Cum enim tempus præsens intelligatur sine ordine ad futurum, & præteritum; præteritum e conuerso, & futurum non possint intelligi, nisi in ordine ad præsens, tempus præsens est rectum, præteritum, ac futurum sunt obliqua, & casus præsentis, cum significentur per ordinem ad præsens, & vt tempora circumstantia tempus præsens.

4 Concludit conuenientiam verbi cum nomine. Verbum conuenit cum nomine in hoc, quod per se significat aliquid, & non significat verum, neque falsum. Quod per se significet aliquid, patet: nam sicut, cum quis dicit *homo*, audiens intelligit, & quiescit in intelligentia eius, quod significatur per tale nomen, sic cum quis dicit *ambulat*, audiens intelligit, & quiescit in intelligentia eius, quod significatur per tale verbum; ergo & nomen, & verbum per se significant aliquid, in cuius intelligentia quiescimus. Et quia quod significat per se aliquid, potest latè dici nomen, ideo verbum potest latè dici nomen, in quantum nomen sumitur pro voce significatiua alicuius, in quo quiescat intelligentia. Quod verò verbum non significet verum, & falsum, patet: qui enim dicit *ambulat*, adhuc non significat verum, neque falsum, neque significat ambulationem esse, vel non esse: imo neque qui dicit *ens* adhuc significat aliquid esse, vel non esse. At quando verbo additur nomen, & dicitur, *homo ambulat*, & *homo est* tunc significatur compositio, quæ non potest intelligi, nisi per nomen significetur aliquid vt subiectum compositionis, adeoque tum significatur verum, aut falsum.

Ex hac doctrina Aristotelis Summulistæ addentes definitioni verbi aliquas particulas definiunt verbum *vox significatiua ex instituto cum tempore, cuius nulla pars significat separata, finita, & recta, & semper est eorum, quæ de altero prædicantur nota*. Particulæ definitionis iam sunt explicatæ.

De Oratione perfecta, & imperfecta, enunciatiua, ac non enunciatiua. Cap. IV. Articulus I.

1 *ORatio autem est vox significatiua, cuius partium aliqua significatiua est separata, vt dictio, sed non vt affirmatio, vel negatio. Vt homo aliquid significat, sed non quod est aut non est: sed erit affirmatio vel negatio, si quid additum fuerit. Sed non hominis syllaba vna. Neque enim in eo, quod est sorex, rex significat, sed vox nunc est solum. In duplicibus verò significat quidem aliquid, sed non secundum se, quemadmodum dictum est. Est autem oratio omnis quidem significatiua, non autem sicut instrumentum: sed quemadmodum dictum est, secundum placitum.*

2 *Enunciatiua verò non omnis: sed in qua verum vel falsum est. Non autem in omnibus inest. Vt deprecatio oratio quidem*
3 *est, sed neque vera, neque falsa.* * *Cæteræ igitur relinquantur: Rhetoricæ enim, vel Poeticæ conuenientior est consideratio: enunciatiuæ verò præsentis est speculationis.*

1 ORatio definitur *vox significatiua ex instituto, cuius partium aliqua separata significat, vt dictio, non vt affirmatio, vel negatio*. Explicat Aristoteles tres particulas definitionis inuerso ordine, incipiendo ab vltima. Partes orationis simplicis significant quidem, sed vt dictiones, non vt affirmationes, aut negationes: ex. gr. cum dicitur *Homo*, ly *Homo* significat, sed vt dictio, non vt affirmatio, vel negatio: at addendo verbum, & dicendo *Homo currit*, tum significant vt affirmatio, vel negatio. Rursus partes orationis separatæ significant, & per hoc oratio differt à nomine, & verbo, quorum partes separatæ non significant, vt dictum est cap. 2. Demum oratio significat non vt instrumentum naturale, sed ex instituto, vt dictum est loco citato. Dicit autem hoc Aristoteles contra Platonem, qui in Cratilo, videtur insinuare, quod sicut potentia interpretandi nostram mentem est naturalis, sic voces, quæ sunt instrumenta, quibus vtimur ad mentem nostram interpretandam, significant naturaliter.

2 De-

2 Diuiditur primo oratio in perfectam, & imperfectam. Perfecta est, quæ facit sensum perfectum, & non relinquit pendulum animum audientis: ex. gr. *Petrus currit*. Imperfecta est, quæ facit sensum imperfectum, & pendulum relinquit animum audientis: ex. gr. *si Petrus curreret*, & omnes orationes sine verbo. Veruntamen Aristoteles hanc diuisionem orationis breuitatis causa omittens, diuidit orationem perfectam in eam, in qua neque est verum, neque falsum, & in eam, in qua est verum, aut falsum. Exemplum orationum, in quibus neque est verum, neque falsum, sunt optatiuæ, & imperatiuæ, ex. gr. *Fac studeas*, *Vtinam studeas &c.* Signum autem est, quod dicenti, fac *studeas*, *vel vtinam studeas*, nemo respondebit, *tu dicis verum*, neque *tu dicis falsum*. Exemplum orationum, in quibus est verum, vel falsum sunt indicatiuæ, ideoque dicenti, *Petrus studet &c.* bene respondetur *tu dicis verum*, vel *tu dicis falsum*.

3 Addit Aristoteles orationes optatiuas, & alias, in quibus non est verum, neque falsum non spectare principaliter ad Logicam, quæ solum curat de scientia, & veritate, sed spectare ad Rhetoras, vel Poetas, ideoque hic esse omittendas, agendum verò ex professo de solis orationibus enunciatiuis, in quibus est verum, vel falsum. Hinc colligitur definitio enunciationis, quæ est subiectum attributionis horum librorum, vt dictum est in Procemio. Enunciatio enim est *oratio in qua vel est verum, vel falsum*.

Proponitur diuisio enunciationis in simplicem, & compositam, affirmatiuam, & negatiuam, & ostenditur, quod cuilibet enunciationi opponitur contradictoriè altera enunciatio. Cap. IV. Art. II.

4 *Est autem vna prima oratio enuntiatiua affirmatio, deinde negatio: aliæ verò omnes coniunctione vna. Necesse est autem omnem enuntiatiuam orationem ex verbo esse, vel ex casu verbi: etenim hominis ratio, nisi addatur, aut est, aut fuit, aut erit, aut aliquid huiusmodi, nondum oratio enuntiatiua est: quoniam vnum quiddam est, & non multa animal gressibile bipes. Non enim eò, quòd propinquæ partes dicuntur, vna erit. Est autem alterius hoc tractare negotij. Est autem vna oratio enuntiatiua, quæ vnum significat, vel coniunctione vna: plures autem, quæ plura & non vnum vel inconiunctæ. Nomen igitur, vel verbum dictio sit solum: quoniam non est dicere sic aliquid significantem, voce, vt enunciare, vel aliquo interrogante vel non, sed ipso sponte proferente. Harum autem hæc quidem simplex est enunciatio, vt aliquid de aliquo, vel aliquid ab aliquo: hæc autem ex his composita, velut oratio quædam iam composita. Est autem simplex enunciatio, vox significatiua de eo, quod est aliquid, vel non est, quemadmodum tempora diuisa sunt. Affirmatio vero est enunciatio alicuius de aliquo. Negatio vero enunciatio alicuius ab aliquo.*

4 Definita enunciatione, quæ est subiectum horum librorum, diuidit illam Aristoteles in suas primas species, ac deinde probat cuilibet enunciationi opponi contradictoriè aliam enunciationem. Diuiditur ergo primo enunciatio in enunciationē simpliciter vnam, & in enunciationem, quæ est vna per coniunctionem. Sicut enim res extra animam vel sunt vnum simpliciter, vt tabula continua, vel sunt vnum per quandam colligationem partium, vt fascis virgarum inuicem colligatarum; sic enunciatio, quæ habet esse in anima, vel est vna simpliciter, vel copulatione. Secundo enunciatio vna subdiuiditur in affirmatiuam, & negatiuam. Quia verò dum dicitur, quod aliqua enunciatio est vna simpliciter, posset aliquis suspicari, quod careat omni compositione partium, addit Aristoteles necesse esse, vt omnis enunciatio includat verbum, aut casum verbi, quod verbum componat prædicatum cum subiecto. Nam si sumatur nomen, vel definitio hominis sine verbo, ac dicatur *animal rationale*, adhuc non est enunciatio; si verò addatur verbum, vel casus verbi, & dicatur *animal rationale est, vel fuit*, tum erit enunciatio. Sicut verò definitio hominis, quæ sit ex. gr. *animal gressibile bipes* vna est simpliciter, & non per hoc solum, quod vnum nomen immediatè proferatur post aliud, sed quia cum differentiæ addantur generi vt forma materiæ, faciunt vnum, vt dictum est 7. & 8. Metaph. sic licet enunciatio importet cum verbo plura nomi-

nomina, adhuc est simpliciter vna, quia prædicatum comparatur cum subiecto, sicut forma cum materia. Enunciatio igitur simpliciter vna est, in qua vnum prædicatum dicitur de vno subiecto, etiamsi prædicatum, aut subiectum significentur pluribus nominibus: ex gr. hæc enunciatio, qua dicitur, *homo est animal rationale* est vna simpliciter, quia licet *animal, rationale* sint duo nomina, tamen significant vnum, ac similiter hæc *animal rationale est risibile*, est vna simpliciter ex eadem ratione. Plures enunciationes sunt, quæ vel non significant vnũ, sed plura, vel carent coniunctione: ex. gr. hæc *homo est animal rationale risibile*, non est vna simpliciter, sed secundum quid, quia *rationale*, & *risibile* non sunt vnum prædicatum. Multo magis sunt plures enunciationes non copulatæ: ex. gr. *Petrus currit*, *Paulus currit*. Tres igitur sunt enunciationes: vna simpliciter, in qua vnum de vno affirmatur, aut negatur: multiplex simpliciter, & vna secundum quid, in qua plura copulatè affirmantur, aut negantur: multiplex omnino, quæ neque etiam coniunctione est vna. Licet igitur & nomen, & verbum, & enunciatio possint significare vnum, aut plura, tamen diuerso modo nomen, ac verbum significant, diuerso enunciatio. Nomen enim, & verbum significant solum vt dictio nihil affirmando, vel negando: ex. gr. hoc nomen *homo* siue proferatur sponte, siue respondendo ad interrogationem qua quæritur, *quomodo vocetur talis res?* significat hominem solum vt dictio, idemque dic de verbo secundũ se: at enunciatio significat vt affirmatio, vel negatio. Ex enunciationibus alia est simplex aliquid dicens de aliquo, vel aliquid ab altero remouens: alia est composita, quæ est oratio quædam composita. Simplex enunciatio est *vox significans aliquid esse, vel non esse pro tempore præsenti, vel præterito, vel futuro, prout verbum declinatur per varia tempora*. Diuiditur in affirmationem, & negationem. Affirmatio est *enunciatio alicuius de aliquo*; negatio est *enunciatio, qua aliquid remouetur ab alio*.

5 *Quoniam autem enunciare est, & quod est, non esse: & quod non est, esse: & quod est, esse: & quod non est, non esse: & circa ea, quæ extra præsens, tempora sunt similiter: omne vtique contingit quod quis affirmauerit, ne are, & quod quis negauerit, affirmare.*

6 *Quare manifestum est, quòd omni affirmationi opposita est negatio, & omni negationi affirmatio. Et sit hoc contradictio, affirmatio & negatio opposita. Dico autem opponi eiusdem de eodem non autem æquiuoce, & quæcunque cætera talium contra sophisticas determinauimus importunitates.*

5 Proposita diuisione enunciationis procedit Aristoteles ad probandam primam proprietatem enunciationis, quæ est, vt cuilibet enunciationi opponatur contradictoriè altera enunciatio. Præmittit, quod cum ex dictis enunciatio sit oratio affirmatiua, vel negatiua, vera vel falsa, combinando hæc inuicem, potest quatuor modis diuersificari enunciatio. Prima est negatiua falsa: secunda affirmatiua falsa: tertia negatiua vera: quarta affirmatiua vera. Negatiua falsa est, *per quam negatur quod est*, vt cum de Petro, qui est albus, dicitur, quod non est albus. Affirmatiua falsa est, per quam *affirmatur quod non est*; vt cum de Petro, qui non est iustus, affirmatur quod est iustus. Negatiua vera est, *per quam negatur quod non est*; vt cum de Petro, qui non est iustus, dicitur, quod non est iustus. Affirmatiu a vera est, *per quam affirmatur quod est*; vt cum de Petro, qui est albus dicitur, quod est albus. Et quia potest aliquid affirmari, vel negari pro tempore præsenti, præterito, vel futuro, ideo dictæ affirmationes, ac negationes veræ, vel falsæ, possunt etiam diuersificari per hoc, quod affirment, ant negent de præsenti, vel de præterito, vel de futuro.

6 Hoc præmisso, sic Aristoteles probat, quod cuilibet enunciationi opponitur contradictoriè altera enunciatio: omnis enunciatio vel affirmat aliquid, vel negat; sed quod affirmatur potest etiam negari, quod negatur potest etiam affirmari; ergo cuilibet enunciationi affirmatiuæ opponitur enunciatio negatiua negans id ipsum, quod per affirmationem affirmatur; & cuilibet enunciationi negatiuæ opponitur enunciatio affirmatiua, affirmans id ipsum, quod per negationem negatur; sed hoc ipsum est contradictio; *affirmatio nimirum, & negatio inuicem opposita per hoc, quod sint eiusdem prædicati de eodem subiecto, non æquiuocè, & cum aliȷs adiunctis, quæ explicantur lib. 1. Elench. cap. 5.* ergo cuilibet enunciationi opponi tur cõtradictoriè altera enunciatio.

De

De cæteris oppositionibus enunciationum, ac de regulis earum. Cap. V.

1 *QVoniam autem sunt hæ quidem rerum vniuersales, illæ vero singulares. (dico autem vniuersale, quod in pluribus prædicari natum est: singulare vero, quod non: vt homo quidem vniuersalium est, Callias vero eorum, quæ sunt singularia): necesse est quoque enunciare quòd inest aliquid, aut non, aliquando quidem alicui eorum, quæ vniuersalia sunt, aliquando autem eorum, quæ singularia sunt.*

2 *Si ergo in vniuersali vniuersaliter enunciet quis, quod est, aut non est, contrariæ enunciationes erunt. Dico autem in vniuersali enunciare vniuersaliter: vt omnis homo albus est, nullus homo albus est. Quando autem in vniuersalibus, non vniuersaliter autem, non sunt contrariæ: quæ autem significantur, est esse aliquando contraria. Dico autem non vniuersaliter enunciare in ijs, quæ vniuersalia sunt, vt est albus homo, non est albus homo. Cùm enim vniuersale sit homo, non vniuersaliter vtitur enunciatione. Omnis nanque non vniuersale significat, sed quòd uniuersaliter. In eo uero, quod prædicatur uniuersale, id quod est uniuersaliter prædicare, non est uerum. Nulla enim affirmatio uera erit, in qua cùm uniuersale sit prædicatum, uniuersaliter prædicatur: ut est omnis homo omne animal. Opponi autem affirmationem negationi dico contradictoriè, quæ uniuersaliter significat eidem, quod non uniuersaliter. Vt omnis homo albus est, non omnis homo albus est: nullus homo albus est, aliquis homo albus est. Contrariè uero uniuersalem affirmationem, & uniuersalem negationem. Vt omnis homo iustus est, nullus homo iustus est.*

POstquam Aristoteles ostendit, quod cuilibet enunciationi opponitur contradictoriè altera enunciatio, per aliquas conclusiones explicat cæteras oppositiones enunciationum, ac tradit regulas earum.

1 Vt ponat primam conclusionem, per quam explicet, quando nam affirmatio, & negatio opponantur contradictoriè, & quãdo non opponantur contradictoriè, sed vel nullo modo opponantur, vel opponantur alio genere oppositionis, duo præmittit, ac supponit. Primum est, quod res affirmabiles, ac negabiles vel sunt vniuersales, vel singulares. Vniuersale est, *quod est prædicabile de pluribus*, vt *homo*: potest enim prædicari de pluribus hominibus. Singulare est, *quod non est prædicabile de pluribus*, vt *Callias*. Secundum est: subiectum vniuersale vel potest sumi vniuersaliter cum signo *omnis*, aut *nullus*; vel particulariter cum signo *aliquis*; vel indefinitè sine vllo signo: ex. gr. cum dico; *Omnis homo est albus*, vel *nullus homo est albus*, subiectum *homo* non solum est vniuersale, sed sumitur vniuersaliter: cum dico *aliquis homo est albus*, subiectum *homo* sumitur particulariter: cum dico, *homo est albus* sumitur indefinitè.

2 His positis, prima conclusio est: affirmatio, ac negatio, per quam prædicatum affirmatur, vel negatur de eodem subiecto vniuersali, & vniuersaliter, sunt contrariæ: affirmatio, ac negatio, per quam prædicatum affirmatur, ac negatur de eodem subiecto particulariter, vel indefinitè non sunt contrariæ ratione formæ, licet aliquando sint contrariæ ratione materiæ, hoc est ratione rei significatæ: affirmatio, ac negatio eiusdem de eodem, quarum altera sit vniuersalis, altera particularis sunt contradictoriæ: affirmatio demum, in qua prædicatum sumitur vniuersaliter est falsa.

Probatur, & explicatur conclusio per singulas partes. Istæ duæ enunciationes, *Omnis homo est albus*, *nullus homo est albus* non solum sunt de subiecto vniuersali, quod subiectum est *homo*, sed etiam sumunt hominem vniuersaliter dicendo, *omnis homo*, *nullus homo*, ideo opponuntur contrariè, nec possunt esse simul veræ. E conuerso istæ, *aliquis homo est albus*, *aliquis homo non est albus*, sumunt hominem particulariter, ideoque non sunt contrariæ, sed possunt esse simul veræ: idemque dic de istis indefinitis *homo est albus*, *homo non est albus*. Addit tamen Aristoteles, quod aliquando res significatæ sunt contrariæ, ideoque licet propositiones particulares, vel indefinitæ ratione formæ possint esse simul veræ, non possunt esse simul veræ ratione materiæ, vt cum materia est necessaria, ac dicitur ex. gr. *homo est animal*, *homo non est animal*. At affirmationes, & negationes, quarum altera sit vniuersalis, altera particularis opponuntur contradictoriè, vt cum dicitur *omnis homo*

mo est albus, aliquis homo non est albus; nullus homo est albus, aliquis homo est albus. Demum si prædicatum sumatur vniuersaliter, enunciatio affirmatiua est falsa, vt cum dicitur, *omnis homo est omne animal*.

3 *Quocirca has quidem impossibile est simul esse veras: his verò oppositas contingit aliquando in eodem simul esse veras: vt non omnis homo albus est, & aliquis homo albus est. Quæcunque igitur contradictiones vniuersalium sunt vniuersaliter, necesse est alteram esse veram vel falsam: & quæcunque in singularibus sunt: vt est Socrates albus, non est Socrates albus. Quæcunque autem in vniuersalibus quidem, non vniuersaliter autem, non semper hæc quidem uera est, illa uerò falsa est. Simul enim uerum est dicere, quòd est homo albus, & quòd non est homo albus: Et est homo pulcher, & non est homo pulcher!*

4 *Si enim turpis est, non est pulcher: & si fit aliquid, non est. Videbitur autem subito inconueniens esse; iccirco quoniam uidetur significare idem, hoc, non est homo albus, & hoc, nullus homo est albus. Hoc autem neque idem significat, neque simul necessario.*

3 Secunda conclusio est: enunciationes contrariæ, hoc est quarum vtraque est vniuersalis, non possunt esse simul veræ, possunt esse simul falsæ: at enunciationes, quarum vtraque est particularis, quæ vocantur subcontrariæ, possunt esse simul veræ: contradictoriæ non possunt esse simul veræ, neque simul falsæ, sed altera est vera, altera falsa, idemque dic de affirmatione, ac negatione de subiecto singulari, vt cum dicitur, *Socrates est albus, Socrates non est albus*: indefinitæ demum possunt esse simul veræ.

4 Conclusio quoad alias partes patet ex dictis. Quoad vltimam partem de indefinitis probatur ab Aristotele ad hominem contra aliquos, qui dicebant indefinitam negatiuam semper esse vniuersalem, adeoque impossibile esse, vt si affirmatiua sit vera, etiam negatiua sit vera. Vt enim illi concedebant, indefinita affirmatiua non æquiualet vniuersali; ergo possunt esse veræ istæ duæ indefinitæ affirmatiuæ *homo est pulcher, homo est deformis*, quandoquidem vtraque est particularis; sed ex eo, quod homo est deformis, sequitur quod non sit pulcher, cum non possit esse simul deformis, ac pulcher; ergo si cum veritate huius *homo est pulcher*, stat veritas huius *homo est deformis*, stabit etiam veritas negatiuæ, quæ infertur ex affirmatiua *homo non est pulcher*: cum omni enim eo, cum quo stat veritas antecedentis, stat veritas consequentis; ergo falsum est, quod indefinita negatiua semper æquiualeat vniuersali: nam non æquiualet, & ideo potest contingere, vt vera sit indefinita negatiua, ac simul falsa sit vniuersalis negatiua.

5 *Manifestum est autem, quòd una negatio unius affirmationis erit. Hoc enim idem oportet negare negationem, quod affirmatio affirmauit, & ab eodem, uel ab aliquo singularium, uel ab aliquo uniuersalium: ut uniuersaliter, uel ut non uniuersaliter. Dico autem, ut est Socrates albus, non est Socrates albus. Si autem aliud aliquid ab eodem, uel ab alio idem, non est opposita, sed erit ab ea diuersa. Huic uero quæ est, omnis homo albus est, illa quæ est, non omnis homo albus est. Illi uero quæ est, aliquis homo albus est, illa quæ est, nullus homo albus est. Illi autem quæ est, est homo albus, illa quæ est, non est homo albus.*

6 *Quòd igitur una affirmatio uni negationi opponitur contradictoriè, & quæ sunt hæ, dictum est: & quòd contrariæ aliæ, & quæ sunt illæ, dictum est: & quòd non omnis uera uel falsa contradictio, & quare, & quando uera uel falsa.*

5 Tertia conclusio est: vni affirmationi opponitur contradictoriè vnica negatio, & vni negationi vnica affirmatio. Probatur, quia contradictio ex dictis est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem; ergo ad contradictionem requiritur, vt illud præcisè, quod affirmatur, negetur, & illud præcisè quod negatur, affirmetur, & de eodem, de quo affirmatur, negetur, de eodem, de quo negatur, affirmetur, seu subiectum sit singulare, seu sit vniuersale, seu sumatur vniuersaliter, seu sumatur non vniuersaliter; ergo huic affirmationi, qua dicitur *Socrates est albus* opponitur contradictoriè solum hæc negatio, *Socrates non est albus*: si vero negetur aliquod aliud prædicatum dicendo ex. gr. *Socrates non est musicus*, vel negetur idem prædicatum de alio subiecto dicendo *Plato non est albus*, non erit contradictio. Similiter huic: *Omnis homo est albus* contradicit hæc, *non omnis homo est albus*, seu *aliquis*

quis homo non est albus: si verò non præcisè negetur, quod omnis homo est albus, sed dicatur, quod non solum non omnis homo est albus, sed nullus est albus, non erit contradictio, sed contrarietas. Huic etiam *aliquis homo est albus* contradicit hæc *nullus homo est albus*: ly enim *nullus* significat idem ac *non ullus*, seu *non aliquis*. Demum huic indefinitæ *est homo albus* contradicit hæc *non est homo albus*.

6 Concludit Aristoteles epilogando dicta in quatuor positis conclusionibus. Dictum est enim, quod vni affirmationi opponitur contradictoriè vnica negatio, & explicatum est, quæ nam affirmationes, & negationes opponantur contradictoriè. Dictum est aliquas affirmationes, & negationes opponi contrariè, & explicatum est, quæ nam sint. Dictum est, quod non semper contradictio sumpta pro affirmatione, & negatione continet alteram propositionem veram, alteram falsam, cum affirmationes, & negationes vniuersales possint esse simul falsæ, particulares possint esse simul veræ. Demum explicatum est, quæ nam affirmationes, & negationes ita se habeant, vt altera sit necessario vera, altera necessario falsa, adeoque sint propriè contradictoriæ.


7 *Vna autem affirmatio & negatio est, quæ unum de uno significat, uel cùm sit uniuer-*
8 *sale uniuersaliter, uel non similiter.* * *Vt omnis homo albus est, non omnis homo albus est: est homo albus, non est homo albus: nullus homo albus est, aliquis homo albus est: si album unum significat. Si uero duobus unum nomen positum est, ex quibus non est unum, non est una affirmatio, neque una negatio: ut si quis ponat hoc nomen tunica, homini & equo: quòd tunica alba est; hæc non est una affirmatio, nec una negatio. Nihil enim differt hoc quam dicere quòd est homo equus albus: hoc autem nihil differt quàm dicere, est homo albus, & est equus albus. Si ergo hæ multa significant, & sunt plures, manifestum est, quòd & prima, uel multa, uel nihil significat. Neque enim est aliquis homo equus. Quare nec in his necesse est hanc contradictionem ueram, illam uero falsam esse.*

7 Iam quia dixit Aristoteles, quod vni affirmationi opponitur vnica negatio, ponit quartam conclusionem ad explicandum, quando nam affirmatio, vel negatio sit vna. Est ergo quarta conclusio: affirmatio, ac negatio vna est, quæ affirmat vnum prædicatum de vno subiecto, seu prædicatum, & subiectum sit vnum vt singulare, seu sit vnũ vt vniuersale, seu sumatur vniuersaliter, seu sumatur particulariter.

8 Probatur, & explicatur: nam non solum est vna hæc enunciatio, qua dicitur, *Petrus est albus* cuius subiectum est singulare, sed etiam hæ *homo est albus*, *omnis homo est albus*, *aliquis homo est albus*, quarum subiectum est vniuersale, idemque dic de negatiuis oppositis, *homo non est albus*, *nullus homo est albus*; *aliquis homo non est albus*. Ratio est, quia licet *homo* significet multos homines, significat tamen illos sub una ratione, & conceptu hominis. At si idem nomen significet plura æquiuocè sub diuersa ratione, & conceptu: Ex. gr. si nomen *vestis* significet, & hominem, & equum sub diuersis conceptibus hominis, & equi, tum enunciatio, qua diceretur *vestis est alba*, uel *vestis non est alba*, non esset una affirmatio, nec una negatio. Ratio est, quia hæc *homo, & equus est albus* non est una affirmatio, sed plures; sed tum illa, qua diceretur *vestis est alba*, idem significaret, ac ista, *homo equus est albus*; ergo non est una, sed plures, cum affirmaret album de pluribus; uel si dicatur quod uestis significat unum, cum homo, & equus non sint unum, sequitur, quod uestis nihil significet. Cum igitur quando nomen sumitur æquiuocè, nec affirmatio, nec negatio sit vna, non opponuntur contradictoriè, adeoque non est necesse, vt altera sit vera, altera sit falsa.

Ex doctrina huius capitis desumpserunt Summulistæ doctrinam de oppositionibus enunciationum, & earum regulis, licet tribus oppositionibus, quarum mentionem facit Aristoteles, addiderint quartam impropriam, quam vocarunt subalternam, per quam enunciationes conuenientes in qualitate differunt in quantitate, itaut altera sit vniuersalis, altera particularis. Has autem quatuor oppositiones communiter exhibet per appositam figuram.

Vtrum



Vtrum ex enunciationibus de futuris contingentibus altera sit determinate vera, altera determinate falsa. Cap. VI. & vlt.

1 *IN ijs ergo, quæ sunt, & quæ facta sunt, necesse est affirmationem uel negatio-*
2 *nem ueram esse, uel falsam.* Et in uniuersalibus quidem ut uniuersaliter, semper hanc quidem ueram, illam uero falsam esse, & in ijs quæ singularia sunt, quemad-*
3 *modum dictum est.* In uniuersalibus autem, quæ non uniuersaliter dicta sunt, non necesse est: dictum est autem & de his.*

QVia Aristoteles docuit ex contradictorijs alteram esse veram, alteram falsam, examinat, an, & quomodo id vericetur de omnibus contradictorijs.

1 Docet ergo primo, quod ex contradictorijs de præterito, ac de præsenti semper altera est determinatè vera, altera determinatè falsa.

2 Docet secundo, quod cum aliquid affirmatur, aut negatur de aliquo uniuersali uniuersaliter dicendo *omne est; non omne est; nullum est; non nullum est,* semper altera est uera, altera falsa, & hoc etiam contingit, cum aliquid affirmatur, ac negatur de singularibus pro tempore præsenti, uel præterito.

3 Docet tertio, quod cum aliquid affirmatur, ac negatur de subiecto uniuersali non uniuersaliter, sed particulariter, aut indefinitè dicendo *aliquod animal est album, aliquod animal non est album*, vel *animal est album, animal non est album,* non est necesse ut altera sit uera, altera falsa, cum tales propositiones non opponantur contradictoriè, ut explicatum est.

4 *In singularibus uero & futuris, non similiter. Nam si omnis affirmatio & negatio uera, uel falsa est, & omne necesse est esse, uel non esse. Quare si hic dicat futurum esse aliquid, ille uero non futurum dicat hoc ipsum, manifestum est, quòd necesse est uerum dicere alterum ipsorum, si omnis affirmatio uel negatio uera, uel falsa est: utraque enim non erunt simul in talibus. Nam si uerum est dicere, quòd album, uel non album, necesse est esse album, uel non album: & si est album, uel non album, uerum erat affirmare, uel negare: & si non est, falsum dicit: & si falsum dicit, non est. Quare necesse est semper affirmationem, aut negationem ueram esse, uel falsam. Nihil igitur neque est, neque fit, nec à fortuna, nec vtrumlibet contingit, neque erit, neque non erit: sed ex necessitate omnia, & non vtrumlibet contingit. Aut enim qui dicit verus est, aut qui negat. Similiter enim vel fieret, vel non fieret. Quod enim vtrumlibet contingit, nihil magis sic, vel non sic se habet, vel habebit.*

5 *Amplius autem, si est album nunc, verum erat dicere prius, quòd erit album. Quare semper fuit verum dicere quodlibet eorum quæ facta sunt, quod est, vel erit. Si autem semper verum fuit dicere, quod est, vel erit, non potest hoc non esse, vel non futurum esse. Quod autem non potest non fieri, impossibile est non fieri: & quod impossibile est non fieri, necesse est fieri: omnia igitur, quæ futura sunt, necesse est fieri. Nihil igitur vtrumlibet contingit, neque à fortuna erit. Nam si à fortuna, non ex necessitate.*

4 Dubium ergo remanet, utrum ex enunciationibus singularibus de futuris contingentibus, quales sunt hæ, *Socrates cras veniet, Socrates cras non veniet,* altera determinatè sit uera, altera falsa. Pro solutione quæstionis ponit tres conclusiones. Prima conclusio est: ex enunciationibus singularibus de futuris contingentibus non est necesse, ut altera sit determinatè uera, altera determinate falsa.

Pro-

Probat primo: si ex propositionibus, quibus dicitur ex. gr. *Socrates cras veniet, Socrates cras non veniet*, necesse est, ut altera determinatè sit uera, altera falsa, sequitur quod altera pars cōtradictionis erit ex necessitate, altera ex necessitate non erit; consequens est absurdum; ergo, &c. Prob. sequ. maioris: sit enim uera ex. gr. hæc *Socrates cras ueniet*, & per consequens sit falsa hæc *Socrates cras non veniet* (neque enim possunt esse simul ueræ, uel simul falsæ, cum sint contradictoriæ:) hoc posito sic argumentor: necesse est, ut si est uera affirmatio, qua dicitur, *Socrates cras veniet*, Socrates ueniat: & similiter necesse est, ut si est falsa negatio, qua dicitur *Socrates cras non veniet* Socrates ueniat; sed ex suppositione uera est posita affirmatio, & falsa est posita negatio; ergo necesse est, ut Socrates cras ueniat. Probatur maior: nam necesse est, ut si uera est affirmatio, qua dicitur, quod aliquid sit, illud sit: ex. gr. necesse est, ut si uerè affirmatur Petrum esse album, Petrus sit albus, & similiter necesse est, ut si est falsa negatio, qua dicitur, rem non esse, res sit; ex. gr. necesse est, ut si falso negatur Petrum esse album, Petrus sit albus: idemque proportionaliter dic de negatione. Si enim uerè dicitur, quod Petrus non sit albus, Petrus non est albus; & si falso dicitur Petrum esse album, Petrus non est albus: & è conuerso si Petrus est albus, uerè affirmatur Petrum esse album, & falso id ipsum negatur; & si Petrus non est albus, uerè negatur Petrum esse album, & falso affirmatur; ergo si uerè affirmatur, quod Socrates ueniet, & falso id negatur, necesse est, ut Socrates cras ueniat, impossibile est, ut non ueniat, idemque dic de alijs; ergo omnia euenient ex necessitate; sed quod euenit ex necessitate non euenit fortuito, neque casualiter, quia quod euenit fortuito, & casualiter potest non euenire, imo raro euenit; & similiter quod euenit ex necessitate, non euenit contingenter, quia illud solum euenit contingenter, quod est indifferens ad eueniendum, uel non eueniendum; ergo aufertur fortuna, casus, contingentia, libertas, atque indifferentia.

5 Probat secundo, & simul magis confirmat priorem rationem: illud enim, quod semper fuit necessarium, vt eueniret, & semper fuit impossibile, vt non eueniret, necessario euenit; sed semper fuisset necessarium, vt euenirent omnia, quæ eueniunt; & semper fuisset impossibile, vt non euenirent; ergo, &c. Probatur minor: nam si Petrus nunc est albus, semper fuit verum, quod pro hoc tempore erat futurus albus; sed posito, quod hoc semper fuerit verum, semper necesse fuit, vt hoc tempore esset albus; semper fuit impossibile, vt hoc tempore non esset albus; ergo &c.

6 *At vero nec quòd neutrum verum est dicere contingit: vt quòd neque erit, neque non erit.*

7 *Primum enim cum sit affirmatio falsa, negatio non vera erit: & cùm hæc falsa sit, contingit affirmationem non veram esse.*

8 *Et ad hæc, si verum sit dicere, quòd album est simul & magnum, oportet esse vtrunque. Si vero erit cras, oportet fore cras. Si autem neque erit, neque non erit cras, non erit vtrumlibet contingit: vt est nauale bellum: oporteret enim neque fieri nauale bellum, neque non fieri. Quæ ergo contingunt inconuenientia hæc sunt, & huiusmodi alia, si quidem omnis affirmationis & negationis, aut in vniuersalibus dictis vt vniuersaliter, vel in ijs, quæ sunt singularia, necesse est oppositarum, hanc quidem veram esse, illam vero falsam. Nihil autem vtrumlibet contingit esse in ijs, quæ fiunt, sed omnia esse, & fieri ex necessitate.*

6 Secunda conclusio est: neque etiam potest dici, quod ex contradictorijs de futuris contingentibus neutra sit vera: ex. gr. quod ex duabus enunciationibus, per quarum vnam dicatur, *Socrates cras veniet*, per alteram dicatur *Socrates cras non veniet*, neutra sit vera.

7 Probat primo, quia affirmatio, quæ affirmat aliquid, quod non est verum, eo ipso est falsa; sed affirmatio dicens *Socrates cras veniet*, affirmat aliquid non verum, alioquin esset vera; ergo est falsa; sed impossibile est, ut si affirmatio est falsa, negatio sit non vera, & hoc sequitur si neutra est vera; ergo falsum est, quod neutra sit vera. Rursus si negatio non est vera, est falsa, & tamen affirmatio non est vera, quod pariter est impossibile.

8 Secundo probat. si verum est dicere, quod aliquid est magnum, & album, necesse est, vt sit album, & magnum; ergo ex opposito si neque verum est dicere, quod sit

sit magnum, neque quod sit album, necesse est, vt neque sit magnum, neque album; ergo si neque est verum dicere, quod pugna naualis fiet, neque quod non fiet, necesse est, vt pugna neque fiat, neque non fiat; sed est impossibile, vt potentia ad hoc vt aliquid fiat, vel non fiat, coniungatur cum necessitate, vt neque fiat, neque non fiat; ergo non datur potentia vt pugna naualis fiat, vel non fiat; ergo adhuc aufertur omnis potentia ad vtramlibet partem contradictionis, omnis indifferentia, & contingentia, omnis libertas, atque omnia eueniunt ex necessitate.

9 *Quare neque consultare oportebit, neque negotiari: quòd si hoc quidem facimus, erit hoc: si vero non hoc, non erit hoc. Nihil enim probibet, & in annum decies millesimum, hunc quidem dicere hoc futurum esse, illum vero non dicere: quare ex necessitate erit vtrumlibet eorum, quod ab ipso verum erat dicere tunc. At vero nec hoc differt, si aliqui dixerint contradictionem, vel non dixerint. Manifestum enim, quòd sic se habent res, etiam si non hic quidem affirmauerit quid, ille vero negauerit. Non enim propter negare vel affirmare erit, vel non erit, nec in decies millesimum annum magis, quàm in quantolibet tempore. Quare si omni tempore sic se habebat, vt alterum vere diceretur, necesse erat hoc fieri: & vnumquodque eorum, quæ fiunt, semper sic se habebant vt ex necessitate fieret. Si enim vere dixit quis, quod erit, non potest non fieri: & quod factum est, verum erat dicere semper, quòd erit. Si itaque hæc impossibilia sunt: videmus enim esse futurorum principium, & ab eo quod consultamus, atque aliquid agimus: & quod est, omnino in ijs quæ non semper actu sunt, possibile esse, & non esse similiter, in quibus vtrumque contingit & esse, & non esse, quare & fieri, & non fieri: & multa nobis manifesta sunt sic se habentia: vt quòd hanc vestem possibile est incidi, & non incidetur, sed prius exteretur: similiter autem & non incidi possibile est, non enim esset eam prius exteri, nisi possibile esset non incidi: quare & in alijs generationibus, quæ secundum huiusmodi potentiam dicuntur: manifestum igitur est, quòd non omnia ex necessitate, vel sunt, vel fiunt: sed alia quidem vtrumlibet contingit, & nihil magis affirmatio, quàm negatio erat vera, vel falsa: alia vero magis quidem, & vt in pluribus alterum, nihilominus contingit fieri & alterum, alterum vero minime.*

9 Quod verò sit absurdum, vt omnia eueniant ex necessitate, probat Aristoteles, quia per hoc tolluntur consultationes. Vt quid enim consultamus de ijs, ad quæ datur necessitas antecedens omnem nostram consultationem? Si ergo ad omnes actiones datur necessitas antecedens nostram consultationem, frustra consultamus. Rursus, vt quid aggredimur res agendas, si ante omnem nostram operationem datur necessitas euentus? Ex. gr. si ante omnem curationem morbi datur necessitas, vt ægrotus moriatur, cur aggredimur curationem morbi? Quod vero detur hæc necessitas probat, quia nihil prohibet, vt ante mille annos vnus dixerit, *morietur ex morbo*, alius dixerit *non morietur ex morbo*; sed vna ex istis propositionibus erat vera; ergo ante mille annos dabatur necessitas ad vnã partem contradictionis. Quod si nulla data esset propositio, adhuc data fuisset hæc veritas obiectiua, *sanabitur*, vel hæc veritas, *non sanabitur*. Nam propositio eatenus esset vera, quatenus esset verum, quod sanabitur; ergo adhuc data fuisset necessitas. Quod verò non omnia necessario eueniant, probat Aristoteles primo, quia consultamus de futuris, & de agendis; sed non consultaremus, nisi esset in nostra potestate facere, vel non facere; quod verò necessario fiet, non est in nostra potestate; ergo quædam futura non necessario fient. Secundo manifestum est, quod quædam possunt esse, & non esse, ex. gr. vestis potest scindi, & etiam non scindi; ergo possunt fieri, & non fieri; ergo cum vestis scinditur, posset non scindi, sed vetustate consumi sine arbitraria scissione; ergo non datur necessitas ad hoc, vt vestem scindam, alioquin non posset consumi vetustate; ergo non omnia fiunt ex necessitate, sed quædam sunt contingentia, ac possunt fieri, vel non fieri; quædam verò licet plerumque debeant fieri, tamen possunt aliquando, licet raro non fieri.

10 *Igitur esse quod est, quando est, & non esse quod non est, quando non est, necesse est: Sed non omne, quod est, necesse est esse, nec quod non est, necesse est non esse. Non enim idem est, omne quod est, necessario esse,*

esse, quando est, & simpliciter ex necessitate esse. Similiter autem & in eo quod non est. Sed & in contradictione eadem ratio est. Esse quidem, vel non esse omne necesse est, & futurum esse, vel non: non tamen diuidentem, dicere alterum necessarium. Dico autem, ut necesse est futurum esse bellum nauale cras, vel non futurum esse: non tamen fieri cras bellum nauale necesse est, neque non fieri: fieri tamen, vel non fieri necesse est.

11 ***Quare cùm similiter orationes veræ sint, quemadmodum & res, manifestum est, quid quæcunque sic se habent, ut sint utrumlibet contingit, & contraria suscipiant, necesse est similiter se habere, & contradictionem: quod contingit in ijs, quæ non semper sunt, uel non semper non sunt. Horum enim necesse est alteram partem contradictionis ueram esse, uel falsam, non tamen banc uel illam, sed utramlibet contingit: & magis quidem ueram alteram, non tamen iam ueram, uel falsam. Quare manifestum est, quòd non est necesse omnis affirmationis, uel negationis oppositarum, hanc quidem ueram, illam autem falsam esse. Non enim quemadmodum in ijs, quæ sunt, sic se habent, & in ijs, quæ non sunt quidem, possibilibus tamen esse, uel non esse, sed quemadmodum dictum est.***

10 Tertia conclusio est: necesse est, vt ex propositionibus de futuris contingentibus, altera indeterminatè sit vera, altera falsa; sed non est necesse, vt altera determinatè sit vera, altera falsa.

Vt probet, & explicet conclusionem distinguit Aristoteles duplicem necessitatem. Prima est necessitas consequens, & ex suppositione, per quam necesse est rem esse cum est, & ex suppositione quod sit; & necesse est rem non esse cum non est, & ex suppositione quod non sit: Ex. gr. necesse est, vt cum Socrates currit, currat; impossibile enim est, vt currendo non currat, & ex suppositione cursus, non currat. Similiter necesse est, vt cum Socrates non currit, non currat, ex eadem ratione. Hac necessitate consequenti, & ex suppositione, quæ est solum necessitas secundum quid, & non opponitur contingentiæ, cuncta sunt necessaria, vt patet. Secunda est necessitas simpliciter, per quam antecedenter, & nulla facta suppositione, necesse est, vt altera pars contradictionis determinatè sit, eo pacto, quo necesse est, vt sol cras oriatur, & vt cras non eclypsetur. Hæc necessitas opponitur contingentiæ, ac libertati, ideoque contingentia, ac libera non sunt necessaria determinatè necessitate antecedente, ac nulla facta suppositione. Sunt igitur solum necessaria indeterminatè secundum alteram partem contradictionis: ex. gr. non est necesse, vt cras fiat pugna naualis, neque est necesse, vt cras non fiat, sed est necesse, vt cras fiat, vel non fiat. Similiter non est necesse, vt Socrates cras peccet; neque est necesse, vt cras non peccet; potest enim liberè peccare, vel non peccare; sed est necesse, vt vel peccet, vel non peccet.

11 Hoc posito, sic probat Aristoteles conclusionem. Veritas enunciationum se habet sicut veritas rerum; sed non datur necessitas, ac determinatio, vt altera determinata pars contradictionis circa futura contingentia sit, altera non sit, sed datur indifferentia ad vtramlibet, & necessitas, vt sit hæc, vel illa indeterminatè: ex. gr. non datur necessitas, ac determinatio, vt Socrates cras peccet, neque vt non peccet, sed datur indifferentia ad hoc, vt peccet, vel non peccet, prout voluerit, & datur necessitas, vt vel peccet, vel non peccet, alioquin auferretur contingentia, & libertas; ergo similiter non datur necessitas, ac determinatio, vt circa futura contingentia sit vera potius affirmatio, quam negatio, sed datur indifferentia ad hoc, vt vtralibet sit vera, ac solum datur necessitas, vt altera indeterminatè sit vera: ex. gr. cum alter dicit *Petrus peccabit*, alter dicit *non peccabit*, sicut Petrus non est adhuc determinatus ad peccandum potius, quam non peccandum, sic adhuc non est determinatè verum quod peccabit, neque quod non peccabit. Si verò Petrus sit magis inclinatus ad peccandum, quam ad non peccandum, propositio affirmatiua erit probabilior. Concludit Aristoteles hoc esse discrimen inter enunciationes de futuro, & enunciationes de præsenti, ac præterito; ac per hæc absoluit hunc primum librum.

Quæritur an hæc Aristotelis doctrina sit vera, vel erronea, & contra fidem?

Respondeo, quod si ita intelligatur, vt neget solum propositiones de futuro contingenti habere de præsenti veritatem determinatam naturaliter in rebus creatis, est vera; si autem ita intelligatur, ut neget


ta-

tales propositiones habere ueritatem determinatam etiam in scientia diuina, atque in supernaturalibus reuelationibus, est falsa, contra fidem, & impia.

ARISTOTELIS PERIHERMENIAS, SEV DE INTERPRETATIONE. LIBER II.

De differentijs enunciationum simplicium, finitarum, vel infinitarum, de secundo, vel de tertio adiacente. Cap. I. Art. I.

1 *QVONIAM autem est aliquid de aliquo affirmatio significans: hoc autem vel nomen est, vel innominatum: vnum autem oportet esse, & de vno id, quod est in affirmatione: nomen autem dictum est, & innominatum prius: (non homo enim nomen quidem non dico, sed nomen infinitum: vnum enim significat aliquo modo infinitum nomen: quemadmodum & non ualet, non uerbum, sed infinitum uerbum) erit igitur omnis affirmatio, & negatio, uel ex nomine, & uerbo, uel ex infinito nomine, & uerbo. Sine uerbo autem nulla affirmatio, uel negatio est. Est enim, uel fuit, uel erit, uel fit, uel quaecunque alia huiusmodi uerba, ex ijs sunt, quae posita sunt: consignificant enim tempus.*



POSTQVAM Aristoteles lib. 1. egit de enunciatione, eiusque diuisione in simplicem, & compositam, affirmatiuam, & negatiuam, nec non de oppositione simplicium enunciationum, initio libri secundi descendit ad enumerandas varias differentias enunciationum simplicium.

1 Docet ergo primo, quod enunciatio simplex ad minimum constat ex nomine finito, vel infinito, & verbo. Probat, quia enunciatio simplex est affirmatio, ac negatio, in qua aliquid vnum affirmatur, vel negatur de aliquo vno, quod dicitur subiectum; sed illud subiectum, de quo aliquid affirmatur significatur per nomen finitum, vel infinitum, affirmatio verò significatur per verbum, vel casum verbi; ergo omnis enunciatio simplex constat ex nomine finito, vel infinito, & verbo. Probatur, & explicatur minor: nam vt aliquid affirmem, vel negem, debeo dicere *homo currit*, vel *non homo currit &c.* si dicam *homo currit* iam ly *homo* est nomen finitum: si dicam *non homo currit* iam ly *non homo* est nomen infinitum, & est vnum nomen infinitum, eo pacto, quo vt dictum est lib. 1. cap. 3. *non valet* est vnum verbum infinitum; ly verò *currit* est verbum significans de homine affirmationem cursus pro aliquo tempore, nec possum affirmationem, vel negationem significare, nisi per verbum *est*, vel aliud verbum, vel casum verbi dicendo *homo currit, homo currebat &c.* ergo omnis affirmatio simplex debet saltem constare ex verbo, ac nomine finito, vel infinito. Enunciatio por-

porrò, quæ constat solum ex nomine finito, vel infinito, & verbo dicitur enunciatio de secundo adiacente, quia talis enunciatio completur per verbum positum post nomen, adeoque adiacens secundo loco. E conuerso enunciatio, quæ præter nomen, & verbum *est* dicit aliud prædicatum, qualis est hæc, *homo est iustus*, dicitur de tertio adiacente, quia in ea verbum *est*, adiacet tertio loco, tanquam tertia dictio, per quam completur enunciatio.

2 *Quare prima erit affirmatio, & negatio, est homo, non est homo: deinde, est non homo, non est non homo. Rursus, est omnis homo, non est omnis homo: est omnis non homo, non est omnis non homo. Et in ijs, quæ extrinsecus sunt, temporibus, eadem ratio est.*

2 Docet secundo enunciationes de secundo adiacente posse quadrupliciter variari. Prima est affirmatio de nomine finito: secunda est negatio de nomine finito: tertia affirmatio de nomine infinito: quarta negatio de nomine infinito: Ex. gr. *homo est, homo non est*, sunt affirmationes, vel negationes de nomine finito vniuersali indefinitè sumpto: *non homo est, non homo non est*, sunt affirmationes, & negationes de nomine infinito. Similiter *omnis homo est, non omnis homo est*, sunt affirmationes, & negationes contradictoriæ de nomine finito vniuersaliter sumpto: *omnis non homo est, non omnis non homo est*, sunt affirmationes, & negationes de nomine infinito vniuersaliter sumpto. Eodem pacto diuersificari possunt enunciationes constantes ex verbo præterito, uel futuro.

3 *Quando autem, est, tertium adiacens prædicatur, dupliciter dicuntur oppositiones. Dico autem ut est iustus homo, ipsum, est, tertium dico adiacere nomen, uel uerbum in affirmatione. Quare ob id ipsum quatuor erunt illæ, quarum duæ quidem ad affirmationem, & negationem se habebunt secundum consequentiam, ut priuationes: duæ uero minime. Dico autem quòd, est, aut iusto adiacebit, aut non iusto: quare etiam negatio. Quatuor igitur erunt. Intelligimus vero quod dicitur ex ijs, quæ subscripta sunt: est iustus homo, huius negatio est, non est iustus homo: est non iustus homo, huius negatio est, non est non iustus homo: Est enim hoc in loco, est, & non est, iusto, & non iusto adiacebit. Hæc igitur, quemadmodum in Resolutorijs dictum est, sic sunt ordinata.*

3 Docet tertio enunciationes de tertio adiacente, quarum subiectum sit nomen finitum, uariari posse secundum duplicem oppositionem, & quatuor enunciationes. Prima oppositio est affirmatio, & negatio prædicati finiti: ex. gr. *homo est iustus, homo non est iustus*. Secunda oppositio est affirmatio, ac negatio prædicati infiniti: Ex. gr. *homo est non iustus, homo non est non iustus*. Et hæ sunt duæ oppositiones, & quatuor enunciationes de eodem subiecto finito, quod est *homo*. Hæc est igitur differentia inter enunciationes de secundo, ac de tertio adiacente, quod enunciationes de secundo adiacente uariari possunt secundum unicam oppositionem, & secundum duas tantum enunciationes circa idem subiectum, dicendo ex. g. *homo est, homo non est*. Ratio est, quia cum prædicatum includatur in uerbo, non potest infinitari, sed solum affirmari, uel negari dicendo, *est, non est*. At enunciationes de tertio adiacente possunt uariari secundum duplicem oppositionem, in quarum altera prædicatum finitum affirmetur, & negetur, in altera prædicatum infinitum affirmetur, & negetur, ut patet in exemplis allatis.

Addit Aristoteles, quod ex quatuor dictis enunciationibus, duæ se habent ad affirmationem, & negationem secundum consequentiam, sicut priuationes, duæ uero minimè. Quod quia est obscurissimè dictum, uarij uariè interpretantur. Ex doctrina Porphyrij, Boetij, ac S. Thomæ sensus est, quod ex quatuor dictis enunciationibus duæ affirmatiuæ ita se habent ad duas negatiuas, ut ex unaquaque affirmatiuarum per necessariam consequentiam inferatur altera negatiuarum; at duæ negatiuæ non ita se habent, ut ex unaquaque illarum inferatur altera affirmatiuarum, & in toto hoc enunciationes de prædicato infinito proportionantur enunciationibus de prædicato priuatiuo. Explicatur: ex quatuor allatis enunciationibus duæ sunt affirmatiuæ, altera finita *homo est iustus*, altera infinita *homo est non iustus*, duæ aliæ sunt negatiuæ, altera finita *homo non est iustus*, altera infinita *homo non est non iustus*. Ex unaquaque affirmatiuarum infertur altera ne-

gatiuarum. Nam ex affirmatiua finita *homo est iustus*, infertur negatiua infinita, *homo non est non iustus*. Necesse enim est, ut qui est iustus non sit non iustus, cum non possit simul esse iustus, & non iustus. Ex affirmatiua infinita *homo est non iustus* infertur negatiua finita *homo non est iustus*; necesse enim est, ut homo, qui est non iustus, non sit iustus, cum non possit simul esse non iustus, & iustus. E conuerso ex negatiuis non inferuntur affirmatiuæ. Neque enim ualet *equus non est homo iustus; ergo equus est homo non iustus*, cum neque sit homo iustus, neque sit homo non iustus. Similiter non valet *equus non est homo non iustus; ergo equus est homo iustus*, cum neque sit homo non iustus, neque sit homo iustus. In hoc verò enunciationes de prædicato infinito proportionantur enunciationibus de prædicato priuatiuo, quale in materia præsenti esset prædicatum *iniusti*; Licet enim ex hac affirmatiua de prædicato positiuo *homo est iustus*, inferatur negatiua de prædicato priuatiuo; *ergo homo non est iniustus*, cum non possit simul esse iustus, & iniustus, adhuc ex negatiua *homo non est iniustus*, non infertur; *ergo est iustus* cum possit nec esse iustus, nec iniustus, vt patet in puero, qui licet non sit iniustus, adhuc non est iustus. Proportionaliter licet ex hac affirmatiua de prædicato priuatiuo *homo est iniustus*, inferatur hæc negatiua *homo non est iustus*, cum non possit simul esse iniustus, & iustus, adhuc ex negatiua *homo non est iustus*, non infertur affirmatiua, *ergo homo est iniustus*, cum possit simul nec esse iustus, nec iniustus, vt iam probatum est exemplo pueri. Hoc totum explicatur per subiectam figuram.

Homo est iustus	Homo est non iustus
Homo non est non iustus	Homo non est iustus

Ex affirmatiuis enim sequuntur subiectæ negatiuæ: at ex subiectis negatiuis non sequuntur superiores affirmatiuæ, idemque ualebit si loco prædicati infiniti *non iustus* ponatur prædicatum priuatiuum *iniustus*, ut patebit in subiecta figura.

Homo est iustus	Homo est iniustus
Homo non est iniustus	Homo non est iustus.


4 *Similiter autem se habebunt & si vniuersaliter nominis sit affirmatio: vt omnis est homo iustus, negatio huius, non omnis est homo iustus: omnis est homo non iustus, non omnis est homo non iustus.*

5 *Tamen non similiter angulares veras esse contingit. Contingit autem aliquando.*

4 Docet quarto, quod sicut si nomen *homo* sumatur indefinitè, enunciationes uariantur secundum duplicem oppositionem, & quatuor enunciationes, sic si sumatur vniuersaliter, variantur secundum duplicem oppositionem, & quatuor enunciationes. Affirmatio, ac negatio contradictoriæ de prædicato finito sunt *omnis homo est iustus; non omnis homo est iustus*. Affirmatio, ac negatio contradictoriæ de prædicato infinito sunt *omnis homo est non iustus, non omnis homo est non iustus*.

5 Addit Aristoteles, quod ex quatuor indefinitis angulares possunt simul verificari; at ex quatuor, in quibus additur signum vniuersale *omnis* angulares non possunt simul verificari. Quæritur quid Aristoteles intelligat nomine enunciationum angularium. Probabilior est expositio Boetij, quam sequitur Caietanus, quod nomine angularium intelligantur duæ affirmatiuæ, altera de prædicato finito, altera de infinito, & duæ negatiuæ altera de prædicato finito, altera de infinito, eo quòd in figura, quam Aristoteles ponit 1. Prior. cap. vlt. hæ sint diametraliter oppositæ. Est autem hæc figura.

Affir-



Affirmationes igitur angulares in quibus de subiecto finito indefinitè sumpto affirmatur prædicatum finitum, & infinitum, ex. gr. hæ *homo est iustus*, *homo est non iustus*, sunt simul veræ, & negationes angulares ex. gr. *homo non est iustus*, *homo non est non iustus* sunt simul veræ, quia æquiualent particularibus. E conuerso affirmationes angulares, in quibus de subiecto vniuersali affirmatur prædicatum finitum, & infinitum non possunt in vlla materia esse simul veræ: ex. gr. hæ *omnis homo est iustus*; *omnis homo est non iustus* non possunt esse simul veræ. At negationes angulares, *non omnis homo est iustus*, *non omnis homo est non iustus*, possunt esse simul veræ, saltem in materia contingenti, cum sint particulares, & æquipolleant istis, *aliquis homo non est iustus*, *aliquis homo non est non iustus*.

Idem dic si loco prædicati infiniti *non iustus* ponatur prædicatum priuatiuum iniustus.

6 *Hæ igitur duæ oppositæ sunt mutuo. Aliæ autem duæ ad, non homo, quasi ad subiectum aliquod additum: vt, est iustus non homo: non est iustus non homo: est non iustus non homo: non est non iustus non homo. Plures autem his non erunt oppositiones. Hæ autem extra illa, ipsæ secundum se erunt, vt nomine vtentes eo, quod est non homo.*

6 Quinto docet, quod sicut enunciationes de tertio adiacente, quarum subiectum est nomen finitum variari possunt secundum duplicem oppositionem, & secundum quatuor enunciationes, sic proportionaliter enunciationes de tertio adiacente, quarum subiectum est nomen infinitum variari possunt secundum duas oppositiones, & quatuor enunciationes. Prima oppositio est affirmatio, & negatio prædicati finiti de subiecto infinito, vt cum dicitur *non homo est iustus*, *non homo non est iustus*. Secunda oppositio est affirmatio, & negatio prædicati infiniti de subiecto infinito, vt cum dicitur, *non homo est non iustus*; *non homo non est non iustus*. Porrò quia subiectum infinitum adæquatè distinguitur à finito, eo pacto, quo *non homo* distinguitur adæquatè ab homine, ideo enunciationes de subiecto infinito adæquatè distinguuntur ab enunciationibus de subiecto finito, ita vt neque illas partialiter contineant, neque in illis partialiter contineantur.

7 *In quibuscunque autem, est, non conuenit, vt in eo quod est, valere, & ambulare, in ijs idem facit sic positum, ac si, est, adderetur; vt, sanus est omnis homo: non sanus*

est omnis homo: sanus est omnis non homo: non sanus est omnis non homo.

8 *Non enim dicendum est, non omnis homo, sed, non, negationem, ad id quod est, homo, addendum est. Omnis enim non vniuersale significat, sed quod vniuersaliter. Manifestum est autem ex eo, quod est, valet homo, non valet homo: valet non homo, non valet non homo. Hac enim ab illis differunt, eo quod vniuersaliter non sunt. Quare omnis, vel nullus nihil aliud consignificat, quam quod vniuersaliter de nomine, vel affirmationem, vel negationem. Ergo & reliqua eadem oportet apponi.*

7 Sexto docet enunciationes, in quibus non ponitur uerbum substantiuum *est*, sed uerbum adiectiuum, ut cum dicitur, *homo currit, homo ualet*, uariari secundum oppositionem, & numerum, sicut enunciationes de secundo adiacente. Ratio est, quia ideo enunciationes de secundo adiacente uariantur solum infinitando subiectum, quia prædicatum significatum per uerbum substantiuum *est* non potest infinitari; sed ex eadem ratione non potest infinitari prædicatum significatum per uerbum adiectiuum: si enim uerbo adiectiuo præponatur in enunciatione particula negatiua *non*, & dicatur ex. g. *Socrates non currit*, prædicatum non infinitatur, sed negatur; ergo possunt solum infinitando, uel non infinitando subiectum dari quatuor enunciationes, in quibus uerbum adiectiuum prædicatur de nomine finito, uel infinito.

8 Aduertit, quod ut infinitetur nomen, cui adiectum est signum *omnis*, *nullus*, *aliquis*, *&c.* particula negatiua *non* non debet præponi ly *omnis*, aut *nullus*, sed nomini: Ex. gr. non debet dici, *Non omnis homo ualet*, sed *omnis non homo ualet*. Ratio est, quia syncategoremata *omnis*, *nullus*, *aliquis*, *&c.* non significant aliquid uniuersale, uel singulare, sed solum significant, quod nomen, cui adiunguntur, sumitur uniuersaliter, uel particulariter; ergo præponendo particulam *non* talibus signis, non infinitantur, sed solum mutatur quantitas ipsorum, ac proinde enunciatio mutatur ex uniuersali in particularem, ideoque *non omnis* significat *aliquis &c.* ergo ut non mutetur quantitas enunciationis, sed nomen, & enunciatio infinitetur, particula negatiua debet præponi nomini categorematico dicendo *omnis non homo est, &c.* Quod uerò *omnis*, & *nullus, &c.* solum consignificent, quod nomen sumitur uniuersaliter, uel particulariter, probatur, quia istæ enunciationes *homo currit*, *omnis homo currit*, differunt solum in hoc, quod in prima *homo* non sumitur uniuersaliter, in secunda sumitur uniuersaliter; ergo ly *omnis*, nihil addit supra ly *homo* nisi quod sumatur uniuersaliter; ergo ly *omnis*, & alia syncategoremata non tam significant, quam consignificant nomina, quibus adiunguntur sumi uniuersaliter, uel particulariter, ideoque dicuntur uoces non categorematicæ, sed syncategorematicæ, hoc est non significatiuæ, sed consignificatiuæ.

De Regulis explicatarum enunciationum. Cap.I. Art.II.

9 *QVoniã verò contraria est negatio ei quæ est, omne est animal iustum, illa quæ significat, quod nullum est animal iustum: hæ quidem manifestum est, quòd nunquàm erunt neque vera simul, neque in eodem.*

10 *His vero opposita, erunt aliquando: vt non omne animal iustum est, & est aliquod animal iustum. Sequuntur vero & hæ, eam quidem quæ est, omnis est homo non iustus, hæc, nullus homo est iustus: illam vero, est non omnis homo non iustus, opposita, quod est aliquis homo iustus. Necesse est enim aliquem esse.*

EXplicatis differentijs enunciationum simplicium finitarum, & infinitarum tradit Aristoteles aliquas regulas circa earum proprietates, hoc est circa oppositiones, æquipollentias, & consequentias, per quas regulas respondet etiam aliquibus dubijs circa dicta.

9 Prima regula est: duæ uniuersales affirmatiuæ, quarum altera affirmet prædicatum finitum, altera infinitum, non possunt esse simul ueræ: ex. gr. istæ duæ, *omnis homo est iustus*, *omnis homo est non iustus*, non possunt esse simul ueræ. Probatur, quia ex duabus propositionibus, quæ possunt esse simul ueræ, nihil necessario sequitur, quod non possit stare cum ueritate utriusque; sed ex uniuersali affirmatiua infinita, *omnis homo est non iustus*, sequitur ne-

necessario negatiua simplex *nullus homo est iustus*, quæ cum opponatur contrariè affirmatiuæ finitæ, *omnis homo est iustus*, non potest uerificari cum illa; ergo uniuersalis affirmatiua infinita non potest simul uerificari cum uniuersali affirmatiua finita.

10 Secunda regula est: particulares negatiuæ contradictoriè oppositæ dictis uniuersalibus possunt simul uerificari: ex. gr. hæ, *non omnis homo est iustus*, *non omnis homo est non iustus*, possunt simul uerificari. Probatur, quia quidquid sequitur necessario ex propositionibus, quæ possunt esse simul ueræ, potest stare cum ueritate utriusque; sed istæ duæ propositiones, *aliquis homo est iustus*, *non omnis homo est iustus* cum sint subcontrariæ, possunt esse simul veræ; ergo omnis propositio, quæ necessario sequitur ex affirmatiua, *aliquis homo est iustus*, potest esse simul vera cum hac negatiua, *non omnis homo est iustus*; sed ex affirmatiua prædicati finiti sequitur negatiua prædicati infiniti, adeoque ex hac, *aliquis homo est iustus*, sequitur, *ergo aliquis homo non est non iustus*, seu *non omnis homo est non iustus*; ergo istæ duæ negatiuæ particulares, *non omnis homo est iustus*, *non omnis homo est non iustus*, possunt simul verificari, adeoque possunt simul etiam verificari hæ, *aliquis homo non est non iustus*, *aliquis homo non est iustus*, cum æquipolleant duabus primis. Per has duas regulas probat Aristoteles, quod supra dixerat, angulares, nimirum vniuersales affirmatiuas finitam, & infinitam non posse esse simul veras, angulares negatiuas contradictorias dictis affirmatiuis, finitam, & infinitam posse esse simul veras.

11 *Manifestum est autem etiam, quòd in singularibus si verum est interrogatum negare, quòd & affirmare verum est. Vt, putasne, Socrates sapiens est? non. Socrates igitur est non sapiens. In vniuersalibus vero non est vera quæ similiter dicitur: vera autem negatio est. Vt putasne, omnis homo sapiens est? non. Omnis igitur homo non sapiens est: hoc enim falsum est: sed, non igitur omnis homo sapiens est, verum est. Hæc enim opposita est: illa vero contraria.*

12 *Quæ vero secundum infinita contraiacentes sunt nomina, & verba, vt in eo, quod est non homo, vel non iustus, quasi negationes sine nomine, & verbo esse videbuntur. Sed non sunt. Semper enim vel veram, vel falsam esse necesse est negationem: qui vero non homo dixit, nihil magis, quàm qui dicit homo, sed etiam minus verus, vel falsus fuit, nisi aliquid addatur.*

11 Tertia regula est: si ad interrogationem de singulari possumus verè respondere *non* vera est propositio affirmatiua prædicati infiniti: si verò ad interrogationem de vniuersali possumus verè respondere *non*, adhuc non sequitur esse veram vniuersalem negatiuam prædicati infiniti. Probatur, & explicatur exemplis. Si ad interrogationem *Socrates est sapiens?* Verè respondemus *non*, bene infertur, *ergo Socrates est non sapiens*: at etiamsi interroganti *omnis homo est ne sapiens?* verè respondeamus *non*, adhuc non sequitur; *ergo omnis homo est non sapiens*. Ratio est, quia ly *non* solum significat non esse veram propositionem, adeoque esse veram eius contradictoriam, non autem significat esse veram contrariam talis propositionis; sed istæ duæ *omnis homo est sapiens*; *omnis homo est non sapiens* non sunt æquiualenter contradictoriæ, sed contrariæ, cum vtraque sit vniuersalis; ergo ex falsitate primæ non sequitur veritas secundæ: solum sequitur veritas huius *non omnis homo est sapiens*, quæ est contradictoria illi, quæ negatur, *omnis homo est sapiens*. At istæ singulares *Socrates est sapiens*, *Socrates est non sapiens* sunt contradictoriæ saltem data constantia subiecti; ergo ex falsitate primæ sequitur veritas secundæ.

12 Quarta regula est: nomina, & verba infinita seorsim sumpta, licet videantur negationes, verè non sunt negationes. Probatur, quia necesse est, vt negatio vel sit vera, vel falsa; sed qui dicit *non homo* vel *non valet*, non magis dicit verum, vel falsum, quam qui dicit *homo*, vel *valet*; ergo sicut nomina, & verba finita seorsim sumpta non sunt affirmationes, sic nomina, & verba infinita seorsim sumpta non sunt negationes.

13 *Significat autem, est omnis non homo iustus, nulli illarum idem: nec huic opposita, quæ est, non est omnis non homo iustus.*

14 *Ea vero quæ est, omnis non iustus non homo est, illi quæ est, nullus est iustus non homo, idem significat.*

13 Quinta regula est: enunciationes ed subie-

subiecto infinito non æquiualent vllis enunciationibus de subiecto finito: ex. gr. hæc, *omnis non homo est iustus*, non æquiualet vlli enunciationi, qua quidquam affirmetur, aut negetur de homine. Probatur quia *homo*, & *non homo*, & vniuersim significatum nominis finiti, & infiniti distinguuntur totaliter, vt dictum est num. 6.; sed enunciationes de subiectis totaliter distinctis æquiualere nequeunt; ergo &c.

14 Sexta regula est: vniuersalis affirmatiua de subiecto, & prædicato infinito æquipollet vniuersali negatiuæ de eodem subiecto infinito, & prædicato finito: ex. gr. hæc, *omnis non homo est non iustus*, æquiualet huic, *nullus non homo est iustus*.

15 *Transposita vero nomina, & verba idem significant: vt est albus homo, & est homo albus. Nam si hoc non est, eiusdem multæ erunt negationes: sed ostensum est, quòd vna vnius est. Eius enim quæ est, est albus homo, negatio est, non est albus homo: eius autem quæ est, est homo albus, si non eadem est ei quæ est, est albus homo, erit negatio, vel ea quæ est, non est non homo albus, vel ea quæ est, non est homo albus. Sed altera quidem est negatio, ea, quæ est, non est non homo albus, eius, est non homo albus: altera vero eius quæ est, est albus homo. Quare erunt duæ vnius. Quod igitur transposito nomine & verbo, eadem fit affirmatio, & negatio, manifestum est.*

15 Septima regula est: licet negatio transposita variet significationem propositionis, ideoque non idem significetur dicendo *non omnis homo est iustus*, ac dicendo, *omnis homo est non iustus*, adhuc transpositio nominum, & verbi non variat significationem, ideoque idem significatur dicendo *est homo albus*, ac dicendo *est albus homo*, licet transponantur nomina *hominis*, & *albi*: & similiter idem significatur dicendo *est homo albus*, ac dicendo *homo albus est*, licet transponatur verbum *est*. Probatur: si hæc propositio, *est iustus homo* non idem significaret, ac ista, *est homo iustus*, sequeretur, quod eidem affirmationi opponerentur cõtradictoriè plures negationes; sed ostensum est lib. 1. cap. 5. num. 5. quod vni affirmationi contradictoriè opponitur vnica negatio; ergo &c. Probatur sequela; huic affirmationi *est albus homo*, contradictoriè opponitur hæc negatio *non est albus homo*; vel ergo hæc negatio opponitur contradictoriè etiam huic affirmationi *est homo albus*, vel non: si opponitur; ergo si diuersæ sunt affirmationes *est homo albus*, ac *est albus homo*, eadem negatio opponitur contradictoriè duabus diuersis affirmationibus, quod ex dictis est impossibile: si non opponitur contradictoriè; ergo huic affirmationi *est homo albus* opponitur contradictoriè aliqua alia negatio ab hac, *non est albus homo*, ex. gr. vel hæc *non est homo albus*, vel hæc *non est non homo albus*; sed vtraque est negatio etiam alterius; ergo vna negatio non opponitur contradictoriè vnicæ affirmationi, quod est absurdum. Probatur vltima minor; nam hæc *non est non homo albus* opponitur huic *est non homo albus*; ergo iam opponitur contradictoriè alteri affirmationi. Rursus hæc *non est homo albus* opponitur contradictoriè huic *est albus homo*, cum neque possit simul de eodem verificari, quod sit albus homo, & quod non sit homo albus, neque possit simul falsificari, quæ est proprietas contradictoriorum; ergo si opponitur contradictoriè etiam huic *est homo albus*, & hæc est diuersa affirmatio ab illa *est albus homo*, iam vna negatio opponitur contradictoriè pluribus affirmationibus, quod est impossibile; ergo istæ duæ *est homo albus*, *est albus homo* non sunt diuersæ affirmationes, adeoque affirmationes non variantur per transpositionem nominum.

De Enunciationibus non simplicibus, & earum differentijs. Cap. II. Art. I.

1 *AT vero vnum de pluribus, vel plura de vno affirmare, vel negare, nisi sit vnum aliquid, quod ex pluribus significatur, non est affirmatio, neque negatio vna. Dico autem vnum, non si vnum nomen positum sit, non sit autem vnum aliquid ex illis. Vt homo est fortasse & animal, & bipes, & mansuetum, sed ex his vnum fit: ex albo autem, & homine, & ipso ambulare non est vnum. Quare nec si vnum aliquid de his affirmet aliquis, erit affirmatio vna: sed vox quidem vna, affirmationes vero multæ: nec si de vno ista, sed similiter multæ.*

2 Si

2 *Si ergo dialectica interrogatio responsionis est petitio, vel propositionis, vel alterius partis contradictionis, propositio vero contradictionis est vnius pars: non erit vna responsio ad hac. Neque enim interrogatio vna, neque etiam si sit vera. Dictum est autem de his in Topicis. Simul autem manifestum est, quòd nec hoc ipsum, quid est, dialectica interrogatio est: oportet enim datum esse ex interrogatione, eligere, vtrã velit contradictionis partem enunciare: sed oportet interrogantem determinare, vtrum hoc sit homo, an non hoc.*

1 POstquam Aristoteles egit de differentijs enunciationum simplicium, agit de differentijs enunciationum non simplicium: ac primo ex ipsa definitione enunciationis simplicis explicat, quid sit enunciatio non simplex. Enunciatio simplex est affirmatio, ac negatio vnius de vno; ergo enunciatio, in qua non affirmatur vnum de vno non est simplex. Et quia dupliciter potest contingere, vt non affirmetur, aut negetur vnum de vno: primo quià vnum affirmatur, aut negatur de pluribus, ex quibus non fit vnum: secundo quia plura, ex quibus non fit vnum, affirmantur, aut negantur de vno; ideo duplex est differentia enunciationis non simplicis. Prima est enunciatio non simplex ex parte prædicati, in qua plura, ex quibus non fit vnum, affirmantur, aut negantur de vno: secunda est non simplex ex parte subiecti, in qua vnum affirmatur, aut negatur de pluribus, ex quibus non fit vnum. Porrò ad hoc, vt ex pluribus fiat vnum, non sufficit, vt significentur vno nomine, sed requiritur, vt significentur, in quantum conueniunt in vna ratione. Ideò supponendo, quod ratio hominis sit *animal bipes mansuetum*, licet *homo* significet *animal mansuetum bipes*, adhuc est vnum: at *homo*, *albus*, *ambulans* non sunt vnum, quià ex his non fit vna ratio, ideoque, etiamsi hæc tria significarentur vno nomine, adhuc enunciatio, qua vnum prædicaretur de homine, ambulante, albo, in quantum significarentur vno nomine non esset vna; nec esset enunciatio vna, qua homo, albus, ambulans prædicaretur de aliquo vno.

2 Hinc infert Aristoteles, quod sicut enunciatio non est vna, nisi sit vnius de vno, sic interrogatio dialectica non est vna, nisi interroget vnum de vno, an sit, vel non sit, neque responsio est vna. Ratio est, quia interrogatio dialectica est, per quam quæritur, vt admittatur altera pars contradictionis, relinquendo optionem respondenti, vt annuat, vel contradicat; sed vna contradictio est affirmatio, ac negatio vnius de vno; ergo vna interrogatio dialectica est vnius de vno: ex. gr. vna interrogatio dialectica est, *homo est ne albus, an non?* propositio verò dialectica est vna pars contradictionis, ex. gr. *homo est albus*, & hæc eadem, cum assertur interroganti, est vna responsio; ergo sicut interrogatio, in qua non quæritur vnum de vno non est vna, etiamsi nomen sit vnum, sic nec responsio potest esse vna, etiamsi afferatur per vnum nomen, & sit vera: ex. gr. si quis quærat, *canis est ne substantia?* nomine canis significans cœlestem, terrestrem, & marinum, non est vna interrogatio, sed tres: ideoque si quis respondeat *canis est substantia* intelligendo, quod terrestris, cœlestis, & marinus est substantia, non est vna responsio, etiamsi vera sit, & afferatur per vnum nomen, sed sunt tres responsiones. Addit Aristoteles de his actum esse in topicis, lib. 1. cap. 8. & 9. vbi actum est de interrogatione, propositione, & responsione dialectica. Ex eo autem, quod interrogatio dialectica debeat esse petitio, in qua quæritur, vt acceptetur altera pars vnius contradictionis, sequitur quod interrogatio, qua quæritur *quid est res?* non est dialectica, quià quærit determinatè vnam partem contradictionis. Vt ergo sit dialectica, debet ita formari, *homo est ne hoc, vel non?* ex. gr. *homo est ne animal rationale, vel non?* tum enim relinquitur optio acceptandi alteram partem contradictionis.

Vtrum omnia prædicata, quæ possunt prædicari separatim, possint prędicari coniunctim, & è conuerso; & quæ in hoc sit regula. Cap. II. Art. II.

3 *QVoniam vero hæc quidem prædicantur composita, vt vnum omne prædicatum fiat, eorũ, quæ extra prædicantur: alia vero non; quæ est differentia? De homine enim verum est dicere, & extra animal, & extra*

tra bipes, & hæc vt vnum: & hominem, & album, & hæc vt vnum: sed non si coriarius est, & bonus, etiam coriarius bonus.

4 *Si enim quoniam vtrunque verum, esse oportet & simul vtrunque, multa inconuenientia erunt. De homine enim & hominem verum est dicere, & album: quare & omne. Rursus si album ipsum, & omne. Quare erit homo albus albus, & hoc in infinitum. Et rursus musicus albus ambulans, & hæc eadem frequenter implicita in infinitum. Amplius si Socrates, Socrates est, & homo: & Socrates Socrates homo, & si homo & bipes, erit homo bipes. Quòd igitur si quis simpliciter dicat complexiones fieri, multa accidit dicere inconuenientia, manifestum est.*

3 POstquam Aristoteles docuit enunciationem, in qua plura prædicantur de vno, non esse simplicem, proponit, & soluit duo dubia circa consequentias plurium prædicatorum. Primum est, an semper valeat consequentia à prædicatione, qua plura prædicantur de vno seorsim, ad prædicationem, qua prædicantur coniunctim, vel aliquando valeat, aliquando non valeat, & quæ sit regula id discernendi: secundum est, an semper valeat consequentia à prædicatione, qua quædam prædicata prædicantur coniunctim ad eadem prædicanda seorsim.

Vt respondeat primo dubio, ponit hanc conclusionem. Non semper quæ prædicantur seorsim, prædicari possunt coniunctim, adeoque non semper valet consequentia à prædicatis seorsim ad eadem coniunctim. Probatur, quia de homine potest prædicari seorsim, quod sit animal, & quod sit bipes, & potest etiam coniunctim prædicari, quod sit animal bipes. At de aliquo potest seorsim prædicari, quod sit coriarius, seu sutor, & quod sit bonus, & tamen non potest coniunctim dici, quod sit bonus sutor, sed potius debet dici, quod sit sutor malus, & ineptus.

4 Confirmatur, quia si semper quæ possunt prædicari seorsim, possunt prædicari coniunctim, sequetur nugatio, & infinita repetitio in propositione; ergo &c. Probatur antecedens: de Socrate ex. gr. potest dici, quod sit homo, & quod sit albus; ergo si quæ prædicantur seorsim, possunt coniungi, poterit etiam dici, quod *Socrates est homo albus*. Rursus potest de Socrate seorsim dici *est homo albus*, & *est albus*; ergo poterunt etiam hæc coniungi dicendo, *Socrates est homo albus, albus*, & sic in infinitum, adeoque sequitur infinita nugatio. Rursus potest de Socrate dici coniunctim quod est *musicus ambulans albus*. & seorsim, quod est *musicus*, & quod est *ambulans*, & quod est *albus*; ergo coniungendo hæc potest dici, quod est *musicus ambulans albus musicus* idem repetendo, & multis modis variando. Similiter de hoc indiuiduo potest dici seorsim *hic est Socrates*, *hic est homo*; ergo & coniunctim *hic est Socrates homo*; ergo coniungendo hoc coniunctum cum ijs, quæ dicuntur seorsim poterit dici, *hic est Socrates, Socrates, homo, homo*. Demum de Socrate potest dici seorsim quod est *homo*, & quod est *bipes*; ergo & coniunctim quod est *homo bipes*; sed loco hominis potest poni definitio hominis, quæ est *animal bipes*; ergo poterit dici, quod *Socrates est animal bipes, bipes*; ergo cum hæc sint inconuenientia, non omnia, quæ possunt prædicari seorsim, possunt etiam prædicari coniunctim.

5 *Quemadmodum autem ponendum est, nunc dicimus. Eorum igitur, quæ prædicantur, & de quibus prædicari accidit, quæcunque secundum accidens dicuntur, vel de eodem, vel alterum de altero, hæc non erunt vnum: vt homo albus est, & musicus: sed non est vnum album & musicum: accidentia enim sunt vtraque. Nec si album, musicum verum est dicere, tamen non erit album musicum vnum aliquid: secundum accidens enim album musicum. Quare non erit album musicum vnum aliquid.*

6 *Quocirca nec coriarius bonus simpliciter: sed animal bipes. Non enim secundum*
7 *accidens. * Amplius nec quæcunque insunt in altero. Quare neque album frequenter: neque homo homo animal est, vel bipes. Insunt enim in homine animal, & bipes.*

5 Quæritur regula ad discernendum quando prædicata, quæ prædicantur seorsim possint, vel non possint prædicari coniunctim. Vt ponat hanc regulam, distinguit Aristoteles duo genera prædicatorum. Ex prædicatis quædam inuicem vniuntur non per se, & ratione sui, sed solum per accidens,

dens, in quantum adueniunt eidem tertio, vt *album*, & *musicum*. Non enim albedo, & musica vniuntur per se ratione sui, sed solum per accidens, in quantum accidunt eidem subiecto, ex. gr hominí, ideoque & album, & musicum per accidens prædicantur de homine, dicendo *homo est albus, & musicus*; & album per accidens prædicatur de musico, & è conuerso, dicendo *album est musicum; musicum est album*. Quædam verò prædicata inuicem coniunguntur per se, vt *animal bipes*. Bipes enim per se, & ratione sui dicitur de animali tanquam illud actuans, & determinans.

Posita hac distinctione: prædicata, quæ vniuntur per se, & ratione sui, si possunt prædicari seorsim, possunt etiam prædicari vt vnum coniunctum: at prædicata, quæ vniuntur, & adunantur solum ratione alterius, possunt solum prædicari seorsim. Et quia *animal bipes* sunt vnum per se, & ratione sui, ideo non solum potest dici, quod homo est *animal, & bipes*, sed etiam quod *est animal bipes*, ita vt *esse animal bipes* sit vnum. E conuerso quia *album*, & *musicum* non sunt vnum per se, & ratione sui, ideo non potest dici, quod *Socrates est album musicum* ita vt *esse album musicum* sit vnum.

6 Hinc patet primo, cur non valeat *est sutor, & est bonus; ergo est sutor bonus*: bonus enim, & sutor non adunantur per se, ita vt bonitas actuet sutorem, sed solum per accidens, in quantum idem & est bonus, & est sutor.

7 Patet secundo, cur non sequatur nugatio. Ratio est, quia prædicata, quæ dicuntur seorsim, non possunt coniungi cum eo, in quo includuntur, cum coniunctio significet *non inclusionem*; sed in homine albo iam includitur *album*; ergo non potest dici *est homo albus, albus*: & ex eadem ratione, quia *bipes* includitur in homine, non potest dici *est homo bipes*: eo enim ipso est nugatio saltem implicita, vt patet, si loco hominis ponatur definitio hominis, quæ est *animal bipes*, & dicatur *est animal bipes bipes*.

8 *Verum est autem dicere de aliquo & simpliciter: vt aliquem hominem hominem, aut aliquem album hominem, hominem album, non autem semper.*

9 *Sed quando in adiecto quidem aliquid oppositorum insit, quod consequitur contradictio, non verum, sed falsum est: vt hominem mortuum, hominem dicere: quando autem non insit, verum.*

10 *Aut quando insit quidem, semper non verum est: quando vero non insit, non semper verum est. Vt Homerus est aliquid, vt poeta: vtrum igitur est? an non. Secundum accidens enim prædicatur est, de Homero (quòd enim est poeta) sed non secundum se prædicatur de Homero ipsum*

11 *est.* * *Quare in quibuscunque prædicationibus neque contrarietas inest, si definitiones pro nominibus dicantur, & secundum se prædicentur, & non secundum accidens, in his aliquid & simpliciter verum erit dicere. Quod autem non est, quoniam opinabile est, non est verum dicere esse aliquid. Opinio enim eius est, non quod est, sed quod non est.*

8 Vt respondeat secundo dubio, ponit hanc conclusionem: non semper quæ possunt prædicari coniunctim, possunt prædicari seorsim. Probatur, & explicatur: licet enim eo ipso, quod de Socrate possit coniunctim dici, quod *est homo albus*, possit etiam dici seorsim, quod *est homo*, & quod *est albus*: non tamen eo ipso, quod aliquis est *sutor bonus*, potest dici seorsim, quod *est bonus*. Sed quæritur regula ad id discernendum.

9 Duas regulas Aristoteles assignat, alteram negatiuam, alteram affirmatiuam. Prima regula negatiua est: quando prædicatum coniunctum est tale, vt nomen coniunctum alteri nomini trahat illud ad significandum oppositum cōtradictoriè ei, quod tale nomen significat separatum, tum licet sit verum coniunctum, non est verum separatum. Explicatur: cum dicitur *cadauer est homo mortuus*, ly *mortuus* additum homini, trahit hominem ad significandum oppositum contradictoriè ei, quod significat *homo* secundum se. Cum enim *homo* secundum se significet *corpus animatum anima rationali*, *mortuus* significat *corpus iam carens anima rationali*: idcirco licet de cadauere verificetur coniunctim, quod *est homo mortuus*, non verificatur seorsim, *quod est homo*, alioquin simul verificarentur contradictoria, nimirum *cadauer est corpus animatum anima rationali; cadauer est corpus priuatum anima rationali*.

10 Verum hæc regula est negatiua: verificatur enim vniuersaliter, quod cum prædicatum coniunctum constat ex oppositis,

non

non possunt singula prædicari seorsim: at non est affirmatiua, quia non verificatur vniuersaliter, quod quando prædicatum coniunctum non constat ex oppositis, possint singula prædicari etiam seorsim. Patet: nam verificatur *Homerus est poeta*, ideoque de Homero verificatur *quod est* sumendo ly *est* coniunctim cum poeta, & tamen non eo ipso verificatur seorsim *Homerus est*. Ratio est, quia cum dicitur *Homerus est Poeta* ly *est* non prædicatur per se ratione sui, sed solum est nota, quod de Homero prædicatur poesis: at cum dicitur *Homerus est*, ly *est* prædicatur ratione sui, & affirmatur, quod est simpliciter. Et quia potest aliquis esse secundum quid, quod solum affirmatur dum dicitur, *quod est poeta*. & non esse simpliciter, quod affirmatur dum dicitur, *quod est*, ideò potest esse verum, quod *est poeta*, & esse falsum, *quod est* simpliciter.

11 Secunda igitur regula affirmatiua est: cum prædicata, quæ coniunguntur non sunt opposita, & prædicantur de subiecto per se, & ratione sui, ac non solum ratione alterius prædicati, tum possunt etiam de subiecto prædicari seorsim. Ad hoc ergo, vt prædicata, quæ dicuntur coniunctim, possint etiam dici seorsim, duæ requiruntur conditiones. Prima est, vt non sint opposita. Ex defectu huius conditionis, licet *homo mortuus* coniunctim prædicetur de cadauere, adhuc *homo* seorsim prædicari non potest, vt explicatum est numer. 9. Secunda est, vt vtrumque prædicatum conueniat subiecto ratione sui, & non ratione alterius prædicati, cum quo coniungitur: & quia cum dicitur *Homerus est Poeta* ly *est* dicitur de Homero non ratione sui, sed ratione prædicati, cui adiungitur, ideò non valet; *ergo Homerus est*: & similiter quia cum dicitur *Petrus est sutor bonus* ly *bonus* dicitur de Petro ratione *sutoris*, cui adiungitur, ideo non potest inferri; ergo *Petrus est bonus*. Hinc infertur non valere, *non ens est opinabile; ergo non ens est*. Nam *non ens* in tantum est opinabile, in quantum verè de illo opinamur, ac dicimus, *quod non est*; ergo ex eo, quod possimus de illo verè opinari, *quod non est*, non sequitur quod sit, sed sequitur quod non sit: sicut ex eo, quod de impossibili possimus verè opinari, quod non est, nec potest esse, non sequitur quod sit, sed sequitur quod non sit, & quod hoc vnicum de ipso sit verum, quod nec est, nec potest esse.

De enunciationibus modalibus, & earum oppositionibus. Cap. III. Art. I.

1 *His vero determinatis, considerandum est, quemadmodum sese habent negationes & affirmationes ad se inuicem, quæ sunt de possibili esse, & non possibili, & de contingenti, & non contingenti, & de impossibili, & necessario: habent enim aliquas du-*
2 *bitationes. * Nam si eorum, quæ complectuntur, illæ sunt sibi inuicem oppositæ contradictiones, quæcunque secundum esse, & non esse disponuntur: vt eius quæ est, esse hominem, negatio est, non esse hominem, non ea quæ est, esse non hominem: & eius quæ est, esse album hominem, ea quæ est, non esse album hominem, sed non ea quæ est, esse non album hominem, (si enim de omni aut affirmatio, aut negatio est, lignum erit verum dicere esse non album hominem:) quòd si hoc modo & in quibuscunque esse non additur, idem faciet, quod pro esse dicitur: vt eius quæ est, homo ambulat non hæc ambulat non homo, negatio erit, sed hæc, non ambulat homo. Nihil enim differt dicere hominem ambulare, vel hominem ambulantem esse. Quare si hoc modo vbique, & eius quæ est possibile esse, negatio erit possibile non esse, sed non ea quæ est, non possibile esse.*

POstquam Aristoteles egit de enunciationibus tum simplicibus, tum non simplicibus, quæ vocantur *de inesse*, agit de modalibus. Sunt autem enunciationes modales, *per quas explicatur modus, quo prædicatum subiecto inest, vel non inest*: enunciationes verò *de inesse* sunt, *per quas talis modus non explicatur*: ex. gr. hæc propositio *homo est animal* est *de inesse*, hæc autem *necessarium est hominem esse animal* est modalis.

1 Supponens igitur Aristoteles quatuor esse præcipuos modos; *possibile, contingens, impossibile, & necessarium*, præmittit esse examinandum, quo pacto assignandæ sint affirmationes, ac negationes in enunciationibus modalibus, quibus dicitur ex. gr. *possibile est esse, non possibile est esse; possibile*

est

est non esse &c. Quæstio verò præcipua est, vtrum ad assignandam propositionem contradictoriam, negatio debeat præponi modo, vel verbo, de quo dicitur modus. Sit ex. gr. hæc propositio affirmatiua *possibile est alium mundum esse*. In hac propositione datur modus, & verbum, de quo dicitur modus. Modus est *possibile est*; verbum de quo dicitur modus est ly *esse*. Quæritur ergo, vtrum ad assignandam eius contradictoriam, negatio debeat præponi modo, dicendo *non est possibile alium mundum esse*, an verò debeat præponi dicto, seu verbo modificato, dicendo, *possibile est alium mundum non esse*.

2 Vt quæstionem resoluat, arguit Aristoteles primo ad ostendendum, quod negatio debeat præponi verbo modificato. In cæteris complexionibus, siue enunciationibus tum de secundo, tum de tertio adiacente, tum per verbum substantiuum, tum per adiectiuum, enunciationes contradictoriæ assignantur præponendo negationem verbo, & non nomini; sed modi explicantur per nomina *possibilis, impossibilis &c.*; ergo negatio debet præponi non modis, sed verbo. Probatur maior, & explicatur argumentum: contradictoria huius propositionis de secundo adiacente *homo est*, assignatur hæc *homo non est*; hæc autem *non homo est*, non est eius contradictoria, sed est propositio affirmatiua de subiecto infinito. Similiter contradictoria huius propositionis de tertio adiacente, *Socrates est homo albus*, est hæc *Socrates non est homo albus*; hæc autem *Socrates est homo non albus* non est eius contradictoria, vt patet ex eo, quia affirmatio, ac negatio eiusdem non possunt simul falsificari de vllo subiecto; sed *esse hominem album*, & *esse hominem non album* possunt simul falsificari de eodem subiecto, ex. gr. de Leone verificatur, quod neque est homo albus, neque est homo non albus; ergo *esse hominem album*, & *esse hominem non album* non sunt eiusdem affirmatio, ac negatio; ac proinde negatio contradictoria affirmationi, quæ de subiecto dicitur, quod *sit homo albus* non est, quod sit *homo non albus*. Demum negatio contradictoriè opposita huic affirmationi per verbum adiectiuum *homo ambulat*, quæ æquiualet huic *homo est ambulans* est hæc *homo non ambulat*, siue *homo non est ambulans*, non autem hæc *non homo ambulat*; ergo proportionaliter negatio huius modalis *possibile est esse*, est hæc, *possibile est non esse*, non autem hæc *non possibile est esse*.

3 *Videtur autem idem posse & esse, & non esse. Omne enim, quod est possibile diuidi, vel ambulare, & non ambulare, & non diuidi possibile est. Ratio autem est, quoniam omne quod sic possibile est, non semper in actu est: quare inerit ipsi etiam negatio. Potest enim & non ambulare, quod est ambulatiuum, & non videri, quod est visibile. At vero impossibile est de eodem oppositas veras esse affirmationes, & negationes. Non igitur eius quæ est, possibile esse, negatio est hæc, possibile non esse. Contingit enim ex his, aut idem affirmare, & negare simul de eodem, aut non secundum esse, vel non esse, quæ apponuntur, fieri affirmationes, & negationes. Si ergo illud impossibile est, hoc erit magis eligendum.*

4 *Est igitur negatio eius quæ est, possibile esse, ea quæ est, non possibile esse, sed non ea quæ est, possibile non esse. Eadem quoque ratio est & in eo, quod est, contingens esse: etenim negatio eius est, non contingens esse: & in alijs quoque simili modo, vt in necessario, & impossibili. Fiunt enim quemadmodum in illis esse, & non esse, appositiones, subiectæ vero res, hoc quidem album, illud vero homo: eodem quoque modo hoc in loco, esse quidem & non esse, vt subiectum fit, posse vero & contingere appositiones sunt, determinantes (quemadmodum in illis esse, & non esse) veritatem, & falsitatem, similiter hæ in eo, quod est, esse possibile, & esse non possibile. Eius vero quæ est, possibile non esse, negatio est, non ea quæ est, non possibile esse, sed ea quæ est, non possibile non esse: & eius quæ est, possibile esse, non ea quæ est, possibile non esse, sed ea quæ est, non possibile esse.*

5 *Quare & sequi sese inuicem videbuntur, possibile esse, & possibile non esse. Idem enim possibile esse, & non esse. Non enim contradictiones sunt sibi inuicem huiusmodi, possibile esse, & possibile non esse: sed possibile esse, & non possibile esse, nunquam simul in eodem veræ sunt: opponuntur enim: neque ea quæ est, possibile non esse, & non possibile non esse, nunquam simul in eodem veræ sunt. Similiter autem & eius quæ est necessarium est esse, negatio non est ea quæ est, necessarium non esse, sed ea quæ est, non necessarium esse. Eius vero quæ est, ne-*

necessarium non esse, ea quae est, non necessarium non esse. Et eius quae est, impossibile esse, non est ea quae est, impossibile non esse, sed haec, non impossibile esse. Eius vero quae est, impossibile non esse, ea quae est, non impossibile non esse.

6 *Vniuersaliter verò (quemadmodum dictum est) esse quidem, & non esse oportet ponere quemadmodum subiecta: negationem vero, & affirmationem hac facientem, ad esse, & non esse apponere. Et has oportet putare esse oppositas dictiones: possibile, & non possibile: contingens, non contingens: impossibile, non impossibile: necessarium, non necessarium: verum, non verum.*

3 Sed in contrarium arguitur ad ostendendum, quod huic propositioni *possibile est esse* non opponitur contradictoriè hæc, *possibile est non esse*. Propositiones enim contradictoriè oppositæ non possunt simul verificari; sed potest simul verificari de eodem *possibile est esse; possibile est non esse*; ergo non opponuntur contradictoriè. Probatur minor: quod enim potest ambulare, potest etiam non ambulare, non enim semper ambulat; ergo potest ambulare, & potest non ambulare: & ex eadem ratione, quod potest diuidi, potest etiam non diuidi, cum non semper actu diuidatur; ergo cum aut dicendum sit posse contradictoria simul verificari, aut dicendum sit illas duas propositiones *possibile est esse, possibile est non esse*, non opponi contradictoriè, impossibile autem sit contradictoria simul verificari, fatendum est illas *possibile est esse, possibile est non esse* non opponi contradictoriè, adeoque contradictoriam modali affirmatiuæ formari, præponendo negationem non verbo modificato, sed modo.

4 Hinc sequitur, quod contradictoria huius *possibile est esse* est hæc, *non possibile est esse* non autem illa, *possibile est non esse*. Similiter contradictoria huius, *contingens est esse*, est hæc, *non contingens est esse*, non autem illa, *contingens est non esse*. Contradictoria huius *impossibile est esse*, est hæc, *non impossibile est esse*, non autem hæc, *impossibile est non esse*. Demum contradictoria huius *necessarium est esse*, est hæc, *non necessarium est esse*, non autem hæc, *necessarium est non esse*. Sicut ergo cum dicitur *est album, est homo*, vel *non est album, non est homo*, ly *est*, vel *non est* significat appositionem, per quã prædicatum, quod est *esse* apponitur subiecto, vel à subiecto remouetur; ly autem *album*, vel *homo* significant subiectum, cui apponitur, vel à quo remouetur prædicatum: sic cum dicitur, *potest esse*, seu *possibile est esse*: *contingit esse*, seu *contingens est esse*: ly *potest*, seu *contingit*, significat appositionem, per quam prædicatum, quod est *posse*, vel *contingere* apponitur subiecto, vel remouetur à subiecto: ly autem *esse*, significat subiectum, cui prædicatum apponitur, vel à quo remouetur. Rursus sicut cum dicitur, *est homo, non est homo*, fiunt duæ propositiones contradictoriæ, ex quibus altera est vera, altera falsa, sic cum dicitur *possibile est esse, possibile est non esse*, fiunt duæ propositiones contradictoriæ, *ex quibus altera est vera, altera falsa*. Idem proportionaliter dic, cum dictum modificatum est negatiuum: ex. gr. contradictoria huius, *possibile est non esse*, est hæc, *non possibile est non esse*.

5 Confirmatur, quia istas *possibile est esse, possibile est non esse* contingit simul esse veras; at istas *possibile est esse, non possibile est esse* non contingit esse simul veras; ergo hæ opponuntur contradictoriè, non illæ. Similiter has, *possibile est non esse; non possibile est non esse*, non contingit esse simul veras; ergo opponuntur contradictoriè. Rursus huius *necesse est non esse* contradictoria est hæc, *non necesse est non esse*: huius *impossibile est non esse* contradictoria est, *non impossibile est non esse*, idemque dic de reliquis.

6 Hæc ergo est regula vniuersalis in propositionibus modalibus. Dictum debet poni vt subiectum, modus vt prædicatum propositionis. Contradictio verò est, per quam modus vt prædicatum affirmatur, ac negatur de dicto vt subiecto, dicendo ex. gr. *Petrum currere est possibile; Petrum currere non est possibile*. Opponuntur igitur contradictoriè, *possibile, non possibile; contingens, non contingens; impossibile, non impossibile; necessarium, non necessarium; verum, non verum*.

De

De consequentijs enunciationum modalium. Cap. III. Art. II.

7 *Consequentiæ vero secundum rationem fiunt, cùm ita ponuntur. Illã enim, quæ est, possibile esse, sequitur ea quæ est, contingit esse: & hæc conuertitur illi, & non impossibile esse, & non necessarium esse. Illam vero quæ est, possibile non esse, & contingens non esse, ea quæ est, non necesse non esse, & non impossibile non esse. Illam autem quæ est, non possibile esse, & non contingens esse: ea quæ est, impossibile esse, & necesse non esse. Illam vero quæ est, non possibile non esse, & non contingens non esse, ea quæ est, impossibile non esse, & necessarium esse. Consideretur autem ex subscriptione, quemadmodum dicimus.*

Explicatis enunciationibus modalibus, & earum oppositionibus, agit Aristoteles de earum consequentijs, atque examinat, quænam enunciationes se mutuo consequantur. Ac primo quidem refert opinionem antiquorum: secundo explicat in quo bene dixerint, in quo errauerint, & proponit, ac probat veram sententiam: tertio soluit quoddam dubium circa iam determinata: quarto demum, & vltimo ordinat enunciationes modales se mutuo consequentes secundum ordinem naturalem.

7 Quoad primum: quidam ex antiquis dixerunt, quod ad hanc propositionem *possibile est esse* sequuntur istæ; *contingens est esse; non impossibile est esse; non necessarium est esse*: ad hanc, *possibile est non esse*, sequuntur istæ *contingens est non esse; non impossibile est non esse; non necessarium est non esse*: ad hanc *non possibile est esse*, sequuntur istæ *non contingens est esse; impossibile est esse; necessarium est non esse*: ad hanc demum *non possibile est non esse* sequuntur istæ *non contingens est non esse; impossibile est non esse; necesse est esse*. Sexdecim igitur enunciationes modales in quatuor ordines distribuerunt, quos sequens tabula exhibebit, ac docuerunt quatuor propositiones cuiuslibet ordinis esse mutuo conuertibiles, ita vt ex qualibet sequatur altera.

Primus Ordo.

Possibile est esse
Contingens est esse
Non impossibile est esse
Non necessarium est esse.

Secundus Ordo.

Possibile est non esse
Contingens est non esse
Non impossibile est non esse
Non necessarium est non esse.

Tertius Ordo.

Non possibile est esse
Non contingens est esse
Impossibile est esse
Necessarium est non esse.

Quartus Ordo.

Non possibile est non esse
Non contingens est non esse
Impossibile est non esse
Necesse est esse.

8 *Ita igitur impossibile, & non impossibile eam, quæ est contingens, & possibile & non contingens, & non possibile sequuntur quidem contradictoriè, sed conuersim. Eam enim quæ est possibile esse, negatio impossibilis sequitur, quæ est, non impossibile esse: negationem verò affirmatio. Nam illam, non possibile esse, ea quæ est, impossibile esse. Affirmatio enim est, impossibile esse: non impossibile verò, negatio.*

9 *Necessarium verò quemadmodum se habet, considerandum est. Manifestum est enim quòd non eodem modo se habet, sed contrariæ sequuntur, contradictoriæ autem sunt extra.*

10 *Non enim est negatio eius, quæ est, necesse non esse, ea quæ est, non necesse esse: contingit enim veras esse vtrasque in eodem. Quod enim est necessarium non esse, non est necessarium esse.*

11 *Causa autem huius est, cur non sequitur necessarium similiter cæteris: quoniam contrariæ, impossibile esse, necessario redditur idem valens. Nam quod impossibile esse, ne-*

necesse hoc non quidem esse, sed potius non esse. Quod verò impossibile non esse, hoc necessarium esse. Quare si illa similiter sequuntur possibile, & non possibile: hæc è contrario: quoniam non significant idem necessarium, & impossibile: sed (quemadmodum dictum est) conuersim.

12 *An certè impossibile est sic poni contradictiones necessarij. Nam quod necessarium esse, possibile esse. Nam si non, negatio consequetur: necesse enim est aut affirmare, aut negare. Quare si non possibile esse, impossibile esse. Igitur impossibile esse, quod necesse esse: quod est inconueniens. At verò illam quæ est, possibile esse, non impossibile esse, sequitur: hanc verò, ea quæ est, non necessarium esse; quare contingit quod necessarium esse, non necessarium esse: quod est inconueniens.*

8 Quoad secundum: examinans sententiam antiquorum Aristoteles, docet primo propositiones de possibili, contingenti, & impossibili esse bene dispositas in omnibus quatuor ordinibus, adeoque esse conuertibiles, & vnam mutuo inferri ex alia. Valet enim in primo ordine: *possibile est esse; ergo contingens est esse, & non impossibile est esse*. Valet è conuerso: *non impossibile est esse; ergo possibile, & contingens est esse*; idemque dic de tribus primis propositionibus aliorum ordinum. Propositiones igitur de impossibili sunt conuertibiles cum propositionibus de possibili, & contingenti inuerso ordine, ita vt affirmatiuæ de impossibili sint conuertibiles cum negatiuis de possibili, & contingenti; negatiuæ de possibili sint conuertibiles cum affirmatiuis de possibili, & contingenti. Valet enim *possibile, & contingens est Petrum currere; ergo non est impossibile Petrum currere*: valet è conuerso *non est impossibile Petrum currere; ergo est possibile, & contingens Petrum currere*. Rursus valet: *non est possibile, & contingens hominem esse equum; ergo impossibile est hominem esse equum*. Examinandum igitur est, vtrum etiam propositiones de necessario sint rectè dispositæ in quatuor ordinibus assignatis. Circa has igitur.

9 Docet secundo, quod in tertio, & quarto ordine bene sunt dispositæ duæ propositiones contrariæ de necessario, quæ sunt *necesse est esse, necesse est non esse*: Patet; in tertio enim ordine valet: *non possibile, neque contingens, sed impossibile est hircoceruum esse; ergo necesse est hircoceruum non esse*: valet è conuerso: *necesse est hircoceruum non esse; ergo non est possibile, neque contingens, sed est impossibile hircoceruum esse*; ergo omnes quatuor propositiones tertij ordinis sunt conuertibiles, adeoque sunt bene dispositæ. Rursus in quarto ordine valet: *non est possibile, neque contingens, sed est impossibile Deum non esse; ergo necesse est Deum esse*. Valet rursus: *necesse est Deum esse; ergo non est possibile, neque contingens Deum non esse*; ergo etiam omnes quatuor propositiones quarti ordinis sunt conuertibiles, adeoque quartus ordo est bene dispositus. Porro istas duas propositiones: *necesse est esse: necesse est non esse*: vocat Aristoteles contrarias, quia habent hanc proprietatem contrariorum, vt non possint simul verificari: neque enim potest de eodem simul verificari, quod necessario sit, & necessario non sit: at possunt simul falsificari, ac de facto falsificantur de quolibet contingenti; siquidem contingens neque necessario est, neque necessario non est, sed est indifferens ad essendum, vel non essendum.

10 Docet tertio, quod propositiones contradictoriæ duabus assignatis, quæ propositiones sunt; *non necesse est esse, non necesse est non esse*, malè sunt dispositæ in primo, & secundo ordine. Probat primo: nam primæ tres propositiones primi ordinis, quæ sunt: *possibile est esse: contingens est esse: non impossibile est esse*: sunt contradictoriæ primis tribus tertij ordinis, quæ sunt: *non possibile est esse: non contingens est esse: impossibile est esse*; ergo etiam quarta primi, quæ est *non necesse est esse*, deberet esse contradictoria quartæ tertij, quæ est: *necesse est non esse*: sed istæ duæ *non necesse est esse; necesse est non esse*, non sunt contradictoriæ, cum possint simul verificari, ac de facto de hircoceruo, & de quolibet impossibili simul verificetur, quod necesse est non esse, & quod non necesse est esse; ergo &c. Rursus primæ tres propositiones secundi ordinis, quæ sunt: *possibile est non esse: contingens est non esse: non impossibile est non esse*, sunt contradictoriæ primis tribus quarti ordinis, quæ sunt: *non possibile est non esse: non contingens est non esse: impossibile est non esse*; ergo etiam deberent opponi contradictoriè quarta secundi, & quarti ordinis, quæ sunt: *non necesse est non esse: necesse est esse*: sed istæ non sunt contradictoriæ, cum possint simul verificari, ac de facto de Deo verificetur simul, *necesse est*

Deum

Deum esse; non est necesse Deum non esse: ergo &c.

11 Probat secundo, quia propositiones de necessario, ac de impossibili vt sint conuertibiles, & æquipollentes, non debent esse de eodem dicto, sed de dictis oppositis, ideoque huic tertij ordinis *impossibile est esse*, æquipollet non hæc de eodem dicto, *necesse est esse*, sed hæc *necesse est non esse*; huic quarti ordinis, *impossibile est non esse* æquipollet hæc de dicto opposito; *necesse est esse*; sed in primo ordine posita est vt æquipollens isti, *non impossibile est esse* hæc *non necesse est esse*, quæ est de eodem dicto; & in secundo ordine posita est vt æquipollens huic, *non impossibile est non esse*, hæc *non necesse est non esse*, quæ etiam est de eodem dicto; ergo &c.

12 Tertio probat: ad has primi ordinis *possibile est esse*, *& non impossibile est esse*, non sequitur hæc, *non necessarium est esse*; ergo &c. Probatur antecedens; si hæc, *non necessarium est esse* sequeretur ad has *possibile est esse, non impossibile est esse*, sequeretur etiam ad hanc *necessarium est esse*; consequens est absurdum, nam ex necessario sequeretur non necessarium, & ex affirmatione sequeretur negatio eiusdem; ergo &c. Probatur sequela maioris: omnis propositio, quæ sequitur ex alia propositione, sequitur etiam ex omni propositione, ex qua sequitur illa; sed istæ propositiones *possibile est esse, non impossibile est esse*, sequuntur ex hac *necessarium est esse*; ergo si hæc propositio *non necessarium est esse* sequitur ex illis, sequitur etiam ex hac *necessarium est esse*, adeoque ex eo, quod aliquid sit necessarium, sequitur quod non sit necessarium. Probatur minor: ex omni propositione, cum qua non potest coniungi vna pars contradictionis, sequitur altera pars contradictionis; sed est impossibile, quod coniungantur ista duo *necessarium est esse*, ac *non possibile est esse, vel impossibile est esse*; alioquin idem esset simul necessarium, ac non possibile, siue impossibile; ergo ex eo, quod aliquid necessarium sit esse, sequitur quod possibile, & non impossibile sit esse; ideoque valet *necessarium est Deum esse; ergo possibile, ac non impossibile est Deum esse*; ergo si ex *non impossibile esse*, infertur *non necessarium esse*, vt docent aduersarij, à primo ad vltimum ex necessario sequetur non necessarium, & valebit ex. gr. *necesse est Deum esse; ergo possibile, ac non impossibile est Deum esse; ergo non necessarium est Deum esse*: hoc est absurdum; ergo *non necessarium esse* non sequitur ex *possibili*, ac *non impossibili*. Eodem pacto probari potest, quod in secundo ordine *non necessarium non esse* non sequitur ex *possibili non esse*, *& non impossibili non esse*. Cum enim *ex necessario non esse* sequatur *possibile non esse*, & *non impossibile non esse*, ex *necessario non esse* sequeretur *non necessario non esse*, quod est absurdum.

13 *At verò neque necessarium esse, sequitur eam quæ est, possibile esse, neque eam quæ est, necessarium non esse. Illi enim vtraque contingit accidere. Harum autem vtralibet vera fuerit, non erunt illa vera: simul enim possibile esse, & non esse. Si verò necesse esse, vel non esse, non erit vtrunque possibile.*

14 *Relinquitur ergo non necessarium non esse, sequi eam qua est, possibile esse. Hæc enim vera est, & de necesse esse. Hæc enim fit contradictio eius, quæ sequitur illam, quæ est, non possibile esse. Illam enim sequitur ea, quæ est, impossibile esse, & necesse non esse, cuius negatio est, non necesse non esse. Sequuntur igitur, & hæ contradictiones secundum prædictum modum: & nihil impossibile contingit sic positis.*

13 Reiecta sententia antiquorum, proponit Aristoteles suam sententiam, & docet, quod ad propositiones primi ordinis sequitur hæc *non necesse est non esse*. Probat primo: ex his primi ordinis *possibile est esse*, *non impossibile est esse*, sequitur conuertibiliter aliqua propositio de necessario; non sequitur vlla alia; ergo sequitur assignata. Probatur minor: propositiones enim de necessario sunt quatuor; *necesse est esse; necesse est non esse; non necesse est esse; non necesse est non esse*; non sequuntur tres primæ ad *possibile esse*; ergo sequitur quarta. Probatur minor: & quidem, quod non sequatur tertia, vt docuerunt antiqui in sua tabula, probatum est iam. Ostenditur igitur quod ad *possibile esse* non sequatur *necesse esse*, vel *necesse non esse*: ad id, quod potest verificari de subiecto seu sit, seu non sit, non necessario sequitur aliud, quod non potest verificari de subiecto seu sit, seu non sit; sed *possibile esse* potest verificari de subiecto seu sit, seu non sit; ex. gr. verificatur

tur *Petrum currere est possibile*, seu Petrus currat, seu non currat; ergo ad possibile non sequitur *necesse est esse*, quod non potest verificari re non existente, eo pacto, quo Petro non currente, non potest verificari, *Petrum currere est necesse*: neque sequitur *necesse est non esse*, quod non potest verificari re existente, eo pacto, quo Petro currente non potest verificari *necesse est Petrum non currere*.

14 Probat secundo, quia omnes rationes, ex quibus ostensum est ad illas primi ordinis *possibile est esse*, *non impossibile est esse* non sequi hanc, *non necesse est esse*, probant sequi hanc, *non necesse est non esse*; ergo &c. Probatur antecedens: tres enim fuerunt adductæ rationes. Tertia fuit, quia hæc *non necesse est esse*, sequeretur ex hac, *necesse est esse*, quod est absurdum; sed non est absurdum, quod ex hac *necesse est esse*, sequatur hæc *non necesse est non esse*: procuidubio enim quod necesse est esse, non necesse est non esse; ergo &c. Prima ratio fuit, quia cum aliæ propositiones primi, & tertij ordinis, quæ sunt, *possibile esse*, *non possibile esse* sint contradictoriæ, etiam hæ de necessario debent esse contradictoriæ; sed in tertio ordine ex *non possibili esse* sequitur *necessario non esse*, cuius contradictoria est *non necessario non esse*; ergo in primo ordine ex *possibili esse* sequetur *non necessario non esse*. Secunda ratio fuit, quia propositiones de necessario, & impossibili, vt æquipolleant, debent esse de dictis contrarijs; sed huic primi ordinis de impossibili *non impossibile est esse*, est de contrario dicto hæc de necessario; *non necesse est non esse*, ergo hæc sequitur ad illam in primo ordine, idemque proportionaliter dic de secundo ordine. Confirmatur, quia si hoc pacto disponantur propositiones modales, omnia congruunt, & bene procedunt, vt patet ex tabula subscripta.

Primus ordo.

Possibile est esse.
Contingens est esse.
Non impossibile est esse.
Non necesse est non esse.

Secundus ordo.

Possibile est non esse.
Contingens est non esse.
Non impossibile est non esse.
Non necesse est esse.

Tertius ordo.

Non possibile est esse.
Non contingens est esse.
Impossibile est esse.
Necesse est non esse.

Quartus ordo.

Non possibile est non esse.
Non contingens est non esse.
Impossibile est non esse.
Necesse est esse.

15 *Dubitabit autem aliquis, si illam quæ est, necessarium esse, ea quæ est, possibile esse, sequitur. Nam si non sequitur, contradictio sequetur quæ est, non possibile esse. Et si quis hanc non esse dicat contradictionem, necesse est dicere possibile non esse: quæ vtraque falsæ sunt de necesse esse. At vero rursus idem videtur esse possibile incidi, & non incidi, & esse & non esse: quare erit necesse esse, contingens non esse. Hoc autem falsum est.*

16 *Manifestum est autem, quòd non omne possibile vel esse, vel ambulare, etiam opposita potest: sed est in quibus non sit verum. Primum quidem in ijs, quæ non secundum rationem possunt: vt ignis calefactiuus est, & habet vim irrationalem. Quæ igitur secundum rationem potestates sunt, eadem plurium etiam contrariorum sunt: Irrationales vero non omnes: sed (quemadmodum dictum est) ignem non est possibile calefacere, & non: neque quæcunque alia semper agunt. Alia vero possunt, & secundum irrationales potestates simul opposita suscipere. Sed hoc huius gratia dictum est: quoniam non omnis potestas oppositorum susceptiua est, neque quæcunque secundum eandem speciem dicuntur. Quædam verò potestates æquiuocæ sunt. Possibile enim non simpliciter dicitur. Sed hoc quidem, quoniam verum est, quod in actu est: vt possibile ambulare, quoniam ambulat iam, & omnino possibile esse, quoniam iam est in actu, quod dicitur esse possibile. Illud verò, quoniam actu esse posset; vt possibile ambulare, quoniam ambu-*

ambulare posset. Et hæc quidem in solis mobilibus est potestas, illa verò & in immobilibus. Vtrunque verò verum est dicere, possibile ambulare vel esse, & quod ambulat & actu est, & ambulatiuum.

17 *Sic igitur possibile non est verum de necessario simpliciter dicere, alterum autem verum est. Quare quoniam partem vniuersale sequitur, illud quod ex necessitate, consequitur posse esse, sed non omne.*

15 Quoad tertium: proponit Aristoteles, & soluit quoddam dubium circa iam determinata. Dictum est, quod ad hanc *necesse est esse* sequitur hæc *possibile est esse*: at verò hoc videtur esse dubium, quia sunt rationes pro vtraque parte. Ratio pro parte affirmatiua est, quia vel necessarium est possibile esse, vel necessarium est non possibile esse: ex contradictorijs enim alterum debet conuenire; sed repugnat, vt necessarium sit non possibile esse, quia esset simul necessarium, & non possibile, seu impossibile; ergo necessarium semper est possibile esse. Si verò dicatur, quod *possibile esse* non opponitur contradictoriè *non possibile esse*, sed *possibile non esse*, adhuc idem sequitur. Repugnat enim, vt necessarium sit possibile non esse; sed excluso vno contradictorio alterum est tribuendum; ergo necessarium est possibile esse. Ratio pro parte negatiua est, quia *possibile esse* est etiam *possibile non esse*, ex. gr. possibile secari, est etiam possibile non secari; ergo si necessarium est possibile esse, etiam est possibile non esse, quod repugnat cum nullum necessarium possit non esse.

16 Vt soluat dubium, præmittit Aristoteles non omnem possibilitatem, seu potentiam dici ad opposita, itaut sit simul potentia ad esse, & ad non esse. Patet: nam licet ex potentijs physicis, potentiæ rationales actiuæ sint ad opposita, eo pacto, quo qui habet potentiam rationalem ædificandi, habet etiam potentiam non ædificandi, adhuc potentiæ irrationales actiuæ non sunt ad opposita: ex. gr. ignis habet potentiam irrationalem calefaciendi, ita vt non possit abstinere à calefaciendo, idemque dic de alijs, quæ cum possunt agere, semper actu agunt, & non possunt non agere. Dantur tamen potentiæ physicæ irrationales passiuæ, quæ sunt ad opposita: ex. gr. multa ita habent potentiam vt calefiant, vt possint etiam non calefieri, sed frigefieri. Rursus non solum ex potentijs physicis, quæ sunt actiuæ, & passiuæ, sed etiam ex potentijs æquiuocè dictis, quædam sunt ad opposita, quædam non: ex. gr. dicitur aliquid posse agere ex eo, quod actu agit, & posse esse ex eo, quod actu est, & præterea dicitur posse agere ex eo, quod licet non agat, ex. gr. non ambulet, forsitan aget, & ambulabit. Potentiæ, quæ possunt esse sine actu, dantur solum in rebus mobilibus, & mutabilibus: eo enim ipso, quod aliquid potest habere actum, quem non habet, est mobile, & mutabile. Potentiæ, quæ non possunt esse sine actu, dantur etiam in immobilibus. Deus enim licet non possit mutari à non esse ad esse, adhuc potest esse, quia est. Iam *possibile esse, vel ambulare* dicitur, tum de eo, quod iam est in actu essendi, vel ambulandi tum de eo, quod licet non sit in actu essendi, vel ambulandi, potest tamen esse, vel ambulare.

17 Hoc posito, respondet Aristoteles ad dubium propositum cũ distinctione. Ad necessarium simpliciter non sequitur illud possibile, quod non est actu, sed potest esse, ac datur solum in entibus mobilibus: sequitur tamen illud possibile, quod dicitur posse, quia actu est, ac datur etiam in entibus immobilibus: & quia ad partem subiectiuam sequitur vniuersale, hoc est ad speciem sequitur genus, eo pacto, quo ex homine sequitur animal, possibile verò abstrahens ab vtroque modo possibilis est genus respectu possibilis vtroque modo dicti, ideo ad necessarium, quod est species, sequitur possibile *vt sic*, quod est genus, sed non sequitur quælibet species possibilis, sicut ad hominem sequitur animal, sed non sequitur quælibet species animalis. Valet igitur *necessario est; ergo possibile est*, sumendo possibile genericè, in quantum abstrahit à possibili, quod datur solum in entibus mobilibus, & à possibili, quod datur in immobilibus, vt explicatum est.

18 *Et est quidem fortasse principium, quod necessarium est, & quod non necessarium est, omnium vel esse, vel non esse: & alia, veluti horum consequentia, considerare oportet.*

17 *Manifestum est autem ex ijs, quæ dictæ sunt, quòd id quod ex necessitate est, secundum actum est. Quare si priora sunt sempiterna, & quæ actu sunt, potestate priora sunt. Et hæc quidem sine potestate actus sunt, vt primæ substantiæ: alia*

verò cum potestate, quæ natura quidem priora sunt, tempore verò posteriora: alia autem nunquam actus sunt, sed potestates solum.

18 Quoad quartum: docet Aristoteles necessarium, & non necessarium esse principium, & causam essendi omnibus, quæ sunt, & non sunt. Patet: nam necessitas essendi est prima ratio semper essendi enti necessario, quod est Deus: necessitas non essendi est ratio non essendi enti impossibili: ratio cur aliqua contingentia possint esse, vel non esse est, quia neque habent necessitatem ad essendum, neque ad non essendum; ergo à primo ad vltimum, *necessarium, & non necessarium* sunt principium essendi, & non essendi omnibus, quæ sunt, aut non sunt; ergo si velimus ordinare quatuor modos secundum ordinem naturalem, primo loco debemus ponere necessarium; secundo possibile, quod cum dicatur etiam de necessario, propius ipsum attingit; tertio contingens; quarto impossibile, quod contrariè opponitur necessario. Debemus igitur ordinare propositiones modales secundum consequentias, & oppositiones iuxta subiectam figuram.

Primus ordo.

Necesse est esse.
Non possibile est non esse.
Non contingens est non esse.
Impossibile est non esse.

Secundus ordo.

Necesse est non esse.
Non possibile est esse.
Non contingens est esse.
Impossibile est esse.

Tertius ordo.

Non necesse est esse.
Possibile est non esse.
Contingens est non esse.
Non impossibile est non esse.

Quartus ordo.

Non necesse est non esse.
Possibile est esse.
Contingens est esse.
Non impossibile est esse.

19 Ex eo quod necessarium sit primum, infert Aristoteles, quod actus est prior potentia: necessarium enim est actus, & non potentia, adeoque actus, quia necessarius est sempiternus est; sed sempiternum est prius non sempiterno; ergo actus est prior potentia. Actus tamen est duplex, nam alius est actus purus sine potentia, & hic omni modo est prior potentia; alius est actus cum potentia, & hic est prior natura, & perfectione, quam potentia, sed est posterior tempore; ex. gr. homo actu est prior natura, quam homo potentia, sed tempore prior est homo potentia existens in semine, ac deinde per generationem fit homo actu. Dantur præterea aliqua, quæ nunquam omninò reducuntur in actum, sed semper remanent in aliquali potentia, vt motus, tempus &c. quæ idcirco sunt entia imperfectissima.

Vtrum affirmationi veræ alicuius sit contraria negatio eiusdem, vel affirmatio contrarij. Cap. IV. & Vltimum.

1 *VTrum autem contraria est affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi, & oratio orationi, quæ dicit, quòd omnis homo iustus est, ei quæ est, nullus homo iustus est: aut omnis homo iustus est, ei quæ est, omnis homo iniustus est: vt, est Callias iustus, non est Callias iustus, Callias iniustus est, vtra harum contraria est? Nã si ea, quæ sunt in voce, sequuntur ea, quæ sunt in intellectu, illic autem contraria est opinio contrarij, vt quod omnis homo iustus est, ei quæ est, omnis homo iniustus est, etiam in ijs, quæ sunt in voce affirmationibus, necesse est similiter sese habere. Quòd si neque illic contrarij opinio contraria est, nec affirmatio affirmationi erit contraria: sed ea, quæ dicta est negatio. Quare consi-*

considerandum est, quæ opinio falsa opinioni veræ contraria est, vtrum negationis, an ea, quæ contrarium esse opinatur. Dico autem hoc modo. Est quædam opinio vera boni, quòd bonum est: alia autem, quòd non bonum, est falsa: alia verò, quòd malum: vtra harum contraria veræ? & si est vna, secundum quamnam contraria?

1 Affirmationi, qua de subiecto affirmatur aliquod prædicatum opponitur tum negatio, qua de eodem subiecto negatur idem prædicatum, tum affirmatio, qua de subiecto affirmatur prædicatum oppositum: ex. gr. huic affirmationi, *omnis homo est iustus*, opponitur tum negatio, qua dicitur, *nullus homo est iustus*, tum affirmatio, qua dicitur, *omnis homo est iniustus*: & similiter huic affirmationi, *Callias est iustus*, opponitur tum negatio, *Callias non est iustus*, tum affirmatio, *Callias est iniustus*. Hinc igitur oritur quæstio, quam Aristoteles examinat pro complemento doctrinæ in his libris traditæ de enunciationum oppositione, vtrum affirmationi sit contraria negatio eiusdem, an potius affirmatio oppositi prædicati: ex. gr. vtrum huic affirmationi, *Callias est iustus*, contraria sit hæc negatio, *Callias non est iustus*, an potius hæc affirmatio, *Callias est iniustus*. Et quia proprietates enunciationum vocalium proportionaliter sequuntur proprietates enunciationum mentalium, ideo si opinioni, affirmatiuæ, qua dicitur, *omnis homo est iustus*, contraria est alia opinio interna affirmatiua, *omnis homo est iniustus*, etiam affirmationi vocali contraria est alia affirmatio vocalis: si autem opinioni affirmatiuæ contraria est, non quidem alia opinio affirmatiua prædicati contrarij, sed negatio eiusdem prædicati, idem proportionaliter dicendum est de enunciationibus vocalibus. Vt igitur soluatur quæstio, examinandum est, quænam opinio falsa contraria sit opinioni affirmatiuæ veræ: num opinio falsa affirmatiua contrarij, an potius opinio falsa negatiua prædicati affirmati? Explicatur sensus quæstionis exemplo proposito. Circa iustitiam dari possunt tres opiniones, vna vera, duæ falsæ. Opinio vera est, qua quis opinetur iustitiam esse bonam. Opiniones falsæ sunt altera negatiua, qua quis opinetur iustitiam non esse bonam; altera affirmatiua, qua opinetur iustitiam esse malam. Quæritur igitur, vtra ex his duabus opinionibus falsis sit contraria illi opinioni affirmatiuæ veræ, etiam supponendo, quod illæ duæ opiniones falsæ se mutuo sequantur, adeoque sint quodammodo vna opinio.

2 *Nam arbitrari contrarias opiniones definiri, eò quod contrariorum sunt, falsum est. Boni enim, quòd bonum est, & mali, quod malum est, eadem fortasse opinio est etiam vera, siue plures, siue vna sit. Sunt autem ista contraria, sed non eo quòd contrariorum sint, contraria sunt, sed magis eo quòd contrariè.*

3 *Si ergo est boni quidem, quòd est bonum opinio, alia autem, quòd non bonum est: est autem aliquid aliud quod non est, neque esse potest: aliarum quidem nulla ponenda est, neque quæcunque esse, quod non est, opinantur, neque quæcunque non esse, quod est: infinitæ enim vtræque sunt, & quæ esse opinantur quod non est, & quæ non esse quod est.*

4 *Sed in quibuscunque fallacia est. Hæ autem sunt ex his, ex quibus sunt generationes. Ex oppositis verò generationes. Quare etiam fallacia. Si ergo quod bonum est, & bonum, & non malum est: & hoc quidem secundum se, illud verò secundum accidens (accidit enim ei non malum esse) magis autem in vnoquoque vera est quæ secundum se, est etiam falsa, siquidem & vera: ergo ea quæ est, quòd non est bonum, quod bonum est, eius, quæ secundum se, falsa est: illa verò quæ est, quòd malum est, eius quæ secundum accidens.*

Vt soluat quæstionem Aristoteles docet primo per tres conclusiones, vnde nam desumenda sit contrarietas opinionum: deinde infert quartam conclusionem, per quam respondet quæstioni principali.

2 Prima igitur conclusio est: contrarietas opinionum non desumitur ex eo, quod versentur circa contraria. Probat: nam opiniones versantes circa bonum, & malum versantur circa contraria, cum bonum, & malum sint contraria; sed opiniones circa bonum, & malum possunt non esse contrariæ; ergo &c. Probatur minor: nam opiniones, qua quis existimat bonum esse bonum, atque appetendum, malum esse malum, & fugiendum, versantur circa bonum, & malum, & tamen non sunt contrariæ, imo potius sunt vna opinio, vel

 fal-

saltem sunt mutuo connexæ inter se, & sunt simul veræ; ergo opiniones circa contraria possunt non esse contrariæ; ergo contrarietas opinionum non consistit in eo præcise, quod sint contrariorum, sed in eo, quod contrario modo versentur circa obiectum.

3 Secunda conclusio est: neque etiam contrarietas opinionum desumitur præcisè ex eo, quod circa idem subiectum vna opinetur verum, altera falsum. Probatur, quia circa aliquod bonum, puta iustitiam, possumus habere quatuor genera opinionum. Prima, quod iustitia sit bonum; secunda, quod non sit bonum: tertia, qua affirmemus de iustitia aliquod prædicatum ipsi non conueniens, ex. gr. quod iustitia sit lapis: quarta, qua de iustitia negemus aliquod prædicatum ipsi conueniens, dicendo ex. gr. iustitiam non esse appetibilem, non esse virtutem &c. Ex istis quatuor opinionum generibus sola prima est vera, aliæ omnes sunt falsæ. Hoc posito: si ad hoc, vt aliqua opinio esset contraria opinioni veræ circa aliquod subiectum, sufficeret, vt esset opinio falsa circa idem subiectum, huic opinioni veræ *iustitia est bonum* essent contrariæ omnes opiniones falsæ tum affirmantes de iustitia aliquod prædicatum ipsi non conueniens, ex. gr. quod sit lapis, lignum &c. tum negantes de iustitia aliquod prædicatum ipsi conueniens; sed tales opiniones sunt infinitæ, vel innumerabiles; ergo vni opinioni veræ essent contrariæ infinitæ, vel innumerabiles opiniones falsæ, quod est absurdum: nam *vni vnum contrarium*.

4 Tertia conclusio est: opinio falsa contraria opinioni veræ est, per quam quis fallitur, & decipitur circa id ipsum, circa quod verum diceret per opinionem veram. Probatur: ita in processu intellectuali opponuntur opinio falsa, & vera, sicut in processu naturali opponuntur generatio, & corruptio: sicut enim res per generationem acquirit suam naturalem perfectionem, per corruptionem mouetur motu contrario suæ naturali perfectioni; sic intellectus per opinionem veram mouetur ad suam perfectionem, per opinionem falsam mouetur motu contrario suæ perfectioni; sed corruptio contraria generationi est, per quam res amittit illud esse, quod per generationem acquirit; ergo opinio falsa contraria opinioni veræ est, per quam intellectus decipitur circa illud ipsum, circa quod verum diceret per opinionem veram. Hinc infert Aristoteles, quod sicut termini generationis, & corruptionis sunt oppositi, ita vt id, quod per generationem ponitur, auferatur per corruptionem, sic termini opinionis veræ, & opinionis falsæ sunt oppositi, ita vt illud ipsum, quod ponitur per opinionem veram, auferatur per falsam.

5 *Quare magis erit falsa de bono, ea quæ est negationis opinio, quam ea quæ est contrarij.*

6 *Falsus est autem maxime circa singula, qui contrariam habet opinionem: contraria enim sunt eorum, quæ plurimum circa idem differunt. Si igitur harum contraria est altera: magis verò negationis est contraria: manifestum est, quòd hæc erit contraria. Illa verò quæ est, quòd malum est, quod bonum est, implicita est. Etenim quòd non bonum est, necesse est forte ipsum eundem opinari.*

7 *Amplius si etiam in alijs similiter oportet se habere, & hoc modo videbitur bene esse dictum. Aut enim vbique ea, quæ est contradictionis, aut nusquam. Quibus verò non sunt contraria, de illis quidem falsa, quæ est vera opposita: vt qui hominem non putat esse hominem, falsus est. Si igitur hæ contrariæ sunt, etiam & aliæ, quæ sunt contradictionis.*

8 *Amplius similiter se habet opinio boni, quòd bonum est, & non boni, quòd non bonum est. Et præter has boni, quòd non bonum est, & non boni, quod bonum est. Illi ergo quæ est, non boni quod non bonum veræ opinioni, quæ est contraria? Non enim ea, quæ dicit, quod malum est, si aliquando fuerit vera: nunquam autem vera veræ contraria est: est enim quoddam non bonum malum. Quare contingit simul esse veras. At verò nec illa quæ est, quòd non malum: vera enim & hæc: simul enim & hæc erunt. Relinquitur igitur ei, quæ est non boni, quod non bonum est, contraria ea, quæ est non boni, quòd bonum est. Falsa enim hæc. Quare & ea, quæ est boni, quòd non bonum est, ei quæ est boni, quòd bonum est.*

5 Ex his infert Aristoteles quartam conclusionem, per quam respondet quæstioni

ſtioni principali: opinioni veræ affirmatiuæ contraria eſt opinio falſa negatiua, non autem altera affirmatiua. Probatur primo ex dictis: ſicut enim generationi vnius contraria eſt non generatio alterius, ſed corruptio eiuſdem; ſic affirmationi vnius contraria eſt non affirmatio alterius, ſed negatio eiuſdem.

6 Probatur ſecundo: ex duabus opinionibus falſis oppoſitis alicui opinioni veræ illa eſt contraria, quæ eſt magis falſa: cum enim contraria ſint, quæ circa idem maximè diſtant, opinio verò magis falſa magis diſtet à vera, quam minus falſa, profecto contraria opinioni veræ erit illa opinio, quæ magis eſt falſa; ſed ſi hæc affirmatiua eſt vera *iuſtitia eſt bonum*, magis eſt falſa hæc negatiua *iuſtitia non eſt bonum*, quam hæc *iuſtitia eſt malum*; ergo illa negatiua eſt contraria, non autem hæc affirmatiua. Probatur minor: circa iuſtitiam poſſunt fieri duæ propoſitiones veræ. Prima eſt *iuſtitia eſt bonum*: ſecunda eſt *iuſtitia non eſt malum*. Prima eſt vera per ſe, & ratione ſui: ſecunda eſt vera ratione primæ. Ideo enim iuſtitia non eſt mala, quia eſt bona: & quia quod eſt per ſe magis eſt tale, quam quod non eſt per ſe, ideo magis eſt vera hæc *iuſtitia eſt bonum*, quam hæc *iuſtitia non eſt malum*. Proportionaliter ex his duabus *iuſtitia non eſt bonum*, *iuſtitia eſt malum*, prima eſt falſa ratione ſui, ſecunda ratione primæ. Sicut enim ideo verum eſt, quod iuſtitia non eſt mala, quia eſt bona, ita ideo falſum eſt, quod iuſtitia ſit mala, quia falſum eſt, quod non ſit bona; ſed quod eſt falſum per ſe magis eſt falſum, quam quod eſt falſum per accidens, ſeu ratione alterius; ergo hæc *iuſtitia non eſt bona*, magis eſt falſa, quam hæc, *iuſtitia eſt mala*; ſed propoſitioni veræ illa falſa eſt contraria, quæ magis eſt falſa; ergo contraria huic *iuſtitia eſt bonum*, eſt hæc *iuſtitia non eſt bonum*, illa verò altera *iuſtitia eſt malum*, non tam eſt contraria, quam includit contrariam, ſiquidem neceſſe eſt, vt qui opinatur iuſtitiam eſſe malam, opinetur etiam iuſtitiam non eſſe bonam.

7 Probat tertio eamdem concluſionem: ſi in alijs materijs affirmationi veræ contraria eſt negatio falſa, etiam in hac materia de bono affirmationi veræ, qua dicitur, *iuſtitia eſt bonum*, contraria eſt *negatio falſa*, qua dicitur, *iuſtitia non eſt bonum*: negatio enim contradicens affirmationi vel in omni materia eſt contraria affirmationi, vel in nulla; ſed in materijs, quæ non habent contrarium, affirmationi veræ contraria eſt negatio contradicens falſa, ex. gr. huic affirmationi *Socrates eſt homo*, contraria eſt negatio contradicens *Socrates non eſt homo*, non autem affirmatio contrarij, ſiquidem homo cum ſit ſubſtantia non habet contrarium; ergo etiam in materia de bono, & in omni alia, contraria affirmationi veræ eſt negatio contradicens falſa.

8 Quarto probat: ita ſe habet hæc opinio vera *bonum eſt bonum*, ad hanc negationem falſam, *bonum non eſt bonum*, ſicut ſe habet hæc vera *non bonum non eſt bonum*, ad hanc falſam, *non bonum eſt bonum*: vtræque enim opponuntur contradictoriè; ſed contraria huic veræ *non bonum non eſt bonum*, non eſt alia, quam hæc, *non bonum eſt bonum*; ergo contraria illi, *bonum eſt bonum* eſt hæc, *bonum non eſt bonum*. Probatur minor: nam huic *non bonum non eſt bonum*, non eſt contraria hæc *non bonum eſt malum*: nam aliquando ſunt ſimul veræ; peccatum enim eſt ſimul non bonum, & malum: neque eſt contraria hæc, *non bonum non eſt malum*: poteſt enim de aliquo non bono verificari ſimul, quod neque ſit bonum, neque ſit malum; ergo nulla alia contraria eſt huic veræ, *non bonum non eſt bonum*, niſi hæc falſa, *non bonum eſt bonum*, quæ non poteſt ſimul cum illa verificari; ergo proportionaliter huic *bonum eſt bonum*, contraria eſt hæc *bonum non eſt bonum*, non autem illa *bonum eſt malum*.


9 *Manifeſtum ergo eſt, quòd nihil intereſt, nec ſi vniuerſaliter ponamus affirmationem. Vniuerſalis enim negatio contraria erit. Vt opinioni quæ opinatur, quòd omne quod eſt bonum, bonum eſt, ea quæ eſt, quòd nihil eorum, quæ bona ſunt, bonum eſt. Nam ea quæ eſt boni, quòd bonum, ſi vniuerſaliter ſit bonum, eadem eſt ei, quæ opinatur, quòd quicquid bonum eſt, quod bonum eſt. Hoc autem nihil differt ab eo quod eſt, quòd omne quod eſt bonum, bonum eſt. Similiter autem & in non bono. Quare ſi in opinione ſic ſe habet, & ſunt hæ quæ ſunt in voce affirmationes, & negationes, notæ earum, quæ ſunt in anima: manifeſtum eſt, quòd affirmationi contraria quidem negatio eſt, quæ de co-*

eodem vniuersaliter: vt ei quæ est, quòd omne bonum, bonum est, vel quòd omnis homo bonus, ea quæ est, quòd nullum, vel nullus: contradictoriè autem quæ est, quòd non omne, aut non omnis.

10 *Manifestum est autem, quòd & veram veræ non contingit esse contrariam, neque opinionem, neque contradictionem. Contrariæ enim quæ circa opposita sunt: circa eadem autem contingit verum dicere eundem: simul autem non contingit eidem inesse contraria.*

9 Addit Aristoteles, quod sicut huic *bonum est bonum*, contraria est hæc, *bonum non est bonum*, ita huic *omne bonum est bonum*, contraria est hæc *nullum bonum est bonum*, non autem hæc *omne bonum est malum*: & similiter huic *nullum non bonum est bonum*, contraria est hæc, *omne non bonum est bonum*. Idem enim valet vniuersalis, *omne bonum est bonum*, ac *quidquid est bonum, est bonum*, quæ idem valet, ac hæc, *bonum est bonum*. Et quia, vt dictum est initio quæstionis, affirmatio, ac negatio vocales signa sunt opinionum, quæ sunt in anima, manifestum est, quoniam contrariæ veris vniuersalibus, ex. gr. *omne bonum est bonum*, sunt hæ, *nullum bonum est bonum*, contradictoriè vero opponuntur *non omne bonum est bonum &c.*

10 Infert Aristoteles, quod opinio, vel enunciatio vera nunquam est contraria alteri veræ. Contrariæ enim opiniones ex dictis sunt circa opposita, quæ non potest quis simul opinari; sed vera possumus simul opinari; ergo opiniones veræ non possunt esse contrariæ, alioquin opiniones contrariæ possent esse simul, quod repugnat: siquidem hæc est natura contrariorum, vt non possint esse simul in eodem subiecto: & per hæc Aristoteles concludit libros Perihermenias.



IN

IN DVOS LIBROS PRIORVM ANALYTICORVM, HOC EST RESOLVTORIORVM.

PROOEMIVM.

Quid sit resolutio: quod sit subiectum horum librorum: quem locum teneant in Logica: & ipsorum synopsis.

1 QVIA isti quatuor libri inscribuntur analyticorum, hoc est resolutoriorum priorum, & posteriorum, explicandum est primo, quid sit resolutio: secundo, quod sit subiectum horum librorum: tertio, quem locum hi libri teneant in logica: quarto demum per breuem synopsim ponenda est ob oculos doctrina horum librorum.

2 Quoad primum: analysis, seu resolutio intellectualis (de hac enim sola agimus) est, per quam tractamus de aliqua re, resoluendo illam vsque ad prima principia, ex quibus constat, vel pendet: Ex. gr. tum agimus resolutoriè de corpore humano, cum de illo agimus, resoluendo vsque ad primas partes, ex quibus constat, & vsque ad prima principia, ex quibus pendet. Et quia scientia perfecta consistit in hoc, vt cognoscamus rem per omnia sua principia, ideo scientia perfecta non potest acquiri, nisi per resolutionem. Hinc patet, cur isti quatuor libri, in quibus agitur de demonstratione, seu de syllogismo demonstratiuo, inscribantur ab Aristotele resolutorij. Dicuntur resolutorij, tum propter obiectum, tum propter modum agendi: propter obiectum quidem, quia in ipsis agitur de syllogismo, ac demonstratione resolutoria, per quam solam acquiri potest scientia perfecta: dicuntur resolutorij propter modum agendi: modus enim agendi resolutorius est, per quem agitur de aliqua re, resoluendo illam vsque ad prima principia; sed in his libris Aristoteles agit de syllogismo, & demonstratione, resoluendo illa vsque ad prima principia, ex quibus pendet omnis syllogismus, & omnis demonstratio; ergo &c. In his igitur libris Aristoteles agens de resolutione, signatè, & exercitè docet modum resolutiuè syllogizandi, ac demonstrandi: signatè quidem, dum tradit præcepta resolutiuè syllogizandi, ac demonstrandi: exercitè verò, dum resolutoriè syllogizans, ac demonstrans de ipsa resolutione, proponit exemplum resolutoriè syllogizandi, ac demonstrandi.

3 Quoad secundum: subiectum horum quatuor librorum, vt patet ex titulo, & ex initio ipsorum, est demonstratio, seu syllogismus resolutorius, qui causat perfectam scientiam rei: & quia principia, propter quæ demonstratio causat scientiam rei, sunt materia, & forma demonstrationis, ideo Aristoteles in his libris agit de materia, & forma demonstrationis, ac demonstrationem resoluit tum in principia formalia, tum in materialia. Resolutio,

per quam demonstratio resoluitur in principia formalia, ex quibus pendet necessitas, & euidentia consequentiæ, vocatur resolutio prior, de qua agitur in libris priorum. Resolutio, per quam demonstratio resoluitur in principia materialia, ex quibus pendet euidentia consequentis, vocatur resolutio posterior, de qua agitur in libris posteriorum.

4 Ex his infertur, quodnam sit subiectum particulare librorum de priori resolutione. Dico, quod eorum subiectum est syllogismus resolutiuus conclusionis in principia formalia, ex quibus pendet necessitas, & euidentia consequentiæ, quæ resolutio dicitur prior: & quia syllogismus resolutorius in principia formalia est applicabilis omni materiæ, tum certæ, tum probabili, tum falsæ, ideo subiectum horum librorum est syllogismus resolutorius abstrahendo à materia. Subiectum librorum posteriorum est syllogismus resolutorius vt applicatus materiæ necessariæ, ac certæ: subiectum librorum topicorum est syllogismus vt applicatus materiæ probabili: subiectum elenchorum est syllogismus vt applicatus materiæ apparenti, ac falsæ.

5 Vt autem magis appareat intentio Aristotelis in his libris, notandum est, quod non omnis syllogismus est resolutorius, nec omnis demonstratio est resolutoria: ex. gr. syllogismus in Cesare non est resolutorius, quia licet probet conclusionem ex principijs, ex quibus necessario sequitur conclusio, adhuc non probat conclusionem per prima principia, ex quibus pendet euidentia de necessitate illationis. Vt igitur sit resolutorius syllogismus in Cesare, debet ostendi, quod maior vniuersalis negatiua potest simpliciter conuerti; & quod facta tali conuersione eadem conclusio sequitur in Celarent; & quod Celarent necessario concludit, quia fundatur in *dicto de nullo*. Syllogismus igitur hæc omnia probans est resolutorius conclusionis in sua prima principia formalia. Proportionaliter demonstratio probans conclusionem ex aliquibus præmissis, adhuc non est resolutoria, nisi resoluat ipsas præmissas in prima principia per se nota, & immediata, & habentia cæteras conditiones ab Aristotele enumeratas in libris Posteriorum, ex quibus principijs pendet euidentia conclusionis. In his igitur libris Aristoteles agit de syllogismo, non qualicunque, sed resolutorio, hoc est causante perfectam euidentiam de necessitate consequentiæ per prima principia, ex quibus pendet talis euidentia: & quia doctrina de tali perfectissimo syllogismo, ac perfectissima demonstratione, continet etiam doctrinam de alijs syllogismis, ac demonstrationibus minus perfectis, ideo tradit simul doctrinam de alijs syllogismis, ac demonstrationibus tum perfectis, tum imperfectis.

6 Quoad tertium: vt diximus in proœmio aliorum librorum, logica diuiditur iuxta tres operationes intellectus, adeoque in his libris, & in sequentibus continetur tertia pars logicæ, in qua agitur de ijs, quæ spectant ad tertiam operationem intellectus, hoc est de syllogismo, & de varijs syllogismorum speciebus. In libris igitur priorum agitur de syllogismo in communi, & secundum formam: in libris posteriorum agitur de syllogismo demonstratiuo: in libris topicorum de syllogismo probabili: in libris elenchorum de syllogismo apparente.

7 Quoad quartum: vt habeamus perfectam scientiam de syllogismo, primo debemus scire, ex quibus terminis, & propositionibus, & qualiter dispositis fiat, vel non fiat syllogismus, & propter quæ principia necessario, & euidenter concludat: secundo proposita quacunque conclusione, debemus habere artem inueniendi medium, & propositiones, seu præmissas ad illam probandam: tertio propositis rationibus inordinatis, debemus habere artem illas ordinandi, ac disponendi in formam syllogisticam: quarto debemus scire potestates, seu virtutes syllogismorum iam constitutorum: quinto debemus scire impotentias, ac defectus, qui possunt syllogismis accidere: sexto demum debemus scire, quo pacto aliæ argumentationes, hoc est inductio, enthymema &c. reducantur ad syllogismum. Aristoteles igitur, vt perfectè tradat scientiam de syllogismo, hæc omnia exequitur per duos libros, tria quidem priora in primo libro, qui est de constructione syllogismi, seu de syllogismo in fieri; tria verò posteriora libro secundo, qui est de syllogismo in facto esse. Prima igitur parte libri primi, quæ complectitur capita 26. explicat, ex quibus propositionibus, ac terminis, & quo pacto dispositis fiant,

fiant, vel non fiant omnes ſyllogiſmi, tum perfecti, tum imperfecti; & quo pacto, & per quæ principia ſyllogiſmi imperfecti reſoluantur ad perfectos; & quæ ſint principia, ex quibus ſyllogiſmi perfecti accipiunt euidentiam, ac neceſſitatem concludendi: ſecunda parte agit de inuentione medij, & explicat, quo pacto propoſita qualibet concluſione, poſſimus inuenire medium, & præmiſſas ad illam probandam: tertia parte vſque ad finem libri primi agit de reductione rationum inordinatarum in formam ſyllogiſticam. Libro ſecundo, qui eſt de ſyllogiſmo in facto eſſe, prima parte, quæ complectitur capita viginti, agit de ſex potentijs, ſeu virtutibus ſyllogiſmi iam conſtituti: ſecunda parte, quæ protenditur à capite vigeſimo primo vſque ad vigeſimum ſextum incluſiuè, agit de impotentijs, ſeu defectibus ſyllogiſmorum: tertia demum parte à capite 27. vſque ad 35. & vltimum agit de alijs argumentationibus, & earum reductione ad ſyllogiſmum. De quibus agat in ſingulis harum partium capitibus videri poteſt in indice librorum, & capitum initio huius tomi propoſito.



ARISTOTELIS PRIORVM ANALYTICORVM,

HOC EST RESOLVTORIORVM.

LIBERI I.

SECTVM I.

DE CONSTRVCTIONE SYLLOGISMI.

Quid sit Propositio, Terminus, Syllogismus tum perfectus, tum imperfectus, dici de omni, dici de nulloe. Cap. I.

1 *PRIMVM dicere circa quid, & cuius sit consideratio: quoniam circa demonstrationem, & scientiæ demonstratiuæ. Postea determinare, quid est propositio, & quid terminus, & quid syllogismus, & qualis perfectus, & qualis imperfectus: post hæc autem, & quid in toto esse, aut non esse hoc in hoc: & quid dicimus de omni, aut nullo prædicari.*

2 *Propositio igitur est oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo: hæc autem, aut vniuersalis, aut in parte, aut indefinita. Dico autem vniuersalem quidem, omni, aut nulli inesse: in parte verò alicui, aut non alicui, aut non omni inesse: sed indefinitam inesse, aut non inesse sine vniuersali, aut secundum partem: vt, contrariorum vnam esse scientiam: aut voluptatem non esse bonum.*

3 *Differt autem demonstratiua propositio à Dialectica: quoniam demonstratiua, sumptio alterius particulæ contradictionis est. Non enim interrogat, sed accipit demonstrans. Dialectica verò interrogatio contradictionis est. Nihil autem differet, quo vtriusque fiat syllogismus. Nanque & demonstrans, & interrogans ratiocinatur, accipiens aliquid de aliquo, inesse, aut non inesse. Quare est Syllogistica quidem propositio simpliciter affirmatio, aut negatio alicuius de aliquo secundum dictum modum. Demonstratiua verò, si vera sit, & per suppositiones, quæ à principio sunt, accepta. Sed Dialectica, percunctanti quidem interrogatio contradictionis: ratiocinanti autem sumptio apparentis, & probabilis: quemadmodum in Topicis dictum est. Quid itaque propositio, & quomodo differat syllogistica, & demonstratiua, & dialectica, accurate in sequentibus dicetur: ad præsentem verò vsum sufficiant, quæ nunc à nobis determinata sunt.*

1 ARISTOTELES aggrediens quatuor libros de priori, & posteriori resolutione, præmittit initio tria esse explicanda. Primo explicandum est circa quam materiam versentur hi libri, & cuius rei scientiam

ac disciplinam tradant. Secundo explicandum est, quid sit propositio, quid terminus, quid syllogismus, & ex syllogismis quis sit perfectus, quis imperfectus. Tertio explicandum est, quid sit aliquid esse in toto, vel non esse in toto, seu quid sit *dici de omni*, ac *dici de nullo*.

Vt hæc tria ordinatim explicet, docet primo in istis libris agi de demonstratione, ac tradi scientiam demonstrandi. Quia verò demonstratio est syllogismus causans scientiam, ideo in duobus libris de priori resolutione agitur de syllogismo *vt sic*, quod est genus demonstrationis, & explicantur communia omni syllogismo: in duobus libris de posteriori resolutione agitur specialiter de syllogismo demonstratiuo, ac de proprijs demonstrationis. Ex eo, quod in libris priorum tradatur scientia syllogismi *vt sic*, sequitur, quod debeat præmitti definitio syllogismi, & partium syllogismi; sed partes subiectiuæ, seu species syllogismi sunt syllogismus perfectus, & imperfectus; partes essentiales, ex quibus componitur syllogismus, sunt propositiones, & termini; ergo præmitti debent horum definitiones. Rursus tota scientia syllogismorum fundatur in duobus principijs, quæ sunt *dictum de omni*, & *dictum de nullo*, seu *in toto esse, in toto non esse;* ergo præmittenda sunt etiam, & explicanda hæc duo principia.

2 Descendit deinde Aristoteles ad tradendas singillatim horum definitiones. Propositio est *alicuius de aliquo affirmatiua, vel negatiua oratio*. Diuiditur in vniuersalem, particularem, & indefinitam. Vniuersalis est, *per quam dicitur prædicatum inesse omni, vel nulli*: ex. gr. *omnis homo est animal; nullus homo est equus*. Particularis est, *per quam prædicatum dicitur inesse, vel non inesse alicui, vel non omni*: ex. gr. *aliquis homo est albus; aliquis homo non est albus*. Indefinita est, *per quam prædicatum dicitur inesse subiecto, non determinando vtrum omni, vel alicui*: ex. g. *contrariorum eadem est disciplina; voluptas non est bonum.* Propositionem singularem Aristoteles omittit, vel quia comprehenditur in particulari, vel quia in his libris agitur solum de syllogismo constante ex terminis communibus, non autem de syllogismo constante ex termimis, & propositionibus singularibus.

3 Diuiditur etiam propositio in dialecticam, & demonstratiuam. Differunt hæ duæ propositiones ex modo proponendi. Demonstrans enim non interrogat vtra pars contradictionis sit vera, sed determinatè sumit vnam partem contradictionis, quæ est vera, & certa: at dialecticus interrogat respondentem, vtra pars sit vera, relinquens ipsi optionem eligendi, quam voluerit, & illam, quam respondens eligit, assumit vt præmissam syllogismi. Ratio discriminis est, quia demonstrator procedit ex veris, & certis; ergo sumit illam partem contradictionis, quæ est vera, & certa, neque interrogat paratus accipere, quam respondens elegerit: at dialecticus procedit ex probabilibus, vel apparentibus; ergo interrogat paratus assumere vt præmissam syllogismi vtramlibet partem contradictionis, dummodo sit probabilis, vel appareat probabilis. Cæterum tum demonstrator, tum dialecticus assumit vt præmissam syllogismi vnam determinatam partem contradictionis, qua aliquid de altero affirmetur, vel negetur; ergo propositio syllogistica vniuersim est alicuius de aliquo affirmatiua, vel negatiua oratio. Differt tamen propositio syllogismi demonstratiui à propositione, seu præmissa syllogismi dialectici in hoc, quod propositio syllogismi demonstratiui est vera, certa, & immediata, vel ex immediatis probata, ideoque proponitur sine interrogatione: propositio verò syllogismi dialectici proponitur interrogando de vtraque parte contradictionis, & assumitur vt probabilis, vel apparens, vt dicetur in topicis, in quibus de his agetur magis ex professo.

4 *Terminum autem voco, in quem dissoluitur propositio, vt prædicatum, & de quo prædicatur: aut apposito, aut diuiso, esse, aut non esse.*

5 *Syllogismus autem est ratio, in qua positis quibusdam alterum quid à positis, necesse est contingere, eò quòd hæc sint. Dico autem, eo quòd hæc sint, propter hæc contingere: propter hæc verò, nullius extrinsecus termini adiumento indigere ad necessarium efficiendum.*

6 *Perfectum itaque voco syllogismum nullo alio indigentem præter assumpta, vt necessarium appareat. Imperfectum verò, indigentem aut vnius, aut plurium, quæ sunt quidem necessaria per subiectos terminos, non tamen assumpta sunt per propo-*

positiones.

7 *In toto autem esse alterum altero, & de omni prædicari alterum altero, idem significat. Dicimus autem de omni prædicari, quando nihil sit subiecti accipere, de quo alterum non dicitur: ac de nullo consimiliter.*

4 Terminum definit Aristoteles per hæc verba: *Terminum voco in quem resoluitur propositio, vt in prædicatum, & id de quo prædicatur, apposito, ac diuiso esse, vel non esse*: seu, terminus est, in quem resoluitur propositio, tanquam in prædicatum, & subiectum, affirmatum, & negatum. Ly enim *apposito esse, vel non esse*, significat, apposita affirmatione per verbum *est*, vel negatione per *non est*. Vnaquæque enim res vltimo resoluitur in ea, ex quibus primo componitur, eo pacto, quo quia mista primo componuntur ex elementis, vltimo resoluuntur in elementa; sed propositio primo componitur ex terminis; ergo vltimo resoluitur in terminos, qui sunt prædicatum, & subiectum.

5 Syllogismus est *oratio, in qua quibusdam positis, aliud quid à positis necesse est contingere, eo quod hæc sint*. Tres igitur conditiones requiruntur ad syllogismum. Prima est, vt conclusio necessariò sequatur ex dispositione præmissarum, itaut posita tali dispositione in quacunque materia semper sequatur: hoc autem est conclusionem sequi ratione formæ, & non ratione solius materiæ. Secunda conditio est, vt conclusio sit enunciatio distincta à præmissis, & hoc significat ly *aliud quid*. Tertia est, vt sequatur, *quia hæc sunt*, ita vt ad hoc, vt conclusio sequatur necessario, non debeat addi alius terminus, neque alia propositio.

6 Syllogismus perfectus est, *cui nihil addi debet, præter propositiones assumptas, non solum ad hoc, vt conclusio sequatur necessario, sed neque ad hoc, vt euidenter appareat conclusionem sequi necessario*: præcisè enim ex dispositione terminorum, & præmissarum euidenter apparet necessitas conclusionis. Syllogismus imperfectus est, *cui licet nihil addi debeat ad hoc, vt conclusio sequatur necessario, tamen ad hoc, vt euidenter appareat talis necessitas, debet addi aliquid, quod licet sequatur necessario ex dispositione terminorũ, & propositionum, adhuc non est assumptum*. Hoc autem, quod debet addi est, vel conuersio propositionum, vel transpositio, vel sumptio contradictoriæ, ex quibus manifestum fit conclusionem necessario sequi ex positis præmissis. Omnes syllogismi, præter primos quatuor primæ figuræ, sunt imperfecti, vt patebit inferius.

7 In toto esse, vel non esse est *prædicatum affirmari, vel negari de omni subiecto*. Dici verò de omni est, *cum nihil sub subiecto potest sumi, de quo non dicatur prædicatum*. Dici de nullo est, *cum nihil sub subiecto potest sumi, de quo non negetur prædicatum*. Ex. gr. in hac propositione *omnis homo est animal, animal* dicitur de omni homine, quia nihil potest sumi, quod sit homo, & non sit animal: in hac propositione *nullus homo est equus, equus* dicitur de nullo homine, quia nullus homo potest sumi, de quo equus non negetur.

De conuersione propositionum de inesse. Cap. II.

1 *QVoniam verò omnis propositio est, aut inesse, aut necessario inesse, aut contingenter inesse: harum autem aliæ affirmatiuæ, aliæ negatiuæ secundum vnamquanque allocutionem: rursus vero affirmatiuarum, ac negatiuarum, aliæ sunt vniuersaliter, aliæ in parte, aliæ indefinitæ.*

2 *Vniuersaliter quidem priuatiuam, in eo, quod est inesse, terminis conuertere necesse est: vt, si nulla voluptas bonum neque bonum vllum erit voluptas. Prædicatiuam autem conuertere quidem necessarium, non tamen vniuersaliter, sed in parte: vt, si omnis voluptas bonum, & bonum aliquod esse voluptatem. Earum verò quæ in parte, prædicatiuam quidem conuertere necesse est secundũ partem: si enim voluptas aliqua bonum, & bonum aliquod erit voluptas. Priuatiuam autem non necessarium: non enim, si homo non inest alicui animali, & animal non inerit alicui homini.*

POsitis definitionibus, & principijs, in quibus fundatur scientia syllogizandi, descendit Aristoteles ad tradendam talem scientiam: & quia per conuersionem propositionum fit manifestum syllogismos imperfectos necessario concludere, tradit, & probat regulas conuersionum.

1 Præmittit propositiones alias esse de inesse, alias modales, in quibus nimirum expli-

explicatur, an prædicatum insit, vel non insit subiecto, necessariò, vel contingenter. Rursus præmittit propositiones alias esse affirmatiuas, alias negatiuas, alias vniuersales, alias particulares, alias indefinitas, vt explicatum est cap. 1. num. 2. & lib. 1. periherm. cap. 4.

2 His præmissis, tradit quatuor regulas de conuersionibus propositionum de inesse. Prima regula est: vniuersalis negatiua conuertitur simpliciter, hoc est in aliam vniuersalem negatiuam. Si enim *nulla voluptas est bonum*, sequitur necessario; *ergo nullum bonum est voluptas*.

Secunda regula est: vniuersalis affirmatiua conuertitur per accidens, hoc est in particularem affirmatiuam: ex. gr. *si omnis voluptas est bonum*, sequitur necessario; ergo *aliquod bonum est voluptas*.

Tertia regula est: particularis affirmatiua conuertitur simpliciter, hoc est in aliam particularem affirmatiuam: si enim *aliqua voluptas est bonum*, sequitur necessario; ergo *aliquod bonum est voluptas*.

Quarta regula est: particularis negatiua non conuertitur: nam ex eo, quod *aliquod animal non sit homo*, non sequitur; ergo *aliquis homo non est animal*, cum de facto *omnis homo sit animal*. Conuersionem per contrapositionem, quam addiderunt Summulistæ Aristoteles omittit, quia non conducit ad reductionem syllogismorum.

3 *Primum itaque sit priuatiua vniuersaliter, A B, propositio. Si enim nulli A ipsum eorum, quæ sunt B, inest, & B inerit nulli eorum, quæ A: nam si alicui, vt C, non verum erit, quod dicitur, nulli ipsum A, eorum, quæ B inesse: C enim ex his, quæ B sunt, est.*

4 *Si vero omni A ipsum eorum, quæ sunt B, & B alicui eorum, quæ A, inerit. Nam si nulli, & A eorum, quæ B, nulli inerit: verum suppositum fuerat omni inesse.*

5 *Consimiliter autem, & si propositio secundum partem sit. Si enim A alicui eorum, quæ B, & B alicui eorum, quæ A, necesse est inesse. Nam si nulli, & A nulli eorum, quæ B.*

6 *Sin autem A alicui eorum, quæ B, non insit, non necesse, & B alicui eorum, quæ A, non inesse. Vt si B quidem est animal, A vero homo: homo quidem enim non omni animali, animal autem omni homini inest.*

3 Demonstratur prima regula, quod vniuersalis negatiua conuertitur simpliciter. Et quidem Aristoteles exemplificat in litteris, nos autem maioris claritatis gratia exemplificabimus in terminis realibus. Sit igitur hæc negatiua, *nullus homo est equus*, sequitur ex necessitate, *ergo nullus equus est homo*. Probatur, quia tunc consequens sequitur necessario ex antecedente, cùm ex falsitate consequentis sequitur necessario falsitas antecedentis; sed ex falsitate huius consequentis *nullus equus est homo*, sequitur falsitas illius antecedentis *nullus homo est equus*; ergo &c. Probatur minor: si enim falsa est hæc, *nullus equus est homo*, vera est contradictoria, *aliquis equus*, qui vocetur, *est homo*: ergo iam potest sumi aliquid, quod sit homo, & equus; nam equus, qui est homo, est etiam equus; ergo falsum est, quod *nullus homo sit equus*, seu quod nihil, quod est homo sit equus; nam equus, qui est homo, est equus; ergo ex falsitate huius consequentis *nullus equus est homo*, sequitur falsitas illius antecedentis, *nullus homo est equus*; ergo si est verum antecedens, *nullus homo est equus*, est etiam verum consequens, *nullus equus est homo*, adeoque vniuersalis negatiua conuertitur simpliciter.

4 Demonstratur secunda regula, quod vniuersalis affirmatiua conuertatur per accidens in particularem affirmatiuam. Sit enim hæc: *omnis homo est animal*, sequitur ex necessitate, quod *aliquod animal est homo*. Probatur: si falsum est, quod *aliquod animal est homo*, falsum est etiam, quod *omnis homo est animal*; ergo &c. Probatur antecedens: si falsum est, *aliquod animal est homo*, vera est contradictoria, *nullum animal est homo*; sed si vera est hæc, *nullum animal est homo*, est vera etiam conuersa, *nullus homo est animal*, vt num. 3. est demonstratum, & per consequens falsum est, quod *omnis homo sit animal*, cum contrariæ non possint esse simul veræ; ergo si falsum est, *quod aliquod animal est homo*, falsum est etiam, quod *omnis homo est animal*; ergo si verum est, quod *omnis homo est animal*, sequitur ex necessitate, quod *aliquod animal sit homo*, adeoque vniuersalis affirmatiua conuertitur per accidens in particularem affirmatiuam.

5 Demonstratur tertia regula, quod particularis affirmatiua conuertatur simpliciter in aliam particularem affirmatiuam.

Sit

Sit enim hæc, *aliquis homo est albus*, sequitur ex necessitate, *aliquod album est homo*. Si enim hæc est falsa, vera est contradictoria *nullum album est homo*, & per consequens conuersa *nullus homo est albus*; sed hæc est contradictoria illius, *aliquis homo est albus*, contradictoriæ verò non possunt simul verificari; ergo si falsum est, quod *aliquod album est homo*, falsum est etiam, quod *aliquis homo est albus*; ergo si verum est, quod *aliquis homo est albus*, ex necessitate est verum, quod *aliquod album est homo*; ac proinde particularis affirmatiua conuertitur simpliciter.

6 Demonstratur denique quarta regula, quod particularis negatiua non conuertitur. Sit enim hæc, *aliquod animal non est homo*, non sequitur ex necessitate; ergo *aliquis homo non est animal*. Falsum enim non potest sequi necessario ex vero; sed quod *aliquis homo non sit animal* est falsum; ergo non potest sequi necessario ex eo, quod *aliquod animal non sit homo*, quod est verum.

De conuersione propositionum modalium de necessario. Cap. III.

1 *Eodem autem modo se habebit, & in necessarijs propositionibus. Vniuersalis enim negatiua vniuersaliter conuertitur: affirmatiuarum vero vtraque secundum partem.*

2 *Si enim necesse est A, eorum quæ B, nulli inesse, necesse & B, eorum quæ A, nulli inesse. Si enim alicui contingit, & A eorum quæ B, alicui contingeret.*

3 *Sin autem ex necessitate A omni, vel alicui eorum, quæ B inest, & B alicui eorum, quæ A necesse est inesse Si enim non necesse, neque A alicui eorum quæ B, inesset vtique ex necessitate.*

4 *Priuatiuum vero in parte non conuertitur ob eandem causam, ob quam & prius diximus.*

1 Traditis, ac demonstratis regulis conuersionum propositionum de inesse, tradit Aristoteles, ac demonstrat regulas circa conuersiones propositionum modalium, ac primo circa conuersiones modalium de necessario.

Prima regula est: in propositionibus, in quibus affirmatur *necesse esse* de dicto vniuersali negatiuo, dictum conuertitur simpliciter: ex. gr. si *necesse est nullum hominem esse equum*, *necesse est nullum equum esse hominem*.

Secunda regula est: in propositionibus, in quibus affirmatur *necesse esse* de dicto affirmatiuo vniuersali, vel particulari, dictum conuertitur particulariter: ex. gr. *si necesse est omnem, vel aliquem hominem esse animal*, *necesse est aliquod animal esse hominem*

Tertia regula est: in propositionibus de necessario, quarum dictum est particulare negatiuum, dictum nullo modo conuertitur: ex. gr. ex eo, quod *necesse sit aliquod animal non esse hominem*, non sequitur *necesse esse, vt aliquis homo sit animal*.

2 Demonstratur prima regula: sit enim hæc propositio, *necesse est nullum hominem esse equum*, sequitur; *ergo necesse est nullum equum esse hominem*. Tum enim consequens necessario sequitur ex antecedente, quando ex falsitate consequentis sequitur necessario falsitas antecedentis; sed ex falsitate huius, *necesse est nullum equum esse, hominem*, sequitur falsitas illius, *necesse est nullum hominem esse equum*; ergo &c. Probatur minor: si enim est falsa hæc, *necesse est nullum equum esse hominem*, est vera contradictoria, quæ est, *non necesse est nullum equum esse hominem*, seu *contingens est aliquem equum esse hominem*, quæ æquipollet illi: hic equus, quem contingens est esse hominem, vocetur C; si contingens est equum C, esse hominem, contingens est aliquid esse hominem simul, & equum; ergo contingens est aliquem hominem esse equum; ergo falsa est contradictoria, quæ est, *necesse est nullum hominem esse equum*; ergo ex falsitate huius, *necesse est nullum equum esse hominem*, sequitur falsitas illius, *necesse est nullum hominem esse equum*; ergo si vera est hæc, *necesse est nullum hominem esse equum*, est etiam vera hæc, *necesse est nullum equum esse hominem*, adeoque prima regula est vera.

3 Demonstratur secunda regula: sit enim hæc propositio, *necesse est omnem hominem, vel aliquem hominem esse animal*, sequitur hæc, *ergo necesse est aliquod animal esse hominem*: si enim hæc est falsa, est vera contradi-

traditoria, *contingit nullum animal esse hominem*; ergo contingit etiam nullum hominem esse animal: cum enimcontingit aliquid, contingit id, quod necessario sequitur ex illo; sed si contingit nullum hominem esse animal, falsum est, quod sit necesse omnem, vel aliquem hominem esse animal; cum enim contingit aliquam propositionem esse veram, non est necesse veram esse contrariam, vel contradictoriam illius; contrariæ siquidem, & contradictoriæ nō possunt simul verificari; ergo ex falsitate huius, *necesse est aliquod animal esse hominem*, sequitur falsitas illarum, *necesse est omnem, vel aliquem hominem esse animal*; ergo ex veritate istarum, *necesse est omnem, vel aliquem hominem esse animal*, sequitur hæc, *necesse est aliquod animal esse hominem*, ac proinde secunda regula est vera.

4 Demonstratur iam tertia regula, quia ex hac vera *necesse est aliquod animal non esse hominem*, non sequitur hæc falsa *necesse est aliquem hominem non esse animal*: verum enim non sequitur necessario ex falso.

Possunt breuius probari istæ regulæ, quia cum necesse est aliquod dictum esse verum, necesse est esse verum omne id, quod necessario sequitur ex tali dicto; sed dictum vniuersale negatiuum necessario conuertitur in aliud dictum vniuersale negatiuum; dictum affirmatiuum vniuersale, vel particulare necessario conuertitur in aliud dictum particulare; dictum particulare negatiuum non conuertitur vllo pacto, vt demonstratum est capite secundo; ergo si necesse est esse verum dictum vniuersale negatiuum, necesse est etiam esse verum dictum vniuersale, in quod conuertitur; si necesse est esse verum dictum vniuersale, vel particulare affirmatiuum, necesse est esse verum dictum particulare affirmatiuum, in quod conuertuntur; si verò necesse est esse verum dictum particulare negatiuum, non necesse est esse verum aliud dictum, in quod conuertatur, cum dictum particulare negatiuum conuerti non possit.

De conuersione propositionum modalium de contingenti. Cap. IV.

1 *IN contingentibus vero, quoniam multifariam dicitur contingere: (etenim necessarium, & possibile, contingere dicimus:)*

2 *In affirmatiuis quidem consimiliter se habebit secundum conuersionem in omnibus. Si enim A omni vel alicui eorum, quæ B contingit, & B alicui eorum, quæ A continget vtique. Si enim nulli, neque A nulli eorum, quæ B. Ostensum est enim hoc prius.*

3 *In negatiuis vero non similiter: sed quæcunque quidem contingere dicuntur, eo quòd ex necessitate non insunt, aut non ex necessitate insunt, similiter. Vt si quis hominem dicat contingere non esse equum, aut album nulli vestimento inesse. Horum enim, illud quidem ex necessitate non inest, hoc autem non ex necessitate inest. Et consimiliter conuertitur propositio. Si enim contingit nulli homini equum esse, & hominem contingit nulli equo: & si album contingit nulli indumento, & indumentum contingit nulli albo: si enim alicui necesse, & album alicui erit ex necessitate: hoc enim ostensum est prius. Consimiliter, & in negatiua in parte.*

1 TRaditis regulis circà conuersiones modalium de necessario, tradit Aristoteles regulas circà conuersiones modalium de contingenti. Præmittit tripliciter dici contingens. Primo dicitur contingere, vt aliquid sit, quia necessario est: ex.gr. dicitur, contingit Deum esse, quia necessario est. Secundo dicitur contingere, vt aliquid sit, quia est non necessario: ex. gr. dicitur, contingit hominem esse, quia homo licet sit, non necessario est, sed potest non esse. Tertio dicitur contingens ipsum possibile esse abstrahendo ab hoc, quod sit necessario, vel non necessario: ex. gr. contingit ens esse abstrahendo ab hoc, quod ens sit necessario, vt Deus, vel non necessario, vt creaturæ.

2 His positis: prima regula est: in propositionibus, in quibus affirmatur contin-

tin-

tingens esse de dicto affirmatiuo vniuersali, vel particulari, dictum conuertitur particulariter sicut in propositionibus de inesse, vel de necessario: ex. gr. *si contingens est omnem, vel aliquem hominem esse album, contingens est etiam aliquod album esse hominem.*

Demonstratur: sit enim hæc propositio *contingens est omnem, vel aliquem hominem esse album*, sequitur; *ergo contingens est aliquod album esse hominem*: cum enim ex falsitate consequentis sequitur necessario falsitas antecedentis, tum ex antecedenti sequitur necessario consequens; sed ex falsitate huius consequentis, *contingit aliquod album esse hominem*, sequitur falsitas antecedentis, *contingit omnem, vel aliquem hominem esse album*; ergo &c. Probatur minor: si enim falsa est hæc, *contingit aliquod album esse hominem*, est vera eius contradictoria, *non contingit aliquod album esse hominem*, quæ æquiualet huic, *necesse est nullum album esse hominem*; sed si necesse est nullum album esse hominem, necesse est nullum hominem esse album, vt dictum est capite tertio num. 1. in prima regula de necessario; ergo ex falsitate huius, *contingit aliquod album esse hominem*, sequitur veritas huius, *necesse est nullum hominem esse album*; sed hæc propositio, *necesse est nullum hominem esse album*, opponitur contradictoriè, vel contrariè illis, contingens est *omnem, vel aliquem hominem esse album*, adeoque non potest esse vera, quin illæ sint falsæ; ergo ex falsitate huius consequentis, *contingit aliquod album esse hominem*, sequitur falsitas illius antecedentis, *contingit omnem, vel aliquem hominem esse album*; ergo ex hoc antecedente sequitur necessario illud consequens, adeoque regula est vera.

3 Secunda regula, est: in propositionibus de dicto vniuersali negatiuo, in quibus contingens sumitur primo, vel secundo modo pro necessario, vel non necessario, dictum conuertitur simpliciter sicut in propositionibus de inesse, & de necessario: ex. gr. hæc propositio, *contingens est nullum hominem esse equum, quia homo ex necessitate non est equus*, conuertitur in hanc, *contingens est nullum equum esse hominem*; & similiter hæc propositio, *contingens est nullam tunicam esse albam, quia non est necessarium vt tunica sit alba*, conuertitur in hanc, *contingens est nullum album esse tunicam*.

Demonstratur: si enim falsa est hæc, *contingit nullum equum esse hominem*, vel *contingit nullum album esse tunicam*, vera est contradictoria, *necesse est aliquem equum esse hominem, necesse est aliquod album esse tunicam*; sed hæ conuertuntur in has; *necesse est aliquem hominem esse equum, necesse est aliquam tunicam esse albam*, vt dictum est cap. 3. num. 1. in secunda regula de necessario; ergo si illæ sunt falsæ, istæ sunt veræ, *necesse est aliquem hominem esse equũ; necesse est aliquam tunicam esse albam*; sed istæ opponuntur contradictoriè illis antecedentibus, *contingit nullum hominem esse equum, contingit nullam tunicam esse albam*; ergo illa antecedentia sunt falsa; ergo ex falsitate consequentis sequitur falsitas antecedentis; ergo ex antecedenti necessario sequitur consequens, adeoque regula est vera.

4 *Quæcunque vero, eo, quod vt plurimum, atque ob id, quod nata sunt, contingere dicuntur, secundum quem modum determinamus contingens, non similiter se habebunt in priuatiuis conuersionibus. Cæterum vniuersalis quidem propositio non conuertitur: quæ vero in parte conuertitur. Hoc autem erit manifestum, quando de contingenti dicemus.*

5 *Nunc vero nobis & hoc sit præter ea, quæ dicta sunt, planum, quod contingere nulli, aut alicui non inesse, affirmatiuam habet figuram. Contingit nanque ad similitudinem ipsius, est, ordinatur: ipsum vero, est, in quibuscunque prædicetur, affirmationem semper, & omnino facit: vt, est non bonum, aut est non album, aut simpliciter est non hoc: monstrabitur autem & hoc per sequentia: secundum vero conuersiones ad aliarum similitudinem se habebunt.*

4 Tertia regula est: si contingens sumatur pro eo, quod licet plerunque debeat euenire, adhuc tamen potest non euenire, vel pro eo, quod est omnino indifferens ad hoc, vt eueniat, vel non eueniat, vt dicetur inferius cap. 13. propositiones de dicto negatiuo vniuersali non conuertuntur simpliciter; at propositiones de dicto negatiuo particulari, conuertuntur simpliciter, vt eo loco probabitur.

5 Aduertit Aristoteles, quod licet propositiones de dicto negatiuo videantur negatiuæ, adhuc verè propositiones in quibus modus

modus affirmatur sunt affirmatiuæ, licet dictum sit negatiuum: ex. gr. hæc, *contingens est nullum, vel aliquem hominem esse album*, est affirmatiua. Ratio est, quia sicut propositiones de inesse, in quibus verbo, *est*, non præponitur negatio sunt affirmatiuæ, licet negatio præponatur prædicato, ideoque hæc propositio, *est non bonum*, est affirmatiua, sic propositiones modales, in quibus verbo, *est*, non præponitur negatio sunt affirmatiuæ; sed in istis propositionibus, *necesse est, contingens est, nullum hominem esse equum*, verbo, *est*, non præponitur negatio; ergo istæ propositiones sunt affirmatiuæ, licet de dictis negatiuis.

De prima figura, & eius modis directis vtilibus, & inutilibus. Cap. V.

1 *Determinatis vero his, dicamus iam per quæ & quando, & quomodo fit omnis syllogismus: posterius autem dicendum de demonstratione. Prius enim de syllogismo dicendum, quàm de demonstratione, eo quod vniuersaliter syllogismus est. Demonstratio nanque syllogismus quidam est: syllogismus vero non omnis demonstratio.*

2 *Cumque itaque termini tres sic se habent inuicem, vt vltimus in toto sit medio: & medius in primo aut sit, aut non sit: necesse est extremitatum esse syllogismum perfectum.*

3 *Voco autem medium, quod & ipsum in alio, & aliud in hoc est: quod & positione sit medium: extremitates vero, quæ & ipsa in alio est, & in qua aliud est*

4 *Si enim A de omni B: & B de omni C: necesse est A de omni C prædicari. Prius enim dictum est, quomodo de omni dicimus.*

5 *Consimiliter vero, si A de nullo quidem B: B vero de omni C: quòd A nulli C inerit.*

1 Positis principijs, ex quibus dependet tota doctrina de syllogismis perfectis, & imperfectis, descendit Aristoteles ad tradendam talem doctrinam. Præmittens igitur, quod prius in libris priorum agendum est de syllogismo, qui est genus demonstrationis, deinde in libris posteriorum de demonstratione, quæ est species syllogismi, incipit agere de figuris, & modis syllogismorum.

2 Prima ergo conclusio est: quando tres termini disponuntur ita, vt vltimus sit, & contineatur in toto medio, ita vt medius affirmetur vniuersaliter de vltimo; medius verò sit, vel non sit in toto primo, ita vt primus vniuersaliter affirmetur, aut negetur de medio, tum necesse est perfectum esse syllogismum, in quo concludatur ex necessitate primum de vltimo, affirmando, vel negando primum vniuersaliter de vltimo.

3 Vt demonstret conclusionem, declarat Aristoteles, quid in hac figura intelligatur nomine termini primi, medij, & vltimi. Terminus primus est, qui in propositionibus, seu præmissis solum prædicatur: terminus vltimus est, qui solum subijcitur: terminus medius etiam positione est, qui medium tenet situm, ita vt in vna præmissa prædicetur de termino vltimo, in altera subijciatur termino primo, ideoque cum sit posterior primo, & prior vltimo, medium tenet locum. Terminum primum, qui vocatur maius extremum, designat Aristoteles per litteram A, terminum medium per litteram B, terminum vltimum, qui vocatur minus extremum per litteram C.

4 Demonstratur conclusio: tres termini viuens, animal, homo, disponantur ita, vt dicatur, *omne animal est viuens; omnis homo est animal*; sequitur ex necessitate; *ergo omnis homo est viuens*. Dicendo enim, *omne animal est viuens, viuens* dicitur de omni animali; sed dici de omni animali est, quod nihil possit sumi, quod sit animal, & non sit viuens, vt dictum est cap. primo num. 8. explicando principium *dictum de omni*; ergo cum sumatur, quod *omnis homo est animal*, necesse est, vt omnis homo sit viuens.

5 Similiter tres termini, planta, animal, homo, disponantur ita, vt dicatur, *nullum animal est planta; omnis homo est animal*; sequitur ex necessitate; *ergo nullus homo est planta*. Dicendo enim, *nullum animal est planta*, significatur nihil posse sumi, quod sit animal, de quo non negetur planta; sed sumitur, quod *omnis homo est animal*; ergo sequitur, quod de omni homine negetur planta, dicendo, *nullus homo est planta*; ergo ex principijs, *dictum de omni*

ni, & dictum de nullo , & ex definitione ,
syllogismi demonstratur, quod disponendo
terminos modo explicato , fit syllogismus,
hoc est oratio , in qua positis præmissis ne-
cessario sequitur conclusio propter ipsam
dispositionem præmissarum , & termino-
rum .

6 *Sed si primum omne consequitur me-*
dium : medium vero nulli inest extremo :
non erit syllogismus extremitatum. Nihil
enim necessarium accidit, eo quòd hæc sint.
Nanque & omni, & nulli contingit vltimo
primum inesse: quare neque quod secundum
partem, neque quod vniuersaliter sit neces-
sarium . Cùm vero nullum sit necessarium,
per hæc non erit syllogismus . Termini om-
ni inesse, animal, homo, equus : nulli, ani-
mal, homo, lapis .

6 Secunda conclusio est : si termini ita
disponantur, vt primum affirmetur vniuer-
saliter de medio,medium verò negetur vni-
uersaliter de vltimo , non fit syllogismus ,
quia non sequitur ex necessitate maius ex-
tremum posse affirmari , aut negari de mi-
norì extremo .

Demonstratur : tum ex tali dispositione
terminorum, & præmissarum non sequere-
tur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua
maioris extremi de minori extremo, quan-
do posita tali dispositione possent præmis-
sæ esse veræ , & tamen esse falsa omnis
conclusio tum affirmatiua, tum negatiua ,
maioris extremi de minori extremo ; sed
posita tali dispositione præmissarum potest
esse falsa omnis conclusio tum affirmatiua,
tum negatiua ; ergo &c. Probatur minor :
tum posset esse falsa omnis conclusio ne-
gatiua , cum posita veritate præmissarum ,
maius extremum esset vniuersaliter affir-
mabile de minori extremo ; sed possunt
præmissæ esse veræ, & adhuc maius extre-
mum esse vniuersaliter affirmabile de mi-
nori extremo ; ergo &c. Probatur minor :
termini enim, *animal* , *homo* , *equus* , dispo-
nantur ita , vt animal vniuersaliter affir-
metur de homine , & homo vniuersaliter
negetur de equo , dicendo , *omnis homo est*
animal ; *nullus equus est homo* ; non sequi-
tur; *ergo nullus equus est animal,vel aliquis*
equus non est animal , quia de facto omnis
equus est animal ; ergo posita tali dispo-
sitione præmissarum possunt præmissæ esse
veræ, & omnis conclusio negatiua maioris
extremi de minori extremo esse falsa,adeo-
que non sequitur vlla conclusio negatiua .
Similiter non sequitur vlla conclusio affir-
matiua , quia possunt præmissæ esse veræ ,
& maius extremum esse vniuersaliter ne-
gabile de minori extremo , adeoque esse
falsa omnis propositio affirmatiua maioris
extremi de minori extremo , vt patet in
his terminis , *animal, homo , lapis* . Si enim
dicatur : *omnis homo est animal* ; *nullus la-*
pis est homo ; præmissæ sunt veræ, & tamen
non sequitur ; *ergo omnis , vel aliquis lapis*
est animal , quia de facto nullus lapis est
animal .

7 *Neque quando neque primum medio: ne-*
que medium vltimo nulli insit : neque sic
erit syllogismus . Termini inesse , scientia ,
linea, medicina : non inesse, scientia, linea,
vnitas .

8 *Vniuersalibus igitur terminis existen-*
tibus , planum in hac figura , quando erit ,
& quando non erit syllogismus : & quod si
fuerit syllogismus , terminos ita se habere
necesse est, vt diximus : & si ita se babue-
rint, planum quòd erit syllogismus .

7 Tertia conclusio est : si primum, seu
maius extremum negetur vniuersaliter de
medio, & medium negetur vniuersaliter de
vltimo, seu minori extremo, non fit syllo-
gismus . Demonstratur : sint enim termini ,
scientia, linea, medicina, ac disponantur di-
cendo , *nulla linea est scientia* ; *nulla me-*
dicina est linea ; præmissæ sunt veræ,& ta-
men non sequitur conclusio negatiua ; *ergo*
nulla medicina est scientia, vel *aliqua me-*
dicina non est scientia , cum de facto , *omnis*
medicina sit scientia . Rursus sint termini ,
scientia, linea, vnitas, & disponantur, *nulla*
linea est scientia ; *nulla vnitas est linea* ;
præmissæ sunt veræ, & tamen non sequitur
conclusio affirmatiua vniuersalis, vel par-
ticularis ; *ergo omnis , vel aliqua vnitas est*
linea, cum de facto nulla vnitas sit linea ;
ergo cum posita tali dispositione extremo-
rum cum medio,possit contingere,vt maius
extremum possit vniuersaliter affirmari de
minori extremo , & possit vniuersaliter ne-
gari de minori extremo; ex tali dispositio-
ne non sequitur necessario vlla conclusio
affirmatiua , vel negatiua maioris extremi
de minori extremo .

8 Colligitur ex dictis , per quos mo-
dos

dos vniuersales in hac prima figura fiat syllogismus, per quos non fiat. Propositiones, seu præmissæ vniuersales in hac prima figura variari possunt quatuor modis secũdum affirmationem, & negationem. Primus modus est, vt vtraque præmissa sit vniuersalis affirmatiua; secundus, vt vtraque sit vniuersalis negatiua; tertius, vt minor, hoc est premissa, in qua medium prædicatur, sit affirmatiua; maior verò hoc est, in qua medium subijcitur, sit negatiua; quartus vt è conuerso minor, hoc est præmissa, in qua medium prædicatur, sit negatiua, maior verò, hoc est præmissa, in qua subijcitur, sit affirmatiua. Ex his quatuor modis duo concludunt ex necessitate, adeoque constituunt syllogismum, primus nimirum, qui est *Barbara*, & tertius, qui est *Celarent*; duo non concludunt directè, nec constituunt syllogismum directum, secundus nimirum, in quo vtraque præmissa est vniuersalis negatiua, qui posset vocari *Celerent*, & quartus, in quo maior est vniuersalis affirmatiua, & minor vniuersalis negatiua, qui posset vocari *Calerent*. Hic tamen quartus modus concludit indirectè, & est *Fapesmo*, vti dicetur suo loco.

9 *Si vero hic vniuersaliter, ille in parte ad alteram: quando quod vniuersaliter ad maiorem extremitatem, aut prædicatiuum, aut priuatiuum: quod autem in parte ad minorem, prædicatiuum: necesse est syllogismum esse perfectum: cùm vero ad minorem, aut aliter quodammodo termini se habuerint, impossibile. Dico autem maiorem extremitatem, in qua medium est: minorem vero, quæ sub medio.*

10 *Insit enim A omni B: B verò alicui C: si itaque est de omni prædicari, quod in principio diximus, necesse est A alicui eorum, quæ C inesse. Et si A nulli eorum quæ B inest: B vero alicui C: necesse est A alicui C non inesse. Determinatum enim est de nullo quomodo dicimus. Quare erit syllogismus perfectus. Consimiliter & si indefinitum sit B, C, prædicatiuum existens. Idem enim erit syllogismus, & indefinitum, si in parte accipiatur.*

9 Postquam Aristoteles explicauit, quinam modi vniuersales in prima figura concludant, vel non concludant, descendit ad explicandum, qui nam modi misti ex altera præmissa vniuersali, & altera particulari concludant, vel non concludant. Quarta ergo conclusio est: cum maior, in qua nimirum medium subijcitur maiori extremo, est vniuersalis affirmatiua, vel negatiua, minor verò, in qua nimirum medium prædicatur de minori extremo, est particularis affirmatiua, fit syllogismus, ex quo infertur aliqua conclusio directa: per omnes alias combinationes vniuersalis cum particulari non infertur ex necessitate vlla conclusio directa, adeoque non fit syllogismus directus. Explicat autem Aristoteles quid sit maius extremum, & quid sit maius extremum. Maius extremum, quod supra vocauit primum terminum est, cui medium subijcitur vt prædicato, in quo est; minus extremum est quod subijcitur medio.

10 Demonstratur prima pars conclusionis, quod nimirum cum maior est vniuersalis affirmatiua, vel negatiua, minor verò est particularis affirmatiua fit syllogismus. Sint enim tres termini, *animal, homo, album,* qui disponantur ita, vt animal, dicatur de omni homine per hanc propositionem, *omnis homo est animal*; *homo* verò dicatur de aliquo *albo* per hanc propositionem, *aliquod album est homo*, sequitur ex necessitate, quod animal dicatur de aliquo albo, adeoque infertur; *ergo aliquod album est animal*. Rursus sint tres termini, *equus, homo, albus*, qui disponantur ita, vt equus negetur de omni homine, homo vero affirmetur de aliquo albo, dicendo, *nullus homo est equus; aliquod album est homo*; sequitur ex necessitate; *ergo aliquod album non est equus*. Patet: nam si animal dicitur de omni homine, nihil potest sumi, quod sit homo, & non sit animal, hoc enim significat *dictum de omni*; sed sumitur in minori, quod *aliquod album est homo*; ergo sequitur ex necessitate, quod *aliquod album est animal*. Rursus si equus de nullo dicitur homine, nihil potest sumi, quod sit homo, de quo equus non negetur; sed in minori sumitur, quod *aliquod album est homo*; ergo sequitur ex necessitate, quod *aliquod album non sit equus*. Addit Aristoteles, quod sicut sequitur conclusio, si minor sit particularis, sic sequitur si minor sit indefinita, & si loco dicendi ex. gr. *aliquod album est homo*, dicatur, *album est homo*, sequetur conclusio indefinita, *ergo album est ani-*

animal, vel *ergo album non est equus*.

11 *Sin autem ad minorem extremitatem vniuersaliter ponatur, aut prædicatiuum, aut priuatiuum, non erit syllogismus, neque affirmatiuo, neque negatiuo, neque indefinito, neque secundum partem existente. Vt si A alicui B insit, aut non insit: B vero omni C insit. Termini quòd insit bonum, habitus, prudentia: quod non insit bonum, habitus, ignorantia.*

12 *Rursus si B nulli insit C: A vero alicui B insit, aut non insit, aut non omni insit, neque sic erit syllogismus. Termini, quòd omni insit album, equus, cygnus: quod nulli, album, equus, coruus. Iidem & si A.B indefinitum sit.*

13 *Neque quando quod ad maiorem extremitatem vniuersaliter fiat aut prædicatiuum aut priuatiuum: quod autem ad minorem priuatiuum secundum partem, non erit syllogismus, siue indefinitum, siue in parte accipiatur. Vt si A omni inest B: B vero alicui C non inest, aut non omni inest; cuicunque enim alicui non insit medium, hoc & omne, & nullum ipsum sequetur primum. Subijciantur enim termini animal, homo, album: postea & de quibus non prædicatur albis homo, sumantur cygnus, & nix: igitur animal de illo quidem prædicatur omni: de hoc autem nullo: quare non erit syllogismus.*

14 *Rursus A quidem nulli insit B: B vero alicui C non insit. Termini sint, inanimatum, homo, album: postea accipiantur de quibus albis non prædicatur homo, cygnus, & nix. Inanimatum nanque de hoc quidem omni: de illo autem nullo prædicatur.*

15 *Amplius quoniam indeterminatum est, B alicui C non inesse: verificatur autem & si nulli inest, & si non omni, quòd alicui non inest. Si vero tales assumantur termini, vt illi insit, non fit syllogismus; hoc enim dictum est prius. Planum itaque, quòd eo quòd termini sic se habeant, non erit syllogismus: esset enim & in his. Consimiliter autem monstrabitur, & si vniuersaliter ponatur priuatiuum.*

11 Demonstratur secunda pars conclusionis, quod per omnes alias combinationes vniuersalis cum particulari, vel indefinita non fiat syllogismus, ex quo sequatur vlla conclusio directa, discurrendo per singulas combinationes. Primo si maior sit particularis affirmatiua, vel negatiua, minor sit vniuersalis affirmatiua, non fit sillogismus, in quo concludatur maius extremum esse affirmabile, vel negabile de minori extremo, cũ posita veritate præmissarum, & possit maius extremum esse vniuersaliter negabile de minori extremo, & possit esse de illo vniuersaliter affirmabile. Termini, in quibus patet non sequi vllam conclusionem negatiuam, sunt *bonum, habitus, prudentia*. Si enim dicatur *aliquis habitus non est bonus; omnis prudentia est habitus*, non sequitur; *ergo nulla prudentia est bona, vel aliqua prudentia non est bona*; præmissæ enim sunt veræ, & vtraque conclusio est falsa, siquidem *omnis prudentia est bona*. Termini, in quibus patet non sequi vllã conclusionem affirmatiuam sunt *bonum, habitus, ignorantia*. Si enim dicatur, *aliquis habitus est bonus; omnis ignorantia est habitus*; non sequitur, *omnis, vel aliqua ignorantia est bona*, siquidem præmissæ sunt veræ, vtraque conclusio est falsa, cum nulla ignorantia sit bona. Idem dic si loco maioris particularis sumatur indefinita.

12 Secundo si maior sit particularis affirmatiua, vel negatiua, minor vniuersalis negatiua, nihil sequitur directè, cum possint præmissæ esse veræ, & omnis conclusio tum affirmatiua, tum negatiua esse falsa. Termini, ex quibus patet omnem conclusionem negatiuam esse falsam sunt, *album, equus, cygnus*. Si enim dicatur, *aliquis equus est albus; nullus cygnus est equus*; non sequitur; *ergo nullus cygnus est albus*, neque, *ergo aliquis cygnus non est albus*, cum omnis cygnus sit albus. Termini, ex quibus patet non sequi vllam conclusionem affirmatiuam sunt, *album, equus, coruus*. Si enim dicatur, *aliquis equus est albus; nullus coruus est equus*; non sequitur; *ergo omnis, vel aliquis coruus est albus*, siquidem nullus coruus est albus. Idem dic si loco maioris particularis sumatur maior indefinita.

13 Tertio: si maior sit vniuersalis affirmatiua, minor particularis, vel indefinita negatiua, nihil sequitur directè. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua patet in his terminis, *animal, homo, cygnus*. Si enim dicatur, *omnis homo est animal*,

mal ; aliquod album, puta cygnus, non est homo; non sequitur, *ergo nullus cygnus est animal*, vel *aliquis cygnus non est animal*, cum omnis cygnus sit animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua patet in his terminis, *animal, homo, nix*. Si enim dicatur, *omnis homo est animal ; aliquod album, puta nix, non est homo*; non sequitur, ergo *omnis, vel aliqua nix est animal*, cum nulla nix sit animal.

14 Quarto si maior sit vniuersalis negatiua, minor particularis negatiua nihil sequitur. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua patet in his terminis, *inanimatum, homo, animal*. Si enim dicatur, *nullus homo est inanimatus ; aliquod animal (vt cygnus) non est homo*; non sequitur; *ergo omne, vel aliquod animal (vt cygnus) est inanimatum*, cùm nullum animal, & nullus cygnus sit inanimatus. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua patet in his terminis, *inanimatum, homo, nix*. Si enim dicatur, *nullus homo est inanimatus ; aliqua nix non est homo*, non sequitur; *ergo nulla nix est inanimata*, neque; *ergo aliqua nix non est inanimata*, cum omnis nix sit inanimata.

15 Confirmat Aristoteles, quod ex minori particulari negatiua, adiuncta maiori vniuersali affirmatiuæ nihil sequatur: ex maiori vniuersali affirmatiua, & minori vniuersali negatiua nihil sequitur, vt dictum est conclusione secunda num 6.; sed est impossibile, vt aliqua conclusio sequatur ex particulari, quin sequatur ex vniuersali, in qua continetur particularis; ergo etiam ex particulari negatiua nulla sequitur conclusio. Probatur minor, quia est impossibile, vt conclusio sequatur ex aliqua propositione, & non sequatur ex alia propositione, quæ sufficit ad verificandam propositionem, ex qua sequitur; sed particularis est indifferens ad hoc, vt verificetur etiam per vniuersalem, ex. gr. hæc, *aliquis homo non est albus*, verificatur etiam si *nullus homo sit albus*; ergo est impossibile, vt si conclusio non sequitur necessario ex negatiua vniuersali, sequatur ex negatiua particulari, quæ continetur in vniuersali; sed ex maiori vniuersali negatiua, & minori vniuersali negatiua nihil sequitur, vt dictum est concl. 2. num. 6.; ergo etiam ex maiori vniuersali negatiua, & ex minori particulari negatiua nihil sequitur.

Patet ex dictis octo possibiles esse combinationes propositionum, quarum altera sit vniuersalis, altera particularis, ex quibus duæ solæ sunt vtiles, aliæ sex inutiles. Vel enim maior est vniuersalis, & minor particularis; vel è conuerso maior est particularis, minor vniuersalis. Si maior est vniuersalis, minor particularis, sunt possibiles quatuor combinationes, duæ vtiles, & duæ inutiles; vel enim vtraque est affirmatiua, & est Darij, vel vtraque est negatiua, vel maior est affirmatiua, minor negatiua, & nihil sequitur, vt dictum est num. 11. & 12. atque adeo isti duo modi sunt inutiles; vel maior est negatiua, minor affirmatiua, & est Ferio. Si maior est particularis, minor vniuersalis, possibiles sunt quatuor aliæ combinationes, omnes inutiles, cùm ex maiori particulari in prima figura non sequatur vlla conclusio directa; ergo in prima figura si altera præmissa sit vniuersalis, altera particularis possibiles sunt octo modi, duo vtiles, Darij, & Ferio, alij sex inutiles.

16 *Neque autem si vtraque interualla secundum partem extiterint, aut prædicatiue, aut priuatiue, aut hoc prædicatiue, illud priuatiue, aut indefinitum, illud definitum, aut vtraque indefinita, non erit syllogismus nullo pacto. Termini communes omnium, animal, album, equus: animal, album, lapis. Planum igitur ex dictis, quemadmodum si fuerit hac in figura secundum partem syllogismus, quòd necesse est terminos sic se habere, vt diximus: aliter vero se habentibus, nullo modo fit.*

16 Quinta conclusio pro omnibus modis constantibus ex vtraque præmissa particulari est, quod omnes sunt inutiles. Sunt autem possibiles quatuor modi ex vtraque præmissa particulari. Vel enim vtraque est affirmatiua; vel vtraque negatiua; vel maior affirmatiua, minor negatiua; vel maior est negatiua, minor affirmatiua. De omnibus istis modis potest probari, quod non inferant vllam conclusionem negatiuam in his terminis, *animal, album, equus*. Si enim vtraque sit affirmatiua ex. gr. *aliquod album est animal, aliquis equus est albus*; & si vtraque negatiua ex. gr. *aliquod album non est animal; aliquis equus non est albus*; & si maior affirmatiua, minor negatiua, ex. gr. *aliquod album est animal; aliquis equus non est albus*; & si maior negatiua, minor affir-

affirmatiua, ex. gr. *aliquod album non est animal; aliquis equus est albus*, licet omnes istæ præmissæ sint veræ, non infertur vlla conclusio negatiua vniuersalis, vel particularis, *aliquis homo non est animal*, *vel nullus homo est animal* cum vtraque sit falsa, si quidem omnis homo est animal. De ijsdem quatuor modis probari potest, quod nullam inferant conclusionem affirmatiuam in his terminis, *animal, album, lapis.* Nam si vtraque sit affirmatiua, ex.gr. *aliquod album est animal; aliquis lapis est albus*; & si vtraque negatiua, ex. gr. *aliquod album non est animal; aliquis lapis non est albus*: & si maior affirmatiua, minor negatiua, ex. gr. *aliquod album est animal; aliquis lapis non est albus*; & si maior sit negatiua, minor affirmatiua, ex. gr. *aliquod album non est animal; aliquis lapis est albus*, non sequitur vlla conclusio affirmatiua vniuersalis, vel particularis, *omnis, vel aliquis lapis est animal*; cum præmissæ sint veræ, omnis verò conclusio affirmatiua sit falsa, siquidem *nullus lapis est animal*; ergo cum in prima figura sint possibiles sexdecim combinationes, quatuor nimirum si vtraque præmissa sit vniuersalis, quatuor si vtraque sit particularis, quatuor si maior vniuersalis, minor particularis, quatuor si maior sit particularis, minor vniuersalis; quatuor solum sunt vtiles ad faciendum syllogismum directum, hoc est in quo maius extremum concludatur vt prædicatum de minori extremo vt subiecto; hoc est *Barbara, Celarent, Darij*, Ferio; aliæ duodecim sunt inutiles, vt demonstratum est.

17 *Manifestum autem & quod syllogismi omnes in eadem perfecti sunt (omnes enim perficiuntur per ea, quæ à principio sunt accepta) quòdque problemata omnia monstrantur per hanc figuram: nanque & omni, & nulli, & alicui, & non alicui inesse. Voco autem figuram talem primam.*

17 Sexta, & vltima conclusio est: omnes quatuor modi vtiles primæ figuræ sunt syllogismi perfecti, & per illos probari possunt omnia problemata. Probatur prima pars conclusionis, quia syllogismus perfectus ex dictis cap. 1. num. 6. est, qui nullo alio indiget præter præmissas assumptas, vt appareat necessitas conclusionis; sed omnes isti quatuor modi sunt huiusmodi; in maiori enim dicitur prædicatum de omni, vel nullo, in minori sumitur aliquid vniuersaliter, vel particulariter sub omni, vel nullo; ergo &c.

Secunda pars conclusionis probatur, quia omne problema est propositio vel vniuersalis affirmatiua, vel vniuersalis negatiua, vel particularis affirmatiua, vel particularis negatiua; sed singuli ex quatuor modis probant singulas ex quatuor dictis propositionibus; ergo &c. Porrò Aristoteles non facit mentionem specialem problematis indefiniti, quia continetur in particulari, neque problematis de subiecto singulari, quia non spectat ad scientias. Concludit Aristoteles, quod hanc figuram vocat primam, quæ consistit in hoc, vt medium de altero extremo prædicetur, alteri extremo subijciatur.

De secunda figura, & eius modis vtilibus, atque inutilibus. Cap. VI.

1 *QVando vero idem huic quidem omni, illi autem nulli insit: aut vtrique omni, aut nulli, figuram quidem talem voco secundam. Medium vero in ipsa dicitur, quod de vtrisque prædicatur: extrema autem, de quibus dicitur hoc. Maius vero extremum, quod ad medium iacet: minus autem, quod longius à medio. Ponitur autem medium quidem extra extrema, sed positione primum. Perfectus quidem in hac figura nullo pacto est syllogismus: potest autem esse, & vniuersaliter, & non vniuersaliter terminis existentibus.*

1 POstquam Aristoteles egit de prima figura, descendit ad agendum de secunda figura, & de eius modis. Docet ergo primo, quod secundam figuram vocat, per quam tres termini disponuntur ita, vt eorum vnus de vtroque prædicetur, siue de vtroque vniuersaliter affirmatiuè, siue de vtroque vniuersaliter negatiuè, seu de altero vniuersaliter, de altero particulariter, seu de vtroque particulariter. Medium in hac secunda figura est, quod prædicatur de vtroque extremo. Extremitates sunt de quibus medium prædicatur. Maior extremitas in hac figura est, quæ propinquior est medio,

medio, eo quod ſicut medium prædicatur in præmiſſis, ſic ipſa prædicatur in concluſione; minor extremitas eſt, quæ magis diſtat à medio, eo quod nec in præmiſſis, nec in concluſione prædicetur, ſed vtrobique ſubijciatur. Cum igitur in prima figura medium habeat rationem medij, non ſolum in quantum eſt ratio coniungendi intelligibiliter extrema in concluſione, ſed etiam in quantum in præmiſſis ponitur, & ſituatur inter extrema, ita vt vni extremo ſubijciatur, de altero extremo prædicetur; in ſecunda figura medium habet rationem medij ſolum, in quantum eſt ratio vniendi intelligibiliter extrema in concluſione; poſitione verò, & ſitu non eſt medium, ſed primum, cum non ſit inter extrema, ſed extrà extrema, vtpote ſemper prædicatum, atque adeo tenens primum locum. Rurſus in hac figura ſyllogiſmus non poteſt eſſe perfectus, & poteſt fieri, tum ex vtraque præmiſſa vniuerſali, tum ex altera vniuerſali, altera particulari, vt iam per varias concluſiones explicabitur. Terminos huius figuræ deſignat Ariſtoteles per litteras M. N. X. Per litteram M. deſignat medium, per litteram N. maius extremum, ſeu prædicatum concluſionis, per litteram X. minus extremum, ſeu ſubiectum concluſionis, per M. N. deſignat maiorem, per M. X. deſignat minorem.

2 *Vniuerſaliter quidem exiſtentibus terminis erit ſyllogiſmus, quando medium huic quidem omni, illi vero nulli inſit: & ſi ad vtrumuis fuerit priuatiuum: aliter vero minime. Prædicetur M de N quidem nullo: de X autem omni: quoniam itaque conuertitur priuatiuum, nulli M inerit N: M vero omni X ſuppoſitum eſt: quare N nulli X, hoc enim monſtratum eſt prius.*

3 *Rurſus ſi M. N quidem omni: X vero nulli: & X. N nulli inerit. Si enim M nulli X. & X nulli M: M autem omni N inerat: X vero nulli inerat N: facta nanque rurſus eſt prima figura. Quoniam vero conuertitur priuatiuum, & N nulli inerit X: quare idem erit ſyllogiſmus. Eſt autem ipſa monſtrare, & ad impoſſibile deducentes.*

4 *Quòd itaque ſit ſyllogiſmus ita ſe habentibus terminis, planum. Verum non perfectus: non enim ſolum ex his, quæ ex principio, ſed & ex alijs efficitur neceſſarium.*

2 Prima ergo concluſio eſt; in ſecunda figura ex vtraque præmiſſa vniuerſali, altera affirmatiua, altera negatiua, ſeu ſit affirmatiua maior, ſeu minor, ſemper fit ſyllogiſmus.

Demonſtratur: ſint enim termini Animal, Planta, Homo; animal, quod eſt medium, in maiori negetur vniuerſaliter de planta, & in minori affirmetur vniuerſaliter de homine, dicendo, *nulla planta eſt animal; omnis homo eſt animal;* concludetur in Ceſare; *ergo nullus homo eſt planta*. Quod verò argumentum concludat, probatur, quia maior, vtpote vniuerſalis negatiua, conuertitur in hanc aliam vniuerſalem negatiuam, *nullum animal eſt planta;* ſed facta hac conuerſione argumentum erit in *celarent*, de quo dictum eſt cap. 5. concl. 1. num. 5. quod neceſſario concludat; ergo etiam argumentum in Ceſare neceſſario concludit.

3 Rurſus ſint termini *inſenſitiuum, planta, animal, inſenſitiuum,* quod eſt medium, in maiori vniuerſaliter affirmetur de planta, & in minori vniuerſaliter negetur de animali, dicendo in Cameſtres; *omnis planta eſt inſenſitiua; nullum animal eſt inſenſitiuum;* ſequitur, *ergo nullum animal eſt planta*. Quod autem hic ſyllogiſmus concludat, probatur, quia conuerſa ſimpliciter minori vniuerſali negatiua, & tranſpoſitis præmiſſis, fit hic ſyllogiſmus in celarent; *nullum inſenſitiuum eſt animal; omnis planta eſt inſenſitiua; ergo nulla planta eſt animal;* ſed hæc concluſio, cum ſit vniuerſalis negatiua conuertitur ſimpliciter in hanc; *ergo nullum animal eſt planta;* ergo in Cameſtres concluſio ſequitur ex neceſſitate. Addit Ariſtoteles, quod etiam poſſet probari Ceſare, & Cameſtres neceſſario concludere per reductionem ad impoſſibile, vt explicabitur inferius.

4 Quia Ceſare, & Cameſtres neceſſario concludere non eſt ex ſe manifeſtum, ſed manifeſtatur, & oſtenditur conuertendo aliquas propoſitiones, patet ſyllogiſmos in Ceſare, & Cameſtres non eſſe perfectos, ſed imperfectos. Syllogiſmus enim imperfectus eſt, in quo vt appareat concluſionem ſequi neceſſario, non ſufficiunt propoſitiones aſſumptæ, ſed debent ſumi aliæ propoſitiones, quæ neceſſario ſequuntur ex aſſumptis; ſed ad hoc, vt appareat concluſionem ſequi in Cameſtres, & in Ceſare debent aſſumi propoſitiones conuerſæ, quæ

necessario sequuntur ex propositionibus assumptis; ergo syllogismi in Camestres, & Cesare sunt imperfecti.

5 *Si autem M de omni N, atque X prædicetur, non erit syllogismus. Termini quòd insit, substantia, animal, homo: quòd non insit, substantia, animal, lapis: medium, substantia.*

6 *Et quando neque de X, neque de N aliquo prædicetur M. Termini quod insit, linea, animal, homo: quòd non insit, linea, animal, lapis.*

7 *Manifestum itaque, si sit syllogismus, vniuersaliter terminis existentibus, necesse terminos ita se habere, vt diximus in principio: aliter enim se habentibus, non efficitur necessarium.*

5 Secunda conclusio est: in secunda figura ex vtraque præmissa vniuersali affirmatiua, & ex vtraque vniuersali negatiua non fit syllogismus. Probatur prima pars, quia ex vtraque vniuersali affirmatiua non sequitur vlla conclusio affirmatiua, neque vlla negatiua; ergo absolutè nulla sequitur conclusio. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua patet in his terminis, *substantia, animal, homo*. Si enim dicatur, *omne animal est substantia; omnis homo est substantia*; non sequitur; *ergo nullus homo est animal*, neque, *ergo aliquis homo non est animal*, cum de facto, *omnis homo sit animal*. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *substantia, animal, lapis*; si enim dicatur, *omne animal est substantia; omnis lapis est substantia* non sequitur; *ergo omnis, vel aliquis lapis est animal*, cum nullus lapis sit animal.

6 Eodem pacto probatur secunda pars conclusionis, nam ex vtraque præmissa vniuersali negatiua non sequitur vlla conclusio neque affirmatiua, neque negatiua; ergo &c. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua, patet in his terminis, *linea, animal, homo*. Si enim dicatur, *nullum animal est linea; nullus homo est linea*, non sequitur; *ergo nullus homo est animal*, neque *ergo aliquis homo non est animal*, cum omnis homo sit animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *linea, animal, lapis*. Si enim dicatur, *nullum animal est linea; nullus lapis est linea*, non sequitur; *ergo omnis, vel aliquis lapis est animal*, cum nullus lapis sit animal.

7 Ex his concluditur, quod cum quatuor sint combinationes propositionum vniuersalium, hoc est prima si vtraque sit affirmatiua; secunda si vtraque negatiua; tertia si maior affirmatiua, minor negatiua; quarta si maior negatiua, minor affirmatiua; duæ primæ sunt inutiles, duæ postremæ sunt vtiles, & sunt Cesare, & Camestres.

8 *Quando autem medium ad alterum vniuersaliter sit, quando quidem ad maius sit vniuersale, aut prædicatiue, aut priuatiue; ad minus vero & secundum partem, & opposite (dico autem opposite, si vniuersale priuatiuum, quod in parte affirmatiuum: si vero vniuersale prædicatiuum, quod in parte priuatiuum) necessarium est, syllogismum fieri priuatiuum secundum partem. Si nanque M inest N quidem nulli: X vero alicui: necesse est N ipsi X non inesse. Quoniam enim conuertitur priuatiuum, nulli M inerit N: M vero suppositum est X alicui non inesse: quare N alicui X non inerit. Efficitur nanque syllogismus per primam figuram.*

9 *Rursus si M. N quidem omni: X vero alicui M non insit: necesse est N. X alicui non inesse. Si enim omni inest: prædicetur autem, & M de omni N: necessarium est M omni X inesse. Suppositum vero fuerat alicui non inesse. Et si M. N quidem omni inest: X vero non omni: erit syllogismus quòd non omni X. N: demonstratio autem eadem.*

8 Tertia conclusio est: in secunda figura ex maiori vniuersali negatiua, & minori particulari affirmatiua, & ex maiori vniuersali affirmatiua, minori particulari negatiua fit syllogismus, in quo sequitur conclusio particularis negatiua. Probatur prima pars: sint enim termini, *animal, planta, viuens* animal in maiori negetur vniuersaliter de planta, & in minori affirmetur particulariter de viuente, dicendo, nulla *planta est animal; aliquod viuens est animal*; sequitur, ergo aliquod viuens non est planta. Si enim maior, quæ est vniuersalis negatiua, conuertatur simpliciter in hanc, *nullum animal est planta*, eo ipso erit syllogismus in Ferio, de quo ostensum est, quod necessario concludat; ergo etiam syllogismus in Festino necessario concludit.

9 Probatur secunda pars, quod ex ma-

iori vniuersali affirmatiua, & minori particulari negatiua fiat syllogismus: sint enim termini, *animal, homo viuens*, animal, quod est medium, in maiori affirmetur vniuersaliter de homine, & in minori negetur particulariter de viuente, dicendo; *omnis homo est animal, aliquod viuens non est animal*; sequitur ex necessitate; *ergo aliquod viuens non est homo*. Probatur, quia tunc conclusio necessario sequitur ex præmissis, cum non potest esse falsa, quin sit falsa aliqua præmissarum, eo enim ipso si vtraque præmissa est vera, etiam conclusio est vera; sed non potest esse falsa talis conclusio in Barocco, quin altera præmissarum sit falsa; ergo &c. Probatur minor: si enim sit falsa hæc conclusio, *aliquod viuens non est homo*, est vera contradictoria, *omne viuens est homo*; sed adiungendo maiorem, & dicendo, *omnis homo est animal*; *omne viuens est homo*; fit syllogismus in Barbara, in quo sequitur, *ergo omne viuens est animal*, quæ propositio contradicit minori syllogismi in Barocco, quæ minor erat, *aliquod viuens non est animal*; ergo si falsa est conclusio in Barocco, adeoque vera est contradictoria, vera est etiam contradictoria minoris, adeoque falsa est minor; ergo si vera est vtraque præmissa in Barocco, conclusio non potest esse falsa; ergo syllogismus in Barocco concludit ex necessitate. Hæc autem probatio est per reductionem ad impossibile, quæ procedit in omnibus terminis.

10 *Si vero de X quidem omni: de N vero non omni prædicetur M: non erit syllogismus. Termini, animal, substantia, coruus: animal, album, coruus.*

11 *Neque quando de X quidem nullo: de N vero aliquo. Termini quòd insit, animal, substantia, lapis, quòd non insit, animal, substantia, scientia. Quando itaque oppositum sit vniuersali, quod est secundum partem dictum est, quando erit, & quando non erit syllogismus.*

10 Quarta conclusio est: in secunda figura ex maiori particulari negatiua, & ex minori vniuersali affirmatiua nihil sequitur: & similiter ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuersali negatiua nihil sequitur.

Probatur prima pars: ex maiori particulari negatiua, & minori vniuersali affirmatiua, non sequitur vlla conclusio affirmatiua, neque negatiua; ergo &c. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua patet in his terminis, *animal, substantia, coruus*. Si enim dicatur, *aliqua substantia est animal*; *omnis coruus est animal*, non sequitur; *ergo nullus coruus est substantia*, neque, *ergo aliquis coruus non est substantia*, cum omnis coruus sit substantia. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *animal, album, coruus*. Si enim dicatur, *aliquod album non est animal*; *omnis coruus est animal*, non sequitur; *ergo omnis, vel aliquis coruus est albus*, cum nullus coruus sit albus.

11 Probatur secunda pars: ex maiori particulari affirmatiua, minori vniuersali negatiua non sequitur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua; ergo &c. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua, patet in his terminis, *animal, substantia, lapis*. Si enim dicatur, *aliqua substantia est animal*; *nullus lapis est animal*; non sequitur; *ergo nullus lapis est substantia*, neque, *ergo aliquis lapis non est substantia*; cum omnis lapis sit substantia. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *animal, substantia, scientia*. Si enim dicatur, *aliqua substantia est animal*; *nulla scientia est animal*; non sequitur, *ergo nulla, vel aliqua scientia est substantia*, cum nulla scientia sit substantia.

12 *Quando vero propositiones eiusdem sint figuræ, quemadmodum vtraque priuatiuæ, aut affirmatiuæ, nullo pacto erit syllogismus. Sint enim primum priuatiuæ, & vniuersale adiaceat maiori extremo, vt M. N quidem nulli: X vero alicui non insit: contingit vtique N, & omni, & nulli eorum, quæ sunt X, inesse. Termini quòd nulli insit, animal, nix, nigrum. Quòd vero omni insit, non est capere, si M. X alicui quidem inest, alicui autem non. Si enim N omni X: M vero nulli N: M nulli X inerit: sed suppositum fuerat alicui inesse. Sic itaque non contingit terminos capere. Ex indefinito autem monstrandum. Quoniam enim verificatur quòd M alicui X non insit, & si nulli insit: cùm vero nulli inerit, non erat syllogismus: manifestum, quòd neque nunc.*

13 *Rursus sint prædicatiuæ, & vniuersale ponatur consimiliter, vt M N quidem omni: X vero alicui insit: contingit vtique N, & omni, & nulli inesse X. Termini, quòd nulli insit,*

insit, album, cygnus, lapis. Quòd vero omni, non est capere ob eandem causam, quam prius: sed ex indefinito monstrandum.

14 *Si vero vniuersale ad minus est extremum: & M. X quidem nulli: N vero alicui non inest: contingit N & omni, & nulli inesse X. Termini, quòd insit, album, animal, coruus: quòd non insit, album, lapis, coruus.*

15 *Si autem prædicatiuæ sint propositiones, termini quòd non insit, album, animal, nix: quòd vero insit, album, animal, cygnus. Manifestum itaque, quando eiusdem figuræ sint propositiones, & hæc quidem vniuersaliter, illa vero in parte, quòd nullo modo efficitur syllogismus.*

12 Quinta conclusio est: in secunda figura ex altera præmissa vniuersali, altera particulari, sed conuenientibus in qualitate, ita vt vel vtraque sit affirmatiua, vel vtraque negatiua, nihil sequitur. Probatur, quia sunt possibiles quatuor combinationes vniuersalis cum particulari conuenientium in qualitate: vel enim vtraque est negatiua, & maior vniuersalis, minor particularis; vel vtraque affirmatiua, & maior vniuersalis, minor particularis; vel vtraque negatiua, & maior particularis, minor vniuersalis; vel vtraque affirmatiua, & maior particularis, minor vniuersalis; sed nullo ex his modis fit syllogismus; ergo &c. Probatur minor, & primo, quod ex maiori vniuersali minori particulari vtraque negatiua non sequatur vlla conclusio affirmatiua patet in his terminis, *animal, nigrum, nix*; si enim dicatur, *nulla nix est animal; aliquod nigrum non est animal;* non sequitur; *ergo omne, vel aliquod nigrum est nix*, cum nullũ nigrum sit nix. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua, patet in his terminis, *equus, homo, risibilis*. Si enim dicatur, *nullus homo est equus; aliquod risibile non est equus;* non sequitur; *ergo nullum risibile est homo*, neque, *ergo aliquod risibile non est homo*, cum de facto omne risibile sit homo. Verum hæc instantia procedit, cum ita est vera minor negatiua particularis, *aliquod risibile non est equus*, vt sit vera etiam vniuersalis, *nullum risibile est equus*. At non potest adduci instantia, in qua sit vera solum minor negatiua particularis, & falsa vniuersalis, eo quod medium de aliquo minori extremo sit affirmabile, de aliquo negabile, & tamen omnis conclusio negatiua sit falsa, vt patet in his terminis, *equus, homo, animal*. Si enim dicatur; *nullus homo est equus; aliquod animal non est equus, & aliquod animal est equus*, sequitur ex necessitate, *ergo aliquod animal non est homo*: si quidem cum minor particularis affirmatiua sit vera, iam argumentum est in festino. Quia tamen vt sit vera minor particularis negatiua, non requiritur, vt sit vera etiam particularis affirmatiua, sed potest verificari minor particularis negatiua, ita vt sit vera etiam vniuersalis negatiua, vt patet in primo exemplo, ideo per illud primum exemplum sufficienter probatur, quod ex maiori vniuersali negatiua, & minori particulari negatiua non sequitur ex necessitate vlla conclusio negatiua.

13 Probatur secunda pars minoris, quod ex maiori vniuersali, minori particulari, vtraque affirmatiua, nihil sequatur. Quod non sequatur conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *album, cygnus, lapis*. Si enim dicatur; *omnis cygnus est albus; aliquis lapis est albus*, non sequitur; *ergo omnis, vel aliquis lapis est cygnus*, cũ nullus lapis sit cygnus. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua, patet in his terminis: *viuens, animal, homo*. Si enim dicatur, *omne animal est viuens; aliquis homo est viuens;* non sequitur; *ergo nullus homo est animal*; neque *ergo aliquis homo non est animal*, cum omnis homo sit animal. At hæc etiam instantia procedit, cum ita est vera minor affirmatiua particularis, vt sit vera etiam vniuersalis, *omnis homo est viuens*. At si ita sit vera minor particularis affirmatiua, vt non sit vera vniuersalis, adeoque sit etiam vera particularis negatiua, semper sequetur ex necessitate conclusio particularis negatiua, vt patet in his terminis, *viuens, animal corpus*. Si enim dicatur: *omne animal est viuens; aliquod corpus est viuens, & aliquod corpus non est viuens*, sequitur; *ergo aliquod corpus non est animal*, cum argumentum sit in Barocco. Adhuc tamen, quia minor particularis affirmatiua est vera, etiam si vera sit vniuersalis affirmatiua, ideo ex minori particulari affirmatiua nihil sequitur, & procedit instantia allata.

14 Probatur tertia pars minoris, quod ex vtraque negatiua, minori vniuersali, maiori particulari nihil sequatur; & primo, quod non sequatur conclusio affirmatiua patet in his terminis, *album lapis, coruus*. Si enim dicatur, *aliquis lapis non est albus;*

nullus

nullus coruus est albus, non sequitur, *ergo omnis, vel aliquis coruus est lapis*, cum nullus coruus sit lapis. Quod non sequatur vlla negatiua patet in his terminis, *album, animal, coruus*. Si enim dicatur, *aliquod animal non est album; nullus coruus est albus*, non sequitur; *ergo nullus coruus est animal*, neque, *ergo aliquis coruus non est animal*, cum omnis coruus sit animal.

15 Probatur demum quarta, & vltima pars minoris, quod ex maiori particulari, minori vniuersali, vtraque affirmatiua, nihil sequitur. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *album, animal, nix*. Si enim dicatur, *aliquod animal est album; omnis nix est alba*, non sequitur, *ergo omnis, vel aliqua nix est animal*, cum nulla nix sit animal. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua, patet in his terminis, *album, animal, cygnus*. Si enim dicatur, *aliquod animal est album; omnis cygnus est albus*; non sequitur, *ergo nullus cygnus est animal*, neque, *ergo aliquis cygnus non est animal*; cum omnis cygnus sit animal.

16 *Verum neque si alicui vtrique insit, aut non insit: aut huic quidem, illi vero non: aut neutri omni: aut indefinite. Termini omnium communes, album, animal, homo: album, animal, inanimatum.*

17 *Manifestum itaque ex dictis quòd & si ita se habeant termini ad se inuicem, quemadmodum dictum est, ex necessitate fit syllogismus: & si syllogismus sit, necesse est terminos ita se habere.*

18 *Planum autem, quòd & omnes, qui in hac figura, syllogismi imperfecti sunt (omnes enim perficiuntur assumptis quibusdam, quæ vel insunt terminis ex necessitate, aut ponuntur vt suppositiones, vt quando per impossibile monstramus).*

19 *Et quòd non fit affirmatiuus syllogismus per hanc figuram, sed omnes priuatiui, & qui vniuersaliter, & qui secundum partem.*

16 Sexta conclusio est: in secunda figura ex vtraque particulari quomodocunque combinentur non fit syllogismus. Sunt autem possibiles quatuor combinationes ex vtraque præmissa particulari: vel enim utraque est affirmatiua; uel utraque negatiua; uel maior affirmatiua, minor negatiua; uel maior negatiua, minor affirmatiua. Quod in nullo ex his modis inferatur conclusio negatiua patet in his terminis, *album, animal, homo*. Si enim dicatur, *aliquod animal est album; aliquis homo est albus*; vel *aliquod animal non est album; aliquis homo non est albus*; uel *aliquod animal est album; aliquis homo non est albus*; uel *aliquod animal non est album; aliquis homo est albus*; non sequitur; *ergo nullus homo est animal*; neque; *ergo aliquis homo non est animal*, cum omnis homo sit animal. Quod non sequatur ulla conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *album, animal, inanimatum*. Si enim dicatur, *aliquod animal est album; aliquod inanimatum est album*; uel, *aliquod animal non est album; aliquod inanimatum non est album*; uel, *aliquod animal est album; aliquod inanimatum non est album*; uel *aliquod animal non est album; aliquod inanimatum est album*; non infertur; *ergo omne, vel aliquod inanimatum est animal*, cum nullum inanimatum sit animal.

17 Infertur, quod ex sexdecim combinationibus possibilibus in secunda figura, quatuor uniuersalibus, quatuor particularibus, octo mistis ex uniuersalibus, & particularibus, quatuor sunt utiles, & duodecim inutiles. Ex uniuersalibus utiles sunt, in quibus altera est affirmatiua, altera negatiua, hoc est Cesare, & Camestres; aliæ duæ ex puris affirmatiuis, & puris negatiuis sunt inutiles, ut dictum est in prima, & secunda conclusione. Ex octo mistis duo sunt utiles, in quibus nimirum maior est uniuersalis negatiua, minor particularis affirmatiua, uel è conuerso maior uniuersalis affirmatiua, minor particularis negatiua, hoc est Festino, & Barocco; alij sex, duo nimirum, in quibus maior est particularis affirmatiua, minor uniuersalis negatiua, uel maior particularis negatiua, minor uniuersalis affirmatiua, & quatuor, in quibus ita altera præmissarum est uniuersalis, altera particularis, ut utraque sit affirmatiua, uel utraque negatiua sunt inutiles, ut demonstratum est 4. & 5. concl. num. 10. & sequentibus; quatuor particulares omnes sũt inutiles, ut demonstratum est 6. concl. n. 15. ergo &c.

18 Ex dictis infert Aristoteles duo corollaria. Primum est: omnes syllogismi secundæ figuræ sunt imperfecti. Probatur, quia ut appareat necessitas conclusionis, debet assumi aliquid præter præmissas, hoc est uel conuersa alicuius præmissæ, quæ licet sequatur necessario ex præmissis positis,

tis, non fuit assumpta, uel aliqua suppositio, ut magis explicabitur, cum ostendetur necessitas conclusionis per reductionem ad impossibile.

19 Secundum est: in secunda figura non concluditur affirmatiuè, sed solum negatiuè uniuersaliter, vel particulariter. Probatur, nam concludunt solum Cesare, Camestres, Festino, & Barocco; sed isti concludunt solum negatiuè, duo uniuersaliter, & duo particulariter; ergo &c.

De tertia figura, & eius modis vtilibus, atque inutilibus. Cap. VII.

1 *Si autem eidem, hoc quidem omni, illud vero nulli insit: aut ambo omni, aut nulli, figuram talem voco Tertiam.*

2 *Sed medium in ipsa dico, de quo ambo prædicamus: extrema vero, quæ prædicantur: maius, quod à medio longius: minus autem, quod proximius.*

3 *Ponitur vero medium extra quidem extrema, positione autem vltimum.*

4 *Perfectus itaque neque in hac figura syllogismus efficitur: poterit autem, cùm & vniuersaliter, & non vniuersaliter termini ad medium extiterint.*

1 Postquam Aristoteles egit de prima, & secunda figura, agit de tertia, & eius modis. Docet igitur primo, quod tertia figura est, cum de eodem medio, alterum extremum affirmatur, alterum negatur uniuersaliter, uel non uniuersaliter, uel utrumque affirmatur, uel utrumque negatur.

2 Docet secundo medium in hac figura esse, de quo prædicantur ambo extrema: extremitates esse, quæ prædicantur de eodem medio: maiorem extremitatem esse, quæ longius distat à medio, eo quod cum medium semper sit subiectum, hæc semper est prædicatum tum in præmissis, tum in conclusione: minorem extremitatem esse, quæ in conclusione propinquior est medio, eo quod sicut medium subijcitur in præmissis, sic hæc subijcitur in conclusione. Terminos huius figuræ designat Aristoteles per litteras P. R. S. Per litteram P. designat maius extremum; per litteram R. minus extremum; per litteram S. medium terminum.

3 Docet tertio etiam in hac figura medium non poni inter extrema, sed extrà extrema; cum vtrumque extremum sit prædicatum, medium sit subiectum. Est ergo medium positione vltimum, cum teneat locum subiecti, qui est vltimus, licet sit medium intelligibile, in quantum est ratio uniendi extrema intelligibiliter in conclusione.

4 Docet quarto neque in hac figura fieri posse syllogismos perfectos, sed solum imperfectos, eosque tum ex utraque præmissa uniuersali, tum ex altera uniuersali, altera particulari, ut iam patebit.

5 *Vniuersaliter igitur terminis existentibus, cùm & P, & R omni insit S, erit syllogismus, quòd alicui eorum, quæ sunt R, P inerit ex necessitate. Quoniam enim conuertitur prædicatiuum, inerit S alicui eorum, quæ sunt R. Quamobrem quoniam P omni S: S vero alicui R: necesse est P alicui R inesse. Per primam namque figuram syllogismus efficitur. Possumus autem & per impossibile, & exponendo, demonstrationem facere. Si ambo enim omni insunt S, si quid eorum, quæ sunt S, accipiatur, vt N: huic & P, & R inerunt: quare alicui R inerit P.*

6 *Et si R omni S: ipsum verò P nulli insit: erit syllogismus, quod P alicui eorum, quæ sunt R, non inerit ex necessitate. Erit enim idem modus demonstrationis conuersa, R.S, propositione. Monstrari verò posset, & per impossibile, quemadmodum in priori.*

5 His positis prima conclusio est: in tertia figura ex utraque præmissa uniuersali affirmatiua sequitur necessario conclusio particularis affirmatiua, & hic modus est Darapti.

Demonstratur: sint termini, *intellectuale*, *animal*, *homo*, si dicatur *omnis homo est intellectualis*; *omnis homo est animal*, non sequitur; *ergo omne animal est intellectuale*, cum id sit falsum, adeoque non possit necessario sequi ex præmissis veris, sed sequitur, *ergo aliquod animal est intellectuale*. Probatur primo, quia minor vniuersalis affirmatiua potest conuerti in particularem affirmatiuam, *aliquod animal est homo*; sed per talem conuersionem erit syllo-

syllogismus in Darij, ex quo sequitur necessario particularis affirmatiua; ergo etiã ex syllogismo in Darapti sequitur necessario particularis affirmatiua. Secundo probari potest per reductionem ad impossibilem. Tertio probatur per expositionem: si enim omnis homo est intellectualis simul, & animal; ergo omnis homo est hoc animal, quod est intellectuale, & est hoc intellectuale, quod est animal: hoc vero animal, quod est intellectuale vocetur N; ergo iam hoc animal, quod est homo, est intellectuale, adeoque aliquod animal est intellectuale.

6 Secunda conclusio est: in tertia figura ex maiori vniuersali negatiua, minori vniuersali affirmatiua sequitur necessario conclusio particularis negatiua, & hic modus est Felapton.

Demonstratur: sint enim termini, *equus*, *animal*, *homo*. Si dicatur, *nullus homo est equus*; *omnis homo est animal*, non sequitur; *ergo nullum animal est equus*, cum id sit falsum, adeoque sequi non possit ex præmissis veris, sed sequitur; *ergo aliquod animal non est equus*. Probatur primo, quia conuertendo minorem vniuersalem affirmatiuam in particularem affirmatiuam, *aliquod animal est homo*, fit syllogismus in Ferio, in quo sequitur necessario dicta conclusio; ergo sequitur etiam in Felapton. Secundo probari potest per reductionem ad impossibile.

7 *Si verò R nulli S: P verò omni insit S: non erit syllogismus. Termini quod insit, animal, equus homo: quòd non insit, animal, inanimatum, homo.*

8 *Neque quando ambo de nullo S dicantur, erit syllogismus. Termini quòd insit, animal, equus, inanimatum: quòd non insit, homo, equus, inanimatum. Manifestum itaque & in hac figura quando erit, & quãdo non erit syllogismus, cùm termini vniuersaliter fuerint. Quando enim ambo termini prædicatiui positi sint, erit syllogismus, quòd alicui inerit extremum extremo quando autem priuatiui, non erit. Quãdo autem is priuatiuus sit, ille vero affirmatiuus: si maior quidem factus fuerit priuatiuus, alter autem affirmatiuus, erit syllogismus, quòd alicui non inerit extremũ extremo: si è conuerso, non erit.*

7 Tertia conclusio est: in tertia figura ex maiori vniuersali affirmatiua, minori vniuersali negatiua non sequitur vlla conclusio, adeoque non fit syllogismus. Quod non sequatur conclusio negatiua patet in his terminis, *animal*, *equus*, *homo*. Si enim dicatur, *omnis homo est animal*; *nullus homo est equus*, non sequitur; *ergo nullus equus est animal*, neque *ergo aliquis equus non est animal*, cum omnis equus sit animal. Quod non sequatur conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *animal*, *inanimatum*, *homo*. Si enim dicatur, *omnis homo est animal*; *nullus homo est inanimatus*; non sequitur; *ergo omne*, *vel aliquod inanimatum est animal*, cum nullum inanimatum sit animal.

8 Quarta conclusio est: in tertia figura ex vtraque præmissa vniuersali negatiua nihil sequitur. Quod non sequatur conclusio negatiua, patet in his terminis, *animal*, *equus*, *inanimatum*. Si enim dicatur; *nullum inanimatum est animal*; *nullum inanimatum est equus*; non sequitur; *ergo nullus equus est animal*, neque, *ergo aliquis equus non est animal*, cum omnis equus sit animal. Quod non sequatur affirmatiua patet in his terminis, *homo*, *equus*, *inanimatum*. Si enim dicatur; *nullum inanimatum est homo*; *nullum inanimatum est equus*, non sequitur; *ergo omnis*, *vel aliquis equus est homo*; cum nullus equus sit homo.

Ex his quatuor conclusionibus patet, quod cum in tertia figura sint possibiles quatuor combinationes propositionum vniuersalium; prima, vt vtraque sit affirmatiua; secunda, vt vtraque sit negatiua; tertia vt maior sit affirmatiua, minor negatiua; quarta vt maior sit negatiua, minor affirmatiua; per primam, & quartam fiunt syllogismi in Darapti, & Felapton, per secundam, & tertiam nullus fit syllogismus.

9 *Sed si hic quidem vniuersaliter sit, ille autem in parte, terminis vtrisque prædicatiuis existentibus, necesse est fieri syllogismum, si vterlibet terminorum vniuersaliter sit. Si enim R omni inest S: ipsum vero P alicui: necesse est P alicui eorum, quæ sunt R inesse. Quoniam enim conuertitur affirmatiua, inerit S alicui eorum, quæ sunt P. Quare quoniam R quidem omni S: S vero alicui eorum, quæ sunt P: & R alicui P inerit: quare & P alicui R.*

Rursus

10 *Rursus si R quidem alicui S: P vero omni inesse: necesse est P alicui R inesse. Idem enim modus erit demonstrationis. Est autem demonstrare, & per impossibile, & expositione, quemadmodum in prioribus.*

9 Quinta conclusio est: in tertia figura ex duabus præmissis, altera vniuersali, altera particulari, sed vtraque affirmatiua, semper fit syllogismus, seu maior sit vniuersalis, minor particularis, seu maior sit particularis, minor vniuersalis, & isti duo modi sunt Disamis, & Datisi.

Demonstratur primo, quod concludat Disamis. Sint enim termini, *intellectuale, sensitiuum, animal*: si dicatur, *aliquod animal est intellectuale; omne animal est sensitiuum;* sequitur, *ergo aliquod sensitiuum est intellectuale;* maior enim particularis affirmatiua potest simpliciter conuerti in hanc, *aliquod intellectuale est animal*: si ergo trasponantur præmissæ, & dicatur *omne animal est sensitiuum; aliquod intellectuale est animal*, sequitur in Darij, *ergo aliquod intellectuale est sensitiuum*; sed hæc conclusio vtpote particularis affirmatiua conuertitur in hanc; *ergo aliquod sensitiuum est intellectuale*; ergo Disamis necessario concludit.

10 Demonstratur iam quod etiam Datisi necessario concludat. Sint enim termini *sensitiuum, intellectuale, animal*; si dicatur: *omne animal est sensitiuum; aliquod animal est intellectuale*, sequitur ex necessitate, *ergo aliquod intellectuale est sensitiuum*. Minor enim particularis affirmatiua est conuertibilis in hanc, *aliquod intellectuale est animal*; sed facta hac conuersione sequitur eadem conclusio in Darij; ergo Datisi concludit ex necessitate. Potest hoc idem demonstrari & per reductionem ad impossibile, & per expositionem, sicut de vniuersalibus dictum est num. 5.

11 *Sed si hic quidem sit prædicatiuus, ille vero priuatiuus, vniuersaliter autem prædicatiuus, quando minor quidem sit prædicatiuus, erit syllogismus. Si enim R omni S: ipsum vero P alicui non inest: necesse est P alicui R non inesse. Si enim omni: & R omni S: & P omni S inerit: sed non inerat. Monstratur autem & sine deductione, si acceptum fuerit aliquid eorum, quæ sunt S, cui P non inest.*

12 *Quando autem maior quidem sit prædicatiuus, minor vero particularis priuatiuus, non erit syllogismus: vt si P quidem omni inest S: R autem alicui S non inest. Termini quòd omni inest, animatum, homo, animal. Nulli vero non est accipere terminos, si alicui quidem inest ipsum R, alicui autem non. Si enim nulli R inest P: ipsum vero R alicui S: & P alicui S non inerit: suppositum autem est omni inesse. Si enim omni S inest P: R vero alicui S: & P alicui R inerit: suppositum autem fuerat nulli inesse. Sed quemadmodum in prioribus accipiendum est. Cùm etenim indefinitum sit, alicui non inesse, & quòd nulli inest, verum est dicere, alicui non inesse: cùm vero nulli insit, non est syllogismus. Manifestum igitur, quòd non erit syllogismus.*

11 Sexta conclusio est: in tertia figura si maior sit particularis negatiua, minor vniuersalis affirmatiua, sequitur necessario conclusio, & fit syllogismus in Boccardo; si verò maior sit vniuersalis affirmatiua, minor particularis negatiua, nihil sequitur, adeoque non fit syllogismus.

Demonstratur prima pars; sint enim termini *intellectuale, sensitiuum, animal*; si dicatur; *aliquod animal non est intellectuale; omne animal est sensitiuum*, sequitur; *ergo aliquod sensitiuum non est intellectuale*. Probatur primo, quia ex contradictoria conclusionis, quæ est, *omne sensitiuum est intellectuale*, & ex minori, *omne animal est sensitiuum*, sequitur in Barbara; *ergo omne animal est intellectuale*, quæ est contradictoria maioris, *aliquod animal non est intellectuale*; sed cum ex contradictoria conclusionis cum altera præmissarum, sequitur contradictoria alterius præmissæ, syllogismus concludit ex necessitate; ergo Boccardo concludit ex necessitate. Secundo probatur expositione: nam si omne animal est sensitiuum, & aliquod animal non est intellectuale, datur animal, quod est sensitiuum, & non est intellectuale: hoc animal vocetur N; ergo animal N. est sensitiuum, & non intellectuale; ergo aliquod sensitiuum non est intellectuale.

12 Demonstratur secunda pars, quod si maior est vniuersalis affirmatiua, minor particularis negatiua nihil sequitur. Quod non sequatur conclusio negatiua, probatur in his terminis, *animatum, homo, animal*. Si enim dicatur, *omne animal est animatum;*

ali-

aliquod animal non est homo; non sequitur; *ergo nullus homo est animatus*, vel *aliquis homo non est animatus*, cum omnis homo sit animatus. Quod non sequatur conclusio affirmatiua, probatur in his terminis, *animal*, *inanimatum*, *homo*. Si enim dicatur; *omnis homo est animal*; *aliquis homo non est inanimatus*; non sequitur; *ergo omne*, *vel aliquod inanimatum est animal*, cum nullum inanimatum sit animal. Verum quidem est, quod in exemplo posito, ita est vera minor particularis, *aliquis homo non est inanimatus*, vt sit vera etiam vniuersalis, *nullus homo est inanimatus*. Si verò sumatur minor particularis ita vera, vt non sit vera vniuersalis, sequetur ex necessitate conclusio particularis affirmatiua: ex. gr. si dicatur, *omnis homo est animal*; *aliquis homo non est albus*, & *aliquis homo est albus*; sequitur, *ergo aliquod album est animal*; cum argumentum sit in Datisi. Et confirmatur per reductionem ad impossibile. Si enim falsa est conclusio, *aliquod album est animal*, est vera contradictoria, *nullum album est animal*, & per consequens est vera etiam conuersa, *nullum animal est album*; sed subsumendo maiorem argumenti facti, *omnis homo est animal*; sequitur in celarent; *ergo nullus homo est albus*; sed assumebatur in minori; *aliquis homo non est albus*, & *aliquis homo est albus*, cui contradicitur, per illam, *nullus homo est albus*; ergo ex opposito conclusionis, sequitur oppositum minoris in sensu explicato; ergo si minor particularis ita est vera, vt sit falsa vniuersalis, sequitur ex necessitate conclusio particularis affirmatiua. Quia tamen, vt minor particularis negatiua sit vera, non requiritur vt sit falsa vniuersalis negatiua, ideo ex maiori vniuersali affirmatiua, minori particulari negatiua, nihil sequitur.

13 *Sed si priuatiuus terminorum vniuersaliter sit, qui autem in parte, prædicatiuus, cùm maior sit priuatiuus, minor vero prædicatiuus, erit syllogismus. Si enim P nulli S: R autem alicui inest S: R. P alicui non inerit. Rursus enim erit prima figura, R. S propositione conuersa.*

14 *Sed quando minor sit priuatiuus, non erit syllogismus. Termini quòd insit, animal, homo, syluestre: quòd non insit, animal, scientia, syluestre: medium amborum, syluestre.*

13 Septima conclusio est: in tertia figura ex maiori vniuersali negatiua, minori particulari affirmatiua, sequitur ex necessitate conclusio particularis affirmatiua, & fit syllogismus in Ferison. Demonstratur: sint enim termini, *planta*, *album*, *animal*. Si dicatur, *nullum animal est planta*; *aliquod animal est album*, sequitur; *ergo aliquod album non est planta*; conuertendo enim simpliciter minorem particularem affirmatiuam in hanc, *aliquod album est animal*, eadem conclusio sequitur in Ferio.

14 Octaua conclusio est: in tertia figura ex maiori particulari affirmatiua, minori vniuersali negatiua, nihil sequitur. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua, patet in his terminis, *animal*, *homo*, *syluestre*. Si enim dicatur, *aliquod syluestre est animal*; *nullum syluestre est homo*; non sequitur; *ergo nullus homo est animal*; neque, *aliquis homo non est animal*, cum omnis homo sit animal. Quod non sequatur vlla affirmatiua, patet in his terminis; *animal*, *scientia*, *syluestre*. Si enim dicatur; *aliquod syluestre est animal*; *nullum syluestre est scientia*, non sequitur; *ergo omnis*, *vel aliqua scientia est animal*, cum nulla scientia sit animal.

15 *Neque quando vtriq; priuatiui positi fuerint, sit autem hic quidem vniuersaliter, ille vero in parte. Termini quod insit cùm minor sit vniuersaliter ad mediam, animal, homo, syluestre: quod non insit, animal, scientia, syluestre.*

16 *Sed quando maior vniuersaliter, minor vero in parte: quòd non insit, coruus, nix, album. Quòd autem insit, non est capere terminos, si R alicui quidem inest S, alicui vero non inest. Si enim P omni R: R autem alicui S: & P alicui S inerit: sed fuerat suppositum nulli. Cæterum ex indefinito monstrandum.*

15 Nona conclusio est: in tertia figura ex altera præmissa vniuersali, altera particulari, vtraque negatiua, nihil sequitur. Demonstratur: si enim maior sit particularis, minor vniuersalis, non sequitur vlla conclusio negatiua, vt patet in his terminis; *Animal*, *homo*, *syluestre*. Si enim dicatur; *aliquod syluestre non est animal*; *nullum syluestre est homo*; non sequitur; *ergo omnis*, *vel aliquis homo non est animal*, cum

cum omnis homo fit animal. Quod non sequatur affirmatiua, patet in his terminis; *animal, scientia, syluestre*. Si enim dicatur; *aliquod syluestre non est animal; nullum syluestre est scientia*; non sequitur; *ergo omnis, vel aliqua scientia est animal*, cum nulla scientia fit animal.

6 Si uerò è conuerso maior fit uniuersalis, minor particularis, sed utraque negatiua, quod non sequatur conclusio affirmatiua patet in his terminis, *coruus, nix, album*. Si enim dicatur, *nullum album est coruus; aliquod album non est nix*; non sequitur; *ergo omnis, vel aliqua nix est coruus*, cum nulla nix fit coruus. Quod non sequatur ulla conclusio negatiua, patet in his terminis, *animal, homo, planta*. Si enim dicatur; *nulla planta est animal; aliqua planta non est homo*; non sequitur; *ergo omnis, vel aliquis homo non est animal*, cum omnis homo fit animal. Verum quidem est, quod si ita minor particularis negatiua fit uera, ut non fit vera etiam vniuersalis, sequetur conclusio. Si enim dicatur, *nullus equus est homo; aliquis equus non est albus, & aliquis est albus*, sequitur; *ergo aliquod album non est homo*, cum argumentum fit in Ferison. Et confirmatur per reductionem ad impossibile. Si enim falsum est, quod *aliquod album non fit homo*, est vera contradictoria, *omne album est homo*, cui si addatur vt minor maior argumenti positi, *nullus equus est homo*; sequitur in Camestres; *ergo nullus equus est albus*; ergo falso fuit suppositum in minori, quod aliquis equus non est albus, aliquis est albus; ergo si hoc suppositum est verum, sequitur necessario conclusio particularis negatiua. Adhuc tamen, quia vt fit vera particularis negatiua, non requiritur vt fit falsa vniuersalis negatiua, ideo per allatam instantiam bene probatur, quod ex maiori vniuersali, minori particulari, vtraque negatiua, nihil sequitur.

Ex his quinque conclusionibus patet, quod ex octo modis mistis ex vniuersali, & particulari, quatuor concludunt, hoc est, Disamis, Datisi, Boccardo, & Ferison; alij quatuor non concludunt.

17 *Neque quando vterque alicui medio insit, aut non insit, aut hic quidem alicui, ille vero non omni, aut indefinite, non erit syllogismus. Termini omnium communes, animal, homo, album: animal, inanimatum, album.*

18 *Manifestum itaque, & in hac figura, quando erit, & quando non erit syllogismus: & quòd ita se habentibus terminis, quemadmodum dictum est fit ex necessitate syllogismus: & si existat syllogismus, necesse est terminos ita se habere.*

19 *Manifestum etiam, quòd omnes imperfecti & qui hac in figura syllogismi sunt: (perficiuntur nanque omnes assumptis quibusdam.) & quòd vniuersaliter ratiocinari per hanc figuram non licet, neque priuatiuum, neque affirmatiuum.*

17 Decima conclusio est: in tertia figura ex puris particularibus quomodocunque combinatis nihil sequitur. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua patet in his terminis, *animal, homo, album*. Si enim dicatur, *aliquod album est animal; aliquod album est homo*; vel *aliquod album non est animal; aliquod album non est homo*; vel *aliquod album est animal; aliquod album non est homo*; vel *aliquod album non est animal; aliquod album est homo*; nunquam sequitur; *ergo omnis, vel aliquis homo non est animal*, cum omnis homo fit animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *animal, inanimatum, album*; si enim dicatur, *aliquod album est animal; aliquod album est inanimatum &c.* non sequitur; *ergo omne, vel aliquod inanimatum est animal*, cum nullum inanimatum fit animal.

18 Ex his patet, quod ex sexdecim combinationibus possibilibus in tertia figura sex sunt vtiles ad faciendum syllogismum, hoc est Darapti &c. aliæ decem, quatuor nimirum ex puris particularibus, de quibus dictum est concl. 10. quatuor ex mistis, de quibus actum est conclusione 6. 8. 9. & duæ ex vniuersalibus, de quibus actum est concl. 3. & 4. sunt inutiles ad faciendum syllogismum.

19 Infert Aristoteles duo Corollaria. Primum est: omnes syllogismi tertiæ figuræ sunt imperfecti, cum ad hoc, vt appareat necessitas conclusionis debeat assumi aliquid, quod non est sumptum in præmissis, ut ostensum est. Secundum est: tertia figura concludit solum particulariter, ut patet in omnibus modis allatis.

Expli-

Explicantur duo modi indirecti, & ostenditur, quod omnes modi imperfecti reducuntur ad perfectos, & quod perfecti particulares reducuntur ad vniuersales. Caput VIII.

1 *Planum autem, & quòd in omnibus figuris, quando non fiat syllogismus prædicatiuis, aut priuatiuis vtrisque existentibus terminis, & in parte, nihil penitus fit necessarium.*

2 *Prædicatiuo autem & priuatiuo, & vniuersaliter accepto priuatiuo, semper fit syllogismus minoris extremi ad maiorem. Quemadmodum si A omni B aut alicui: B vero nulli C. Conuersis namque propositionibus, necesse est C alicui eorum, quæ sunt A, non inesse. Consimiliter & in alijs figuris: semper enim per conuersionem fit syllogismus. Palam autem, quòd & si indefinitum pro prædicatiuo in parte ponatur, eundem faciet syllogismum in omnibus figuris.*

1 Explicatis modis trium figurarum aduertit Aristoteles, quod ex puris negatiuis, & ex puris particularibus in nulla figura fit syllogismus, & quod ex puris affirmatiuis licet in prima, & tertia figura fiat syllogismus, non fit in secunda.

2 Progreditur deinde ad explicandos duos modos indirectos primæ figuræ, hoc est Fapesmo, & Frisesomorum. Sunt autem modi indirecti, in quibus minus extremum concluditur de maiori extremo. Ponit igitur conclusionem: si maior fit uniuersalis affirmatiua, minor uniuersalis negatiua, sequitur conclusio particularis negatiua minoris extremi de maiori, & fit syllogismus in Fapesmo: similiter si maior fit particularis affirmatiua, & minor uniuersalis negatiua, sequitur conclusio particularis negatiua indirecta, & fit syllogismus in Frisesomorum. Demonstratur: sint enim termini, *animal*, *homo*, *equus*. Si dicatur, *omnis homo est animal*; *nullus equus est homo*, non sequitur conclusio directa; *ergo omnis vel aliquis equus nõ est animal*, sed sequitur indirecta: *ergo aliquod animal non est equus*. Probatur: conuersa enim maiori, & minori, & transpositis præmissis, fit sequens syllogismus in Ferio, *nullus homo est equus*; *aliquod animal est homo*; ex quo sequitur conclusio posita; ergo ea conclusio sequitur etiam in Fapesmo. Eodem pacto probatur, quod positis his duabus præmissis, *aliquod intellectuale est animal*; *nullus equus est intellectualis*; sequatur conclusio indirecta; *ergo aliquod animal non est equus*. Conuertendo enim, & transponendo præmissas fiet syllogismus in Ferio; *nullum intellectuale est equus*; *aliquod animal est intellectuale*; *ergo aliquod animal non est equus*; ergo cum eadem conclusio conuersis legitimè præmissis sequatur in Ferio, sequitur etiam in Frisesomorum. Fapesmo ergo, & Frisesomorum sunt syllogismi imperfecti, & perficiuntur per conuersionem modo explicato. Aduertit Aristoteles, quod si loco particularis ponatur indefinita, eodem pacto fit syllogismus in omnibus figuris, cum quoad hoc indefinita æquiualeat particulari.

Quæritur, cur Aristoteles hic mentionem faciat solum duorum modorum indirectorum, qui sunt Fapesmo, & Frisesomorum, non uerò aliorum trium.

Respondeo rationem esse, quia ex præmissis Fapesmo, & Frisesomorum non potest sequi alia conclusio, quàm indirecta; ergo sunt modi essentialiter indirecti: at ex Baralipton, Celantes, & Dabitis, sequitur immediatè conclusio directa conuertibilis in indirectam; ergo sunt modi primo, & per se concludentes directè, secundario uerò concludentes indirectè; ideoque Aristoteles de ijs agit lib. 2. cum tractat de potestatibus syllogismorum, hoc est de uirtute, quam habent aliqui syllogismi ad inferendas plures conclusiones.

3 *Manifestum autem, & quòd omnes imperfecti syllogismi perficiuntur per primã figuram. Aut enim monstratiue, aut per impossibile concluduntur omnes: vtroque autem modo prima efficitur figura. Si quidem monstratiue perficiantur: quoniam per conuersionem concluduntur omnes: conuersio vero primam efficiebat figuram.*

4 *Sin autem per impossibile monstrantur: quoniam posito falso, syllogismus efficitur per primam figuram. Quemadmodum in vlti-*

vltima figura, si A, & B omni insunt C, quòd A alicui B inest. Si enim A nulli B: B vero omni C: A nulli C: sed erat omni. Consimiliter, & in alijs.

3 Explicatis modis perfectis,& imperfectis omnium figurarum, ostendit Aristoteles; quod omnes modi imperfecti perficiuntur per reductionem ad quatuor modos perfectos primæ figuræ, & quod duo modi particulares primæ figuræ, qui sunt Darij, & Ferio, licet ex se sint perfecti, adhuc possunt perfici per reductionē ad duos vniuersales, qui sunt Barbara, & Celarent, atque adeo vniuersim omnes alij modi sunt perfectibiles per reductionem ad Barbara, & Celarent.

Quod igitur syllogismi imperfecti secundæ, & tertiæ figuræ perficiantur per primam, probatur; quia syllogismi tertiæ, & secundæ figuræ, vel perficiuntur ostensiuè per conuersionem, & transpositionem aliquarum propositionum, vel per reductionem ad impossibile; sed vtroque modo perficiuntur per primam figuram; ergo &c. Probatur prima pars minoris: nam ostensiuè perficiuntur ostendendo,quod per conuersionem legitimam aliquarum propositionum conclusio illata sequitur in aliquo modo directo primæ figuræ; sed hoc est illos perficere per primam figuram; ergo syllogismi imperfecti dum perficiuntur ostensiuè, perficiuntur per primam figuram.

4 Probatur secunda pars minoris; quia tum perficiuntur per impossibile, cum ostenditur, quod ex falsitate conclusionis, & altera præmissarum sequitur falsitas alterius præmissæ, quæ supponitur vera, adeoque sequitur impossibile, & contra suppositum; sed hoc ostenditur faciendo syllogismum primæ figuræ; ergo etiam dum perficiuntur per reductionem ad impossibile, perficiuntur per primam figuram. Probatur minor, exemplificando in primo modo tertiæ figuræ, hoc est Darapti. Sit enim syllogismus, *omnis homo est animal; omnis homo est intellectualis; ergo aliquod intellectuale est animal*. Ostendo per reductionem ad impossibile conclusionem sequi necessario. Si conclusio est falsa, adeoque est vera contradictoria, *nullum intellectuale est animal*, adiuncta minori, *omnis homo est intellectualis*, sequitur in Celarent; *ergo nullus homo est animal*, quæ est contraria maiori, quæ erat, *omnis homo est animal*; sed supponitur eam maiorem esse veram; ergo sequitur esse veras duas contrarias, quod est impossibile; ergo est impossibile, vt præmissæ in Darapti sint veræ, & conclusio sit falsa. Cum ergo hoc impossibile inferatur in Celarent,qui est modus primæ figuræ,Darapti perficitur per primam figuram, idemque dic de alijs modis.

5 *Est autem, & omnes syllogismos reducere ad vniuersaliter syllogismos, qui in prima sunt figura. Qui quidem in secunda sunt figura, planum quòd per illos perficiuntur, præterquam quòd non omnes consimiliter: sed vniuersales, priuatiuo conuerso: qui vero in parte, vterque per deductionem ad impossibile.*

6 *Qui autem sunt in prima figura secundum partem, perficiuntur quidem, & per seipsos: verum est etiam per secundam figuram monstrare ad impossibile deducendo: Vt si A omni B: B alicui C: quòd A alicui C inerit. Si enim nulli: B vero omni: nulli C.B inerit: hoc enim fit per secundam figuram.*

7 *Consimiliter autem, & in priuatiuo erit demonstratio. Si enim A nulli B: B vero alicui C inest: A.C alicui non inerit. Si enim omni: nulli autem B inest: nulli C B inerit. Sed hæc erat media figura. Quamobrem, quoniam omnes, qui in media sunt figura, syllogismi reducuntur ad vniuersales syllogismos, qui in prima: qui vero secundum partem in prima ad eos, qui in media: planum, quod & qui secundum partem reducentur ad vniuersales syllogismos, qui in prima figura.*

8 *Qui vero in tertia, cùm termini vniuersaliter sunt, statim perficiuntur per eos syllogismos, qui in prima figura. Cùm vero in parte fuerint accepti, per syllogismos in parte, qui sunt in prima figura: isti autem in illos reducti sunt: quare & qui in tertia figura secundum partem omnes reducentur ad vniuersales syllogismos, qui in prima. Qui igitur inesse, aut non inesse monstrant syllogismi, dictum est quomodo se habent: & secundum se, qui ex eadem figura: & ad se inuicem, qui ex diuersis figuris.*

5 Quod etiam Darij, & Ferio, & vniuersim omnes modi secundæ, & tertiæ figuræ perfici possint per Barbara, & Celarent,probat Aristoteles discurrendo per dictos modos. Primo omnes quatuor modi secun-

secundæ figuræ perficiuntur per Barbara, & Celarent, licet diuerso modo. Nam duo modi vniuersales, hoc est Cesare, & Camestres, per conuersionem reducuntur ostensiuè ad Celarent, vt explicatum est capite 6. concl. 1. num. 2. Duo particulares, hoc est Festino, & Barocco reducuntur per reductionem ad impossibile: Barocco quidem ad Barbara, vt explicatum est cap. 6. concl. 3. num. 9.: Festino verò ad Celarent. Sit enim syllogismus in Festino, *nullus homo est equus; aliquod animal est equus; ergo aliquod animal non est homo*. Si conclusio est falsa, est vera contradictoria, *omne animal est homo*; sed præponendo maiorem, quæ est, *nullus homo est equus; omne animal est homo*, sequitur in Celarent; *ergo nullum animal est equus*, quæ est contradictoria minoris in Festino, quæ minor supponitur vera; ergo sequitur duas contradictorias esse veras, quod est impossibile; ergo Festino perficitur per Celarent; ergo vniuersim omnes quatuor modi secundæ figuræ perficiuntur per Barbara, & Celarent.

6 Secundo duo modi particulares primæ figuræ, hoc est Darij, & Ferio licet ex se sint perfecti, adhuc possunt perfici reductione ad impossibile per Cesare, & Camestres; sed Cesare, & Camestres perficiuntur per Barbara, & Celarent, vt dictum est; ergo à primo ad vltimum etiam Darij, & Ferio possunt perfici reductione ad Barbara, & Celarent. Probatur maior: sit enim syllogismus in Darij; *omnis homo est intellectualis; aliquod animal est homo; ergo aliquod animal est intellectuale*. Si conclusio est falsa, vera est contradictoria conclusionis, quæ est, *nullum animal est intellectuale*; adiungatur vt maior quæ erat maior in Darij, & dicatur, *omnis homo est intellectualis; nullum animal est intellectuale*; sequitur in Camestres; *ergo nullum animal est homo*, quæ erat contradictoria minoris; sed minor supponitur vera; ergo si conclusio est falsa, & præmissæ sunt veræ, sequitur duas contradictorias esse veras. Cum ergo Camestres reducatur ostésiuè ad Celarent, Darij reducatur per impossibile ad Camestres, Darij reducitur ad Celarent.

7 Rursus sit syllogismus in Ferio: *nullus homo est equus; aliquod animal est homo; ergo aliquod animal non est equus*. Si conclusio est falsa, est vera contradictoria, quæ est, *omne animal est equus*; præmittatur illi vt maior, quæ erat maior in Ferio, & dicatur, *nullus homo est equus; omne animal est equus*; sequitur in Cesare; *ergo nullum animal est homo*; quæ est contradictoria minoris in Ferio, quæ erat, *aliquod animal est homo*; sed talis minor supponitur esse vera; ergo si præmissæ in Ferio sunt veræ, conclusio falsa, sequitur duas contradictorias esse veras, quod est impossibile; ergo conclusio in Ferio sequitur ex necessitate. Cum igitur Ferio reduci possit ad Cesare, Cesare ad Celarent, Ferio reduci potest ad Celarent; ergo Darij, & Ferio, & quatuor modi secundæ figuræ perfectibiles sunt per reductionem ad Barbara, & Celarent.

8 Tertio modi vniuersales tertiæ figuræ, hoc est Darapti, & Felapton reduci possunt ad Barbara, & Celarent. De Darapti ostensum est numero tertio; de Felapton potest sic ostendi. Sit syllogismus in Felapton; *nullus homo est equus; omnis homo est animal; ergo aliquod animal non est equus*; si posita veritate præmissarum falsa est conclusio, est vera contradictoria, *omne animal est equus*; adiungatur quæ erat minor in Felapton, & dicatur, *omne animal est equus; omnis homo est animal*; sequitur in Barbara; *ergo omnis homo est equus*, quæ est contraria maiori Felapton, quæ erat *nullus homo est equus*; ergo cum hæc supponatur esse vera, sequitur, quod duæ contrariæ sint veræ, quod est impossibile; ergo Felapton perfici potest per reductionem ad Barbara. Modi particulares tertiæ figuræ, qui sunt Disamis, Datisi, Boccardo, & Ferison reducuntur ostensiuè ad Darij, & Ferio, vt ostensum est supra cap. 7. excepto Boccardo, qui vt ibidem dictum est per impossibile reducitur ad Barbara; sed Darij & Ferio reduci possunt ad Barbara, vel Celarent; ergo vniuersim omnes modi tertiæ figuræ reduci possunt ad Barbara, vel Celarent; ergo Darij, Ferio, & omnes modi secundæ, & tertiæ figuræ perfici possunt reductione ad Barbara, & Celarent, quod erat demonstrandum.

Concludit Aristoteles epilogando hactenus dicta. Ostensum est enim, quo pacto se habeant syllogismi de inesse in omnibus figuris, & quo pacto syllogismi vnius figuræ reduci possint ad syllogismos alterius figuræ.

De syllogismis modalibus ex vtraque præmissa de necessario. Cap. IX.

1 *QVoniam vero diuersum est inesse, & ex necessitate inesse, & contingere inesse (multa enim insunt quidem, non ex necessitate tamen: alia vero neque insunt omnino, contingunt autem inesse) planum, quòd & syllogismus vniuscuiusque horum diuersus erit, & non similiter se habentibus terminis: sed hic quidem ex necessarijs, ille vero ex inexistentibus, ille autem ex contingentibus.*

2 *In necessarijs itaque fermè consimiliter se habet, ac in his quæ insunt: eodem enim modo positis terminis in eo, quod est inesse, & in eo, quod est ex necessitate inesse, erit & non erit syllogismus: præterquam quòd different in eo, quòd adiacet terminis ex necessitate inesse, vel non inesse. Nanque & priuatiuum similiter conuertitur. Et quod est in toto esse, & quod de omni, consimiliter assignabimus. In alijs igitur eodem pacto monstrabitur per conuersionem, quòd conclusio est necessaria, quemadmodum in eo, quod est inesse. In media vero figura, quando sit hoc quidem vniuersaliter affirmatiuum, hoc autem priuatiuum in parte: atque iterum in tertia, cùm sit hoc quidem vniuersaliter prædicatiuum, illud vero priuatiuum in parte, non similiter erit demonstratio. Cæterum necesse est, cui utrunque non inest, de hoc facere syllogismum: erit enim necessarium & in his: si autem de exposito necessario est & de illo quodam: nanque expositum, quod illud aliquid est. Fit autem vterque syllogismorum in propria figura.*

1 SIcut duo sunt genera propositionum, aliæ de inesse, aliæ modales, vt dictum est lib. 2. Periher. initio cap. 3. sic duo sunt genera syllogismorum: quidam enim constant ex propositionibus de inesse, quidam ex modalibus. Et quia propositiones modales aliæ sunt de necessario, aliæ de contingenti, ideò proportionaliter syllogismi alij constant ex modalibus de necessario, alij ex modalibus de contingenti. Aristoteles igitur, postquam egit de syllogismis de inesse, agit de syllogismis modalibus tum de necessario, tum de contingenti, tum de mistis ex altera præmissa de necessario, altera de inesse, vel ex altera de contingenti, altera de inesse, vel ex altera præmissa de necessario, altera de contingenti. Primo ergo agit de syllogismis constantibus ex vtraque præmissa de necessario: secundo de syllogismis constantibus ex altera præmissa de necessario, altera de inesse: tertio de constantibus ex vtraque præmissa de contingenti: quarto de constantibus ex altera de contingenti, altera de inesse: quinto de constantibus ex altera præmissa de necessario, altera de contingenti, licet non de omnibus his tractet ordine posito, sed in quibusdam ordinem aliquantum inuertat.

2 Circa syllogismos igitur constantes ex vtraque præmissa de necessario, docet Aristoteles, quod eodem modo se habent, sicut syllogismi de inesse. Ex combinationibus ergo, ex quibus fiunt syllogismi de inesse, addendo modum necessarij, fiunt syllogismi de necessario: ex combinationibus, ex quibus non fiunt syllogismi de inesse, neque fiunt syllogismi de necessario: ex gr. sicut in prima figura valet: *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*: sic valet, *omne rationale necessario est risibile; omnis homo necessario est rationalis; ergo omnis homo necessario est risibilis*. Sicut in eadem prima figura non valet; *omnis homo est animal; nullus equus est homo; ergo nullus equus est animal*; sic non valet; *omnis homo necessario est animal; nullus equus necessario est homo; ergo nullus equus necessario est animal*. Idem dic de alijs figuris. Sicut ex syllogismis de inesse quidam sunt perfecti, qui regulantur immediatè *per dictum de omni & dictum de nullo*, alij sunt imperfecti; sic ex syllogismis de necessario quidam, hoc est primi quatuor primæ figuræ sunt perfecti, eo quod regulentur immediatè per *necessario dictum de omni, necessario dictum de nullo*, alij sunt imperfecti. Sicut syllogismi de inesse secundæ, & tertiæ figuræ sunt imperfecti, ac perficiuntur reductione ostensiua ad primam figuram per conuersionem aliquarum propositionum; sic syllogismi de necessario secundæ, & tertiæ figuræ sunt imperfecti, ac perficiuntur reductione ostensiua per conuer-

uersionem aliquarum propositionum. Eodem enim pacto, quo conuertuntur propositiones de inesse, conuertuntur propositiones de necessario, vt dictum est capite tertio. Sicut ex modis secundæ figuræ Barocco, & ex modis tertiæ Boccardo perfici non possunt reductione ostensiua ad primam figuram, sed solum reductione ad impossibile, vel expositione, sic idem accidit in syllogismis de necessario. Explicatur: sit syllogismus in Barocco, *omnis homo necessario est rationalis; aliquod animal necessario non est rationale; ergo aliquod animal necessario non est homo*. Probatur necessitas conclusionis expositione. Hoc animal, quod necessario non est rationale, sit Bucephalus: Bucephalus igitur est animal, & necessario non est rationale; ergo necessario non includitur in homine, cum omnis homo necessario sit rationalis, adeoque necessario non est homo; ergo iam aliquod animal, hoc est Bucephalus, necessario non est homo. Eodem pacto potest expositione probari, quod concludat Boccardo in tertia figura.

De syllogismis mistis ex altera præmissa de necessario, altera de inesse in prima figura. Cap. X.

1 *SEd contingit aliquando, & altera propositione necessaria existente, necessarium fieri syllogismum: præterquam quòd non vtralibet, sed quæ ad maius extremum. Vt si A quidem sumptum est inesse ipsi B ex necessitate, aut non inesse: B vero ipsi C inesse solum: sic enim sumptis propositionibus ex necessitate A inerit ipsi C, aut non inerit. Quoniam enim B ipsi ex necessitate inest, aut non inest A: ipsum vero C aliquid est eorum, quæ sunt B: manifestum quòd & C ipsi ex necessitate erit horum alterum.*

1 EXplicatis syllogismis constantibus ex vtraque præmissa de necessario, agit Aristoteles de syllogismis mistis ex altera præmissa de necessario, altera de inesse. Ponit ergo aliquas regulas pro singulis figuris.

Prima regula pro modis vniuersalibus primæ figuræ, Barbara nimirum, & Celarent est: si maior affirmatiua, vel negatiua sit de necessario, minor negatiua de inesse, sequitur conclusio de necessario. Probatur: sit enim syllogismus in Barbara: *omne animal necessario est sensitiuum; omnis homo est animal*; sequitur; *ergo omnis homo necessario est sensitiuus*. Probatur per *dictum de omni*. Quod enim dicitur de omni, dicitur de quolibet, quod est sub illo; sed de omni animali dicitur esse sensitiuum necessario, & quilibet homo est sub animali; ergo de quolibet homine dicitur esse sensitiuum necessario. Rursus sit syllogismus in celarent, *ex necessitate nullum animal est lapis; omnis homo est animal*; sequitur, *ergo ex necessitate nullus homo est lapis*. Probatur per *dictum de nullo*: lapis enim necessario negatur de omni animali; ergo etiam necessario negatur de omni homine, cum omnis homo contineatur in animali.

2 *Sin autem A B quidem non est necessarium: B C vero necessarium: non erit conclusio necessaria. Nam si est, continget A eorum quæ sunt B alicui inesse ex necessitate, & per primam, & per tertiam figuram. Sed hoc falsum. Contingit enim B tale esse, cui nulli accidit inesse A. Præterea & ex terminis palam, quòd non est conclusio necessaria. Vt si A esset motus, B animal, in quo autem C homo. Animal nanque homo ex necessitate est: verum mouetur animal non ex necessitate, neque homo. Consimiliter autem & si priuatiuum esset A B: eadem enim demonstratio.*

2 Secunda regula pro iisdem modis vniuersalibus primæ figuræ est: si maior sit de inesse, minor de necessario, sequitur conclusio solum de inesse, non autem de necessario. Probatur: sit enim syllogismus in Barbara: *Omne animal mouetur; omnis homo necessario est animal*; non sequitur; *ergo omnis homo necessario mouetur*, cum non moueatur necessario, sed contingenter, quia omne animal mouetur non necessario, sed contingenter. Probari potest per dictum de omni. Nam quod dicitur de omni non necessario, sed contingenter, de eo etiam, quod continetur necessario sub illo, dicitur non necessario, sed contingenter; sed de omni animali dicitur moueri non ne-

necessario, sed contingenter; ergo etiam de omni homine dicitur moueri non necessario, sed contingenter. Confirmatur, quia hæc maior, *omne animal mouetur*, potest esse vera, etiamsi nulli animali conueniret hoc, quod est *moueri ex necessitate*; ergo non sequitur ex illa, & minori necessario vlla conclusio, quæ non possit esse vera, nisi aliquod animal moueatur ex necessitate; sed hæc conclusio, *omnis homo necessario mouetur*, non potest esse vera, quin aliquod animal, hoc est homo, moueatur ex necessitate; ergo hæc conclusio non sequitur ex illa maiori. Probatur subsumptum: sequitur enim in prima figura; *omnis homo necessario mouetur; aliquod animal necessario est homo; ergo aliquod animal necessario mouetur*: sequitur etiam in tertia figura, & in Darapti; *omnis homo necessario mouetur; omnis homo necessario est animal; ergo aliquod animal necessario mouetur*; ergo non est possibile, vt sit verum, quod omnis homo necessario mouetur, & simul sit verum, quod nullum animal necessario mouetur; sed potest esse verum, omne animal mouetur, & simul esse verum, quod nullum animal necessario mouetur; ergo hæc, *omnis homo necessario mouetur*, non sequitur ex illa, *omne animal mouetur*, adiuncta minori; *omnis homo necessario est animal*. Iisdem argumentis proportionaliter ostenditur, quod etiam in Celarent ex maiori negatiua de inesse, minori de necessario, non sequitur conclusio de necessario.

3 Tertia regula pro modis particularibus primæ figuræ, qui sunt Darij, & Ferio est: ex maiori de necessario, minori de inesse, sequitur conclusio de necessario; ex maiori de inesse, minori de necessario, non sequitur conclusio de necessario. Probatur eodem pacto, ac prima, & secunda regula; *si enim omne animal necessario est sensitiuum, & aliquod corpus est animal, aliquod corpus necessario est sensitiuum*. Nam esse sensitiuum dicitur necessario de omni animali; ergo dicitur etiam necessario de eo corpore, quod continetur sub animali. Eodem pacto probatur de syllogismo in Ferio. Simili argumento ostenditur, quod si maior est de inesse, minor de necessario, non sequitur conclusio de necessario. Confirmatur per instantiam in his terminis; *motus*, *animal*, *album*: non enim valet, *omne animal mouetur; aliquod album, puta Cygnus necessario est animal; ergo aliquod album, puta Cygnus necessario mouetur*. Cum enim animal moueatur quidem, sed non ex necessitate, illud album, quod est animal, mouetur quidem, sed non ex necessitate.

3 *In syllogismis vero, qui sunt in parte, si vniuersale est necessarium, & conclusio erit necessaria: sin autem quod secundum partem, non necessaria: neque priuatiua, neque prædicatiua existente vniuersali propositione. Sit autem primum vniuersale necessarium, & A omni B insit ex necessitate: B vero alicui C solum insit: necesse vtique A alicui C inesse ex necessitate. Nam C sub B est: B vero omni A inerat ex necessitate. Consimiliter autem & si priuatiuus esset syllogismus: eadem enim erit demonstratio. Si verò quod est secundum partem necessarium sit, non erit conclusio necessaria. Nullum enim impossibile accidit, quemadmodum neque in vniuersalibus syllogismis. Consimiliter autem & in priuatiuis. Termini, motus, animal, album.*

De syllogismis mistis ex altera præmissa de necessario, altera de inesse in secunda figura. Cap. XI.

1 *Sed in secunda figura, si priuatiua propositio est necessaria, & conclusio erit necessaria: si vero prædicatiua, non necessaria. Sit enim primum priuatiua necessaria, & A nulli contingat B: ipsi vero C solum insit: quoniam itaque conuertitur priuatiuum, & B. A nulli contingit: A vero omni inest C: quare nulli C contingit B: nanque C sub A est.*

Consimiliter autem & si ad C ponatur priuatiuum. Si enim A nulli C contingit: & C nulli A continget: A vero omni inest B: quare nulli B continget C. Fit enim prima rursus. Igitur neque B ipsi C: conuertitur enim similiter.

2 *Sin autem prædicatiua propositio est necessaria, non erit conclusio necessaria. Insit enim, A omni B ex necessitate: C vero nulli insit solum: conuerso itaque priuatiuo,*

no, prima efficitur figura. Monstratum est autem in prima, quòd non necessaria existente priuatiua, quæ ad maius, neque conclusio est necessaria: quare neque in his erit ex necessitate. Præterea si conclusio est necessaria, contingit C alicui A non inesse ex necessitate. Si enim B nulli C inest ex necessitate: & C nulli B inerit ex necessitate: ipsum vero B alicui A necesse est inesse: siquidem & A omni B ex necessitate inerat: quare & C necesse est alicui A non inesse. Verum nihil vetat, A tale acceptum fuisse, cui omni, C ipsum contingit inesse. Præterea & terminos exponentem monstrare liceret, quòd conclusio non est simpliciter necessaria, sed his existentibus necessariis. Vt sit A animal, B homo, C vero album: & propositiones similiter sint acceptæ. Contingit enim animal nulli albo inesse: & homo vtique nulli inerit albo, verum non ex necessitate. Contingit enim hominem fieri album, non tamen quousque animal nulli insit albo. Quare his quidem existentibus, necessaria erit conclusio: simpliciter autem non necessaria.

1 TRaditis regulis pro prima figura, tradit Aristoteles regulas pro secunda figura. Prima regula pro modis vniuersalibus, Cesare nimirum, & Camestres est: si vniuersalis negatiua sit de necessario, vniuersalis affirmatiua de inesse, sequitur conclusio de necessario; at si vniuersalis affirmatiua sit de necessario, vniuersalis negatiua de inesse, non sequitur conclusio de necessario, sed de inesse. Probatur prima pars: sit enim syllogismus in Cesare: *necesse est nullam plantam esse animal; omnis homo est animal*, sequitur; *ergo necesse est nullum hominem esse plantam*. Probatur: vt enim dictum est capite tertio vniuersalis negatiua de necessario conuertitur simpliciter; ergo maior conuertitur in hanc, necesse est nullum animal esse plantam; sed facta hac conuersione argumentum erit in Celarent; & in Celarent si maior sit de necessario, minor de inesse, conclusio sequitur de necessario, vt dictum est cap. 10. numer. 1.; ergo in Cesare si vniuersalis negatiua sit de necessario, vniuersalis affirmatiua sit de inesse, conclusio sequitur de necessario. Rursus sit syllogismus in Camestres: *omne animal est sensitiuum; necesse est nullam plantam esse sensitiuam*; sequitur; *ergo necesse est nullam plantam esse animal*. Conuersa enim simpliciter minori vniuersali negatiua iuxta regulas conuersionum propositionum modalium explicatas cap. 3. fiet argumentum in Celarent; *necesse est nullum sensitiuum esse plantam; omne animal est sensitiuum; ergo necesse est nullum animal esse plantam; ergo necesse est nullam plantam esse animal*; ergo cum conclusio de necessario sequatur in Celarent, sequitur etiam in Camestres, quando vniuersalis negatiua est de necessario, etiamsi vniuersalis affirmatiua sit de inesse.

2 Probatur iam secunda pars, quod si in Cesare, & Camestres, vniuersalis affirmatiua sit de necessario, vniuersalis negatiua de inesse, non sequitur conclusio de necessario. Sit enim syllogismus in Cesare: *nullum album est animal; necesse est omnem hominem esse animal*; non sequitur; *ergo necesse est nullum hominem esse album*. Probatur primo, quia eatenus aliqua conclusio sequitur in Cesare, quatenus si maior negatiua conuertatur simpliciter, eadem conclusio sequitur in Celarent; sed conuertendo simpliciter illam maiorem, *nullum album est animal*, in hanc, *nullum animal est album*, non sequitur in Celarent conclusio de necessario, vt dictum est c. 10. num. 2. ergo neque sequitur in Cesare, & eodem pacto probatur, quod non sequitur in Camestres. Secundo probatur: si sequitur hæc conclusio; *ergo necesse est nullum hominem esse album*, eo ipso sequitur, quod *necesse est aliquod animal non esse album*: homo enim cum sit aliquod animal, ex necessitate non est albus; ergo si est vera hæc conclusio, *necesse est nullum hominem esse album*, non potest esse vera hæc propositio, *non est necesse, vt aliquod animal non sit album*; sed etiam si sit vera illa maior, *nullum album est animal*, adhuc potest esse verum, quod non necesse est, vt nullum album sit animal, neque vt aliquod album non sit animal, & quod similiter non necesse est, vt aliquod animal non sit album; ergo aliquid, quod non potest stare cum veritate consequentis, potest stare cum veritate antecedentis, quod est contra regulam, *quidquid non potest stare cum veritate consequentis, nec potest stare cum veritate antecedentis*. Tertio demum probatur per instantiam: si enim dicatur in Camestres, *omnis homo necessario est animal; nullum album est animal*; non sequitur; *ergo nullum album est homo, & hoc ex* ne-

necessitate. Licet enim vtraque præmissa supponatur vera, eo quod de facto nullum album esset animal, adhuc conclusio esset falsa, cum posset aliquod album fieri, & esse homo.

3 *Consimiliter se habebit & in syllogismis in parte. Cùm enim priuatiua propositio & vniuersaliter sit, & necessaria, & conclusio erit necessaria: cum vero prædicatiua & vniuersaliter sit necessaria, priuatiua autem secundum partem, non erit conclusio necessaria.*

4 *Sit primum priuatiua, & vniuersaliter & necessaria, & A nulli B contingat inesse: alicui vero C insit: quoniam itaque conuertitur priuatiuum, & B nulli A posset contingere inesse: A vero alicui C inest: quare ex necessitate B alicui C non inerit.*

5 *Rursus sit prædicatiua vniuersaliter & necessaria, & ponatur ad B prædicatiuum. Si itaque A omni B ex necessitate inest: C vero alicui non inest: quòd itaque non inerit B alicui C manifestum, sed non ex necessitate. Iidem nanque termini erunt ad demonstrationem, qui & in vniuersalibus syllogismis. Sed neque, si priuatiuum necessarium acceptum sit in parte, est conclusio necessaria: per eosdem nanque terminos demonstratio, vno solo transumpto.*

3 Secunda regula pro modis particularibus secundæ figuræ, qui sunt Festino, & Barocco est: si vniuersalis negatiua sit de necessario, particularis verò affirmatiua de inesse, sequitur conclusio de necessario; si vero sit de necessario vniuersalis affirmatiua, vel particularis siue affirmatiua, siue negatiua, non sequitur conclusio de necessario:

4 Probatur prima pars ponendo exemplum in Festino; *necesse est nullum hominem esse equum; aliquod animal est equus*; sequitur; *ergo necesse est aliquod animal non esse hominem*. Maior enim, vtpote vniuersalis negatiua, conuertitur simpliciter in hanc, *necesse est nullum equum esse hominem*; sed facta hac conuersione argumentum erit in Ferio, in quo cum maior est de necessario conclusio sequitur de necessario, vt dictum est cap. 10. num. 3. ergo etiam in Festino si vniuersalis negatiua sit de necessario, particularis affirmatiua de inesse, conclusio sequitur de necesario.

5 Probatur secunda pars, quod si vniuersalis affirmatiua sit de necessario; particularis negatiua de inesse, non sequitur conclusio de necessario, ponendo exemplum in Barocco: si enim dicatur; *omne animal necessario est sensitiuum; aliquod album non est sensitiuum*, non sequitur; *ergo aliquod album necessario non est animal*. Sicut enim cum veritate minoris stat, quod licet aliquod album non sit sensitiuum, omne album potest esse sensitiuum, sic cum veritate conclusionis stat, quod omne album possit esse animal, adeoque non sequitur, quod necesse sit aliquod album non esse animal. Demum si in Barocco maior vniuersalis affirmatiua sit de inesse, minor particularis negatiua de necessario, non sequitur conclusio de necessario, vt patet in hoc syllogismo: *omne album est homo; necesse est aliquod animal non esse hominem*; non sequitur; *ergo necesse est aliquod animal non esse album*.

De syllogismis ex altera propositione de necessario, altera de inesse in tertia figura. Cap. XII.

1 *Sed in tertia figura, cùm termini sint vniuersaliter ad medium, & ambæ propositiones prædicatiuæ, si vterlibet necessarius existat, & conclusio erit necessaria. Sin autem hoc prædicatiuum, illud vero priuatiuum sit, cùm priuatiuum sit necessarium, & conclusio erit necessaria: quando autem prædicatiuum, non erit necessaria.*

2 *Sint enim primum ambæ prædicatiuæ propositiones: & A & B omni C insint: necessarium vero sit A C: quoniam igitur B omni C: & C alicui B inerit, eò quòd vniuersale secundum partem conuertitur: quare, si omni C inest A ex necessitate: & C alicui B: necessarium est A alicui B inesse. Nam B sub C est. Fit igitur rursus prima figura.*

3 *Consimiliter monstrabitur & si B C est necessarium. Conuertitur enim C cum aliquo A: quare si omni C. B ex necessitate inest: & A alicui B inerit ex necessitate.*

4 *Rursum sit A C priuatiuum: B C vero affirmatiuum: priuatiuum autem necessarium.*

rium. Quoniam igitur conuertitur C cum aliquo B: A vero nulli C ex necessitate: neque B alicui inerit A ex necessitate. Nam B sub C est.

5 *Si vero prædicatiuum necessarium, non erit conclusio necessaria. Sit enim B C prædicatiuum, & necessarium: A C vero priuatiuum, & non necessarium: quoniam igitur conuertitur affirmatiuum, inerit & C alicui B ex necessitate: quare si A nulli C: C vero alicui B: A alicui B non inerit: sed non ex necessitate. Monstratum est enim in prima figura, quòd priuatiua propositione non necessaria existente, neque conclusio erit necessaria. Amplius per terminos planum fieri possit. Sit enim A bonum: B animal: C vero equus. Contingit igitur bonum nulli equo inesse: animal autem necesse omni inesse: sed non necesse animal quippiam non esse bonum, siquidem contingit omne bonum esse. Sin autem non hoc possibile: sed vigilare, aut dormire, terminum ponendum. Omne namque animal horum esse susceptiuum. Si igitur termini vniuersaliter ad medium sint, dictum est, quando erit conclusio necessaria.*

1 POsitis regulis pro syllogismis ex vna præmissa de necessario, altera de inesse primæ, & secundæ figuræ, ponit Aristoteles regulas pro tertia figura. Prima regula pro duobus modis vniuersalibus tertiæ figuræ, qui sunt Darapti, & Felapton est: in Darapti, si alterutra præmissa siue maior, siue minor sit de necessario, & altera de inesse, sequitur conclusio de necessario: in Felapton verò si vniuersalis negatiua sit de necessario, vniuersalis affirmatiua de inesse, sequitur conclusio de necessario: si verò vniuersalis negatiua sit de inesse, vniuersalis affirmatiua de necessario, non sequitur conclusio de necessario.

2 Probatur: sit enim syllogismus in Darapti ex maiori de necessario, minori de inesse; *omnis homo necessario est intellectualis*; *omnis homo est animal*; sequitur; *ergo aliquod animal necessario est intellectuale*. Conuertendo enim minorem in particularem affirmatiuam, & dicendo, *aliquod animal est homo*, syllogismus erit in Darij, & maior de necessario; sed in Darij cum maior est de necessario, conclusio sequitur de necessario, vt dictum est cap. 10. num. 3. ergo etiam in Darapti eadem conclusio sequitur de necessario.

3 Rursus sit syllogismus in Darapti, in quo maior sit de inesse, ac minor de necessario, ac dicatur; *omnis homo est intellectualis*; *omnis homo necessario est animal*; sequitur; *ergo aliquod animal necessario est intellectuale*. Conuertendo enim maiorem per accidens, & transponendo præmissas, fiet hic syllogismus in Darij: *omnis homo necessario est animal*; *aliquod intellectuale est homo*; *ergo aliquod intellectuale necessario est animal*; sed particularis affirmatiua de necessario conuertitur simpliciter, vt dictum est cap. 3. ac proinde sequitur; *ergo aliquod animal necessario est intellectuale*; ergo cum hæc conclusio sequatur in Darij, sequitur etiam in Darapti.

4 Rursus sit syllogismus in Felapton, in quo maior vniuersalis negatiua sit de necessario, minor affirmatiua de inesse, & dicatur, *necesse est nullum animal esse plantam*; *omne animal est viuens*; sequitur; *ergo necesse est aliquod viuens non esse plantam*: conuertendo enim minorem per accidens in hanc, *aliquod viuens est animal*, eadem conclusio sequitur in Ferio, vt dictum est cap. 10. nu. 3. ergo sequitur etiam in Felapton.

5 Probatur demum, quod si in Felapton vniuersalis negatiua sit de inesse, vniuersalis affirmatiua de necessario, non sequatur conclusio de necessario. Sit enim syllogismus, *nullus equus de facto dormit*; *omnis equus necessario est animal*; non sequitur; *ergo aliquod animal necessario de facto dormit*. Probatur primo, quia conuertendo minorem per accidens, ac dicendo, *aliquod animal necessario est equus*; argumentum est in Ferio, in quo maior est de inesse, minor de necessario; sed in Ferio cum maior est de inesse, minor de necessario, non sequitur conclusio de necessario, vt dictum est cap. 10. num. 3. ergo etiam in Felapton cum maior vniuersalis negatiua est de inesse, minor de necessario, non sequitur conclusio de necessario. Secundo probatur instantia: dicatur enim, *nullus equus de facto est bonus*; *aliquod animal necessario est equus*; non sequitur; *ergo aliquod animal de facto necessario non est bonum*; cum posset contingere, quod & omnis equus, & omne animal esset bonum. Si verò hæc instantia alicui videatur dubia, eo quod maior sit falsa, cum omnis equus sit bonus saltem bonitate entis, vtatur in-

stan-

stantia de dormiente, ac vigilante, & dicat, *nullus equus de facto vigilat; omnis equus necessario est animal*; non sequitur; *ergo aliquod animal necessario de facto non vigilat.*

6 *Si vero hic quidem vniuersaliter, ille autem in parte, vtrisque prædicatiuis existentibus, si vniuersale sit necessarium, & conclusio erit necessaria. Demonstratio vero eadem, quæ & prius: conuertitur enim, & prædicatiuum in parte. Si itaque necesse est B omni C inesse: A vero sub C est: necesse est B alicui A inesse. Sed si B alicui A, & A alicui B inesse necessarium. Con-*
7 *uertitur enim.* * *Similiter & si A C sit necessarium, vniuersaliter existens. Nam B sub C est.*

8 *Si vero quod in parte necessarium est, non erit conclusio necessaria. Sit enim B C in parte, & necessarium: A vero omni C insit, non tamen ex necessitate: conuerso igitur B C, prima efficitur figura: & vniuersalis quidem propositio non necessaria, quæ autem in parte necessaria. Sed cùm ita se habeant propositiones, non erat conclusio necessaria: quare neque in his. Amplius & ex terminis manifestum. Sit A vigilatio, B bipes, in quo autem C animal. B igitur alicui C necesse est inesse: A vero ipsi C contingit: & A ipsi B non necessarium. Non enim necesse bipes aliquod*
9 *non dormire, aut vigilare.* * *Consimiliter & per eosdem terminos monstrabitur, & si A C sit in parte, & necessarium.*

6 Secunda regula pro duobus modis particularibus affirmatiuis, qui sunt Disamis, & Datisi est: si vniuersalis affirmatiua sit de necessario, particularis de inesse, sequitur conclusio de necessario; si verò è conuerso vniuersalis affirmatiua sit de inesse, particularis de necessario, non sequitur conclusio de necessario.

Probatur: sit enim syllogismus in Disamis: *aliquod animal est intellectuale; omne animal necessario est viuens*; sequitur; *ergo aliquod viuens necessario est intellectuale*. Conuertendo enim maiorem simpliciter, & transponendo præmissas fit syllogismus in Darij; *omne animal necessario est viuens; aliquod intellectuale est animal; ergo aliquod intellectuale necessario est viuens*; & conuertendo conclusionem simpliciter, vt dictum est cap. 3. sequitur; *ergo aliquod viuens necessario est intellectuale*; ergo sicut hæc conclusio sequitur in Darij, sic sequitur in Disamis.

7 Rursus sit syllogismus in Datisi: *omne animal necessario est viuens: aliquod animal est intellectuale*; sequitur; *ergo aliquod intellectuale necessario est viuens*. Conuertendo enim minorem simpliciter, eadem conclusio sequitur in Darij, vt dictum est cap. 10. num. 3.

8 Quod verò si vniuersalis sit de inesse, particularis de necessario, non sequatur cõclusio de necessario, probatur: sit enim syllogismus in Datisi: *omne animal de facto vigilat; aliquod animal necessario est homo*; non sequitur; *ergo aliquis homo necessario de facto vigilat*. Conuersa enim minori simpliciter, syllogismus erit in Darij, & maior de inesse, minor de necessario; sed in Darij ex maiori de inesse, minori de necessario, non sequitur conclusio de necessario, vt dictum est cap 10. num. 3.; ergo neque in Datisi ex vniuersali de inesse, particulari de necessario, sequitur conclusio de necessario. Confirmatur instantia: nam licet omne animal vigilet, & aliquod animal necessario sit bipes; non sequitur, quod aliquod bipes necessario vigilet, cum vigilet contingenter, & possit etiam dormire.

9 Rursus sit syllogismus in Disamis; *aliquod animal necessario est bipes; omne animal vigilat*; non sequitur, *ergo aliquod vigilans necessario est bipes*, cum sicut bipes potest non esse vigilans, sic vigilans possit non esse bipes.

10 *Si vero hic quidem prædicatiuus, ille autem priuatiuus terminorum, quando vniuersale priuatiuum sit, & necessarium, & conclusio erit necessaria. Si enim A C nulli contingit: B vero alicui C inest: A alicui B necesse non inesse. Quando autem affirmatiuum necessarium positum sit vniuersaliter existens, aut in parte, aut priuatiuum secundum partem, non erit conclusio necessaria: nam alia quidem eadem, quæ & in prioribus, dicemus. Termini vero, quando sit vniuersale prædicatiuum necessarium, vigilatio, animal, homo: medius, homo. Quando autem in parte prædicatiuum sit necessarium, vigilatio, animal, album. Necesse est nanque animal alicui albo inesse: vigilatio autem contingat nulli: & non necesse alicui animali non inesse vigilationem. Sed quando priuati-*

uatiuum in parte existens neces. arium sit, bipes, motum, animal: animal medium.

11 *Planum itaque, quod inexistendi syllogismus non est, nisi vtraque sint propositiones inexistentes: sed necessarij est, & cum altera solum sit necessaria. In vtrisque vero, & cùm prædicatiui, & cùm priuatiui syllogismi sint, necesse alteram propositionem consimilem esse conclusioni. Dico autem, si inexistent, inexistentem: si necessaria, necessariam Quare & hoc manifestum, quòd non poterit conclusio, aut necessaria, aut inexistens esse, nisi accipiatur necessaria, aut inexistens propositio. De necessario itaque quomodo sit, & quam habet ad inexistens differentiam, dictum est quasi sufficienter.*

10 Tertia regula pro duobus modis particularibus negatiuis, qui sunt Boccardo, & Ferison est: si vniuersalis negatiua sit de necessario, particularis affirmatiua de inesse, sequitur conclusio de necessario: si verò necessaria sit solum præmissa affirmatiua vniuersalis, vel particularis, vel sit necessaria negatiua particularis, non sequitur conclusio de necessario.

Probatur prima pars: sit enim syllogismus in Ferison; *necesse est nullum animal esse plantam; aliquod animal est viuens*; sequitur; *ergo necesse est aliquod viuens non esse plantam*. Conuersa enim minori simpliciter, fit syllogismus in Ferio ex maiori de necessario, minori de inesse; sed in Ferio ex maiori de necessario, minori de inesse sequitur conclusio de necessario; ergo etiã in Ferison.

Probatur secunda pars, quod cum est de necessario affirmatiua vniuersalis, vel particularis, non sequitur conclusio de necessario, tum per rationes proportionales iam adductis, tum per instantias. Primo enim sit syllogismus in Boccardo, in quo minor vniuersalis affirmatiua sit de necessario, ac dicatur; *aliquis homo non est vigilans; omnis homo necessario est animal*; non sequitur; *ergo aliquod animal necessario non est vigilans*, cum omne animal possit vigilare, atque non necessario non vigilet. Secundo sit syllogismus in Ferison, in quo minor particularis affirmatiua sit de necessario, ac dicatur; *nullum animal est vigilans; aliquod animal necessario est album, puta Cygnus*; non sequitur; *ergo aliquod album, puta Cygnus necessario non est vigilans*, cum omnis Cygnus possit vigilare. Tertio sit syllogismus in Boccardo, in quo maior particularis negatiua sit de necessario, ac dicatur; *aliquod animal necessario non est bipes; omne animal mouetur*; non sequitur; *ergo aliquid, quod mouetur, necessario non est bipes*, cum possit contingere, quod solus bipes moueatur, adeoque quod omne, quod mouetur sit bipes.

11 Concludit Aristoteles inferendo quædam Corollaria. Primum est: conclusio affirmatiua de inesse non sequitur, nisi vtraque præmissa sit de inesse; at conclusio de necessario sæpe sequitur, etiamsi altera tantum præmissa sit de necessario. Secunda pars patet ex dictis. Prima pars probatur, quia licet si altera præmissa sit de necessario, altera de inesse, sæpe sequatur conclusio de inesse, tamen præmissa de necessario, eo ipso, quod affirmat prædicatum necessario inesse, affirmat etiam quod inest; ergo præmissa de necessario est etiam de inesse, licet non sit de inesse tantum. Secundum corollarium est: in syllogismis affirmatiuis, ac negatiuis, vt conclusio sit de necessario, vel de inesse, altera saltem præmissa debet esse de necessario, vel de inesse, & illi debet assimilari conclusio. Patet ex dictis: vel enim vtraque præmissa debet esse de inesse, vt cum conclusio debet esse de inesse, vel saltem altera debet esse de necessario, vt cum conclusio debet esse de necessario. Sufficienter igitur dictum est de syllogismis de inesse, ac de necessario, ac de eorum ab inuicem differentia.

Quid, & quotuplex sit contingens, & de conuersionibus propositionum de contingenti. Cap. XIII.

1 *De contingenti verò posthæc dicamus, quando, & quomodo, & per quæ erit syllogismus.*

2 *Dico autem contingere, & contingens, quòd cùm non sit necessarium, si ponatur inesse, nihil erit propter hoc impossibile.*

3 *Nanque necessarium æquiuoce contingere dicimus. Quòd autem hoc est contingens, manifestum & ex negationibus, & affirmationibus oppositis. Nam non contingit inesse, & impossibile inesse, & necesse*

se

se non inesse, aut eadem sunt, aut consequentia se inuicem: quare & opposita contingit inesse, & non impossibile inesse, & non necesse non inesse, aut eadem sunt, aut consequentia se inuicem: de omni enim affirmatio, aut negatio erit. Igitur contingens non necessarium, & non necessarium contingens.

1 POstquam Aristoteles egit de' syllogismis constantibus ex vtraque præmissa de necessario, vel ex altera de necessario, altera de inesse, acturus de syllogismis constantibus ex vtraque, vel ex altera præmissa de contingenti, præmittit primo, quid, & quotuplex sit contingens; secundo tradit regulas conuersionum propositionum de contingenti, quæ regulæ sunt principia reducendi syllogismos imperfectos.

2 Contingens est, quod cum non sit necessarium, si ponatur esse, vel non esse, nihil sequitur impossibile; ex. gr. hominem ambulare est contingens, quia ex vna parte non est necessarium hominem ambulare, ex alia parte, si ponatur hominem ambulare, vel hominem non ambulare, nihil sequitur impossibile.

3 Ex hac definitione patet, quod cum dicitur necessarium esse contingens, contingens non sumitur secundum allatam descriptionem, sed sumitur æquiuocè, & in diuerso sensu: ex. gr. cum dicitur, *contingit Deum esse*, non est sensus, quod Deum esse non est necessarium, sed solum, quod non est impossibile. Quod verò de eo, quod necessario est, possit dici, quod contingit esse, ex. gr. quod possit dici *ens necessarium contingit esse*, patet; quia de quolibet vera est affirmatio, aut negatio; sed non est vera negatio, qua dicatur, *ens necessarium non contingit esse*; ergo vera est affirmatio, qua dicatur, *ens necessarium contingit esse*. Probatur minor: hæc tria, *non contingit esse; impossibile est esse, necesse est non esse*, idem sunt, vel se mutuo sequuntur, vt dictum est lib. 2. Per. cap. 2. num. 14. sed falsum est, quod necessarium sit impossibile esse, vel necesse non esse; ergo falsum est etiam, quod necessarium non contingit esse; ergo verum est, quod necessarium contingit esse. Et quia etiam hæc tria, *contingit esse; non impossibile est esse; non necesse est non esse*, vel sunt idem, vel se mutuo sequuntur, ideo de necessario verum est, quod contingit esse, quod non impossibile est esse, & quod non necesse est non esse. Aliter tamen sumitur contingens in definitione allata pro non necessario, & non necessarium sumitur pro contingente, vt explicatum est.

4 *Accidit autem omnes, quæ secundum contingens sunt propositiones, conuerti inter se: dico autem non affirmatiuas cum negatiuis, sed quæcunque affirmatiuam habent figuram, secundum oppositionem: vt, contingere inesse, cum eo quod est, contingere non inesse: & omni contingere, cum eo quod est, nulli contingere, vel non omni: & alicui, cum eo quod est, alicui non. Eodem autem modo, & in alijs. Quoniam enim contingens non est necessarium: non necessarium vero contingit non inesse: planum, quòd si contingit A inesse B, contingit & non inesse: & si omni contingit inesse, & omni contingit non inesse. Consimiliter autem & in affirmationibus in parte: nanque eadem demonstratio. Verum tales propositiones affirmatiuæ sunt, & non priuatiuæ. Contingit enim ad similitudinem ipsius esse ordinatur, quemadmodum dictum est prius.*

4 Proposita, & explicata definitione contingentis, in quantum sumitur pro non necessario, tradit Aristoteles regulas conuersionum. Prima regula est: propositiones de contingenti affirmatiuæ de modo, & dicto conuertuntur in negatiuas, non quidem modi, sed dicti; ex. gr. *valet; contingit esse; ergo contingit non esse: contingit omnem hominem esse album; ergo contingit nullum hominem esse album; vel contingit aliquem hominem non esse album; contingit animal vigilare; ergo contingit animal non vigilare, sed dormire.*

Probatur ex allata definitione contingentis. Contingens enim est non necessarium; ergo si contingit esse, non necessarium est esse; sed si non necessarium est esse, possibile est non esse, adeoque contingens est non esse; ergo si contingit esse, contingit non esse; ergo si contingit omnem hominem vigilare, contingit omnem hominem non vigilare, seu nullum hominem vigilare, idemque dic de particularibus. Porro vtraque ex istis propositionibus, *contingit esse, contingit non esse*, est affirmatiua, quia per vtramque affirmatur,

quod sit contingens, vt dictum est cap. 4. num. 5.

5 *Determinatis verò his, rursum dicimus, quòd contingere secundum binos dicitur modos. Vnum, eo quod vt plurimum fit, & deficit necessarium: vt canescere hominem, vel augeri aut minui, aut penitus, quod aptum natum est esse; hoc enim non continuum quidem habet necessarium, propterea quòd non semper est homo: atqui dum homo sit, aut ex necessitate, aut vt plurimum est. Alium, ipsum infinitum, quod & sit, & non sit possibile: vt ambulare animal, aut ambulante terræmotum fieri, aut omnino quod à fortuna fit. Nil enim magis sic aptum est natum, quam in contrarium.*

6 *Conuertitur itaque secundum oppositas propositiones vtrunque contingentium, non eodem tamen modo: sed quod aptum natum est esse cum eo, quod est, non ex necessitate inesse: sic enim contingit non canescere hominem: ipsum verò infinitum, cum eo, quod est nihil magis sic, quàm illo modo se habere, aut habitum iri.*

7 *Verum scientia, ac syllogismus demonstratiuus de ipsis quidem infinitis non est, eò quòd inordinatum est medium: de aptis vero natis est. Et ferme rationes, & considerationes fiunt de sic contingentibus: de illis autem accidit quidem fieri syllogismum, non tamen consueuerunt quæri. Hæc igitur magis determinabuntur in sequentibus. Sed nunc dicamus, quando, & quomodo, & quis erit syllogismus ex contingentibus propositionibus.*

5 Vt tradat secundam regulam, diuidit Aristoteles contingens in quantum sumitur pro non necessario. Primo dicitur contingens, quod licet natum sit fieri, & plerunque fiat, tamen aliquando deficit, & hoc vocatur contingens natum: ex. gr. hominem in senectute canescere est contingens, quia secundum naturam est, vt homo in senectute canescat, & ideo plerunque canescit, sed potest aliquando non canescere, ideoque non est necessarium, vt canescat. Rursus secundum naturam hominis est, vt vsque ad certam ætatem crescat, deinde decrescat, sed aliquando accidit oppositum, & ideo contingens est hominem crescere, ac decrescere. Secundo dicitur contingens, quod æqualiter se habet ad esse, ac non esse, & hoc vocatur contingens indefinitum, seu indeterminatum: ex. gr. contingens est hominem ambulare, quia homo fere æqualiter se habet ad ambulandum, & non ambulandum, & ideo aliquando ambulat, aliquando non ambulat. Rursus contingens est, quod ambulante homine fiat, vel non fiat terræmotus, & accidant alia fortuita, & casualia.

6 Secunda ergo regula est: propositiones de contingenti tum nato, tum indefinito conuertuntur in propositiones de dicto opposito, sed cum hoc discrimine, quod propositiones de contingenti nato affirmatiuæ de modo, & dicto conuertuntur in negatiuas dicti, sumendo contingens non pro nato, sed pro purè nõ necessario; at propositiones affirmatiuæ quoad modum, & dictum de contingenti indefinito conuertuntur in negatiuas de dicto, sumendo contingens in eodem sensu.

Probatur, & explicatur. Hæc propositio; *contingens est hominem in senectute canescere*, conuertitur in hanc, *contingens est hominem in senectute non canescere*; at non eodem modo est contingens hominem canescere, ac non canescere. Nam hominem canescere est contingens natum, cum homo ex natura sua debeat canescere, & plerumque canescat; at hominem non canescere ita est contingens, vt non sit contingens natum, ideoque raro non canescit, & præter ordinem rerum. At hæc propositio *contingit hominem ambulare*, conuertitur in hanc; *ergo contingit non ambulare*, sumendo contingens eodem modo, pro contingenti indefinito.

7 Addit Aristoteles, quod de contingenti indefinito non datur scientia, neque demonstratio, quia sicut non habet causam determinatam, ita non habet medium determinatum, per quod demonstretur. At de contingenti nato potest fieri demonstratio, præsertim physica, quæ est de effectibus naturalibus, qui accidunt plerunque, & per se, licet per accidens, & raro possint impediri: imo pleræque orationes, & considerationes sunt de contingenti nato. De contingenti indefinito potest fieri syllogismus, sed non solet fieri. Ratio est, quia syllogismus non fit nisi de ijs, quæ quæruntur; sed non solet institui quæstio de contingenti indefinito; ergo neque solet fieri syllogismus de contingenti indefinito. Sed de hoc, quomodo scilicet possit dari demon-

monstratio de contingenti, agendum est in libris Posteriorum. Hic solum est explicandum, quando, & quomodo, & qualis syllogismus fiat ex propositionibus de contingenti.

De Principijs, per quæ regulantur Syllogismi perfecti de contingenti, ac de Syllogismis ex vtraque præmissa de contingenti in prima figura. Caput XIV.

1 *Sed quoniam contingere hoc huic inesse, bifariam erit accipere: aut enim cui inest hoc, aut cui contingit ipsum inesse: A nanque contingere, de quo B, horum alterum significat, aut de quo dicitur B, aut de quo contingit dici: A vero de quo B, vel A contingit omni B, nihil differt: manifestum igitur, quod bifariam dici posset A contingere omni B inesse. Primum igitur dicamus, si de quo B contingit ipsi C, & de quo A ipsi B, quis erit, & qualis syllogismus: sic enim, & propositiones vtraque accipiuntur secundum contingere. Cum vero de quo B inest, A contingat: illa quidem inexistens, illa autem cõtingens. Quare ab ijs, quæ consimilis sunt figuræ incipiendum, quemadmodum & in alijs.*

1 Traditis regulis conuersionum, per quas reducuntur syllogismi imperfecti, explicat Aristoteles, quomodo debeant intelligi duo principia, *contingit omni inesse; contingit nulli inesse,* per quæ regulantur syllogismi perfecti. Vt id explicet, aduertit dupliciter posse intelligi hanc propositionem ex. gr. *contingit album esse musicum*: primus sensus est; *contingit, vt id, quod de facto est album sit musicum;* secundus sensus est, *contingit, vt id, quod potest esse album sit musicum*. Proportionaliter igitur; *contingit omni inesse,* ex.gr. *contingit omnem musicum esse logicum*, dupliciter potest intelligi. Primus sensus est; *contingit vt omnis, qui actu est musicus, sit logicus;* secundus sensus est; *contingit vt omnis, qui potest esse musicus, sit logicus*. Idem proportionaliter dic de propositionibus, in quibus dicitur, *contingit nulli inesse*. Quia ergo, cum dicitur, *contingit, vt omnis, qui est musicus sit logicus,* est quædam mistio contingentis cum inesse, cum verò dicitur, *contingit, vt omnis, qui potest esse musicus, sit logicus*, non est mistio, ideo prius agendum est de syllogismis, in quibus contingens sumitur secundo modo, & sine mistione, deinde de syllogismis, in quibus contingens sumitur primo modo, & cum mistione, sicut prius egimus de syllogismis de necessario tantum, deinde de syllogismis mistis ex altera præmissa de necessario, altera de contingenti.

2 *Quando itaque A omni contingat B: & B omni C: erit syllogismus perfectus, quòd A omni C contingit inesse. Hoc autem manifestum ex definitione: contingere nanque omni inesse sic dicebamus.*

3 *Consimiliter & si A contingit nulli eorum, quæ sunt B: B vero contingit omni C: quòd A contingit nulli C. De quo enim B contingit, A non contingere, hoc erat nullum omittere contingentium, quæ sub B.*

Positis principijs, ex quibus regulantur syllogismi de contingenti, descendit Aristoteles ad explicandos modos tum vtiles, tum inutiles talium syllogismorum: ac primo per aliquas regulas explicat modos primæ figuræ, in quibus vtraque præmissa est de contingenti.

2 Prima ergo regula est: in prima figura sunt duo modi vniuersales perfecti, Barbara nimirum, & Celarent. Probatur: sit enim syllogismus in Barbara; *contingit omnem musicum esse logicum; contingit omnem hominem esse musicum;* sequitur; *ergo contingit omnem hominem esse logicum*. Patet: ex dictis enim num. 1. sensus maioris est, *omne quod potest esse musicum, contingit vt sit logicum;* cum igitur in minori assumatur; *contingit omnem hominem esse musicum;* seu *omnis homo potest esse musicus*, sequitur, quod contingit omnem hominem esse logicum; alioquin non esset verum de omni, quod potest esse musicum, quod contingit vt sit logicum, siquidem posset sumi aliquid, quod posset esse musicum, & non posset esse logicum.

3 Rursus sit syllogismus in Celarent; *contingit nullum musicum esse logicum; contingit omnem hominem esse musicum;* sequitur; *ergo contingit nullum hominem esse logicum*. Cum enim sensus maioris sit, contingit

tingit nullum, qui potest esse musicus, esse logicum; & in minori assumatur omnem hominem posse esse musicum; sequitur, quod contingit nullum hominem esse logicum; alioquin non contingeret nullum, qui possit esse musicus, esse logicum, siquidem posset sumi aliquis homo, qui posset esse musicus, cui non contingeret negatio logici.

4 *Cùm verò A omni B contingat: B vero nulli contingat C: per sumptas quidem propositiones nullus fit syllogismus. Conversa autem B C secundum contingere, idem erit, qui prius. Nam quoniam contingit B nulli C inesse, contingit & omni inesse. Hoc autem dictum est prius. Quare quoniam B omni C: A vero omni B: rursus idem efficietur syllogismus.*

5 *Consimiliter & si ad vtrasque propositiones negatio ponatur cum eo, quod est contingere. Dico autem, veluti si A nulli contingit B: & B nulli C. Per sumptas enim propositiones nullus fit syllogismus: conuersis vero, rursus idem erit qui prius. Planum itaque, quòd negatione posita ad minus extremum, vel ad vtrasque propositiones, aut non fit syllogismus, aut fit quidem, sed non perfectus: ex conuersione nanque concluditur necessarium.*

4 Secunda regula est: in prima figura sunt duo modi vniuersales imperfecti: primus si maior sit vniuersalis affirmatiua de dicto, minor vniuersalis negatiua de dicto: secundus si vtraque sit vniuersalis negatiua de dicto. Probatur: dicatur enim; *contingit omnem musicum esse logicum*; *contingit nullum hominem esse musicum*; sequitur; *ergo contingit omnem hominem esse logicum.* Licet enim cum minor sit negatiua, homo non sumatur sub musico, adeoque non sit syllogismus perfectus, & regulatus immediatè per dictum de omni, tamen vt dictum est cap. 13. num. 4. propositiones de contingenti possunt conuerti in propositiones de dicto opposito; ergo hæc minor negatiua, *contingit nullum hominem esse musicum*, conuertitur in hanc: *contingit omnem hominem esse musicum*; sed facta tali conuersione argumentum erit in Barbara; ergo si maior sit affirmatiua, minor negatiua, sequitur conclusio affirmatiua, & fit syllogismus imperfectus reducibilis ad Barbara.

5 Rursus fiat syllogismus ex vtraque negatiua, & dicatur: *contingit nullum musicum esse logicum*; *contingit nullum hominem esse musicum*; sequitur; *ergo contingit nullum hominem esse logicum*; conuertendo enim minorem in affirmatiuam de dicto argumentum erit in Celarent; conuertendo vtramque propositionem, argumentum erit in Barbara; & infertur hæc conclusio; *ergo contingit omnem hominem esse logicum*, quæ conuertitur in hanc; *ergo contingit nullum hominem esse logicum*: siquidem propositiones de contingenti affirmatiuæ de modo, & de dicto conuertuntur in negatiuas de dicto, iuxta primam regulam traditam cap. 13. num. 4.

6 *Sin autem hæc quidem propositionum vniuersaliter accepta sit, illa vero in parte, vniuersali posita ad maius extremum, syllogismus erit perfectus. Si enim A omni contingit B: B autem alicui eorum, quæ C contingit: A alicui C contingit. Hoc autem manifestum ex definitione eius, quod est, de omni contingere. Rursus si A contingit nulli B: sed B alicui C contingit inesse: necesse A contingere alicui C non inesse. Demonstratio autem eadem.*

7 *Si vero propositio in parte priuatiua accepta fuerit, vniuersalis autem affirmatiua, positione vero consimiliter se habeant: puta, A omni B contingit: sed B alicui C contingit non inesse: per assumptas quidem propositiones non fit manifestus syllogismus: verum si eam, quæ in parte est, conuerterimus, & ponamus B alicui C contingere inesse, eadem erit conclusio, quæ & prius, quemadmodum in ijs, quæ à principio.*

6 Tertia regula est: in prima figura sunt duo modi particulares perfecti ex vtraque præmissa de contingenti, Darij, nimirum, & Ferio. Probatur: sit enim argumentum in Darij: *contingit omnem musicum esse logicum*; *contingit aliquem hominem esse musicum*; sequitur; *ergo contingit aliquem hominem esse logicum*. Cum enim in maiori de omni, quod potest esse musicum, dicatur contingere vt sit logicum, & in minori assumatur, quod aliquis homo potest esse musicus; sequitur, quod aliquis homo potest esse logicus; alioquin non contingeret omne, quod potest esse musicum esse logicum; siquidem aliquis homo posset esse musicus, & non posset esse logicus.

Rursus

Rursus fit syllogismus in Ferio: *contingit nullum musicum esse logicum; contingit aliquem hominem esse musicum*; sequitur; *ergo contingit aliquem hominem non esse logicum*. Probatur eodem pacto, quia syllogismus regulatur per dictum *nulli contingit*.

7 Quarta regula est: in prima figura si maior sit vniuersalis affirmatiua, minor particularis negatiua, fit syllogismus imperfectus.

Probatur: sit enim syllogismus; *contingit omnem musicum esse logicum; contingit aliquem hominem non esse musicum*; sequitur; *ergo contingit aliquem hominem esse logicum*. Conuertendo enim minorem in propositionem de dicto opposito, ac dicendo; *contingit aliquem hominem esse musicum*, argumentum erit in Darij.

8 *Quòd si quæ ad maius extremum in parte sit accepta, quæ verò ad minus vniuersaliter, siue vtraque affirmatiuæ posita fuerint, siue priuatiuæ, siue non consimilis figuræ, siue vtraeque indefinitæ, aut secundum partem, nullo modo erit syllogismus. Nil enim prohibet B transcendere A, & non prædicari in æquis: Quo autem transcendit A, accipiatur C: huic enim neque omni, neque nulli, neque alicui, non contingit A inesse: siquidem conuertuntur propositiones, quæ secundum contingere, & B pluribus contingit, quàm A inesse. Amplius & ex terminis planum: ita nanque se habentibus propositionibus, primum vltimo & nulli contingit, & omni inesse necessarium. Termini vero communes omnium, quod ex necessitate insit, animal, album, homo: quod non contingat, animal, album, indumentum.*

8 Quinta regula est: in prima figura si maior sit particularis, minor vniuersalis, siue vtraque sit affirmatiua, siue vtraque negatiua, siue altera affirmatiua, altera negatiua, nulla sequitur conclusio, ac proinde neque sequitur conclusio, si vtraque præmissa sit particularis, aut indefinita.

Probatur; dicatur: *contingit aliquod album esse animal; contingit omnem hominem esse album*; non sequitur; *ergo contingit aliquem hominem esse animal; vel non esse animal*; cum omnis homo non ex contingentia, sed ex necessitate sit animal. Rursus dicatur: *contingit aliquod album esse animal; contingit omnem vestem esse album*; non sequitur; *ergo contingit aliquam vestem esse animal; vel non esse animal*, cum omnis vestis non ex contingentia, sed ex necessitate non sit animal. Idem probari potest in terminis allatis variando propositiones omnibus dictis modis, dummodo maior sit particularis. Cum enim propositiones de contingenti sint conuertibiles in propositiones de opposito dicto, variari possunt vt libet. Ratio verò à priori est, quia si maior sit affirmatiua, medium, quod est subiectum, non distribuitur, neque sumitur vniuersaliter; ergo nihil prohibet, vt in minori sumatur aliquid extra medium. Ex. gr. cum dicitur; *contingit, vt aliquod album sit animal*, non sumitur omne album; ergo cum sumitur in minori *contingit, vt omnis homo sit albus*, non sumitur, quod contingit omnem hominem esse aliquod ex illis albis, quæ possunt esse animal, & non esse animal; ergo non sequitur, quod omnis, vel aliquis homo possit esse, vel non esse animal.

9 *Planum itaque, quòd hoc se habentibus modo, nullus fit syllogismus. Aut enim existendi, aut ex necessitate, aut contingendi omnis est syllogismus. Quòd quidem inexistendi, ac necessarij non sit, planum: affirmatiuus enim priuatiuo tollitur: priuatiuus autem affirmatiuo.*

10 *Superest igitur, vt contingendi sit. Hoc autem fieri nequit: monstratum enim est, quòd ita terminis se habentibus, & omni postremo necesse est primum, & nulli contingere inesse. Quare esse non posset contingendi syllogismus: necessarium nanque non erat contingens. Manifestum itaque, & quòd si vniuersaliter termini extiterint in contingentibus propositionibus, semper fit syllogismus in prima figura: & si prædicatiui, & si priuatiui fuerint. Præterquàm quòd si prædicatiui quidem sint perfectus: si vero priuatiui, imperfectus. Accipere autem opus est contingere, non quod in necessarijs, sed secundum dictam determinationem. Plerunque autem latet quod tale est.*

9 Sexta, & vltima conclusio est: si maior in prima figura sit particularis, siue affirmatiua, siue negatiua, quomodocunque se habeat minor, nulla sequitur conclusio.

Probatur, quia omnis conclusio vel est de inesse, vel de necessario, vel de contingenti;

genti; sed si maior est particularis nulla sequitur ex his; ergo &c. Probatur minor, ac primo quod non sequatur vlla conclusio de inesse, vel de necessario: non sequitur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua de inesse, neque de necessario; ergo &c. Probatur antecedens, quia tum non sequitur vlla conclusio affirmatiua de inesse, vel de necessario, quando cum veritate præmissarum potest stare veritas conclusionis vniuersalis negatiuæ de necessario; sed cum veritate præmissarum potest stare veritas vniuersalis negatiuæ de necessario; ergo &c. Probatur minor per instantiam in terminis positis, *animal, album, vestis*: Si enim dicatur, *contingit aliquod album esse animal; contingit omnem vestem esse albam;* non sequitur; *ergo omnis, vel aliqua vestis est animal quomodocunque, vel ex necessitate*, cum necesse sit nullam vestem esse animal. Eodem pacto probatur non sequi conclusionem negatiuam de inesse, vel de necessario, quia cum veritate præmissarũ stare potest veritas vniuersalis affirmatiuæ de necessario, vt patet in terminis, *animal, album, homo*. Si enim dicatur; *contingit aliquod album esse animal; contingit nullum hominem esse album*; non sequitur; *ergo aliquis homo non est animal quomodocunque*, vel ex necessitate, cum omnis homo necessario sit animal.

10 Hinc etiam probatur, quod non sequitur conclusio vlla affirmatiua, vel negatiua de contingenti, quia posita veritate præmissarum potest contingere, vt & vera sit vniuersalis affirmatiua de necessario, & vt vera sit vniuersalis negatiua de necessario; sed vtralibet sit vera, falsa est omnis affirmatiua, vel negatiua de contingenti, cum necessarium non sit contingens; ergo si maior sit particularis in prima figura, non sequitur ex necessitate vlla conclusio de contingenti. Aduertit tamen Aristoteles, quod contingens debet sumi prout neque est necessarium, neque impossibile, iuxta dicta cap. 13. nu. 2. & concludit, quod in prima figura cum vtraque præmissa est vniuersalis, siue sit vtraque affirmatiua, siue vtraque negatiua, siue altera affirmatiua, altera negatiua, semper sit syllogismus.

De syllogismis mistis ex altera præmissa de contingenti, altera de inesse in prima figura. Cap. XV.

1 *Sin autem hæc inesse, illa propositionum accipiatur contingere, cùm quæ ad maius est extremum contingere significet, & perfecti omnes erunt syllogismi, & contingentis secundum determinatam determinationem.*

2 *Cùm vero quæ ad minus, & imperfecti omnes, & priuatiui syllogismi contingentis, non secundum determinationem, sed eius, quod est nulli, aut non omni ex necessitate. Si enim non omni, aut nulli ex necessitate contingere dicimus, & nulli & non omni inesse.*

3 *Contingat nanque A omni B: B vero omni C ponatur inesse: quoniam igitur C est sub B: omni autem B contingit A: planum quòd & C omni contingit. Fit itaque perfectus syllogismus. Consimiliter & si A B propositio extiterit priuatiua: B C vero affirmatiua: & A C quidem contingere: B C autem inesse accipiatur: perfectus erit syllogismus, quòd A contingit nulli C inesse. Quòd igitur si inexistens ad minorem ponatur extremitatem, perfecti fiant syllogismi, manifestum.*

POstquam Aristoteles egit de syllogismis primæ figuræ constantibus ex vtraque præmissa de contingenti, agit de syllogismis eiusdem primæ figuræ constantibus ex altera præmissa de contingenti, altera de inesse; ac primo de vniuersalibus, secundo de particularibus. Circa vniuersales ponit duas regulas, alteram pro modis perfectis, alteram pro imperfectis.

1 Prima regula pro modis perfectis, Barbara nimirum, & Celarent est: si maior fuerit de contingenti, minor affirmatiua de inesse, sequitur conclusio de contingenti strictè sumpto, in quantum contingens est non necessarium, & sit syllogismus perfectus.

2 Secunda regula pro modis imperfectis est: si maior fuerit de inesse, minor de contingenti, sequitur conclusio de contin-

genti latè sumpto, in quantum etiam necessarium dicitur contingens, & fit syllogismus imperfectus.

3 Probatur prima regula: sit enim syllogismus in Barbara: *contingit omne animal moueri; omnis homo est animal*; sequitur; *ergo contingit omnem hominem moueri*; & est syllogismus perfectus, cum reguletur per *dictum de omni*. Si enim *contingit omne animal moueri*, nihil potest sumi, quod sit animal, & non contingat moueri; sed in minori sumitur, quod omnis homo est animal; ergo contingit omnem hominem moueri: & sicut contingens est omne animal moueri, sumendo contingens strictè pro non necessario, sic contingens est omnem hominem moueri, sumendo contingens strictè pro non necessario. Rursus sit syllogismus in celarent: *contingit nullum animal moueri; omnis homo est animal*; sequitur; *ergo contingit nullum hominem moueri*, & est syllogismus perfectus, ac regulatus per *dictum de nullo*. Si enim contingit nullum animal moueri, nihil potest sumi, quod sit animal, quin illi contingat non moueri; sed sumitur in minori, quod omnis homo est animal; ergo omni homini contingit non moueri, adeoque contingit nullum hominem moueri.

4 *Sed quòd dum è contrario se habeat erunt syllogismi, per impossibile monstrandum. Simul autem clarum erit, & quod imperfecti: monstratio nanque non est ex acceptis propositionibus. Caeterùm primo dicendum est, quòd si dum A fuerit, necesse est* B *esse: & dum possibile A extiterit, possibile erit &* B *ex necessitate. Sit enim ita se habentibus, in quo quidem A possibile: in quo autem* B *impossibile.*

5 *Si igitur possibile, quando possibile est esse, vtique fieret, impossibile vero, quando impossibile, fieri nequeat: simul autem si A possibile, &* B *impossibile: contingeret vtique A factum esse sine* B. *Si vero factum esse, & esse: factum nanque, quando factum fuit, est.*

4 Vt probet secundam regulam, quod nimirum si maior sit vniuersalis de inesse, minor de contingenti, sequitur conclusio de contingenti, sed fit syllogismus imperfectus, ponit Aristoteles quoddam principium necessarium ad id demonstrandum. Est autem principium hoc: *quando A, &* B *ita se habent, vt si sit A, ex necessitate sit etiam* B, *neque possit A esse sine* B, *etiam ita se habent, vt si possibile sit A, ex necessitate sit possibile etiam* B, *nec possit A esse possibile, quin etiam* B *sit possibile*: ex. gr. quia homo, & animal ita se habent, vt si sit homo, ex necessitate sit etiam animal, ita etiam se habent, vt si possibilis sit homo, ex necessitate possibile sit etiam animal, neque possit esse possibilis homo, quin sit possibile animal. Illud, ex cuius existentia, sequitur existentia alterius, vocatur antecedens: illud, cuius existentia sequitur ex existentia alterius, vocatur consequens, & principium breuius effertur per hos terminos, *si antecedens est possibile, etiam consequens est possibile.*

5 Probatur: si enim antecedens A ponatur possibile, consequens B non potest esse impossibile; ergo necessario debet esse possibile. Probatur antecedens: quandoquidem enim antecedens A est possibile, potest fieri, & esse; fiat igitur, & sit; adhuc consequens B cum supponatur impossibile neque fiet, neque erit; ergo fiet, & erit A, & non fiet, neque erit B; ergo non est verum, quod A, & B ita se habent, vt si sit A, sit B; adeoque A non est antecedens respectu B; ergo si A est antecedens respectu B, adeoque ita se habent, vt si sit A, ex necessitate sit B, ita etiam se habent, vt si possibile sit A, possibile sit etiam B, adeoque si possibile est antecedens, possibile sit etiam consequens, quod erat demonstrandum.

6 *Verum oportet accipere possibile, atque impossibile, non solum in generatione, sed & in eo, quod est verificari, & inesse, & quotcunque modis aliter dicitur possibile: in omnibus enim consimiliter se habebit.*

7 *Amplius existente A. B esse, non oportet existimare tanquam si vnum esset A. B fore. Nihil nanque est ex necessitate vno quopiam existente, sed duobus minimis: sicuti cum propositiones ita se habeant, veluti dictum est secundum syllogismum. Nam, si C de D: D autem de F: & C de F ex necessitate: & si vtrunque possibile, & conclusio erit possibilis. Ac si quispiam poneret A propositiones, B vero conclusionem, eueniret posset non solum A necessario existente, simul & B esse necessarium, sed & possibili possibile.*

8 *Hoc autem monstrato, planum, quòd*

fal-

falso supposito, & non impossibili . & conclusio propter suppositionem falsa erit, & non impossibilis. Veluti si A falsum quidem est, non tamen impossibile: cùm vero A sit, B est: & B erit falsum quidem, non tamen impossibile. Quoniam monstratum est, quod A existente, B est: & possibili existente A, erit B possibile: suppositum autem est A possibile esse, & B erit possibile. Si enim impossibile, simul possibile erit, & impossibile idem.

Demonstrato posito principio, Aristoteles primo explicat, quo pacto in eo principio sumatur possibile, & impossibile: secundo quid intelligatur nomine antecedentis: tertio infert quoddam corollarium: quarto demum per illud principium probat regulam positam num.2.

6 Quoad primum: possibile in principio posito debet sumi latissimè, in quantum possibile dicitur non solum id, quod potest generari, sed id, de quo quomodocunque potest verificari, quod sit, etiam si necessario sit, in quo sensu etiam Deus dicitur possibilis: impossibile verò sumitur pro eo, de quo verificari non potest, quod sit.

7 Quoad secundum: nomine antecedentis, quod vocatur A., ex quo sequitur ex necessitate consequens, quod vocatur B, non intelligitur solum vna propositio, sed etiam duæ propositiones, & duæ præmissæ syllogismi. Cum enim consequens non sequatur syllogisticè nisi ex duabus præmissis, antecedens, ex quo necessario, & syllogisticè sequitur consequens, comprehendit duas ad minimum præmissas. Si igitur vtraque præmissa est necessaria, etiam conclusio est necessaria; & si vtraque præmissa est possibilis, etiam conclusio est possibilis: ex. gr. si necesse est, vt animal sit corpus, & homo sit animal, sequitur ex necessitate, quod necesse est, vt homo sit corpus: si verò possibile est, vt animal sit corpus, & vt homo sit animal, sequitur ex necessitate, vt possibile sit, quod homo sit corpus. Duæ enim præmissæ sunt antecedens, quod ponitur possibile, & vocatur A; ergo etiam conclusio est possibilis, cum sit consequens, quod vocatur B.

8 Quoad tertium: ex his infert Aristoteles corollarium: si antecedens sit falsum, sed non impossibile, consequens poterit quidem esse falsum, sed non poterit esse impossibile. Demonstratur: si antecedens est falsum, & non impossibile, est possibile; sed si antecedens est possibile, etiam consequens est possibile; ergo si antecedens est falsum, & possibile, etiam consequens est possibile, adeoque non est impossibile, alioquin esset simul possibile, & impossibile.

9 *Determinatis vero his, insit A omni B: B autem omni C contingat: necesse itaque A omni C contingere inesse. Non enim contingat: B vero omni C ponatur tanquam inexistens: hoc falsum quidem, non tamen impossibile. Si itaque A non contingit ipsi C: B vero omni inest C: A non omni B contingit: fit enim syllogismus per tertiam figuram. Verum suppositum fuerat omni contingere inesse: necesse igitur A omni C contingere. Falso enim supposito, & non impossibili, quod accidit est impossibile.*

10 *Verum & per primam figuram licet facere impossibile, ponentes B inesse ipsi C. Si enim B omni C inest: A vero omni B contingit: & C omni contingeret vtique A, sed fuerat suppositum non omni contingere.*

11 *Sumere vero oportet omni inesse non secundum tempus determinantes, puta nunc, aut in hoc tempore, sed simpliciter: nanque per has propositiones, & syllogismos facimus. Quoniam, si propositio secundum nunc accipiatur, non erit syllogismus. Nihil enim fortasse prohibet, aliquando omni moto hominem inesse, veluti si nil aliud moueretur: motum vero contingit omni equo: sed hominem nulli equo inesse contingit.*

Præterea sit primum animal, medium motum, vltimum vero homo. Propositiones itaque consimiliter se habebunt, conclusio vero necessaria, non contingens: ex necessitate enim homo animal. Manifestum itaque, quòd vniuersale accipere oportet simpliciter, & non tempore determinantes.

9 Quoad quartum, probat Aristoteles, quod si maior sit vniuersalis de inesse, minor vniuersalis de contingenti, sequatur conclusio de contingenti. Primo enim sit vtraque præmissa affirmatiua, & dicatur in Barbara; *omnis homo est albus*; *contingit omne vigilans esse hominem*; sequitur; *ergo contingit omne vigilans esse album*. Probatur primo, quia si præmissæ sint veræ, &

conclusio falsa, ex falso, & non impossibili sequitur impossibile, quod est contra corollarium iam demonstratum numero 8.; ergo &c. Probatur antecedens: si enim falsa est hæc conclusio; *contingit omne vigilans esse album*, vera est contradictoria, *non contingit omne vigilans esse album*, & illi æquipollens, *impossibile est omne vigilans esse album*; & si minor posita *contingit omne vigilans esse hominem* est vera, hæc propositio de inesse, *omne vigilans est homo*, potest quidem esse falsa, sed non potest esse impossibilis; ergo si maior, & minor positi argumenti in Barbara sunt veræ, & conclusio falsa, sequitur, quod posita maiori vera, & minori falsa quidem, sed possibili, sequitur conclusio impossibilis: ex. gr. ex his præmissis, *omnis homo est albus; omne vigilans est homo;* sequitur hæc conclusio; *ergo omne vigilans est album*, quæ conclusio est impossibilis, si falsa est hæc propositio: *contingit omne vigilans esse album;* ergo si in Barbara maior sit de inesse, minor de contingenti, sequitur conclusio de contingenti.

10 Probatur secundo, quod ex illis præmissis, *omnis homo est albus; contingit omne vigilans esse hominem*, sequitur; *ergo contingit omne vigilans esse album*. Si enim est vera illa minor, *contingit omne vigilans esse hominem*, hæc minor de inesse, *omne vigilans est homo*, potest quidem esse falsa, sed non impossibilis; sed ex hac cum maiori posita, quæ supponitur vera, fit syllogismus in Barbara; *omnis homo est albus; omne vigilans est homo*; ergo conclusio, quæ sequitur, *omne vigilans est album*, potest esse falsa, sed non impossibilis; ergo est possibilis; ergo possibile, & contingens est omne vigilans esse album; ergo ex his præmissis; *omnis homo est albus; contingit omne vigilans esse hominem;* sequitur; *ergo contingit omne vigilans esse album;* ergo in prima figura, & in Barbara ex maiori de inesse, minori de contingenti, sequitur conclusio de contingenti, adeoque fit syllogismus, sed imperfectus, cum necessitas conclusionis non pateat ex præmissis assumptis, sed debeat probari per aliud principium iam positum, quod ex possibili non potest necessario sequi imposibile.

11 Aduertit tamen Aristoteles, quod ad hoc, vt in Barbara ex maiori de inesse, minori de contingenti, sequatur conclusio de contingenti, maior de inesse debet esse vera non solum pro tempore determinato, sed præscindendo à tempore. Probatur: quia si maior sit vera solum pro tempore determinato, potest vtraque præmissa esse vera, & conclusio falsa; ergo conclusio non sequitur ex necessitate. Probatur antecedens: dicatur enim; *omne quod de facto mouetur est homo; contingit omnem equum moueri*; etiam si vtraque præmissa sit vera, non sequitur; *ergo contingit omnem equum esse hominem*, cum impossibile sit vllum equum esse hominem. Rursus si dicatur: *omne, quod mouetur est animal; contingit omnem hominem moueri*; non sequitur; *ergo contingit omnem hominem esse animal*, sumendo contingens strictè pro non necessario, cum necesse sit omnem hominem esse animal; ergo vt sequatur conclusio de contingenti, maior de inesse debet esse vera præscindendo à tempore, vt patet ex prima instantia, & non semper sequitur conclusio de contingenti stricte, vt patet ex secunda instantia.

12 *Rursus sit priuatiua vniuersaliter propositio A B: & sumptum sit A inesse nulli B: B vero omni contingat C inesse: his itaque positis, necesse est A contingere nulli C inesse. Non enim contingat: & B ponatur inesse C, quemadmodum prius: necesse itaque A alicui eorum, quæ B inesse: fit enim syllogismus per tertiam figuram. Hoc autem impossibile. Quare contingeret vtique A nulli C inesse. Falso enim posito, impossibile quod accidit.*

13 *Hic igitur syllogismus non est contingentis secundum determinationem, sed eius, quod est nulli ex necessitate. Hæc enim est contradictio factæ suppositionis: suppositum enim est, A alicui C inesse. Syllogismus vero ad impossibile oppositæ est dictionis.*

14 *Amplius & ex terminis manifestum, quòd non erit conclusio contingens. Sit enim in quo A coruus: in quo B discurrens: in quo C homo. Nulli itaque B. A inest: nullum enim discurrens coruus: B vero omni contingit C: omni enim homini discurrere: sed A ex necessitate nulli C. Non igitur conclusio contingens. Sed neque necessaria semper. Sit enim A motum, B scientia, in quo autem C homo. A igitur nulli inerit B: B vero omni C contingit: & non est conclusio necessaria. Non enim necesse nullum moueri hominem, sed non necesse aliquem.*

quem. Planum itaque, quòd conclusio est eius, quod est nulli ex necessitate inesse. Accipiendi vero melius sunt termini.

15 *Sed si priuatiuum ad minorem ponatur extremitatem contingere significans, ex ipsis quidem acceptis propositionibus nullus erit syllogismus: conuersa autem secundum contingere propositione, erit quemadmodum in prioribus. Insit enim A omni B. B vero contingat nulli: sic igitur se habentibus terminis, nihil erit necessarium. Si autem conuertatur B C, & accipiatur B omni C contingere, fit syllogismus, quemadmodum prius. Nam consimiliter termini positione se habebunt.*

16 *Sed eodem modo & cum priuatiua extiterint vtraque interualla, si A. B quidem non insit: B vero contingere C nulli accidit: per ipsa quidem accepta fit non necessarium, sed propositione conuersa, quæ est secundum contingere, erit syllogismus. Accipiatur enim A quidem nulli eorum, quæ sunt B inesse: B vero contingat nulli C: per hæc igitur nihil necessarium. Quod si accipiatur B contingere omni C, quod est verum: A B autem propositio similiter se habeat: rursus idem erit syllogismus.*

12 Eodem pacto probatur, quod si maior sit vniuersalis negatiua de inesse, minor vniuersalis affirmatiua de contingenti, adeoque fiat syllogismus in Celarent, sequitur conclusio de contingenti. Dicatur enim; *nullus homo est albus; contingit omnem vigilantem esse hominem*; sequitur; *ergo contingit nullum vigilantem esse album.* Si enim conclusio est falsa, non contingit, adeoque impossibile est omnem vigilantem esse album; addatur minor de inesse falsa, sed possibilis; *omne vigilans est homo*; sequitur in tertia figura; *ergo non contingit, seu impossibile est aliquem hominem esse album*; sed si vera est maior de inesse, *omnis homo est albus*, non solum est falsum, sed etiam impossibile, quod impossibile sit aliquem hominem esse album; ergo si præmissæ sunt veræ, conclusio falsa, ex falso, sed possibili, sequitur impossibile, quod est absurdum; ergo si præmissæ sunt veræ, conclusio est vera; ergo in Celarent ex maiori de inesse, minori de contingenti, sequitur necessario conclusio de contingenti, adeoque fit syllogismus, sed imperfectus, cum necessitas conclusionis pateat aliunde.

13 Addit Aristoteles, quod licet ex maiori de inesse, minori de contingenti, sequatur conclusio de contingenti, non sequitur conclusio de contingenti strictè sumpto, in quantum contingens est, quod potest esse, & non esse, sed de contingenti latè sumpto, in quantum contingens dicitur, quod quomodocumque est possibile, seu non impossibile. Probatur dupliciter: primo illud contingens concluditur, ex cuius opposito sequitur impossibile; sed impossibile sequitur ex opposito contingentis latè sumpti, non autem strictè sumpti; ergo &c. Probatur minor: sequitur enim, quod si falsa est hæc conclusio, *contingit omnem vigilantem esse album*, vera est contradictoria, *non contingit, seu impossibile est omnem vigilantem esse album*; sed hæc contradicit solum affirmatiuæ de contingenti latè sumpto, non autem affirmatiuæ de contingenti strictè sumpto, nam inter contingens strictè sumptum, & impossibile datur medium, quod neque est contingens ad vtrumlibet, neque est impossibile, sed necessarium; ergo contingens, quod infertur, & ex cuius contradictorio sequitur impossibile, est contingens latè sumptum.

14 Secundo probatur, quia potest esse vera maior vniuersalis negatiua de inesse, minor vniuersalis affirmatiua de contingenti, & tamen conclusio de contingenti strictè sumpto esse falsa; ergo non sequitur ex necessitate conclusio de contingenti strictè sumpto. Probatur antecedens formando argumentum in his terminis; *coruus, intelligens, homo.* Dicatur, *nullum intelligens actu est coruus; contingit omnem hominem esse actu intelligentem; ergo contingit nullum hominem esse coruum;* præmissæ sunt veræ, & tamen conclusio de contingenti strictè sumpto pro non necessario est falsa, cum necessarium sit nullum hominem esse coruum; ergo non sequitur conclusio de contingenti strictè sumpto. Neque etiam sequitur conclusio de necessario, vt patet in his terminis, *motus, scientia, homo*. Si enim dicatur; *nullum actu sciens mouetur; contingit omnem hominem esse actu scientem;* non sequitur; *ergo necesse est omnem hominem moueri*, cum conclusio sit falsa, præmissæ sint veræ; ergo ex maiori vniuersali negatiua de inesse, minori vniuersali affirmatiua de contingenti, sequitur conclusio de contingenti abstrahendo ab hoc, quod sit contingens latè, vel strictè, quod contingens coincidit cum possibili. Verum quia in hoc exemplo maior est de inesse pro tem-

pore determinato, dicit Aristoteles, quod possunt etiam sumi termini, in quibus maior sit de inesse pro semper, vt si dicatur; *nullum sedens est ambulans; contingit omnem hominem sedere; ergo contingit nullum hominem ambulare;* nam maior est semper vera, & tamen conclusio non est de necessario, cum non sit necessarium nullum hominem ambulare.

15 Tertio si maior sit vniuersalis affirmatiua de inesse, minor vniuersalis negatiua de contingenti, fit syllogismus imperfectus, in quo sequitur conclusio de contingenti. Dicatur enim: *omne sedens quiescit; contingit nullum hominem sedere;* sequitur; *ergo contingit omnem hominem quiescere.* Ex dictis enim cap.13. num.6. propositio de contingenti potest conuerti in propositionem de dicto opposito; ergo hæc minor, *contingit nullum hominem sedere*, conuerti potest in hanc, *contingit omnem hominem sedere*; sed facta hac conuersione, maior erit vniuersalis affirmatiua de inesse, minor vniuersalis affirmatiua de contingẽti, iuxta quem modum sequitur conclusio de contingenti, vt dictum est num.9.; ergo ex maiori vniuersali affirmatiua de inesse, minori vniuersali negatiua de contingenti, fit syllogismus imperfectus, in quo sequitur necessario conclusio de contingenti.

16 Quarto eodem pacto probatur, quod si vtraque sit vniuersalis negatiua, maior de inesse, minor de contingenti, fit syllogismus imperfectus, in quo sequitur conclusio de contingenti. Dicatur enim: *nullum sedens mouetur; contingit nullum hominem sedere;* sequitur; *ergo contingit nullum hominem moueri.* Minor enim negatiua de dicto potest conuerti in hanc affirmatiuam de dicto, *contingit omnem hominem sedere*; sed facta hac conuersione erit syllogismus constans ex maiori vniuersali negatiua de inesse, minori vniuersali affirmatiua de contingenti, in quo sequitur conclusio de contingenti, vt iam explicatum est num.12.; ergo &c.

17 *Si vero non inesse ponatur B ipsi C, & non contingere non inesse, non erit syllogismus nullo modo, neque cum priuatiua, neque cum affirmatiua fuerit A B propositio. Termini communes, quòd ex necessitate insit, album, animal, nix: quòd non contingat, album, animal, pix. Planum itaque, quòd si termini vniuersales extiterint, & hæc inexistens, illa propositionum contingens accipiatur: quando propositio, quæ ad minorem extremitatem, contingere accipiatur, semper fit syllogismus: præterquam quòd aliquando quidem ex ipsis, nonnunquam vero ex conuersa propositione. Quando autem horum vterque, & quam ob causam, diximus.*

17 Traditis, & probatis duabus regulis circa modos vtiles vniuersales, tradit Aristoteles tertiam regulam circa vniuersales inutiles, quæ regula est: in prima figura ex maiori vniuersali affirmatiua, vel negatiua de contingenti, minori verò vniuersali negatiua de inesse, non sequitur conclusio de contingenti. Probatur, quia neque sequitur conclusio de dicto negatiuo, neque de affirmatiuo; ergo &c. Probatur, quod non sequatur conclusio de dicto negatiuo: possunt enim esse veræ præmissæ, & falsa omnis conclusio de dicto negatiuo, vt patet in his terminis, *album, animal, nix*: si enim dicatur, *contingit omne animal esse album*; vel *contingit nullum animal esse album; nulla nix est animal*; non sequitur; *ergo contingit nullam, vel aliquam niuem esse albam*, cum omnis nix ex necessitate sit alba. Probatur, quod non sequatur vlla conclusio de dicto affirmatiuo in his terminis, *album, animal, pix*. Si enim dicatur; *contingit omne animal esse album, vel nullum animal esse album; nulla pix est animal;* non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquam picem esse albam*; cum nulla pix possit esse alba; ergo cum possint esse veræ præmissæ, & falsa omnis conclusio de contingenti, ex maiori vniuersali affirmatiua, vel negatiua de contingenti, minori vniuersali negatiua de inesse, non sequitur ex necessitate vlla conclusio de contingenti. Concludit Aristoteles epilogando dicta: dictum est enim, quod cum in prima figura vtraque præmissa est vniuersalis, si maior sit de inesse, minor de contingenti, semper fit syllogismus, licet aliquando imperfectus, & explicatum est quo pacto imperfectus perficiatur, vel per reductionem ad impossibile, vel per conuersionem.

18 *Quòd si hoc vniuersaliter, illud vero interuallorum accipiatur in parte, quando quod ad maius est extremum, vniuersaliter ponatur & contingens, seu negatiuum, siue affirmatiuum: quod vero in parte, affirmatiuum & inexistens, erit syllogismus perfectus, quemadmodum & vniuersaliter terminis*

minis existentibus. Demonstratio autem eadem, quæ & prius.

19 *Cæterum quando vniuersale quidem sit ad maius extremum, sed inexistens, non contingens, alterum verò in parte, & contingens, seu negatiua, siue affirmatiua ponantur vtræque, siue hæc negatiua, illa affirmatiua, omnino erit syllogismus imperfectus, præterquam quòd hi quidem per impossibile monstrabuntur, illi vero per conuersionem eius, quod est contingere, quemadmodum in præcedentibus. Erit autem syllogismus per conuersionem, & quando vniuersalis ad maius posita extremum significet inesse, aut non inesse, quæ vero in parte priuatiua existent, contingere accipiat. Quemadmodum si A omni quidem inest, aut non inest B: B autem alicui C contingit non inesse. Conuersa enim B C secundum contingere, fit syllogismus.*

Positis regulis circa syllogismos vniuersales vtiles, & inutiles, ponit Aristoteles regulas circa syllogismos vtiles, & inutiles constantes ex altera præmissa vniuersali, altera particulari, vel ex vtraque particulari.

18 Quarta ergo regula pro syllogismis vtilibus perfectis est: in prima figura si maior sit vniuersalis affirmatiua, vel negatiua de contingenti, minor particularis affirmatiua de inesse, sequitur conclusio de contingenti, & fit syllogismus perfectus.

Probatur: sit enim syllogismus in Darij, vel Ferio, & dicatur; *contingens est omnem hominem, vel nullum hominem dormire; aliquod animal est homo*; sequitur; *ergo contingens est aliquod animal dormire, vel non dormire*. Probatur eodem pacto, quo nu. 3. in prima regula probatum est de similibus syllogismis in Barbara, & Celarent, ex eo, quod regulentur dicto de omni, & dicto de nullo: & sicut ibi probatum est, quod syllogismi in Barbara, & Celarent sunt perfecti, sic probatur, quod syllogismi in Darij, & Ferio sunt perfecti.

19 Quinta regula pro syllogismis vtilibus imperfectis est: in prima figura si maior sit vniuersalis de inesse, minor particularis de contingenti, siue vtraque sit affirmatiua, siue vtraque negatiua, siue maior affirmatiua, minor negatiua, siue maior negatiua minor affirmatiua, sequitur conclusio de contingenti, aliquando perfectibilis per reductionem ad impossibile, aliquando per conuersionem. Per reductionem ad impossibile perficiuntur duo modi, in quibus minor est particularis affirmatiua de contingenti, siue maior sit vniuersalis affirmatiua, siue negatiua: duo alij modi in quibus minor est particularis negatiua, maior verò vniuersalis affirmatiua, vel negatiua, perficiuntur per conuersionem minoris ex negatiua circa dictum in affirmatiuam, & deinde per reductionem ad impossibile. Ex.gr. sequens syllogismus; *omnis, vel nullus homo vigilat; contingit aliquod album non esse hominem; ergo contingit aliquod album non vigilare*; perficitur conuertendo minorem in hanc de dicto affirmatiuo; *contingit aliquod album esse hominem*, & deinde reducendo ad impossibile, sicut explicatum est tradendo secundam regulam de syllogismis, quorum minor est vniuersalis negatiua de contingenti.

20 *Sed quando quæ secundum partem ponitur non inesse accipiat, non erit syllogismus. Termini quod insit, album, animal, nix: quod non insit, album, animal, pix. Per indefinitum namque sumenda est demonstratio.*

21 *Si autem vniuersale ad minus ponatur extremum, quod vero in parte ad maius, siue priuatiuum, seu affirmatiuum, vel contingens, aut inexistens quomodocunque, nullo pacto erit syllogismus.*

22 *Neque quando in parte, aut indefinitæ ponantur propositiones, seu contingere accipientes, siue inesse, aut vicissim, neque sic erit syllogismus. Demonstratio vero eadem, quæ & in prioribus. Termini communes, quòd insit ex necessitate, animal, album, homo: quòd non contingat, animal, album, indumentum.*

23 *Planum itaque, quòd si vniuersale ad maius ponatur extremum, semper fit syllogismus: si vero ad minus, nullus vnquam.*

20 Sexta regula pro modis inutilibus, quorum maior est vniuersalis, minor particularis est: in prima figura si maior sit vniuersalis affirmatiua, vel negatiua de contingenti, minor particularis negatiua de inesse, non sequitur vlla conclusio de contingenti, neque fit syllogismus.

Probatur, quia ex minori particulari de inesse nulla sequitur conclusio affirmatiua, vel negatiua de contingenti; ergo &c.

Quod non sequatur negatiua patet in his terminis, *album*, *animal*, *nix*. Si enim dicatur: *contingit omne, vel nullum animal esse album*; *aliqua nix non est animal*; non sequitur; *ergo contingit nullam niuem esse albam*; *vel aliquam niuem non esse albam*, cum ex necessitate omnis nix sit alba. Quod non sequatur affirmatiua, patet in his terminis: *album*, *animal*, *pix*. Si enim dicatur; *contingit omne, vel nullum animal esse album*; *aliqua pix non est animal*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquam picem esse albam*, cum necesse sit nullam picem esse album. Licet verò particularis negatiua ita sit vera, vt etiam sit vera vniuersalis negatiua, tamen hoc non obstat demonstrationi, vt in simili probatum est cap. 7. num. 12. ex eo, quod adhuc vtraque præmissa possit esse vera, & conclusio esse falsa.

21 Septima regula est: in prima figura si maior sit particularis, minor vniuersalis, quomodocunque combinentur secundum affirmationem, vel negationem, & secundum hoc, quod sint de contingenti, vel de inesse, nihil sequitur, & non fit syllogismus.

22 Octaua regula est: si in prima figura vtraque præmissa sit particularis, quomodocunque combinentur secundum affirmationem, & negationem &c. nihil sequitur, & non fit syllogismus. Probatur, quia non sequitur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua; ergo &c. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua patet in his terminis, *animal*, *album*, *homo*. Quomodocunque enim combinentur, præmissæ erunt veræ, & conclusio negatiua, qua dicatur; *ergo contingit omnem, vel aliquem hominem non esse animal*, erit falsa, cum ex necessitate omnis homo sit animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *animal*, *album*, *tunica*. Quomodocunque enim combinentur dicendo; *aliquod album non est animal*; *aliqua tunica est alba &c.* nunquam sequetur; *ergo contingit omnem, vel aliquam tunicam esse animal*, cum necesse sit nullam tunicam esse animal.

23 Concludit Aristoteles, quod in prima figura cum altera est vniuersalis, altera particularis, si maior sit vniuersalis semper fit syllogismus; si verò maior sit particularis nunquam fit syllogismus.

De syllogismis ex altera præmissa de necessario, altera de contingenti in prima figura. Cap. XVI.

1 *Cum vero hæc quidem propositionum ex necessitate inesse, aut non inesse, hæc autem contingere significet, syllogismus quidem erit, eodem modo se habentibus termi-*
2 *nis * Et perfectus, quando ad minorem extremitatem ponatur necessarium.*
3 *Conclusio vero, si termini fuerint prædicatiui, erit eius, quod est contingere, & non eius, quod est inesse, & vniuersaliter, & non vniuersaliter positis.*
4 *Sed cùm hoc quidem affirmatiuum sit, illud vero priuatiuum, quando affirmatiuum quidem necessarium sit, eius, quod est contingere, & non eius, quod est non inesse: cùm vero priuatiuum, & eius, quod est contingere non inesse, & non inesse, & vniuersalibus, & non vniuersalibus terminis existentibus.*
5 *Contingere autem in conclusione eodem pacto accipiendum, quo & in prioribus. Eius vero, quod est ex necessitate non inesse, non erit syllogismus. Alterum enim est, non ex necessitate inesse, & ex necessitate non inesse.*

1 Postquam Aristoteles egit de syllogismis primæ figuræ constantibus ex altera præmissa de contingenti, altera de inesse; agit de syllogismis constantibus ex altera præmissa de necessario, altera de contingenti. Præmittit, quod sicut si altera præmissa sit de contingenti, altera de inesse, aliquando fit syllogismus perfectus, aliquando imperfectus, aliquando nullus fit syllogismus, vt explicatum est; sic proportionaliter si altera præmissa sit de necessario, altera de contingenti, aliquando termini, & propositiones ita disponuntur, vt fiat syllogismus perfectus, vel imperfectus, aliquando ita disponuntur, vt nullus fiat syllogismus, nec sequatur vlla conclusio.

2 Prima ergo regula pro modis perfectis est: in prima figura si maior sit vniuersalis affirmatiua, vel negatiua de contingenti,

genti, minor vniuersalis, vel particularis affirmatiua de necessario, fit syllogismus perfectus: ex. gr. si dicatur, *contingit omne animal moueri; necesse est omnem hominem esse animal*; est syllogismus perfectus in Barbara, & sequitur; *ergo contingit omnem hominem moueri*. Idem dic in exemplis, quæ possunt afferri in Celarent, Darij, & Ferio. Probatur autem, quia omnes isti syllogismi regulantur per *contingit omni, aut nulli inesse*.

3 Secunda regula ad explicandum, quæ conclusio sequatur ex modis affirmatiuis est: si vtraque præmissa fit affirmatiua, & maior vniuersalis de contingenti, minor vniuersalis, vel particularis de necessario, sequitur conclusio de contingenti, non verò de inesse, neque de necessario: ex. gr. si dicatur in Barbara; *contingit omne animal moueri; necesse est omnem hominem esse animal*; sequitur; *ergo contingit omnem hominem moueri*, non verò sequitur; *ergo omnis homo mouetur*, neque *omnis homo necessario mouetur*. Similiter in Darij si dicatur; *contingit omne animal moueri; necesse est aliquod viuens esse animal*; sequitur; *ergo contingit aliquod viuens moueri*; non vero sequitur; *ergo aliquod viuens mouetur*, neque; *ergo necesse est aliquod viuens moueri*.

4 Tertia regula ad explicandum, quæ conclusio sequatur in modis negatiuis est: si altera præmissarum fuerit negatiua, altera affirmatiua, si affirmatiua fuerit de necessario, conclusio erit solum de contingenti, non verò de inesse, neque de necessario; si verò negatiua fuerit de necessario, conclusio erit & de contingenti, & de inesse: ex. gr. si dicatur in Celarent, *contingit nullum animal dormire; necesse est omnem hominem esse animal*; sequitur; *ergo contingit nullum hominem dormire*; at non sequitur; *ergo nullus homo dormit*, multo minus sequitur; *ergo necesse est nullum hominem dormire*. Idem dic exemplificando in Ferio. At si dicatur; *necesse est nullum animal esse plantam; contingit aliquod album esse animal*; sequitur duplex conclusio, nimirum; *ergo contingit aliquod album non esse plantam*; *ergo aliquod album non est planta*.

5 Quarta demum regula ad explicandum, quando nam contingens, quod sequitur, sumendum sit latè, vel strictè est: in modis perfectis sequitur conclusio de contingenti strictè sumpto pro eo, quod potest esse, & non esse; in modis imperfectis sequitur conclusio de contingenti latè sumpto pro possibili, abstrahendo ab hoc, quod possit esse, vel non esse, & ab hoc, quod necessario sit, proportionaliter ad dicta quæstione præcedenti de modis perfectis, & imperfectis ex altera propositione de contingenti, altera de inesse: ex. gr. in hoc syllogismo perfecto in Barbara; *contingit omne animal moueri; necesse est omnem hominem esse animal*; sequitur; *ergo contingit omnem hominem moueri*, sumendo contingens strictè, ita vt sensus sit, *possibile est omnem hominem moueri, & non moueri*. At in syllogismis imperfectis, contingens sumitur latè pro possibili, vt patebit inferius.

6 *Quòd itaque si termini affirmatiui extiterint, non fit conclusio necessaria, planum. Insit namque A omni B ex necessitate: B autem contingat omni C: erit vtique syllogismus imperfectus, quòd A contingit omni C inesse. Quòd autem imperfectus, ex demonstratione manifestum: nam eodem monstrabitur pacto, quo & in prioribus.*

7 *Rursus A contingat omni B inesse: B verò omni C insit ex necessitate: erit vtique syllogismus, quòd A omni contingit C inesse: sed non quòd insit. Et perfectus, non autem imperfectus: statim namque perficitur per propositiones, quæ à principio.*

6 Positis regulis, accedit Aristoteles ad determinandas coniugationes vtiles; & primo determinat vniuersales affirmatiuas; secundo vniuersales negatiuas; tertio particulares. Si igitur vtraque præmissa sit affirmatiua sunt duo modi vtiles, alter imperfectus, si maior sit de necessario, minor de contingenti; alter perfectus, si maior sit de contingenti, minor de necessario. Probatur, quod si maior sit de necessario, minor de contingenti, sequatur conclusio de contingenti. Si enim dicatur; *necesse est omnem hominem esse risibilem; contingit omne vigilans esse hominem*; sequitur; *ergo contingit omne vigilans esse risibile*. Quod hæc conclusio sequatur, probatur per reductionem ad impossibile in tertia, & prima figura, applicando argumenta allata cap. 5. num. 9. in probatione secundæ regulæ; per hanc verò probationem ostenditur etiam, quod est modus imperfectus. Confirmatur, quia non regulatur immedia-

mediatè per *dictum de nullo*. Licet enim in maiori sumatur, quod *necesse est omnem hominem esse risibilem*, in minori non sumitur, *quod omne vigilans est homo*, sed solum sumitur, quod *contingit omne vigilans esse hominem*.

7 Probatur iam, quod si maior sit vniuersalis affirmatiua de contingenti, minor vniuersalis affirmatiua de necessario, sequatur conclusio de contingenti, & sit syllogismus perfectus. Dicatur enim; *contingit omne animal moueri*; *omnis homo necessario est animal*; sequitur; *ergo contingit omnem hominem moueri*. Cum enim in maiori de omni animali affirmetur, quod contingit moueri, & in minori assumatur, quod, omnis homo necessario est animal, patet, quod contingit omnem hominem moueri, alioquin non contingeret omne animal moueri, siquidem omnis homo esset animal, & aliquis homo moueri non posset. Patet autem in vtroque exemplo, quod solum sequitur; *ergo contingit omnem hominem moueri*, non autem sequitur absolute; *ergo omnis homo mouetur*, cum possit vtraque præmissa esse vera, & tamen omnis homo de facto quiescere.

8 *Si autem non consimilis figuræ propositiones extiterint, sit primum priuatiua necessaria, & A nulli contingat eorum quæ B ex necessitate: B vero omni C contingat: necesse itaque est A nulli C inesse. Ponatur enim inexistens, aut omni, aut alicui: B vero supponebatur nulli contingere: quoniam itaque conuertitur priuatiuum, & B nulli contingit A: A vero omni C, aut alicui ponitur inesse: quare nulli, aut non omni C contingeret B inesse: supponenebatur autem à principio omni contingere. Sed manifestum & quoniam eius, quod est contingere non inesse, efficitur syllogismus: siquidem & eius, quod est non inesse.*

9 *Rursus sit affirmatiua propositio necessaria, & A contingat nulli B inesse: B vero omni C insit ex necessitate: syllogismus itaque erit perfectus: sed non eius, quod est non inesse, sed eius, quod est contingere non inesse. Namque propositio sic accepta fuit, quæ est à maiori extremo. Et ad impossibile non est ducere. Si enim supponatur A nulli C inesse, positum est autem, & B nulli contingere inesse, nihil accidit propter hæc impossibile.*

10 *Si vero ad minus extremum ponatur priuatiuum, quando contingere quidem significet, syllogismus erit per conuersionem, quemadmodum in prioribus.*

11 *Sed quando non contingere, non erit: neque quando ambo ponantur priuatiua, non sit autem contingens, quod ad minus. Termini vero ijdem, eius quod est inesse, album, animal, nix: non inexistendi, album, animal, pix.*

8 Si altera præmissa sit affirmatiua, altera negatiua, primo si maior sit negatiua de necessario, minor affirmatiua de contingenti, fit syllogismus, sed imperfectus, in quo concluditur duplex conclusio, altera negatiua de inesse, altera de contingenti; ex. gr. dicatur; *necesse est nullum animal esse plantam*; *contingit omne album esse animal*; sequitur duplex conclusio, prima de contingenti; *ergo contingit nullum album esse plantam*; secunda de inesse; *ergo nullum animal est planta*. Quod sequatur conclusio de inesse, *ergo nullum album est planta*, probatur, quia ex contradictoria conclusionis, quæ est; *aliquod album est planta*, & conuersa maioris, infertur contradictoria minoris in Darij. Dicatur enim; *necesse est nullam plantam esse animal*; *aliquod album est planta*; sequitur; *ergo necesse est aliquod album non esse animal*, quæ contradicit positæ minori: *contingit omne album esse animal*; ergo si maior, & minor est vera, sequitur necessario hæc conclusio negatiua de inesse; *nullum album est planta*; ergo etiam sequitur hæc conclusio de contingenti, *contingit nullum album esse plantam*. Si enim nullum album est planta, contingit nullum album esse plantam sumendo contingens pro possibili.

9 Secundo si maior sit vniuersalis negatiua de contingenti, minor vniuersalis affirmatiua de necessario, fit syllogismus perfectus, in quo sequitur sola conclusio de contingenti, non autem de inesse: ex. gr. si dicatur, *contingens est nullum animal moueri*; *necesse est omnem hominem esse animal*; sequitur; *ergo contingens est nullum hominem moueri*, & est syllogismus perfectus. Cum enim in maiori sumatur, quod omni animali contingit non moueri, in minori, quod omnis homo est animal, sequitur per dictum de nullo, quod omni homini contingit non moueri, seu quod contingit nullum hominem moueri. Non tamen sequitur conclusio de inesse; *ergo nullus*

lus homo mouetur, cum possint esse veræ præmissæ, & adhuc omnes, vel aliqui homines moueri.

10 Tertio si maior sit vniuersalis affirmatiua de necessario, minor vniuersalis negatiua de contingenti, sequitur conclusio, & fit syllogismus imperfectus. Dicatur enim; *necesse est omne animal esse sensitiuum; contingens est nullum album esse animal*; sequitur; *ergo contingens est nullum album esse sensitiuum*: Ratio est, quia minor negatiua de contingenti potest conuerti in propositionem de contingenti circa dictum affirmatiuum, per quam dicatur, *contingens est omne album esse animal*; sed tunc erit primus modus affirmatiuus, de quo ostensum est, quod concludat; ergo &c.

11 Quarto, si maior sit affirmatiua de contingenti, minor negatiua de necessario, vel si vtraque sit negatiua, maior de contingenti, minor de necessario, non sequitur vlla conclusio, neque fit syllogismus. Probatur: si enim minor sit negatiua de necessario non sequitur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua; ergo &c. Probatur, quod non sequatur conclusio negatiua in his terminis, *album, animal, nix*. Si enim dicatur; *contingit omne animal esse album*; vel *contingit nullum animal esse album*; *necesse, vt nulla nix sit animal*; non sequitur, *ergo contingit omnem, vel aliquam niuem non esse albam*, cum necesse sit omnem niuem esse albam. Probatur, quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua in his terminis, *album, animal, pix*. Si enim dicatur; *contingit omne animal esse album; necesse est nullam picem esse animal*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquam picem esse albam*, cum necesse sit nullam picem esse albam.

12 *Cæterum eodem pacto se habebit, & in syllogismis in parte. Nam cùm priuatiuum sit necessarium, & conclusio erit eius, quod est non inesse. Veluti si A nulli eorum, quæ sunt B contingit inesse, necesse est A alicui eorum, quæ sunt C non inesse. Si enim omni inest: nulli vero B contingit, & B nulli A contingit inesse. Quare si A quidem omni C inest: B vero nulli A: ipsum B nulli eorum, quæ C contingit.*

13 *Sed cùm particulare affirmatiuum, quod est in syllogismo priuatiuo, necessarium sit, vt B C: aut vniuersale in prædicatiuo, vt A B, non erit eius, quod est inesse syllogismus. Demonstratio vero eadem, quæ & in prioribus.*

12 Determinatis modis vniuersalibus, agit Aristoteles de particularibus, ac primo de ijs, in quibus maior est vniuersalis, minor particularis. Primo si maior sit vniuersalis negatiua de necessario, minor particularis affirmatiua de contingenti, sequitur duplex conclusio negatiua, altera de contingenti, altera de inesse: ex. gr. si dicatur in Ferio; *necesse est nullum animal esse plantam; contingens est aliquod album esse animal*; sequitur; *ergo contingens est aliquod album non esse plantam*; & sequitur etiam; *ergo aliquod album non est planta*. Quod sequatur posita conclusio de inesse, probatur, quia si conclusio posita est falsa, est vera contradictoria, quæ est, *omne album est planta*; ex hac autem, & conuersa maioris, sequitur contradictoria minoris: dicendo enim, *necesse est nullam plantam esse animal; omne album est planta*; sequitur; *ergo necesse est nullum album esse animal*; sed hæc est contradictoria positæ minori, *contingens est aliquod album esse animal*; ergo cum ex contradictoria conclusionis, & conuersa maioris, sequatur falsitas minoris, non potest maior, & minor esse vera, & conclusio de inesse esse falsa, adeoque sequitur necessario hæc conclusio de inesse; *ergo aliquod album non est planta*; ergo etiam sequitur conclusio de contingenti, per quã dicatur; *ergo contingit aliquod album non esse plantam*. Et quia si minor sit particularis negatiua de contingenti, conuerti potest in affirmatiuam, vt dictum est cap. 13. num. 4. ideo hæc etiam coniugatio, in qua maior est vniuersalis negatiua de necessario, minor particularis negatiua de contingenti est vtilis.

13 Secundo si maior sit vniuersalis affirmatiua, vel negatiua de contingenti, minor particularis affirmatiua de necessario, fit syllogismus perfectus in Darij, & Ferio, in quibus sequitur conclusio de contingenti, non verò de inesse, proportionaliter ad dicta de Barbara, & Celarent: ex. gr. si dicatur: *contingit omne animal ambulare*; vel *contingit nullum animal ambulare; necesse est aliquod viuens esse animal*; sequitur in Darij; *ergo contingit aliquod viuens ambulare*; & in Ferio; *ergo contingit aliquod viuens non ambulare*; non vero sequitur, *ergo aliquod viuens ambulat, vel non ambu-*

ambulat. Demonstratur verò proportionaliter, ac demonstratum est de Barbara, & Celarent n.7. & 9. valet enim eadem ratio.

14 *Si autem vniuersale ponatur ad minus extremum, aut affirmatiuum, aut priuatiuum contingens: quod autem in parte necessarium ad maius extremum: non erit syllogismus. Termini eius, quod est inesse ex necessitate, animal, album, homo: non inexistendi autem, animal, album, indumentum.*

15 *Cùm vero vniuersale necessarium sit, quod autem in parte contingens, vniuersali existente priuatiuo: termini eius, quod est inesse, animal, album, coruus: non inexistendi, animal, album, pix. Si verò affirmatiuum fuerit, animal, album, cygnus: eius vero, quod est non contingere, animal, album, nix.*

16 *Neque quando indefinitæ accepta fuerint propositiones, aut vtraeque secundum partem, neque sic erit syllogismus. Termini communes inexistendi, animal, album, homo: non inexistendi, animal, album, inanimatum. Namque animal alicui albo: & album inanimato alicui, & necessarium inesse, & non contingit inesse. Et in eo, quod est contingere consimiliter. Quare ad omnia termini sunt vtiles.*

17 *Planum itaque ex dictis, quòd terminis consimiliter se habentibus, & in eo, quod est inesse, & in necessarijs, fit &, non fit syllogismus. Præterquam quòd si secundum inesse ponebatur priuatiua propositio, eius, quod est contingere erat syllogismus: verum si secundum necessarium priuatiua, & eius, quod est contingere, & eius, quod est non inesse. Manifestum autem, & quòd omnes syllogismi imperfecti, & quòd perficiuntur per prædictas figuras.*

14 Determinat deinde Aristoteles de modis, in quibus maior est particularis, minor vniuersalis, ac docet omnes esse inutiles. Primo enim si maior est particularis de necessario, minor vniuersalis de contingenti, siue vtraque sit affirmatiua, siue vtraque negatiua, seu maior affirmatiua, minor negatiua, seu maior negatiua, minor affirmatiua, omnes sunt inutiles, cum nulla sequatur conclusio affirmatiua, neque negatiua. Quod non sequatur conclusio negatiua patet in his terminis, *animal*, *album*, *homo*. Si enim dicatur, *necesse est aliquod album esse animal*; *contingens est omnem hominem esse album*, quomodocunque varientur propositiones secundum affirmationem, vel negationem, non sequitur; *ergo contingens est nullum hominem esse animal, vel aliquem hominem non esse animal*, cum potius necessarium sit omnem hominem esse animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *animal*, *album*, *tunica*. Si enim dicatur; *necesse est aliquod album esse animal*; *contingens est omnem tunicam esse albam*; non sequitur; *ergo contingens est omnem, vel aliquam tunicam esse animal*, cum necesse sit nullam tunicam esse animal.

15 Secundo si maior sit particularis de contingenti, minor vniuersalis de necessario, adhuc non sequitur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua, quomodocunque varientur præmissæ secundum affirmationem, vel negationem, ita vt vel vtraque præmissa sit affirmatiua, vel vtraque negatiua &c. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua, si minor sit affirmatiua, patet in his terminis, *animal*, *album*, *cygnus*: si enim dicatur; *contingens est aliquod album non esse animal*; *necesse est omnem cygnum esse album*, non sequitur; *ergo contingens est omnem, vel aliquem cygnum non esse animal*, cum omnis cygnus ex necessitate sit animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, si minor est affirmatiua, patet in his terminis; *animal*, *album*, *nix*. Si enim dicatur; *contingens est aliquod album esse animal*; *necesse est omnem niuem esse albam*; non sequitur; *ergo contingens est omnem niuem esse animal*, cum necesse sit, vt nulla nix sit animal. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua, si minor sit negatiua, patet in his terminis, *animal*, *album*, *coruus*. Si enim dicatur; *contingens est aliquod album esse animal*; *necesse est nullum coruum esse album*; non sequitur; *ergo contingens est omnem, vel aliquem coruum non esse animal*, cum omnis coruus ex necessitate sit animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, si minor sit negatiua patet in his terminis, *animal*, *album*, *pix*. Si enim dicatur; *contingens est aliquod album esse animal*; *necesse est nullam picem esse albam*; non sequitur; *ergo contingens est omnem, vel aliquam picem esse animal*, cum necesse sit vt nulla pix sit animal.

16 Demum si vtraque præmissa est particularis, vel indefinita non fit syllogismus, cum

cum non sequatur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua, patet in his terminis, *animal, album, homo*. Si enim dicatur; *necesse est aliquod album non esse animal; contingens est aliquem hominem esse album*; non sequitur; *ergo contingens est omnem, vel aliquem hominem non esse animal*, cum necesse sit omnem hominem esse animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *animal, album, inanimatum*. Si enim dicatur; *contingens est aliquod album esse animal; necesse est aliquod inanimatum esse album*; non sequitur; *ergo contingens est omne, vel aliquod inanimatum esse animal*, cum necesse sit nullum inanimatum esse animal.

17 Concludit Aristoteles comparando coniugationes mistas ex propositionibus de contingenti, & de inesse cum coniugationibus mistis ex propositionibus de necessario, & de contingenti, ac dicit, quod in aliquo conueniunt, in aliquo disconueniunt. Conueniunt in hoc, quod tot, ac similes sunt coniugationes vtiles, ac inutiles in illa mistione, ac in ista: differunt, quod si propositio negatiua est de contingenti, sequitur solum conclusio de contingenti, non autem de inesse; at si propositio negatiua est de necessario, sequitur conclusio negatiua non solum de contingenti, sed etiam de inesse, vt dictum est num. 12. Verum omnes syllogismi, in quibus minor est negatiua sunt imperfecti, ac perficiuntur modis explicatis.

De syllogismis ex ambabus præmissis de contingenti in secunda figura. Cap. XVII.

1 *Sed in secunda figura quando contingentes vtraque accipiuntur propositiones nullus erit syllogismus, seu prædicatiuæ, siue priuatiuæ ponantur, vel vniuersaliter, aut secundum partem.*

2 *Cùm vero hæc inexistere, illa autem significet contingere, si affirmatiua quidem significat inexistere, nunquam erit: sin autem vniuersaliter priuatiua, semper.*

3 *Eodem pacto & cùm hæc propositionum ex necessitate, illa contingere accipiatur.*

4 *Oportet autem & in his accipere in conclusionibus contingens, quemadmodum in prioribus.*

1 Postquam Aristoteles egit de syllogismis de contingenti, & mistis primæ figuræ, agit de syllogismis secundæ figuræ; ac primo ponit quatuor regulas vniuersales. Prima regula pro syllogismis constantibus ex vtraque præmissa de contingenti est: in secunda figura ex vtraque præmissa de contingenti, quomodocunque se habeant secundum affirmationem, & negationem, ac secundum vniuersalitatem, vel particularitatem, non fit syllogismus, neque sequitur necessario vlla conclusio.

2 Secunda regula pro syllogismis mistis ex altera præmissa de contingenti, altera de inesse est: in secunda figura si præmissa affirmatiua sit de inesse, negatiua de contingenti non fit syllogismus; si verò vniuersalis negatiua sit de inesse, affirmatiua vniuersalis, vel particularis de contingenti, semper fit syllogismus.

3 Tertia regula pro syllogismis mistis ex altera de necessario, altera de contingenti est: in secunda figura, si præmissa affirmatiua sit de necessario, negatiua de contingenti, nunquam fit syllogismus; si verò negatiua vniuersalis fuerit de necessario, affirmatiua vniuersalis, vel particularis de contingenti, semper fit syllogismus.

4 Quarta demum, & vltima regula explicans in quo sensu sumatur contingens, quod infertur in secunda figura est: dum in secunda figura infertur conclusio de contingenti, contingens sumitur latè pro possibili, sicut sumitur in pluribus modis imperfectis primæ figuræ, vt dictum est cap. 16. num. 5. non verò sumitur strictè pro eo, quod potest esse, & non esse.

5 *Primum itaque monstrandum, quòd non conuertitur contingens priuatiuum: quemadmodum si A contingit nulli eorum, quæ B, non necesse & B contingere nulli eorum, quæ A.*

6 *Ponatur enim hoc, & contingat B nulli A inesse. Quoniam itaque conuertuntur contingentes affirmationes cum negationibus, & contrariæ, & oppositæ: B vero contingit nulli A inesse: planum, quòd & omni A contingere posset B inesse. Sed hoc falsum: non enim si hoc huic omni contingit, & hoc*

& hoc huic necessarium: quare non conuertitur priuatiuum.

7 *Amplius nihil prohibet A contingere nulli B: B vero alicui eorum, quæ sunt A ex necessitate non inesse. Quemadmodum album omni homini contingit non inesse, & inesse: hominem autem non verum dicere, quòd contingit nulli albo. Multis enim ex necessitate non inest. Cæterum necessarium non erit contingens.*

8 *Verum neque ex impossibili monstrabitur conuerti. Veluti si quis existimaret, quoniam falsum est B contingere nulli A inesse, verum non contingere. Dictio namque, & negatio. Si autem hoc verum, & B ex necessitate inesse alicui eorum, quæ A: quare & A alicui eorum, quæ B. Sed hoc impossibile.*

9 *Non enim si B non contingit nulli eorum, quæ sunt A, necesse inesse alicui solum, sed ex necessitate non omni. Namque non contingere nulli bifariam dicitur: vnum, si ex necessitate alicui inest: alterum, si ex necessitate alicui non inest. Quod enim ex necessitate alicui eorum, quæ A non inest, non est verum dicere, quòd omni contingit non inesse: quemadmodum neque quòd alicui inest ex necessitate, quòd omni contingit inesse. Si itaque quispiam censeret, propterea quòd non contingit C omni D inesse, ex necessitate alicui ipsum non inesse, falso acciperet: omni enim inest. Sed quoniam quibus iam ex necessitate inest, ob hoc dicimus non omni contingere. Quare huic, quod est, contingere omni inesse, opponitur, & ex necessitate alicui inesse, & ex necessitate alicui non inesse: consimiliter autem & ei, quod est, nulli contingere. Manifestum igitur, quòd ad sic contingens, & non contingens, quemadmodum in principio determinauimus, non solum ex necessitate alicui inesse, sed ex necessitate alicui non inesse accipiendum. Hoc autem accepto, nihil accidit impossibile: quare non fit syllogismus. Manifestum itaque ex dictis, quod non conuertitur priuatiuum. Hoc autem monstrato, ponatur A nulli quidem B contingere: C vero omni. Per conuersionem igitur non fit syllogismus: dictum est enim, quòd non conuertitur talis propositio.*

5 Positis regulis, probat Aristoteles illas, vt ita demonstret, quando nam in secunda figura fiat, vel non fiat syllogismus de contingenti. Probat ergo primam regulam, quod in secunda figura ex vtraque præmissa de contingenti, non fiat syllogismus. Omnis syllogismus in secunda figura eatenus concludit, quatenus potest reduci ad primam figuram, vel ostensiuè per conuersionem alicuius præmissæ, eo pacto, quo reducuntur Cesare, Camestres, & Festino; vel per reductionem ad impossibile, eo pacto, quo reducitur Barocco; sed neutro pacto possunt reduci coniugationes secundæ figuræ constantes ex vtraque præmissa de contingenti; ergo &c. Probatur minor, & primo quod reduci non possint ostensiuè per conuersionem. Cesare, Camestres, & Festino reducuntur ostensiuè conuertendo vniuersalem negatiuam in alteram vniuersalem negatiuam; sed vniuersalis negatiua de contingenti non potest conuerti in alteram vniuersalem negatiuam; ergo &c. Minorem, quod nimirum vniuersalis negatiua de contingenti non possit conuerti in aliam vniuersalem negatiuam, probat Aristoteles tripliciter; primo ab absurdo; secundo per instantiam; tertio ex signo, soluendo simul apparentem rationem, qua posset probari hæc conuersio.

6 Primo ergo probat ab absurdo: si vniuersalis negatiua de contingenti conuerteretur in aliam vniuersalem negatiuam, etiã vniuersalis affirmatiua de contingenti, conuerteretur in aliam vniuersalem affirmatiuam: ex. gr. hæc, *contingit omnem hominem esse album*; conuerteretur in hanc; *contingit omne album esse hominem*; sed hoc est absurdum; ergo &c. Probatur sequela maioris: vt dictum est cap. 13. num. 4. Propositiones de contingenti conuertuntur in propositiones de dicto opposito; ergó hæc affirmatiua *contingit omnem hominem esse album*, conuertitur in hanc negatiuam, *contingit nullum hominem esse album*; sed hæc ex suppositione conuertitur in hanc aliam negatiuam, *contingit nullum album esse hominem*, & hæc rursus conuertitur in hanc vniuersalem affirmatiuam, *contingit omne album esse hominem*; ergo à primo ad vltimum vniuersalis affirmatiua de contingenti conuertitur in aliam vniuersalem affirmatiuam, & valet; *contingit omnem hominem esse album*; *ergo contingit omne album esse hominem*; sed hoc est absurdum: licet enim sit verum, *contingit omnem hominem esse album*, adhuc est falsum; *contingit omne album esse hominem*, cum sit impossibile,

vt

vt multa alba, ex. gr. cygnus, & nix sint homo; ergo etiam est impossibile, vt vniuersalis negatiua de contingenti conuertatur in aliam vniuersalem negatiuam de contingenti.

7 Secundo probatur hoc ipsum per instantiam. Licet enim sit verum, quod *contingit nullum hominem esse album*, adhuc est falsum, quod *contingit nullum album esse hominem*, sumendo contingens strictè pro eo, quod potest esse, & non esse. Quamuis enim contingat, vt nullus homo sit albus in hoc sensu, vt quilibet homo possit esse, & non esse albus, adhuc non est verum, quod contingit nullum album esse hominem in hoc sensu, vt quodlibet album possit esse, & non esse homo; multa enim alba, vt cygnus, nix &c. necessario non sunt homo; ergo licet propositio vniuersalis negatiua de contingenti strictè sumpto possit conuerti in aliam vniuersalem negatiuam de contingenti latè sumpto pro possibili, adhuc non potest conuerti in aliam vniuersalem negatiuam de contingenti strictè sumpto, de quo nunc loquimur.

8 Tertio hoc idem probatur ex signo. Propositiones legitimè conuertibiles ita se habent, vt si conuertens sit falsa, sequatur impossibile, hoc est quod conuersa, quæ supponitur vera, sit pariter falsa, vt dictum est cap. 2. probando regulas conuersionum; sed propositiones vniuersales negatiuæ de contingenti non ita se habent, vt ex falsitate conuertentis sequatur falsitas conuersæ; ergo &c. Probatur minor simul soluendo argumentum, quo apparenter probatur ex falsitate conuertentis sequi falsitatem conuersæ. Dicatur enim; *contingens est nullum hominem esse album*, sequi videtur; *ergo contingens est nullum album esse hominem*. Si enim hæc conclusio est falsa, vera est contradictoria, *non contingit nullum album esse hominem*; ergo est etiam vera hæc illi æquipollens, *necesse est aliquod album esse hominem*; ergo est vera etiam hæc, in quam legitimè conuertitur, *necesse est aliquem hominem esse album*; sed hæc contradicit illi primæ, *contingens est nullum hominem esse album*; ergo si falsa est vniuersalis negatiua conuertens de contingenti, falsa est etiam conuersa, adeoque vniuersalis negatiua de contingenti legitimè conuertitur in aliam vniuersalem negatiuam.

9 Respondet Aristoteles, quod in hac argumentatione peccatur in illa illatione, in qua ex eo, quod sit vera hæc, *non contingit nullum album esse hominem* assumitur vt æquipollens hæc, *necesse est aliquod album esse hominem*. Duplici enim modo potest verificari hæc, *non contingit nullum album esse hominem*; primo ex eo, quod necesse sit, vt omne, vel aliquod album sit homo; eo enim ipso non continget, sed erit impossibile, vt nullum album sit homo: secundo ex eo, quod necesse sit, vt aliquod album non sit homo; eo enim ipso non continget, vt nullum album sit homo, seu vt omne album non sit homo, sed erit necessarium, vt aliquod album non sit homo; ergo cum hæc negatiua, *non contingit nullum album esse hominem*, possit verificari vel per hoc, quod necesse sit aliquod album esse hominem, vel per hoc, quod necesse sit aliquod album non esse hominem, malè ex illa infertur hæc determinatè, *necesse est aliquod album esse hominem* cum non sequatur hæc determinatè, sed vel hæc, vel altera: sicut quia hæc, *non contingit omne album esse hominem*, potest verificari vel per hoc, quod necesse sit aliquod album esse hominem, vel per hoc, quod necesse sit aliquod album non esse hominem, malè infertur altera determinatè; sed si inferatur hæc, *necesse est aliquod album non esse hominem*, nihil poterit inferri contra primam conuersam, *contingens est nullum hominem esse album*; ergo cum ex falsitate huius conuertentis, *contingens est nullum album esse hominem*, non inferatur falsitas conuersæ, conuersio non est legitima, adeoque vniuersalis negatiua de contingenti non conuertitur in aliam vniuersalem negatiuam. Sed secunda figura reducitur ostensiuè ad primam conuertendo vniuersalem negatiuam in aliam vniuersalem negatiuam; ergo si vtraque præmissa sit de contingenti, modi secundæ figuræ non possunt reduci ad primam; ergo non possunt ostensiuè probari per conuersionem: ex. gr. si dicatur in Cesare, *contingit nullum hominem esse album; contingit omne rationale esse album*; non sequitur; *ergo contingit nullum rationale esse hominem*, quia maior vniuersalis non potest conuerti, & per conuersionem reduci ad Celarent, vt ostensum est.

10 *Sed neque per impossibile. Si nanque ponatur B omni C contingere inesse, nihil accidit falsi. Contingere enim posset A ipsi*

G. &

C, & omni, & nulli inesse. Sed si omnino est syllogismus, planum quòd eius, quod est contingere vtique esset: propterea quòd neutra propositionum accepta fuit in eo, quod est inesse. Et iste aut affirmatiuus, aut priuatiuus.

10 Secundo probatur, quod modi secundæ figuræ ex vtraque præmissa de contingenti non possunt reduci ad primam figuram per reductionem ad impossibile: ex falsitate conclusionis cum altera præmissarum non sequitur falsitas alterius præmissæ; sed in hoc consistit reductio ad impossibile; ergo modi secundæ figuræ ex vtraque præmissa de contingenti, non possunt reduci ad impossibile. Probatur maior: dicatur enim in Cesare; *contingit nullum hominem esse album; contingit omne rationale esse album; ergo contingit nullum rationale esse hominem.* Sumatur contraria, vel contradictoria conclusionis; *contingit omne, vel aliquod rationale esse hominem*, adiuncta maiori, dicatur in Celarent, vel Ferio: *contingit nullum hominem esse album; contingit omne, vel aliquod rationale esse hominem*, sequitur; *ergo contingit omne, vel aliquod rationale non esse album*, quæ non repugnat minori positæ in Cesare, *contingit omne rationale esse album*, cum simul verificetur, *contingit omne rationale esse album; contingit nullum rationale esse album*, imo vna inferatur ex alia, vt dictum est cap. 13. num. 10. Si verò contraria, vel contradictoria conclusionis; *contingit omne, vel aliquod rationale esse hominem*, coniungatur cum minori, *contingit omne rationale esse album*; ad summum sequitur in Darapti, vel Disamis; *ergo contingit aliquod album non esse hominem*, quæ non opponitur maiori; *contingit nullum hominem esse album*, cum simul verificentur, imo vna inferatur ex alia, vt dictum est cap. 13. num. 10. in regulis conuersionum; ergo cum in modis secundæ figuræ ex vtraque præmissa de contingenti, ex falsitate conclusionis non sequatur falsitas vllius præmissæ, non possunt probari per reductionem ad impossibile. Id quod exemplificatum est in Cesare, potest exemplificari in alijs modis secundæ figuræ.

11 *Neutro autem modo accidit. Si affirmatiuus quidem ponatur, monstrabitur per terminos, quòd non contingit inesse: si verò priuatiuus, quòd conclusio non contingens est, sed necessaria. Sit enim A album, B homo, in quo C equus. A itaque album contingit huic quidem omni, illi verò nulli: sed B ipsi C neque inesse contingit, neque non inesse. Quòd igitur inesse non accidit, manifestum: nullus enim equus homo. Cæterum neque contingere non inesse: necesse nanque est nullum equum hominem esse. Sed necessarium non erat contingens: non itaque fit syllogismus. Itidem autem monstrabitur & si è conuerso positum fuerit priuatiuum.*

12 *Et si vtræque affirmatiuæ acceptæ fuerint, aut priuatiuæ. Per eosdem nanque terminos erit demonstratio. Et quando hæc vniuersaliter, illa in parte, aut vtræque secundum partem, aut indefinitæ, aut quotcunque modis aliter contingit transumere propositiones. Semper enim erit demonstratio per eosdem terminos. Planum itaque, quòd si vtræque propositiones secundum contingens ponuntur, nullus fit syllogismus.*

11 Postquam Aristoteles probauit, quod in secunda figura ex vtraque præmissa de contingenti non fit syllogismus, ex eo, quod non potest reduci ad primam, neque ostensiuè, neque per impossibile, probat idem per instantiam. Si in secunda figura fieret syllogismus ex vtraque præmissa de contingenti, vel sequeretur conclusio de necessario, vel de contingenti, vel de inesse; nulla ex his sequitur neque affirmatiua, neque negatiua; ergo &c. Probatur minor; & primo, quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua. Potest esse falsa omnis conclusio affirmatiua; ergo &c. Probatur antecedens in his terminis, *album, homo, equus*. Si enim dicatur in Cesare; *contingit nullum hominem esse album; contingit omnem equum esse album*; non sequitur vlla conclusio affirmatiua neque de inesse, neque de necessario, neque de contingenti, cum neque sit verum, quod omnis, vel aliquis equus sit homo, neque quod omnis, vel aliquis equus necessario sit homo, neque quod contingat omnem, vel aliquem equum esse hominem, cum necesse sit, vt nullus equus sit homo. Ex ijsdem terminis patet non sequi conclusionem negatiuam de contingenti: ex. gr. *ergo contingit nullum equum esse hominem*. Cum enim necessarium sit nullum equum esse

esse hominem, non est contingens, cum non possit idem esse necessarium, & contingens strictè, licet possit idem esse necessarium, & contingens latè sumendo contingens pro possibili. Quod verò non sequatur conclusio negatiua de inesse, & de necessario, patet in his terminis, *album, animal, equus*. Si enim dicatur in Cesare; *contingit nullum animal esse album; contingit omnem equum esse album*; non sequitur; *ergo omnis, vel aliquis equus non est animal*; multo minus sequitur cum modo necessarij; *ergo necesse est, vt omnis, vel aliquis equus non sit animal*, cum necesse sit, vt omnis equus sit animal.

12 Eodem pacto demonstrari potest non sequi conclusionem de contingenti, si vtraque præmissa sit affirmatiua, vel vtraque negatiua, vel altera particularis, altera vniuersalis, vel vtraque particularis, vel vtraque indefinita: semper enim per instantiam in terminis demonstrari potest nullam sequi conclusionem; ergo vniuersim in secunda figura ex vtraque præmissa de contingenti nulla sequitur conclusio, adeoque non fit syllogismus.

De syllogismis ex altera præmissa de contingenti, altera de inesse in secunda figura. Cap. XVIII.

1 *SI autem hac inexistere, illa verò contingere significet, si prædicatiua ponatur inexistere, priuatiua autem contingere, nullus erit syllogismus: neque dum vniuersaliter, neque dum in parte termini accipiuntur.*

2 *Demonstratio vero eadem, & per eosdem terminos.*

3 *Sed quando affirmatiua contingere, priuatiua autem inexistere, erit syllogismus. Sumatur enim A. B nulli inesse: C vero omni contingere: conuerso itaque priuatiuo, B. A nulli inerit: sed A omni C contingit: fit igitur syllogismus, quòd contingit B nulli C per primam figuram. Consimiliter autem & si ad C ponatur priuatiuum.*

4 *Cùm vero vtraque sunt priuatiue, significet autem hat non inesse, illa contingere non inesse, per ipsa quidem assumpta nihil accidit necessarium: sed conuersa propositione, quæ est secundum contingere, syllogismus efficitur, quòd nulli C contingit inesse, quemadmodum in prioribus. Erit enim rursus prima figura.*

1 POstquam Aristoteles probauit primam regulam, quod nimirum in secunda figura ex vtraque præmissa de contingenti non fit syllogismus, probat secundam regulam, quod nimirum in eadem secunda figura, si præmissa affirmatiua sit de inesse, negatiua de contingenti, non fit syllogismus; si verò vniuersalis negatiua sit de inesse, affirmatiua de contingenti fit syllogismus.

2 Prima pars regulæ probatur per instantiam in terminis. Si enim affirmatiua sit de inesse non sequitur vlla conclusio negatiua, vt patet in his terminis, *album, animal, homo*. Dicatur enim in Cesare; *contingit nullum animal esse album; omnis homo est albus*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquem hominem non esse animal*, cum necesse sit, vt omnis homo sit animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua patet in his terminis, *album, equus, homo*. Si enim dicatur; *contingit nullum equum esse album; omnis homo est albus*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquem hominem esse equum*, cum necesse sit, vt nullus homo sit equus.

3 Secunda pars regulæ, quod nimirum si vniuersalis negatiua sit de inesse, affirmatiua de contingenti, fiat syllogismus, probatur. Primo enim dicatur in Cesare; *nullus homo est irrationalis; contingit omne vigilans esse irrationale*; sequitur; *ergo contingit nullum vigilans esse hominem*. Maior enim vtpote vniuersalis negatiua de inesse, potest conuerti simpliciter in hanc, *nullum irrationale est homo*; sed facta hac conuersione, argumentum erit in Celarent, in quo ex maiori negatiua de inesse, minori affirmatiua de contingenti sequitur conclusio, vt dictum est cap. 15. num 12. ergo etiam in Cesare ex maiori negatiua de inesse, minori affirmatiua de contingenti sequitur conclusio. Secundo dicatur in Camestres; *contingit omne vigilans esse irrationale; nullus homo est irrationalis*; sequitur; *ergo contingit nullum hominem esse vigilantem*: conuertendo enim minorem, & transponendo præmissas, eadem conclusio sequitur in Celarent.

4 Quia verò propositio contingens negatiua de dicto, conuerti potest in affirmatiuam de dicto, vt probatum est cap. 13. num. 4. ideo sequitur conclusio, etiamsi vtraque præmissa sit vniuersalis negatiua, altera de contingenti, alterà de inesse: ex. gr. si dicatur; *nullus homo est irrationalis; contingit nullum album esse irrationalem*; sequitur; *ergo contingit nullum album esse hominem*, quia per conuersionem maioris in alteram vniuersalem negatiuam de inesse, & per conuersionem minoris in propositionem de dicto affirmatiuo, argumentum erit in Celarent. Similiter si dicatur; *contingit nullum album esse irrationale; nullus homo est irrationalis*; sequitur; *ergo contingit nullum hominem esse album*. Conuertendo enim maiorem in affirmatiuam de dicto, argumentum erit in Camestres, quod per conuersionem minoris, & transpositionem præmissarum reducetur ad Celarent.

5 *Si vero vtraque ponantur prædicatiua, non erit syllogismus. Termini quòd insit, sanitas, animal, homo: quòd non insit, sanitas, equus, homo.*

6 *Eodem pacto se habebit & in syllogismis in parte. Cùm enim affirmatiuum sit inexistens, aut vniuersaliter, aut in parte acceptum, nullus erit syllogismus. Hoc autem consimiliter, & per eosdem monstratur terminos, quibus priora. Cùm vero priuatiuum, erit per conuersionem, quemadmodum in prioribus.*

7 *Rursus si ambo quidem interualla priuatiua fuerint accepta, vniuersaliter autem, quòd non inexistere, ex ipsis quidem propositionibus non erit necessarium: sed conuerso eo, quod est contingere, quemadmodum in prioribus, erit syllogismus. Si vero priuatiuum quidem inexistens sit, sed in parte acceptum, non erit syllogismus: siue affirmatiua, siue priuatiua altera fuerit propositio. Neque quando vtraque indefinitæ sint acceptæ, aut negatiuæ, aut affirmatiuæ, vel secundum partem. Demonstratio vero eadem, & per eosdem terminos.*

5 Sicut si præmissa vniuersalis affirmatiua in secunda figura sit de inesse, negatiua de contingenti, non fit syllogismus, sic non fit syllogismus si vtraque sit affirmatiua, altera de contingenti, altera de inesse, siue maior sit de contingenti, minor de inesse, siue è conuerso. Probatur, quia non sequitur vlla conclusio affirmatiua, neque negatiua; ergo &c. Quod non sequatur negatiua, patet in his terminis, *sanum, animal, homo*. Si enim dicatur; *contingit omne animal esse sanum; omnis homo est sanus*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquem hominem non esse animal*, cum omnis homo necessario sit animal. Quod non sequatur conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *sanum, equus, homo*. Si enim dicatur; *contingit omnem equum esse sanum; omnis homo est sanus*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquem hominem esse equum*, cum necesse sit nullum hominem esse equum.

6 Modi in quibus altera præmissa est vniuersalis, altera particularis sunt proportionaliter vtiles, vel inutiles, sicut modi vniuersales. Si enim affirmatiua vniuersalis, siue particularis sit de inesse, negatiua de contingenti, non fit syllogismus: ex. gr. si dicatur in Festino; *contingit nullum animal esse album; aliquis homo est albus*; non sequitur; *ergo contingit aliquem hominem non esse animal*. E conuerso si vniuersalis negatiua fuerit de inesse, particularis affirmatiua de contingenti, fiet syllogismus: ex. gr. si dicatur in Festino; *nullus equus est homo; contingit aliquod vigilans esse hominem*; sequitur; *ergo contingit aliquod vigilans non esse equum*, cum per conuersionem maioris argumentum reducatur ad Ferio.

7 Si vtraque sit negatiua, altera vniuersalis de inesse, altera particularis de contingenti, fiet syllogismus: ex. gr. si dicatur; *nullus equus est homo; contingit aliquod vigilans non esse hominem*; sequitur; *ergo contingit aliquod vigilans non esse equũ*. Conuertendo enim minorem negatiuam de dicto in affirmatiuam de dicto, argumentum erit in Festino, quod concludit, vt iam probatum est. Si verò præmissa particularis negatiua fuerit de inesse, vniuersalis affirmatiua de contingenti, non erit syllogismus: ex. gr. si dicatur in Barocco; *contingit omne animal vigilare; aliquis equus non vigilat*; non sequitur; *ergo contingit aliquem equum non esse animal*. Demum non fit syllogismus si vtraque sit indefinita, vel vtraque particularis, quomodocunque varientur secundum affirmationem, vel negationem, vt patere potest per instantiam in terminis.

De

De syllogismis ex altera præmissa de necessario, altera de contingenti in secunda figura. Cap. XIX.

1 *VErum si hæc ex necessitate, illa propositionum contingere significet, priuatiua existente necessaria, erit syllogismus, non solum quòd contingit non inesse, sed & quoniam non inest: affirmatiua autem non erit.*

2 *Ponatur enim A. B nulli ex necessitate inesse: C vero omni contingere: conuersa igitur priuatiua, & B. A nulli inerit. Sed A. C omni contingit: fit igitur rursus per primam figuram syllogismus, quòd B nulli C contingit inesse. Simul autem manifestum, quòd & B nulli C inest. Ponatur enim inesse: igitur si A. B nulli contingit: B vero inest alicui eorum, quæ C: A alicui eorum, quæ C non contingit: sed omni supponebatur contingere.*

3 *Eodem pacto monstrabitur, & si ad C ponatur priuatiuum.*

1 POstquam Aristoteles probauit primam, & secundam regulam pro syllogismis secundæ figuræ ex vtraque præmissa de contingenti, & ex altera de contingenti, altera de inesse, explicat, & probat tertiam regulam pro syllogismis secundæ figuræ ex altera præmissa de necessario, altera de contingenti. Est autem hæc regula: si negatiua vniuersalis sit de necessario, affirmatiua vniuersalis, vel particularis de contingenti, fit syllogismus: si verò affirmatiua sit de necessario, non fit syllogismus. Probat igitur hanc regulam discurrendo primo per coniugationes ex vtraque præmissa vniuersali; secundo per coniugationes constantes ex vtraque, vel altera præmissa particulari.

2 Primo igitur si maior vniuersalis negatiua sit de necessario, minor vniuersalis affirmatiua de contingenti, fit syllogismus, in quo sequitur duplex conclusio, altera negatiua de contingenti, altera negatiua de inesse. Dicatur enim in Cesare; *necesse est nullum hominem esse equum; contingit omne vigilans esse equum;* sequitur; *ergo contingit, nullum vigilans esse hominem.* Patet: conuertendo enim maiorem simpliciter iuxtà regulas conuersionum traditas cap. 3. num. 1. eadem conclusio sequitur in Celarent. Infertur etiam hæc conclusio negatiua de inesse; *ergo nullum vigilans est homo.* Probatur per reductionem ad impossibile: si enim falsa sit hæc conclusio, vera erit contradictoria, quæ est, *aliquod vigilans non est homo;* sed ex hac cum maiori sequitur contradictoria minoris in Ferio, & fit syllogismus; *necesse est nullum hominem esse equum; aliquod vigilans est homo; ergo necesse est aliquod vigilans non esse equum,* quæ est contradictoria illi minori, *contingit omne vigilans esse equum;* ergo cum non possit esse falsa conclusio negatiua de inesse, nisi sit falsa aliqua præmissarum, si vtraque præmissa est vera, etiam conclusio est vera, adeoque ex præmissis necessario sequitur talis conclusio.

3 Secundo si maior sit affirmatiua de contingenti, minor negatiua de necessario, sequitur conclusio negatiua de contingenti, & de inesse. Dicatur enim in Camestres; *contingit omne album esse equum; necesse est nullum hominem esse equum;* sequitur; *ergo contingit nullum hominem esse album.* Conuertendo enim minorem, & transponendo præmissas, eadem conclusio sequitur in Celarent. Ex ijsdem præmissis in Camestres sequitur hæc conclusio negatiua de inesse; *ergo nullus homo est albus.* Probatur per impossibile: ex maiori enim, quæ est, *necesse est nullum hominem esse equum,* & ex contradictoria conclusionis, quæ est, *aliquis homo est albus;* sequitur in tertia figura, & in Ferison; *ergo necesse est aliquod album non esse equum,* quæ est contradictoria maioris; *contingit omne album esse equum;* ergo cum ex falsitate conclusionis negatiuæ de inesse, & ex altera præmissarum, sequatur falsitas alterius præmissæ, non potest vtraque præmissa esse vera, & conclusio falsa, adeoque talis conclusio necessario sequitur ex positis præmissis.

4 *Rursus sit prædicatiuum necessarium, alterum vero contingens: & A contingat nulli B: C vero omni insit ex necessitate; sic itaque se habentibus terminis, nullus fit syllogismus. Accidit enim ipsi C ex necessitate non inesse. Sit nanque A album, in quo B homo, in quo C cygnus. Album igitur cygno ex necessitate inest: homini vero contingit nulli: & homo nulli cygno ex necessi-*

cessitate. Quòd igitur eius, quod est contingere, non est syllogismus, planum: quod enim ex necessitate, non erat contingens. Veruntamen neque necessarij. Necessarium nanque aut ex vtrisque necessarijs, aut ex priuatiua accidit. Amplius autem & licet his positis, B ipsi C inesse. Nihil enim prohibet C sub B esse: A vero B omni contingere: C autem ex necessitate inesse. Veluti si C esset vigilatio, B animal, in quo A motus: nam vigilanti ex necessitate motus inest: animali vero omni contingit: & omne vigilans animal. Manifestum itaque, quòd neque non inexistendi: siquidem ita se habentibus, necesse inesse. Neque vtique oppositarum affirmationum. Quare nullus erit syllogismus. Consimiliter monstrabitur & si è conuerso ponatur affirmatiua.

4 Tertio si è conuerso maior sit negatiua de contingenti, minor affirmatiua de necessario, non fit syllogismus, nec sequitur vlla conclusio. Probatur, quia neque sequitur conclusio affirmatiua, neque negatiua de contingenti, neque de necessario, neque de inesse; ergo &c. Probatur antecedens, & primo, quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua de contingenti patet in his terminis, *album, homo, cygnus*. Si enim dicatur in Cesare; *contingit nullum hominem esse album; necesse est omnem cygnum esse album*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquem cygnum esse hominem*; neque sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquem cygnum non esse hominem*. Cum enim necessarium sit nullum cygnum esse hominem, non est contingens, sed impossibile, vt aliquis cygnus sit homo, neque est contingens strictè, sed necessarium, vt nullus cygnus sit homo. Secundo quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua de necessario, probatur dupliciter; primo quia ex dictis cap. 17. num. 3. conclusio de necessario non sequitur, nisi vtraque præmissa, vel saltem negatiua sit de necessario; sed secundum dispositionem positam sola præmissa affirmatiua est de necessario; ergo &c. Secundo probatur simul quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua de necessario, neque de inesse; & primo, quod non sequatur vlla affirmatiua de necessario, neque de inesse patet in terminis positis, *album, homo, cygnus*. Licet enim sit vera vtraque præmissa; *contingit nullum hominem esse album: necesse est omnem cygnum esse album*; non sequitur; *ergo necesse est omnem, vel aliquem cygnum esse hominem*, neque sequitur; *ergo omnis, vel aliquis cygnus est homo*; cum ex necessitate nullus cygnus sit homo. Quod neque sequatur vlla conclusio negatiua de necessario, neque de inesse, probatur, quia potest esse vera vtraque præmissa, & tamen esse falsa omnis conclusio negatiua de inesse, vt patet in his terminis, *moueri, animal, vigilans, vel currens*. Dicatur enim; *contingens est nullum animal moueri; necesse est omne vigilans, vel currens moueri*; vtraque præmissa est vera, & tamen est falsa omnis negatiua de necessario, vel de inesse, quæ dicatur; *ergo necesse est nullum, aut aliquod vigilans, vel currens esse animal*; vel; *ergo nullum, vel aliquod vigilans, aut currens non est animal*, cum omne vigilans, & currens ex necessitate sit animal; ergo cum neque sequatur conclusio de contingenti, neque de necessario, neque de inesse, patet, quod si in secunda figura maior sit negatiua de contingenti, minor affirmatiua de necessario, non sequitur vlla conclusio, neque fit syllogismus. Eodem pacto probari potest, quod si maior sit vniuersalis affirmatiua de necessario, minor vniuersalis negatiua de contingenti, adeoque fiat argumentum in Camestres, nulla sequitur conclusio.

5 *Quod si eiusdem figuræ sint propositiones, cùm priuatiuæ sunt, semper fit syllogismus, conuersa propositione, quæ est secundum contingere, quemadmodum in prioribus. Accipiatur enim A ipsi B ex necessitate non inesse: conuersis igitur propositionibus, B nulli A inerit: A vero omni C contingit: fit itaque prima figura. Et si ad C poneretur priuatiuum, consimiliter.*

6 *Sin autem prædicatiuæ posita fuerint, non erit syllogismus. Nanque non inexistendi, aut ex necessitate non inexistendi, planum quòd non erit: propterea quòd non fuit accepta priuatiua propositio, neque in eo, quod est inesse, neque in eo, quod est ex necessitate inesse. Veruntamen neque eius quod est contingere non inesse. Ex necessitate enim sic se habentibus B ipsi C non inerit. Quemadmodum si A poneretur album, in quo B cygnus, C vero homo. Neque vtique oppositarum negationum: quoniam monstratum est B ipsi C ex necessitate non inexi-*

quod cum iam ostensum sit reliquos omnes syllogismos trium figurarum, reduci ad primos duos vniuersales primæ figuræ, hoc est ad Barbara,& Celarent,si fuerit demonstratum, quod absolutè omnes syllogismi debent esse in aliqua ex tribus figuris, eo ipso erit ostensum, quod absolutè omnes syllogismi,vel sunt in Barbara,& Celarent, vel reduci possunt ad Barbara, & Celarent.

2 Præmittit secundo diuisionem syllogismi, ac demonstrationis. Omnis syllogismus, ac demõstratio demonstrat aliquod prædicatum conuenire, vel non conuenire alicui subiecto vniuersaliter, aut particulariter: rursus aut demonstrat ostensiuè, ac directè, aut ex suppositione, siue hypothesi: pars autem subiectiua, seu species syllogismi probantis ex hypothesi est syllogismus, qui probat conclusionem ex absurdo, vel impossibili,quod sequitur,si supponatur oppositum talis conclusionis. Primo igitur ostendendum est, quod omnes syllogismi ostensiui, ac directi fieri debent in aliqua ex tribus figuris.Hoc enim ostenso facile erit idem demonstrare de syllogismis ex impossibili, vel absurdo, & vniuersim de omnibus syllogismis ex hypothesi, seu suppositione.

3 *Si igitur oporteat A de B ratiocinari, vt inexistens, aut non inexistens, necesse est accipere aliquid de aliquo. Si ergo A de B acceptum fuerit, quod est à principio sumptum erit. Sin autem de C, C vero de nullo: neque de illo aliud, neque de A alterum, nullus erit syllogismus. Eo enim, quòd vnum de vno sit acceptum, nil accidit ex necessitate: quare assumenda, & altera propositio. Si itaque A de alio fuerit acceptum, aut aliud de A, aut de C alterum, esse quidem syllogismum nihil prohibet: ad B tamen non erit per accepta. Neque quando C alteri: & illud alij: & hoc alteri: non fuerit autem ad B copulatum, nec sic erit ad B ipsius A syllogismus. Omnino enim diximus, quòd nullus vnquam erit syllogismus, alius de alio, non accepto aliquo medio, quod ad vtrunque se habet quodammodo prædicationibus. Syllogismus nanque simpliciter ex propositionibus est: ad hoc autem syllogismus, ex propositionibus ad hoc. Sed impossibile ad B propositionem capere, nihil de ipso aut prædicantes, aut negantes: aut iterum ipsius A ad B, nihil commune accipientes: verum de vtreque sigillatim quædam prædicantes, aut negantes. Quare accipiendum medium aliquod vtrorunque, quod prædicationes copulabit: siquidem erit huius ad hoc syllogismus.*

4 *Si igitur necesse quidem est accipere ad vtraque commune, hoc autem trifariam contingit: aut enim A de C, & C de B prædicaturos: aut C de vtrisque: aut vtraque de C: hæ vero sunt dictæ figuræ: planum syllogismum omnem necessarium fieri per harum aliquam figurarum. Eadem enim ratio, & si per plura copulat ad B. Eadem nanque erit figura, & in multis. Quod igitur ostensiui omnes concluduntur per prædictas figuras, manifestum.*

3 Quod igitur omnis syllogismus ostensiuus debeat esse in aliqua ex tribus figuris, Aristoteles sic probat. Omnis syllogismus ostendens aliquod prædicatum conuenire, vel non conuenire alicui subiecto, debet esse per medium copulatum vtrique extremo, hoc est tum prædicato, tum subiecto conclusionis probandæ; sed omnis syllogismus, qui fit per medium copulatum vtrique extremo cõclusionis probandæ debet disponi in aliqua ex tribus figuris; ergo omnis syllogismus ostensiuus debet disponi in aliqua ex tribus figuris. Probatur maior: sit enim ostendendum, quod risibile conuenit homini, seu, quod homo est risibilis. Ad ostendendum quod homo est risibilis, debet sumi aliqua propositio, non omninò disparata, puta, quod Cælum est incorruptibile, quia nihil potest ex necessitate concludi ex propositione omninò disparata: nec debet sumi propositio omnino eadem, puta, quod homo sit risibilis;peteretur enim principium,& probaretur idem per idem; ergo debet assumi propositio conueniens cum conclusione probanda,vel in prædicato,vel in subiecto. Conueniat igitur in prædicato, & ad probandum ex. gr. quod omnis homo est risibilis, assumatur, quod omne rationale est risibile: si solum fuerit assumptum, quod omne rationale est risibile, non autem fuerit assumptum, quod rationale affirmatur, vel negatur de aliquo alio,vel aliquod aliud affirmatur, aut negatur de rationali, vel quod risibile affirmatur de alio, vel aliud de risibili, adhuc non sequitur ex necessitate vlla conclusio: ex vnica enim propositione, qua vnum prædicatum affirmatur, aut

mediatè per *dictum de nullo*. Licet enim in maiori sumatur, quod *necesse est omnem hominem esse risibilem*, in minori non sumitur, *quod omne vigilans est homo*, sed solum sumitur, quod *contingit omne vigilans esse hominem*.

7 Probatur iam, quod si maior sit vniuersalis affirmatiua de contingenti, minor vniuersalis affirmatiua de necessario, sequatur conclusio de contingenti, & sit syllogismus perfectus. Dicatur enim; *contingit omne animal moueri; omnis homo necessario est animal*; sequitur; *ergo contingit omnem hominem moueri*. Cum enim in maiori de omni animali affirmetur, quod contingit moueri, & in minori assumatur, quod, omnis homo necessario est animal, patet, quod contingit omnem hominem moueri, alioquin non contingeret omne animal moueri, siquidem omnis homo esset animal, & aliquis homo moueri non posset. Patet autem in vtroque exemplo, quod solum sequitur; *ergo contingit omnem hominem moueri*, non autem sequitur absolute; *ergo omnis homo mouetur*, cum possit vtraque præmissa esse vera, & tamen omnis homo de facto quiescere.

8 *Si autem non consimilis figuræ propositiones extiterint, sit primum priuatiua necessaria, & A nulli contingat eorum quæ B ex necessitate: B vero omni C contingat: necesse itaque est A nulli C inesse. Ponatur enim inexistens, aut omni, aut alicui: B vero supponebatur nulli contingere: quoniam itaque conuertitur priuatiuum, & B nulli contingit A: A vero omni C, aut alicui ponitur inesse: quare nulli, aut non omni C contingeret B inesse: supponenebatur autem à principio omni contingere. Sed manifestum & quoniam eius, quod est contingere non inesse, efficitur syllogismus: siquidem & eius, quod est non inesse.*

9 *Rursus sit affirmatiua propositio necessaria, & A contingat nulli B inesse: B vero omni C insit ex necessitate: syllogismus itaque erit perfectus: sed non eius, quod est non inesse, sed eius, quod est contingere non inesse. Namque propositio sic accepta fuit, quæ est à maiori extremo. Et ad impossibile non est ducere. Si enim supponatur A nulli C inesse, positum est autem, & B nulli contingere inesse, nihil accidit propter hæc impossibile.*

10 *Si vero ad minus extremum ponatur priuatiuum, quando contingere quidem significet, syllogismus erit per conuersionem, quemadmodum in prioribus.*

11 *Sed quando non contingere, non erit: neque quando ambo ponantur priuatiua, non sit autem contingens, quod ad minus. Termini vero ijdem, eius quod est inesse, album, animal, nix: non inexistendi, album, animal, pix.*

8 Si altera præmissa sit affirmatiua, altera negatiua, primo si maior sit negatiua de necessario, minor affirmatiua de contingenti, fit syllogismus, sed imperfectus, in quo concluditur duplex conclusio, altera negatiua de inesse, altera de contingenti; ex. gr. dicatur; *necesse est nullum animal esse plantam; contingit omne album esse animal*; sequitur duplex conclusio, prima de contingenti; *ergo contingit nullum album esse plantam*; secunda de inesse; *ergo nullum animal est planta*. Quod sequatur conclusio de inesse, *ergo nullum album est planta*, probatur, quia ex contradictoria conclusionis, quæ est; *aliquod album est planta*, & conuersa maioris, infertur contradictoria minoris in Darij. Dicatur enim; *necesse est nullam plantam esse animal; aliquod album est planta*; sequitur; *ergo necesse est aliquod album non esse animal*, quæ contradicit positæ minori: *contingit omne album esse animal*; ergo si maior, & minor est vera, sequitur necessario hæc conclusio negatiua de inesse; *nullum album est planta*; ergo etiam sequitur hæc conclusio de contingenti, *contingit nullum album esse plantam*. Si enim nullum album est planta, contingit nullum album esse plantam sumendo contingens pro possibili.

9 Secundo si maior sit vniuersalis negatiua de contingenti, minor vniuersalis affirmatiua de necessario, fit syllogismus perfectus, in quo sequitur sola conclusio de contingenti, non autem de inesse: ex. gr. si dicatur, *contingens est nullum animal moueri; necesse est omnem hominem esse animal*; sequitur; *ergo contingens est nullum hominem moueri*, & est syllogismus perfectus. Cum enim in maiori sumatur, quod omni animali contingit non moueri, in minori, quod omnis homo est animal, sequitur per dictum de nullo, quod omni homini contingit non moueri, seu quod contingit nullum hominem moueri. Non tamen sequitur conclusio de inesse; *ergo nullus*

lus homo mouetur, cum possint esse veræ præmissæ, & adhuc omnes, vel aliqui homines moueri.

10 Tertio si maior sit vniuersalis affirmatiua de necessario, minor vniuersalis negatiua de contingenti, sequitur conclusio, & fit syllogismus imperfectus. Dicatur enim; *necesse est omne animal esse sensitiuum; contingens est nullum album esse animal*; sequitur; *ergo contingens est nullum album esse sensitiuum*: Ratio est, quia minor negatiua de contingenti potest conuerti in propositionem de contingenti circa dictum affirmatiuum, per quam dicatur, *contingens est omne album esse animal*; sed tunc erit primus modus affirmatiuus, de quo ostensum est, quod concludat; ergo &c.

11 Quarto, si maior sit affirmatiua de contingenti, minor negatiua de necessario, vel si vtraque sit negatiua, maior de contingenti, minor de necessario, non sequitur vlla conclusio, neque fit syllogismus. Probatur: si enim minor sit negatiua de necessario non sequitur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua; ergo &c. Probatur, quod non sequatur conclusio negatiua in his terminis, *album, animal, nix*. Si enim dicatur; *contingit omne animal esse album*; vel *contingit nullum animal esse album*; *necesse, vt nulla nix sit animal*; non sequitur, *ergo contingit omnem, vel aliquam niuem non esse albam*, cum necesse sit omnem niuem esse albam. Probatur, quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua in his terminis, *album, animal, pix*. Si enim dicatur; *contingit omne animal esse album; necesse est nullam picem esse animal*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquam picem esse albam*, cum necesse sit nullam picem esse albam.

12 *Cæterum eodem pacto se habebit, & in syllogismis in parte. Nam cùm priuatiuum sit necessarium, & conclusio erit eius, quod est non inesse. Veluti si A nulli eorum, quæ sunt B contingit inesse, necesse est A alicui eorum, quæ sunt C non inesse. Si enim omni inest: nulli vero B contingit, & B nulli A contingit inesse. Quare si A quidem omni C inest: B vero nulli A: ipsum B nulli eorum, quæ C contingit.*

13 *Sed cùm particulare affirmatiuum, quod est in syllogismo priuatiuo, necessarium sit, vt B C: aut vniuersale in prædicatiuo, vt A B, non erit eius, quod est inesse syllogismus. Demonstratio vero eadem, quæ & in prioribus.*

12 Determinatis modis vniuersalibus, agit Aristoteles de particularibus, ac primo de ijs, in quibus maior est vniuersalis, minor particularis. Primo si maior sit vniuersalis negatiua de necessario, minor particularis affirmatiua de contingenti, sequitur duplex conclusio negatiua, altera de contingenti, altera de inesse: ex. gr. si dicatur in Ferio; *necesse est nullum animal esse plantam; contingens est aliquod album esse animal*; sequitur; *ergo contingens est aliquod album non esse plantam*; & sequitur etiam; *ergo aliquod album non est planta*. Quod sequatur posita conclusio de inesse, probatur, quia si conclusio posita est falsa, est vera contradictoria, quæ est, *omne album est planta*; ex hac autem, & conuersa maioris, sequitur contradictoria minoris: dicendo enim, *necesse est nullam plantam esse animal; omne album est planta*; sequitur; *ergo necesse est nullum album esse animal*; sed hæc est contradictoria positæ minori, *contingens est aliquod album esse animal*; ergo cum ex contradictoria conclusionis, & conuersa maioris, sequatur falsitas minoris, non potest maior, & minor esse vera, & conclusio de inesse esse falsa, adeoque sequitur necessario hæc conclusio de inesse; *ergo aliquod album non est planta*; ergo etiam sequitur conclusio de contingenti, per quā dicatur; *ergo contingit aliquod album non esse plantam*. Et quia si minor sit particularis negatiua de contingenti, conuerti potest in affirmatiuam, vt dictum est cap. 13. num. 4. ideo hæc etiam coniugatio, in qua maior est vniuersalis negatiua de necessario, minor particularis negatiua de contingenti est vtilis.

13 Secundo si maior sit vniuersalis affirmatiua, vel negatiua de contingenti, minor particularis affirmatiua de necessario, fit syllogismus perfectus in Darij, & Ferio, in quibus sequitur conclusio de contingenti, non verò de inesse, proportionaliter ad dicta de Barbara, & Celarent: ex. gr. si dicatur: *contingit omne animal ambulare*; vel *contingit nullum animal ambulare; necesse est aliquod viuens esse animal*; sequitur in Darij; *ergo contingit aliquod viuens ambulare*; & in Ferio; *ergo contingit aliquod viuens non ambulare*; non vero sequitur, *ergo aliquod viuens ambulat, vel non ambu-*

ambulat. Demonstratur verò proportionaliter, ac demonstratum est de Barbara, & Celarent n.7. & 9. valet enim eadem ratio.

14 *Si autem vniuersale ponatur ad minus extremum, aut affiomatiuum, aut priuatiuum contingens: quod autem in parte necessarium ad maius extremum: non erit syllogismus. Termini eius quod est inesse ex necessitate, animal, album, homo: non inexistendi autem, animal, album, indumentum.*

15 *Cùm vero vniuersale necessarium sit, quod autem in parte contingens, vniuersali existente priuatiuo: termini eius, quod est inesse, animal, album, coruus: non inexistendi, animal, album, pix. Si verò affirmatiuum fuerit, animal, album, cygnus: eius vero, quod est non contingere, animal, album, nix.*

16 *Neque quando indefinitæ acceptæ fuerint propositiones, aut vtræque secundum partem, neque sic erit syllogismus. Termini communes inexistendi, animal, album, homo: non inexistendi, animal, album, inanimatum. Namque animal alicui albo: & album inanimato alicui, & necessarium inesse, & non contingit inesse. Et in eo, quod est contingere consimiliter. Quare ad omnia termini sunt vtiles.*

17 *Planum itaque ex dictis, quòd terminis consimiliter se habentibus, & in eo, quod est inesse, & in necessarijs, fit &, non fit syllogismus. Præterquàm quòd si secundum inesse ponebatur priuatiua propositio, eius, quod est contingere erat syllogismus: verum si secundum necessarium priuatiua, & eius, quod est contingere, & eius, quod est non inesse. Manifestum autem, & quòd omnes syllogismi imperfecti, & quòd perficiuntur per prædictas figuras.*

14 Determinat deinde Aristoteles de modis, in quibus maior est particularis, minor vniuersalis, ac docet omnes esse inutiles. Primo enim si maior est particularis de necessario, minor vniuersalis de contingenti, siue vtraque sit affirmatiua, siue vtraque negatiua, seu maior affirmatiua, minor negatiua, seu maior negatiua, minor affirmatiua, omnes sunt inutiles, cum nulla sequatur conclusio affirmatiua, neque negatiua. Quod non sequatur conclusio negatiua patet in his terminis, *animal, album, homo*. Si enim dicatur, *necesse est aliquod album esse animal; contingens est omnem hominem esse album*, quomodocunque varientur propositiones secundum affirmationem, vel negationem, non sequitur; *ergo contingens est nullum hominem esse animal, vel aliquem hominem non esse animal*, cum potius necessarium sit omnem hominem esse animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *animal, album, tunica*. Si enim dicatur; *necesse est aliquod album esse animal; contingens est omnem tunicam esse albam*; non sequitur; *ergo contingens est omnem, vel aliquam tunicam esse animal*, cum necesse sit nullam tunicam esse animal.

15 Secundo si maior sit particularis de contingenti, minor vniuersalis de necessario, adhuc non sequitur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua, quomodocunque varientur præmissæ secundum affirmationem, vel negationem, ita vt vel vtraque præmissa sit affirmatiua, vel vtraque negatiua &c. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua, si minor sit affirmatiua, patet in his terminis, *animal, album, cygnus*: si enim dicatur; *contingens est aliquod album non esse animal; necesse est omnem cygnum esse album*, non sequitur; *ergo contingens est omnem, vel aliquem cygnum non esse animal*, cum omnis cygnus ex necessitate sit animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, si minor est affirmatiua, patet in his terminis; *animal, album, nix*. Si enim dicatur; *contingens est aliquod album esse animal; necesse est omnem niuem esse albam*; non sequitur; *ergo contingens est omnem niuem esse animal*, cum necesse sit, vt nulla nix sit animal. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua, si minor sit negatiua, patet in his terminis, *animal, album, coruus*. Si enim dicatur; *contingens est aliquod album esse animal; necesse est nullum coruum esse album*; non sequitur; *ergo contingens est omnem, vel aliquem coruum non esse animal*, cum omnis coruus ex necessitate sit animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, si minor sit negatiua patet in his terminis, *animal, album, pix*. Si enim dicatur; *contingens est aliquod album esse animal; necesse est nullam picem esse albam*; non sequitur; *ergo contingens est omnem, vel aliquam picem esse animal*, cum necesse sit vt nulla pix sit animal.

16 Demum si vtraque præmissa est particularis, vel indefinita non fit syllogismus, cum

cum non sequatur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua, patet in his terminis, *animal, album, homo*. Si enim dicatur; *necesse est aliquod album non esse animal; contingens est aliquem hominem esse album*; non sequitur; *ergo contingens est omnem, vel aliquem hominem non esse animal*, cum necesse sit omnem hominem esse animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *animal, album, inanimatum*. Si enim dicatur; *contingens est aliquod album esse animal; necesse est aliquod inanimatum esse album*; non sequitur; *ergo contingens est omne, vel aliquod inanimatum esse animal*, cum necesse sit nullum inanimatum esse animal.

17 Concludit Aristoteles comparando coniugationes mistas ex propositionibus de contingenti, & de inesse cum coniugationibus mistis ex propositionibus de necessario, & de contingenti, ac dicit, quod in aliquo conueniunt, in aliquo disconueniunt. Conueniunt in hoc, quod tot, ac similes sunt coniugationes vtiles, ac inutiles in illa mistione, ac in ista: differunt, quod si propositio negatiua est de contingenti, sequitur solum conclusio de contingenti, non autem de inesse; at si propositio negatiua est de necessario, sequitur conclusio negatiua non solum de contingenti, sed etiam de inesse, vt dictum est num. 12. Verum omnes syllogismi, in quibus minor est negatiua sunt imperfecti, ac perficiuntur modis explicatis.

De syllogismis ex ambabus præmissis de contingenti in secunda figura. Cap. XVII.

1 *SEd in secunda figura quando contingentes vtraque accipiuntur propositiones nullus erit syllogismus, seu prædicatiuæ, siue priuatiuæ ponantur, vel vniuersaliter, aut secundum partem.*

2 *Cùm vero hæc inexistere, illa autem significet contingere, si affirmatiua quidem significat inexistere, nunquam erit: sin autem vniuersaliter priuatiua, semper.*

3 *Eodem pacto & cùm hæc propositionum ex necessitate, illa contingere accipiatur.*

4 *Oportet autem & in his accipere in conclusionibus contingens, quemadmodum in prioribus.*

1 POstquam Aristoteles egit de syllogismis de contingenti, & mistis primæ figuræ, agit de syllogismis secundæ figuræ; ac primo ponit quatuor regulas vniuersales. Prima regula pro syllogismis constantibus ex vtraque præmissa de contingenti est: in secunda figura ex vtraque præmissa de contingenti, quomodocunque se habeant secundum affirmationem, & negationem, ac secundum vniuersalitatem, vel particularitatem, non fit syllogismus, neque sequitur necessario vlla conclusio.

2 Secunda regula pro syllogismis mistis ex altera præmissa de contingenti, altera de inesse est: in secunda figura si præmissa affirmatiua sit de inesse, negatiua de contingenti non fit syllogismus; si verò vniuersalis negatiua sit de inesse, affirmatiua vniuersalis, vel particularis de contingenti, semper fit syllogismus.

3 Tertia regula pro syllogismis mistis ex altera de necessario, altera de contingenti est: in secunda figura, si præmissa affirmatiua sit de necessario, negatiua de contingenti, nunquam fit syllogismus; si verò negatiua vniuersalis fuerit de necessario, affirmatiua vniuersalis, vel particularis de contingenti, semper fit syllogismus.

4 Quarta demum, & vltima regula explicans in quo sensu sumatur contingens, quod infertur in secunda figura est: dum in secunda figura infertur conclusio de contingenti, contingens sumitur latè pro possibili, sicut sumitur in pluribus modis imperfectis primæ figuræ, vt dictum est cap. 16. num. 5. non verò sumitur strictè pro eo, quod potest esse, & non esse.

5 *Primum itaque monstrandum, quòd non conuertitur contingens priuatiuum: quemadmodum si A contingit nulli eorum, quæ B, non necesse & B contingere nulli eorum, quæ A.*

6 *Ponatur enim hoc, & contingat B nulli A inesse. Quoniam itaque conuertuntur contingentes affirmationes cum negationibus, & contrariæ & oppositæ: B vero contingit nulli A inesse: planum, quòd & omni A contingere posset B inesse. Sed hoc falsum: non enim si hoc huic omni contingit, & hoc*

& hoc huic necessarium: quare non conuertitur priuatiuum.

7 *Amplius nihil prohibet A contingere nulli B: B vero alicui eorum, quæ sunt A ex necessitate non inesse. Quemadmodum album omni homini contingit non inesse, & inesse: hominem autem non verum dicere, quòd contingit nulli albo. Multis enim ex necessitate non inest. Cæterum necessarium non erit contingens.*

8 *Verum neque ex impossibili monstrabitur conuerti. Veluti si quis existimaret, quoniam falsum est B contingere nulli A inesse, verum non contingere. Dictio namque, & negatio. Si autem hoc verum, & B ex necessitate inesse alicui eorum, quæ A: quare & A alicui eorum, quæ B. Sed hoc impossibile.*

9 *Non enim si B non contingit nulli eorum, quæ sunt A, necesse inesse alicui solum, sed ex necessitate non omni. Namque non contingere nulli bifariam dicitur: vnum, si ex necessitate alicui inest: alterum, si ex necessitate alicui non inest. Quod enim ex necessitate alicui eorum, quæ A non inest, non est verum dicere, quòd omni contingit non inesse: quemadmodum neque quòd alicui inest ex necessitate, quòd omni contingit inesse. Si itaque quispiam censeret, propterea quòd non contingit C omni D inesse, ex necessitate alicui ipsum non inesse, falso acciperet: omni enim inest. Sed quoniam quibus iam ex necessitate inest, ob hoc dicimus non omni contingere. Quare huic, quod est, contingere omni inesse, opponitur, & ex necessitate alicui inesse, & ex necessitate alicui non inesse: consimiliter autem & ei, quod est, nulli contingere. Manifestum igitur, quòd ad sic contingens, & non contingens, quemadmodum in principio determinauimus, non solum ex necessitate alicui inesse, sed ex necessitate alicui non inesse accipiendum. Hoc autem accepto, nihil accidit impossibile: quare non fit syllogismus. Manifestum itaque ex dictis quod non conuertitur priuatiuum. Hoc autem monstrato, ponatur A nulli quidem B contingere: C vero omni. Per conuersionem igitur non fit syllogismus: dictum est enim, quòd non conuertitur talis propositio.*

5 Positis regulis, probat Aristoteles illas, vt ita demonstret, quando nam in secunda figura fiat, vel non fiat syllogismus de contingenti. Probat ergo primam regulam, quod in secunda figura ex vtraque præmissa de contingenti, non fiat syllogismus. Omnis syllogismus in secunda figura eatenus concludit, quatenus potest reduci ad primam figuram, vel ostensiuè per conuersionem alicuius præmissæ, eo pacto, quo reducuntur Cesare, Camestres, & Festino; vel per reductionem ad impossibile, eo pacto, quo reducitur Barocco; sed neutro pacto possunt reduci coniugationes secundæ figuræ constantes ex vtraque præmissa de contingenti; ergo &c. Probatur minor, & primo quod reduci non possint ostensiuè per conuersionem. Cesare, Camestres, & Festino reducuntur ostensiuè conuertendo vniuersalem negatiuam in alteram vniuersalem negatiuam; sed vniuersalis negatiua de contingenti non potest conuerti in alteram vniuersalem negatiuam; ergo &c. Minorem, quod nimirum vniuersalis negatiua de contingenti non possit conuerti in aliam vniuersalem negatiuam, probat Aristoteles tripliciter; primo ab absurdo; secundo per instantiam; tertio ex signo, soluendo simul apparentem rationem, qua posset probari hæc conuersio.

6 Primo ergo probat ab absurdo: si vniuersalis negatiua de contingenti conuerteretur in aliam vniuersalem negatiuam, etiā vniuersalis affirmatiua de contingenti, conuerteretur in aliam vniuersalem affirmatiuam: ex. gr. hæc, *contingit omnem hominem esse album*; conuerteretur in hanc; *contingit omne album esse hominem*; sed hoc est absurdum; ergo &c. Probatur sequela maioris: vt dictum est cap. 13. num. 4. Propositiones de contingenti conuertuntur in propositiones de dicto opposito; ergò hæc affirmatiua *contingit omnem hominem esse album*, conuertitur in hanc negatiuam, *contingit nullum hominem esse album*; sed hæc ex suppositione conuertitur in hanc aliam negatiuam, *contingit nullum album esse hominem*, & hæc rursus conuertitur in hanc vniuersalem affirmatiuam, *contingit omne album esse hominem*; ergo à primo ad vltimum vniuersalis affirmatiua de contingenti conuertitur in aliam vniuersalem affirmatiuam, & valet; *contingit omnem hominem esse album*; *ergo contingit omne album esse hominem*; sed hoc est absurdum: licet enim sit verum, *contingit omnem hominem esse album*, adhuc est falsum; *contingit omne album esse hominem*, cum sit impossibile,

vt

vt multa alba, ex. gr. cygnus, & nix sint homo; ergo etiam est impossibile, vt vniuersalis negatiua de contingenti conuertatur in aliam vniuersalem negatiuam de contingenti.

7 Secundo probatur hoc ipsum per instantiam. Licet enim sit verum, quod *contingit nullum hominem esse album*, adhuc est falsum, quod *contingit nullum album esse hominem*, sumendo contingens strictè pro eo, quod potest esse, & non esse. Quamuis enim contingat, vt nullus homo sit albus in hoc sensu, vt quilibet homo possit esse, & non esse albus, adhuc non est verum, quod contingit nullum album esse hominem in hoc sensu, vt quodlibet album possit esse, & non esse homo; multa enim alba, vt cygnus, nix &c. necessario non sunt homo; ergo licet propositio vniuersalis negatiua de contingenti strictè sumpto possit conuerti in aliam vniuersalem negatiuam de contingenti latè sumpto pro possibili, adhuc non potest conuerti in aliam vniuersalem negatiuam de contingenti strictè sumpto, de quo nunc loquimur.

8 Tertio hoc idem probatur ex signo. Propositiones legitimè conuertibiles ita se habent, vt si conuertens sit falsa, sequatur impossibile, hoc est quod conuersa, quæ supponitur vera, sit pariter falsa, vt dictum est cap. 2. probando regulas conuersionum; sed propositiones vniuersales negatiuæ de contingenti non ita se habent, vt ex falsitate conuertentis sequatur falsitas conuersæ; ergo &c. Probatur minor simul soluendo argumentum, quo apparenter probatur ex falsitate conuertentis sequi falsitatem conuersæ. Dicatur enim; *contingens est nullum hominem esse album*, sequi videtur; *ergo contingens est nullum album esse hominem*. Si enim hæc conclusio est falsa, vera est contradictoria, *non contingit nullum album esse hominem*; ergo est etiam vera hæc illi æquipollens, *necesse est aliquod album esse hominem*; ergo est vera etiam hæc, in quam legitimè conuertitur, *necesse est aliquem hominem esse album*; sed hæc contradicit illi primæ, *contingens est nullum hominem esse album*; ergo si falsa est vniuersalis negatiua conuertens de contingenti, falsa est etiam conuersa, adeoque vniuersalis negatiua de contingenti legitimè conuertitur in aliam vniuersalem negatiuam.

9 Respondet Aristoteles, quod in hac argumentatione peccatur in illa illatione, in qua ex eo, quod sit vera hæc, *non contingit nullum album esse hominem* assumitur vt æquipollens hæc, *necesse est aliquod album esse hominem*. Duplici enim modo potest verificari hæc, *non contingit nullum album esse hominem*; primo ex eo, quod necesse sit, vt omne, vel aliquod album sit homo; eo enim ipso non continget, sed erit impossibile, vt nullum album sit homo: secundo ex eo, quod necesse sit, vt aliquod album non sit homo; eo enim ipso non continget, vt nullum album sit homo, seu vt omne album non sit homo, sed erit necessarium, vt aliquod album non sit homo; ergo cum hæc negatiua, *non contingit nullum album esse hominem*, possit verificari vel per hoc, quod necesse sit aliquod album esse hominem, vel per hoc, quod necesse sit aliquod album non esse hominem, malè ex illa infertur hæc determinatè, *necesse est aliquod album esse hominem* cum non sequatur hæc determinatè, sed vel hæc, vel altera: sicut quia hæc, *non contingit omne album esse hominem*, potest verificari vel per hoc, quod necesse sit aliquod album esse hominem, vel per hoc, quod necesse sit aliquod album non esse hominem, malè infertur altera determinatè; sed si inferatur hæc, *necesse est aliquod album non esse hominem*, nihil poterit inferri contra primam conuersam, *contingens est nullum hominem esse album*; ergo cum ex falsitate huius conuertentis, *contingens est nullum album esse hominem*, non inferatur falsitas conuersæ, conuersio non est legitima, adeoque vniuersalis negatiua de contingenti non conuertitur in aliam vniuersalem negatiuam. Sed secunda figura reducitur ostensiuè ad primam conuertendo vniuersalem negatiuam in aliam vniuersalem negatiuam; ergo si vtraque præmissa sit de contingenti, modi secundæ figuræ non possunt reduci ad primam; ergo non possunt ostensiuè probari per conuersionem: ex. gr. si dicatur in Cesare, *contingit nullum hominem esse album; contingit omne rationale esse album*; non sequitur; *ergo contingit nullum rationale esse hominem*, quia maior vniuersalis non potest conuerti, & per conuersionem reduci ad Celarent, vt ostensum est.

10 *Sed neque per impossibile. Si namque ponatur B omni C contingere inesse, nihil accidit falsi. Contingere enim posset A ipsi*

G, &

C, & omni, & nulli inesse. Sed si omnino est syllogismus, planum quòd eius quod est contingere vtique esset: propterea quòd neutra propositionum accepta fuit in eo, quod est inesse. Et iste aut affirmatiuus, aut priuatiuus.

10 Secundo probatur, quod modi secundæ figuræ ex vtraque præmissa de contingenti non possunt reduci ad primam figuram per reductionem ad impossibile: ex falsitate conclusionis cum altera præmissarum non sequitur falsitas alterius præmissæ; sed in hoc consistit reductio ad impossibile; ergo modi secundæ figuræ ex vtraque præmissa de contingenti, non possunt reduci ad impossibile. Probatur maior: dicatur enim in Cesare; *contingit nullum hominem esse album; contingit omne rationale esse album; ergo contingit nullum rationale esse hominem.* Sumatur contraria, vel contradictoria conclusionis; *contingit omne, vel aliquod rationale esse hominem*, adiuncta maiori, dicatur in Celarent, vel Ferio: *contingit nullum hominem esse album; contingit omne, vel aliquod rationale esse hominem*, sequitur; *ergo contingit omne, vel aliquod rationale non esse album*, quæ non repugnat minori positæ in Cesare, *contingit omne rationale esse album*, cum simul verificetur, *contingit omne rationale esse album; contingit nullum rationale esse album*, imo vna inferatur ex alia, vt dictum est cap. 13. num. 10. Si verò contraria, vel contradictoria conclusionis; *contingit omne, vel aliquod rationale esse hominem*, coniungatur cum minori, *contingit omne rationale esse album*; ad summum sequitur in Darapti, vel Disamis; *ergo contingit aliquod album non esse hominem*, quæ non opponitur maiori; *contingit nullum hominem esse album*, cum simul verificentur, imo vna inferatur ex alia, vt dictum est cap. 13. num. 10. in regulis conuersionum; ergo cum in modis secundæ figuræ ex vtraque præmissa de contingenti, ex falsitate conclusionis non sequatur falsitas vllius præmissæ, non possunt probari per reductionem ad impossibile. Id quod exemplificatum est in Cesare, potest exemplificari in alijs modis secundæ figuræ.

11 *Neutro autem modo accidit. Si affirmatiuus quidem ponatur, monstrabitur per terminos, quòd non contingit inesse: si vero priuatiuus, quòd conclusio non contingens est, sed necessaria. Sit enim A album, B homo, in quo C equus. A itaque album contingit huic quidem omni, illi vero nulli: sed B ipsi C neque inesse contingit, neque non inesse. Quòd igitur inesse non accidit, manifestum: nullus enim equus homo. Cæterum neque contingere non inesse: necesse nanque est nullum equum hominem esse. Sed necessarium non erat contingens: non itaque fit syllogismus. Itidem autem monstrabitur & si è conuerso positum fuerit priuatiuum.*

12 *Et si vtraeque affirmatiuæ acceptæ fuerint, aut priuatiuæ. Per eosdem nanque terminos erit demonstratio. Et quando hæc vniuersaliter, illa in parte, aut vtraeque secundum partem, aut indefinitæ, aut quotcunque modis aliter contingit transumere propositiones. Semper enim erit demonstratio per eosdem terminos. Planum itaque, quòd si vtræque propositiones secundum contingens ponuntur, nullus fit syllogismus.*

11 Postquam Aristoteles probauit, quod in secunda figura ex vtraque præmissa de contingenti non fit syllogismus, ex eo, quod non potest reduci ad primam, neque ostensiuè, neque per impossibile, probat idem per instantiam. Si in secunda figura fieret syllogismus ex vtraque præmissa de contingenti, vel sequeretur conclusio de necessario, vel de contingenti, vel de inesse; nulla ex his sequitur neque affirmatiua, neque negatiua; ergo &c. Probatur minor; & primo, quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua. Potest esse falsa omnis conclusio affirmatiua; ergo &c. Probatur antecedens in his terminis, *album, homo, equus*. Si enim dicatur in Cesare; *contingit nullum hominem esse album; contingit omnem equum esse album*; non sequitur vlla conclusio affirmatiua neque de inesse, neque de necessario, neque de contingenti, cum neque sit verum, quod omnis, vel aliquis equus sit homo, neque quod omnis, vel aliquis equus necessario sit homo, neque quod contingat omnem, vel aliquem equum esse hominem, cum necesse sit, vt nullus equus sit homo. Ex ijsdem terminis patet non sequi conclusionem negatiuam de contingenti: ex. gr. *ergo contingit nullum equum esse hominem*. Cum enim necessarium sit nullum equum

esse

esse hominem; non est contingens, cum non possit idem esse necessarium, & contingens strictè, licet possit idem esse necessarium, & contingens latè sumendo contingens pro possibili. Quod verò non sequatur conclusio negatiua de inesse, & de necessario, patet in his terminis, *album, animal, equus*. Si enim dicatur in Cesare; *contingit nullum animal esse album; contingit omnem equum esse album*; non sequitur; *ergo omnis, vel aliquis equus non est animal*; multo minus sequitur cum modo necessarij; *ergo necesse est, vt omnis, vel aliquis equus non sit animal*, cum necesse sit, vt omnis equus sit animal.

12 Eodem pacto demonstrari potest non sequi conclusionem de contingenti, si vtraque præmissa sit affirmatiua, vel vtraque negatiua, vel altera particularis, altera vniuersalis, vel vtraque particularis, vel vtraque indefinita: semper enim per instantiam in terminis demonstrari potest nullam sequi conclusionem; ergo vniuersim in secunda figura ex vtraque præmissa de contingenti nulla sequitur conclusio, adeoque non fit syllogismus.

De syllogismis ex altera præmissa de contingenti, altera de inesse in secunda figura. Cap. XVIII.

1 *SI autem hæc inexistere, illa verò contingere significet, si prædicatiua ponatur inexistere, priuatiua autem contingere, nullus erit syllogismus: neque dum vniuersaliter, neque dum in parte termini accipiuntur.*

2 *Demonstratio vero eadem, & per eosdem terminos.*

3 *Sed quando affirmatiua contingere, priuatiua autem inexistere, erit syllogismus. Sumatur enim A. B nulli inesse: C vero omni contingere: conuerso itaque priuatiuo, B. A nulli inerit: sed A omni C contingit: fit igitur syllogismus, quòd contingit B nulli C per primam figuram. Consimiliter autem & si ad C ponatur priuatiuum.*

4 *Cùm vero vtraque sunt priuatiuæ, significet autem hæc non inesse, illa contingere non inesse, per ipsa quidem assumpta nihil accidit necessarium: sed conuersa propositione, quæ est secundum contingere, syllogismus efficitur, quòd nulli C contingit inesse, quemadmodum in prioribus. Erit enim rursus prima figura.*

1 POstquam Aristoteles probauit primam regulam, quod nimirum in secunda figura ex vtraque præmissa de contingenti non fit syllogismus, probat secundam regulam, quod nimirum in eadem secunda figura, si præmissa affirmatiua sit de inesse, negatiua de contingenti, non fit syllogismus; si verò vniuersalis negatiua sit de inesse, affirmatiua de contingenti fit syllogismus.

2 Prima pars regulæ probatur per instantiam in terminis. Si enim affirmatiua sit de inesse non sequitur vlla conclusio negatiua, vt patet in his terminis, *album, animal, homo*. Dicatur enim in Cesare; *contingit nullum animal esse album; omnis homo est albus*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquem hominem non esse animal*, cum necesse sit, vt omnis homo sit animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua patet in his terminis, *album, equus, homo*. Si enim dicatur; *contingit nullum equum esse album; omnis homo est albus*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquem hominem esse equum*, cum necesse sit, vt nullus homo sit equus.

3 Secunda pars regulæ, quod nimirum si vniuersalis negatiua sit de inesse, affirmatiua de contingenti, fiat syllogismus, probatur. Primo enim dicatur in Cesare; *nullus homo est irrationalis; contingit omne vigilans esse irrationale*; sequitur; *ergo contingit nullum vigilans esse hominem*. Maior enim vtpote vniuersalis negatiua de inesse, potest conuerti simpliciter in hanc, *nullum irrationale est homo*; sed facta hac conuersione, argumentum erit in Celarent, in quo ex maiori negatiua de inesse, minori affirmatiua de contingenti sequitur conclusio, vt dictum est cap. 15. num. 12. ergo etiam in Cesare ex maiori negatiua de inesse, minori affirmatiua de contingenti sequitur conclusio. Secundo dicatur in Camestres; *contingit omne vigilans esse irrationale; nullus homo est irrationalis*; sequitur; *ergo contingit nullum hominem esse vigilantem*: conuertendo enim minorem, & transponendo præmissas, eadem conclusio sequitur in Celarent.

4 Quia verò propositio contingens negatiua de dicto, conuerti potest in affirmatiuam de dicto, vt probatum est cap. 13. num. 4. ideo sequitur conclusio, etiamsi vtraque præmissa sit vniuersalis negatiua, altera de contingenti, alterà de inesse: ex. gr. si dicatur; *nullus homo est irrationalis; contingit nullum album esse irrationalem*; sequitur; *ergo contingit nullum album esse hominem*, quia per conuersionem maioris in alteram vniuersalem negatiuam de inesse, & per conuersionem minoris in propositionem de dicto affirmatiuo, argumentum erit in Celarent. Similiter si dicatur; *contingit nullum album esse irrationale; nullus homo est irrationalis*; sequitur; *ergo contingit nullum hominem esse album*. Conuertendo enim maiorem in affirmatiuam de dicto, argumentum erit in Camestres, quod per conuersionem minoris, & transpositionem præmissarum reducetur ad Celarent.

5 *Si vero vtraque ponantur prædicatiuæ, non erit syllogismus. Termini quòd insit; sanitas, animal, homo: quòd non insit, sanitas, equus, homo.*

6 *Eodem pacto se habebit & in syllogismis in parte. Cùm enim affirmatiuum sit inexistens, aut vniuersaliter, aut in parte acceptum, nullus erit syllogismus. Hoc autem consimiliter, & per eosdem monstratur terminos, quibus priora. Cùm vero priuatiuum, erit per conuersionem, quemadmodum in prioribus.*

7 *Rursus si ambo quidem interualla priuatiua fuerint accepta, vniuersaliter autem, quòd non inexistere, ex ipsis quidem propositionibus non erit necessarium: sed conuerso eo, quod est contingere, quemadmodum in prioribus, erit syllogismus. Si vero priuatiuum quidem inexistens sit, sed in parte acceptum, non erit syllogismus: siue affirmatiua, siue priuatiua altera fuerit propositio. Neque quando vtraque indefinitæ sint acceptæ, aut negatiuæ, aut affirmatiuæ, vel secundum partem. Demonstratio vero eadem, & per eosdem terminos.*

5 Sicut si præmissa vniuersalis affirmatiua in secunda figura sit de inesse, negatiua de contingenti, non fit syllogismus, sic non fit syllogismus si vtraque sit affirmatiua, altera de contingenti, altera de inesse, siue maior sit de contingenti, minor de inesse, siue è conuerso. Probatur, quia non sequitur vlla conclusio affirmatiua, neque negatiua; ergo &c. Quod non sequatur negatiua, patet in his terminis, *sanum, animal, homo*. Si enim dicatur; *contingit omne animal esse sanum; omnis homo est sanus*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquem hominem non esse animal*, cum omnis homo necessario sit animal. Quod non sequatur conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *sanum, equus, homo*. Si enim dicatur; *contingit omnem equum esse sanum; omnis homo est sanus*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquem hominem esse equum*, cum necesse sit nullum hominem esse equum.

6 Modi in quibus altera præmissa est vniuersalis, altera particularis sunt proportionaliter vtiles, vel inutiles, sicut modi vniuersales. Si enim affirmatiua vniuersalis, siue particularis sit de inesse, negatiua de contingenti, non fit syllogismus: ex.gr. si dicatur in Festino; *contingit nullum animal esse album; aliquis homo est albus*; non sequitur; *ergo contingit aliquem hominem non esse animal*. E conuerso si vniuersalis negatiua fuerit de inesse, particularis affirmatiua de contingenti, fiet syllogismus: ex. gr. si dicatur in Festino; *nullus equus est homo; contingit aliquod vigilans esse hominem*; sequitur; *ergo contingit aliquod vigilans non esse equum*, cum per conuersionem maioris argumentum reducatur ad Ferio.

7 Si vtraque sit negatiua, altera vniuersalis de inesse, altera particularis de contingenti, fiet syllogismus: ex. gr. si dicatur; *nullus equus est homo; contingit aliquod vigilans non esse hominem*; sequitur; *ergo contingit aliquod vigilans non esse equũ*. Conuertendo enim minorem negatiuam de dicto in affirmatiuam de dicto, argumentum erit in Festino, quod concludit, vt iam probatum est. Si verò præmissa particularis negatiua fuerit de inesse, vniuersalis affirmatiua de contingenti, non erit syllogismus: ex. gr. si dicatur in Barocco; *contingit omne animal vigilare; aliquis equus non vigilat*; non sequitur; *ergo contingit aliquem equum non esse animal*. Demum non fit syllogismus si vtraque sit indefinita, vel vtraque particularis, quomodocunque varientur secundum affirmationem, vel negationem, vt patere potest per instantiam in terminis.

De

De syllogismis ex altera præmissa de necessario, altera de contingenti in secunda figura. Cap. XIX.

1 *Verum si hæc ex necessitate, illa propositionum contingere significet, priuatiua existente necessaria, erit syllogismus, non solum quòd contingit non inesse, sed & quoniam non inest: affirmatiua autem non erit.*

2 *Ponatur enim A. B nulli ex necessitate inesse: C vero omni contingere: conuersa igitur priuatiua, & B. A nulli inerit. Sed A. C omni contingit: fit igitur rursus per primam figuram syllogismus, quòd B nulli C contingit inesse. Simul autem manifestum, quòd & B nulli C inest. Ponatur enim inesse: igitur si A. B nulli contingit: B vero inest alicui eorum quæ C: A alicui eorum, quæ C non contingit: sed omni supponebatur contingere.*

3 *Eodem pacto monstrabitur, & si ad C ponatur priuatiuum.*

1 Postquam Aristoteles probauit primam, & secundam regulam pro syllogismis secundæ figuræ ex vtraque præmissa de contingenti, & ex altera de contingenti, altera de inesse, explicat, & probat tertiam regulam pro syllogismis secundæ figuræ ex altera præmissa de necessario, altera de contingenti. Est autem hæc regula: si negatiua vniuersalis sit de necessario, affirmatiua vniuersalis, vel particularis de contingenti, fit syllogismus: si verò affirmatiua sit de necessario, non fit syllogismus. Probat igitur hanc regulam discurrendo primo per coniugationes ex vtraque præmissa vniuersali; secundo per coniugationes constantes ex vtraque, vel altera præmissa particulari.

2 Primo igitur si maior vniuersalis negatiua sit de necessario, minor vniuersalis affirmatiua de contingenti, fit syllogismus, in quo sequitur duplex conclusio, altera negatiua de contingenti, altera negatiua de inesse. Dicatur enim in Cesare; *necesse est nullum hominem esse equum; contingit omne vigilans esse equum*; sequitur; *ergo contingit, nullum vigilans esse hominem*. Patet: conuertendo enim maiorem simpliciter iuxtà regulas conuersionum traditas cap. 3. num. 1. eadem conclusio sequitur in Celarent. Infertur etiam hæc conclusio negatiua de inesse; *ergo nullum vigilans est homo.* Probatur per reductionem ad impossibile: si enim falsa sit hæc conclusio, vera erit contradictoria, quæ est, *aliquod vigilans non est homo*; sed ex hac cum maiori sequitur contradictoria minoris in Ferio, & fit syllogismus; *necesse est nullum hominem esse equum; aliquod vigilans est homo; ergo necesse est aliquod vigilans non esse equum*, quæ est contradictoria illi minori, *contingit omne vigilans esse equum*; ergo cum non possit esse falsa conclusio negatiua de inesse, nisi sit falsa aliqua præmissarum, si vtraque præmissa est vera, etiam conclusio est vera, adeoque ex præmissis necessario sequitur talis conclusio.

3 Secundo si maior sit affirmatiua de contingenti, minor negatiua de necessario, sequitur conclusio negatiua de contingenti, & de inesse. Dicatur enim in Camestres; *contingit omne album esse equum; necesse est nullum hominem esse equum*; sequitur; *ergo contingit nullum hominem esse album.* Conuertendo enim minorem, & transponendo præmissas, eadem conclusio sequitur in Celarent. Ex ijsdem præmissis in Camestres sequitur hæc conclusio negatiua de inesse; *ergo nullus homo est albus*. Probatur per impossibile: ex maiori enim, quæ est, *necesse est nullum hominem esse equum*, & ex contradictoria conclusionis, quæ est, *aliquis homo est albus*; sequitur in tertia figura, & in Ferison; *ergo necesse est aliquod album non esse equum*, quæ est contradictoria maioris; *contingit omne album esse equum*; ergo cum ex falsitate conclusionis negatiuæ de inesse, & ex altera præmissarum, sequatur falsitas alterius præmissæ, non potest vtraque præmissa esse vera, & conclusio falsa, adeoque talis conclusio necessario sequitur ex positis præmissis.

4 *Rursus sit prædicatiuum necessarium, alterum vero contingens: & A contingat nulli B: C vero omni insit ex necessitate; sic itaque se habentibus terminis, nullus fit syllogismus. Accidit enim ipsi C ex necessitate non inesse. Sit nanque A album, in quo B homo, in quo C cygnus. Album igitur cygno ex necessitate inest: homini vero contingit nulli: & homo nulli cygno ex necessi-*

cessitate. Quòd igitur eius, quod est contingere, non est syllogismus, planum: quod enim ex necessitate, non erat contingens. Veruntamen neque necessarij. Necessarium nanque aut ex vtrisque necessarijs, aut ex priuatiua accidit. Amplius autem & licet his positis, B ipsi C inesse. Nihil enim prohibet C sub B esse: A vero B omni contingere: C autem ex necessitate inesse. Veluti si C esset vigilatio, B animal, in quo A motus: nam vigilanti ex necessitate motus inest: animali vero omni contingit: & omne vigilans animal. Manifestum itaque, quòd neque non inexistendi: siquidem ita se habentibus, necesse inesse. Neque vtique oppositarum affirmationum. Quare nullus erit syllogismus. Consimiliter monstrabitur & si è conuerso ponatur affirmatiua.

4 Tertio si è conuerso maior sit negatiua de contingenti, minor affirmatiua de necessario, non fit syllogismus, nec sequitur vlla conclusio. Probatur, quia neque sequitur conclusio affirmatiua, neque negatiua de contingenti, neque de necessario, neque de inesse; ergo &c. Probatur antecedens, & primo, quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua de contingenti patet in his terminis, *album, homo, cygnus*. Si enim dicatur in Cesare; *contingit nullum hominem esse album; necesse est omnem cygnum esse album*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquem cygnum esse hominem*; neque sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquem cygnum non esse hominem*. Cum enim necessarium sit nullum cygnum esse hominem, non est contingens, sed impossibile, vt aliquis cygnus sit homo, neque est contingens strictè, sed necessarium, vt nullus cygnus sit homo. Secundo quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua de necessario, probatur dupliciter; primo quia ex dictis cap. 17. num. 3. conclusio de necessario non sequitur, nisi vtraque præmissa, vel saltem negatiua sit de necessario; sed secundum dispositionem positam sola præmissa affirmatiua est de necessario; ergo &c. Secundo probatur simul quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua de necessario, neque de inesse; & primo, quod non sequatur vlla affirmatiua de necessario, neque de inesse patet in terminis positis, *album, homo, cygnus*. Licet enim sit vera vtraque præmissa; *contingit nullum hominem esse album: necesse est omnem cygnum esse album*; non sequitur; *ergo necesse est omnem, vel aliquem cygnum esse hominem*, neque sequitur; *ergo omnis, vel aliquis cygnus est homo*; cum ex necessitate nullus cygnus sit homo. Quod neque sequatur vlla conclusio negatiua de necessario, neque de inesse, probatur, quia potest esse vera vtraque præmissa, & tamen esse falsa omnis conclusio negatiua de inesse, vt patet in his terminis, *moueri, animal, vigilans, vel currens*. Dicatur enim; *contingens est nullum animal moueri; necesse est omne vigilans, vel currens moueri*; vtraque præmissa est vera, & tamen est falsa omnis negatiua de necessario, vel de inesse, quæ dicatur; *ergo necesse est nullum, aut aliquod vigilans, vel currens esse animal*; vel; *ergo nullum, vel aliquod vigilans, aut currens non est animal*, cum omne vigilans, & currens ex necessitate sit animal; ergo cum neque sequatur conclusio de contingenti, neque de necessario, neque de inesse, patet, quod si in secunda figura maior sit negatiua de contingenti, minor affirmatiua de necessario, non sequitur vlla conclusio, neque fit syllogismus. Eodem pacto probari potest, quod si maior sit vniuersalis affirmatiua de necessario, minor vniuersalis negatiua de contingenti, adeoque fiat argumentum in Camestres, nulla sequitur conclusio.

5 *Quod si eiusdem figuræ sint propositiones, cùm priuatiuæ sunt, semper fit syllogismus, conuersa propositione, quæ est secundum contingere, quemadmodum in prioribus: Accipiatur enim A ipsi B ex necessitate non inesse: conuersis igitur propositionibus, B nulli A inerit: A vero omni C contingit: fit itaque prima figura. Et si ad C poneretur priuatiuum, consimiliter.*

6 *Sin autem prædicatiuæ posita fuerint, non erit syllogismus. Nanque non inexistendi, aut ex necessitate non inexistendi, planum quòd non erit: propterea quòd non fuit accepta priuatiua propositio, neque in eo, quod est inesse, neque in eo, quod est ex necessitate inesse. Veruntamen neque eius quod est contingere non inesse. Ex necessitate enim sic se habentibus B ipsi C non inerit. Quemadmodum si A poneretur album, in quo B cygnus, C vero homo. Neque vtique oppositarum negationum: quoniam monstratum est B ipsi C ex necessitate non inexi-*

inexi-

quod cum iam ostensum sit reliquos omnes syllogismos trium figurarum, reduci ad primos duos vniuersales primæ figuræ, hoc est ad Barbara,& Celarent,si fuerit demonstratum, quod absolutè omnes syllogismi debent esse in aliqua ex tribus figuris, eo ipso erit ostensum, quod absolutè omnes syllogismi,vel sunt in Barbara,& Celarent, vel reduci possunt ad Barbara, & Celarent.

2 Præmittit secundo diuisionem syllogismi, ac demonstrationis. Omnis syllogismus, ac demõstratio demonstrat aliquod prædicatum conuenire, vel non conuenire alicui subiecto vniuersaliter, aut particulariter: rursus aut demonstrat ostensiuè, ac directè, aut ex suppositione, siue hypothesi: pars autem subiectiua, seu species syllogismi probantis ex hypothesi est syllogismus, qui probat conclusionem ex absurdo, vel impossibili,quod sequitur,si supponatur oppositum talis conclusionis. Primo igitur ostendendum est, quod omnes syllogismi ostensiui, ac directi fieri debent in aliqua ex tribus figuris.Hoc enim ostenso facile erit idem demonstrare de syllogismis ex impossibili, vel absurdo, & vniuersim de omnibus syllogismis ex hypothesi, seu suppositione.

3 *Si igitur oporteat A de B ratiocinari, vt inexistens, aut non inexistens, necesse est accipere aliquid de aliquo. Si ergo A de B acceptum fuerit, quod est à principio sumptum erit. Sin autem de C, C vero de nullo: neque de illo aliud, neque de A alterum, nullus erit syllogismus. Eo enim, quòd vnum de vno sit acceptum, nil accidit ex necessitate: quare assumenda, & altera propositio. Si itaque A de alio fuerit acceptum, aut aliud de A, aut de C alterum, esse quidem syllogismum nihil prohibet: ad B tamen non erit per accepta. Neque quando C alteri: & illud alij: & hoc alteri: non fuerit autem ad B copulatum, nec sic erit ad B ipsius A syllogismus. Omnino enim diximus, quòd nullus vnquam erit syllogismus, alius de alio, non accepto aliquo medio, quod ad vtrunque se habet quodammodo prædicationibus. Syllogismus nanque simpliciter ex propositionibus est: ad hoc autem syllogismus, ex propositionibus ad hoc. Sed impossibile ad B propositionem capere, nihil de ipso aut prædicantes, aut negantes: aut iterum ipsius A ad B, nihil commune accipientes: verum de vtroque sigillatim quædam prædicantes, aut negantes. Quare accipiendum medium aliquod vtrorunque, quod prædicationes copulabit: siquidem erit huius ad hoc syllogismus.*

4 *Si igitur necesse quidem est accipere ad vtraque commune, hoc autem trifariam contingit: aut enim A de C, & C de B prædicaturos: aut C de vtrisque: aut vtraque de C: hæ vero sunt dictæ figuræ: planum syllogismum omnem necessarium fieri per harum aliquam figurarum. Eadem enim ratio, & si per plura copulat ad B. Eadem nanque erit figura, & in multis. Quod igitur ostensiui omnes concluduntur per prædictas figuras, manifestum.*

3 Quod igitur omnis syllogismus ostensiuus debeat esse in aliqua ex tribus figuris, Aristoteles sic probat. Omnis syllogismus ostendens aliquod prædicatum conuenire, vel non conuenire alicui subiecto, debet esse per medium copulatum vtrique extremo, hoc est tum prædicato, tum subiecto conclusionis probandæ; sed omnis syllogismus, qui fit per medium copulatum vtrique extremo cõclusionis probandæ debet disponi in aliqua ex tribus figuris; ergo omnis syllogismus ostensiuus debet disponi in aliqua ex tribus figuris. Probatur maior: sit enim ostendendum, quod risibile conuenit homini, seu, quod homo est risibilis. Ad ostendendum quod homo est risibilis, debet sumi aliqua propositio, non omninò disparata, puta, quod Cælum est incorruptibile, quia nihil potest ex necessitate concludi ex propositione omninò disparata: nec debet sumi propositio omnino eadem, puta, quod homo sit risibilis; peteretur enim principium,& probaretur idem per idem; ergo debet assumi propositio conueniens cum conclusione probanda,vel in prædicato,vel in subiecto. Conueniat igitur in prædicato, & ad probandum ex. gr. quod omnis homo est risibilis, assumatur, quod omne rationale est risibile: si solum fuerit assumptum, quod omne rationale est risibile, non autem fuerit assumptum, quod rationale affirmatur, vel negatur de aliquo alio,vel aliquod aliud affirmatur, aut negatur de rationali, vel quod risibile affirmatur de alio, vel aliud de risibili, adhuc non sequitur ex necessitate vlla conclusio: ex vnica enim propositione, qua vnum prædicatum affirmatur, aut

mediatè per *dictum de nullo*. Licet enim in maiori sumatur, quod *necesse est omnem hominem esse risibilem*, in minori non sumitur, *quod omne vigilans est homo*, sed solum sumitur, quod *contingit omne vigilans esse hominem*.

7 Probatur iam, quod si maior sit vniuersalis affirmatiua de contingenti, minor vniuersalis affirmatiua de necessario, sequatur conclusio de contingenti, & sit syllogismus perfectus. Dicatur enim; *contingit omne animal moueri; omnis homo necessario est animal*; sequitur; *ergo contingit omnem hominem moueri*. Cum enim in maiori de omni animali affirmetur, quod contingit moueri, & in minori assumatur, quod, omnis homo necessario est animal, patet, quod contingit omnem hominem moueri, alioquin non contingeret omne animal moueri, siquidem omnis homo esset animal, & aliquis homo moueri non posset. Patet autem in vtroque exemplo, quod solum sequitur; *ergo contingit omnem hominem moueri*, non autem sequitur absolute; *ergo omnis homo mouetur*, cum possit vtraque præmissa esse vera, & tamen omnis homo de facto quiescere.

8 *Si autem non consimilis figuræ propositiones extiterint, sit primum priuatiua necessaria, & A nulli contingat eorum quæ B ex necessitate: B vero omni C contingat: necesse itaque est A nulli C inesse. Ponatur enim inexistens, aut omni, aut alicui: B vero supponebatur nulli contingere: quoniam itaque conuertitur priuatiuum, & B nulli contingit A: A vero omni C, aut alicui ponitur inesse: quare nulli, aut non omni C contingeret B inesse: supponenebatur autem à principio omni contingere. Sed manifestum & quoniam eius, quod est contingere non inesse, efficitur syllogismus: siquidem & eius, quod est non inesse.*

9 *Rursus sit affirmatiua propositio necessaria, & A contingat nulli B inesse: B vero omni C insit ex necessitate: syllogismus itaque erit perfectus: sed non eius, quod est non inesse, sed eius, quod est contingere non inesse. Namque propositio sic accepta fuit, quæ est à maiori extremo. Et ad impossibile non est ducere. Si enim supponatur A nulli C inesse, positum est autem, & B nulli contingere inesse, nihil accidit propter hæc impossibile.*

10 *Si vero ad minus extremum ponatur priuatiuum, quando contingere quidem significet, syllogismus erit per conuersionem, quemadmodum in prioribus.*

11 *Sed quando non contingere, non erit: neque quando ambo ponantur priuatiua, non sit autem contingens, quod ad minus. Termini vero iidem, eius quod est inesse, album, animal, nix: non inexistendi, album, animal, pix.*

8 Si altera præmissa sit affirmatiua, altera negatiua, primo si maior sit negatiua de necessario, minor affirmatiua de contingenti, fit syllogismus, sed imperfectus, in quo concluditur duplex conclusio, altera negatiua de inesse, altera de contingenti; ex. gr. dicatur; *necesse est nullum animal esse plantam; contingit omne album esse animal*; sequitur duplex conclusio, prima de contingenti; *ergo contingit nullum album esse plantam*; secunda de inesse; *ergo nullum animal est planta*. Quod sequatur conclusio de inesse, *ergo nullum album est planta*, probatur, quia ex contradictoria conclusionis, quæ est; *aliquod album est planta*, & conuersa maioris, infertur contradictoria minoris in Darij. Dicatur enim; *necesse est nullam plantam esse animal; aliquod album est planta*; sequitur; *ergo necesse est aliquod album non esse animal*, quæ contradicit positæ minori: *contingit omne album esse animal*; ergo si maior, & minor est vera, sequitur necessario hæc conclusio negatiua de inesse; *nullum album est planta*; ergo etiam sequitur hæc conclusio de contingenti, *contingit nullum album esse plantam*. Si enim nullum album est planta, contingit nullum album esse plantam sumendo contingens pro possibili.

9 Secundo si maior sit vniuersalis negatiua de contingenti, minor vniuersalis affirmatiua de necessario, fit syllogismus perfectus, in quo sequitur sola conclusio de contingenti, non autem de inesse: ex. gr. si dicatur, *contingens est nullum animal moueri; necesse est omnem hominem esse animal*; sequitur; *ergo contingens est nullum hominem moueri*, & est syllogismus perfectus. Cum enim in maiori sumatur, quod omni animali contingit non moueri, in minori, quod omnis homo est animal, sequitur per dictum de nullo, quod omni homini contingit non moueri, seu quod contingit nullum hominem moueri. Non tamen sequitur conclusio de inesse; *ergo nullus*

lus homo mouetur, cum possint esse veræ præmissæ, & adhuc omnes, vel aliqui homines moueri.

10 Tertio si maior sit vniuersalis affirmatiua de necessario, minor vniuersalis negatiua de contingenti, sequitur conclusio, & fit syllogismus imperfectus. Dicatur enim; *necesse est omne animal esse sensitiuum; contingens est nullum album esse animal*; sequitur; *ergo contingens est nullum album esse sensitiuum*: Ratio est, quia minor negatiua de contingenti potest conuerti in propositionem de contingenti circa dictum affirmatiuum, per quam dicatur, *contingens est omne album esse animal*; sed tunc erit primus modus affirmatiuus, de quo ostensum est, quod concludat; ergo &c.

11 Quarto, si maior sit affirmatiua de contingenti, minor negatiua de necessario, vel si vtraque sit negatiua, maior de contingenti, minor de necessario, non sequitur vlla conclusio, neque fit syllogismus. Probatur: si enim minor sit negatiua de necessario non sequitur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua; ergo &c. Probatur, quod non sequatur conclusio negatiua in his terminis, *album, animal, nix*. Si enim dicatur; *contingit omne animal esse album*; vel *contingit nullum animal esse album*; *necesse, vt nulla nix sit animal*; non sequitur, *ergo contingit omnem, vel aliquam niuem non esse albam*, cum necesse sit omnem niuem esse albam. Probatur, quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua in his terminis, *album, animal, pix*. Si enim dicatur; *contingit omne animal esse album; necesse est nullam picem esse animal*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquam picem esse albam*, cum necesse sit nullam picem esse albam.

12 *Cæterum eodem pacto se habebit, & in syllogismis in parte. Nam cùm priuatiuum sit necessarium, & conclusio erit eius, quod est non inesse. Veluti si A nulli eorum, quæ sunt B contingit inesse, necesse est A alicui eorum, quæ sunt C non inesse. Si enim omni inest: nulli vero B contingit, & B nulli A contingit inesse. Quare si A quidem omni C inest: B vero nulli A: ipsum B nulli eorum, quæ C contingit.*

13 *Sed cùm particulare affirmatiuum, quod est in syllogismo priuatiuo, necessarium sit, vt B C: aut vniuersale in prædicatiuo, vt A B, non erit eius, quod est inesse syllogismus. Demonstratio vero eadem, quæ & in prioribus.*

12 Determinatis modis vniuersalibus, agit Aristoteles de particularibus, ac primo de ijs, in quibus maior est vniuersalis, minor particularis. Primo si maior sit vniuersalis negatiua de necessario, minor particularis affirmatiua de contingenti, sequitur duplex conclusio negatiua, altera de contingenti, altera de inesse: ex. gr. si dicatur in Ferio; *necesse est nullum animal esse plantam; contingens est aliquod album esse animal*; sequitur; *ergo contingens est aliquod album non esse plantam*; & sequitur etiam; *ergo aliquod album non est planta*. Quod sequatur posita conclusio de inesse, probatur, quia si conclusio posita est falsa, est vera contradictoria, quæ est, *omne album est planta*; ex hac autem, & conuersa maioris, sequitur contradictoria minoris: dicendo enim, *necesse est nullam plantam esse animal; omne album est planta*; sequitur; *ergo necesse est nullum album esse animal*; sed hæc est contradictoria positæ minori, *contingens est aliquod album esse animal*: ergo cum ex contradictoria conclusionis, & conuersa maioris, sequatur falsitas minoris, non potest maior, & minor esse vera, & conclusio de inesse esse falsa, adeoque sequitur necessario hæc conclusio de inesse; *ergo aliquod album non est planta*; ergo etiam sequitur conclusio de contingenti, per quã dicatur; *ergo contingit aliquod album non esse plantam*. Et quia si minor sit particularis negatiua de contingenti, conuerti potest in affirmatiuam, vt dictum est cap. 13. num. 4. ideo hæc etiam coniugatio, in qua maior est vniuersalis negatiua de necessario, minor particularis negatiua de contingenti est vtilis.

13 Secundo si maior sit vniuersalis affirmatiua, vel negatiua de contingenti, minor particularis affirmatiua de necessario, fit syllogismus perfectus in Darij, & Ferio, in quibus sequitur conclusio de contingenti, non verò de inesse, proportionaliter ad dicta de Barbara, & Celarent: ex. gr. si dicatur: *contingit omne animal ambulare*; vel *contingit nullum animal ambulare*; *necesse est aliquod viuens esse animal*; sequitur in Darij; *ergo contingit aliquod viuens ambulare*; & in Ferio; *ergo contingit aliquod viuens non ambulare*; non vero sequitur, *ergo aliquod viuens ambulat, vel non ambu-*

ambulat. Demonstratur verò proportionaliter, ac demonstratum est de Barbara, & Celarent n.7. & 9. valet enim eadem ratio.

14 *Si autem vniuersale ponatur ad minus extremum, aut affirmatiuum, aut priuatiuum contingens: quod autem in parte necessarium ad maius extremum: non erit syllogismus. Termini eius quod est inesse ex necessitate, animal, album, homo: non inexistendi autem, animal, album, indumentum.*

15 *Cùm vero vniuersale necessarium sit, quod autem in parte contingens, vniuersali existente priuatiuo: termini eius, quod est inesse, animal, album, coruus: non inexistendi, animal, album, pix. Si verò affirmatiuum fuerit, animal, album, cygnus: eius vero, quod est non contingere, animal, album, nix.*

16 *Neque quando indefinitæ accepta fuerint propositiones, aut vtraque secundum partem, neque sic erit syllogismus. Termini communes inexistendi, animal, album, homo: non inexistendi, animal, album, inanimatum. Namque animal alicui albo: & album inanimato alicui, & necessarium inesse, & non contingit inesse. Et in eo, quod est contingere consimiliter. Quare ad omnia termini sunt vtiles.*

17 *Planum itaque ex dictis, quòd terminis consimiliter se habentibus, & in eo, quod est inesse, & in necessarijs, fit &, non fit syllogismus. Præterquam quòd si secundum inesse ponebatur priuatiua propositio, eius, quod est contingere erat syllogismus: verum si secundum necessarium priuatiua, & eius, quod est contingere, & eius, quod est non inesse. Manifestum autem, & quòd omnes syllogismi imperfecti, & quòd perficiuntur per prædictas figuras.*

14 Determinat deinde Aristoteles de modis, in quibus maior est, particularis, minor vniuersalis, ac docet omnes esse inutiles. Primo enim si maior est particularis de necessario, minor vniuersalis de contingenti, siue vtraque sit affirmatiua, siue vtraque negatiua, seu maior affirmatiua, minor negatiua, seu maior negatiua, minor affirmatiua, omnes sunt inutiles, cum nulla sequatur conclusio affirmatiua, neque negatiua. Quod non sequatur conclusio negatiua patet in his terminis, *animal, album, homo*. Si enim dicatur, *necesse est aliquod album esse animal; contingens est omnem hominem esse album*, quomodocunque varientur propositiones secundum affirmationem, vel negationem, non sequitur; *ergo contingens est nullum hominem esse animal, vel aliquem hominem non esse animal*, cum potius necessarium sit omnem hominem esse animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *animal, album, tunica*. Si enim dicatur; *necesse est aliquod album esse animal; contingens est omnem tunicam esse albam*; non sequitur; *ergo contingens est omnem, vel aliquam tunicam esse animal*, cum necesse sit nullam tunicam esse animal.

15 Secundo si maior sit particularis de contingenti, minor vniuersalis de necessario, adhuc non sequitur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua, quomodocunque varientur præmissæ secundum affirmationem, vel negationem, ita vt vel vtraque præmissa sit affirmatiua, vel vtraque negatiua &c. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua, si minor sit affirmatiua, patet in his terminis, *animal, album, cygnus*: si enim dicatur; *contingens est aliquod album non esse animal; necesse est omnem cygnum esse album*, non sequitur; *ergo contingens est omnem, vel aliquem cygnum non esse animal*, cum omnis cygnus ex necessitate sit animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, si minor est affirmatiua, patet in his terminis; *animal, album, nix*. Si enim dicatur; *contingens est aliquod album esse animal; necesse est omnem niuem esse albam*; non sequitur; *ergo contingens est omnem niuem esse animal*, cum necesse sit, vt nulla nix sit animal. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua, si minor sit negatiua, patet in his terminis, *animal, album, coruus*. Si enim dicatur; *contingens est aliquod album esse animal; necesse est nullum coruum esse album*; non sequitur; *ergo contingens est omnem, vel aliquem coruum non esse animal*, cum omnis coruus ex necessitate sit animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, si minor sit negatiua patet in his terminis, *animal, album, pix*. Si enim dicatur; *contingens est aliquod album esse animal; necesse est nullam picem esse albam*; non sequitur; *ergo contingens est omnem, vel aliquam picem esse animal*, cum necesse sit vt nulla pix sit animal.

16 Demum si vtraque præmissa est particularis, vel indefinita non fit syllogismus,

cum

cum non sequatur vlla conclusio affirmatiua, vel negatiua. Quod non sequatur vlla conclusio negatiua, patet in his terminis, *animal, album*, *homo*. Si enim dicatur; *necesse est aliquod album non esse animal; contingens est aliquem hominem esse album*; non sequitur; *ergo contingens est omnem, vel aliquem hominem non esse animal*, cum necesse sit omnem hominem esse animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *animal, album, inanimatum*. Si enim dicatur; *contingens est aliquod album esse animal; necesse est aliquod inanimatum esse album*; non sequitur; *ergo contingens est omne, vel aliquod inanimatum esse animal*, cum necesse sit nullum inanimatum esse animal.

17 Concludit Aristoteles comparando coniugationes mistas ex propositionibus de contingenti, & de inesse cum coniugationibus mistis ex propositionibus de necessario, & de contingenti, ac dicit, quod in aliquo conueniunt, in aliquo disconueniunt. Conueniunt in hoc, quod tot, ac similes sunt coniugationes vtiles, ac inutiles in illa mistione, ac in ista: differunt, quod si propositio negatiua est de contingenti, sequitur solum conclusio de contingenti, non autem de inesse; at si propositio negatiua est de necessario, sequitur conclusio negatina non solum de contingenti, sed etiam de inesse, vt dictum est num. 12. Verum omnes syllogismi, in quibus minor est negatiua sunt imperfecti, ac perficiuntur modis explicatis.

De syllogismis ex ambabus præmissis de contingenti in secunda figura. Cap. XVII.

1 *SEd in secunda figura quando contingentes vtraque accipiuntur propositiones nullus erit syllogismus, seu prædicatiuæ, siue priuatiuæ ponantur, vel vniuersaliter, aut secundum partem.*

2 *Cùm vero hæc inexistere, illa autem significet contingere, si affirmatiua quidem significat inexistere, nunquam erit: sin autem vniuersaliter priuatiua, semper.*

3 *Eodem pacto & cùm hæc propositionum ex necessitate, illa contingere accipiatur.*

4 *Oportet autem & in his accipere in conclusionibus contingens, quemadmodum in prioribus.*

1 POstquam Aristoteles egit de syllogismis de contingenti, & mistis primæ figuræ, agit de syllogismis secundæ figuræ; ac primo ponit quatuor regulas vniuersales. Prima regula pro syllogismis constantibus ex vtraque præmissa de contingenti est: in secunda figura ex vtraque præmissa de contingenti, quomodocunque se habeant secundum affirmationem, & negationem, ac secundum vniuersalitatem, vel particularitatem, non fit syllogismus, neque sequitur necessario vlla conclusio.

2 Secunda regula pro syllogismis mistis ex altera præmissa de contingenti, altera de inesse est: in secunda figura si præmissa affirmatiua sit de inesse, negatiua de contingenti non fit syllogismus; si verò vniuersalis negatiua fit de inesse, affirmatiua vniuersalis, vel particularis de contingenti, semper fit syllogismus.

3 Tertia regula pro syllogismis mistis ex altera de necessario, altera de contingenti est: in secunda figura, si præmissa affirmatiua sit de necessario, negatiua de contingenti, nunquam fit syllogismus; si verò negatiua vniuersalis fuerit de necessario, affirmatiua vniuersalis, vel particularis de contingenti, semper fit syllogismus.

4 Quarta demum, & vltima regula explicans in quo sensu sumatur contingens, quod infertur in secunda figura est: dum in secunda figura infertur conclusio de contingenti, contingens sumitur latè pro possibili, sicut sumitur in pluribus modis imperfectis primæ figuræ, vt dictum est cap. 16. num. 5. non verò sumitur strictè pro eo, quod potest esse, & non esse.

5 *Primum itaque monstrandum, quòd non conuertitur contingens priuatiuum: quemadmodum si A contingit nulli eorum, quæ B, non necesse & B contingere nulli eorum, quæ A.*

6 *Ponatur enim hoc, & contingat B nulli A inesse. Quoniam itaque conuertuntur contingentes affirmationes cum negationibus, & contrariæ, & oppositæ: B vero contingit nulli A inesse: planum, quòd & omni A contingere posset B inesse. Sed hoc falsum: non enim si hoc huic omni contingit, & hoc*

& hoc huic necessarium: quare non conuertitur priuatiuum.

7 *Amplius nihil prohibet A contingere nulli B: B vero alicui eorum, quæ sunt A ex necessitate non inesse. Quemadmodum album omni homini contingit non inesse, & inesse: hominem autem non verum dicere, quòd contingit nulli albo. Multis enim ex necessitate non inest. Cæterum necessarium non erit contingens.*

8 *Verum neque ex impossibili monstrabitur conuerti. Veluti si quis existimaret, quoniam falsum est B contingere nulli A inesse, verum non contingere. Dictio namque, & negatio. Si autem hoc verum, & B ex necessitate inesse alicui eorum, quæ A: quare & A alicui eorum, quæ B. Sed hoc impossibile.*

9 *Non enim si B non contingit nulli eorum, quæ sunt A, necesse inesse alicui solum, sed ex necessitate non omni. Namque non contingere nulli bifariam dicitur: vnum, si ex necessitate alicui inest: alterum, si ex necessitate alicui non inest. Quod enim ex necessitate alicui eorum, quæ A non inest, non est verum dicere, quòd omni contingit non inesse: quemadmodum neque quòd alicui inest ex necessitate, quòd omni contingit inesse. Si itaque quispiam censeret, propterea quòd non contingit C omni D inesse, ex necessitate alicui ipsum non inesse, falso acciperet: omni enim inest. Sed quoniam quibus iam ex necessitate inest, ob hoc dicimus non omni contingere. Quare huic, quod est, contingere omni inesse, opponitur, & ex necessitate alicui inesse, & ex necessitate alicui non inesse: consimiliter autem & ei, quod est, nulli contingere. Manifestum igitur, quòd ad sic contingens, & non contingens, quemadmodum in principio determinauimus, non solum ex necessitate alicui inesse, sed ex necessitate alicui non inesse accipiendum. Hoc autem accepto, nihil accidit impossibile: quare non fit syllogismus. Manifestum itaque ex dictis, quod non conuertitur priuatiuum. Hoc autem monstrato, ponatur A nulli quidem B contingere: C vero omni. Per conuersionem igitur non fit syllogismus: dictum est enim, quòd non conuertitur talis propositio.*

5 Positis regulis, probat Aristoteles illas, vt ita demonstret, quando nam in secunda figura fiat, vel non fiat syllogismus de contingenti. Probat ergo primam regulam, quod in secunda figura ex vtraque præmissa de contingenti, non fiat syllogismus. Omnis syllogismus in secunda figura eatenus concludit, quatenus potest reduci ad primam figuram, vel ostensiuè per conuersionem alicuius præmissæ, eo pacto, quo reducuntur Cesare, Camestres, & Festino; vel per reductionem ad impossibile, eo pacto, quo reducitur Barocco; sed neutro pacto possunt reduci coniugationes secundæ figuræ constantes ex vtraque præmissa de contingenti; ergo &c. Probatur minor, & primo quod reduci non possint ostensiuè per conuersionem. Cesare, Camestres, & Festino reducuntur ostensiuè conuertendo vniuersalem negatiuam in alteram vniuersalem negatiuam; sed vniuersalis negatiua de contingenti non potest conuerti in alteram vniuersalem negatiuam; ergo &c. Minorem, quod nimirum vniuersalis negatiua de contingenti non possit conuerti in aliam vniuersalem negatiuam, probat Aristoteles tripliciter; primo ab absurdo; secundo per instantiam; tertio ex signo, soluendo simul apparentem rationem, qua posset probari hæc conuersio.

6 Primo ergo probat ab absurdo: si vniuersalis negatiua de contingenti conuerteretur in aliam vniuersalem negatiuam, etiā vniuersalis affirmatiua de contingenti, conuerteretur in aliam vniuersalem affirmatiuam: ex gr. hæc, *contingit omnem hominem esse album*; conuerteretur in hanc; *contingit omne album esse hominem*; sed hoc est absurdum; ergo &c. Probatur sequela maioris: vt dictum est cap. 13. num. 4. Propositiones de contingenti conuertuntur in propositiones de dicto opposito; ergò hæc affirmatiua *contingit omnem hominem esse album*, conuertitur in hanc negatiuam, *contingit nullum hominem esse album*; sed hæc ex suppositione conuertitur in hanc aliam negatiuam, *contingit nullum album esse hominem*, & hæc rursus conuertitur in hanc vniuersalem affirmatiuam, *contingit omne album esse hominem*; ergo à primo ad vltimum vniuersalis affirmatiua de contingenti conuertitur in aliam vniuersalem affirmatiuam, & valet; *contingit omnem hominem esse album; ergo contingit omne album esse hominem*; sed hoc est absurdum: licet enim sit verum, *contingit omnem hominem esse album*, adhuc est falsum; *contingit omne album esse hominem*, cum sit impossibile,

vt

vt multa alba, ex. gr. cygnus, & nix sint homo; ergo etiam est impossibile, vt vniuersalis negatiua de contingenti conuertatur in aliam vniuersalem negatiuam de contingenti.

7 Secundo probatur hoc ipsum per instantiam. Licet enim sit verum, quod *contingit nullum hominem esse album*, adhuc est falsum, quod *contingit nullum album esse hominem*, sumendo contingens strictè pro eo, quod potest esse, & non esse. Quamuis enim contingat, vt nullus homo sit albus in hoc sensu, vt quilibet homo possit esse, & non esse albus, adhuc non est verum, quod contingit nullum album esse hominem in hoc sensu, vt quodlibet album possit esse, & non esse homo; multa enim alba, vt cygnus, nix &c. necessario non sunt homo; ergo licet propositio vniuersalis negatiua de contingenti strictè sumpto possit conuerti in aliam vniuersalem negatiuam de contingenti latè sumpto pro possibili, adhuc non potest conuerti in aliam vniuersalem negatiuam de contingenti strictè sumpto, de quo nunc loquimur.

8 Tertio hoc idem probatur ex signo. Propositiones legitimè conuertibiles ita se habent, vt si conuertens sit falsa, sequatur impossibile, hoc est quod conuersa, quæ supponitur vera, sit pariter falsa, vt dictum est cap. 2. probando regulas conuersionum; sed propositiones vniuersales negatiuæ de contingenti non ita se habent, vt ex falsitate conuertentis sequatur falsitas conuersæ; ergo &c. Probatur minor simul soluendo argumentum, quo apparenter probatur ex falsitate conuertentis sequi falsitatem conuersæ. Dicatur enim; *contingens est nullum hominem esse album*, sequi videtur; *ergo contingens est nullum album esse hominem*. Si enim hæc conclusio est falsa, vera est contradictoria, *non contingit nullum album esse hominem*; ergo est etiam vera hæc illi æquipollens, *necesse est aliquod album esse hominem*; ergo est vera etiam hæc, in quam legitimè conuertitur, *necesse est aliquem hominem esse album*; sed hæc contradicit illi primæ, *contingens est nullum hominem esse album*; ergo si falsa est vniuersalis negatiua conuertens de contingenti, falsa est etiam conuersa, adeoque vniuersalis negatiua de contingenti legitimè conuertitur in aliam vniuersalem negatiuam.

9 Respondet Aristoteles, quod in hac argumentatione peccatur in illa illatione, in qua ex eo, quod sit vera hæc, *non contingit nullum album esse hominem* assumitur vt æquipollens hæc, *necesse est aliquod album esse hominem*. Duplici enim modo potest verificari hæc, *non contingit nullum album esse hominem*; primo ex eo, quod necesse sit, vt omne, vel aliquod album sit homo; eo enim ipso non continget, sed erit impossibile, vt nullum album sit homo: secundo ex eo, quod necesse sit, vt aliquod album non sit homo; eo enim ipso non continget, vt nullum album sit homo, seu vt omne album non sit homo, sed erit necessarium, vt aliquod album non sit homo; ergo cum hæc negatiua, *non contingit nullum album esse hominem*, possit verificari vel per hoc, quod necesse sit aliquod album esse hominem, vel per hoc, quod necesse sit aliguod album non esse hominem, malè ex illa infertur hæc determinatè, *necesse est aliquod album esse hominem* cum non sequatur hæc determinatè, sed vel hæc, vel altera: sicut quia hæc, *non contingit omne album esse hominem*, potest verificari vel per hoc, quod necesse sit aliquod album esse hominem, vel per hoc, quod necesse sit aliquod album non esse hominem, malè infertur altera determinatè; sed si inferatur hæc, *necesse est aliquod album non esse hominem*, nihil poterit inferri contra primam conuersam, *contingens est nullum hominem esse album*; ergo cum ex falsitate huius conuertentis, *contingens est nullum album esse hominem*, non inferatur falsitas conuersæ, conuersio non est legitima, adeoque vniuersalis negatiua de contingenti non conuertitur in aliam vniuersalem negatiuam. Sed secunda figura reducitur ostensiuè ad primam conuertendo vniuersalem negatiuam in aliam vniuersalem negatiuam; ergo si vtraque præmissa sit de contingenti, modi secundæ figuræ non possunt reduci ad primam; ergo non possunt ostensiuè probari per conuersionem: ex. gr. si dicatur in Cesare, *contingit nullum hominem esse album; contingit omne rationale esse album*; non sequitur; *ergo contingit nullum rationale esse hominem*, quia maior vniuersalis non potest conuerti, & per conuersionem reduci ad Celarent, vt ostensum est.

10 *Sed neque per impossibile. Si namque ponatur B omni C contingere inesse, nihil accidit falsi. Contingere enim posset A ipsi*

C, &

C, & omni, & nulli inesse. Sed si omnino est syllogismus, planum quòd eius quod est contingere vtique esset: propterea quòd neutra propositionum accepta fuit in eo, quod est inesse. Et iste aut affirmatiuus, aut priuatiuus.

10 Secundo probatur, quod modi secundæ figuræ ex vtraque præmissa de contingenti non possunt reduci ad primam figuram per reductionem ad impossibile: ex falsitate conclusionis cum altera præmissarum non sequitur falsitas alterius præmissæ; sed in hoc consistit reductio ad impossibile; ergo modi secundæ figuræ ex vtraque præmissa de contingenti, non possunt reduci ad impossibile. Probatur maior: dicatur enim in Cesare; *contingit nullum hominem esse album; contingit omne rationale esse album; ergo contingit nullum rationale esse hominem.* Sumatur contraria, vel contradictoria conclusionis; *contingit omne, vel aliquod rationale esse hominem*, adiuncta maiori, dicatur in Celarent, vel Ferio: *contingit nullum hominem esse album; contingit omne, vel aliquod rationale esse hominem*, sequitur; *ergo contingit omne, vel aliquod rationale non esse album*, quæ non repugnat minori positæ in Cesare, *contingit omne rationale esse album*, cum simul verificetur, *contingit omne rationale esse album; contingit nullum rationale esse album*, imo vna inferatur ex alia, vt dictum est cap. 13. num. 10. Si verò contraria, vel contradictoria conclusionis; *contingit omne, vel aliquod rationale esse hominem*, coniungatur cum minori, *contingit omne rationale esse album*; ad summum sequitur in Darapti, vel Disamis; *ergo contingit aliquod album non esse hominem*, quæ non opponitur maiori; *contingit nullum hominem esse album*, cum simul verificentur, imo vna inferatur ex alia, vt dictum est cap. 13. num. 10. in regulis conuersionum; ergo cum in modis secundæ figuræ ex vtraque præmissa de contingenti, ex falsitate conclusionis non sequatur falsitas vllius præmissæ, non possunt probari per reductionem ad impossibile. Id quod exemplificatum est in Cesare, potest exemplificari in alijs modis secundæ figuræ.

11 *Neutro autem modo accidit. Si affirmatiuus quidem ponatur, monstrabitur per terminos, quòd non contingit inesse: si vero priuatiuus, quòd conclusio non contingens est, sed necessaria. Sit enim A album, B homo, in quo C equus. A itaque album contingit huic quidem omni, illi vero nulli: sed B ipsi C neque inesse contingit, neque non inesse. Quòd igitur inesse non accidit, manifestum: nullus enim equus homo. Cæterum neque contingere non inesse: necesse nanque est nullum equum hominem esse. Sed necessarium non erat contingens: non itaque fit syllogismus. Itidem autem monstrabitur & si è conuerso positum fuerit priuatiuum.*

12 *Et si vtræque affirmatiuæ acceptæ fuerint, aut priuatiuæ. Per eosdem nanque terminos erit demonstratio. Et quando hæc vniuersaliter, illa in parte, aut vtræque secundum partem, aut indefinitæ, aut quotcunque modis aliter contingit transumere propositiones. Semper enim erit demonstratio per eosdem terminos. Planum itaque, quòd si vtræque propositiones secundum contingens ponuntur, nullus fit syllogismus.*

11 Postquam Aristoteles probauit, quod in secunda figura ex vtraque præmissa de contingenti non fit syllogismus, ex eo, quod non potest reduci ad primam, neque ostensiuè, neque per impossibile, probat idem per instantiam. Si in secunda figura fieret syllogismus ex vtraque præmissa de contingenti, vel sequeretur conclusio de necessario, vel de contingenti, vel de inesse; nulla ex his sequitur neque affirmatiua, neque negatiua; ergo &c. Probatur minor; & primo, quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua. Potest esse falsa omnis conclusio affirmatiua; ergo &c. Probatur antecedens in his terminis, *album, homo, equus*. Si enim dicatur in Cesare; *contingit nullum hominem esse album; contingit omnem equum esse album*; non sequitur vlla conclusio affirmatiua neque de inesse, neque de necessario, neque de contingenti, cum neque sit verum, quod omnis, vel aliquis equus sit homo, neque quod omnis, vel aliquis equus necessario sit homo, neque quod contingat omnem, vel aliquem equum esse hominem, cum necesse sit, vt nullus equus sit homo. Ex ijsdem terminis patet non sequi conclusionem negatiuam de contingenti: ex. gr. *ergo contingit nullum equum esse hominem*. Cum enim necessarium sit nullum equum esse

esse hominem, non est contingens, cum non possit idem esse necessarium, & contingens strictè, licet possit idem esse necessarium, & contingens latè sumendo contingens pro possibili. Quod verò non sequatur conclusio negatiua de inesse, & de necessario, patet in his terminis, *album, animal, equus*. Si enim dicatur in Cesare; *contingit nullum animal esse album; contingit omnem equum esse album*; non sequitur; *ergo omnis, vel aliquis equus non est animal*; multo minus sequitur cum modo necessarij; *ergo necesse est, vt omnis, vel aliquis equus non sit animal*, cum necesse sit, vt omnis equus sit animal.

12 Eodem pacto demonstrari potest non sequi conclusionem de contingenti, si vtraque præmissa sit affirmatiua, vel vtraque negatiua, vel altera particularis, altera vniuersalis, vel vtraque particularis, vel vtraque indefinita: semper enim per instantiam in terminis demonstrari potest nullam sequi conclusionem; ergo vniuersim in secunda figura ex vtraque præmissa de contingenti nulla sequitur conclusio, adeoque non fit syllogismus.

De syllogismis ex altera præmissa de contingenti, altera de inesse in secunda figura. Cap. XVIII.

1 *SI autem hæc inexistere, illa verò contingere significet, si prædicatiua ponatur inexistere, priuatiua autem contingere, nullus erit syllogismus: neque dum vniuersaliter, neque dum in parte termini accipiuntur.*

2 *Demonstratio vero eadem, & per eosdem terminos.*

3 *Sed quando affirmatiua contingere, priuatiua autem inexistere, erit syllogismus. Sumatur enim A. B nulli inesse: C vero omni contingere: conuerso itaque priuatiuo, B. A nulli inerit: sed A omni C contingit: fit igitur syllogismus, quòd contingit B nulli C per primam figuram. Consimiliter autem & si ad C ponatur priuatiuum.*

4 *Cùm vero vtraque sunt priuatiuæ, significet autem hæc non inesse, illa contingere non inesse, per ipsa quidem assumpta nihil accidit necessarium: sed conuersa propositione, quæ est secundum contingere, syllogismus efficitur, quòd nulli C contingit inesse, quemadmodum in prioribus. Erit enim rursus prima figura.*

1 POstquam Aristoteles probauit primam regulam, quod nimirum in secunda figura ex vtraque præmissa de contingenti non fit syllogismus, probat secundam regulam, quod nimirum in eadem secunda figura, si præmissa affirmatiua sit de inesse, negatiua de contingenti, non fit syllogismus; si verò vniuersalis negatiua sit de inesse, affirmatiua de contingenti fit syllogismus.

2 Prima pars regulæ probatur per instantiam in terminis. Si enim affirmatiua sit de inesse non sequitur vlla conclusio negatiua, vt patet in his terminis, *album, animal, homo*. Dicatur enim in Cesare; *contingit nullum animal esse album; omnis homo est albus*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquem hominem non esse animal*, cum necesse sit, vt omnis homo sit animal. Quod non sequatur vlla conclusio affirmatiua patet in his terminis, *album, equus, homo*. Si enim dicatur; *contingit nullum equum esse album; omnis homo est albus*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquem hominem esse equum*, cum necesse sit, vt nullus homo sit equus.

3 Secunda pars regulæ, quod nimirum si vniuersalis negatiua sit de inesse, affirmatiua de contingenti, fiat syllogismus, probatur. Primo enim dicatur in Cesare; *nullus homo est irrationalis; contingit omne vigilans esse irrationale*; sequitur; *ergo contingit nullum vigilans esse hominem*. Maior enim vtpote vniuersalis negatiua de inesse, potest conuerti simpliciter in hanc, *nullum irrationale est homo*; sed facta hac conuersione, argumentum erit in Celarent, in quo ex maiori negatiua de inesse, minori affirmatiua de contingenti sequitur conclusio, vt dictum est cap. 15. num 12. ergo etiam in Cesare ex maiori negatiua de inesse, minori affirmatiua de contingenti sequitur conclusio. Secundo dicatur in Camestres; *contingit omne vigilans esse irrationale; nullus homo est irrationalis*; sequitur; *ergo contingit nullum hominem esse vigilantem*: conuertendo enim minorem, & transponendo præmissas, eadem conclusio sequitur in Celarent.

4 Quia verò propositio contingens negatiua de dicto, conuerti potest in affirmatiuam de dicto, vt probatum est cap. 13. num. 4. ideo sequitur conclusio, etiamsi vtraque præmissa sit vniuersalis negatiua, altera de contingenti, alterà de inesse: ex. gr. si dicatur; *nullus homo est irrationalis; contingit nullum album esse irrationalem*; sequitur; *ergo contingit nullum album esse hominem*, quia per conuersionem maioris in alteram vniuersalem negatiuam de inesse, & per conuersionem minoris in propositionem de dicto affirmatiuo, argumentum erit in Celarent. Similiter si dicatur; *contingit nullum album esse irrationale; nullus homo est irrationalis*; sequitur; *ergo contingit nullum hominem esse album*. Conuertendo enim maiorem in affirmatiuam de dicto, argumentum erit in Camestres, quod per conuersionem minoris, & transpositionem præmissarum reducetur ad Celarent.

5 *Si vero vtraque ponantur prædicatiuæ, non erit syllogismus. Termini quòd insit, sanitas, animal, homo: quòd non insit, sanitas, equus, homo.*

6 *Eodem pacto se habebit & in syllogismis in parte. Cùm enim affirmatiuum fit inexistens, aut vniuersaliter, aut in parte acceptum, nullus erit syllogismus. Hoc autem consimiliter, & per eosdem monstratur terminos, quibus priora. Cùm vero priuatiuum, erit per conuersionem, quemadmodum in prioribus.*

7 *Rursus si ambo quidem interualla priuatiua fuerint accepta, vniuersaliter autem, quòd non inexistere, ex ipsis quidem propositionibus non erit necessarium: sed conuerso eo, quod est contingere, quemadmodum in prioribus, erit syllogismus. Si vero priuatiuum quidem inexistens sit, sed in parte acceptum, non erit syllogismus: siue affirmatiua, siue priuatiua altera fuerit propositio. Neque quando vtraque indefinitæ sint acceptæ, aut negatiuæ, aut affirmatiuæ, vel secundum partem. Demonstratio vero eadem, & per eosdem terminos:*

5 Sicut si præmissa vniuersalis affirmatiua in secunda figura sit de inesse, negatiua de contingenti, non fit syllogismus, sic non fit syllogismus si vtraque sit affirmatiua, altera de contingenti, altera de inesse, siue maior sit de contingenti, minor de inesse, siue è conuerso. Probatur, quia non sequitur vlla conclusio affirmatiua, neque negatiua; ergo &c. Quod non sequatur negatiua, patet in his terminis, *sanum, animal, homo*. Si enim dicatur; *contingit omne animal esse sanum; omnis homo est sanus*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquem hominem non esse animal*, cum omnis homo necessario sit animal. Quod non sequatur conclusio affirmatiua, patet in his terminis, *sanum, equus, homo*. Si enim dicatur; *contingit omnem equum esse sanum; omnis homo est sanus*; non sequitur; *ergo contingit omnem, vel aliquem hominem esse equum*, cum necesse sit nullum hominem esse equum.

6 Modi in quibus altera præmissa est vniuersalis, altera particularis sunt proportionaliter vtiles, vel inutiles, sicut modi vniuersales. Si enim affirmatiua vniuersalis, siue particularis sit de inesse, negatiua de contingenti, non fit syllogismus: ex. gr. si dicatur in Festino; *contingit nullum animal esse album; aliquis homo est albus*; non sequitur; *ergo contingit aliquem hominem non esse animal*. E conuerso si vniuersalis negatiua fuerit de inesse, particularis affirmatiua de contingenti, fiet syllogismus: ex. gr. si dicatur in Festino; *nullus equus est homo; contingit aliquod vigilans esse hominem*; sequitur; *ergo contingit aliquod vigilans non esse equum*, cum per conuersionem maioris argumentum reducatur ad Ferio.

7 Si vtraque sit negatiua, altera vniuersalis de inesse, altera particularis de contingenti, fiet syllogismus: ex. gr. si dicatur; *nullus equus est homo; contingit aliquod vigilans non esse hominem*; sequitur; *ergo contingit aliquod vigilans non esse equũ*. Conuertendo enim minorem negatiuam de dicto in affirmatiuam de dicto, argumentum erit in Festino, quod concludit, vt iam probatum est. Si verò præmissa particularis negatiua fuerit de inesse, vniuersalis affirmatiua de contingenti, non erit syllogismus: ex. gr. si dicatur in Barocco; *contingit omne animal vigilare; aliquis equus non vigilat*; non sequitur; *ergo contingit aliquem equum non esse animal*. Demum non fit syllogismus si vtraque sit indefinita, vel vtraque particularis, quomodocunque varientur secundum affirmationem, vel negationem, vt patere potest per instantiam in terminis.

De

De syllogismis ex altera præmissa de necessario, altera de contingenti in secunda figura. Cap. XIX.

1 *Verum si hæc ex necessitate, illa propositionum contingere significet, priuatiua existente necessaria, erit syllogismus, non solum quòd contingit non inesse, sed & quoniam non inest: affirmatiua autem non erit.*

2 *Ponatur enim A. B nulli ex necessitate inesse: C vero omni contingere: conuersa igitur priuatiua, & B. A nulli inerit. Sed A. C omni contingit: fit igitur rursus per primam figuram syllogismus, quòd B nulli C contingit inesse. Simul autem manifestum, quòd & B nulli C inest. Ponatur enim inesse: igitur si A. B nulli contingit: B vero inest alicui eorum, quæ C: A alicui eorum, quæ C non contingit: sed omni supponebatur contingere.*

3 *Eodem pacto monstrabitur, & si ad C ponatur priuatiuum.*

1 Postquam Aristoteles probauit primam, & secundam regulam pro syllogismis secundæ figuræ ex vtraque præmissa de contingenti, & ex altera de contingenti, altera de inesse, explicat, & probat tertiam regulam pro syllogismis secundæ figuræ ex altera præmissa de necessario, altera de contingenti. Est autem hæc regula: si negatiua vniuersalis sit de necessario, affirmatiua vniuersalis, vel particularis de contingenti, fit syllogismus: si verò affirmatiua sit de necessario, non fit syllogismus. Probat igitur hanc regulam discurrendo primo per coniugationes ex vtraque præmissa vniuersali; secundo per coniugationes constantes ex vtraque, vel altera præmissa particulari.

2 Primo igitur si maior vniuersalis negatiua sit de necessario, minor vniuersalis affirmatiua de contingenti, fit syllogismus, in quo sequitur duplex conclusio, altera negatiua de contingenti, altera negatiua de inesse. Dicatur enim in Cesare; *necesse est nullum hominem esse equum; contingit omne vigilans esse equum;* sequitur; *ergo contingit, nullum vigilans esse hominem.* Patet: conuertendo enim maiorem simpliciter iuxtà regulas conuersionum traditas cap. 3. num. 1. eadem conclusio sequitur in Celarent. Infertur etiam hæc conclusio negatiua de inesse; *ergo nullum vigilans est homo.* Probatur per reductionem ad impossibile: si enim falsa sit hæc conclusio, vera erit contradictoria, quæ est, *aliquod vigilans non est homo;* sed ex hac cum maiori sequitur contradictoria minoris in Ferio, & fit syllogismus; *necesse est nullum hominem esse equum; aliquod vigilans est homo; ergo necesse est aliquod vigilans non esse equum,* quæ est contradictoria illi minori, *contingit omne vigilans esse equum;* ergo cum non possit esse falsa conclusio negatiua de inesse, nisi sit falsa aliqua præmissarum, si vtraque præmissa est vera, etiam conclusio est vera, adeoque ex præmissis necessario sequitur talis conclusio.

3 Secundo si maior sit affirmatiua de contingenti, minor negatiua de necessario, sequitur conclusio negatiua de contingenti, & de inesse. Dicatur enim in Camestres; *contingit omne album esse equum; necesse est nullum hominem esse equum;* sequitur; *ergo contingit nullum hominem esse album.* Conuertendo enim minorem, & transponendo præmissas, eadem conclusio sequitur in Celarent. Ex ijsdem præmissis in Camestres sequitur hæc conclusio negatiua de inesse; *ergo nullus homo est albus.* Probatur per impossibile: ex maiori enim, quæ est, *necesse est nullum hominem esse equum,* & ex contradictoria conclusionis, quæ est, *aliquis homo est albus;* sequitur in tertia figura, & in Ferison; *ergo necesse est aliquod album non esse equum,* quæ est contradictoria maioris; *contingit omne album esse equum;* ergo cum ex falsitate conclusionis negatiuæ de inesse, & ex altera præmissarum, sequatur falsitas alterius præmissæ, non potest vtraque præmissa esse vera, & conclusio falsa, adeoque talis conclusio necessario sequitur ex positis præmissis.

4 *Rursus sit prædicatiuum necessarium, alterum vero contingens: & A contingat nulli B: C vero omni insit ex necessitate; fit itaque se habentibus terminis, nullus fit syllogismus. Accidit enim ipsi C ex necessitate non inesse. Sit nanque A album, in quo B homo, in quo C cygnus. Album igitur cygno ex necessitate inest: homini vero contingit nulli: & homo nulli cygno ex necessi-*

quod cum iam ostensum sit reliquos omnes syllogismos trium figurarum, reduci ad primos duos vniuersales primæ figuræ, hoc est ad Barbara, & Celarent, si fuerit demonstratum, quod absolutè omnes syllogismi debent esse in aliqua ex tribus figuris, eo ipso erit ostensum, quod absolutè omnes syllogismi, vel sunt in Barbara, & Celarent, vel reduci possunt ad Barbara, & Celarent.

2 Præmittit secundo diuisionem syllogismi, ac demonstrationis. Omnis syllogismus, ac demõstratio demonstrat aliquod prædicatum conuenire, vel non conuenire alicui subiecto vniuersaliter, aut particulariter: rursus aut demonstrat ostensiuè, ac directè, aut ex suppositione, siue hypothesi: pars autem subiectiua, seu species syllogismi probantis ex hypothesi est syllogismus, qui probat conclusionem ex absurdo, vel impossibili, quod sequitur, si supponatur oppositum talis conclusionis. Primo igitur ostendendum est, quod omnes syllogismi ostensiui, ac directi fieri debent in aliqua ex tribus figuris. Hoc enim ostenso facile erit idem demonstrare de syllogismis ex impossibili, vel absurdo, & vniuersim de omnibus syllogismis ex hypothesi, seu suppositione.

3 *Si igitur oporteat A de B ratiocinari, vt inexistens, aut non inexistens, necesse est accipere aliquid de aliquo. Si ergo A de B acceptum fuerit, quod est à principio sumptum erit. Sin autem de C, C vero de nullo: neque de illo aliud, neque de A alterum, nullus erit syllogismus. Eo enim, quòd vnum de vno sit acceptum, nil accidit ex necessitate: quare assumenda, & altera propositio. Si itaque A de alio fuerit acceptum, aut aliud de A, aut de C alterum, esse quidem syllogismum nihil prohibet: ad B tamen non erit per accepta. Neque quando C alteri: & illud alij: & hoc alteri: non fuerit autem ad B copulatum, nec sic erit ad B ipsius A syllogismus. Omnino enim diximus, quòd nullus vnquam erit syllogismus, alius de alio, non accepto aliquo medio, quod ad vtrunque se habet quodammodo prædicationibus. Syllogismus nanque simpliciter ex propositionibus est. ad hoc autem syllogismus, ex propositionibus ad hoc. Sed impossibile ad B propositionem capere, nihil de ipso aut prædicantes, aut negantes: aut iterum ipsius A ad B, nihil commune accipientes: verum de vtreque sigillatim quedam prædicantes, aut negantes. Quare accipiendum medium aliquod vtrorunque, quod prædicationes copulabit: siquidem erit huius ad hoc syllogismus.*

4 *Si igitur necesse quidem est accipere ad vtraque commune, hoc autem trifariam contingit: aut enim A de C, & C de B prædicaturos: aut C de vtrisque: aut vtraque de C: hæ vero sunt dictæ figuræ: planum syllogismum omnem necessarium fieri per harum aliquam figurarum. Eadem enim ratio, & si per plura copulat ad B. Eadem nanque erit figura, & in multis. Quod igitur ostensiui omnes concluduntur per prædictas figuras, manifestum.*

3 Quod igitur omnis syllogismus ostensiuus debeat esse in aliqua ex tribus figuris, Aristoteles sic probat. Omnis syllogismus ostendens aliquod prædicatum conuenire, vel non conuenire alicui subiecto, debet esse per medium copulatum vtrique extremo, hoc est tum prædicato, tum subiecto conclusionis probandæ; sed omnis syllogismus, qui fit per medium copulatum vtrique extremo cõclusionis probandæ debet disponi in aliqua ex tribus figuris; ergo omnis syllogismus ostensiuus debet disponi in aliqua ex tribus figuris. Probatur maior: sit enim ostendendum, quod risibile conuenit homini, seu, quod homo est risibilis. Ad ostendendum quod homo est risibilis, debet sumi aliqua propositio, non omninò disparata, puta, quod Cælum est incorruptibile, quia nihil potest ex necessitate concludi ex propositione omninò disparata: nec debet sumi propositio omnino eadem, puta, quod homo sit risibilis; peteretur enim principium, & probaretur idem per idem; ergo debet assumi propositio conueniens cum conclusione probanda, vel in prædicato, vel in subiecto. Conueniat igitur in prædicato, & ad probandum ex. gr. quod omnis homo est risibilis, assumatur, quod omne rationale est risibile: si solum fuerit assumptum, quod omne rationale est risibile, non autem fuerit assumptum, quod rationale affirmatur, vel negatur de aliquo alio, vel aliquod aliud affirmatur, aut negatur de rationali, vel quod risibile affirmatur de alio, vel aliud de risibili, adhuc non sequitur ex necessitate vlla conclusio: ex vnica enim propositione, qua vnum prædicatum affirmatur,

aut

aut negatur de vno subiecto, non sequitur necessario vlla conclusio; ergo ad inferendam hanc conclusionem, *omnis homo est risibilis*, vltrà hanc præmissam, *omne rationale est risibile*, debet assumi aliqua alia præmissa. Si igitur in hac alia præmissa nihil affirmetur, aut negetur de homine, quod est subiectum conclusionis probandæ, sed vel risibile, quod est prædicatum conclusionis probandæ dicatur de aliquo alio, vel aliquod aliud dicatur de risibili, vel rationale, quod est subiectum antecedentis dicatur de alio ab homine, vel aliud ab homine dicatur de rationali, nihil vnquam concludetur de homine. Impossibile enim est, vt ex præmissis, in quibus nihil dicitur de aliquo subiecto, vel prædicato, inferatur quidquam de tali subiecto, & prædicato, esto concludatur aliquid de alio subiecto, & prædicato; ergo debet assumi altera præmissa, in qua aliquid dicatur de homine; ergo ad probandum, quod homo est risibilis, debent assumi duæ præmissæ, altera, in qua aliquid dicatur de homine, altera, in qua aliquid dicatur de risibili; sed ad concludendum, quod homo est risibilis, non solum debet in præmissis assumi aliquid de vtroque, sed etiam hoc debet esse commune vtrique, scilicet tum homini, tum risibili: sicut enim non potest quidquam concludi de hoc subiecto, & de hoc prædicato, nisi assumatur in præmissis aliquid de hoc subiecto, & de hoc prædicato, ita non potest concludi hoc prædicatum de hoc subiecto, nisi assumatur aliquid commune huic prædicato, & huic subiecto; ergo ad inferendam conclusionem, quod omnis homo est risibilis, debent assumi duæ præmissæ, in quarum altera medium conueniat cum homine, in altera cum risibili: assumendo verò præmissas, in quibus nihil commune conueniat cum vtroque extremo, nunquam concludetur connexio talium extremorum; ergo omnis syllogismus concludens aliquid de aliquo, debet esse per medium connexum, & copulatum cum vtroque extremo, quæ erat maior probanda.

4 Probatur iam minor, quod omnis syllogismus, qui fit per medium copulatum vtrique extremo, debeat disponi in aliqua ex tribus figuris. Quandoquidem enim hoc medium in vna præmissa debet connecti cum vno extremo, in alia cum alio extremo; vel cum vno extremo connectitur vt subiectum, cum alio vt prædicatum, & est prima figura: vel cum vtroque extremo connectitur vt prædicatum, & est secunda figura: vel cum vtroque extremo connectitur vt subiectum, & est tertia figura, nec sunt possibiles aliæ combinationes; ergo omnis syllogismus, qui fit per medium copulatum vtrique extremo, necessario disponitur in aliqua ex tribus figuris; sed ex dictis omnis syllogismus ostensiuus alicuius de aliquo, debet fieri per medium copulatum vtrique extremo; ergo omnis syllogismus ostensiuus, necessario disponitur in aliqua ex tribus figuris, quod erat probandum. Si verò ad probandam aliquam conclusionem sumenda sint plura media, eo quod præmissæ assumptæ debeāt vlterius probari, semper talia media debebunt ordinari in aliqua ex tribus figuris, cum eadem sit ratio.

5 *Quòd autem, & qui ad impossibile, planum erit per hæc. Omnes enim per impossibile concludentes, falsum quidem ratiocinantur: quod autem à principio, ex suppositione monstrant, cùm impossibile aliquid accidat, contradictione posita. Vt quòd diameter incommensurabilis, eo quòd imparia æqualia paribus fiunt, si fuerit posita commensurabilis. Aequalia igitur fieri imparia paribus ratiocinatur, diametrum vero incommensurabilem esse, ex suppositione monstrat: quoniam falsum accidit propter contradictionem. Hoc enim erat per impossibile ratiocinari aliquid monstrare impossibile propter suppositionem, quæ ex principio. Quare quoniam falsi syllogismus fit ostensiuus in his, quæ ad impossibile deducuntur: ostensiuos autem prius diximus, quòd per has concluduntur figuras: manifestum, quòd per impossibile syllogismi per has erunt figuras.*

6 *Consimiliter & alij omnes qui ex suppositione. In omnibus enim syllogismus quidem fit ad transumptum: quod autem ex principio, concluditur per confessionem, aut aliquam aliam suppositionem. Quòd si hoc verum, omnem demonstrationem, & omnem syllogismum necesse fieri per tres prædictas figuras. Hoc autem monstrato planum, & quòd omnis syllogismus perficitur per primam figuram, & reducitur ad vniuersales syllogismos, qui in hac sunt.*

5 Probatur iam, quod etiam syllogismi ex impossibili, vel absurdo, debeant disponi

poni in aliqua ex tribus figuris. Tales enim syllogismi procedunt hoc pacto. Si hoc est, sequitur aliquid impossibile; ergo hoc non potest esse. Quod verò si hoc est, sequatur impossibile, syllogizant ostensiuè: ex. gr. ad probandum, quod Diameter quadrati sit incōmensurabilis costæ, ex hac propositione, diameter est cōmensurabilis costæ, quæ propositio est contradictoria conclusioni probandæ, adiunctis alijs propositionibus euidentibus, & concessis, concluditur ostensiuè hæc conclusio; *ergo aliquis numerus impar est æqualis alicui numero pari*; deinde subiungitur; *hoc consequens ostensiuè syllogizatum, quod numerus impar sit æqualis pari est impossibile; ergo etiam id, ex quo syllogizatur est impossibile; sed syllogizatur ex eo, quod diameter sit commensurabilis; ergo diameter non est commensurabilis*. Hoc posito syllogismus ab impossibili, & absurdo fit ex hypothesi syllogizando ostensiuè aliquid falsum, & impossibile, ex cuius falsitate deinde probatur contradictorium hypothesis; sed omnis syllogismus ostensiuè cōcludens fit in aliqua ex tribus figuris; ergo omnis syllogismus ab impossibili fit in aliqua ex tribus figuris.

6 Eodem pacto probatur, quod vniuersim syllogismi ex hypothesi fiunt in aliqua ex tribus figuris. Supponendo enim ex quadam conuentione, vel aliter, quod si est A, est B: & syllogizando ostensiuè, quod est A, concluditur quod est B: ex. gr. *si aliqua anima rationalis est immortalis, omnes sunt immortales; sed aliqua est immortalis*; & hoc syllogizatur ostensiuè: concluditur; *ergo omnes sunt immortales*. Illa porrò conclusio, quæ syllogizatur ostensiuè, ex qua deinde concluditur id, quod primo intenditur, vocatur ab Aristotele transumptum: ex. gr. in posita argumentatione, illa minor; *sed aliqua anima rationalis est immortalis*, quæ syllogizatur ostensiuè, vocatur ab Aristotele transumptum, quia ex ea transitur ad principalem conclusionem, quæ est; *ergo omnis anima est immortalis*. Hoc posito, omnis syllogismus ex hypothesi fit syllogizando ostensiuè transumptum, vt dictum est; sed omnis syllogismus ostensiuus fit in aliqua ex tribus figuris; ergo omnis syllogismus ex hypothesi fit in aliqua ex tribus figuris; sed omnes syllogismi facti in aliqua ex tribus figuris, vel sunt in Barbara, & Celarent, vel reducuntur ad Barbara, & Celarent; ergo vniuersim omnes syllogismi, vel sunt in Barbara, & Celarent, vel reducuntur ad Barbara, & Celarent.

Ostenditur in omnibus syllogismis alteram saltem præmissam esse vniuersalem, & alteram affirmatiuam. Caput XXIV.

1 *AMplius autem in omni oportet terminorum aliquem prædicatiuum esse, & vniuersale existere.*

2 *Nam sine vniuersali, aut non erit syllogismus, aut non ad positum, aut quod ex principio petetur. Ponatur enim, musicam voluptatem esse studiosam. Si itaque quispiam censeat voluptatem esse studiosam, non addens, omnem, non erit syllogismus. Si vero aliquam voluptatem, siquidem aliā, nihil ad positum: sin autem ipsam hanc, quod ex principio accipit.*


3 *Sed magis efficitur manifestum in descriptionibus. Vt quòd æquicruris æquales qui ad basin. Sint ad centrum ductæ A B. Si igitur æqualem accipiat A C D angulum ipsi B D C, non omnino existimas æquales, qui semicirculorum: & rursus C ipsi D, non omnem assumens eum, qui secti: amplius ab æquis existentibus totis angulis, & ablatorum æquales esse reliquos E F, quod ex principio petet: nisi acceperit, ab æqualibus, æqualibus demptis, æqualia derelinqui. Planum igitur, quòd in omni oportet vniuersale existere.*

1 DEmonstrato primo supposito, quod omnes syllogismi fieri debeant in aliqua ex tribus figuris, demonstrat Aristoteles secundum suppositum, quod in omnibus syllogismis vna saltem præmissa debeat esse vniuersalis, & vna affirmatiua, adeoque ex puris negatiuis, & ex puris particularibus non potest fieri syllogismus.

2 Quod igitur vna saltem præmissa debeat esse vniuersalis, sic demonstratur. Si nulla præmissa sit vniuersalis, aut non fit syllogismus concludens vllam conclusionem, aut non concludit conclusionem intentam, aut probat idem per idem, adeoque petit principium; sed hæc omnia repugnant recto syllogismo; ergo vt fiat rectus syllo-

syllogismus, vna saltem præmissa debet esse vniuersalis. Probatur maior duobus exemplis, altero ex communibus, altero ex mathematicis. Sit igitur probanda hæc conclusio: *voluptas musica est honesta, & laudabilis:* non potest probari, nisi assumatur, quod *omnis voluptas est honesta*; ergo &c. Probatur antecedens: si enim assumatur, quod voluptas indefinite est honesta, non sequitur, quod voluptas musica est honesta; si assumatur, quod aliqua certa voluptas est honesta, vel hæc certa est voluptas musica, vel alia; si alia, non sequitur conclusio intenta, quod voluptas musica sit honesta; si est ipsa voluptas musica, iam petitur principium; ergo ad syllogizandum, quod voluptas musica sit honesta, debet assumi, quod vniuersim voluptas sub aliqua ratione, sub qua continetur voluptas musica, sit honesta.

3 Secundo magis declaratur, & probatur eadem maior exemplo desumpto ex Mathematicis. Sit demonstrandum, quod isoscelium triangulorum anguli ad basim sunt æquales. Describatur triangulus isosceles A B C, cuius latera A B, & A C sint æqualia. Ad demonstrandum, quod anguli



A B C, & A C B, qui sunt supra basim, sunt æquales, ex centro A, spatio A C ducatur circulus E D C B. Hic circulus transibit per punctum B, siquidem latera A B, & A C supponuntur æqualia. Producantur lineæ B A, & C A vsque ad puncta D, & E circumferentiæ: hæ lineæ cum transeant per centrum circuli, erunt Diametri, adeoque circulum diuident in semicirculos. Posita hac constructione, sic demonstratur, quod anguli A B C, & A C B, supra basim sunt æquales. Omnes anguli semicirculi eiusdem circuli sunt æquales; sed angulus D B C constitutus ex diametro D B, & ex semicirculo B C D, & angulus E C B constitutus ex diametro E C, & ex semicirculo C B E sunt anguli semicirculorum eiusdem circuli; ergo anguli D B C, & E C B sunt æquales. Rursus omnes anguli eiusdem segmenti circuli sunt æquales; sed angulus B C B, constitutus ex basi recta B C, & ex segmento circuli C B; & angulus C B C constitutus ex altera parte ab eadem basi, & eodem segmento, sunt anguli eiusdem segmenti; ergo sunt æquales; sed vt conclusum est per primum syllogismum, anguli maiores D B C, & E C B sunt æquales, vtpote semicirculorum; & vt conclusum est in secundo syllogismo, anguli minores C B C, & B C B, vtpote eiusdem segmenti sunt etiam æquales; ergo si ex angulis maioribus D B C, & E C B auferantur anguli minores æquales C B C, & B C B remanent anguli ad basim A B C, & A C B æquales, adeoque anguli ad basim sunt æquales, quod erat demonstrandum. In tota hac demõstratione in tribus syllogismis, ex quibus constat, sumuntur tres propositiones vniuersales: in primo, quod anguli semicirculorum eiusdem circuli sunt æquales, & nisi hoc vniuersim sumatur, sed solum quod hi anguli sunt æquales, petetur quod est demonstrandum, adeoque petetur principium: In secundo syllogismo sumitur, quod omnes anguli eiusdem segmenti sunt æquales, & nisi hoc sumatur, sed solum sumatur, quod hi sunt æquales, similiter petetur principium: In tertio demum syllogismo sumitur, quod si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia, & nisi sumatur hoc, sed solum, quod si ab his angulis semicirculorum maioribus auferantur isti anguli segmenti minores, remanent hi duo anguli supra basim æquales, petetur principium; ergo in syllogismis ne petatur principium, altera saltem præmissa debet esse vniuersalis.

4 *Et quod vniuersale quidem ex omnibus terminis vniuersaliter monstratur: quod autem in parte, & sic, & illo modo. Quare si conclusio quidem vniuersaliter sit, & terminos necesse vniuersaliter esse: si vero termini vniuersaliter, contingit conclusionem non esse vniuersaliter.*

5 *Sed manifestum & quòd in omni syllogismo, aut vtrasque, aut alteram propositionem similem necesse fieri conclusioni. Dico autem non solum affirmatiuam, aut priuatiuam, sed necessariam, aut inexistentem, aut contingentem. Considerare vero*

opor-

oportet & alia prædicamenta. Planum autem & simpliciter quando erit, & quando non erit syllogismus: & quando possibilis, & quando perfectus: & quod si fuerit syllogismus, necessarium est se habere terminos secundum aliquem dictorum modorum.

4 Ex his concludit Aristoteles duo corollaria. Primum est: conclusio vniuersalis non potest inferri, nisi omnes præmissæ sint vniuersales; at conclusio particularis non potest inferri ex omnibus præmissis particularibus, sed vel infertur ex vtraque præmissa vniuersali, vt in primis duobus modis tertiæ figuræ, vel infertur ex altera vniuersali, altera particulari. Si igitur conclusio est vniuersalis, vtraque præmissa est vniuersalis: at non è conuerso si vtraque præmissa est vniuersalis, sequitur conclusio vniuersalis, vt patet in tertia figura.

5 Secundum corollarium est: altera saltem præmissa debet esse similis conclusioni non solum in qualitate, sed etiam in modo: ex. gr. si conclusio est negatiua, altera saltem præmissa debet esse negatiua; si conclusio est de contingenti, vel de inesse, altera saltem præmissa debet esse de contingenti, vel de inesse, idemque dic de alijs prædicationibus. Concludit Aristoteles epilogando dicta. Dictum est enim quando fiat, vel non fiat syllogismus; quando sit perfectus, vel solum imperfectus, ac perfectibilis per reductionem; dictum est etiam, quod aliqua saltem præmissa debet esse vniuersalis, & affirmatiua.

Ostenditur omnes syllogismos debere constare ex tribus terminis, & duabus propositionibus. Cap. XXV.

1 *Sed manifestum & quod omnis demonstratio erit per tres terminos, & non plures, nisi per alios & alios eadem conclusio fiat: vt E per A B, & per C D, aut per A B, & A C, & per B C: plura nanque media eorundem esse nihil prohibet: his autem existentibus, non vnus, sed plures sunt syllogismi. Aut rursus quando vtrunque eorum, quæ A B per syllogismum fuerit acceptum, vt A per D E, & rursum B per F G: aut hoc inductione, illud syllogismo. Verum & sic plures syllogismi: plures nanque conclusiones sunt, vt A, & B, & C. Si igitur non plures, sed vnus, sic accidit per plura eandem fieri conclusionem. Vt vero C per ea, quæ sunt A B, impossibile.*

2 *Sit enim E conclusum ex A B, C D: ergo necesse est ipsorum aliquid aliud ad aliud acceptum esse, hoc vt totum, illud vt pars. Hoc enim prius ostensum est, quod si fuerit syllogismus, necesse est terminorum aliquos ita se habere. Sic se igitur habeat A ad B: est itaque aliqua ex ipsis conclusio: aut ergo E, aut eorum, quæ C D alterum, aut aliud quippiam præter hæc. Et si E quidem, ex A B tantum syllogismus vtique esset: C D vero, siquidem sic se habent, vt sit hoc vt totum, illud vt pars, erit aliquid & ex illis: & aut E, aut eorum, quæ A B alterum, vel aliud quippiam præter hæc. Et si E quidem, aut eorum, quæ A B alterum, vel plures erunt syllogismi, aut vt contingebat, idem per plures terminos concludi accidit. Si vero aliud præter hæc, plures erunt, & inconiuncti syllogismi ad se inuicem. Quod si non ita se habeat C ad D, vt faciat syllogismum, frustra erunt accepta nisi abductionis, aut occultationis, aut alicuius alius talium gratia. Sin autem ex A B non E, sed aliud quid fit conclusio, ex C D vero, aut horum alterum, aut aliud quiddam præter hæc, & plures fiunt syllogismi, & non ipsius suppositi: suppositum nanque fuerat syllogismum esse ipsius E. Quòd si ex C D nulla efficitur conclusio, frustra accepta ea fuisse accidit, ac syllogismum non esse eius, quod à principio: quare planum, quod omnis demonstratio, & omnis syllogismus erit solum per tres terminos.*

1 Demonstrato primo, & secundo supposito demonstrat Aristoteles tertium, & quartum suppositum, quod nimirum syllogismus constare debeat ex tribus terminis, & ex duabus propositionibus, seu præmissis.

Quod igitur syllogismus vnus constare debeat ex tribus tantum terminis sic probat. Nulla ratiocinatio, in qua vel probatur eadem conclusio per plura media, vel probantur plures conclusiones, est syllogismus vnus; sed omnis ratiocinatio habens

plures terminos, quam tres, vel probat eamdem conclusionem per plura media, vel probat plures conclusiones; ergo nulla ratiocinatio habens plures terminos, quam tres est syllogismus vnus; ergo syllogismus vnus constat ex tribus tantum terminis. Maior probatur, & explicatur, & primo quoad primam partem, quod ratiocinatio, in qua eadem conclusio probatur pluribus medijs non sit syllogismus vnus. Sit enim hæc conclusio, *omnis homo est risibilis*, quæ conclusio vocetur E. Probari potest hæc conclusio per plura media, nimirum per rationale, admiratiuum, flebile, discursiuum &c. dicendo *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis*; vel *omne admiratiuum est risibile; omnis homo est admiratiuus &c.* At dicendo hoc pacto patet non esse vnum syllogismum, sed plures. Sunt enim plures orationes, ex quibus necessario sequitur posita conclusio; sed plures tales orationes sunt plures syllogismi; ergo si eadem conclusio probetur per plura media non sunt vnus syllogismus, sed plures syllogismi. Probatur iam, & explicatur eadem maior quoad secundam partem, quod nimirum si plures conclusiones probentur, non sit vnus syllogismus. Sit enim conclusio, *omnis homo est risibilis* quæ vocetur E, & probetur per duas præmissas A B dicendo; *omne admiratiuum est risibile; omnis homo est admiratiuus*; præmissæ rursus probentur, & maior quidem A probetur per alias duas præmissas, quæ vocentur C D dicendo; *omne rationale est risibile; omne admiratiuum est rationale*; minor verò, quæ vocetur B probetur per præmissas F G, vel per inductionem. Patet, quod inferuntur tres conclusiones, adeoque sunt tres syllogismi, hoc est tres orationes, ex quibus necessario sequitur aliqua conclusio; ergo non sunt vnus syllogismus. Si verò quis velit vocare vnum syllogismum, quia tandem terminantur ad vnam vltimam conclusionem, saltem sequitur, quod non ita est vnus, sicut cum conclusio infertur immediate ex duabus præmissis; ergo ratiocinatio probans eamdem conclusionem per plura media, vel probans plures conclusiones, non est vnus syllogismus, quæ erat maior probanda.

2 Probatur iam minor, quod omnis ratiocinatio habens plures terminos, quam tres, vel probat eamdem conclusionem per plura media, vel probat plures conclusiones. Sit enim conclusio, *omnis homo est risibilis*; quæ vocetur B, & inferatur per orationem constantem ex quatuor terminis, qui sint, *rationale, homo, risibile, admiratiuum*, dicendo ex. gr. *omne rationale est admiratiuum; omne admiratiuum est risibile; omnis homo est admiratiuus; ergo omnis homo est risibilis*. Vt concludatur, quod *omnis homo est risibilis*, necesse est, vt assumatur, quod omnis homo continetur in aliquo, de quo dicitur risibile, vt iam ostensum est supra, probando duo prima supposita. Terminus igitur, in quo continetur homo, & de quo dicitur risibile, sit admiratiuus; ergo iam per hos tres terminos, *risibilis, admiratiuus, homo* factus est hic syllogismus: *omne admiratiuum est risibile; omnis homo est admiratiuus; ergo omnis homo est risibilis*: quartus igitur terminus *rationalis*, vel est terminus, in quo contineatur homo, & de quo dicatur risibile, & iam est medium ad probandam eamdem conclusionem dicendo; *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*, ac proinde est secundum medium ad probandam eamdem conclusionem per secundum syllogismum; vel ita se habet, vt sub ipso contineatur homo, & de ipso dicatur admiratiuum, & iam est medium ad probandam minorem, quod omnis homo sit admiratiuus, dicendo; *omne rationale est admiratiuum. omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est admiratiuus*, adeoque est medium ad probandam aliam conclusionem; vel ita se habet vt sub ipso contineatur admiratiuum, & de ipso dicatur risibile, & est medium ad probandam maiorem, quod omne admiratiuum sit risibile, dicendo; *omne rationale est risibile; omne admiratiuum est rationale; ergo omne admiratiuum est risibile*, adeoque adhuc est medium ad probandam aliam conclusionem; vel respectu nullius ex tribus reliquis terminis sic se habet, vt alterum de ipso dicatur, alterum sub ipso contineatur, & tum non potest conducere vllo pacto ad probandam conclusionem intentam, vel vllam præmissam, sed ad summum potest conducere ad probandam conclusionem disparatam de alijs terminis, adeoque vanè positus fuit ad probandam conclusionem positam, vel fuit positus solius explicationis gratia; ergo conclusio posita, (idemque dic de alijs) probari solum potest per syllogismum constantem ex tri-

tribus tantum terminis; si verò sint plures termini, quam tres, vel quartus ponitur ita, vt nihil conferat ad syllogismum, vel conducit ad probandam eamdem conclusionem per plura media, vel conducit ad probandam aliam conclusionem; sed ratiocinatio in qua vel eadem conclusio probatur per plura media, vel probantur plures conclusiones, non est vnus syllogismus; ergo vnus syllogismus constare non potest, nisi ex tribus terminis, quod erat probandum.

3 *Cùm autem hoc planum sit, manifestum quod & ex duabus propositionibus, & non pluribus. Tres nanque termini duæ sunt propositiones, nisi assumatur, quemadmodum ex principio dictum est, ad syllogismorum perfectionem.*

4 *Planum itaque, quod in qua ratione syllogistica non sunt pares propositiones, per quas conclusio propria fit, (quasdam nanque ex superioribus conclusionibus necesse est propositiones esse) hæc ratio aut non est ratiocinata, aut plura necessarijs interrogauit ad positionem.*

5 *Si itaque syllogismi secundum proprias accipiantur propositiones, omnis erit syllogismus ex propositionibus quidem paribus, ex terminis autem imparibus: vno nanque plures termini, quam propositiones. Conclusiones vero dimidium propositionum.*

3 Probat iam Aristoteles quartum suppositum, quod nimirum syllogismus constare debeat ex duabus tantum propositionibus, seu præmissis. Ex dictis enim syllogismus constare debet ex tribus tantum terminis dispositis iuxta aliquam ex tribus figuris, vt explicatum est; sed disponendo tres terminos iuxta aliquam ex tribus figuris, fiunt duæ tantum præmissæ; ergo syllogismus constare debet ex duabus tantum præmissis. Possunt tamen assumi aliquæ aliæ propositiones ad perficiendum syllogismum, probando ipsas præmissas, vel manifestando necessitatem conclusionis per reductionem, vt explicatum est: sed adhuc ex duabus præcisè præmissis fit syllogismus, ex quo necessario sequitur conclusio.

4 Ex dictis infert Aristoteles quædam corollaria. Primum est: oratio, in qua ad inferendam conclusionem sumuntur plures præmissæ, quam duæ, non est syllogistica, vel saltem non constat tantum ex propositionibus necessarijs ad syllogismum. Ratio est, quia duæ præmissæ sufficiunt; ergo aliæ propositiones sunt vltra sufficientes. Possunt tamen sumi aliquæ aliæ propositiones ad probandas ipsas præmissas.

5 Secundum est: syllogismus simpliciter vnus constat ex terminis imparibus, propositionibus principalibus paribus; conclusiones verò sunt dimidium præmissarum. Probatur, quia termini sunt tres; ergo sunt in numero impari; præmissæ principales sunt duæ; ergo sunt in numero pari; conclusio est vna; ergo est dimidium duarum præmissarum.

6 *Sed cum per prosyllogismos concludantur, aut per plura media non continua, vt A B per C D, multitudo quidem terminorum consimiliter vno superabit propositiones.*

7 *Aut enim extrinsecus, aut ad medium ponetur intercidens terminus: vtroque autem modo accidit interualla vno minora esse terminis. Propositiones vero æquales sunt interuallis, non tamen pares semper erunt, illi autem impares: sed vicissim quando propositiones pares, impares termini, cum vero pares termini, propositiones impares. simul enim cum termino vna additur propositio, vndecunque addatur terminus. Quare quoniam illæ pares, isti impares erunt, necesse est permutari, cùm eadem fiat appositio.*

6 Tertium est: etiam in syllogismo non simpliciter vno, in quo nimirum probatur aliqua præmissarum per antisyllogismum, vel additur aliud medium non continuum ad probandam aliquam aliam conclusionem, termini sunt vno plures propositionibus immediatis.

Vt probetur, explicandum est, quid sit antisyllogismus, & quid sit terminum sumi intrinsecus, vel extrinsecus. Antisyllogismus est syllogismus, quo probatur aliqua præmissarum. Ex. gr. cum dicitur; *omne admiratiuum est risibile; omnis homo est admiratiuus; ergo omnis homo est risibilis;* ad probandam verò minorem, dicitur: *omne rationale est admiratiuum; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est admiratiuus:* probatio minoris est antisyllogismus.

Terminum sumi intrinsecus est, quod sumatur intrà medium, & alteram extremitatem, ad probandam illam extremitatem de medio: ex. gr. cum ad probandum, quod homo est admiratiuus, sumitur vt medium *rationale*, de quo dicitur admiratiuum, & quod dicitur de homine, rationale dicitur sumi intrinsecus, hoc est intrà hominem, & admiratiuum. Terminum sumi extrà est, quod sumatur non intrà medium, & aliam extremitatem ad probandam talem extremitatem de medio, sed vel suprà maius extremum, ita vt de illo prædicetur, vel intrà maius extremum, ita vt ipsi subijciatur, ad probandam aliquam aliam propositionem: ex. gr. posito syllogismo: *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*; si dicatur; *omne risibile est intellectuale; omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est intellectualis*; terminus *intellectualis* est additus extrà tres terminos prioris syllogismi, & suprà maius extremum, cum prædicetur de maiori extremo ad inferendam diuersam conclusionem, hoc est, quod omnis homo est intellectualis: si verò posito dicto syllogismo; *omne rationale est risibile; omnis homo &c.* sumatur terminus, qui subijciatur homini, ex. gr. musicus, & dicatur; *omnis homo est rationalis; omnis musicus est homo; ergo omnis musicus est rationalis*, terminus *musicus* est sumptus extrà tres terminos prioris syllogismi, & infrà minus extremum, cum subijciatur minori extremo ad inferendam aliam conclusionem.

7 His explicatis, docet Aristoteles, quod quocunque modo addatur quartus terminus, siue intrà, faciendo prosyllogismum, siue extrà, inferendo aliam conclusionem, adhuc termini erunt vno plures, quam propositiones. Sed quæritur, quo pacto id verificetur. Dum enim posito syllogismo; *omne rationale est admiratiuum; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est admiratiuus*; ad probandam minorem additur terminus, *discursiuus*, & fit prosyllogismus; *omne discursiuum est rationale; omnis homo est discursiuus; ergo &c.* videtur, quod sicut sunt quatuor termini, sic sint quatuor propositiones contradistinctæ, duæ ex quibus constat syllogismus, duæ ex quibus constat prosyllogismus. Sed respondetur, quod Aristoteles nomine propositionis, intelligit solam propositionem immediatam; sed minor syllogismi, eo ipso, quod sit probanda per prosyllogismum non est immediata; ergo remanent tres propositiones; sed termini sunt quatuor; ergo termini sunt vno plures, quam propositiones. Cum verò additur quartus terminus extrà ad inferendam aliam conclusionem, tum vna præmissarum est communis vtrique syllogismo, vt patet in exemplis positis circà finem numeri sexti; ergo etiam tum propositiones sunt solum tres, & termini sunt quatuor, adeoque propositiones sunt vna pauciores, quam termini. Quia igitur in prosyllogismis sunt quatuor termini, & tres propositiones, addendo quartum terminum inuertitur ordo parium, & disparium. Cum enim in syllogismo simpliciter vno sint termini impares, propositiones pares, in syllogismo sumpto simul cum prosyllogismo, termini sunt pares, hoc est quatuor, propositiones impares hoc est tres.

8 *Conclusiones vero non etiam eundem habebunt ordinem, neque ad terminos, neque ad propositiones. Cùm enim vnus terminus additur, conclusiones addentur vna pauciores praexistentibus terminis: ad solum nanque vltimum non facit conclusionem, sed ad alios omnes.*

9 *Veluti si A B C adijciatur ipsum D, statim & conclusiones duæ adijciuntur, & quæ ad A, & quæ ad B: consimiliter autem & in alijs. Verum & si ad medium intercidat, eodem modo: ad vnum nanque solum non faciet syllogismum. Quare multo plures conclusiones erunt & terminis, & propositionibus.*

8 Quartum corollarium est: in syllogismo non simpliciter vno, termini, & propositiones non ità se habent ad conclusiones, sicut in simpliciter vno, sed addendo nouum terminum, adduntur tot conclusiones, quot termini antecedentes, vno excepto, adeoque per additionem terminorum, conclusiones fiunt multo plures, quã termini, & quam propositiones immediatæ.

9 Probatur, & explicatur: sit enim syllogismus; *omne vegetabile est corpus; omne animal est vegetabile; ergo omne animal est corpus*: addatur terminus extrinsecus suprà corpus, quod est maius extremum, qui terminus sit *substantia*, & dicatur: *omne*

ne corpus est substantia; addito hoc vnico termino, & hac vnica propositione, adduntur duæ conclusiones, altera, in qua substantia concluditur de medio primi syllogismi, quod est vegetabile, dicendo, *omne corpus est substantia; omne vegetabile est corpus; ergo omne vegetabile est substantia*: altera, in qua substantia concluditur de minori extremo primi syllogismi, quod est animal, dicendo, *omne corpus est substantia; omne animal est corpus; ergo omne animal est substantia*; ergo addito quarto termino, adduntur duæ conclusiones, hoc est vna pauciores terminis præexistentibus, qui termini erant tres. Si addatur quintus terminus suprà maiorem extremitatem, qui terminus sit ens, & si addatur vna propositio, quæ sit, *omnis substantia est ens*, adduntur conclusiones tres, adeoque vna pauciores quatuor terminis præcedentibus, cum terminus additus maiori extremitati, possit concludi de tribus reliquis terminis, hoc est de corpore, vegetabili, & animali. De corpore concluditur sic: *omnis substantia est ens; omne corpus est substantia; ergo omne corpus est ens*: de vegetabili sic: *omnis substantia est ens; omne vegetabile est substantia; ergo omne vegetabile est ens*: de animali sic: *omnis substantia est ens; omne animal est substantia; ergo omne animal est ens*. Eodem pacto si addatur sextus terminus suprà ens, ex. gr. intelligibile, & dicatur, *omne ens est intelligibile*, concludetur de quinque reliquis excepto ente, & sic addentur quatuor conclusiones, hoc est vna pauciores, quam quinque termini præexistentes &c. ergo patet, quod addendo nouum terminum, qui sit suprà maiorem extremitatem, ac de illa prædicetur, additur vna sola præmissa, & adduntur tot conclusiones, quot erant termini præexistentes, adeoque quod addendo hoc pacto terminos, conclusiones sunt multo plures, quam præmissæ, & quam termini. Si enim sint tres termini, sunt duæ præmissæ, & vna conclusio: si sint quatuor termini, sunt tres præmissæ, & tres conclusiones: si sint quinque termini, sunt quatuor præmissæ, & sex conclusiones: si sint sex termini, sunt quinque præmissæ, & decem conclusiones. Sicut verò ostensum est, quod addendo terminos suprà maius extremum, adduntur tot conclusiones, quot erant termini antecedentes, vno excepto; sic potest ostendi, quod addendo terminos sub minori extremo, ita vt subijciantur minori extremo, adduntur tot conclusiones, quot sunt termini antecedentes, vno excepto, & addendo terminos intrà extrema, adduntur tot conclusiones, quot erant termini antecedentes, vno excepto: semper enim terminus additus per varias conclusiones potest connecti cum omnibus terminis antecedentibus, vno excepto.

Quænam conclusiones, per quas figuras, & modos facilius probentur, vel impugnentur. Caput XXVI.

1 *QVoniam autem habemus de quibus syllogismi, & quale in vnaquaque figura, & quot modis monstratur, manifestum nobis est, & quale problema difficile, & quale bene argumentabile. Quod enim in pluribus figuris, & per plures casus concluditur, facilius: quod autem in paucioribus, & per pauciores, difficilius argumentabile. Vniuersale itaque affirmatiuum per solam primam monstratur figuram, & per hanc vno tantum modo. Priuatiuum autem, & per primam, & per mediam. Ac per primam quidem vno solum modo: per mediam vero dupliciter. Sed affirmatiuum in parte per primam, & per vltimam: vno tantummodo per primam, trifariam autem per vltimam. Priuatiuum vero secundum partem in omnibus figuris monstratur: præterquam quòd in prima quidem, semel: in media vero, atque vltima, in illa bifariam, in hac tripliciter. Planum itaque, quod vniuersale prædicatiuum construere quidem difficillimum.*

2 * *Destruere vero facilius.*

1 POstquam Aristoteles explicauit, quænam sint ea, quæ possunt concludi per syllogismum, & in quibus figuris, & modis possint concludi, explicat, quæ conclusiones possint facile, vel difficile probari, vel impugnari.

Prima ergo conclusio est: vniuersalis affirmatiua est difficillima ad probandum; vniuersalis negatiua tenet secundum locũ difficultatis; tertium particularis affirmatiua; quartum particularis negatiua, quæ est

est facillima ad probandum.

Probatur, quia illa propositio est facilior probatu, quæ potest probari per plures figuras, & modos; e conuerso illa propositio, quæ potest probari per pauciores figuras, & modos, est difficilior probatu; sed vniuersalis affirmatiua potest probari per vnam solam figuram, hoc est per primam, & per vnicum modum, hoc est per Barbara; ergo est difficillima ad probandū: vniuersalis negatiua potest probari per duas figuras, & per tres modos, hoc est per Celarent in prima figura, & per Cesare, & Camestres in secunda: particularis affirmatiua potest probari per duas figuras, primam, & tertiam, & per quatuor modos, hoc est per Darij in prima figura, per Darapti, Disamis, & Datisi in tertia figura: particularis demum negatiua potest probari per omnes tres figuras, & per sex modos, per vnum primæ, hoc est Ferio, duos secundæ, hoc est Festino, & Barocco, & per tres tertiæ, hoc est Felapton, Boccardo, & Ferison; ergo particularis negatiua facillimè probatur, cum probari possit per tres figuras, & sex modos; secundum locum facilitatis tenet particularis affirmatiua, quæ probari potest per duas figuras, & quatuor modos; tertium vniuersalis negatiua, quæ probari potest per duas figuras, & tres modos; difficillima demum ad probandum est vniuersalis affirmatiua, quæ probari potest per vnicam figuram, & vnicum modū, hoc est Barbara.

2 Secunda conclusio est: facillima ad destruendum, seu impugnandum est vniuersalis affirmatiua: secundum locum tenet vniuersalis negatiua: tertium particularis affirmatiua: quartum particularis negatiua, quæ difficillimè impugnatur.

Probatur: illa propositio facilius impugnatur, & destruitur, quæ potest impugnari, & destrui pluribus figuris, ac modis; sed vniuersalis negatiua impugnatur, ac destruitur omnibus tribus figuris, & omnibus modis, quibus probatur contraria negatiua vniuersalis, aut contradictoria negatiua particularis, qui modi sunt nouem, duo in prima figura, hoc est Celarent, & Ferio; omnes quatuor secundæ figuræ, & tres tertiæ figuræ, hoc est Felapton, Boccardo, & Ferison; vniuersalis negatiua destruitur duabus tantum figuris, & omnibus modis, quibus probatur vniuersalis affirmatiua illi contraria, & particularis affirmatiua eidem contradictoria, qui modi sunt quinque, duo primæ figuræ, hoc est Barbara, & Darij; tres tertiæ figuræ, hoc est Darapti, Disamis, & Datisi: particularis affirmatiua destruitur solum duabus figuris, & illis modis, quibus probatur vniuersalis negatiua illi contradictoria, qui modi sunt tantum tres, hoc est Celarent, Cesare, & Camestres: particularis demum negatiua destruitur solum per primam figuram, & primum mouum, hoc est Barbara, per quem solum probatur vniuersalis affirmatiua contradictoria particulari negatiuæ; ergo &c.

3 *Omnino autem tollere vniuersalia facilius, quàm ea, quæ sunt in parte. Nanque & si nulli, & si alicui non insit, sublatum est. Horum autem alicui quidem non, in omnibus monstratur figuris: nulli vero, in duabus. Sed eodem pacto, & in priuatiuis. Nanque & si omni, & si alicui, sublatum est, quòd à principio: hoc autem erat in duabus figuris. In ijs vero, quæ sunt in parte, vno tantum modo, aut omni, aut nulli ostendentem inesse. Sed construenti faciliora, quæ in parte: nanque & in pluribus figuris, & per plures casus.*

4 *Et omnino non oportet latere, quod destruere per se inuicem est, & vniuersale per ea, quæ sunt in parte, & hæc per vniuersalia: construere vero non est vniuersale per ea, quæ sunt secundum partem, sed per illa hæc est. Simul autem manifestum, quòd & destruere facilius est, quàm construere.*

5 *Quomodo igitur efficiatur omnis syllogismus, & per quos terminos, ac propositiones, & quomodo se habentes inuicem: amplius, quale problema in vnaquaque figura, & quale in pluribus, & quale in paucioribus monstratur, planum ex dictis.*

3 Tertia conclusio est: facilius destruuntur propositiones vniuersales, quàm particulares: at verò facilius probantur particulares, quàm vniuersales.

Probatur prima pars, quia vniuersalis affirmatiua destruitur probando tum vniuersalem negatiuam illi contrariam, tum particularem negatiuam eidem contradictoriam, quandoquidem neque contraria, neque contradictoria possunt simul verificari. At particularis affirmatiua destruitur solum probando vniuersalem negatiuam, cum particularis negatiua subcontraria possit

possit simul verificari cum particulari affirmatiua: similiter vniuersalis negatiua destruitur probando tum vniuersalem, tum particularem affirmatiuam: at particularis affirmatiua destruitur solum probando vniuersalem affirmatiuam, quæ potest probari vnica figura, & modo, vt dictum est num. 1.

Probatur secunda pars, quia conclusiones particulares possunt concludi in pluribus figuris, & modis, quam vniuersales, vt iam est explicatum.

4 Quarta conclusio est: vniuersalia possunt destrui per particularia, & particularia vicissim per vniuersalia: non tamen è conuerso vniuersalia probari possunt per particularia; ideoque facilius est impugnare, ac destruere, quam probare.

Probatur; nam qui probat vniuersalem affirmatiuam, ex. gr. quod *omnis homo est risibilis*, destruit hanc particularem negatiuam contradictoriam, quod *aliquis homo non est risibilis*; & qui probat hanc vniuersalem negatiuam, quod *nullus homo est planta*, destruit hanc particularem affirmatiuam, quod *aliquis homo est planta*. Rursus qui probat has particulares, quod *aliquis homo est albus & aliquis non est albus*, destruit illas vniuersales, quod omnis homo est albus, & nullus homo est albus; ergo propositiones vniuersales possunt destrui per particulares, & particulares per vniuersales. At licet qui probat vniuersalem affirmatiuam, ex. gr. quod *omnis homo est risibilis*, eo ipso probet particularem affirmatiuam, *quod aliquis homo est risibilis*; & qui probat vniuersalem negatiuam, quod *nullus homo est planta*, probet etiam particularem, *quod aliquis homo non est planta*; tamen qui probat particularem affirmatiuam, quod *aliquis homo est albus*, non probat vniuersalem, quod *omnis homo est albus*; & qui probat particularem negatiuam, quod *aliquis homo non est albus*, non probat vniuersalem negatiuam, quod *nullus homo est albus*; ergo licet particulares probentur per vniuersales, non tamen è conuerso, ideoque facilius est destruere, quam probare.

5 Concludit Aristoteles epilogando hactenus dicta. Explicatum est, quomodo, per quos terminos, per quas propositiones, & quo pacto dispositas, fiat syllogismus: explicatum est rursus quæ propositiones possint probari in qualibet figura, quæ possint probari in pluribus figuris, & quæ in paucioribus.

SECTVM SECVNDVM

DE INVENTIONE MEDII.


De præceptis ad inueniendum medium, & ad inuenienda principia, ex quibus conficitur syllogismus, & probantur propositæ Conclusiones. Cap. II. vel XXVII.

1 *QVOMODO autem abundabimus syllogismis, ipsi semper ad positum, & per qualem viam accipiemus principia, quæ circa vnumquodque, iam nunc dicendum. Non enim solum fortasse oportet generationem considerare syllogismorum, verum & faciendi potentiam habere.*

2 *Omnium itaque entium, hæc quidem talia sunt, vt de nullo vere vniuersaliter prædicentur, vt Cleon, & Callias, & quod secundum vnumquodque, & sensibile: de his autem alia: etenim horum vterque homo, & animal est. Illa vero ipsa quidem de aliis prædicantur, de his autem alia prius non prædicantur. Sed alia & ipsa de aliis, & de ipsis altera: vt homo de Callia, & de homine animal. Quòd igitur entium quædam de nullo apta nata sunt dici, manifestum. Ferme enim sensibilium vnumquodque tale est, vt de nullo prædicetur, nisi vt secundum accidens. Dicimus nanque aliquando album illud Socratem esse: & accedens Calliam. Quòd autem & sursum tendentibus statur ali-*

quando, rursus dicemus: nunc vero sit hoc positum. De his igitur non est demonstrare alterum prædicatum, nisi secundum opinionem: sed hæc de alijs. Neque quæ secundum singula de alijs, sed altera de illis. Quæ vero intermedia sunt, planum quòd vtroque modo contingunt.

3 *Nanque & ipsa de alijs, & alia de his dicentur: & quasi rationes & considerationes sunt maxime de his.*

1  VIA non sufficit scire, ex quibus terminis, & propositionibus, & quo pacto se habentibus, fiat syllogismus, nisi possimus inuenire terminos, & propositiones, ex quibus faciamus syllogismum, ideo Aristoteles, postquam primo secto, vel prima parte huius libri explicauit, ex quibus terminis, & propositionibus fiant syllogismi, secundo secto, vel secunda parte tradit præcepta, per quæ possimus inuenire terminos, & propositiones, hoc est principia, ex quibus construatur syllogismus. Et quia omnis syllogismus consistit in eo, vt probet aliquam conclusionem propositam per aliquod medium, ideò primo explicat, ex quibus terminis constent conclusiones syllogisticè probandæ: deinde verò tradit artem inuestigandi medium ad probandas propositas conclusiones.

2 Vt igitur explicet ex quibus terminis constent conclusiones syllogisticè probandæ, præmittit quandam diuisionem. Eorum, quæ sunt, quædam non prædicantur de vllo inferiori, de ipsis verò prædicantur alia: ex. gr. Cleon, Callias, & singularia sensibilia non prædicantur de vllo inferiori, nisi forte per accidens, dicendo, *hoc album est Cleon*; alia verò, vt homo, animal, prædicantur de inferiore, vt de Cleone, & Callia. Ex his, quæ prædicantur de inferioribus, quædam sunt, de quibus non prædicatur aliud superius, vt intelligibile; quædam sunt media, ita vt & ipsa prædicentur de alijs, & alia de ipsis, vt homo, qui prædicatur de Cleone, & Callia, cum de homine prædicetur animal, & viuens. Quod dentur ista tria genera rerum, patet: nam singularia sensibilia est manifestum, quod non prædicantur de subiecto, nisi forte per accidens, vt cum dicimus illud album esse Socratem, illud accedens esse Calliam: in posterioribus demonstrabitur, quod in prædicatis superioribus, & superioribus non proceditur in infinitum, sed sistendum est in aliquo supremo: patet demum dari media, quæ prædicentur de inferioribus, & de quibus superiora prædicentur.

3 Posita hac doctrina, docet Aristoteles, quod ferè omnes syllogismi sunt circa hæc media, quæ respectu aliquorum sunt prædicata superiora, respectu aliorum sunt subiecta inferiora. Patet ergo conclusiones probandas debere constare ex talibus terminis, saltem vt plurimum.

4 *Oportet itaque propositiones circa vnumquodque sic excerpere: supponentem ipsum primum, & definitiones, & quæcunque propria rei sunt: deinde post hoc, quæcunque rem sequuntur, ac rursus quæ res sequitur, & quæcunque non contingunt ipsi inesse. Quibus ipsum non contingit, non eligendum, eò quòd conuertitur priuatiuũ. Diuidenda autem sunt & consequentium, quæcunque in eo, quod est quid, & quæcunque propria, & quæcunque vt accidentia prædicantur: & horum qualia ex opinione, & qualia secundum veritatem. Quanto enim pluribus talibus abundauerit quispiam, citius conclusionem assequetur: quanto autem verioribus, magis demonstrabit.*

4 Posito, quod conclusiones probandæ sint huiusmodi, tradendæ sunt regulæ ad inueniendum medium, per quod probentur. Primo ergo Aristoteles explicat, quæ sint consideranda: secundo quæ sint eligenda. Primo ponenda est quæstio: ex. gr. *vtrum homo sit risibilis?* Secundo consideranda sunt própria subiecti: ex. gr. definitio propria hominis, & proprietates cum homine conuertibiles. Tertio consideranda quæ sequuntur, & inferuntur etiam non conuertibiliter ad subiectum: ex. gr. quæ prædicata sequantur ad hominem, cuiusmodi prædicata sunt, quod homo est animal, viuens &c. Quarto consideranda sunt etiam, ad quæ sequatur subiectum: ex. gr. ad quæ sequatur homo; sequitur enim ad musicum; si enim est musicus, est homo &c. Quinto consideranda sunt, quæ repugnant homini, cuiusmodi sunt *irrationale, hinnibile &c.* Repugnat enim homini vt sit irrationalis, vel hinnibilis &c. Quia

ve-

verò quæ rei conuenire non possunt, ita se habent, vt neque res possit de ipsis dici, siquidem vniuersalis negatiua conuertitur in aliam vniuersalem negatiuam; ideò non est adhibenda diuersa specialis consideratio eorum, quibus res conuenire non potest, cum hæc omnia comprehendantur in ijs, quæ non possunt dici de re, siquidem res non potest dici de ipsis. Sexto quæ sequuntur ad subiectum, ac de subiecto dicuntur, diuidenda sunt: nam quædam dicuntur de subiecto essentialiter, & quidditatiuè; quædam vt accidentia propria; quædam vt accidentia communia; & hæc etiam seorsim sunt consideranda. Septimo considerandum est etiam, quæ sequantur ad subiectum probabiliter, & iuxta opiniones receptas, quæ verò sequantur secundum ipsam veritatem. Proportionaliter hæc eadem consideranda sunt de prædicato quæstionis propositæ. Quo verò plura ex his habuerit in mente, qui conatur aliquam conclusionem probare, eo facilius inueniet medium, & principia ad illam probandam, & si abundauerit probabilibus probabit probabiliter, si abundauerit necessarijs, demonstrabit etiam euidenter.

5 *Verum oportet eligere, non quæ aliquod sequuntur, sed quæ totam rem sequuntur: quemadmodum non quid aliquem hominem, sed quid omnem hominem sequitur. Per vniuersales nanque propositiones syllogismus. Nanque cum est indefinitum, incertum, si vniuersalis propositio est: cùm vero definitum, planum.*

6 *Consimiliter autem eligenda, & quæ ipsum sequitur tota, ob dictam causam: ipsum vero consequens non assumendum totum sequi. Dico autem veluti hominem omne animal, aut musicam scientiam omnem: sed tantum simpliciter sequi, quemadmodum & protendimus. Nanque inutile alterum, & impossibile: veluti omnem hominem esse omne animal, aut iustitiam omne bonum. Sed ex quo sequitur, in illo omni dicitur.*

7 *Sed cùm ab aliquo contineatur subiectum, quod consequentia oportet accipere, quæ sequuntur vniuersale, vel non sequuntur, non eligenda in his: sunt enim in illis accepta. Quæcunque enim animal, & hominem sequuntur, & quæcunque non insunt, consimiliter. Quæ vero circa vnumquodque propria accipiendum. Sunt enim quædam speciei propria præter genus: necesse nanque diuersis speciebus propria quædam inesse. Neque igitur vniuersali eligendum, quæ sequitur quod continetur: vt animali quæ sequitur homo. Necesse enim si hominem sequitur animal, & hæc omnia sequi. Conuenientiora autem hæc hominis electionis.*

8 *Assumenda vero & quæ vt plurimum sequuntur, & quæ sequitur. Problematum nanque vt plurimum & syllogismus ex propositionibus vt plurimum, aut omnibus, aut aliquibus. Similis nanque vniuscuiusque conclusio principijs.*

9 *Amplius quæ omnia sequuntur, non eligendum. Non enim erit ex ipsis syllogismus. Ob quam autem causam, in sequentibus erit manifestum.*

5 Sed non sufficit scire, quæ sint consideranda, debet etiam sciri, quæ sint eligenda. Primo ex consequentibus ad subiectum, vel prædicatum, eligenda sunt quæ consequuntur vniuersaliter naturam specificam, non verò quæ consequuntur particulariter: ex.gr. eligenda sunt quæ sequuntur vniuersaliter hominem, non verò quæ sequuntur particulariter. Ratio est, quia syllogismus cum fundetur in *dicto de omni*, fundatur in propositionibus vniuersalibus, non verò in particularibus, vel indefinitis, de quibus non satis constat, an verificentur per propositiones vniuersales, vel per particulares.

6 Secundo ex antecedentibus, ad quæ nimirum sequitur subiectum, vel prædicatum, eligenda sunt ea, ad quæ vniuersaliter sequitur subiectum, vel prædicatum ex eadem ratione, quia nimirum syllogismus fundatur in propositione vniuersali, & medium debet sumi vniuersaliter. Porrò non prædicatum, sed subiectum debet sumi vniuersaliter: ex. gr. dicitur, quod *omnis homo est animal*, at non dicitur, quod *omnis homo est omne animal*: dicitur, quod *omnis musica est scientia*, at non dicitur, quod *omnis musica est omnis scientia*. Si igitur addatur terminus *omnis* prædicato, additur inutiliter, & affirmatur aliquod impossibile, cum impossibile sit, vt homo sit omne animal, musica sit omnis scientia, iustitia sit omne bonum.

7 Tertio ex consequentibus, vel repugnantibus ad aliquod subiectum contentum in aliquo vniuersaliori, seligenda sunt, quæ

quæ ad ipsum specialiter consequuntur, vel quæ ipsi specialiter repugnant, non verò, quæ consequuntur rationem vniuersaliorem, vel repugnant rationi vniuersaliori: hæc enim considerari debent, considerando rationem illam vniuersaliorem. Ex. gr. dum quæruntur consequentia, vel repugnantia ad hominem, qui continetur in ratione vniuersaliori animalis, debent eligi, quæ specialiter consequuntur, ac repugnant homini, non verò quæ consequuntur, ac repugnant animali: hæc enim eligenda sunt, dum consideratur ipsum animal. Ratio est, quia cum ex consequentibus, & repugnantibus quædam sint propria specierum, quædam sint communia generum, eo pacto, quo risibilitas sequitur ad hominem, non ad animal, hinnibilitas repugnat homini, non animali; vt procedatur ordinatim, dum considerantur consequentia, & repugnantia speciei, seligenda sunt propria; communia verò tum sunt eligenda, cum consideratur genus; alioquin cum consequentia, ac repugnantia generi, sint etiam consequentia, ac repugnantia speciebus, accidet eadem multoties eligi, quod est inconueniens.

8 Quarto ex antecedentibus, & consequentibus debent etiam eligi, quæ antecedunt, vel consequuntur plerumque. Ratio est, quia conclusiones, in quibus non concluditur prædicatum conuenire subiecto semper, sed solum plerunque, probantur ex omnibus, vel aliquibus principijs, in quibus affirmatur prædicatum conuenire subiecto, non semper, sed solum plerumque; cum conclusiones debeant proportionari principijs; ergo ad inuenienda principia talium conclusionum, debent eligi, quæ cõueniunt plerunque.

9 Quinto non debet eligi aliquid, quod sequatur tum subiectum, tum prædicatum conclusionis probandæ, & neutrum antecedat: nam ex tali medio non potest fieri syllogismus, nisi in secunda figura ex puris affirmatiuis, ex quo nihil sequitur. Ex. gr. quia animal consequitur tum hominem, tum equum, assumendo animal pro medio, fieret talis paralogismus in secunda figura; *omnis homo est animal; omnis equus est animal*; ex quo nihil sequitur, vt infra magis explicabitur.

De Regulis ad inueniendum medium. Cap. II. vel XXVIII. Art. I.

1 *Construere igitur volentibus de aliquo toto, aspiciendum quidem in subiecta eius, quod construitur, de quibus ipsum dicitur: de quo autem oportet prædicari, quæcunque hoc sequuntur. Si nanque horum aliquid idem fuerit, necesse est alterum alteri inesse.*

2 *Si vero non quòd omni sed quòd alicui, quæ sequitur vtrunque. Si enim horum aliquid idem, necesse alicui inesse.*

3 *Cæterum cùm nulli oporteat inesse, cui non est opus inesse ad sequentia: quod autem oportet non inesse in quæ non contingunt ipsi inesse. Aut è conuerso cui quidem oportet non inesse, quæ non contingunt ipsi inesse: quod autem non inesse, in consequentia. Cùm enim hæc vtralibet eadem fuerint, nulli contingit alteri alterum inesse. Fit enim quandoque quidem, qui in prima figura syllogismus, quandoque autem qui in media.*

4 *Quòd si alicui non inesse cui oportet non inesse, quæ sequitur: quod autem non inesse, quæ non possunt ipsi inesse. Si enim horum aliquid idem sit, necesse alicui non inesse.*

POstquam Aristoteles explicauit, quæ sint consideranda, & eligenda pro inuentione medij, tradit regulas ad inueniendum medium. Et quia quatuor sunt genera conclusionum inferibilium: vniuersalis affirmatiua; vniuersalis negatiua; particularis affirmatiua; & particularis negatiua: ideo tradit quinque regulas ad inueniendum medium, per quod concludatur vnaquæque dictarum conclusionum.

Vt intelligantur regulæ tradendæ, memoria tenendum est, quid sit antecedens, quid consequens, quid repugnans, siue extraneum. Antecedens est ex quo aliud sequitur; consequens est, quod sequitur ex alio: ex. gr. *homo*, & *animal* ita se habent, vt *homo* sit antecedens, *animal* consequens. Ratio est, quia ex homine sequitur animal, cum valeat; *est homo; ergo est animal*; ergo

go cum homo sit ex quo sequitur animal, homo est antecedens respectu animalis; cũ animal sequatur ex homine, animal est cõsequens respectu hominis. Si verò duo ex se mutuo sequantur, & sint conuertibilia, sunt mutuo antecedens, & consequens: ex. gr. definitio, & definitum, *homo, & animal rationale*, mutuo se antecedunt, & consequuntur. Repugnans siue extraneum est, quod non potest alteri conuenire: ex. gr. *homo & equus* sunt termini repugnantes, & extranei, quia neque homo potest esse equus, neque equus potest esse homo.

1 His positis, prima regula est: ad concludendam vniuersalem affirmatiuam debent considerari antecedentia, & consequentia, tum prædicatum, tum subiectum: & siquidem inueniatur aliquid, quod idem sit antecedens prædicati, & consequens subiecti, illud est medium; ex. gr. vt concludam, quod *omnis homo est viuens*, debeo considerare antecedentia, & consequentia hominis, & viuentis; & quia inuenio, quod animal est antecedens respectu viuentis; valet enim *est animal; ergo est viuens*, & est consequens respectu hominis, cum valeat, *est homo; ergo est animal*; ideo animal est medium ad concludendum vniuersaliter viuens de homine, dicendo; *omne animal est viuens; omnis homo est animal; ergo omnis homo est viuens*.

2 Secunda regula est: ad concludendam particularem affirmatiuam, debent considerari, quæ antecedunt tum subiectum, tum prædicatum: si enim aliquid idem antecedit vtrumque, erit medium ad illam concludendam. Ex. gr. ad concludendam hanc, *aliquod animal est intellectuale*, debeo considerare, ex quibus sequitur tum animal, tum intellectuale; & quia inuenio, quod tum animal, tum intellectuale sequuntur ex homine, adeoque homo antecedit vtrũque, cum valeat, *est homo; ergo est animal; est homo; ergo est intellectualis*; ideo homo est medium ad inferendum, quod aliquod animal est intellectuale, dicendo in Darapti; *omnis homo est intellectualis; omnis homo est animal; ergo aliquod animal est intellectuale*. Per idem verò medium potest eadem conclusio inferri in Darij, conuertendo minorem per accidens in particularem affirmatiuam.

3 Tertia, & quarta regula est: ad concludendam vniuersalem negatiuam debent considerari consequentia, & extranea ad prædicatum, & subiectum: si verò aliquid inueniatur, quod idem sit extraneum prædicato, & consequens subiecto, illud erit medium ad concludendum in Cesare, & Celarent; si verò è conuerso sit consequens ad prædicatum, & extraneum ad subiectum, erit medium ad concludendum in Camestres: ex. gr. ad concludendam hanc, *nullus homo est equus*, debeo considerare extranea, & consequentia tum homini, tum equo; & quia inuenio, quod intellectuale est extraneum equo, cum non possit equo conuenire, & consequitur hominem, ideò intellectuale est medium ad probandam conclusionem intentam in Cesare, dicendo; *nullus equus est intellectualis; omnis homo est intellectualis; ergo nullus homo est equus*; est etiam medium ad probandam eamdem conclusionem in Celarent conuertendo maiorem. E conuerso, quia inuenio, quod irrationale est consequens ad equum, & est extraneum homini, ideò irrationale est medium ad probandam eamdem conclusionem in Camestres dicendo; *omnis equus est irrationalis; nullus homo est irrationalis; ergo nullus homo est equus*. Possunt igitur hæ duæ regulæ coniungi in vnam, quæ est, quod quando idem ad alterum terminorum est extraneum, ad alterum est consequens, est medium ad probandam vniuersalem negatiuam.

4 Quinta regula est: ad concludendam particularem negatiuam, consideranda sunt antecedentia subiecti, & extranea, siue repugnantia prædicati: si enim aliquid vnũ, & idem sit antecedens subiecti, & extraneum prædicati, erit medium ad illam inferendam: ex. gr. sit hæc conclusio; *aliquod animal non est intellectuale*, considero, quæ antecedant animal, ac repugnent intellectuali, & inuenio, quod equus simul antecedit animal, & repugnat intellectuali, ideò equus est medium ad illam conclusionem inferendam, dicendo in Felapton; *nullus equus est intellectualis; omnis equus est animal; ergo aliquod animal non est intellectuale*, & conuertendo minorem per accidens, eadem conclusio sequitur in Ferio.

5 *Sed magis fortasse sic erit vnumquodque dictorum manifestum. Sint enim consequentia A, in quibus B, quæ vero ipsum sequitur, in quibus C, quæ autem non contingunt ipsi inesse, in quibus D. Rursus ipsi E inexistentia, in quibus F, quæ vero ipsum sequi-*

sequitur, in quibus G, quæ autem non contingunt ipsi inesse, in quibus H. Si itaque aliquid eorum, quæ C idem erit alicui eorum, quæ F necesse est A omni E inesse. Nanque F omni E: A vero omni C: quare A omni E.

5 Positis regulis demonstrat illas Aristoteles in terminis. Prædicatum igitur vocetur A; consequentia ad prædicatum vocentur B; antecedentia ad prædicatum vocentur C; extranea prædicato vocentur D. Rursus subiectum vocetur E; consequentia ad subiectum vocentur F; antecedentia vocentur G; extranea vocentur H. Hoc posito, probat Aristoteles singulas regulas exemplificando in positis litteris: nos maioris claritatis gratia easdem probabimus, exemplificando in terminis realibus. Probatur igitur prima regula, quod si idem sit antecedens prædicati, & consequens subiecti, est medium ad probandam vniuersalem affirmatiuam. Si animal est antecedens viuentis, & consequens hominis, eo ipso est medium ad demonstrandum, quod omnis homo est viuens. Patet: omne consequens potest prædicari vniuersaliter de antecedente; sed animal est antecedens, viuens est consequens; ergo viuens potest vniuersaliter prædicari de animali, dicendo, *omne animal est viuens*; sed animal est consequens respectu hominis; ergo animal potest vniuersaliter prædicari de homine, dicendo, *omnis homo est animal*; ergo fit syllogismus in Barbara, per quem infertur; *ergo omnis homo est viuens*; ergo si idem sit antecedens prædicati, & consequens subiecti, est medium ad probandam vniuersalem affirmatiuam in Barbara.

6 *Quòd si C, & G idem, necesse A inesse alicui eorum, quæ E. Nanque A ipsi C: E autem sequitur omne C.*

7 *Si vero F, & D idem, nulli eorum, quæ E. A inerit ex prosyllogismo. Quoniam enim conuertitur priuatiuum, & F ipsi D idem, nulli eorum, quæ F inerit A: F autem omni E.*

6 Secundo probatur secunda regula, quod si idem sit antecedens prædicati, & subiecti, est medium ad probandam particularem affirmatiuam. Omne consequens potest prædicari vniuersaliter de suo antecedente, eo pacto, quo quia animal est consequens respectu hominis, potest prædicari vniuersaliter de homine; ergo si homo est antecedens tum ad intellectuale, tum ad animal, tum intellectuale, tum animal possunt prædicari vniuersaliter de homine, dicendo; *omnis homo est intellectualis*; *omnis homo est animal*; sed ex his duabus præmissis sequitur in Darapti; *ergo aliquod animal est intellectuale*; ergo si idem sit antecedens prædicati, & subiecti, est medium ad concludendum prædicatum de subiecto per particularem affirmatiuam.

7 Tertio probatur tertia regula, quod si idem sit extraneum prædicato, & consequens subiecto, concluditur vniuersalis negatiua in Cesare. Extraneum enim est vniuersaliter negabile de eo, cui est extraneum; consequens est vniuersaliter affirmabile de eo, cui est consequens; ergo si intellectuale est extraneum equo, consequens homini, potest vniuersaliter negari de equo, & vniuersaliter affirmari de homine, dicendo in Cesare; *nullus equus est intellectualis*; *omnis homo est intellectualis*; *ergo nullus homo est equus*; ergo vniuersim, cum idem est extraneum prædicato, & consequens subiecto, est medium ad probandam vniuersalem negatiuam in Cesare, & per conuersionem in Celarent. Dicit autem Aristoteles, quod si idem sit F, & D, hoc est extraneum ad A, & consequens ad E, concludetur, quod nullum E est A per prosyllogismum. Quia enim F est extraneum ad A, poterit negari vniuersaliter de A, dicendo *nullum A est F*, & per conuersionem, *nullum F est A*; sed cum F sit idem cum D, potest vniuersaliter affirmari de D, subsumendo, *omne D est F*; ergo concludetur in Celarent; *ergo nullum D est A*; sed D est consequens ad E, adeoque potest vniuersaliter affirmari de E, ergo poterit dici; *omne E est D*; & sic inferri in Celarent; *ergo nullum E est A*; ergo infertur hæc conclusio, *nullum E est A* per prosyllogismum modo explicato, licet possit etiam directè inferri in Cesare, vt patet in exemplo posito.

8 *Rursus si B, & H idem, nulli eorum, quæ E inerit A. Nam B omni A: nulli vero inerit eorum, in quibus E: idem nanque erat ipsi H: H autem nulli eorum, quæ E inerat.*

9 *Quòd si D, & G idem, A alicui eorum, quæ E non inerit. Ipsi nanque G non inerit:*

erit: quoniam neque ipsi D: G autem est sub E: quare alicui eorum, quæ E non inerit.

8 Quarto probatur quarta regula, quod si idem est consequens prædicati. & extraneum subiecti, est medium ad inferendam in Camestres vniuersalem negatiuam, Si intellectuale est consequens homini, & repugnans equo, potest vniuersaliter affirmari de homine, & vniuersaliter negari de equo, dicendo in Camestres; *omnis homo est intellectualis; nullus equus est intellectualis; ergo nullus equus est homo*; ergo vniuersim quando idem est consequens prædicati, & repugnans subiecti, est medium ad conclusionem, in qua tale prædicatum negetur vniuersaliter de tali subiecto. Potest autem hoc ipsum probari per prosyllogismum, proportionaliter ad ea, quæ dicta sunt num. 7. explicando tertiam regulam.

9 Quinto probatur quinta regula, quod si idem sit repugnans prædicati, & antecedens subiecti, infertur particularis negatiua prædicati de subiecto Si enim homo repugnat equo, & antecedit animal, potest de homine vniuersaliter negari equus, affirmari animal, dicendo in Felapton; *nullus homo est equus; omnis homo est animal; ergo aliquod animal non est equus.*

10 *Si vero ipsi G B idem, conuersus fit syllogismus. G nunque inerit omni A: B enim omni A. E vero ipsi B: nam idem erat ipsi G. A autem omni quidem E non necesse inesse: alicui vero necesse: eo quòd quæ secundum partem cum vniuersali prædicatione conuertitur. Planum itaque, quòd ad prædicta inspiciendum vtriusque secundum vnumquodque problema. Per hæc enim omnes syllogismi.*

11 *Verum oportet & consequentium & quæ consequitur vtrunque, ad prima & vniuersalia maxime inspicere. Vt ipsius E magis ad K F, quàm ad F solum: ipsius autem A ad K C, quàm ad C solum. Si enim A inest K F, & F. & E inerit. Quòd si non sequitur ex hoc, accidit ipsum F sequi. Consimiliter autem & in quibus ipsum sequitur, considerandum. Si enim prima, & quæ sub illa sequitur. Quòd si non hæc, sed quæ sub hac, accidit.*

10 Demonstratis quinque regulis iam positis, addit Aristoteles sextam regulam ad concludendam particularem affirmatiuam indirectè in prima figura, quæ regula est: si idem sit simul antecedens subiecti, & consequens prædicati, sequitur indirectè particularis affirmatiua subiecti de prædicato. Probatur: sit conclusio inferenda; *aliquod viuens est homo*: sumatur aliquid simul antecedens viuens, & consequens hominē, quod sit animal Quia animal antecedit viuens, potest de animali vniuersaliter prædicari viuens, dicendo; *omne animal est viuens*: quia animal consequitur ad hominem, potest vniuersaliter prædicari de homine, dicendo; *omnis homo est animal*; ergo sequitur in Barbara; *ergo omnis homo est viuens*; & per conuersionem sequitur in Baralipton; *ergo aliquod viuens est homo*; ergo quod est consequens subiectum, & antecedens prædicatum, est medium ad probandam particularem affirmatiuam indirectè in prima figura; ergo manifestum est, quod per has regulas potest resolui omnis quæstio, & probari omnis conclusio, tum vniuersalis affirmatiua, tum vniuersalis negatiua, tum particularis affirmatiua, tum particularis negatiua.

11 Addit Aristoteles quoddam documentum circa primam regulam, quæ regula est, quod ad probandam vniuersalem affirmatiuam, medium debet esse antecedens prædicati, & consequens subiecti. Est autem documentum, vt ex consequentibus subiectum seligatur communissimum, & vniuersalissimum, dummodo antecedat prædicatum. Ex. gr. sit probanda hæc conclusio; *omnis homo est substantia*; debet sumi medium consequens hominem, & antecedens substantiam: occurrunt plura media talia, nimirum, *animal, viuens, corpus*, quæ omnia sequuntur hominem, & antecedunt substantiam: ex his seligendum est corpus, quod est vniuersalius cæteris, & propinquius prædicato, quod est substantia, ac dicendum; *omne corpus est substantia; omnis homo est corpus; ergo omnis homo est substantia*. Ratio est, quia si prædicatum sequitur ad vniuersalius, multo magis sequitur ad minus vniuersalia: ex. gr. si substantia sequitur ad corpus, sequitur etiam ad viuens, & animal, quæ continentur sub corpore; ergo sumendo corpus, sumuntur quodammodo viuens, & animal, ac cætera media. At si prædicatum sequatur

tur ad medium inferius, non eo ipso sequitur ad superiora, adeoque sumendo minus vniuersalia, non eo ipso sumuntur magis vniuersalia; sed melius sumitur medium, cum continet cætera, quam cum non continet; ergo ex consequentibus subiectum sumendum est vniuersalissimum, & propinquissimum prædicato. Exemplificat autem Aristoteles in litteris suo more, sed hic est sensus.

De traditarum regularum sufficientia ad inueniendum medium pro omnibus syllogismis. Cap. II. vel XXVIII. Art. II.

12 *Palam vero & quòd per tres terminos ac binas propositiones consideratio, & per prædictas figuras syllogismi omnes. Monstratur nanque A inesse omni E, quando eorum quæ C, & F idem aliquid acceptum fuerit. Hoc autem erit medium: extrema vero A, & E. Fit itaque prima figura. Sed alicui, quando C & G sumptum sit. Hæc autem vltima figura: medium enim fit G. Nulli vero quando D, & F idem. Sic autem & prima figura, & media. Prima, quòd A inest nulli F (siquidem conuertitur priuatiuum) F autem omni E. Media vero, quoniam D nulli A: E autem omni inest. Verum alicui non inesse, quando D & G idem sit. Hoc autem vltima figura: A nanque nulli G inerit, E vero omni G. Planum itaque, quòd per prædictas figuras syllogismi omnes.*

13 *Et quod non eligenda quæcunque omnia sequuntur, eo quòd nullus ex ipsis fit syllogismus. Construere nanque penitus non erat ex sequentibus. Priuare autem non contingit per id, quod omnia sequitur: oportet enim huic quidem inesse, illi vero non inesse.*

12 Traditis regulis ad inueniendum medium, probat Aristoteles illas esse sufficientes ad inueniendum medium pro omni syllogismo de inesse, tum ostensiuo, tum per impossibile, & ex hypothesi, tum etiam modali. Primo ergo sic probat traditas regulas sufficere pro omni syllogismo ostensiuo de inesse. Regulæ, & principia, quæ sufficiunt ad omnes syllogismos ostensiuos de inesse constantes ex tribus terminis, & duabus præmissis dispositis in tribus figuris, sufficiunt ad omnes syllogismos ostensiuos, cum omnes syllogismi ostensiui debeant esse tales, vt dictum est cap. 25.; sed regulæ traditæ sufficiunt ad omnes syllogismos constantes ex tribus terminis, ac duabus præmissis dispositis iuxta tres figuras; ergo &c. Probatur minor, quia omnis syllogismus ostensiuus, vel concludit vniuersalem affirmatiuam in prima tantum figura, & primo modo; vel particularem affirmatiuam in prima, & tertia figura; vel vniuersalem negatiuam in prima, & secunda figura; vel particularem negatiuam in omnibus tribus figuris; sed regulæ prædictæ sufficiunt ad concludendas omnes has conclusiones; ergo &c. Probatur minor: ad concludendam enim vniuersalem affirmatiuam in prima figura, & in Barbara, sufficit eligere medium, quod sit consequens subiecti, & antecedens prædicati, vt probatum est cap. 2. seu 27. num. 5.: ad concludendam particularem affirmatiuam in tertia figura, sufficit eligere medium, quod sit antecedens subiecti, & prædicati, per quod medium conuersa minori per accidens, eadem conclusio infertur in prima figura, & in Darij, vt probatum est eodem cap. 2. num. 6.: ad concludendam vniuersalem negatiuam in Cesare secundæ figuræ, & per conuersionem maioris in Celarent primæ figuræ, sufficit medium, quod sit repugnans prædicati, & consequens subiecti, vt probatum est ibidem num. 7: ad concludendam particularem negatiuam sufficit medium, quod sit repugnans prædicati, & consequens subiecti, & conclusio sequetur in tertia figura, & per conuersionem in prima, vt probatum est ibidem num. 9.; ergo traditæ regulæ sufficiunt ad syllogismos ostensiuos omnium figurarum; ergo ad omnes omninò syllogismos ostensiuos.

13 Ex dictis patere potest id, quod sequitur omnia, adeoque est prædicabile de omnibus, non esse medium aptum ad quidquam concludendum. Probatur, quia non est medium aptum ad inferendam conclusionem affirmatiuam, neque negatiuam; ergo &c. Probatur antecedens: est enim prædicabile de omnibus; sed ex medio, quod prædicatur de vtroque extremo fit argumen-

mentum in secunda figura ex puris affirmatiuis, ex quo nihil sequitur; ergo &c. Cum rursus sequatur omnia, de nullo est negabile; ergo non potest ex illo inferri conclusio negatiua, ad quam requiritur, vt medium negetur de altero saltem extremo. Quod dictum est, debet intelligi de medio, quod ità sequatur subiectum, & prædicatum, vt non simul antecedat.

14 *Sed & manifestum, quòd aliæ considerationes eorum, quæ sunt secundum electiones, inutiles sunt ad faciendum syllogismum: quemadmodum si consequentia vtrunque eadem sunt: aut si quæ sequitur A, & quæ non contingunt ipsi E: aut quodcunque rursus non accidit vtrique inesse. Non enim efficitur syllogismus per hæc. Nanque si consequentia eadem, vt B. & F, fit media figura, prædicatiuas habens propositiones.*

15 *Sin autem quæ sequitur A, & quæ non contingunt ipsi E, vt C, & H, prima figura, priuatiuam habens propositionem, quæ ad minus extremum.*

16 *Si vero quotcunque non contingunt vtrique, & D, & H, priuatiuæ ambæ propositiones, aut in prima, aut in media figura. Sic autem nullo modo syllogismus.*

14 Traditis, & probatis regulis de cōbinationibus vtilibus antecedentis, consequentis, ac repugnantis subiecto, & prædicato, subdit Aristoteles tres regulas de tribus combinationibus inutilibus. Prima est: si aliquid purè consequatur subiectum, & prædicatum, non est medium aptum ad vllum syllogismum. Probatur, quia consequens, quod purè est consequens, potest solum affirmari vniuersaliter; ergo deberet fieri argumentum in secunda figura ex puris affirmatiuis, ex quo nihil sequitur.

15 Secunda regula est: quod est antecedens prædicati, & repugnans subiecti, non est medium aptum ad vllum syllogismum. Ratio est, quià si medium purè antecedit prædicatum, in maiori prædicatum vniuersaliter affirmatur de medio; & si medium repugnat subiecto, debet in minori negari de subiecto, vel subiectum de medio, adeoque argumentum erit in prima, vel tertia figura ex minori negatiua, in prima verò, & tertia figura ex minori negatiua, nihil sequitur saltem directè.

16 Tertia regula est: quod repugnat prædicato, & subiecto, non est medium aptum ad vllum syllogismum. Ratio est, quià debet de vtroque extremo negari; ergo vtraque præmissa debet esse negatiua: ex puris verò negatiuis nihil sequitur.

17 *Sed manifestum, & qualia eadem accipienda, quæ secundum inspectionem, & non qualia diuersa, aut contraria.*

18 *Primum quidem, quoniam inspectia medij gratia: medium vero non diuersum, sed idem oportet accipere.*

19 *Postea, & in quocunque accidit fieri syllogismum; eo quòd fuere accepta contraria, aut non contingentia eidem inesse, in prædictos omnia reducentur modos. Veluti si B, & F contraria, aut non contingunt eidem inesse. Erit enim his acceptis syllogismus, quòd A contingit inesse nulli eorum, quæ sunt B. Sed non ex ipsis, verum ex prædicto modo. Nam B A quidem omni: E vero nulli inerit: quare necesse B idem esse alicui H.*

20 *Rursus si B, & G non contingunt eidem inesse, quòd A non inerit alicui eorum quæ sunt E. Sic etenim media erit figura. Nam B. A quidem omni: G vero nulli inerit: quare necess B alicui eorum, quæ H idem esse. Nanque non contingere B, & G eidem inesse, nihil differt, quam B idem esse alicui eorum, quæ H. Omnia enim accepta sunt non contingentia inesse ipsi B. Manifestum igitur quòd ex his ipsis inspectionibus nullus syllogismus. Quòd si B, & F contraria, necesse B idem esse alicui eorum, quæ H, & syllogismum per hæc fieri. Accidit itaque ita speculantibus inspicere aliam viam à necessaria, propterea, quòd latet identitas eorum, quæ B, & eorum, quæ H.*

17 Examinat deinde alias duas regulas, easque reijcit, vt non conuenientes. Prima est: si consequens subiecti, & prædicati fuerint inuicem contraria, & extranea, potest concludi vniuersalis negatiua. Secunda est: si consequens prædicati, & antecedens subiecti fuerint contraria, potest concludi particularis negatiua.

18 Impugnat has regulas primo, quia hic quærimus artem inueniendi medium; sed medium debet esse vnum, nō diuersum, vel contrarium; ergo tradendæ sunt regulæ explicantes, quid vnum debeat sumi pro medio; sed dictæ regulæ non explicant, quid vnum debeat sumi pro medio, sed solum

lum explicant, quæ conclusio possit inferri, si consequens subiecti, & prædicati, vel cõsequens subiecti, & antecedens prædicati sint contraria; ergo prædictæ regulæ sunt inconuenientes.

19 Secundo eatenus accidit, quod si consequens subiecti, & prædicati sint contraria, concludi possit vniuersalis negatiua, & si consequens prædicati, & consequens subiecti sint contraria, vel extranea, concludi possit particularis negatiua, quatenus eo ipso verificantur regulæ iam traditæ; ergo istæ duæ regulæ eatenus sunt vtiles, quatenus reducuntur ad iam traditas. Probatur antecedens: primo enim eatenus accidit, quod si consequens subiecti, & prædicati sunt contraria, vel extranea, concludi possit vniuersalis negatiua, quatenus eo ipso idem, quod consequitur vnam extremitatem, repugnabit alteri extremitati, quam sequitur suum contrarium, vel extraneum: quod enim repugnat consequenti, repugnat etiam antecedenti, eo pacto, quo id, quod repugnat animali, quod animal consequitur hominem, repugnat etiam homini; sed eo ipso, quod ad aliquid sequatur vnum contrariorum, vel extraneorum, repugnat illi alterum contrariorum, atque extraneorum; ergo prima regula reducitur ad regulas inueniendi medium concludendi vniuersalem negatiuam, quæ regula est, vt idem alteri extremo sit extraneum, alteri consequens. Explicatur in terminis veris: ad *hominem* sequitur *rationale*, ad *equum irrationale*, quæ duo sunt contraria, vel extranea; idcirco potest inferri vniuersalis negatiua, quod nullus homo sit equus in Camestres sumendo pro medio irrationale, & dicendo; *omnis equus est irrationalis; nullus homo est irrationalis; ergo nullus homo est equus*; sed eo ipso irrationale consequitur prædicatum, quod est equus, & repugnat subiecto, quod est homo; ergo verificatur quarta regula pro conclusione vniuersali negatiua in Camestres. Eadem conclusio potest inferri in Cesare, sumendo pro medio *rationale*, ac dicendo: *nullus equus est rationalis; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est equus*; sed eo ipso *rationale* repugnat prædicato, & consequitur subiectum, adeoque verificatur tertia regula ad concludendam vniuersalem negatiuam in Cesare, quæ regula tradita est cap. 2. seu 28. num. 8.; ergo eatenus si consequens prædicati, & subiecti sint contraria, vel extranea, potest inferri conclusio negatiua vniuersalis, quatenus accidit verificari tertiam, & quartam regulam à nobis positam.

20 Tertio eatenus verificatur secunda regula, quod si consequens prædicati, & antecedens subiecti sunt contraria, vel extranea, infertur conclusio particularis negatiua, quatenus eo ipso idem erit antecedens subiecti, & repugnans prædicati, adeoque verificatur quinta regula probata cap. 2. seu 28. num. 9. Quod enim repugnat consequenti, repugnat etiam antecedenti, vt dictum est num. 19.; sed antecedens subiecti repugnat consequenti prædicati; ergo antecedens subiecti repugnat prædicato; ergo eo ipso verificatur quinta regula, quod ad concludendam particularem negatiuam, debet sumi medium, quod medium sit repugnans prædicati, & antecedens subiecti; ergo etiam secunda regula eatenus est vtilis, quatenus accidit verificari quintam regulam pro conclusione particulari negatiua. In terminis veris ad hominem sequitur intellectuale; ad animal antecedit irrationale; irrationale autem est contrarium, vel extraneum intellectuali, ideo potest inferri particularis negatiua, quod *aliquod animal non est homo*, dicendo in Felapton; *nullum irrationale est homo; omne irrationale est animal; ergo aliquod animal non est homo*. Eo enim ipso, quod irrationale repugnat intellectuali, quod est consequens ad hominem, repugnat homini, quia quod repugnat consequenti, repugnat antecedenti; sed irrationale est antecedens subiecti, quod est animal; ergo idem est antecedens subiecti, & repugnans prædicati, quæ est quinta regula ad concludendam particularem negatiuam. Aristoteles tamen aliter procedit. Dicit enim, quod si consequens prædicati, & antecedens subiecti repugnant inuicem, quia quod repugnat antecedenti, repugnat partialiter consequenti, eo pacto, quo id, quod repugnat homini, repugnat partialiter alicui animali, consequens prædicati repugnabit partialiter subiecto; ergo idem erit consequens prædicati, & repugnans partialiter subiecto; sed consequens potest prædicari vniuersaliter de antecedente, repugnans potest negari partialiter de eo, cui repugnat; ergo poterit fieri syllogismus in Barocco, in quo idem B H prædicetur vniuersaliter de prædicato A, negetur particulariter de subiecto E, dicendo; *omne*

ne A est B, H; aliquod E non est B H; ergo aliquod E non est A; ergo iam verificatur proportionaliter quarta regula, quod si idē sit consequens prædicato, & partialiter extraneum subiecto, potest inferri particularis negatiua prædicati de subiecto. In terminis veris, ad hominem sequitur intellectuale, ad animal antecedit irrationale, irrationale verò, & intellectuale repugnant inuicem. Quod repugnat antecedenti, repugnat partialiter consequenti; sed intellectuale repugnat irrationali, quod est antecedens ad animal; ergo intellectuale repugnat partialiter animali; ergo iam iuxta quartam regulam proportionaliter acceptam, idem intrllectuale est consequens prædicati, quod est homo, & partialiter repugnans subiecti, quod est animal; ergo idem intellectuale potest vniuersaliter affirmari de homine, & particulariter negari de animali, dicendo in Barocco; *omnis homo est intellectualis; aliquod animal non est intellectuale; ergo aliquod animal non est homo*; ergo in tantum si consequens prædicati, & antecedens subiecti repugnent inuicem, potest inferri particularis negatiua prædicati de subiecto, in quantum verificantur regulæ antea traditæ, hoc est in quantum verificatur proportionaliter quarta regula, si sumatur pro medio consequens prædicati; & in quantum verificatur quinta regula, si sumatur pro medio antecedens subiecti, vt explicatum est; ergo duæ regulæ eatenus sunt vtiles, quatenus reducuntur ad quinque primas, cum per duas regulas non explicetur vnitas medij; ergo primæ quinque regulæ sunt magis conuenientes, & immediatæ.

21 *Eodem autem pacto se habent, & syllogismi ad impossibile deducentes cum ostensiuis. Nanque & hi fiunt per consequentia, & quæ consequitur vtrunque. Et eadem inspectio in ambobus: quod enim ostensiue monstratur, & per impossibile est ratiocinari per eosdem terminos: & quod per impossibile, & ostensiue: vt quòd A nulli eorum, quæ E inest. Ponatur enim alicui inesse. Quoniam igitur B omni A: A vero alicui eorum, quæ E: B alicui eorum, quæ E inerit: sed nulli inerat. Rursus quòd alicui inest. Si enim A nulli eorum, quæ E: E vero omni G: nulli eorum, quæ G inerit A. Sed omni inerat. Consimiliter autem, & in alijs problematibus. Semper enim, & in omnibus erit monstratio per impossibile ex consequentibus, & quæ sequitur vtrunque: ac secundum vnumquodque problema eadem consideratio, & ostensiue volenti ratiocinari, & ad impossibile ducere. Ex eisdem nanque terminis vtræque demōstrationes. Quemadmodum si monstratum est A inesse nulli E, quoniam accidit & B inesse alicui eorum, quæ E, quod impossibile: si acceptum fuerit B inesse E quidem nulli, A vero omni, planum itaque, quòd A inerit nulli E. Rursus si ostensiue ratiocinatum fuerit A inesse nulli E, supponentibus inesse, per impossibile monstrabitur nulli inexistens. Consimiliter autem, & in alijs. In omnibus enim necesse communem aliquem accipere terminum alium à suppositis, ad quem erit falsi syllogismus. Quare conuersa hac propositione, altera vero similiter se habente, ostensiuus erit syllogismus per eosdem terminos.*

22 *Differt nanque ostensiuus ab eo, qui ad impossibile, quoniam in ostensiuo secundum veritatem vtraque ponuntur propositiones, in eo autem, qui ad impossibile, solum vna. Hæc igitur magis erunt manifesta per sequentia, quando de impossibili dicemus. Nunc vero tantum nobis sit manifestum, quòd ad eadem inspiciendum & ostensiue volenti ratiocinari, & ad impossibile ducere.*

21 Postquam Aristoteles ostendit regulas traditas sufficere pro inuentione medij ad syllogismos ostensiuos, ostendit easdem sufficere pro inuentione medij ad cæteros syllogismos per impossibile, ex hypothesi, & modales. Primo ergo sic probat sufficere ad syllogismos per impossibile. Quod demonstratur per impossibile, demonstratur ostensiuè, & in ijsdem terminis, atque è conuerso quod demonstratur ostensiuè, demonstratur per impossibile; sed quod demonstratur ostensiuè, demonstratur sumendo medium, quod sit antecedens, vel consequens, vel repugnans prædicati, & subiecti secundum dictas regulas; ergo etiam quod demonstratur per impossibile, demonstratur sumendo medium, quod sit antecedens, vel consequens prædicati, vel subiecti secundum prædictas regulas. Maior probatur inductione: primo sit demonstranda per impossibile hæc vniuersalis negatiua, *nullus homo est equus*; sumitur pro hypothesi eius contra-

dictoria, quæ est, *aliquis homo est equus.* & ex ea, cum alia propositione manifestè vera, infertur conclusio manifestè impossibilis sic: *omnis equus est irrationalis; aliquis homo est equus ex hypothesi; ergo aliquis homo est irrationalis; sed hoc est manifestè impossibile; ergo falsum est, quod aliquis homo sit equus; ergo vera est contradictoria, quod nullus homo est equus.* Eodem pacto demonstratur per impossibile particularis affirmatiua, ex. gr. quod *aliquod animal est intellectuale:* sumitur enim pro hypothesi contradictoria, quod *nullum animal est intellectuale;* subiungitur minor manifestè vera; *omnis homo est animal;* & infertur; *ergo nullus homo est intellectualis; sed hoc est manifestè impossibile, siquidem omnis homo est intellectualis; ergo falsa est hypothesis, quod nullum animal sit intellectuale; ergo vera est contradictoria, quod aliquod animal est intellectuale.* Proportionali modo probantur per impossibile, vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua. Iam per eosdem terminos potest fieri syllogismus ostensiuus eiusdem conclusionis, sumendo loco conclusionis impossibilis contradictorium eius, atque illud coniungendo cum altera præmissarum verarum: ex. gr. hæc conclusio, *nullus homo est equus*, probatur ostensiuè sumendo contradictoriam conclusionis impossibilis, quæ conclusio impossibilis fuit, *aliquis homo est irrationalis*, illamque coniungendo cum maiori vera sic: *omnis equus est irrationalis; nullus homo est irrationalis; ergo nullus homo est equus.* Rursus hæc particularis affirmatiua, *aliquod animal est intellectuale*, probatur ostensiuè, sumendo contradictoriam conclusionis impossibilis, quæ conclusio fuit, *ergo nullus homo est intellectualis*, illamque coniungendo cum minori manifestè vera sic; *aliquis homo est intellectualis; omnis homo est animal; ergo aliquod animal est intellectuale;* ergo vniuersaliter sumendo contradictoriam propositionis impossibilis, & coniungendo illam cum præmissa vera, concluditur ostensiuè eadem vera conclusio: & è conuerso sumendo contradictoriam conclusionis veræ, cum altera præmissa, concluditur impossibile; ergo quod concluditur per impossibile, potest idem concludi ostensiuè in ijsdem terminis; ergo sicut syllogismus ostensiuus fit sufficienter per regulas traditas, sic per illas fit sufficienter syllogismus ad impossibile, adeoque regulæ traditæ sufficiunt etiam pro syllogismo ad impossibile, quod erat probandum.

22 Ex dictis vniuersaliter patere potest differentia inter syllogismum ostensiuum, & per impossibile. In ostensiuo sumitur vtraque præmissa vera, & infertur directè conclusio vera: in syllogismo per impossibile sumitur altera præmissa vera, altera falsa, quæ est contradictoria conclusioni, quæ directè concluditur ostensiuè, & infertur conclusio manifestè impossibilis, vt magis explicabitur inferius lib. 2. cap. 11. cum de syllogismo per impossibile agetur ex professo. Nunc sufficit quod in vtroque ad inueniendum medium debent considerari antecedentia, consequentia, & repugnantia extremitatibus, vt est probatum.

23 *Sed in alijs syllogismis, qui ex suppositione (quemadmodum quicunque secundum transumptionem, aut secundum qualitatem in subiectis) non in ijs, quæ à principio, sed in transumptis erit consideratio. Modus vero inspectionis idem. Considerare autem, & diuidere, quot modis qui ex suppositione. Monstratur itaque vnumquodque problematum sic.*

24 *Est autem & alio modo nonnulla horum ratiocinari, quemadmodum vniuersalia, per particularem inspectionem ex suppositione. Si enim C & G eadem sint: solis vero G accipiatur E inesse: A inesset vtique omni E. Et rursus, si D & G eadem: E autem de solis G prædicaretur: quòd A inerit nulli eorum, quæ E. Planum itaque, quòd & sic inspiciendum.*

25 *Eodem autem modo & in necessarijs, & contingentibus: eadem nanque consideratio, & per eosdem terminos erit ordine eius, quod est contingere, & eius, quod est inesse syllogismus. Accipiendum autem in contingentibus & quæ non insunt, sed possunt inesse: monstratum enim est, quòd & per hæc fit eius, quod est contingere syllogismus. Consimiliter autem se habebit & in alijs prædicamentis.*

23 Secundo probat vniuersim Aristoteles, quod omnes syllogismi ex hypothesi fiunt sumendo medium iuxta regulas traditas. Syllogismus ex hypothesi procedit sic: supponit, quod si est vnum, est aliud; syllogizat vnum, & ex conclusione vnius

tran-

transit ad concludendum aliud: ex. gr. supponit, quod si album disgregat, nigrum congregat; syllogizat, quod album disgregat visum; & ex hac conclusione syllogizata, quæ conclusio est; *ergo album disgregat*, concludit aliam, quæ est; *ergo nigrum congregat visum*. Arguendo hoc pacto, debet sumi medium iuxta regulas traditas ad concludendam conclusionem transumptam, à qua nimirum transitur ad aliam conclusionem; ergo vniuersim in syllogismo ex hypothesi, debet sumi medium iuxta regulas traditas. Innuit autem Aristoteles duplicem esse syllogismum ex hypothesi, alium secundum transumptionem, alium secundum qualitatem subiecti. Syllogismus secundum transumptionem est, in quo syllogizatur magis notum, & transitur ad minus notum: syllogismus secundum qualitatem subiecti est, in quo supponendo, quod quale est vnum subiectum, tale est aliud, syllogizatur de vno, & transitur ad concludendum de alio: ex. gr. supponitur, quod qualis est vna anima rationalis, talis est alia; syllogizatur, quod vna est immortalis, & transitur ad concludendum, quod etiam alia est immortalis. Quia verò conclusiones transumptæ, à quibus nimirum transitur ad alias, possunt esse vel vniuersales affirmatiuæ, vel vniuersales negatiuæ &c. ideò ad ipsas concludendas applicandæ sunt quinque regulæ traditæ.

24 Aduertit Aristoteles, quod aliquando per regulam concludendi particulares, possunt etiam concludi vniuersales ex quadam hypothesi. Ex. gr. est regula concludendi particularem affirmatiuam, si medium sit antecedens prædicati, & subiecti. Si igitur supponatur, quod medium ita sit antecedens subiecti, vt sit conuertibile cum subiecto, concludetur etiam per tale medium vniuersalis affirmatiua: ex. gr. rationale antecedit tum animal, tum hominem, ideo valet in Darapti; *omne rationale est animal; omne rationale est homo; ergo aliquis homo est animal*. At quia rationale ita antecedit hominem, vt sit conuertibile cum homine, poterit minor conuerti vniuersaliter, dicendo; *omnis homo est rationalis*; & sic sequetur in Barbara hæc vniuersalis affirmatiua; *ergo omnis homo est animal*; ergo ex suppositione, quod medium ita antecedat prædicatum, & subiectum, vt sit conuertibile cum subiecto, potest per idem medium concludi non solum particularis, sed etiam vniuersalis affirmatiua. Rursus est regula, quod si medium sit repugnans prædicati, & antecedens subiecti, concluditur particularis negatiua prædicati de subiecto: at si medium ita sit repugnans prædicati, & antecedens subiecti, vt sit conuertibile cum subiecto, concludetur etiam vniuersalis negatiua prædicati de subiecto: ex. gr. quia rationale ita repugnat equo, vt sit antecedens respectu hominis, potest concludi, quod aliquis homo non sit equus, dicendo in Felapton; *nullum rationale est equus; omne rationale est homo; ergo aliquis homo non est equus*. At quia rationale est conuertibile cum homine, potest minor conuerti in hanc; *omnis homo est rationalis*, & tunc sequetur in Celarent vniuersalis negatiua; *ergo nullus homo est equus*; ergo ex suppositione, quod antecedens subiecti sit conuertibile cum subiecto, si medium sit repugnans prædicati, & antecedens subiecti, potest inferri non solum particularis negatiua, sed etiam vniuersalis negatiua.

25 Demum probat Aristoteles, quod etiam ad syllogismos modales de necessario, vel contingenti medium inuenitur per traditas regulas, ita vt medium debeat comparari cum extremis tanquam consequens, antecedens, vel repugnans. Aduertit autem, quod contingens debet sumi pro possibili non necessario, vt explicatum est supra. Concludit idem proportionaliter dicendum de alijs modis, cuiusmodi sunt modi possibilis, impossibilis &c.

De necessitate traditarum regularum ad inueniendum medium, & quomodo deseruiant omnibus disciplinis. Cap.II. vel XXVIII. Art. II.

26 *Planum igitur ex dictis, non solum quòd accidit per hanc viam fieri omnes syllogismos, sed & quòd per aliam impossibile. Monstratum nanque est syllogismum omnem per aliquam prædictarum effici figurarum: hæ autem non accidit per alia constitui, quàm per consequentia, & quæ vnumquodque consequitur: ex his enim pro-*

positiones, & medij acceptio. Quare neque syllogismum accidit per alia fieri.

27 *Via igitur de omnibus eadem & circa philosophiam, & circa artem qualemcunque, & disciplinam. Oportet enim inexistentia, & quibus insunt, circa vtrunque videre, & his quam plurimis abundare: atque hæc per tres terminos considerare, destruentem quidem sic, construentem vero sic: secundum veritatem quidem ex ijs, quæ secundum veritatem describuntur inesse: ad dialecticos autem syllogismos, ex propositionibus secundum opinionem. Principia vero syllogismorum vniuersaliter dictum est, & quomodo se habent, & quomodo oportet ipsa venari: ne aspiciamus ad omnia, quæ dicuntur, neque ad eadem, construentes, ac destruentes, neque construentes de omni, aut aliquo, & destruentes ab omnibus, aut aliquibus, sed ad pauciora, & determinata.*

26 POstquam Aristoteles ostendit traditas regulas esse sufficientes ad inueniendum medium, per quod probentur omnes conclusiones, probat eas esse ità necessarias, vt nulla conclusio probari possit, nisi per medium, de quo verificentur dictæ regulæ. Probat autem sic: omnis syllogismus inferens quamcunque conclusionem, debet disponi in aliqua ex tribus figuris; sed in omni syllogismo disposito in tribus figuris medium necessario ordinatur secundum dictas regulas; ergo in omni syllogismo medium necessario ordinatur secundum dictas regulas. Probatur minor, quia in syllogismo disposito in aliqua figura, medium prædicatur, aut subijcitur, affirmatur, aut negatur vniuersaliter, vel particulariter; sed vt sic affirmetur, aut negetur &c. debet se habere vt consequens, vel antecedens, vel repugnans respectu terminorum; ergo necesse est, vt medium ordinetur secundum dictas regulas, & impossibile est, vt ordinetur præter dictas regulas.

27 Hinc infert traditam artem inueniendi medium esse communem Philosophiæ, seu Metaphysicæ, artibus rationalibus, scientijs mathematicis, & naturalibus, & vniuersim omnibus facultatibus probantibus conclusiones ex aliquibus principijs. Posito enim, quod professores talium facultatum habeant copiam principiorum, & cõclusionum probandarum, possunt per traditam artem inuenire, per quod medium, & per quæ principia probandæ sint conclusiones singulæ, construendo syllogismos ex tribus terminis, sic, & sic se habentibus. Per hanc etiam artem possunt determinare, quod medium sit assumendum ad euertendum, & impugnandum; quod medium ad construendum, & probandum; & quod ad demonstrandum debent sumi principia vera, & certa; ad probabiliter concludendum principia probabilia, & recepta. Concludit satis esse explicata principia syllogismorum, & satis traditam methodum ad illa inuenienda, ne semper vagemur per omnia, sed nos restringamus ad aliqua pauca determinata, per quæ possit ostendi conclusio proposita.

28 *Secundum vero vnumquodque entium eligere, vt de bono, aut scientia. Priuatæ autem secundum vnamquanque sunt plurimæ. Quare principia quidem, quæ secundum vnumquodque sunt, experimenti est tradere. Dico autem, vt astrologicam experientiam Astrologicæ scientiæ. Acceptis enim apparentibus sufficienter, ita inuentæ sunt astrologicæ demonstrationes. Consimiliter autem se habet & circa aliam qualemcunque artem, ac scientiam. Quare si accepta fuerint quæ insunt circa vnumquodque, nostrum iam demonstrationes propalare. Si enim nihil secundum historiam derelictum fuerit eorum, quæ vere insunt rebus, habebimus de omni, cuius est demonstratio, hanc inuenire, & demonstrare: cuius autem non est naturaliter demonstratio, hoc facere manifestum. Vniuersaliter itaque quomodo opus est propositiones eligere, ferme dictum est: cùm diligentia vero percurrimus in negotio circa Dialecticam.*

28 Addit, quod in singulis materijs quærendum est medium inter principia propria illarum. Sunt autem multa propria principia scientiarum, quæ nota sunt illarum professoribus: ex. gr. principia astrologica stabilita sunt longa experientia, & obseruatione, ac nota sunt peritis astronomis, ex ijsque desumi debet medium ad probandas conclusiones astrologicas. Idem dic de principijs aliarum facultatum. Posito igitur, quod quis iam teneat principia propria rerum, potest per artem traditam ex ijs demonstrationes concludere, eligendo media, & principia ad conclusiones propositas

sitas probandas iuxtà traditas regulas. Si enim iam quis per scientias sciuerit principia illarum propria, & per hanc artem sciuerit ex illis medium seligere, & demonstrationes construere, poterit conclusiones scibiles demonstrare, & poterit etiam aduertere, quæ conclusiones sint indemostrabiles ex eo, quod non habeamus principia ad illas concludendas necessaria. Concludit Aristoteles satis hic explicatum in genere, quo pacto eligendæ sint propositiones, & præmissæ ad conclusiones propositas probandas, cum de his magis specialiter, & exactè agendum sit in Topicis.

De syllogismo per viam diuisionis, & an per illum probari possint omnes conclusiones, præsertim de definitione, ac de prædicatis definitiuis. Cap. III. vel XXIX.

1 *QVòd autem diuisio per genera, parua quadam particula est dictæ methodi, facile est conspicere. Est enim diuisio velut imbecillis syllogismus. Quod enim oportet monstrare, petitur: ratiocinamur autem semper aliquid superiorum. Primum vero ipsum hoc latuerat omnes vtentes ipsa, & persuadere conabantur, quòd esset impossibile de substantia demonstrationem fieri, & eo, quod est quid. Quare neque quòd contingit ratiocinari diuidentes intellexere, neque quod sic contingebat, quemadmodum diximus. In demonstrationibus itaque, quando opus sit aliquid ratiocinari inesse, oportet medium, per quod fit syllogismus, & minus semper esse, & non vniuersalius prima extremitatum. Diuisio autem contrarium vult: ipsum nanque vniuersale accipit medium. Sit enim animal, in quo A: mortale, in quo B: & immortale, in quo C: homo autem, cuius rationem oportet accipere, in quo D. Omne igitur animal accipit aut mortale, aut immortale. Hoc autem est, quodcunque sit A, omne esse aut B, aut C. Rursus hominem semper diuidens, ponit animal esse: quare de D accipit A inesse. Syllogismus itaque est, quòd D, aut B, aut C omne est: quare hominem, aut mortalem aut immortalem necessarium esse: animal mortale autem non necessarium esse, sed petitur. Hoc autem est, quod oportebat ratiocinari. Rursus ponens A quidem animal mortale, in quo autem B pedes habens, in quo vero C sine pedibus, hominem autem D, consimiliter accipit, aut in B esse, aut in C. Omne enim animal mortale, aut cum pedibus, aut sine pedibus est: A vero de D: hominem nanque animal mortale esse accepit: quare cum pedibus, aut sine pedibus animal necesse est hominem esse: cum pedibus autem non necesse, sed accipit. Sed hoc erat, quod oportebat iterum monstrare. Hoc igitur modo semper diuidentibus accidit quidem ipsis vniuersale medium accipere: de quo autem oportebat monstrare, & differentias extremas: ad finem autem, quod hoc est homo, vel quodcunque sit quæsitum, nihil dicunt planum, vt necessarium sit: etenim aliam viam faciunt omnem, neque contingentes abundantias existimantes.*

1 POstquam Aristoteles tradidit artem probandi omnes conclusiones propositas, reijcit errorem quorumdam antiquorum, qui dixerunt totam hanc artem comprehendi in diuisione, & in via diuisiua. Impugnat hunc errorem sic: diuisio comprehendit paruam aliquam particulam huius artis probatiuæ conclusionum propositarum; ergo malè dixerunt antiqui, quod tota ars probatiua reducitur ad diuisionem. Probatur antecedens: ad artem probatiuam requiritur, vt per ipsam possit necessario probari omnis conclusio proposita; sed per diuisionem construitur syllogismus infirmus, & inefficax ad probandas penè omnes conclusiones propositas; ergo diuisio comprehendit solum quamdam paruam particulam artis probatiuæ. Probatur minor: penè omnes conclusiones propositæ sunt, vel affirmatiuæ definitionum, & differentiarum essentialium, vel affirmatiuæ prædicatorum genericorũ; vel accidentium propriorum, vel accidentium communium, vel negatiuæ, & remotiuæ prædicatorum extraneorum subiectis non conuenientium; sed procedendo per viam diuisionis, hæc non probantur, sed petuntur, probatur verò solum aliquid his superius, & communius; ergo per viam diuisionis construitur syllogismus infirmus, & inefficax ad probandas penè omnes pro-

positas conclusiones. Probatur minor per singulas partes; & primo, quod per viam diuisionis non probantur definitiones, & differentiæ essentiales, quas definitiones per diuisionem demonstrari censuerunt antiqui, non aduertentes concludi solum aliquid superius, quod verò esset probandum, peti, adeoque peti principium. Ad probandam conclusionem vniuersalem affirmatiuam, medium debet esse minus latè patens, saltem non debet esse magis latè patens, quam maius extremum, cum non possit vniuersalis affirmatiua probari nisi in Barbara, in qua medium debet subijci vniuersaliter maiori extremo, adeoque non potest esse vniuersalius maiori extremo; sed procedendo per viam diuisionis, medium semper latius patet maiori extremo, cum in illud diuidatur; ergo procedendo per viam diuisionis non concluditur intentum, sed concluditur aliquid superius intento, intentum verò petitur. Probantur, & explicantur maior, & minor exemplis: probari debet de homine eius definitio, explicans differentias essentiales hominis, quæ definitio sit, *animal, mortale, habens pedes*. Per viam diuisionis sic primo probabãt hominem esse mortalem; *omne animal vel est mortale, vel immortale; sed homo est animal*; ex hoc syllogismo non sequitur conclusio intenta, quod *homo sit mortalis*, sed solum sequitur aliquid superius tali conclusione, quod nimirum *homo vel sit mortalis, vel immortalis*; ergo *quod homo sit mortalis* per viam diuisionis non probatur, sed peti debet, solum verò probatur aliquid superius conclusione probanda, quod nimirum homo vel sit mortalis, vel immortalis. Ratio verò est, quia medium est genus diuisum, hoc est animal, quod cum sit superius mortali, non potest concludere mortale. Procedebant deinde ad probandum, quod homo sit pedatus sic; *omne mortale vel est pedatum, vel impedatum; sed homo est mortalis*; ex hoc non sequitur, quod homo sit pedatus, sed quod vel sit pedatus, vel impedatus; ergo similiter conclusio proposita non probatur, sed petitur, probatur verò aliquid superius ex eadem ratione, quia sumitur medium superius, & vniuersalius maiori extremo; ergo patet, quod cum dicerent non esse aliam viam probandi, semper argumentabantur hoc pacto, adeoque semper petebant principium, & concludebant aliquid superius conclusione probanda; ergo per viam diuisionis probari non possunt definitiones, & differentiæ essentiales rerum.

2 *Manifestum autem, quod neque destruere licet hac methodo.* * *Neque de acciden-*
3 *te, aut proprio ratiocinari, neque de genere, neque in quibus ignoratur, vtrum sic, aut sic se habet. Vt an ne diameter incommensurabilis? si enim acceperit, quòd omnis longitudo, aut commensurabilis, aut incommensurabilis: diameter autem est longitudo: ratiocinatum est, quòd incommensurabilis, aut commensurabilis est diameter. Si autem sumetur, quod incommensurabilis, quod oportebat ratiocinari acceptum est. Non est igitur monstrare. Via enim hæc: per hanc autem non est monstrare. Incommensurabile, aut commensurabile in quo A, longitudo B, diameter C. Planum igitur, quòd neque ad omnem considerationem conuenit inquisitionis modus, neque in quibus maxime videtur dicere, in his est vtilis. Ex quibus igitur demonstrationes fiunt, & quomodo, & ad qualia inspiciendum secundum vnumquodque problema, manifestum ex dictis.*

2 Quod per viam diuisionis non possint probari conclusiones negatiuæ, & destructiuæ, patet, quia diuidendo, ac dicendo, *vel est hoc, vel illud*, sicut non concluditur affirmatiua vnius partis determinatæ, sic nec concluditur remotiua, & negatiua alterius.


3 Demum probatur, quod neque possit probari affirmatiua prædicatorum genericorum, & accidentalium propriorum, vel communium &c. Sit enim probandum, quod *diameter quadrati est incommensurabilis costæ*. per diuisionem sic deberet procedi; *omnis linea vel est commensurabilis, vel incommensurabilis alteri lineæ; diameter est linea; ergo diameter vel est incommensurabilis, vel est commensurabilis costæ*: quod verò sit incommensurabilis, nisi aliunde probetur, non concluditur per argumentum ex diuisione, sed petitur; ergo per viam diuisionis nulla pene conclusio concludi potest, sed concluditur aliquid superius, quod verò probandum esset non probatur, sed petitur, adeoque petitur principium; ergo diuisio est quædam parua particula artis probatiuæ, cum etiam sit inefficax ad probandas definitiones, quas per diuisionem præcipuè demonstrari censuerunt


runt antiqui. Concludit Aristoteles iam esse satis explicatum, ex quibus, & quomodo fiant demonstrationes, & quæ sint specialiter consideranda ad inueniendum medium, per quod concludatur qualibet conclusio responsiua quibuslibet quæstionibus.

SECTVM TERTIVM

De Reductione rationum inordinatarum in formam Syllogisticam.

De regulis reducendi rationes inordinatas in formam Syllogisticam. Cap. I. vel XXX. Art. I.

1 *VOMODO autem reducemus syllogismos in prædictas figuras, esset vtique post hæc dicendum. Reliquum enim istud adhuc ex consideratione. Si enim syllogismorum generationem specularemur, & inueniendi potestatem haberemus: amplius autem factos resolueremus in prædictas figuras, finem habere posset, quod a principio propositum. Accidet autem simul & prius dicta confirmari, & planiora esse, quod ita se habent, per ea, quæ nunc dicentur. Oportet enim verum omne ipsum sibi ipsi consessum vndecunque esse.*

1 OSTQVAM Aristoteles explicauit, quo pacto sint construendi syllogismi, & quo pacto sit inueniendum medium; descendit ad explicandum, quo pacto rationes inordinatæ reduci possint in formam syllogisticam. Præmittit hanc tractationem esse vtilem ad duo: primo ad hoc, vt per illam absoluatur ars syllogizandi. Vt enim quis habeat perfectam artem syllogizandi, debet scire tria; primo, quo pacto, & ex quibus propositionibus, ac terminis, & qua ratione dispositis fieri possit omnis syllogismus: secundo, per quas regulas possit inueniri medium ad faciendum syllogismum probatiuum cuiuslibet propositæ conclusionis: tertio demum, quo pacto rationes inordinatæ reduci possint in formam syllogisticam; ergo cum duo priora iam sint explicata, determinatio tertij erit vtilis ad artem syllogisticam absoluendam, ac perficiendam. Secundo hæc tractatio est vtilis ad confirmandam totam doctrinam superius traditam de syllogismis. Cum enim proprietas veri sit, vt illi omnia consonent, ex consonantia totius doctrinæ, apparebit veritas totius doctrinæ.

2 *Primum igitur tentare oportet duas è syllogismo propositiones excerpere. Facilius nanque maiora, quam minora diuidere: maiora autem sunt composita, quam ex quibus.*

3 *Postea considerare, vtra in toto, & vtra in parte. Et si non sint ambæ acceptæ, ipsum ponentem alteram. Plerunque nanque vniuersalem proponentes, quod est in hac, non accipiunt, neque scribentes, neque interrogantes: aut has quidem proponunt, per quas vero hæ concluduntur, prætermittunt: alia autem frustra interrogant. Considerandum itaque, si quid superfluum acceptum est, & quid ex necessarijs prætermissum fuit: & hoc quidem ponendum, illud vero auferendum, quousque ad duas propositiones quispiam deuenerit. Absque enim his non est reducere sic interrogatas rationes. Quarundam igitur facile defectum conspicere: quædam autem latent, & videntur ratiocinari, eo quod necessarium aliquid accidit ex positis. Veluti si acceptum fuerit, non substantia sublata, non auferri substantiam: sublatis autem ex quibus est, & quod ex his, corrumpi. His enim positis, necessarium est substantiæ partem substantiam esse; non tamen per accepta ratiocina-*

tum est, sed desunt propositiones. Rursus si homine existente, necesse animal esse: & animali substantiam: homine existente, necesse substantiam esse. Verum nondum ratiocinatum est. Non enim se habent propositiones, vt diximus. Decipimur autem in talibus, eo quòd ex positis necessarium aliquid accidit, quoniam & syllogismus necessarium est; in plus autem necessarium, quàm syllogismus. Syllogismus enim omnis necessarium, necessarium vero non omne syllogismus. Quare non si quid accidit positis quibusdam, tentandum statim reducere; sed primo accipiendæ duæ propositiones, deinde sic diuidendum in terminos. Medius autem ponendus terminus, qui in vtrisque propositionibus dicitur. Necesse enim medium esse in vtrisque in omnibus figuris. Si itaque prædicetur, ac subyciatur medium: aut ipsum quidem prædicetur, aliud autem ab illo negetur: prima erit figura. Quòd si & prædicetur & negetur ab aliquo, media. Sin autem alia de illo prædicentur: aut hoc negetur, illud prædicetur, vltima. Consimiliter & si non vniuersaliter sint propositiones: eadem nanque medij determinatio.

2 Vt igitur aliqua ratio inordinata reducatur in formalem syllogismum, qui formalis syllogismus cõstare debet ex duabus præmissis, & tribus terminis certo modo dispositis, primo conandum est talem rationem reducere in duas præmissas: deinde conandum est præmissas reducere in tres terminos, ac terminos ordinare in figuram, & modum. Ratio verò, cur prius facienda sit reductio in præmissas, quam in terminos est, quià incipiendum est à reductione faciliori; sed facilior est resolutio totius in partes maiores, quam in minores; præmissæ verò sunt partes maiores syllogismi, termini sunt partes minores; ergo prius facienda est reductio in duas præmissas, deinde præmissæ reducendæ sunt in tres terminos.

3 Sumptis igitur duabus præmissis, quia ad hoc, vt faciant syllogismum, altera debet esse vniuersalis, ac debet sumere, quod aliquid affirmatur, aut negatur de omni; altera debet sumere aliquid contentum sub illo vniuersali, curandum est, vt dictæ præmissæ sic se habeant. Quià verò tum qui scribunt, seu describunt figuras, vt Mathematici, alijque demonstrantes, tum qui interrogant disputaturi in vtramque partem, vt Dialectici, aliquando sumunt vnam tantum præmissam, maiorem, vel minorem, alteram verò præmissam subintelligunt, ideò aduertendum est, an omissa fuerit aliqua præmissa, & si quidem omissa fuit, addenda. Quià rursus aliquando disputantes sumunt multas propositiones superfluas ad inferendam propositam conclusionem, tales propositiones sunt auferendæ ad hoc, vt nulla propositio necessaria ad syllogismum desit, nulla non necessaria adsit. Porrò aliquando facile est aduertere, vtrum aliqua propositio desit, aliquando id est difficile. Hæc verò difficultas oriri potest præsertim ex eo, quod sumantur duæ præmissæ, ex quibus necessario sequitur conclusio; sed syllogismus est oratio cõstans ex duabus præmissis, ex quibus necessario sequitur conclusio; ergo tunc videtur nulla præmissa deesse ad syllogismum. Ex. gr. si dicatur; *est impossibile, vt non ablata substantia, tollatur substantia; sed ablatis partibus perit totum; ergo partes substantiæ sunt substantia*: videtur hæc oratio esse syllogismus, in quo nulla desit præmissa, quià ex duabus præmissis positis, conclusio sequitur necessario. Similiter dum dicitur, *si est homo est animal; sed si est animal est substantia; ergo si est homo est substantia*: videtur esse syllogismus formalis, quia conclusio sequitur necessario ex duabus præmissis; adhuc tamen neuter est syllogismus formalis, cum in vtroque desit aliqua præmissa. Radix erroris est, quia ad syllogismum requiritur quidem, vt sit oratio, in qua ex duabus præmissis necessario sequatur conclusio, sed hoc non sufficit ad syllogismum, sed vlterius requiritur, vt conclusio sequatur ratione formæ, & non solum ratione materiæ, & vt sequatur ratione propositionum positarum, non verò ratione propositionum subintellectarum; in dictis verò exemplis conclusio sequitur ratione materiæ, & ratione propositionum subintellectarum. In primo enim exemplo conclusio illa; *ergo partes substantiæ sunt substantia*, sequitur, quià subintelligitur hæc maior; *omne id, quo ablato, aufertur substantia est substantia*; sed posita est minor; *sed ablatis partibus substantiæ aufertur substantia; ergo partes substantiæ sunt substantia*. Cum ergo possit ex aliqua oratione sequi necessario conclusio, & tamen talis oratio non esse syllogismus; non eo ipso, quod proponitur talis

lis oratio, supponi debet illam esse syllogismum, ac reducenda est in aliquam figuram, sed primo sumendæ sunt duæ præmissæ, deinde tales præmissæ resoluendæ sunt in suos terminos: & siquidem aliquis terminus inuenitur in vtraque præmissa, talis terminus erit medium, cum medium sit, quod ponitur in vtraque præmissa: si hoc medium de altero duorum extremorum prædicetur, respectu alterius extremi subijciatur, erit prima figura: si hoc medium de vtroque extremo prædicetur, erit secunda figura: si hoc medium sit subiectum, de quo vtrumque extremum prædicetur, erit tertia figura, vt patet ex doctrina superius tradita de figuris. Eadem ratione inuestigabitur, quod sit medium, etiamsi præmissæ non sint vniuersales, sed particulares.

4 *Planum itaque, quoniam in qua ratione non dicitur idem plerunque, quòd non fit syllogismus: non enim acceptum fuit medium.*

5 *Quoniam autem habemus quale problematum in vnaquaque concluditur figura, & in qua vniuersale, & in quali quod in parte: manifestum quòd non in omnes figuras perspiciendum, sed in propriam cuiusque problematis. Quæcunque vero in pluribus concluduntur medij positione cognoscimus figuram.*

4 Ex dictis infertur primo, quod si in aliqua ratione non detur vllus terminus pluries repetitus, talis oratio non erit syllogismus formalis, etiam si constet ex duabus præmissis, ex quibus necessario sequatur conclusio. Ratio est, quia ad formalem syllogismum requiritur, vt conclusio sequatur ex forma, hoc est ex dispositione medij cum extremis; sed in hac oratione non datur medium, adeoque conclusio non sequitur ex dispositione medij cum extremis; ergo talis oratio non est syllogismus.

5 Infertur secundo, quod quia non omnis conclusio potest probari in qualibet figura, sed aliquæ conclusiones probari possunt in vna tantum, eo pacto, quo vniuersalis affirmatiua probari potest solum in prima figura, ideo ad videndum, in qua figura sit syllogismus, non semper debet discurri per omnes figuras. Aliquando enim ex ipsa conclusione patebit, in qua figura sit. Ex. gr. si conclusio sit particularis affirmatiua, patet syllogismum esse in prima figura, cum talis conclusio non possit inferri in vlla alia figura. Si verò conclusio possit inferri in pluribus figuris, tum ad videndum, in qua figura sit syllogismus, debet considerari, quo pacto medium sit dispositum cum extremis.

6 *Plerunque igitur decipi accidit circa syllogismos propter necessarium, quemadmodum dictum est prius. Aliquando autem iuxta similitudinem positionis terminorum, quod non oportet latere nos. Veluti si A de B dicitur, & B de C. Videri enim posset ita se habentibus terminis esse syllogismus: non fit autem neque necessarium quippiam, neque syllogismus. Sit nanque in quo A, semper esse, in quo B, intelligibilis Aristomenes, in quo C, Aristomenes. Verum itaque A ipsi B inesse: semper enim est intelligibilis Aristomenes: sed & B ipsi C: Aristomenes nanque est intelligibilis Aristomenes: A vero ipsi C non inest corruptibilis enim est Aristomenes. Nam non efficiebatur syllogismus ita se habentibus terminis, sed oportebat vniuersaliter A B propositionem acceptam fuisse. Hoc autem falsum, existimare omnem intelligibilem Aristomenem semper esse, cum sit corruptibilis Aristomenes. Rursus sit in quo C Miccalus, in quo B musicus Miccalus, in quo A corrumpi cras. Verum igitur B prædicari de C, nam Miccalus est musicus Miccalus: sed & A de B, corrumpi enim posset cras musicus Miccalus: A vero de C falsum. Hoc igitur idem est ei, quod prius. Non enim verum vniuersaliter, Miccalus musicus, quòd corrumpitur cras. Hoc autem non sumpto, non erat syllogismus. Hæc itaque deceptio fit eo, quod penè: tanquam enim nihil differat dicere, hoc huic inesse, aut hoc huic omni inesse, concedimus.*

6 Verùm sicut non sufficit, quod ex aliqua ratione sequatur ex necessitate aliqua conclusio, vt talis ratio sit syllogismus, sed requiritur, vt in ea sint duæ præmissæ, ac tres termini certo modo dispositi; sic non sufficit, vt in aliqua ratione dentur duæ præmissæ, & tres termini certo modo dispositi, vt talis oratio sit syllogismus, sed requiritur, vt ex præmissis sic dispositis necessario sequatur conclusio. Et quia possunt in aliqua ratione tres termini esse similiter

liter dispositi, sicut in syllogismo, & tamen conclusio non sequi ex necessitate, ideò etiam ex hoc capite potest aliqua ratio, quæ non est syllogismus, videri syllogismus. Ex. gr. hæc ratio: *Aristomenes intelligibilis, & idealis est perpetuus, & incorruptibilis; sed Aristomenes est Aristomenes intelligibilis, & idealis; ergo Aristomenes est perpetuus, & incorruptibilis*, videtur esse syllogismus, cum extrema sint disposita in prima figura, & tamen non est syllogismus, quandoquidem conclusio non sequitur necessario. Præmissæ enim sunt veræ, & tamen cõclusio est falsa, cum falsum sit, quod Aristomenes sit perpetuus, & incorruptibilis, siquidem est homo mortalis, temporalis, & caducus. Ratio, quare non sit syllogismus est, quia in prima figura maior debet esse vniuersalis affirmatiua; sed si dicatur, quod *omnis Aristomenes intelligibilis est perpetuus*, maior est falsa, cum Aristomenes sit caducus, & mortalis; ergo non fit syllogismus. Similiter hæc ratio, *Michalus musicus cras peribit; sed Michalus intelligibilis est Michalus musicus; ergo Michalus intelligibilis cras peribit*, videtur syllogismus, & non est ex eadem ratione, quia maior non est vniuersalis, cum non dicatur, *omnis Michalus musicus cras peribit*, neque, *Michalus musicus supponat* vniuersaliter pro omni, quod est ipsum. Aduertendum igitur est diligenter, quo pacto sumantur termini: nam si minimum quid erretur in principio, sequuntur maximi errores in processu. Ex hac doctrina nos Christiani possumus inferre, etiam iuxta Aristotelis principia argumentationes, quibus impugnatur mysterium Trinitatis, esse sophisticas.

De expositione terminorum complexorum, & incomplexorum, concretorum, & abstractorum, rectorum, & obliquorum, & reduplicatiuorum. Cap. I. vel XXX. Art. II.

7 *Caeterum plerunque mentiri accidet iuxta id, quod non bene exponuntur termini, qui sunt secundum propositionem. Vt si A sit sanitas, in quo B morbus, in quo vero C homo: verum enim dicere quòd A nulli B contingit inesse, nulli nanque morbo sanitas inest: & rursus, quòd B omni C inest, omnis enim homo susceptiuus est morbi: videri posset accidere nulli homini contingere sanitatem inesse. Huius autem causa, non bene expositos fuisse terminos secundum dictionem. Quoniam si transumantur, qui sunt secundum habitudines, non erit syllogismus. Vt pro sanitate si positum fuerit sanum, pro morbo autem morbidum. Non enim verum, quòd non contingit morbido sanum inesse. Hoc autem non accepto, non fit syllogismus, nisi eius, quod est contingere. Hoc vero non impossibile: contingit enim nulli homini inesse sanitatem.*

8 *Rursus in media figura consimiliter erit falsum. Sanitatem nanque morbo nulli: homini vero omni contingit inesse: quare nulli homini ægritudinem. In tertia autem figura secundum contingere accidit falsum. Nanque & sanitatem & morbum & scientiam, & ignorantiam, & omnino contraria eidem contingit inesse: sibi autem inuicem impossibile. Hoc autem dissonum à prædictis. Quando enim eidem contingerent plura inesse, contingebant & sibi inuicem. Planum igitur, quòd in omnibus his deceptio fit iuxta terminorum expositionem. Si enim transumpti fuerint, qui sunt secundum habitudines, nullum efficitur falsum. Manifestum igitur, quòd secundum tales propositiones semper quod secundum habitudinem pro habitudine transumendum, & ponendum terminum.*

Postquam Aristoteles explicauit, quo pacto rationes inordinatæ resoluendæ sint in duas præmissas, & tres terminos; explicat quo pacto sint exponendi termini, ac declarat difficultatem resoluendi, & vitandi errores, qui in tali resolutione possunt accidere. Et quia termini aliquando sunt complexi, aliquando incomplexi; aliquando recti, aliquando obliqui; aliquando sumuntur specificatiuè, aliquando reduplicatiuè; aliquando sumuntur distributiuè, aliquando non distributiuè; explicat primo difficultates, & errores, qui possunt accidere propter non rectam sumptionem, & explicationem terminorum incomplexorum; secundo difficultates, & errores, qui accidunt propter non rectam expositionem terminorum complexorum; tertio

tertio difficultates propter non rectam expositionem rectorum, & obliquorum; quarto difficultates, & errores propter non rectam sumptionem reduplicationis; quinto difficultatem resoluendi ex eo, quod termini, qui debent distribui, non distribuantur.

7 Quoad primum: si termini sint incomplexi, potest error accidere ex eo, quod terminus, qui sumi deberet in concreto, sumatur in abstracto. Ex. gr. si in prima figura dicatur; *necesse est nullam ægritudinem esse sanitatem; sed omnis homo aliquando est æger; ergo necesse est nullum hominem esse sanum*: paralogismus consistit in vitiosa acceptione ægritudinis, & sanitatis. Ad inferendam enim propositam conclusionem deberent sumi non in abstracto, sed in concreto, dicendo; *necesse est nullum ægrum esse sanum; sed aliquando omnis homo est æger; ergo necesse est nullum hominem esse sanum*. Si verò sic exponatur maior, eo ipso patet maiorem esse falsam, cum æger possit euadere sanus, adeoque non sit necessarium, sed contingens ægrum non esse sanum. Ex hac verò maiori; *contingens est nullum ægrum esse sanum*; adiuncta minori de inesse; *omnis homo aliquando est æger*; sequitur conclusio vera de contingenti, qua dicatur; *ergo contingens est nullum hominem esse sanum*.

8 Similiter si in secunda figura dicatur; *necesse est nullam sanitatem esse ægritudinem; omnis homo aliquando est æger; ergo necesse est nullum hominem esse sanum*; fit paralogismus propter vitiosam sumptionem abstracti loco concreti. In tertia figura si dicatur; *contingit omnem hominem esse sanum; contingit omnem hominem esse ægrotum; ergo contingit aliquam ægritudinem esse sanitatem*; fit paralogismus ex eodem vitio. Ex eadem ratione fit paralogismus si dicatur; *contingit omnem hominem esse scientem; contingit omnem hominem esse ignorantem; ergo contingit aliquam ignorantiam esse scientiam*. Licet enim contraria possint pro diuerso tempore inesse eidem subiecto, tamen nullum contrarium potest inesse alteri contrario: ex. gr. licet idem homo possit esse sciens, & ignorans, tamen ignorantia non potest esse scientia. Cum igitur in dictis casibus paralogismi consistant in hoc, quod termini sumantur in abstracto, tales orationes reduci possunt in formam syllogisticam, sumendo eosdẽ terminos in concreto.

9 *Non oportet autem semper quærere, vt terminos nomine exponamus. Plerunque enim erunt orationes, quibus non est positum nomen. Quapropter difficile est reducere tales syllogismos. Aliquando autem & decipi accidet ob talem inquisitionem, vt quòd immediatorum est syllogismus. Sit A duo recti, in quo B triangulus, in quo C æquicrus. Ipsi itaque C inest A per B: ipsi vero B non amplius per aliud: per se nanque triangulus habet duos rectos: quare non erit medium ipsius A B, cùm sit demonstrabile. Manifestum enim, quòd medium non ita semper accipiendum, vt hoc aliquid, verum aliquando & orationem: quod accidit & in eo, quod diximus.*

9 Quoad secundum: cum dicitur, quod syllogismus debet resolui in tres terminos, non est existimandum, quod semper tales termini consistant in vnico nomine. Sæpè enim aliqui termini sunt complexi, & sunt oratio composita ex pluribus nominibus, & tum datur specialis difficultas resoluendi syllogismum in tres terminos. Ratio porrò, cur aliquando termini debeant constare ex pluribus nominibus est duplex. Prima ratio est, quia aliquando non est impositum vnicum nomen ad significandum id, quod debet esse maius, vel minus extremum; ergo tum debet poni terminus complexus constans ex pluribus nominibus. Secunda ratio est, quia aliquando prædicatum, quod est probandum de subiecto, est passio conueniens tali subiecto primo, & ratione sui; sed passio conueniens subiecto primo, & ratione sui, non potest de subiecto demonstrari, nisi per definitionem talis subiecti, vel passionis; definitio autem non est vnum nomen, sed oratio constans ex pluribus nominibus; ergo aliquando medium debet esse oratio constans ex pluribus nominibus: & tum contingit errare, si quis quærat medium, quod sit vnicum nomen. Explicatur: si debeat probari, quod Isosceles habeat tres angulos æquales duobus rectis, quia hæc passio non conuenit Isosceli primo, & ratione sui, sed ratione trianguli, medium est triangulus, adeoque est vnicum nomen, ac proinde potest ea conclusio demonstrari sic: *omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis; omnis Isosceles est triangulus; ergo &c.* At, si debeat probari maior, hoc est, quod triangulus habeat tres angulos æqua-

æquales duobus rectis, quia hæc passio conuenit triangulo primo, & ratione sui, non potest aliter demonstrari, quam per ipsam definitionem trianguli, & passionis, quæ definitio non est vnicum nomen, sed est oratio constans ex pluribus nominibus. Si verò quis ad demonstrandam dictam passionem, quæreret medium, quod esset vnicum nomen, erraret.

10 *Quòd autem insit primum medio, & hoc extremo, non oportet accipere tanquam quæ semper de se inuicem prædicentur: aut similiter primum de medio, & hoc de vltimo (& in eo autem, quod est non inesse, consimiliter) sed quot modis esse dicitur, & verum dicere ipsum, hoc tot modis existimare oportet significare, & inesse, & non inesse: veluti quod contrariorum est vna scientia. Sit enim A vnam esse scientiam, contraria inter se in quo B. A itaque ipsi B inest, non tanquam contraria vnam esse ipsorum scientiam, sed quòd verum de ipsis dicere, vnam esse ipsorum scientiam.*

11 *Accidit autem quandoque in medio primum dici, medium vero in tertio non dici. Quemadmodum si sapientia est scientia: boni autem est sapientia: scientia.*

12 *Quandoque vero medium in tertio dicitur, primum autem in medio non dicitur. Quemadmodum si omnis qualis est scientia, vel contrarij: bonum autem & contrarium, & quale: conclusio, quòd boni est scientia. Non est autem bonum scientia, neque quale, neque contrarium, sed bonum hæc.*

13 *Est autem quando neque primum de medio, neque hoc de tertio: cùm primum de tertio aliquando dicatur, aliquando non dicatur. Veluti, si cuius est scientia, huius est genus: boni autem est scientia: conclusio, quòd boni est genus. Prædicatur autem nullum de nullo. Si vero cuius est scientia, genus est hoc: boni autem est scientia: conclusio, quòd bonum est genus. De extremo igitur prædicatur primum, de se inuicem autem non dicuntur.*

14 *Eodem itaque modo & in non inesse accipiendum. Non enim semper significat non inesse hoc huic, non esse hoc hoc: sed aliquando non esse hoc huius, aut hoc huic. Quemadmodum, quòd non est motionis motio, vel generationis generatio: voluptatis autem est: non igitur voluptas generatio. Aut rursus, quòd ipsius risus non est signum: sed signi non est signum: quare risus non est signum. Consimiliter & in alijs, in quotcunque tollitur problema, eo quòd ad ipsum quodammodo dicitur genus. Rursus quòd tempora non sunt tempus opportunum. Deo enim sunt tempora: non autem est tempus opportunum: eo quod nihil Deo vtile. Terminos nanque ponendum, tempora, & tempus opportunum, & Deum.*

15 *Propositionem vero accipiendum secundum nominis casum. Simpliciter enim dicimus hoc de omnibus, quòd terminos semper ponendum secundum vocationes nominum, vt homo, aut bonum, aut contraria: non hominis, aut boni, aut contrariorum. Propositiones autem accipiendum secundum vniuscuiusque casus. Vel enim quoniam huic, vt æquale: aut quoniam huius, vt duplum: aut quoniam hoc, vt verberans, aut videns: vel quoniam hic, vt homo, animal: vel si aliquo modo aliter cadit nomen secundum propositionem. Inesse autem hoc huic, & verificari hoc de hoc, tot modis accipiendum, quot modis prædicamenta distincta sunt. Et hæc, aut quo, aut simpliciter. Amplius simplicia, aut complicita. Consimiliter autem & non inesse. Verum considerandum hæc, ac distinguendum melius.*

10 Quoad tertium: dum asseritur, quod in syllogismis, primum, seu maius extremum in maiori affirmatur de medio, & medium in minori prædicatur de vltimo, seu de minori extremo, & sic infertur conclusio, in qua maius extremum affirmatur de minori extremo: dum inquam id asseritur, non est putandum, quod semper in conclusione maius extremum dicatur de minori extremo, sumendo vtrumque in recto, & quod proportionaliter in præmissis maius extremum dicatur de medio, vel medium de minori extremo, sumendo vtrumque in recto. Id enim est falsum, cum aliquando termini sumantur in obliquo, & in varijs casibus obliquis. Nec solum termini sumuntur in obliquo in syllogismis, & propositionibus affirmatiuis, sed etiam in negatiuis: ex. gr. in hac propositione; *contrariorum est eadem disciplina*, prædicatum non dicitur de subiecto in recto, neque enim est verum, quod *contraria sint eadem disciplina*, sed dicitur de subiecto in obliquo, & in genitiuo: & similiter in hac propositione negatiua; *contrariorum non est*

eadem disciplina, prædicatum negatur de subiecto in obliquo.

Hoc posito, explicatur exemplis, primo, quo pacto in syllogismis affirmatiuis in minori medium dicatur de minori extremo in obliquo: secundo, quo pacto in maiori maius extremum dicatur de medio in obliquo: tertio, quo pacto, & in maiori maius extremum dicatur de medio in obliquo, & simul in minori medium dicatur in obliquo de minori extremo: quarto demum, quo pacto idem accidat in syllogismis negatiuis.

11 Primo igitur, exemplum syllogismi, in quo in sola minori medium dicitur de minori extremo in obliquo est; *omnis sapientia est scientia; sed rerum bonarum est sapientia; ergo rerum bonarum est scientia*.

12 Secundo, exemplum syllogismi, in quo in sola maiori, maius extremum dicitur de medio in obliquo est: *omnis qualitatis, & omnis contrarij est scientia; sed bonum est qualitas, & est contrarium malo; ergo boni est scientia*.

13 Tertio, exemplum syllogismi, in quo & in maiori maius extremum dicatur de medio in obliquo, & in minori medium in obliquo dicatur de minori extremo est; *omnium, quorum est scientia, est aliquod genus; sed boni est scientia; ergo boni est aliquod genus*. In hoc exemplo infertur conclusio, in qua maius extremum dicitur de minori extremo in obliquo: sed potest etiam fieri syllogismus, in quo ex vtraque præmissa de obliquo sequatur conclusio de recto, qualis esset hic: *cuius est scientia, hoc est genus; sed boni est scientia; ergo bonum est genus*.

14 Quarto, sicut possumus sumere præmissas affirmatiuas de obliquo, sic possumus sumere præmissas negatiuas de obliquo, ideoque possumus facere syllogismos negatiuos obliquos. Horum syllogismorum ponit Aristoteles tria exempla. Primum exemplum, in quo ex vtraque præmissa de obliquo sequitur conclusio de recto est; *nullius motionis est motus, neque generationis generatio; sed voluptatis est motus, & generatio; ergo voluptas non est motus, neque generatio*. Secundum exemplum est; *ipsius risus est aliquod signum; sed signi non est aliud signum; ergo ipse risus non est signum*. Tertium exemplum est, in quo sic probatur, quod occasio non sit tempus opportunum; *Deo sua est occasio; sed nullum tempus est opportunum Deo, cum Deus ex nulla re possit emolumentum accipere; ergo occasio non est tempus opportunum*.

15 Quinto demum concludit Aristoteles, quod licet termini, cum sumuntur extra præmissas, debeant sumi in recto, dicendo ex. gr. *homo, bonum, contraria &c.* non verò in obliquo, dicendo, *hominis, boni, contrariorum &c.* tamen cum ijdem termini sumuntur in præmissis, & propositionibus, possunt poni in varijs casibus obliquis iuxta propositionum exigentiam. Ex.gr. aliquando debent poni in datiuo, vt cum dicitur, *est æquale huic*; aliquando in genitiuo, vt cum dicitur, *est duplum huius*; aliquando in accusatiuo, vt cum dicitur, *est videns, vel pulsans hunc*; aliquando demum in nominatiuo, & in recto, vt cum dicitur, *homo est animal*, idemque dic de alijs casibus, si sunt alij casus. Porrò affirmatio, qua dicitur prædicatum conuenire subiecto, potest accipi tot modis, quot sumi potest ipsum prædicatum, seu dicatur absolutè, seu dicatur cum limitatione; seu sit simplex, seu complexum. Similiter negatio, qua prædicatum negatur inesse subiecto, potest sumi totidem modis proportionalibus. Cum ergo rationes reducuntur in formam syllogisticam, hæc omnia sunt consideranda, & conandum, vt termini optimo modo disponantur, iuxta naturam propositionum.

16 *Reduplicatum autem in propositionibus ad primum extremum ponendum, non ad medium. Dico autem quoniam si fieret syllogismus, quòd iustitiæ est scientia, quoniam bonum, hoc, quod est, quoniam bonum, vel inquantum bonum, ad primum ponendum. Sit enim A scientia, quoniam bonum: in quo B bonum: in quo C iustitia. A itaque verum de B prædicare, boni enim est scientia, quoniam bonum: sed & B de C, iustitia enim quod bonum: ita igitur fit resolutio. Si vero ad B positum fuisset hoc, quod est, quoniam bonum, non erit. A nanque de B verum erit: B autem de C non verum. Bonum enim, quoniam bonum, prædicare de iustitia falsum, & non intelligibile. Similiter itaque & si sanabile demonstraretur quòd est scibile, inquantum bonum: aut hircoceruus opinabile, inquantum non ens: aut homo corruptibile, inquantum sensibile. In omnibus enim super*

per

per prædicatis ad extremum reduplicationem ponendum.

17 *Non est autem eadem terminorum positio, quando simpliciter aliquid ratiocinatum fuerit, & quando hoc aliquid, aut quo, aut quomodo. Dico autem, quemadmodum quando bonum scibile monstratum fuerit, & quando scibile quid, quoniam bonum. Verum si simpliciter scibile monstratum fuerit, medium ponendum, ens: sin autem quoniam bonum, hoc quod est, aliquod ens. Sit enim A scientia, quoniam ens aliquod: in quo B ens aliquod: in quo C bonum. Verum itaque A de B prædicare: erat enim scientia alicuius entis, quoniam aliquod ens. Sed & B de C: quod enim in quo C ens aliquod. Quare & A de C: erit igitur scientia boni, quoniam bonum. Nanque aliquod ens erat propriæ substantiæ signum. Si vero ens medium positum fuisset, & ad extremum eius simpliciter, & non dictum esset, aliquod ens, non esset vtique syllogismus, quod est scientia boni, quoniam bonum, sed quoniam ens. Vt in quo A scientia quoniam ens: in quo B ens: in quo C bonum. Manifestum igitur, quod in syllogismis, qui in parte, ita accipiendi sunt termini.*

18 *Oportet autem & transsumere quæ idem possunt, nomina pro nominibus, & orationes pro orationibus, & nomen, & orationem, & semper pro oratione nomen accipere. Facilior nanque terminorum expositio. Quemadmodum si nihil differat dicere, suspicabile non esse genus opinabilis, aut opinabile non esse quod suspicabile quid: idem enim significatum: pro dicta oratione suspicabile, & opinabile termini ponendi. Quoniam vero non est idem, voluptatem esse bonum, & voluptatem esse ipsum bonum, non similiter ponendi termini. Sed si est syllogismus, quòd voluptas ipsum bonum, ipsum bonum: sin autem quòd bonum, bonum. Consimiliter & in alijs.*

16 Quoad quartum: quia est specialis difficultas resoluendi rationes inordinatas in formam syllogisticam, propter reduplicationem alicuius termini, tradit Aristoteles aliquas regulas de reduplicatione terminorum. Prima regula est: reduplicatio medij debet poni non ex parte ipsius medij, sed ex parte maioris extremi. Probatur: si enim reduplicatio medij ponatur ex parte maioris extremi, præmissæ sunt veræ, & intelligibiles, & ex ijs sequitur conclusio, in qua maius extremum cum reduplicatione medij prædicatur de minori extremo: e conuerso, si reduplicatio medij ponatur ex parte ipsius medij, aliqua præmissa est falsa & inintelligibilis; ergo &c. Probatur, & explicatur antecedens exemplis: si dicatur; *boni est scientia in quantum est bonum, seu secundum ipsam rationem boni; sed iustitia est bonum; ergo iustitiæ est scientia, in quantum iustitia est bonum, seu secundum ipsam rationem boni*; vtraque præmissa est vera, & clara, ac conclusio infertur legitimè. E conuerso si dicatur; *bonum in quantum est bonum, est scibile; iustitia est bonum, in quantum bonum; ergo iustitia est scibilis.* Minor est falsa, cum iustitia non sit ipsa ratio boni, & ea minor est etiam parum intelligibilis. Similiter si dicatur; *bonum est cognoscibile, in quantum est bonum; sed salubre est bonum; ergo salubre est cognoscibile, in quantum est bonum*; vel si dicatur; *non ens est cognoscibile prout non ens; sed Hircoceruus est non ens; ergo Hircoceruus est cognoscibilis prout non ens*; omnia bene procedunt, quia reduplicatio medij ponitur ex parte maioris extremi. At verò si reduplicatio medij ponatur ex parte ipsius medij, minor erit falsa, & parum intelligibilis, vt explicatum est in primo exemplo.

17 Secunda regula est: non eadem debet esse expositio terminorum ad inferendam conclusionem, in qua maius extremũ prædicetur absolutè de minori extremo, ac ad inferendam conclusionem, in qua maius extremum prædicetur de minori extremo, addita aliqua reduplicatione, determinatione, vel qualicunque limitatione: ex.gr. ad inferendam hanc conclusionem, quod *bonum est scibile* simpliciter, & absolutè, & sine reduplicatione, debet syllogismus sic construi; *omne ens est scibile; bonum est ens; ergo bonum est scibile*: ad probandam autem hanc conclusionem, quod *bonum est scibile in quantum ens*, debet poni reduplicatio ex parte maioris extremi, ac dici; *omne ens est scibile, in quantum ens, seu sub ratione entis; sed bonum est ens; ergo bonum est scibile, in quantum ens, seu sub ratione entis.* Ad probandam demum hanc conclusionem, quod *bonum est scibile, in quantum bonum, seu sub ratione boni*, debet addi reduplicatio minoris extremi ex parte maioris extremi, dicendo; *omne ens est scibile*

sub

sub ratione boni; sed omne bonum est ens; ergo omne bonum est scibile sub ratione boni.

18 Tertia regula est: vt rationes reducantur in formam syllogisticam, cum plura nomina, vel plures orationes idem significant, loco nominis ignotioris, debet poni nomen notius, & loco orationis ignotioris, debet poni oratio notior, & si quidem idem significatur per orationem, ac nomen, loco orationis debet poni nomen simplex, quià tunc facilius patebit forma syllogistica: ex. gr. quia idem significant istæ duæ orationes, *suspicabile non est genus opinabilis; opinabile non est species suspicabilis*; loco istarum orationum, debent poni termini simplices, dicendo; *non omne opinabile est suspicabile*; hæc enim oratio per prædicatum, & subiectum simplex *opinabile*, ac *suspicabile*, idem significat, ac illæ duæ orationes per terminos compositos. Quando autem oratio non idem significat, ac nomen, tum loco orationis non debet poni nomen, nec loco nominis debet poni oratio: ex. gr. quià non idem significat *bonum*, ac *ipsum bonum*, ideo loco dicendi, *voluptas est ipsum bonum*, non debet, dici *voluptas est bonum*, neque loco dicendi, *voluptas est bonum*, dici debet, *voluptas est ipsum bonum*.

19 *Non est autem idem neque esse dicere, quod cui B inest, huic omni A inest: & dicere, cui omni B inest, & A omni inest. Nihil enim prohibet B ipsi C inesse, non omni autem. Vt sit B honestum quid, C vero album. Si igitur albo alicui inest honestum quid, verum dicere, quòd albo inest honestum: sed non omni fortasse. Si itaque A inest ipsi B, non omni autem de quo B: neque si B omni C, neque si solum inest, necesse A non quòd non omni, sed neque inesse. Sin autem de quocunque B vere dicatur, huic omni inest A, accidet A, de quo omni B dicitur, de hoc omni dici. Si tamen A dicitur de quo vtique B dicatur de omni, nihil prohibet B inesse ipsi C, non omni autem ipsum A, aut omnino non inesse. In tribus itaque terminis, videlicet de quo B omni A dici, hoc est, de quocunque B dicitur, de omnibus dici, & A: & si B de omni, & A itidem. Si vero non de omni, nonne esse A de omni.*

20 *Non oportet autem existimare penes id, quod exponimus, aliquid accidere absurdum. Nihil enim vtimur eo, quod est hoc aliquid esse: sed quemadmodum Geometra pedalem, & rectam hanc, & sine latitudine dicit, quæ non sunt. Verum non sic vtitur, tanquam ex his ratiocinans. Omnino enim, quod non est, vt totum ad partem, & aliud ad hoc vt pars ad totum, ex nullo talium monstrat ipse monstrans, neque fit syllogismus. Expositione vero sic vtimur, quemadmodum & sensatione ad discentem dicentes. Non enim sic, tanquam quòd sine hoc demonstrari non possit, quemadmodum ex quibus syllogismus.*

19 Quoad quintum: hæc duo non idem valent; *cui inest B, huic omni inest A*; ac *cui omni inest B, huic omni inest A*. Ratio est, quià B potest inesse C non omni, sed alicui; ex. gr. si C sit album, B sit pulchrum, verum est, quod pulchrum inest albo, nam *aliquod album est pulchrum*; non tamen est verum, quod pulchrum inest omni albo, nam *non omne album est pulchrum*; ergo sicut non est idem B inesse alicui, ac illi omni inesse, sic non est idem A inesse, cui inest B, ac A inesse omni, cui inest B. Si ergo aliquid, quod vocetur A, insit pulchro, sed non omni, poterit adhuc non inesse illi, cui pulchrum inest, seu insit omni, seu non omni: ex. gr. nigrum inest alicui solum pulchro, quià aliquod pulchrum est nigrum; pulchrum verò inest alicui albo, vel etiam omni albo; (supponatur enim, quod non solum aliquod, sed etiam omne album sit pulchrum) adhuc non sequitur, quod nigrum insit alicui albo, adeoque quod aliquod album sit nigrum. E conuerso, si A insit omni B; B verò insit omni C; etiam A inest omni C: ex. gr. quià viuens inest omni animali; animal inest omni homini; sequitur, quod viuens insit omni homini. Si verò A insit omni B; B verò insit C non omni, sed alicui; non sequitur, quod A insit omni C, sed solum sequitur, quod insit alicui: ex. gr. *recreans visum* insit omni *pulchro*; pulchrum verò insit non omni, sed alicui albo; sequitur, quod *recreans visum* insit non omni, sed alicui *albo*. Patet igitur, quod si maius extremum insit omni medio, quod medium insit omni minori extremo, etiam maius extremum inest omni minori extremo: at si maius extremum insit omni medio, medium verò alicui minori extremo, etiam maius extremum inest alicui minori extremo. Demum si maius extremum insit alicui solum medio; medium autem insit omni, vel alicui mi-

minori extremo, non sequitur vlla conclusio, per quam inferatur, quod maius extremum insit omni, vel alicui minori extremo.

20 Quia verò Aristoteles sæpe ad demonstrandas conclusiones intentas, affert exempla, quæ possunt alicui videri non vera, ideò aduertit, quod hæc exempla afferuntur, sicut in Geometricis. Sicut enim Geometra vocat aliquam lineam pedalem, vel rectam, vel carentem latitudine, quæ linea verè non est talis; sic in exemplis dicuntur quædam, quæ non sunt vera. Attamen hæc exempla afferuntur, vt intelligatur id, de quo agitur, & non afferuntur tanquam præmissæ, ex quibus pendeat veritas demonstranda.

De resolutione syllogismorum compositorum, ex hypothesi, & per impossibile. Cap. I. vel XXX. Art. III.

21 *Non lateat autem nos, quòd in eodem syllogismo non omnes conclusiones per vnam figuram sunt: verum hac per hanc, illa vero per aliam. Planum igitur, quòd resolutiones ita faciendum. Quoniam autem non omne problema in omni figura, sed in vnaquaque ordinate, manifestum ex conclusione, in qua figura quærendum.*

22 *Et ex rationibus, quæ sunt ad definitionem, quæcunque ad vnum aliquid redarguunt eorum, quæ sunt in definitione, ad quod redarguitum est, ponendum terminum, & non totam rationem. Accidet enim minus conturbari propter longitudinem. Quemadmodum si aquam monstrauit, quoniam humidum potabile: potabile, & aquam, terminos ponendum.*

23 *Amplius autem ex suppositione syllogismos non tentandum reducere. Non enim est ex positis reducere. Nanque non sunt ostensi per syllogismum, sed per compositionem confessi omnes. Quemadmodum si supponens, si vna quædam potentia non sit contrariorum, neque scientiam vnam esse: postea disputatum sit, quòd non est vna potentia contrariorum, vt si sanabilis, & ægrotabilis: simul enim idem erit sanabile, & ægrotabile. Quòd itaque non est vna omnium contrariorum potentia, & monstratum est: quòd autem scientia non est, non fuit monstratum. Atqui confiteri necessarium: sed non ex syllogismo, verum ex suppositione. Hanc igitur non est reducere: quòd autem non vna est potentia. Sic enim fortasse, & syllogismus esset, illud vero suppositio.*

24 *Consimiliter autem, & in ijs, qui per impossibile concluduntur. Neque enim hos resoluere, sed ad impossibile abductionem est. Syllogismo nanque monstratur: alterum vero non est: ex suppositione enim concluditur. Differunt autem à prædictis: quoniam in illis quidem oportet præconfiteri, si debet assentiri, quemadmodum si monstrata fuerit vna contrariorum potentia, & scientiam eandem esse: hic autem, & non preconfessi concedunt, eò quòd manifestum est falsum. Veluti si posita fuerit, diameter commensurabilis, imparia æqua esse paribus. Multi vero, & alij concluduntur ex suppositione, quos oportet considerare, & notare pure.*

25 *Quæ igitur sint horum differentiæ, & quot modis fit, quod est ex suppositione, postea dicemus: nunc autem tantum sit nobis manifestum, quòd non est resoluere tales syllogismos in figuras: & ob quam causam, diximus.*

Postquam Aristoteles explicauit, quo pacto syllogismi simplices resolui possint in figuram, & modum, explicat, quo pacto possint resolui etiam syllogismi cōpositi ex aliquo prosyllogismo probatiuo alicuius præmissæ: deinde verò declarat, quo pacto possint etiam reduci syllogismi ex hypothesi, & per impossibile.

21 Primo ergo docet, quod in syllogismo composito ex prosyllogismo, aliquando non omnes conclusiones possunt probari per eamdem figuram. Ex. gr. si fiat syllogismus in Darapti, & Felapton, qui sunt modi tertiæ figuræ cū prosyllogismo probante alteram præmissarum, conclusio principalis syllogismi probatur per tertiam figuram, at conclusio prosyllogismi non potest probari per tertiam figuram, quià talis conclusio est vniuersalis affirmatiua, vel negatiua; nulla verò conclusio vniuersalis potest probari per tertiam figuram. Debet igitur aduerti, qualis sit conclusio principalis, & qualis sit conclusio prosyllogismi: ex hoc enim patebit, in qua figura debeat

vtraque

vtraque probari, an in eadem, vel in diuersa.

22 Secundo docet, quod cum impugnatur aliqua definitio, ostendendo falsitatem vnius particulæ, in syllogismo non debet poni tota definitio, sed illa tantum particula, quæ ostenditur falsa: ex. gr. si quis impugnat definitionem, qua aqua definitur, *potus humidus*, eo quod esse potum non sit quidditas aquæ, sufficit, quod in syllogismo ponat pro terminis *potum*, & *aquam*, omittendo *humidum*, de quo non est controuersia. Ratio est, quia syllogismus erit breuior, & minus confusus, propter minorem longitudinem, & propter omissionem termini non controuersi, cuius proinde expressio conduceret solum ad generandam confusionem.

23 Tertio docet, quod syllogismi ex hypothesi partim reducendi sunt in figuram, & modum iuxtà regulas prædictas, partim non sunt reducendi iuxtà regulas prædictas: ex. gr. si fiat talis syllogismus; *si non eadem est potentia omnium contrariorum, nec eadem est disciplina omnium contrariorum; sed non eadem est potentia omnium contrariorum; ergo &c.* Minor probatur; nam *sanitas, & ægritudo sunt contraria; sed idem non habet potentiam sanandi, & causandi ægritudinem; ergo &c.* Hic syllogismus, in quantum probat minorem, seu conclusionem transumptam, quod non *eadem est potentia contrariorum*, reduci potest iuxtà regulas prædictas, quià hæc probatio est oratio verè, & propriè syllogistica; in quantum verò transit ad probandam conclusionem principalem, quod non eadem sit disciplina contrariorum, non potest reduci in figuram, quià non probat illam conclusionem syllogisticè, sed ex quodam pacto, & conuentione, qua conuentum fuit, quod si non eadem est potentia contrariorum, nec eadem est disciplina contrariorum.

24 Docet quarto, quod proportionaliter etiam syllogismi per impossibile partim reduci possunt iuxtà regulas prædictas, partim non possunt. In quantum enim probant conclusionem impossibilem, reduci possunt, quià probant illam syllogisticè; in quantum verò ex destructione conclusionis impossibilis, inferunt conclusionem veram, reduci non possunt, quià non procedunt syllogisticè. Est tamen hoc discrimen inter syllogismos ex hypothesi, & per impossibile, quod in syllogismis ex hypothesi propositio conditionata debet sumi ex quodam pacto; at in syllogismo per impossibile propositio conditionata sumitur ex necessitate, cum necessarium sit, quod si conclusio probanda non est vera, vera sit eius contradictoria; ex qua deinde concluditur impossibile, ex cuius destructione destruitur hypothesis, & probatur conclusio intenta.

25 Docet quinto, quod cum plures sint species syllogismorum ex hypothesi, tales species sunt explicandæ partim in lib. 1. Priorum, partim in libris Topic. Nunc sufficit adnotasse, quod syllogismi ex hypothesi non possunt reduci in figuram, & modum sicut absoluti.

De Reductione mutua syllogismorum ex vna figura in aliã figuram. Cap.II. vel XXXI.

1 *QVæcunque vero problematum in pluribus monstrantur figuris, si in altera ratiocinatum fuerit, est reducere syllogismum in alteram: quemadmodum priuatiuum, qui est in prima, in secundam, & eum, qui est in media, in primam.*

2 *Non omnes autem, sed quosdam. Manifestum vero erit in sequentibus.*

1 POstquam Aristoteles explicauit, quo pacto rationes inordinatæ, quæ sunt syllogismi potentiales, possint ordinari, ac reduci in syllogismos actuales, descendit ad explicandum, quo pacto syllogismi actuales vnius figuræ reduci possint in alias figuras.

Primo ergo illi syllogismi, in quibus infertur conclusio, quæ probari non potest, nisi in vna figura, reduci nequeunt in aliam figuram: ex. gr. syllogismus in Barbara reduci non potest in aliam figuram, vel modum, quià conclusio vniuersalis affirmatiua non potest probari nisi per primam figuram, & vnicum modum illius. Hæc igitur reductio tum solum est possibilis, cum eadem conclusio potest inferri in pluribus figuris.

2 Secundo licet illi solum syllogismi possint reduci in plures figuras, quorum con-

conclusio potest probari per plures figuras, non tamen omnes syllogismi, quorum conclusio potest probari per plures figuras, reduci possunt in plures figuras, vt infrà dicetur de Barocco, & Boccardo. Explicandum igitur est discurrendo per singulas figuras, & modos, qui nam syllogismi posint ex vna figura reduci in aliam, qui verò non posint, & quomodo facienda sit talis reductio.

3 *Si enim A nulli B: B autem omni C: A nulli C. Sic igitur prima figura. Sin autem priuatiua conuersa fuerit, media erit. Nam B nulli A: omni vero C inest. Con similiter autem, & si non vniuersaliter, sed in parte syllogismus fit. Quemadmodum si A nulli B: B vero alicui C. Conuerso enim priuatiuo, media erit figura.*

4 *Syllogismorum vero, qui in secunda, vniuersales quidem reducentur in primam: eorum autem, qui in parte, alter solus. Si enim A. B quidem nulli: C vero omni inexistens: conuerso igitur priuatiuo, prima erit figura. Nam B nulli A: A vero omni C inerit. Si vero prædicatiuum sit ad B, priuatiuum autem ad C, primum terminum ponendum C. Hoc enim nulli A: A vero omni B: quare C nulli B: & B igitur nulli C, nanque conuertitur priuatiuum. Sin autem in parte syllogismus, quando priuatiuum quidem sit ad maius extremũ, reducetur ad primam: quemadmodum si A nulli B: C vero alicui. Conuerso enim priuatiuo, prima erit figura. Nam B nulli A: A vero alicui C. Sed cùm prædicatiuum, non resoluetur. Velusi si A. B quidem omni: C vero non omni. Neque enim suscipit conuersionem A B, neque facta, erit syllogismus.*

3 Ex quatuor ergo syllogismis directis primæ figuræ, syllogismus in Barbara non potest reduci in vllam aliam figuram, quià conclusio vniuersalis affirmatiua non potest probari in vlla alia figura. Syllogismus in Celarent conuertendo maiorem simpliciter reducitur in secundam figuram, & in Cesare. Si enim dicatur; *nullum animal est planta; omnis homo est animal; ergo nullus homo est planta*; conuertendo maiorem simpliciter, & dicendo; *nulla planta est animal*, reducitur ad Cesare. In tertiam figuram reduci nequit, quià vniuersalis negatiua non potest probari in tertia figura, quæ concludit solum particulariter. Syllogismus in Ferio reducitur ad secundam figuram, conuertendo maiorem simpliciter. Ex. gr. si dicatur; *nullum animal est planta; aliquod viuens est animal; ergo aliquod viuens non est planta*; conuertendo maiorem simpliciter, & dicendo; *nulla planta est animal*; argumentum reducitur in secundam figuram, & in Festino. Syllogismus in Darij non potest reduci in secundam figuram, quia Darij concludit affirmatiuè; an & quomodo posit reduci in tertiam, explicabitur infrà num. 6.

4 Ex syllogismis secundæ figuræ, duo vniuersales, hoc est Cesare, & Camestres reducuntur ad primam: Cesare quidem per conuersionem solius maioris, Camestres per conuersionem minoris, & transpositionem præmissarum, & conuersionem conclusionis, vt dictum est cap. 6. num. 3. & 4. Ex duobus particularibus, Festino reducitur ad primam figuram, & ad Ferio per conuersionem maioris, vt dictum est eodem cap. 6. num. 8. Barocco verò reduci non potest in primam figuram per conuersionem: nam maior vniuersalis affirmatiua non potest conuerti, nisi in particularem affirmatiuam; facta verò hac conuersione, nihil sequitur, quia vtraque præmissa est particularis; minor particularis negatiua conuerti non potest; solum ergo reducitur per impossibile, vt dictum est cap. 6. nu. 9.

5 *Rursus qui in tertia figura, non omnes resoluentur in primam: qui vero in prima, omnes in tertiam. Insit enim A omni B: B autem alicui C: ergo, quoniam conuertitur & prædicatiuum in parte, inerit C alicui B: A vero omni inerat: quare efficitur tertia figura. Et si priuatiuus syllogismus fit consimiliter. Conuertitur enim prædicatiuum in parte. Quare A nulli B: C vero alicui inerit.*

6 *Syllogismorum autem, qui in vltima figura, vnus solus non resoluitur in primam, quando priuatiuum fuerit non vniuersaliter positum: alij vero omnes resoluuntur. Prædicentur nanque A, & B de omni C: igitur C conuertetur in parte ad vtrunque: inest ergo alicui B. Quare erit prima figura: si A quidem omni C: C vero alicui eorum, quæ B. Et si A quidem omni C, B autem alicui, eadem ratio. Conuertitur enim C ad B. Si vero B omni C: A autem alicui C, primum terminum ponendum B: B nanque*

que

que omni C: C vero alicui A. Sed quoniam conuertitur quod in parte, & A alicui B inerit. Et si priuatiuus syllogismus, terminis existentibus vniuersaliter, similiter accipiendum. Insit enim B omni C: A vero nulli: ergo alicui B inerit C: A autem nulli C: quare erit medium C. Consimiliter autem & si priuatiuum quidem vniuersaliter, prædicatiuum vero in parte. Nanque A nulli C: C vero alicui eorum, quæ B inerit. Quod si in parte acceptum fuerit priuatiuum, non erit resolutio. Quemadmodum, si B omni C: A vero alicui non insit. Conuerso enim B C, vtræque propositiones erunt secundum partem. Planum autem & quòd ad resoluendas figuras in se inuicem, propositio, quæ ad minus extremum, conuertenda in vtrisque figuris: hac enim transposita, transitio efficiebatur.

5 Explicata reductione primæ figuræ in secundam, & secundæ in primam, explicat Aristoteles reductionem primæ figuræ in tertiam, & tertiæ in primam. Docet ergo primo, quod non omnes syllogismi tertiæ figuræ, qui concludunt conclusionem, quæ probari possit per primam figuram, reduci possunt in primam figuram, vt de Boccardo dicetur num. 6. E conuerso omnes syllogismi primæ figuræ, qui concludunt conclusionem particularem, adeoque inferibilem in tertia figura, reduci possunt ad tertiam. Patet: nam duo sunt syllogismi primæ figuræ concludentes particulariter, Darij nimirum, & Ferio: vterque conuertendo simpliciter minorem particularem affirmatiuam reducitur ad tertiam figuram. Sit enim syllogismus in Darij; *omnis homo est intellectualis; aliquod animal est homo; ergo aliquod animal est intellectuale*; conuertendo minorem simpliciter, & dicendo, *aliquis homo est animal*, sequitur eadem conclusio in tertia figura, & in Datisi. Rursus dicatur in Ferio; *nullum animal est planta; aliquod viuens est animal; ergo aliquod viuens non est planta*; conuertendo minorem simpliciter, ac dicendo; *aliquod animal est viuens*, eadem conclusio sequitur in tertia figura, & in Ferison.

6 In tertia figura omnes modi, excepto Boccardo, reduci possunt ad primam. Primo enim ex affirmatiuis, syllogismus in Darapti, ex. gr. *omnis homo est intellectualis; omnis homo est animal; ergo aliquod animal est intellectuale*, reducitur ad primam conuertendo minorem per accidens, & dicendo, *aliquod animal est homo*: eo enim ipso fiet syllogismus in Darij. Eodem pacto conuertitur Datisi. Si enim dicatur; *omnis homo est intellectualis; aliquis homo est albus; ergo aliquod album est intellectuale*; conuertendo minorem simpliciter, & dicendo; *aliquod album est homo*; syllogismus erit in Darij. Disamis reducitur ad primam figuram, conuertendo maiorem, & transponendo præmissas, vt dictum est cap. 7. nu. 9. Ex syllogismis negatiuis, Felapton, & Ferison reducuntur ad Ferio conuertendo minorem, vt dictum est cap. 7. num. 6. & 13. Boccardo demum reduci nequit in primam figuram. Si enim dicatur; *aliquis homo non est musicus; omnis homo est animal; ergo aliquod animal non est musicum*; non potest talis syllogismus ostensiuè reduci ad primam figuram. Maior enim conuerti non potest, vtpotè particularis negatiua; minor vniuersalis affirmatiua solum potest conuerti in particularem affirmatiuam; sed facta hac conuersione nulla sequitur conclusio, cum vtraque præmissa sit particularis; ergo Boccardo non potest ostensiuè reduci in primam figuram, sed solum reduci potest per impossibile, vt dictum est cap, 7. num. 11.

Ex his infertur, quod modi primæ, & tertiæ figuræ inuicem transmutantur, conuertendo minorem. Patet: nam Darij, & Ferio reducuntur ad Datisi, & Ferison conuertendo minorem: Darapti, Felapton, Datisi, & Ferison reducuntur ad primam figuram, & ad Darij, & Ferio conuertendo minorem. Sed difficultas est de Disamis, qui reducitur ad Darij conuertendo maiorem, & transponendo præmissas. Responderi potest, quod cum maior per transpositionem fiat minor, aliquo modo conuertitur minor, quia conuersio terminatur ad minorem.

7 *Eorum vero, qui in media figura, alter quidem resoluitur, alter autem non resoluitur in tertiam. Quando enim, quod vniuersale priuatiuum sit, resoluitur. Si enim A nulli B: C vero alicui: vtraque similiter conuertuntur ad A. Quare B quidem nulli A: C autem alicui: medium igitur A. Sed quando A omni B: ipsi vero C alicui non insit, non erit resolutio: neutra enim propositionum ex conuersione vniuersalis.*

 8 Et

8 *Et qui ex tertia figura resoluentur in medium, quando priuatiuum sit vniuersale. Quemadmodum si A nulli C: ipsum autem B alicui, aut omni. Nanque & C A quidem nulli: ipsi vero B alicui inerit. Quòd si in parte sit priuatiuum, non resoluetur: non enim suscipit conuersionem negatiuum in parte.*

9 *Manifestum igitur, quòd ijdem syllogismi non resoluuntur in his figuris, qui neque in primam resoluebantur. & quòd cùm syllogismi in primam reducantur figuram, isti soli per impossibile concluduntur. Quomodo igitur oportet syllogismos reducere, & quòd resoluuntur figuræ in se inuicem, planum ex dictis.*

7 Explicat demum Aristoteles reductionem, qua syllogismi secundæ figuræ reducuntur ad tertiam, & syllogismi tertiæ ad secundam. Duo modi vniuersales secundæ figuræ, Cesare nimirum, & Camestres reduci non possunt ad tertiam, cum tertia non concludat vniuersaliter. Ex duobus particularibus, Festino nimirum, & Barocco, alter, hoc est Festino potest reduci conuertendo simpliciter vtramque præmissam. Cum enim altera præmissa sit vniuersalis negatiua, altera particularis affirmatiua, vtraque potest conuerti simpliciter. Ex. gr. si dicatur; *nullum animal est planta; aliquod viuens est planta; ergo aliquod viuens non est animal*; conuertendo simpliciter vtramque præmissam, & dicendo; *nulla planta est animal; aliqua planta est viuens; ergo aliquod viuens non est animal*; argumentum erit in tertia figura, & in Ferison. Alter modus particularis secundæ figuræ, hoc est Barocco non potest reduci in tertiam figuram, quia ad talem reductionem, vt medium, quod in vtraque præmissa est prædicatum, in vtraque fieret subiectum, conuerti deberet vtraque præmissa; sed neutra potest vtiliter conuerti: nam maior vniuersalis affirmatiua non potest conuerti, nisi in particularem, & sic vtraque præmissa fit particularis, adeoque nihil sequitur; minor particularis negatiua non potest vllo pacto conuerti; ergo Barocco non potest reduci in tertiam figuram.

8 Ex syllogismis tertiæ figuræ tres affirmatiui, nimirum Darapti, Disamis, & Datisi non possunt reduci in secundam figuram, quæ concludit solum negatiuè. Ex tribus negatiuis, duo, hoc est Felapton, & Ferison reduci possunt conuertendo vtramque præmissam. Sit enim syllogismus in Felapton: *nullum animal est planta; omne animal est viuens; ergo aliquod viuens non est planta*; conuertendo maiorem simpliciter, & minorem per accidens, argumentum reducitur ad secundam figuram, & ad Festino, cum dicatur; *nulla planta est animal; aliquod viuens est animal; ergo aliquod viuens non est planta*. Si verò argumentum sit in Ferison, conuertendo simpliciter & maiorem, & minorem, reducitur ad Festino. Boccardo demum non potest reduci ad secundam figuram. Vt enim reduceretur, medium, quod in vtraque præmissa est subiectum, in vtraque deberet mutari in prædicatum, adeoque conuerti deberet vtraque præmissa; sed neutra potest vtiliter conuerti; nam maior vtpote particularis negatiua conuerti non potest; minor vniuersalis affirmatiua non potest conuerti, nisi in particularem affirmatiuam, qua conuersione facta vtraque præmissa fit particularis, adeoque nihil sequitur; ergo Boccardo non potest reduci ad secundam figuram.

9 Ex dictis patet, quod illi syllogismi secundæ, & tertiæ figuræ, qui non possunt reduci ad primam figuram, quales sunt Barocco, & Boccardo, neque possunt reduci ostensiuè ad vllam aliam figuram, sed solum possunt reduci per impossibile, vt dictum est cap. 6. n. 9. & cap. 7 n. 11. Patet igitur, quo pacto syllogismi possint reduci, & quo pacto syllogismi variarum figurarum possint in se mutuo conuerti, & trasmutari.

De Propositionibus affirmatiuis de prædicato infinito, & quomodo æquiualeant negatiuis de prædicato finito. Cap. III. vel XXXII. & vltimum. Art. I.

1 *Differt autem aliquid in construendo ac destruendo existimare, aut idem, aut diuersum significare, non esse hoc, & esse non hoc: quemadmodum, non esse album, & esse non album.*

Neque

5 *Neque enim idem significant, neque est negatio eius, quod est, esse album, hoc quod est, esse non album, sed non esse album. Hæc autem huius ratio. Nanque similiter se habet, potest ambulare, & potest non ambulare, ei, quod est, est album, ad hoc, quod est, est non album: & scit bonum, ad scit non bonum: nam scit bonum, aut est sciens bonum, nihil differt, neque potest ambulare, aut est potens ambulare: quare, & opposita, non potest ambulare, non est potens ambulare. Si igitur, non est potens ambulare, idem significat, & est potens non ambulare, aut haud ambulare, eadem vtique simul eidem inerunt. Idem enim potest, & ambulare, & non ambulare: & est consultus boni, & non boni: dictio autem, & negatio oppositæ non insunt simul eidem. Quemadmodum igitur non est idem, non scire bonum, & scire non bonū: neque esse non bonum, & non esse bonum idem: (eorum enim, quæ proportionem habent inter se, si altera sint diuersa, & altera).*

3 *Neque esse non æquale, & non esse æquale: Illi enim subijcitur aliquid existenti non æquali, & hoc est inæquale: huic vero nihil. Quo circa æquale quidem, aut inæquale non omne: æquale autem, aut non æquale omne.*

4 *Amplius, est non album lignum, & non est album lignum, non simul sunt. Si enim est lignum non album, erit lignum: quod autem non est album lignum, non necesse lignum esse. Quare manifestum, quod non est eius quod est, est bonum, negatio, est non bonum.*

5 *Si itaque de omni vno, aut dictio, aut negatio vera, si non est negatio, planum quòd affirmatio quodammodo esse posset: affirmationis vero omnis negatio est: & huius igitur, non est non bonum.*

1 POstquam Aristoteles explicauit, quo pacto possint per syllogismum inferri conclusiones tum affirmatiuæ, tum negatiuæ, refutat errorem antiquorum, qui dixerunt propositiones affirmatiuas prædicati infiniti æquiualere negatiuis prædicati finiti, adeoque concludi eodem pacto, sicut concluduntur propositiones negatiuæ. Vt igitur reijciat hunc errorem, & ostendat diuersitatem propositionis affirmatiuæ prædicati infiniti à propositione negatiua prædicati finiti, ponit aliquas conclusiones.

2 Prima conclusio est: affirmatio prædicati infiniti non æquipollet negationi prædicati finiti.

Probatur primo: si affirmatio prædicati infiniti æquiualeret negationi prædicati finiti, hæc affirmatio, *est non album*, æquiualeret huic negationi, *non est album*; sed non æquiualet; ergo &c. Probatur minor: illæ propositiones non æquiualent, quæ non opponuntur contradictoriè eidem tertiæ propositioni; sed istæ duæ propositiones, *est non album*, *non est album*, non opponuntur contradictoriè eidem tertiæ propositioni, ex. gr. huic, *est album*; ergo &c. Probatur minor: huic enim, *est album*, opponitur contradictoriè hæc, *non est album*; at illa altera affirmatiua prædicati infiniti, *est non album*, non opponitur contradictoriè; ergo &c. Probatur antecedens: istæ duæ propositiones, *est album*, *est non album*, se habent sicut istæ, *potest ambulare*, *potest non ambulare*, & sicut istæ, *scit bonum*, *scit non bonum*, seu quod idem significat, *est potens ambulare*, *est potens non ambulare*, *est sciens bonum*, *est sciens non bonum*; sed istæ, *non potest ambulare*, *potest non ambulare*, *non scit bonum*, *scit non bonum*, non æquiualent, neque sunt conuertibiles; ergo etiam istæ, *non est album est non album*, non æquiualent, neque sunt conuertibiles. Probatur minor: si enim istæ duæ, *potest non ambulare*, *non potest ambulare*, essent æquipollentes, de quocunque verificaretur vna, verificaretur altera; sed non de quocunque verificatur vna, verificatur altera; ergo neque sunt æquipollentes, neque conuertibiles. Probatur minor; quia de eo, qui potest ambulare, verificatur etiam, quod potest non ambulare, cum possit ambulare, & non ambulare; at non verificatur, quod non potest ambulare; alioquin verificarentur contradictoria, quod nimirum posset, & non posset ambulare. Similiter de eodem verificatur, quod sciat bonum, & simul sciat non bonum, at non verificatur, quod simul sciat bonum, & non sciat bonum; ergo istæ duæ, *non potest ambulare*; *potest non ambulare*, non æquiualent, nec sunt conuertibiles, idemque dic de istis, *non scit bonum*, *scit non bonum*; ergo neque æquiualent, neque sunt conuertibiles istæ, *non est bonum*, *est non bonum*, *non est album*, *est non album*, & vniuersim propositiones affirmatiuæ prædicati infiniti non sunt conuertibiles cum proposi-

sitionibus negatiuis prædicati finiti.

3 Probatur secundo eadem conclusio: propositiones, quarum vna nihil ponit, altera ponit aliquid, non sunt æquipollentes; sed negatiua prædicati finiti nihil ponit, affirmatiua prædicati infiniti ponit aliquid; ergo non æquipollent. Probatur minor: hæc enim propositio negatiua prædicati finiti, *non est æquale*, pure negat æquale, at non affirmat esse subiectum aliquod *non æquale*: at hæc propositio, *est non æquale*, affirmat dari aliquod subiectum non æquale, sed inæquale. Similiter hæc propositio *non est lignum album*, nihil affirmat adeoque est vera, etiamsi nullum sit lignum neque album, neque non album: at verò hæc, *est lignum non album*, affirmat lignum, adeoque, si nullum sit lignum, non est vera.

4 Hinc iam tertio probatur conclusio: propositiones enim, quæ possunt non esse simul veræ, non significant idem; sed istæ duæ propositiones, *non est lignum album*, *est lignum non album*, possunt non esse simul veræ; ergo non significant idem. Minor probatur; quia si nullum sit lignum, vera est hæc, *non est lignum album*; at verò hæc altera, *est lignum non album*, est falsa.

5 Infertur, quod cum istius propositionis, *est non bonum*, contradictoria non sit hæc, *est bonum*; vnaquæque verò propositio habeat suam contradictoriam, ipsius contradictoria erit hæc, *non est non bonum*; & quia ex contradictorijs altera propositio est affirmatiua, altera negatiua, ideò hæc, *est non bonum*, quodammodo est affirmatiua, illa verò altera, *non est non bonum*, est negatiua.

6 *Habent autem ad se inuicem ordinem hunc. Sit esse bonum, in quo A: non esse bonum, in quo B: esse non bonum, in quo C, sub B: non esse non bonum, in quo D, sub A.*

7 *Omni itaque inerit aut A, aut B, & nulli*
8 *eidem: * & aut C, aut D, & nulli eidem:*
9 ** & cui C, necesse B omni inesse. Si enim verum dicere, quod est non album, & quod non est album, verum: impossibile enim simul esse non album: aut esse lignum non album, & esse lignum album. Quare si non affirmatio, negatio inerit. C vero ipsi B non semper. Quod enim omnino non lignum, neque lignum erit non album.*

6 Vt explicetur quo pacto comparentur inuicem propositiones de prædicato finito, & infinito, consideretur subscripta figura.

A Est bonum.	B Non est bonum.
D Non est non bonum.	C Est non bonum.

In A ponitur affirmatio de prædicato finito, *est bonum*: In B ponitur negatio eiusdem prædicati finiti, *non est bonum*: In C sub B ponitur affirmatio prædicati infiniti, *est non bonum*: In D demum sub A ponitur negatio prædicati infiniti, *non est non bonum*. Hac figura posita per varias conclusiones explicabimus, quo pacto comparentur inuicem tales propositiones.

7 Secunda igitur conclusio est: affirmatiua prædicati finiti, quæ est in A, & negatio eiusdem prædicati finiti, quæ est in B ita se habent, vt de quolibet verificetur altera, de nullo verificetur vtraque. Patet: quodlibet enim vel est bonum, vel non est bonum: nihil potest simul esse bonum, ac non esse bonum. Ratio est, quia de quocumque verificatur alterum ex prædicatis contradictorijs, de nullo verificatur simul vtrumque; sed *esse bonum*, & *non esse bonum*, sunt prædicata contradictoria; ergo &c.

8 Tertia conclusio est: affirmatio prædicati infiniti, quæ est in C, & negatio eiusdem prædicati infiniti, quæ est in D, ita se habent, vt de quolibet verificetur altera, de nullo vtraque. Patet: nam quodlibet vel est non bonum, vel non est non bonum: nihil potest simul esse non bonum, & non esse non bonum.

9 Quarta conclusio est: affirmatio prædicati infiniti, quæ est in C, & negatio prædicati finiti, quæ est in B sic se habent, vt ex affirmatione prædicati infiniti de subiecto valeat consequentia ad negationem, qua de eodem subiecto negatur prædicatum finitum; at non valeat consequentia à ne-

negatione prædicati finiti ad affirmationem prædicati infiniti.

Probatur: si enim est verum, *Petrus est non albus*, bene infertur; *ergo non est albus*: necesse est enim, vt vel sit albus, vel non sit albus, cum ex contradictorijs alterum debeat verificari; sed repugnat, quod sit simul non albus, & albus; ergo necesse est, vt si Petrus est non albus, non sit albus; ergo ex hac propositione affirmatiua prædicati infiniti, *Petrus est non albus*, sequitur negatiua prædicati finiti; *ergo Petrus non est albus*. E conuerso si verum sit, *Petrus non est lignum album*, non valet; *ergo Petrus est lignum non album*: cum enim non sit lignum, neque est lignum album, neque est lignum non album. Similiter non valet; *lignum non est album*; *ergo lignum est non album*: si enim nullum detur lignum, verificabitur, quod lignum non est album, at non verificabitur, quod lignum sit non album; ergo ex affirmatione prædicati infiniti valet consequentia ad negationem prædicati finiti: e conuerso à negatione prædicati finiti, non valet consequentia ad affirmationem prædicati infiniti.

10 *E conuerso igitur D omni, cui A: nanque aut C, aut D: quoniam vero non possibile esse simul non album & album, ipsum D inerit. De existente enim albo verum dicere, quòd non est non album.*

11 *A autem de D non omni: nanq; de eo, quod penitus non est lignum, non verum dicere, quod est lignum album: Quare D verum, A autem non verum, quoniam lignum album.*

12 *Planum vero, quòd & A, C nulli eidem: & si B, & D contingit alicui eidem inesse.*

10 Quinta conclusio est: ex affirmatione prædicati finiti, valet consequentia ad negationem prædicati infiniti: e conuerso à negatione prædicati infiniti, non valet consequentia ad affirmationem prædicati finiti.

Probatur prima pars: sit enim vera hæc affirmatiua prædicati finiti, *Petrus est albus*, valet consequentia ad hanc negatiuam prædicati infiniti; *ergo Petrus non est non albus*. Probatur: ex contradictorijs alterum verificatur; sed istæ duæ propositiones; *Petrus est non albus*; *Petrus non est non albus*, sunt contradictoriæ; ergo supponendo, quod Petrus sit albus, simul verificatur de illo, vel quod est non albus, vel quod non est non albus; sed non potest de Petro verificari simul, quod sit albus, & quod sit non albus; ergo si Petrus est albus, verificatur, quod non est non albus; ergo ex affirmatione prædicati finiti, *Petrus est albus*, infertur negatio prædicati infiniti, & valet consequentia, qua dicatur; *ergo Petrus non est non albus*.

11 Secunda pars, quod nimirum ex negatione prædicati infiniti non sequatur affirmatio prædicati finiti, probatur: hæc enim negatiua prædicati infiniti, *Petrus non est lignum non album*, est vera, & tamen non valet consequentia ad affirmatiuam prædicati finiti; *ergo Petrus est lignum album*; ergo &c.

12 Sexta conclusio est: affirmationes prædicati finiti, & infiniti non possunt simul verificari de eodem subiecto: negationes possunt simul verificari de eodem subiecto. Probatur: est enim impossibile, vt de Petro verificetur simul, quod est albus, & est non albus; sed hæ sunt affirmationes prædicati finiti, & infiniti; ergo &c. E conuerso potest de eodé simul verificari, quod neque est lignum album, neque est lignum non album, cum homo de facto neque sit lignum album, neque sit lignum non album; sed istæ sunt negationes prædicati finiti, & infiniti; ergo possunt de eodem simul verificari negationes prædicati finiti, & infiniti.

13 *Consimiliter se habent & priuationes ad prædicamenta hac positione. Aequale, in quo A: non æquale, in quo B: inæquale, in quo C: non inæquale, in quo D.*

14 *Et in pluribus autem, quorum his quidem inest, illis vero non inest idem, negatio quidem similiter verificari posset, quòd non sunt alba omnia, aut quòd non est album vnumquodque. Quòd autem est non album vnumquodque, aut omnia sunt non alba, falsum. Consimiliter autem & eius, quod est, est omne animal album, non hoc, quod est, est non album omne animal, negatio (ambæ enim falsæ) sed hoc, non est omne animal album.*

15 *Quoniam vero manifestum, quod diuersum significat, est non album, & non est album: & illud quidem affirmatio, hoc autem negatio: manifestum, quòd non est idem modus ostendendi vtrumque. Vt quoniam quodcunque sit animal, non est album, aut contingit non esse album: & quòd ve-*

verum dicere, non album: hoc enim est esse non album. Sed de eo, quodcunque sit album, verum dicere, est album, siue non album, idem modus. Constructiue enim ambo per primam monstrantur figuram. Verum enim, & esse, similiter ordinantur. Eius enim, quod est, verum dicere album, non hoc, quod est, verum dicere non album, negatio: sed non verum dicere album. Si itaque verum est dicere, quodcunque sit homo, musicum esse, aut non musicum esse, quodcunque sit animal, accipiendum, aut esse musicum, aut esse non musicum: & ostensum est. Non esse autem musicum, quodcunque sit homo, destructiue monstratur secundum dictos modos tres.

13 Septima conclusio est: propositiones de prædicato priuatiuo, eodem pacto se habent ad propositiones de prædicato finito, sicut propositiones de prædicato infinito. Vt explicetur conclusio sit figura.

A Est æquale.	B Non est æquale.
D Non est inæquale.	C Est inæquale.

Quemadmodum igitur, vt dictum est cõclus. 5. num. 10. ex propositione affirmatiua prædicati infiniti, sequitur propositio negatiua prædicati finiti, ideoque valet, *Petrus est non iustus; ergo Petrus non est iustus*, at non è conuerso: sic ex affirmatiua prædicati priuatiui, sequitur negatiua prædicati positiui, at non e conuerso, ideoque valet, *Petrus est iniustus; ergo non est iustus*; at non valet è conuerso, *Petrus non est iustus; ergo est iniustus*. Sicut iuxtà quintam conclusionem ex affirmatione prædicati finiti valet consequentia ad negationem prædicati infiniti, & non è conuerso: sic ab affirmatione prædicati positiui valet consequentia ad negationem prædicati priuatiui, & non è conuerso, ideoque valet, *Petrus est iustus; ergo non est iniustus*; at non valet è conuerso, *Petrus non est iniustus; ergo est iustus*. Demum sicut iuxtà sextam conclusionem affirmationes prædicati finiti, & infiniti non possunt simul verificari de eodem, negationes possunt: sic affirmationes prædicati positiui, & priuatiui non possunt simul verificari de eodem, negationes possunt, ideoque est impossibile, vt idem sit simul iustus, & iniustus, at est possibile, vt idem neque sit iustus, neque iniustus.

14 Octaua conclusio est: etiam in propositionibus affectis signo vniuersali, *omnis*, vel, *omnia*, negatiua prædicati finiti non æquiualet affirmatiuæ prædicati infiniti: ex. gr. hæc, *non omnis homo est albus*, vel *non omnes homines sunt albi*, non æquiualet huic, *omnis homo est non albus*, vel *omnes homines sunt non albi*. Probatur, quià istæ duæ, *omnis homo est albus*, *non omnis homo est albus*, non possunt esse simul falsæ, cum sint contradictoriæ; sed istæ duæ, *omnis homo est albus; omnis homo est non albus*, possunt esse simul falsæ, ac de facto sunt simul falsæ; ergo istæ duæ, *non omnis homo est albus*, *omnis homo est non albus*, non æquipollent.

15 Nona conclusio est: sicut propositiones negatiuæ prædicati finiti, & propositiones affirmatiuæ prædicati infiniti non æquipollent, ita non probantur eodem pacto. Probatur, quià non eodem pacto probantur propositiones negatiuæ, ac affirmatiuæ; sed propositio affirmatiua prædicati infiniti non æquipollet negatiuæ, sed verè est affirmatiua; ergo &c. Explicatur exemplo in terminis vniuersalibus. Hæc propositio, *omne, quod est animal, non est album*, est negatiua; ista verò, *omne animal verè dicitur non album, seu est non album*, est affirmatiua; ideo omnes istæ propositiones; *omne animal est album; omne animal verè dicitur album; omne animal est non album; omne animal verè dicitur non album* sunt vniuersales affirmatiuæ; ly enim *verè dicitur* idem valet, ac *est*; sed propositiones vniuersales affirmatiuæ probantur solum per primam figuram, & per Barbara; ergo omnes propositiones positæ probantur solum per primam figuram, & per Barbara. E conuerso istæ propositiones: *omne animal non est album; omne animal verè dicitur, quod non est album &c.* sunt negatiuæ; sed propositiones vniuersales negatiuæ probari possunt in prima, & secunda figura, & in tribus modis, Celarent nimirum, Cesa-

Cesare, & Camestres; ergo tales propositiones probari possunt in prima, & secunda figura, & in tribus modis, hoc est Celarent, Cesare, & Camestres. Similiter istæ duæ propositiones, *omne, quod est homo, est musicum: omne, quod est homo, est non musicum*, sunt affirmatiuæ, ideoque probari debent in Barbara, dicendo ex. gr. *omne animal est musicum; omne, quod est homo, est animal; ergo omne, quod est homo, est musicum*; vel *omne animal est non musicum; omne, quod est homo, est animal; ergo &c.* At hæc propositio: *omne, quod est homo non est musicum*, est negatiua, ideoque probari potest in prima, vel in secunda figura, & in tribus modis, hoc est in Celarent, Cesare, & Camestres.

De quatuor regulis Consequētiarum. Cap. III. vel XXXII. & Vltimi. Art. II.

26 *Impliciter autem, quando sic se habent A & B, vt simul quidem eidem non contingant, omni autem ex necessitate alterum: & rursus C ad D consimiliter: sequitur autem ex C A, & non conuertitur: & ex B. D sequetur, & non conuertitur: & A, & D, contingunt.*

POstquam Aristoteles explicauit, quo pacto propositiones affirmatiuæ de prædicato infinito se habeant ad negatiuas secundum consequentiam mutuam, vel non mutuam, ex tradita doctrina infert, ac demonstrat quatuor regulas consequentiarū, & per has concludit hunc primum librum.

16 Docet igitur, quod quando duo prædicata, quæ vocentur A. B, sunt contradictoria, adeoque ita se habent, vt de quolibet necessario verificetur alterum, de nullo possit verificari vtrumque simul, & duo alia prædicata, quæ vocentur C. D, sunt similiter contradictoria, adeoque de quolibet necessario verificatur alterum, de nullo potest verificari vtrumque simul; tum si ex vno prædicato, quod ideo vocatur antecedens, sequatur alterum, & non è conuerso; ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis, & non è conuerso. Explicatur per subiectam figuram.

Antecedens C. Est homo.	D. Contradictorium antecedentis Non est homo.
Consequens A. Est animal.	B. Contradictorium consequentis Non est animal.

In A, & B sunt duo prædicata contradictoria, quæ sunt, *est animal, non est animal*, quæ ita se habent, vt de quolibet necessario verificetur alterum, de nullo verificari possit vtrumque, siquidem quodlibet necessario, vel est animal, vel non est animal, nihil potest simul esse animal, & non esse animal. In C, & D, sunt alia duo prædicata contradictoria, quæ sunt, *est homo, non est homo*. Rursus prædicatum, *est homo*, ita se habet ad prædicatum, *est animal*, vt A sequatur necessario ex C, non è conuerso: siquidem valet: *est homo; ergo est animal*: non valet è conuerso, *est animal; ergo est homo*, ideo prædicatum, *est homo*, est antecedens, prædicatum, *est animal*, est consequens non conuertibile: ex contradictorio igitur consequentis, sequitur contradictorium antecedentis, & non è conuerso, ideoque valet: *non est animal; ergo non est homo*: at non valet è conuerso; *non est homo; ergo non est animal*.

In hac doctrina continentur quatuor regulæ consequentiarum. Prima regula est: cum ex aliquo antecedenti sequitur consequens, ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis: ex. gr. quia ex hoc antecedenti, *Petrus est homo*, sequitur hoc consequens; *ergo Petrus est animal*; ex hoc contradictorio consequentis, *Petrus non est animal*, sequitur contradictorium antecedentis; *ergo Petrus non est homo*. Secunda regula est: cum ex aliquo antecedenti sequitur consequens non conuertibiliter, ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis non conuertibiliter: ex. gr. quia ex hoc antecedenti, *est homo*, sequitur;

ergo

ergo est animal, sed non sequitur è conuerso, *est animal; ergo est homo*; ideò ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis, & valet; *non est animal; ergo non est homo*; at ex contradictorio antecedentis non sequitur contradictorium consequentis, ideoque non valet; *non est homo; ergo non est animal*.

Tertia regula est: consequens potest stare cum contradictorio antecedentis non conuertibilis: ex. gr. quia animal est consequens non conuertibile hominis, potest idem subiectum esse animal, & non esse homo, adeoque potest animal, quod est consequens, stare cum contradictorio hominis, qui est antecedens.

Quarta demum regula est: antecedens non potest coniungi cum contradictorio consequentis: ex. gr. quia homo est antecedens animalis, implicat, vt idem sit homo, & non sit animal.

Propositis his quatuor regulis, demonstrat illas Aristoteles singillatim, ac deinde afferens, & soluens quandam obiectionem sophisticam, concludit librum.

17 *Primum igitur, quòd ex B sequitur D, hinc manifestum. Quoniam enim ex C, D alterum ex necessitate omni: cui autem B non contingit C, eò quod simul infert A: A verò, & B non contingunt eidem: planum quòd D sequetur.*

18 *Rursus, quoniam C non conuertitur cum A: omni autem C, aut D: contingit A, D eidem inesse.*

19 *B verò, & C non contingit, eo quòd A consequitur ex C. Accidit enim impossibile quoddam.*

20 *Manifestum igitur, quòd neque B cum D conuertitur, quoniam accidit simul D & A inesse.*

17 Demonstratur igitur prima regula, quod cum ex antecedenti sequitur consequens, ex contradictorio consequentis sequatur contradictorium antecedentis. Si enim valet; *est homo; ergo est animal*, valet etiam; *non est animal; ergo non est homo*. Probatur: necesse enim est, vt quod non est animal, aut sit homo, aut non sit homo, cum hæc sint contradictoria, adeoque alterum cuilibet insit; sed est impossibile, vt quod non est animal simul sit homo; ergo necesse est, vt quod non est animal, non sit homo, adeoque sequitur, *non est animal; ergo non est homo*. Probatur minor: impossibile enim est, vt quod non est animal simul sit animal, cum hæc sint contradictoria; sed si quod non est animal, simul esset homo, quod non est animal, simul esset animal; ergo impossibile est, vt quod non est animal, sit homo. Probatur minor: ex homine enim necessario sequitur animal, vt supponitur; ergo si quod non est animal, esset homo, quod non est animal, simul esset animal; ergo impossibile est, vt quod non est animal sit homo; ergo necesse est, vt quod non est animal non sit homo; ergo cum ex antecedenti sequitur consequens, ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis.

18 Demonstratur iam tertia regula (demonstratio enim secundæ differtur ab Aristotele in vltimum locum.) Est autem tertia regula, quod consequens potest stare cum contradictorio antecedentis non conuertibilis. Si enim valet, *est homo; ergo est animal*, & non è conuerso, potest aliquid esse animal, & non esse homo. Probatur: quod enim est animal, vel est homo, vel non est homo, cum hæc sint contradictoria; sed non est necesse, vt quod est animal, sit homo, alioquin valeret, *est animal; ergo est homo*, adeoque animal, & homo essent conuertibilia, quod est contra suppositum; ergo potest aliquid esse animal, & non esse homo; ergo potest animal, quod est consequens, stare cum contradictorio hominis, qui homo est antecedens; ergo potest vniuersim consequens stare cum contradictorio antecedentis non conuertibilis: eo enim ipso, quod non posset stare cum contradictorio talis antecedentis, non posset stare sine antecedenti, & sic esset conuertibile cum antecedenti, quod est contra suppositum.

19 Demonstratur quarta regula, quod antecedens non possit stare cum contradictorio consequentis. Si enim valet; *est homo; ergo est animal*; non potest aliquid idem esse homo, & simul non esse animal; alioquin idem simul esset animal, & non esset animal; esset animal, quia animal necessario sequitur ad hominem; at non esset animal ex suppositione; sed est impossibile, quod idem simul sit animal, & non sit animal, cum hæc sint contradictoria; ergo antecedens non potest stare cum contradictorio consequentis.

20 Ex his demonstratur etiam secunda re-

regula, quod cum ex aliquo antecedenti, sequitur consequens non conuertibiliter, ex contradictorio consequentis, sequitur contradictorium antecedentis non conuertibiliter. Si enim valet; *est homo; ergo est animal*; at non valet è conuerso; etiam valet, *non est animal; ergo non est homo*, at non valet è conuerso. Ex tertia enim regula potest consequens stare cum contradictorio antecedentis non conuertibilis, adeoque potest aliquid esse animal, & non esse homo; ergo cum contradictorium antecedentis sit coniungibile cum consequenti, ex contradictorio antecedentis non sequitur ex necessitate contradictorium consequentis, licet ex contradictorio consequentis sequatur contradictorium antecedentis; ergo non valet conuersio.

21 *Accidit autem quandoque, & in taliter minorum ordine decipi eo, quòd non rectè accipiuntur opposita, quorum alterum necesse est omni inesse. Quemadmodum si A, & B non contingunt simul eidem, necesse autem alterum inesse, cui non alterum: & rursus C, & D consimiliter: ex quo autem omni C sequatur A: accidet enim cui D ipsum B inesse ex necessitate: quod est falsum. Si enim accepta negatio eorum, quæ A. B, quæ est in quo F: & rursus eorum, quæ C. D, quæ est in quo H: necesse igitur omni aut A, aut F: aut enim dictionem, aut negationem. Et iterum vel C, vel H: dictio nanque, & negatio. Et cui C omni, suppositum fuit A: quare H cui omni F. Rursus, quoniam eorum, quo F. B omni alterum, & eorum quæ H. D consimiliter: sequitur autem ex F H, & ex D sequetur B. Hoc enim scimus Si igitur ex C. A, & ex D. B. Hoc autem falsum: è conuerso enim erant in sic se habentibus consequentia.*

22 *Non enim fortasse necessarium omni A, aut F: neque F, aut B. Non enim F est negatio ipsius A. Nam boni negatio, non bonum. Non est autem idem non bonum ei, quod est neque bonum, neque non bonum. Similiter autem, & in C. D. Negationes enim acceptæ duæ sunt.*

21 Contra hanc secundam regulam modo demonstratam proponit Aristoteles argumentum sophisticum ad ostendendum oppositum. Si enim dicatur; *est homo; ergo est animal*, non solum valet, *non est animal; ergo non est homo*; sed etiam valet; *non est homo; ergo non est animal*; ergo ex contradictorio consequentis non conuertibilis sequitur contradictorium antecedentis, & è conuerso. Probatur antecedens: valet enim, *est homo; ergo est animal*; ergo ex contradictorio animalis, quod est consequens, sequitur contradictorium hominis, qui est antecedens; sed negatio animalis simul, & non animalis, qua dicatur, *nec est animal, nec est non animal*, est contradictorium commune animalis, & non animalis; ergo ex hac negatione animalis, & non animalis, sequitur contradictorium commune hominis, & non hominis, adeoque valet; *nec est animal, nec non animal; ergo nec est homo, nec non homo*; ergo hæc propositio; *nec est animal, nec non animal*, est antecedens, hæc alia; *nec est homo, nec non homo*, est consequens; sed ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis iuxta primam regulam; ergo ex contradictorio huius, *nec est homo, nec non homo*, sequitur contradictorium huius, *nec est animal, nec est non animal*; sed contradictoria huius; *nec est homo, nec non homo*, est etiam hæc, *non est homo*; ergo ex hac propositione, *non est homo*, sequitur contradictoria huius, *nec est animal, nec non animal*; sed contradictoria huius, *nec est animal, nec non animal*, est etiam hæc, *non est animal*; ergo ex hac, *non est homo*, sequitur hæc, *non est animal*; ergo non solum ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis, sed etiã ex contradictorio antecedentis non conuertibilis, sequitur contradictorium consequentis, adeoque falsa est illa secũda regula.

22 Respondet Aristoteles, falsum esse, quod contradictoria huius, *est animal* sit hæc, *nec est animal, neque non animal*. Contradictoriæ enim non possunt de eodem falsificari; sed potest de eodem falsificari vtraque propositio posita; ergo &c. Probatur minor: nam falsum est, quod planta sit animal, & simul falsum est, quod neque sit animal, neque non animal; ergo contradictoria huius, *est animal*, non est hæc, *neque est animal, neque non animal*; sed hæc, *non est animal*; & similiter contradictoria huius, *est homo*, non est hæc, *neque est homo, neque non est homo*, sed hæc, *non est homo*; ergo cum argumentum non rectè sumat contradictorias, non concludit, sed est sophisticum. Et per hæc Aristoteles absoluit librum primum de priori resolutione.

ARIS-

ARISTOTELIS PRIORVM ANALYTICORVM, HOC EST RESOLVTORIORVM.

LIBER II.

PARS PRIMA.

De potestatibus, & virtutibus Syllogismorum.

De potestate, & virtute Syllogismi ad concludendas plures conclusiones. Caput I.

1 *IN quot igitur figuris, & per quales, & quot propositiones, & quando, & quomodo fit syllogismus: Amplius autem, in qualia aspiciendum destruenti, ac construenti, & quomodo oportet quærere de proposito secundum qualemcunque methodum: Amplius autem, per qualem viam accipiemus principia de singulis, iam transegimus.*

2 *Sed quoniam alij syllogismorum vniuersales sunt, alij secundum partem: vniuersales omnes semper plura ratiocinantur: ex ijs vero, qui in parte, affirmatiui quidem plura, negatiui autem conclusionem solam.*

3 *Aliæ nanque propositiones conuertuntur: priuatiua vero non conuertitur. Conclusio autem aliquid de aliquo est: quare alij quidem syllogismi plura ratiocinantur.*

4 *Quemadmodum si A monstratum est omni B, aut alicui: & B alicui A necessarium inesse. Et si A nulli B, & B nulli A. Hoc autem diuersum à præcedenti. Si vero alicui non insit: non necesse & B alicui A non inesse. Contingit enim omni inesse. Hæc itaque communis omnium causa, & eorum, qui vniuersaliter, & eorũ, qui secundũ partem.*

1 IN INITIO libri secundi epilogat Aristoteles omnia, quæ dicta sunt libro primo, & determinat de quibus sit agendum in libro secundo. Explicatum enim est primo, in quot figuris; ex quot, & qualibus præmissis; quando, & quomodo fiat syllogismus: secundo explicatum est, quæ sint consideranda, vt inueniatur medium ad probandam, vel impugnandam quamcumque propositam conclusionem, per quamcumque figuram; & per quam viam possint inueniri principia, seu præmissæ syllogismorum. Restat igitur, vt cum libro primo, hæc tractantes, satis egerimus de syllogismo, quoad eius esse, & fieri; libro secundo agamus primo de potestatibus, & virtutibus syllogismi iam constituti; secundo de eiusdem impotentijs, seu defectibus; tertio demum de quibusdam annexis syllogismo.

Prima potestas, & virtus syllogismi est, per quam potest inferre plures conclusiones. Possunt autem tales conclusiones communicare cum conclusione principali in vtroque extremo, vel in altero tantum extremo. Per varias igitur conclusiones explicat

plicat Aristoteles, quo pacto syllogismi habeant virtutem concludendi plures conclusiones communicantes in vtroque, vel in altero tantum extremo.

2 Prima conclusio est: omnes syllogismi concludentes conclusionem vniuersalem siue affirmatiuam, siue negatiuam, & concludentes conclusionem particularem affirmatiuam, habent virtutem etiam concludendi alias conclusiones communicantes in vtroque extremo: at syllogismi concludentes conclusionem particularem negatiuam, non possunt ex vi formæ concludere alias conclusiones communicantes in vtroque extremo.

3 Probatur: quia omnes syllogismi inferentes conclusionem conuertibilem, possunt inferre etiam conuertentem, adeoque cum propositio conuersa, & conuertens conueniant in vtroque extremo, possunt inferre plures conclusiones conuenientes in vtroque extremo; sed omnes syllogismi inferentes conclusionem vniuersalem affirmatiuam, vel negatiuam, & particularem affirmatiuam, inferunt conclusionem conuertibilem: è conuerso syllogismi inferentes particularem negatiuam, inferunt conclusionem non conuertibilem; ergo &c. Probatur minor, quia ex enunciationibus affirmatiua tum vniuersalis, tum particularis possunt conuerti: ex negatiuis vniuersalis potest conuerti, particularis non potest conuerti, vt demonstratum est lib. 1. Prior. cap. 2.; ergo omnes syllogismi inferentes vniuersalem affirmatiuam, vel negatiuam, vel particularem affirmatiuam, inferunt conclusionem conuertibilem, at syllogismi inferentes conclusionem particularem negatiuam inferunt conclusionem non conuertibilem.

4 In hac virtute syllogismorum fundantur tres modi indirecti primæ figuræ, Baralipton nimirum, Dabitis, & Celantes. Si enim in Barbara sit conclusum, quod omnis homo est viuens, sic; *omne animal est viuens; omnis homo est animal: ergo omnis homo homo est viuens*; quia conclusio vniuersalis affirmatiua est conuertibilis per accidens in hanc; *ergo aliquod viuens est homo*; ex positis præmissis concluditur etiam in Baralipton, quod aliquod viuens est homo. Similiter si in Darij conclusum fuerit, quod aliquod animal est intellectuale, sic; *omnis homo est intellectualis; aliquod animal est homo; ergo aliquod animal est intellectuale*; quia hæc conclusio conuertitur simpliciter in hanc; *ergo aliquod intellectuale est animal*, ideo ex iisdem præmissis potest etiam concludi in Dabitis, quod aliquod intellectuale est animal. Rursus si fuerit conclusum in Celarent, quod nullus homo est hinnibilis, sic; *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis*; quia hæc conclusio conuertitur simpliter in hanc; *ergo nullum hinnibile est homo*; ideo ex iisdem præmissis potest etiam inferri in Celantes, quod nullum hinnibile est homo. E conuerso si fuerit conclusum in Ferio, quod aliquod animal non est homo, sic; *nullus equus est homo; aliquod animal est equus; ergo aliquod animal non est homo*; quia hæc conclusio non conuertitur in hanc; *ergo aliquis homo non est animal*, siquidem omnis homo est animal, ideo ex præmissis Ferio non potest inferri alia conclusio. Patet igitur ratio, propter quam aliqui syllogismi tum vniuersales, tum particulares habent virtutem inferendi plures conclusiones, qua virtute carent syllogismi concludentes particulariter negatiue.

5 *Est autem de vniuersalibus, & aliter dicere. Quæcunque enim aut sub medio sunt, aut sub conclusione, omnium erit idem syllogismus: si hæc in medio, illa in conclusione posita fuerint.*

6 *Vt si A B conclusio per C, quæcunque A sub B, aut C sunt, necesse de omnibus dici A. Si enim D in toto B: B vero in A: & D erit in A. Rursus si E in toto C: C autem in A: & E in A erit. Consimiliter, & si priuatiuus syllogismus.*

7 *In secunda autem figura, quod sub conclusione solum erit ratiocinari. Veluti si A nulli B. C autem omni: conclusio quòd B nulli C. Si igitur D sub C est, planum, quòd B non est ipsi. Iis vero, quæ sub A, quod non inest, non manifestum per syllogismum. Atqui non inest ipsi B, si est sub A: sed B quidem inesse nulli C, monstratum est per syllogismum: ipsi vero A non inesse indemonstratum sumptum est. Quare non propter syllogismum accidit B non inesse ipsi E.*

5 Secunda conclusio est: modi vniuersales primæ figuræ, hoc est Barbara, & Celarent habent virtutem inferendi maius extremum etiam de omnibus, quæ continentur

tur sub medio, & sub minori extremo, adeoque habent virtutem inferendi plures conclusiones communicantes in vno extremo, hoc est in maiori.

6 Probatur: sit enim syllogismus in Barbara, in quo concludatur, quod *omne viuens est substantia*, per corpus tanquam per medium sic; *omne corpus est substantia*; *omne viuens est corpus*; *ergo omne viuens est substantia*: hic syllogismus habet virtutem inferendi substantiam de omni, quod continetur tum sub corpore, quod est medium, tum sub viuente, quod est minus extremum, ideoque valet: *omne corpus est substantia*; *ergo omne, quod continetur sub corpore, est substantia*; & quia lapis continetur sub corpore, ideo etiam lapis est substantia; similiter quia homo continetur sub viuente, etiam homo est substantia. Similiter si dicatur in Celarent: *nullum viuens est lapis*; *omne animal est viuens*; *ergo nullum animal est lapis*; infertur virtualiter non esse lapidem de omni, quod continetur tum sub viuente, quod est medium, tum sub animali, quod est minus extremum; & quia planta continetur in viuente, homo in animali, ideò etiam de planta, & homine infertur virtualiter, quod non sit lapis.

7 Tertia conclusio est: modi vniuersales secundæ figuræ, hoc est Cesare, & Camestres, habent virtutem concludendi negationem maioris extremi de omnibus, quæ continentur sub minori extremo, hoc est sub subiecto conclusionis: ex. gr. si in Cesare concludatur, quod nullum metallum est animal, per inanimatum, tanquam per medium sic; *nullum animal est inanimatum*; *omne metallum est inanimatum*; *ergo nullum metallum est animal*; concluditur virtualiter negatio animalis etiam de omni eo, quod continetur sub metallo, quod est minus extremum; & quia aurum &c. continetur sub metallo, ideò etiam de auro concluditur negatio animalis, vt patet quia si ad conclusionem, quæ fuit; *nullum metallum est animal*, subsumatur; *omne aurum est metallum*; sequitur; *ergo nullum aurum est animal*. Addit Aristoteles, quod negatio maioris extremi, hoc est animalis, sequitur, etiam de his, quæ continentur sub medio, hoc est sub inanimato, sed non constat ex posito syllogismo, quod sequatur talis negatio. Nam cum dicitur; *nullum animal est inanimatum*; *omne metallum est inanimatum*; *ergo nullum metallum est animal*; sequitur negatio animalis de omni, quod est sub inanimato; & quia lapis est sub inanimato, sequitur negatio animalis de lapide, adeoque sequitur, quod nullus lapis sit animal. Ratio est, quia maior potest conuerti in hanc; *nullum inanimatum est animal*; sed facta hac conuersione, argumentum erit in Celarent, & medium erit inanimatum; in Celarent verò negatio maioris extremi sequitur etiam de omni, quod continetur sub medio, vt dictum est num. 6. & 7; ergo etiam in secunda figura, & in Cesare, negatio maioris extremi sequitur de omni, quod continetur sub medio. Quia tamen in maiori in Cesare non est sumptum, *quod nullum inanimatum est animal*, sed solum, *quod nullum animal est inanimatum*, ideò non patet animal negari de omni, quod continetur sub inanimato, sed debet id probari conuertendo maiorem, & reducendo syllogismum in Celarent.

8 *In his vero, quæ sunt in parte, eorum quidem, quæ sub conclusione sunt, non erit necessarium: (non enim fit syllogismus, quando hæc accepta fuerit in parte) eorum vero, quæ sub medio, erit omnium: præterquam quod non per syllogismum. Vt si A omni B: B vero alicui C. Eius enim, quod sub C positum est, non erit syllogismus: eius vero, quod sub B erit, sed non propter antea factum.*

9 *Consimiliter autem & in alijs figuris. Eius enim, quod sub conclusione, non erit: alterius vero erit, præterquam quod non propter syllogismum: sed quemadmodum, & in vniuersalibus, ex indemonstrabili propositione, quæ sub medio erant, monstrabantur. Quare neque ibi erit, aut & in his.*

8 Quarta conclusio est: syllogismi particulares primæ figuræ non habent virtutem concludendi maius extremum de ijs, quæ continentur sub minori extremo, sed solum habent virtutem concludendi de ijs, quæ continentur sub medio. Probatur: si enim dicatur, in Darij; *omne animal est mortale*; *aliquod intellectuale est animal*; *ergo aliquod intellectuale est mortale*; non potest concludi mortale de eo, quod continetur sub minori extremo, hoc est sub intellectuali, puta de Angelis: non enim potest

test inferri subsumendo; *aliquod intellectuale est mortale; Angeli sunt intellectuales; ergo Angeli sunt mortales*; quia maior est particularis, ex qua in prima figura nihil sequitur: at potest concludi mortale de eo, quod continetur sub animali, quod est medium, ex. gr. de homine, equo &c. Valet enim; *omne animal est mortale; homo, equus &c. sunt animal; ergo homo, equus &c. sunt mortales*. Verum posita conclusio sequitur, non ex posito syllogismo, sed ex alio, qui virtualiter continebatur in ea maiore; *omne animal est mortale*. Hæc enim maior significat, quod omne, quod est animal est mortale, adeoque inuoluit implicitè syllogismos, quibus probatur mortale de omni, quod est sub animali.

9 Quinta conclusio est: modi particulares secundæ, & tertiæ figuræ non concludunt virtualiter maius extremum de eo, quod continetur sub minori extremo; hoc est sub subiecto conclusionis, at concludunt de eo, quod continetur sub medio.

Probatur: si enim dicatur in Darapti; *omnis homo est animal; omnis homo est intellectualis; ergo aliquod intellectuale est animal*; non concluditur animal de eo, quod est sub intellectuali, puta de Angelis, ex eadem ratione, ex qua non concluditur in prima figura, vt dictum est num. 8: concluditur tamen animal de eo, quod continetur sub homine, quod est medium. Maior enim, *omnis homo est animal*, virtualiter continet syllogismum, quo concludatur animal de omni, quod continetur sub homine, vt de prima figura dictum est num. 8.

De modis, quibus conclusio vera potest inferri ex præmissis falsis in prima figura, licet conclusio falsa non possit inferri ex præmissis veris. Caput II.

1 *Est itaque ita se habere, vt vera sint propositiones, per quas syllogismus: est autem, vt falsæ: est vero, vt hæc quidem vera, illa autem falsa. Cæterum conclusio, aut vera, aut falsa ex necessitate.*

2 *Ex veris igitur non est falsum ratiocinari. Ex falsis autem est verum, præter quam quòd non propter quid, sed quia. Eius enim, quod est propter quid, non est ex falsis syllogismus: ob quam vero causam, in sequentibus dicetur.*

3 *Primum ergo, quòd ex veris non possumus falsum ratiocinari hinc manifestum. Si enim A existente, necesse est B esse: B non inexistente, necesse est A non esse. Si igitur verum est A, necesse est B verum esse: aut accidet idem simul esse, & non esse. Hoc autem impossibile. Non autem quoniam positus est A terminus, existimetur contingere vno aliquo existente, ex necessitate aliquid accidere: non enim possibile. Quod enim accidit ex necessitate, conclusio est: per quæ autem hoc fit, minima tres termini: bina vero interualla, & propositiones. Si itaque verum est, cui B inest ipsum A omni: cui autem C, ipsum B: cui C necesse est A inesse. Et non potest hoc falsum esse: simul enim inerit idem, & non inerit. A igitur tanquam vnum ponitur duæ propositiones simul acceptæ. Consimiliter autem & in priuatiuis se habet. Non enim est ex veris monstrare falsum.*

1 Postquam Aristoteles explicauit virtutem syllogismi, per quam potest concludere plures conclusiones, quæ est virtus formæ, explicat virtutem, per quam potest ex præmissis falsis concludere conclusionem veram, quæ virtus videtur spectare ad materiam; & simul etiam examinat, an syllogismus habeat virtutem concludendi conclusionem falsam ex præmissis veris. Præmittens igitur, quod præmissæ syllogismi possunt esse, vel simul veræ, vel simul falsæ, vel altera vera, altera falsa, conclusio autem necessario vel est vera, vel falsa, ponit tres conclusiones.

2 Prima conclusio est: non potest ex præmissis veris inferri conclusio falsa.

Secunda conclusio est: potest ex præmissis falsis inferri conclusio vera.

Tertia conclusio est: licet conclusio vera possit inferri ex præmissis falsis, tamen ex præmissis falsis non ostenditur *propter quid* conclusio sit, sed solum, *quod sit*, & non explicatur causa, cur conclusio sit vera, sed solum probatur conclusionem esse veram. Syllogismus enim *propter quid* non potest constare ex præmissis falsis, vt inferius ostendetur.

Pro-

3 Probatur prima conclusio, quod ex præmissis veris non potest inferri conclusio falsa. Ex prima enim regula tradita cap. vlt. libri primi Prior. num.16. cum ex antecedenti necessario sequitur consequens, ex destructione consequentis, sequitur destructio antecedentis: si igitur præmissæ, seu antecedens est verum, & conclusio, seu consequens est falsum, verum est antecedens, & simul est verum contradictorium, seu destructiuum consequentis; sed ex contradictorio, seu destructione consequentis sequitur contradictorium, seu destructio antecedentis; ergo si verum est contradictorium, & destructio consequentis, est etiã verum contradictorium destructiuum antecedentis; sed antecedens supponitur verum; ergo verum est antecedens, & simul est verum contradictorium, & eius destructio, quod est impossibile; ergo est impossibile, vt ex antecedenti vero sequatur necessario consequens, seu conclusio falsa, quia eo ipso esset simul verum antecedens, & eius contradictorium, adeoque idem simul esset, & non esset. Porrò antecedens non est vnica tantum præmissa, sed duplex. Antecedens enim est, ex quo sequitur necessario conclusio; sed conclusio non potest necessario sequi, nisi ex tribus terminis, ac duabus præmissis, seu propositionibus; ergo antecedens constare debet ex duabus saltem præmissis, seu propositionibus. Ex. gr. si dicatur in Barbara; *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis* est impossibile, quod sit vera vtraque præmissa, quin conclusio sit vera, alioquin vtraque præmissa erit vera, & non vtraque erit vera. Vtraque igitur præmissa constituit antecedens, ex quo necessario sequitur conclusio, seu consequens. Idem dic de syllogismis negatiuis.

4 *Ex falsis autem verum est ratiocinari, & vtrisque propositionibus existentibus falsis, & vna. Hac autem non vtralibet, sed secunda, si totam accipiat falsam: si vero non tota accipiatur, est, vtralibet.*

5 *Sit enim A toti C inexistens, eorum autem, quæ B nulli, neque B ipsi C. Contingit autem hoc, vt lapidi nulli animal, & lapis nulli homini. Si igitur acceptum fuerit A omni B, & B omni C, A omni C inerit. Quare ex vtrisque falsis vera conclusio: omnis enim homo animal.*

6 *Similiter autem, & priuatiuum. Est enim A, & B nulli C inesse: A tamen omni B: veluti si eisdem acceptis terminis, medium positum fuerit homo. Lapidi enim & animal, & homo nulli inest: animal vero omni homini. Quare si cui quidem inest, accipit nulli inesse, ex falsis vtrisque vera erit conclusio.*

7 *Consimiliter autem monstrabitur, & si ad aliquid falsa vtraque accepta fuerit.*

4 Probatur iam secunda conclusio, quod ex præmissis falsis possit sequi conclusio vera, discurrendo per omnes figuras, & earum modos. In modis igitur vniuersalibus primæ figuræ, qui sunt Barbara, & Celarent, potest ex falso inferri verum. Potest igitur in dictis modis colligi verum ex falso, & si vtraque præmissa sit falsa totaliter, & si vtraque sit falsa partialiter, & si maior sit vera, minor falsa totaliter, aut partialiter, & si maior sit falsa partialiter, minor vera: si autem maior sit falsa totaliter, minor vera, non potest inferri conclusio vera, sed solum falsa.

5 Primo ergo in Barbara potest conclusio vera, in qua maius extremum sit vniuersalius minori extremo, inferri ex vtraque præmissa totaliter falsa, si sumatur medium extraneum, seu repugnans vtrique extremo. Ex. gr. hæc conclusio, *omnis homo est animal*, est vera, & prædicatum, quod est *animal* est vniuersalius subiecto, quod est *homo*: sumendo igitur pro medio *lapis*, quod est extraneum vtrique extremo, hoc est tum animali, tum homini, concludetur ex vtraque præmissa totaliter falsa, conclusio vera in Barbara sic: *omnis lapis est animal; omnis homo est lapis; ergo omnis homo est animal*. Dicitur verò propositio vniuersalis esse totaliter falsa, cum eius contraria est vera: ex. gr. istæ, *omnis lapis est animal; omnis homo est lapis*; sunt totaliter falsæ, quia veræ sunt earum contrariæ, *nullus lapis est animal; nullus homo est lapis*.

6 Secundo in Celarent potest conclusio vera concludi ex præmissis totaliter falsis, si ad probandam vniuersalem negatiuam de prædicato, quod sit extraneum subiecto, sumatur medium, quod sit inferius maiori extremo, & sit extraneum minori extremo: ex. gr. in ijsdem terminis hæc conclusio vera, *nullus lapis est animal*, probari potest ex præmissis totaliter falsis, sumendo pro medio hominem, qui est inferior

ferior *animali*, quod est maius extremum, & est extraneus lapidi, qui est minus extremum. Dicatur enim: *nullus homo est animal; omnis lapis est homo; ergo nullus lapis est animal*: vtraque præmissa est totaliter falsa, quia contrariæ sunt veræ, & tamen sequitur conclusio vera.

7 Tertio potest in Barbara, & Celarent conclusio vera inferri ex præmissis partialiter falsis, sumendo medium accidentale vtrique extremo: ex. gr. hæc conclusio, *omnis homo est animal*, probabitur ex vtraque præmissa falsa partialiter, sumendo pro medio *album*, quod accidit tum animali, tum homini. Dicatur enim: *omne album est animal; omnis homo est albus; ergo omnis homo est animal*: vtraque præmissa est falsa partialiter, quia etiam contrariæ sunt falsæ, falsum enim est, quod *nullum album sit animal*, & quod *nullus homo sit albus*.

Similiter hæc conclusio vera, *nullus lapis est animal*, probabitur in Celarent ex vtraque præmissa partialiter falsa, sumendo medium accidentale tum animali, tum lapidi, ex. gr. *album*, ac dicendo; *nullum album est animal; omnis lapis est albus; ergo nullus lapis est animal*.

8 *Quòd si altera falsa posita fuerit, prima existente tota falsa, vt ipsa A B, non erit conclusio vera: ipsa vero B C, erit. Dico autem totam falsam contrariam: quemadmodum si nulli inexistens, omni acceptum fuit: aut si omni, nulli inesse. Si enim A B nulli inexistens, B vero C omni: si B C quidem propositionem veram accepero A B autem totam falsam & A inesse omni B, impossibile conclusionem veram esse: nulli enim inerat eorum, quæ C. Siquidem cui B, nulli ipsum A: B vero omni C.*

9 *Consimiliter autẽ neque si A omni B inest, & B ipsi C: accepta vero est B C propositio vera, A B autem falsa tota, & A nulli eorum, quibus B, conclusio falsa erit. Omni enim C inerit ipsum A. Siquidem ipsum A omni cui B: B vero omni C. Planum igitur quòd si prima tota accipiatur falsa, siue affirmatiua, siue priuatiua: altera autem vera, non fit vera conclusio.*

10 *Cùm vero non tota accipitur falsa, erit. Si enim A inest omni C, alicui autem B, B vero omni C: vt animal cygno quidem omni: albo autem alicui, album vero omni cygno si acceptum fuerit A omni B, & B omni C, A omni C inerit vere: omnis enim cygnus animal. Consimiliter & si priuatiuum sit A B. Accidit enim A. B quidem alicui inesse, C vero nulli, B autem omni C: vt animal alicui albo, niui autem nulli, album vero omni niui. Si itaque acceptum fuerit A nulli B, B vero omni C, A nulli C inerit.*

11 *Quòd si A B propositio tota accepta fuerit vera, B C autem tota falsa, erit syllogismus verus. Nil enim prohibet A. B, & C omni inesse. B autem nulli C: vt quæcunque eiusdem generis species non subalternæ. Animal enim & equo, & homini inest, equus vero nulli homini. Si itaque acceptum fuerit A omni B, & B omni C, vera erit conclusio, falsa tota existente B C propositione.*

12 *Consimiliter autem & priuatiua existente A B propositione. Contingit enim A & B, & C nulli: quemadmodum ex alio genere speciebus ipsum genus. Animal enim neque musicæ, neque medicinæ inest, neque musica medicinæ. Si igitur acceptum fuerit A nulli B, B vero omni C, vera erit conclusio.*

13 *Et si B C non tota falsa, sed ad aliquid, & ita erit conclusio vera. Nihil enim prohibet A & B, & C toti inesse: B tamen alicui C: vt genus speciei, ac differentiæ. Animal enim omni homini, & omni pedestri, homo vero alicui pedestri, & non omni. Si igitur A omni B, & B omni C acceptum fuerit, A omni C inerit, quod erat verum. Similiter autem & priuatiua existente A B propositione. Contingit enim A & B, & C nulli inesse, B tamen alicui C: vt genus ex alio genere speciei, & differentiæ. Animal enim neque prudentiæ vlli inest, neque speculatiuæ: prudentia vero alicui speculatiuæ. Si igitur acceptum fuerit A nulli B, B autem omni C, A inerit nulli C. Hoc autem erat verum.*

Explicatis combinationibus, in quibus conclusio vera probatur in Barbara, & Celarent ex vtraque præmissa falsa, explicat combinationes, in quibus in ijsdem modis vniuersalibus, conclusio vera probatur ex altera præmissa vera, altera falsa.

8 Primo ergo in Barbara, & Celarent ex maiori totaliter falsa, & minori vera non potest inferri conclusio vera. Probatur; ac primo dicatur in Barbara; *omne animal est lapis; omnis homo est animal;*

quia maior est totaliter falsa, minor vera, conclusio, qua dicitur; *ergo omnis homo est lapis*, non potest esse vera. Quandoquidem enim maior est falsa totaliter, vera est contraria, quæ est, *nullum animal est lapis*; sed minor, *omnis homo est lapis*, supponitur vera; ergo per argumentum in Celarent ex vtraque præmissa vera sequitur hæc cõclusio vera, quæ est; *ergo nullus homo est lapis*; ergo si vera est etiam illa, *omnis homo est lapis*, veræ sunt contrariæ, quod est impossibile.

9 Eodem pacto probatur, quod etiam in Celarent si maior sit totaliter falsa, & minor vera, non potest inferri conclusio vera. Dicatur enim: *nullus homo est animal; omne risibile est homo; ergo nullum risibile est animal*. Cum enim maior sit totaliter falsa, est vera contraria maioris, quæ est; *omnis homo est animal*; sed ex hac, adiuncta minori, quæ supponitur vera, quæ minor est, *omne risibile est homo*, sequitur in Barbara; *ergo omne risibile est animal*; ergo sequitur, quod sint veræ contrariæ, nimirum; *nullum risibile est animal*; *omne risibile est animal*, quod est impossibile; ergo si maior est totaliter falsa, minor vera, in modis vniuersalibus primæ figuræ, hoc est Barbara, & Celarent, non potest inferri conclusio vera.

10 Secundo in Barbara, & Celarent ex maiori partialiter falsa, minori vera, potest sequi conclusio vera. Probatur propositis exemplis. Si enim dicatur in Barbara; *omne animal est album; omnis Cygnus est animal; ergo omnis Cygnus est albus*; conclusio est vera, & sequitur ex minori vera, maiori partialiter falsa. Hæc enim maior, *omne animal est album*, est falsa solum partialiter, cum etiam eius contraria, quæ est, *nullum animal est album*, sit falsa. Rursus si dicatur in Celarent; *nullum album est animal; omnis nix est alba; ergo nulla nix est animal*: conclusio vera sequitur ex maiori partialiter falsa, minori vera.

11 Tertio in Barbara, & Celarent ex maiori vera, minori falsa, non solum partialiter, sed etiam totaliter, potest inferri conclusio vera. Probatur, quia si genus sit maius extremum, duæ verò species oppositæ eiusdem generis sint medium, & minus extremum, semper poterit fieri syllogismus in Barbara, in quo maior erit vera, minor falsa totaliter, & conclusio vera. Ex. gr. sumendo pro maiori extremo, *animal*, pro medio, & minori extremo, *hominem*, & *equum*, dicetur in Barbara; *omnis homo est animal; omnis equus est homo; ergo omnis equus est animal*; vel, *omnis equus est animal; omnis homo est equus; ergo omnis homo est animal*; in quibus syllogismis ex maiori vera, minori totaliter falsa, sequitur conclusio vera.

12 Rursus, si pro maiori extremo, sumatur genus extraneum duabus speciebus, quarum altera sit medium, altera minus extremum, fiet syllogismus in Celarent, in quo ex maiori vera, minori falsa totaliter, sequitur conclusio vera. Ex. gr. si maius extremum sit *animal*, medium, & minus extremum sint *musica*, & *medicina*, dicetur in Celarent; *nulla musica est animal; omnis medicina est musica; ergo nulla medicina est animal*; vel, *nulla medicina est animal; omnis musica est medicina; ergo nulla musica est animal*: in vtroque autem syllogismo maior est vera, minor totaliter falsa, & conclusio vera, vt patet.

13 Potest etiam ex maiori vera, minori falsa partialiter, sequi conclusio vera in Barbara, & Celarent. Si enim maius extremum sit genus respectu minoris extremi, quod minus extremum sit genus respectu medij, fiet argumentum in Barbara, in quo maior erit vera, minor falsa partialiter, conclusio vera. Ex. gr. si maius extremum sit *animal*, minus extremum sit *gressibile*, medium *homo*, dicetur in Barbara; *omnis homo est animal; omne gressibile est homo; ergo omne gressibile est animal*; in quo syllogismo maior est vera; minor partialiter falsa; conclusio vera. Rursus si minus extremum sit genus respectu medij, maius vero extremum sit extraneum vtrique, fiet syllogismus in Celarent, in quo ex maiori vera, minori falsa partialiter, inferetur conclusio vera: ex. gr. si minus extremum sit *scientia*, medium *prudentia*, maius extremum *animal*, dicetur in Celarent: *nulla prudentia est animal; omnis scientia est prudentia; ergo nulla scientia est animal*, in quo syllogismo maior est vera, minor falsa partialiter, conclusio vera.

14 *In syllogismis vero, qui in parte, contingit. & prima propositione tota falsa, altera autem vera, conclusionem veram esse: & prima existente ad aliquid falsa: & hac quidem vera, illa autem, quæ in parte falsa: & vtrisque falsis.*

Nihil

15 *Nihil enim probibet A nulli quidem B inesse, C vero alicui, & B alicui C: veluti animal nulli niui, albo autem alicui inest, & nix albo alicui. Si igitur medium positum fuerit nix, primum autem animal: & acceptum fuerit A toti B inesse, B vero alicui C: A B quidem tota falsa, B C autem vera, & conclusio vera. Consimiliter autem & priuatiua existente A B propositione. Accidit enim A toti B inesse, C vero alicui non inesse, B tamen alicui C inesse. Vt animal homini quidem omni inest, albo autem alicui non sequitur, homo autem alicui albo inest. Quare si medio posito homine, accipiatur A nulli B inesse, B autem alicui C inesse, vera erit conclusio, falsa existente A B propositione tota.*

16 *Et si ad aliquid falsa A B propositio, erit conclusio vera. Nihil enim probibet A & B, & C alicui inesse, & B alicui C inesse: quemadmodum animal alicui honesto, & alicui magno, & honestum alicui magno inesse. Si igitur acceptum fuerit A omni B, & B alicui C: A B quidem propositio ad aliquid falsa erit, B C autem vera, & conclusio vera. Consimiliter autem, & priuatiua existente A B propositione. Iidem enim termini erunt, & similiter positi ad demonstrationem.*

17 *Rursus si A B quidem vera, B C autem falsa, vera erit conclusio. Nihil enim probibet A B quidem toti inesse, C autem alicui, & B C nulli inesse: quemadmodum animal cygno quidem omni, nigro autem alicui, cygnus vero nulli nigro. Quare si acceptum fuerit A omni B, & B alicui C, vera erit conclusio, falso existente B C. Consimiliter autem, & priuatiua accepta A B propositione. Accidit enim A. B quidem nulli, C vero alicui non inesse, B tamen nulli C: quemadmodum genus speciei ex alio genere, & accidenti speciebus ipsius. Animal enim numero quidem nulli inest, albo autem alicui, numerus autem nulli albo. Si igitur medium positum fuerit numerus, & acceptum fuerit A quidem nulli B, B vero alicui C, A alicui C non inerit, quod erat verum. Et A B quidem propositio vera, B C autem falsa.*

18 *Et si ad aliquid falsa A B, falsa vero B C, erit conclusio vera. Nihil enim prohibet A. B alicui, & C alicui inesse vtrique, B autem nulli C: veluti si B contrarium ipsi C, ambo vero contingentia eidem generi. Animal enim alicui albo, & alicui nigro inest: album autem nulli nigro. Si igitur acceptum fuerit A omni B, & B alicui C, vera erit conclusio. Et si priuatiua accipiatur A B similiter. Iidem enim termini, & similiter ponentur ad demonstrationem.*

19 *Et vtrisque autem falsis existentibus, erit conclusio vera. Accidit enim A. B quidem nulli, C vero alicui inesse, B autem nulli C: quemadmodum genus speciei ex alio genere, & contingenti speciebus ipsius. Animal enim numero quidem nulli, albo autem alicui inest, & numerus nulli albo. Si igitur acceptum fuerit A omni B, & B alicui C, conclusio quidem vera, propositiones autem ambæ falsæ. Similiter, & priuatiua existente A B. Nihil enim prohibet A. B quidem toti inesse, C vero alicui non inesse, & B nulli C: veluti animal cygno quidem omni, nigro autem alicui non inest, cygnus vero nulli nigro. Quare si acceptum fuerit A nulli B, B vero alicui C, A alicui C non inerit. Conclusio igitur vera, propositiones autem falsæ.*

14 Postquam Aristoteles explicauit, quo pacto in modis vniuersalibus primæ figuræ, ex falso possit inferri verum, explicat, quo pacto in modis particularibus ex falso possit inferri verum. Primo ergo ponit regulam, quæ est: in modis particularibus primæ figuræ, qui sunt Darij, & Ferio, ex maiori falsa totaliter, vel partialiter, minori vera, inferri potest conclusio vera: & ex maiori vniuersali vera, minori particulari falsa, inferri potest conclusio vera: & ex vtraque falsa inferri potest conclusio vera.

15 Secundo probat hanc regulam per omnes partes. Primo ergo potest in Darij, & Ferio, maior esse totaliter falsa, minor, & conclusio vera. Ex. gr. si dicatur in Darij; *omnis nix est animal; aliquod album est nix; ergo aliquod album est animal;* maior est totaliter falsa, cum sit vera contraria maioris, si quidem *nulla nix est animal;* minor, & conclusio sunt veræ. Potest idem accidere in Ferio, vt si dicatur; *nullus homo est animal; aliquod album est homo; ergo aliquod album non est animal:* maior est totaliter falsa, minor, & conclusio sunt veræ.

16 Secundo potest in Darij, & Ferio ex maiori falsa solum partialiter, minori vera, sequi conclusio vera. Ex. gr. si dicatur in Darij;

Darij; *omne pulchrum est animal; aliquod magnum est pulchrum; ergo aliquod magnum est animal*; maior est falsa solum partialiter, cum non sit vera contraria; *nullum pulchrum est animal*; minor, & conclusio sunt veræ. Similiter si dicatur in Ferio; *nullum pulchrum est animal; aliquod magnum est pulchrum; ergo aliquod magnum non est animal;* conclusio vera sequitur ex maiori falsa partialiter, minori vera.

17 Tertio potest in Darij, & Ferio ex maiori vera, minori falsa, sequi conclusio vera. Ex. gr. si dicatur in Darij; *omnis cygnus est animal; aliquod nigrum est cygnus; ergo aliquod nigrum est animal*; maior est vera, minor particularis falsa, & conclusio vera. Rursus si dicatur in Ferio; *nullus numerus est animal; aliquod album est numerus; ergo aliquod album non est animal*; maior est vera, minor falsa, conclusio vera. Hoc verò vniuersim accidit, cum maius extremum repugnat medio, sumitur verò vt minus extremum aliquod accidens maioris extremi, repugnans medio, vt in exemplo posito. *Animal* enim, quod est maius extremum, repugnat *numero*, quod est medium; *album* verò, quod est minus extremum, est accidens *animalis* repugnans eidem numero, quod est medium.

18 Quarto potest in Darij, & Ferio ex maiori partialiter falsa, & minori item falsa, inferri conclusio vera: ex. gr. si medium, & minus extremum sint duo contraria, puta album, & nigrum, maius verò extremum sit genus, quod est subiectum commune talium contrariorum, puta animal, fiet sequens syllogismus in Darij; *omne nigrum est animal; aliquod album est nigrum; ergo aliquod album est animal*; in quo maior est falsa partialiter, minor pariter falsa, conclusio est vera. Similiter ex ijsdem termini, fiet sequens syllogismus in Ferio: *nullum nigrum est animal; aliquod album est nigrum; ergo aliquod album non est animal*; in quo ex maiori partialiter falsa, & minori falsa, infertur conclusio vera:

19 Quinto demum potest in Darij, & Ferio ex maiori falsa totaliter, minori pariter falsa, inferri conclusio vera: ex. gr. si sumantur pro maiori extremo, & medio duo genera diuersa, puta numerus pro medio, & animal pro maiori extremo; pro minori vero extremo accidens, vel species maioris extremi, puta album, vel homo, fiet syllogismus in Darij; *omnis numerus est animal; aliquod album, vel aliquis homo est numerus; ergo aliquod album, vel aliquis homo est animal*; in quo syllogismo ex maiori falsa totaliter, & minori itidem falsa, sequitur conclusio vera. Similiter in Ferio, si medium sit cygnus, maius extremum animal, minus extremum nigrum, fiet syllogismus; *nullus cygnus est animal; aliquod nigrum est cygnus; ergo aliquod nigrum non est animal*; in quo ex maiori falsa totaliter, ita vt eius contraria sit vera, & minori itidem falsa, sequitur conclusio vera.

De modis, quibus ex præmissis falsis, infertur conclusio vera in secunda figura. Caput III.

1 IN *media autem figura, omnino accidit per falsa verum ratiocinari: & cum vtraque propositiones totæ falsæ accipiuntur: & cum vtraque ad aliquid: & hac quidem vera, illa autem falsa existente tota, vtralibet posita falsa: & si vtræque ad aliquid falsæ: & si hæc simpliciter vera, illa autem simpliciter falsa: & si hæc tota falsa, illa autem ad aliquid vera: & in vniuersalibus syllogismis, & in ijs, qui sunt in parte.*

2 *Si enim A.B quidem nulli inest, C vero omni: vt animal lapidi quidem nulli, equo autem omni: si è contrario positæ fuerint propositiones, & acceptum fuerit A.B quidem omni, C vero nulli. ex falsis totis propositionibus, vera erit conclusio. Consimiliter, & si B quidem omni, C autem nulli inest A. Idem enim erit syllogismus.*

3 *Rursus si altera quidem tota falsa, altera autem tota vera. Nil enim prohibet A inesse & B, & C omni, B tamen nulli C: vt genus non subalternis speciebus. Animal enim & equo omni, & homini, & nullus homo equus. Si igitur acceptum fuerit, huic quidem omni, illi vero nulli inesse: hæc quidem tota falsa erit, illa autem tota vera, & conclusio vera: ad vtrumlibet posito priuatiuo.*

4 *Et si altera ad aliquid falsa, altera autem*

autem tota vera. Accidit enim A B quidem alicui inesse, C vero omni, B tamen nulli C: vt animal albo alicui, coruo autem omni, & album nulli coruo. Si igitur acceptum fuerit B quidem nulli, C vero toti inesse, A B propositio ad aliquid falsa, A C vero tota vera, & conclusio vera. Et si transponatur priuatiuum, consimiliter. Per eosdem nanque terminos demonstratio.

Et si affirmatiua propositio ad aliquid falsa, priuatiua autem tota vera. Nihil enim prohibet A B quidem alicui inesse, C vero toti non inesse, & B nulli C: vt animal albo quidem alicui, pici autem nulli, & album nulli pici. Quare si acceptum fuerit A toti B inesse, C vero nulli: A B quidem ad aliquid falsa, A C autem tota vera.

5 *Et si ambæ propositiones ad aliquid falsæ, erit conclusio vera. Accidit enim A, & B, & C alicui inesse, B vero nulli C: vt animal & albo alicui, & nigro alicui, album autem nulli nigro. Si igitur acceptum fuerit A. B quidem omni, C vero nulli: ambæ propositiones ad aliquid falsæ, conclusio autem vera. Consimiliter & transposita priuatiua per eosdem terminos.*

1 Postquam Aristoteles ostendit, quo pacto possit in prima figura verum concludi ex falso, descendit ad ostendendum, quo pacto possit etiam verum concludi ex falso in secunda, & tertia figura. Docet ergo, quod in secunda figura potest verum concludi, & ex vtraque præmissa falsa totaliter; & ex vtraque falsa solum partialiter; & ex maiori falsa totaliter, minori partialiter; & ex maiori falsa partialiter, minori totaliter; & ex maiori falsa totaliter, seu partialiter, minori vera; & ex maiori vera, minori falsa, seu totaliter, seu partialiter; & hoc tum in modis vniuersalibus, qui sunt Cesare, & Camestres, tum in particularibus, qui sunt Festino, & Barocco.

2 Primo ergo in modis vniuersalibus secundæ figuræ, hoc est Cesare, & Camestres, potest ex vtraque præmissa totaliter falsa inferri conclusio vera. Si enim aliquod medium, puta animal, ita se habeat ad alios duos terminos, puta lapidem, & equum, vt de altero, hoc est de lapide vniuersaliter negetur, de altero, hoc est de equo vniuersaliter affirmetur, fiet argumentum in Cesare ex veris, quo dicetur: *nullus lapis est animal; omnis equus est animal; ergo nullus equus est lapis*. Si igitur vtraque præmissa mutetur in suam contrariam, ac dicatur; *omnis lapis est animal; nullus equus est animal*; sequitur in Camestres; *ergo nullus equus est lapis*, quæ conclusio est vera, & infertur ex præmissis totaliter falsis. Rursus si dicatur in Camestres; *omnis equus est animal; nullus lapis est animal; ergo nullus lapis est equus*: infertur conclusio vera ex præmissis veris: mutando vtramque præmissam in suam contrariam, ac dicendo; *nullus equus est animal; omnis lapis est animal; ergo nullus lapis est equus*; eadem conclusio vera infertur in Cesare ex præmissis totaliter falsis.

3 Secundo in ijsdem modis vniuersalibus, ex altera præmissa totaliter falsa, siue sit affirmatiua, siue negatiua, altera autem vera, potest inferri conclusio vera: ex. gr. si sumatur pro medio genus, puta *animal*, pro extremis verò duæ species oppositæ talis generis, puta *homo*, & *equus*, de quarum altera negetur genus, de altera affirmetur, negatiua erit falsa totaliter, affirmatiua erit vera, & conclusio erit vera. Dicetur enim in Cesare: *nullus homo est animal; omnis equus est animal; ergo nullus equus est homo*; maior negatiua est totaliter falsa, minor affirmatiua est vera, conclusio est vera. Mutando præmissas in suas contrarias, ac dicendo; *omnis homo est animal; nullus equus est animal; ergo nullus equus est homo*, eadem conclusio vera sequitur in Camestres ex maiori affirmatiua vera, minori negatiua totaliter falsa. Non ponit Aristoteles exemplum, in quo ex affirmatiua totaliter falsa, negatiua vera, sequatur conclusio vera. Accidit autem id semper, cum sumuntur tres termini repugnantes, & extranei, puta homo, equus, lapis. Semper enim negatiua erit vera, affirmatiua falsa totaliter, conclusio vera. Si enim dicatur in Cesare: *nullus homo est lapis; omnis equus est lapis; ergo nullus equus est homo*; maior negatiua est vera; minor affirmatiua totaliter falsa; conclusio vera. Rursus si dicatur in Camestres: *omnis homo est lapis; nullus equus est lapis; ergo nullus equus est homo*; sequitur conclusio vera ex præmissa affirmatiua totaliter falsa, negatiua vera.

4 Tertio in ijsdem modis vniuersalibus, ex altera præmissa partialiter falsa,

siue sit affirmatiua, siue negatiua, altera vera, potest sequi conclusio vera. Possunt enim aliqua extrema, puta album, & coruus, esse inuicem vniuersaliter negabilia, & tamen ita se habere ad aliquod medium, puta animal, vt tale medium de altero extremo sit affirmabile vniuersaliter, de altero affirmabile particulariter, eo pacto, quo animal potest vniuersaliter affirmari de coruo, particulariter de albo. Si ergo animal vniuersaliter affirmetur de coruo, & vniuersaliter negetur de albo, præmissa affirmatiua erit vera, præmissa negatiua erit partialiter falsa, & conclusio erit vera. Dicetur enim in Cesare; *nullum album est animal; omnis coruus est animal; ergo nullus coruus est albus*; vel in Camestres; *omnis coruus est animal; nullum album est animal; ergo nullum album est coruus*. Rursus potest aliquod medium ita se habere ad duo extrema vniuersaliter negabilia ad inuicem, puta picem, & album, vt de altero sit negabile vniuersaliter, de altero affirmabile particulariter. Si igitur tale medium affirmetur vniuersaliter de illo extremo, de quo est affirmabile solum particulariter, ex negatiua vera, affirmatiua partialiter falsa, inferetur conclusio vera in Cesare, vel in Camestres: in Cesare quidem sic; *nulla pix est animal; omne album est animal; ergo nullum album est pix*: in Camestres autem sic; *omne album est animal; nulla pix est animal; ergo nulla pix est alba*.

5 Quarto: in iisdem modis vniuersalibus, potest conclusio vera inferri ex vtraque præmissa partialiter falsa. Potest enim aliquod medium, puta animal ita se habere ad duo extrema vniuersaliter negabilia ad inuicem, puta album, & nigrum, vt de vtroque sit affirmabile solum particulariter. Si ergo de altero affirmetur vniuersaliter, de altero vniuersaliter negetur, vtraque præmissa erit falsa partialiter, & tamen conclusio erit vera. Dicetur enim in Cesare; *nullum album est animal; omne nigrum est animal; ergo nullum nigrum est album*. Vel mutando præmissas in suas contrarias dicetur in Camestres: *omne album est animal; nullum nigrum est animal; ergo nullum nigrum est album*: in vtroque vero casu vtraque præmissa est falsa partialiter, & conclusio est vera.

6 *Manifestum vero, & in syllogismus in parte. Nihil enim prohibet AB quidem omni, C autem alicui inesse, & B alicui C non inesse: vt animal omni homini, albo verò alicui, homo autem alicui albo non inerit. Si igitur positum fuerit A. B quidem nulli inesse, C vero alicui inesse: vniuersalis propositio tota falsa, quæ autem in parte vera, & conclusio vera.*

Consimiliter vero, & cum affirmatiua accipitur AB. Accidit enim AB quidem nulli, C autem alicui non inesse: & BC alicui non inesse: vt animal nulli inanimato, albo vero alicui, & inanimatum non inerit alicui albo. Si itaque positum fuerit AB quidem omni, C vero alicui non inesse: AB quidem propositio vniuersalis tota falsa, AC autem vera, & conclusio vera.

7 *Et si vniuersalis vera quidem posita fuerit, quæ vero in parte falsa. Nihil enim prohibet A & B, & C nullum sequi, B tamen alicui C non inesse: vt animal nullum numerum, & inanimatum, & numerus aliquod inanimatum non sequitur. Si igitur positum fuerit A. B quidem nulli, C vero alicui: conclusio quidem erit vera, & vniuersalis propositio; quæ autem in parte, falsa. Et cùm affirmatiua ponitur vniuersalis, consimiliter. Accidit enim A & B, & C toti inesse, B tamen non sequi aliquod C; vt genus speciem, & differentiam. Animal enim omnem hominem, & totum pedestre sequitur, homo autem non omne pedestre. Quare, si acceptum fuerit A.B quidem toti inesse: vniuersalis quidem propositio vera, quæ autem in parte, falsa, conclusio autem vera.*

8 *Planum vero, & quòd ex ambabus falsis erit conclusio vera. Siquidem contingit A & B, & C toti inesse; B tamen aliquod C non sequi. Si enim acceptum fuerit A.B quidem nulli, C vero alicui inesse, propositiones quidem ambæ falsæ, conclusio autem vera. Consimiliter vero & cùm vniuersalis propositio est prædicatiua, quæ autem in parte, priuatiua. Accidit nanque A nullum quidem B, C vero omne sequi, & B alicui C non inesse. Vt animal scientiam quidem nullam, hominem vero omnem sequitur, scientia autem non omnem hominem. Si igitur acceptum sit A.B quidem toti inesse, C autem aliquod non sequi: propositiones quidem falsæ, sed conclusio vera.*

6 Quinto: in modis particularibus se-

cundæ figuræ, qui sunt Festino, & Barocco, potest ex maiori vniuersali totaliter falsa, minori autem vera, inferri conclusio vera. Potest enim aliquod medium, puta animal ita se habere ad duo extrema particulariter negabilia ad inuicem, puta hominem, & album, vt alteri conueniat vniuersaliter, alteri particulariter, eo pacto, quo animal dicitur vniuersaliter de homine, particulariter de albo. Si ergo animal vniuersaliter negetur de homine, particulariter affirmetur de albo, fiet syllogismus in Festino, & dicetur; *nullus homo est animal; aliquod album est animal; ergo aliquod album non est homo*, in quo syllogismo conclusio vera infertur ex maiori totaliter falsa, minori autem vera. Potest rursus aliquod medium, vt animal, ita se habere ad duo extrema particulariter ad inuicem negabilia, puta album, & inanimatum, vt de altero, hoc est de inanimato sit vniuersaliter negabile, de altero, hoc est de albo, sit particulariter affirmabile. Si igitur animal vniuersaliter affirmetur de inanimato, particulariter negetur de albo, fiet syllogismus in Barocco, & dicetur; *omne inanimatum est animal; aliquod album non est animal; ergo aliquod album non est inanimatum*; in quo ex maiori falsa totaliter, minori vera, infertur conclusio vera.

7 Sexto in ijsdem modis particularibus ex maiori vniuersali vera, minori particulari falsa potest inferri conclusio vera. Potest enim aliquod medium, ex. gr. animal esse vniuersaliter negabile de duobus extremis particulariter negabilibus ad inuicem, puta de inanimato, & numero. Tum igitur, si dicatur in Festino; *nullus numerus est animal; aliquod inanimatum est animal; ergo aliquod inanimatum non est numerus*; ex maiori vniuersali vera, minori particulari falsa, sequitur conclusio vera. Rursus potest aliquod medium, puta animal esse vniuersaliter affirmabile de duobus extremis inferioribus, puta de gressibili, & homine, quorum vnum sit particulariter negabile de altero, eo pacto, quo homo est particulariter negabile de gressibili. Tum igitur potest fieri syllogismus in Barocco; *omnis homo est animal; aliquod gressibile non est animal; ergo aliquod gressibile non est homo*, in quo ex maiori vniuersali vera, minori particulari falsa, infertur conclusio vera.

8 Septimo demum in ijsdem modis particularibus ex vtraque præmissa falsa potest inferri conclusio vera, etiamsi maior vniuersalis sit falsa totaliter. Potest enim aliquod medium, ex. gr. animal ita comparari cum duobus extremis particulariter negabilibus ad inuicem, ex. gr. cum homine, & Angelo, vt de altero sit vniuersaliter negabile, de altero vniuersaliter affirmabile: animal enim est vniuersaliter negabile de Angelo, vniuersaliter affirmabile de homine. Si igitur animal vniuersaliter negetur de homine, particulariter affirmetur de Angelo, fiet syllogismus in Festino, in quo ex maiori totaliter falsa, minori itidem falsa, inferetur conclusio vera dicendo; ***nullus homo est animal; aliquis Angelus est animal; ergo aliquis Angelus non est homo.*** Si verò dicatur; ***omnis Angelus est animal; aliquis homo non est animal; ergo aliquis homo non est Angelus***, vel vt ponam exemplum Aristotelis; ***omnis scientia est animal; aliquis homo non est animal; ergo aliquis homo non est scientia***, fiet syllogismus in Barocco, in quo ex maiori vniuersali totaliter falsa, minori itidem falsa, infertur conclusio vera.

De Modis, quibus ex præmissis falsis infertur conclusio vera in tertia figura. Cap. IV.

1 *ERit autem & vltima figura per falsas totas: & ad aliquid vtraque: & altera quidem vera tota, altera vero falsa: & hæc ad aliquid falsa, illa autem tota vera, & è conuerso: & quotcunque modis aliter contingit transumere propositiones.*

2 *Nihil enim prohibet, & A, & B nulli C inesse: veluti, & homo, & pedestre nullum inanimatum sequitur, homo tamen alicui pedestri inest. Si igitur acceptum fuerit A, & B omni C inesse, propositiones quidem totæ falsæ, conclusio autem vera. Consimiliter vero, & hac quidem priuatiua, illa autem affirmatiua existente. Accidit enim B quidem nulli C inesse, ipsum vero A omni, & A alicui B non inesse: vt nigrum nulli cygno, animal autem omni, & animal non omni nigro. Quare si acceptum fuerit B omni C, ipsum vero A nulli, A alicui B non inerit: & conclusio*

quidem vera, propositiones autem falsa.

3 *Et si ad aliquid vtraque falsa, erit conclusio vera. Nihil enim probibet & A, & B alicui C inesse, & A alicui B: vt album, & honestum alicui animali inest, & album alicui honesto. Si igitur positum fuerit A, & B omni C inesse: propositiones quidem ad aliquid falsæ, conclusio autem vera. Sed & cùm A C priuatiua ponitur, consimiliter. Nihil enim probibet A quidem alicui C non inesse, ipsum vero B alicui inesse, & A B non omni inesse: vt honestum alicui animali non inest, album vero alicui inest, & album non omni honesto. Quare si acceptum fuerit, A quidem nulli C, ipsum vero B omni: ambæ propositiones ad aliquid falsæ, conclusio autem vera.*

1 EXplicat demum Aristoteles modos, quibus ex præmissis falsis infertur conclusio vera in tertia figura. Docet igitur, quod in tertia figura potest ex præmissis falsis inferri conclusio vera; siue vtraque præmissa sit falsa totaliter; siue vtraque sit falsa partialiter; siue maior sit falsa totaliter, minor partialiter; siue maior sit falsa partialiter, minor totaliter; siue altera tantum sit falsa totaliter, aut partialiter, & hæc siue sit maior, siue minor, & quomodocunque combinentur.

2 Primo igitur in modis vniuersalibus, qui sunt Darapti, & Felapton, potest ex vtraque præmissa totaliter falsa inferri cõclusio vera. Possunt enim duo extrema inuicem affirmabilia particulariter, puta *homo*, & *gressibile*, esse inuicem negabilia de aliquo medio, ex. gr. de inanimato. Si igitur vniuersaliter affirmentur de tali medio, fiet syllogismus in Darapti; *omne inanimatum est homo; omne inanimatum est gressibile; ergo aliquod gressibile est homo*; in quo vtraque præmissa est totaliter falsa, conclusio vera. Rursus possunt duo extrema inuicem particulariter negabilia, ex. gr. animal, & nigrum ita comparari cum aliquo medio, ex. gr. cum cygno, vt alterum, hoc est animal, sit de cygno vniuersaliter affirmabile, alterum, hoc est nigrum, sit de cygno vniuersaliter negabile. Si ergo animal vniuersaliter negetur de cygno, nigrum vniuersaliter affirmetur de cygno, fiet syllogismus in Felapton, & dicetur; *nullus cygnus est animal; omnis cygnus est niger; ergo aliquod nigrum non est animal*, in quo conclusio vera infertur ex vtraque præmissa totaliter falsa.

3 Secundo in ijsdem modis vniuersalibus potest ex vtraque præmissa partialiter falsa inferri conclusio vera. Possunt enim duo extrema inuicem particulariter affirmabilia, ex. gr. album, & pulchrum, esse etiam solum particulariter affirmabilia de aliquo medio, ex. gr. de animali. Si ergo de tali medio affirmentur vniuersaliter, & dicatur in Darapti; *omne animal est album; omne animal est pulchrum; ergo aliquod pulchrum est album*, vtraque præmissa erit partialiter falsa, & conclusio erit vera. Si verò dicatur; *nullum animal est album; omne animal est pulchrum; ergo aliquod pulchrum non est album*; ex ijsdem terminis fiet syllogismus in Felapton, in quo vtraque præmissa est falsa solum partialiter, conclusio autem est vera.

4 *Consimiliter vero & cùm hæc quidem tota falsa, illa autem tota vera accipitur. Accidit enim, & A, & B sequi omni C, A tamen alicui B non inesse: vt animal, & album omnem cygnum sequitur, animal tamen non omni inest albo. His igitur positis terminis, si acceptum fuerit, B quidem toti C inesse, A vero toti non inesse: B C quidem tota erit vera, A C autem tota falsa, & conclusio vera. Consimiliter vero, & si B C quidem falsum, A C autem verum. Iidem enim termini ad demonstrationem, nigrum, cygnus, inanimatum.*

5 *Sed & si ambæ accipiantur affirmatiuæ. Nihil enim probibet, B quidem sequi omne C, ipsum vero A toti non inesse, & A alicui B inesse: vt animal omni cygno, nigrum autem nulli cygno, & nigrum inest alicui animali. Quare si acceptum fuerit A, & B omni C inesse: B C quidem tota vera, A C autem tota falsa, & conclusio vera. Sed consimiliter & cum A C accepta fuerit vera. Per eosdem nanque terminos demonstratio.*

6 *Rursus & cùm hæc quidem tota vera extiterit, illa autem ad aliquid falsa. Accidit enim B quidem omni C inesse, A verò alicui, & alicui B: vt bipes quidem omni homini, honestum autem non omni, & honestum alicui bipedi inest. Si igitur acceptum fuerit, & A, & B toti C inesse: B C quidem tota vera, A C autem ad aliquid falsa, sed conclusio vera. Consimiliter autem.*

autem, & si A C vera, & B C falsa accipiatur. Iisdem nanque terminis transpositis erit demonstratio. Et si hæc priuatiua, illa autem affirmatiua sit. Quoniam enim accidit B quidem toti C inesse, A vero alicui, quando sic se habent, A non omni B. Si acceptum igitur fuerit B quidem toti C inesse, A vero nulli: priuatiua quidem ad aliquid falsa, altera autem tota vera, & conclusio. Rursus, quoniam monstratum est, quòd cùm A nulli inest C, ipsum vero B alicui, accidit A alicui B non inesse: planum, quòd & cùm A C tota vera sit, B C autem ad aliquid falsa, accidit conclusionem veram esse. Si enim acceptum fuerit A nulli C, ipsum vero B omni: A C quidem tota vera, B C autem ad aliquid falsa.

7 *Cæterum, & in syllogismis in parte manifestum, quòd omnino erit verum per falsa. Iidem enim termini accipiendi, & quando vniuersales sint propositiones: qui quidem in affirmatiuis, affirmatiui, qui vero in priuatiuis, priuatiui. Nihil enim differt, cùm nulli insit omni accipere inesse: et si alicui inerat, vniuersaliter capere ad terminorum expositionem. Itidem et in priuatiuis.*

4 Tertio in ijsdem modis vniuersalibus ex altera totaliter falsa, seu sit maior, seu minor, altera autem vera, potest inferri conclusio vera. Possunt enim duo extrema inuicem particulariter negabilia, puta animal, & album, ita comparari cum altero medio, ex. gr. cum cygno, vt vtrumque sit vniuersaliter affirmabile de cygno. Si ergo alterum negetur, alterum affirmetur de cygno, dicetur in Felapton; *nullus cygnus est albus; omnis cygnus est animal; ergo aliquod animal non est album*; in quo syllogismo ex maiori totaliter falsa, minori vera, sequitur conclusio vera. Rursus possunt duo extrema inuicem particulariter negabilia: ex. gr. nigrum, & inanimatum esse vniuersaliter negabilia de medio, puta de cygno. Tum igitur si alterum vniuersaliter negetur, alterum vniuersaliter affirmetur de tali medio, hoc est de cygno, fiet syllogismus sequens in Felapton; *nullus cygnus est niger; omnis cygnus est inanimatus; ergo aliquod inanimatum non est nigrũ*, in quo ex maiori vera, minori totaliter falsa, infertur conclusio vera.

5 Etiam in Darapti potest ex maiori falsa totaliter, minori vera; vel ex maiori vera, minori totaliter falsa inferri conclusio vera. Possunt enim duo extrema particulariter affirmabilia ad inuicem ex. gr. animal, & nigrum ita comparari cum aliquo medio, ex. gr. cum cygno, vt de eo alterum, hoc est animal sit vniuersaliter affirmabile, alterum hoc est nigrum sit vniuersaliter negabile. Si igitur vtrumque vniuersaliter affirmetur de cygno, & dicatur in Darapti; *omnis cygnus est niger; omnis cygnus est animal; ergo aliquod animal est nigrum*, ex maiori falsa totaliter, minori vera inferetur conclusio vera. Si rursus dicatur: *omnis cygnus est animal; omnis cygnus est niger; ergo aliquod nigrum est animal*; ex maiori vera, minori totaliter falsa, inferetur conclusio vera.

6 Quarto in ijsdem modis vniuersalibus tertiæ figuræ potest ex altera præmissa, seu maiori, seu minori partialiter falsa, altera autem vera, inferri conclusio vera. Possunt enim duo termini inuicem affirmabiles particulariter, ex. gr. bipes, & pulchrum ita comparari ad aliquod medium, ex. gr. hominem, vt alter, puta bipes, sit de homine affirmabilis vniuersaliter, alter, puta pulchrum, sit de homine negabilis particulariter; sed tum si vterque terminus de homine affirmetur vniuersaliter, fiet sequens syllogismus in Darapti: *omnis homo est bipes; omnis homo est pulcher; ergo aliquod pulchrum est bipes*, in quo maior est vera, minor partialiter falsa, conclusio vera: vel fiet hic alius syllogismus similiter in Darapti; *omnis homo est pulcher; omnis homo est bipes; ergo aliquod bipes est pulchrum*; in quo maior est partialiter falsa, minor vera, & conclusio vera; ergo in Darapti ex altera præmissa vera, altera partialiter falsa, siue maiori, siue minori potest inferri conclusio vera. Rursus possunt duo termini inuicem particulariter negabiles, vt bipes, & pulchrum, ita se habere ad aliquod medium, puta quadrupes, vt de ipso alterum, puta bipes sit vniuersaliter negabile, alterum, puta pulchrum sit affirmabile solum particulariter; sed tum fiet sequens syllogismus in Felapton; *nullum quadrupes est bipes; omne quadrupes est pulchrum; ergo aliquod pulchrum est bipes*; in quo maior est vera, minor partialiter falsa, & conclusio vera; ergo potest in Felapton ex maiori vera, minori partialiter falsa, inferri conclusio vera. Si verò dicatur; *nullum quadrupes est pulchrum; omne qua-*

quadrupes est gressibile; ergo aliquod gressibile non est pulchrum; maior erit partialiter falsa, minor vera, & conclusio vera.

7 Quinto, eodem pacto potest in syllogismis particularibus tertiæ figuræ, qui sunt Disamis, Datisi, Boccardo, & Ferison, inferri conclusio vera ex præmissis, vel vtraque falsa, vel altera tantum, vel ita vt vniuersalis sit totaliter falsa, vel ita vt sit falsa solum partialiter. Sumi enim debent termini proportionaliter, sicut in syllogismis vniuersalibus, ac proportionaliter debent combinari, idque tum in syllogismis affirmatiuis, tum in negatiuis.

8 *Planum igitur, quòd si quidem sit conclusio falsa, necesse est falsa esse ex quibus est ratio, aut omnia, aut quædam: quando autem vera, non necesse est verum esse, neque aliquid, neque omnia: sed est, cùm nullum eorum, quæ in syllogismo verum sit, conclusionem consimiliter veram esse.*

9 *Non ex necessitate tamen. Causa autem: quoniam quando duo sic se inuicem habeant, vt cùm ex necessitate alterum sit, ex necessitate alterum existat: cùm hoc quidem non sit, neque alterum erit: cùm autem sit, non necesse alterum esse.*

10 *Sed cùm idem sit, & non sit, impossibile ex necessitate esse idem. Dico autem, vt cùm sit A album, B esse ex necessitate: & cùm non sit album A, B esse ex necessitate. Quando enim cùm hoc sit album A, necesse est hoc magnum esse B: cùm vero magnum B sit, C non album: necesse est si A album, C non esse album. Et quando duobus existentibus, altero existente, necesse est alterum esse: hoc non existente, necesse est A non esse: B vero non existente magno, potest A album esse: A vero non existente albo, si necesse est B magnum esse, accidit ex necessitate, B magno non existente, ipsum B magnum esse. Hoc autem impossibile. Si enim B non est magnum, A non erit album ex necessitate. Si igitur non existente hoc albo, B erit magnum, accidit. si B non est magnum, esse magnum, tanquam per tria.*

8 Ex dictis patet, quod cum conclusio est falsa, necesse est omnes, vel aliquam saltem præmissam esse falsam. Ex vero enim non potest necessario sequi falsum; ergo si conclusio est falsa, aliqua saltem præmissa est falsa. E conuerso, si conclusio est vera, non est necesse, vt vtraque vel altera præmissa sit vera. Potest enim verum sequi ex falso, imo potest ex vtraque præmissa falsa, sequi conclusio vera, vt ostensum est.

9 Licet tamen possit ex præmissis falsis sequi necessario conclusio vera, non tamen potest conclusio vera sequi necessario ex præmissis falsis, ita vt sequatur, quia præmissæ sunt falsæ, ideoque conclusio vera non potest sequi ex præmissis falsis, vt falsis, sed solum materialiter, & per accidens; & hæc est tertia conclusio posita cap. 2. num. 2. quod conclusio vera non sequitur ex præmissis falsis *propter quid*.

Vt probetur hæc tertia conclusio, quod nimirum conclusio vera non potest sequi ex præmissis falsis, quia sunt falsæ, reuocandum est in memoriam principium positum lib. 1. Prior. cap. vlt. num. 6. quod cum ex antecedenti necessario sequitur consequens, ex contradictorio, seu destructiuo consequentis, necessario sequitur contradictorium, seu destructio antecedentis: non autem è conuerso ex contradictorio, seu destructione antecedentis, sequitur contradictorium, seu destructio consequentis.

10 Hoc posito, est impossibile vt consequens, quod necessario sequitur ex aliquo antecedenti, sequatur etiam necessario ex contradictorio, seu falsitate, & destructione talis antecedentis; sed si cum ex antecedenti falso, sequitur consequens verum, consequens sequeretur ex falsitate antecedentis, consequens sequeretur necessario tum ex antecedenti, tum ex eius contradictorio, & falsitate; ergo est impossibile, vt consequens, quod necessario sequitur ex aliquo antecedenti, sequatur ex eius falsitate. Probatur, & explicatur maior. Impossibile enim est, vt valeat *si A est album*; B *est magnum*; & valeat etiam *si A non est album*, B *est magnum*. Probatur: si enim valeret, valeret etiam; *si A est magnum, A non est magnum*, adeoque ex vno contradictorio, sequeretur necessario aliud contradictorium, quod est impossibile. Probatur antecedens, siue eius sequela: quod enim necessario sequitur ex consequenti, necessario etiam à primo ad vltimum sequitur ex antecedenti: ex. gr. valet: *si A est album*, B *est magnum*; *sed si B est magnum, C non est album*; *ergo à primo ad vltimum si A est album, C non est album*; ergo proportionaliter valet, *si A est album, B est magnum*; *ergo si* B *non est magnum*, *A*

non

non est album ; ergo si B non est magnum, B est magnum. Probatur vltima consequentia : *si* B *non est magnum , A non est album* ; cum enim ex antecedenti sequitur consequens, ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis ; sed *si A non est album , B est magnum* , vt supponitur : supponitur enim valere simul , *si A est album*, B *est magnum, & si A non est album, B est magnum : ergo à primo ad vltimum si* B *non est magnum, B est magnum* , quod repugnat ; ergo impossibile est , vt conclusio vera sequatur ex præmissis falsis , quia sunt falsæ , alioquin sequeretur ex affirmatione, & negatione eiusdem , & vnum contradictorium sequeretur ex altero contradictorio , quod est impossibile .

De circulari syllogismo in prima figura. Cap. V.

1 *CIrculo autem , & ex se inuicem monstrare , est per conclusionem , & eo , quod prædicatione retrouersum se habet, alteram accipientem propositionem, concludere reliquam, quam accipiebat in altero syllogismo . Quemadmodum si oportebat monstrare, quòd A omni C inest : monstrauit autem per B . Rursus , si ostenderet, quòd A inest ipsi B , accipiens A ipsi C inesse* : C *vero ipsi B : & A ipsi B . Prius autem e conuerso accipiebat B inesse ipsi C. Aut si oportet monstrare , quòd B inest ipsi C . Accipiat A de C , quæ erat conclusio : B vero de A inesse . Sed prius acceptum fuerat e conuerso, A de B .*

2 *Aliter autem non est ex seinuicem ostendere. Siue enim aliud medium accipiet , non circulo: nihil enim accipitur ex ijs, quæ eadem sunt, siue horum aliquid, necesse alterum solum . Si nanque ambo, eadem erit conclusio . Oportet autem alterum .*

3 *In ijs igitur , quæ non conuertuntur , ex indemonstrabili altera propositione fit syllogismus . Non enim est demonstrare per hos terminos, quòd medio tertium inest, aut primo medium .*

POstquam Aristoteles explicauit virtutes præmissarum , ex quibus constat syllogismus , per quas virtutes possunt eædem præmissæ concludere plures conclusiones , & possunt præmissæ falsæ concludere conclusiones veras , explicat virtutem conclusionis , quæ infertur in syllogismo , quæ virtus est , vt possint ex conclusione veluti quodam circulo probari præmissæ . Primo igitur explicat, quid sit probatio circularis : secundo ostendit probationem circularem non fieri , nisi in terminis conuertibilibus : tertio explicat , quo pacto fiat syllogismus circularis in modis tum vniuersalibus , tum particularibus , tum affirmatiuis , tum negatiuis primæ figuræ .

1 Quoad primum : probatio circularis est , per quam ex conclusione , & conuersa vnius præmissæ, probatur altera præmissa . Ex.gr. sit syllogismus , in quo probatum sit omnem hominem esse risibilem , per rationale , dicendo : *omne rationale est risibile ; omnis homo est rationalis ; ergo omnis homo est risibilis* : potest ex conclusione, & conuersa minoris probari maior , dicendo ; *omnis homo est risibilis ; omne rationale est homo ; ergo omne rationale est risibile* . Potest similiter ex eadem conclusione, & conuersa maioris probari minor , dicendo ; *omne risibile est rationale ; omnis homo est risibilis ; ergo omnis homo est rationalis* .

2 Addit Aristoteles , quod probatio circularis non potest aliter fieri . Probat : vel enim ad probandas præmissas sumitur medium diuersum à tribus terminis syllogismi ; & cum hoc medium non contineatur in conclusione , iam conclusio non assumetur ad probandam præmissam : in omni enim præmissa syllogismi debet inesse medium ; sed si præmissa non probatur per conclusionem , non est probatio circularis ; ergo assumendo pro medio quartum terminum , non potest fieri probatio circularis : si assumatur vtraque præmissa , sequetur eadem conclusio , adeoque non inferetur circulariter altera præmissarum , quod requiritur ad probationem circularem ; ergo necesse est , vt probatio circularis constet ex ijsdem terminis , & ex conclusione , atque altera præmissarum , & sic inferat reliquam .

3 Quoad secundum : probatio circularis non potest fieri, nisi in terminis conuertibilibus . Si enim termini non sint conuertibiles , vt in hoc syllogismo ; *omne animal est viuens ; omnis homo est animal ; ergo omnis homo est viuens* ; ad probandas præmissas debent sumi aliæ propositiones , & alij

rem conuerſam; ſecundo minor probatur per concluſionem, & maiorem conuerſam, vt explicatum eſt num. 2. Sed probandæ ſunt maior, & minor conuertentes. Maior conuertens, quæ eſt, *omne riſibile eſt rationale*, probatur per minorem, & concluſionis conuertentem, dicendo; *omnis homo eſt rationalis; omne riſibile eſt homo; ergo omne riſibile eſt rationale*. Minor conuertens, quæ eſt, *omne rationale eſt homo*, probatur per conuertentem concluſionis, & maiorem, dicendo; *omne riſibile eſt homo; omne rationale eſt riſibile; ergo omne rationale eſt homo*. In vtroque hoc ſyllogiſmo concluſio conuertens, quæ eſt, *omne riſibile eſt homo*, adhuc non eſt probata. Probari igitur poteſt talis concluſio conuertens per conuertentem minoris, & maioris, dicendo; *omne rationale eſt homo; omne riſibile eſt rationale; ergo omne riſibile eſt homo*; ergo patet quod in terminis conuertibilibus, & in Barbara, poſſunt omnes ſex propoſitiones, præmiſſæ nimirum, & concluſio, & earum conuertentes probari per ſe inuicem, nullam ſumendo propoſitionem non probatam, cum in terminis non conuertibilibus id fieri nequeat, vt dictum eſt num. 4.

5 Secundo ſit ſyllogiſmus in Celarent; *nullum rationale eſt irrationale; omnis homo eſt rationalis; ergo nullus homo eſt irrationalis*: maior poteſt probari ex concluſione, & conuerſa minoris, ſic; *nullus homo eſt irrationalis; omne rationale eſt homo; ergo nullum rationale eſt irrationale*. Ad probandam minorem affirmatiuam, non ſufficit ſumere concluſionem, & conuertere maiorem: nàm hoc pacto vtraque præmiſſa erit negatiua, adeoque non ſequetur concluſio affirmatiua. Debent igitur minor, & concluſio conuerti in affirmatiuas, ſic; *omne, de quo negatur vniuerſaliter irrationale, eſt rationale; ſed de omni homine negatur vniuerſaliter irrationale; ergo omnis homo eſt rationalis*; ergo patet, quod in Celarent hæc tria poſſunt circulo probari, concluſio nimirum ex præmiſſis, & ex concluſione præmiſſæ.

6 Tertio in Darij non poteſt per concluſionem circulariter probari maior vniuerſalis affirmatiua, poteſt minor particularis. Maior vniuerſalis probari non poteſt circulariter, quia deberet probari per concluſionem, & conuerſam minoris; ſed per concluſionem probari nequit, quia concluſio eſt particularis; vniuerſalis autem probari non poteſt per particularem; per conuerſam minoris probari nequit, quia minor particularis conuertitur in aliam particularem; ergo ex concluſione, & conuerſa minoris fiunt duæ præmiſſæ particulares, ex quibus nihil ſequitur. At minor particularis circulariter probari poteſt. Sit enim ſyllogiſmus in Darij; *omne rationale eſt riſibile; aliquod animal eſt rationale; ergo aliquod animal eſt riſibile*: ex conuerſa maioris, & concluſione probatur minor, ſic; *omne riſibile eſt rationale; aliquod animal eſt riſibile; ergo aliquod animal eſt rationale*.

7 Quarto in Ferio maior vniuerſalis negatiua non poteſt circulariter probari ex ratione allata num.6.: minor particularis affirmatiua probari poteſt circulariter conuertendo maiorem in affirmatiuam, vt dictum eſt num. 6. Sit enim ſyllogiſmus in Ferio; *nullum rationale eſt irrationale; aliquod animal eſt rationale; ergo aliquod animal non eſt irrationale*: minor probari poteſt, ſic: *omne, de quo negatur quodlibet irrationale, eſt rationale; aliquod animal non eſt irrationale, adeoque de aliquo animali negatur quodlibet irrationale; ergo aliquod animal eſt rationale*. Niſi verò fiat talis conuerſio propoſitionum negatiuarum in affirmatiuas, probari non poteſt minor affirmatiua, quia propoſitio affirmatiua probari non poteſt, niſi ex vtraque præmiſſa affirmatiua.

De circulari ſyllogiſmo in ſecunda figura. Cap. VI.

1 *IN ſecunda autem figura, affirmatiuum quidem non eſt monſtrare per hunc modum, priuatiuum vero eſt. Prædicatiuum igitur non monſtratur eo quòd amba propoſitiones non ſunt affirmatiuæ, concluſio autem eſt priuatiua: ſed prædicatiuum ex ambabus monſtrabatur affirmatiuis.*

2 *Priuatiuum vero ſic monſtratur. Inſit* A *omni* B: *nulli autem* C: *concluſio* B *nulli* C. *Si igitur acceptum fuerit* B *omni* A *ineſſe neceſſe eſt* A *nulli* C *ineſſe. Fit enim ſecunda figura: medium* B. *Sin autem* A B *priuatiuum acceptum fuerit, alterum vero prædicatiuum, prima erit figura:* C

qui-

quidem omni A : B *autem nulli* C : *quare* B *nulli* A : *neque igitur* B *ipsi ipsum* A. *Per conclusionem igitur, & vnam propositionem non fit syllogismus : accepta autem altera, erit.*

3 *Si vero non vniuersalis syllogismus, in toto quidem propositio non demonstratur ob eandem causam, quam diximus, & prius: quæ autem est in parte monstratur, quando sit vniuersale prædicatiuum. Insit enim* A *omni* B : C *vero non omni : conclusio* B C. *Si itaque acceptum fuerit* B *omni* A : C *autem non omni :* A *alicui* C *non inest : medium* B. *Quòd si est vniuersalis priuatiua, non demonstrabitur* A C *propositio, conuerso* A B : *accidit enim aut vtrasque, aut alteram propositionem fieri negatiuam: quare non erit syllogismus. Sed consimiliter monstrabitur, quemadmodum & in vniuersalibus, si acceptum fuerit, cui* B *alicui non inest*, A *alicui inesse*.

1 Explicato syllogismo circulari in prima figura, explicat Aristoteles syllogismum circularem in secunda figura. Ponit ergo duas conclusiones.

Prima conclusio est : in secunda figura non potest præmissa affirmatiua probari circulariter. Probatur, quia propositio affirmatiua non potest probari, nisi ex ambabus præmissis affirmatiuis ; sed ad probandam præmissam affirmatiuam circulariter deberet assumi conclusio, quæ est negatiua; ergo &c. Non tamen negat Aristoteles posse probari præmissam affirmatiuam, mutando conclusionem negatiuam in affirmatiuam, vt dictum est cap. 5. num. 6. & 8.

2 Secunda conclusio est : potest in secunda figura probari circulariter præmissa negatiua. Probatur discurrendo per modos, tum vniuersales, tum particulares. Primo in Camestres minor probatur per conclusionem, & conuersam maioris. Sit enim syllogismus in Camestres : *omnis homo est rationalis ; nullus equus est rationalis ; ergo nullus equus est homo* : ex conuersa maioris, cuius termini supponuntur conuertibiles, & ex conclusione probatur minor sic : *omne rationale est homo ; nullus equus est homo ; ergo nullus equus est rationalis*. Secundo in Cesare maior probatur per conclusionem, & conuersam minoris. Sit enim syllogismus in Cesare : *nullus equus est rationalis; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est equus* : ex conclusione, & conuersa minoris, fit syllogismus in Celarent : *Nullus homo est equus ; omne rationale est homo ; ergo nullum rationale est equus ; ergo nullus equus est rationalis*. Ad concludendam ergo maiorem, non sufficit conclusio, & conuersa minoris, sed requiritur conuersa maioris, quæ directè infertur in Celarent, vt explicatum est.

3 Tertio in modis particularibus, qui sunt Festino, & Barocco, præmissa vniuersalis non potest probari circulariter ex eadem ratione, ex qua cap. 5. num. 7. & 8. ostensum est, quod in Darij, & Ferio præmissa vniuersalis non potest probari circulariter. At præmissa particularis in Barocco potest probari circulariter ex conclusione, & conuersa maioris. Sit enim syllogismus in Barocco : *omnis homo est rationalis ; aliquod animal non est rationale; ergo aliquod animal non est homo* : sumendo conuersam maioris, & conclusionem infertur minor, sic : *omne rationale est homo ; aliquod animal non est homo ; ergo aliquod animal non est rationale*. In Festino verò neque minor affirmatiua particularis potest probari circulariter. Si enim sumatur conclusio negatiua, & conuertatur maior similiter negatiua, vtraque præmissa erit negatiua, adeoque vtraque erit inepta ad probandam minorem affirmatiuam, ad quam probandam requiritur vtraque præmissa affirmatiua ; ergo in Festino minor affirmatiua solum probari poterit circulariter conuertendo maiorem, & conclusionem negatiuas in affirmatiuas, vt explicatum est cap. 5. num. 8. agendo de Ferio.

De circulari syllogismo in tertia figura. Cap. VII.

1 *In tertia autem figura, quando ambæ quidem propositiones vniuersaliter acceptæ fuerint, non contingit monstrare per se inuicem. Vniuersale nanque monstratur per vniuersalia: conclusio autem, quæ in hac, semper est secundum partem: quare manifestum, quòd omnino non contingit monstrare per hanc figuram vniuersalem propositionem.*

De-

1 DEscendit demum Aristoteles ad agendum de circulari syllogismo in tertia figura, circa quem ponit tres conclusiones.

Prima conclusio est: in modis tertiæ figuræ, in quibus vtraque præmissa est vniuersalis, hoc est in Darapti, & Felapton, non potest fieri probatio circularis. Probatur, quia propositiones vniuersales non possunt probari, nisi ex vtraque præmissa vniuersali; sed conclusio in tertia figura semper est particularis; ergo assumendo conclusionem, & alteram præmissam, prout requiritur ad probationem circularem, non potest inferri vlla propositio vniuersalis; ergo nec vlla præmissa Darapti, & Felapton, cum vtraque sit vniuersalis.

2 *Quòd si hæc vniuersaliter sit, illa verò in parte, aliquando quidem erit, quandoque autem non erit. Cum igitur vtraque prædicatiuæ acceptæ fuerint, & vniuersale fiat ad minus extremum, erit: cùm vero ad alterum, non erit.*

3 *Insit enim A omni C: ipsum autem B alicui: conclusio, A B. Si acceptum fuerit C omni A inesse: A autem alicui B: C quidem ostensum est alicui B inesse: B vero alicui C non est monstratum. Atqui necesse est, si C alicui B, & B alicui C inesse. Sed non est idem, hoc huic, et hoc huic inesse. Sed assumendum, si hoc alicui huic, et alterum alicui huic. Hoc autem accepto, non amplius fit ex conclusione, et altera propositione syllogismus.*

4 *Si vero B omni C: A autem alicui C: erit demonstrare A C, quando acceptum fuerit, C quidem omni B inesse: A autem alicui. Si enim C omni B inest: A autem alicui B: necesse est A alicui C inesse; medium B.*

5 *Et quando sit hæc quidem prædicatiua, illa vero priuatiua: quæ autem prædicatiua vniuersalis, monstrabitur altera. Insit enim B omni C: ipsum vero A alicui non insit: conclusio, quod A alicui B non inest. Si igitur assumptum fuerit C omni B inesse: erat autem & A non omni B: necesse est A alicui C non inesse: medium B.*

6 *Quando autem priuatiua fiat vniuersalis, non monstratur altera: nisi quemadmodum in prioribus, si acceptum fuerit, cui hoc alicui non inest, alterum alicui inesse. Vt si A quidem nulli C: ipsum vero B alicui: conclusio, quòd A alicui B non inest. Si igitur acceptum fuerit, cui A alicui non inest, C alicui inesse, necesse est C alicui eorum, quæ B inesse. Aliter autem non est conuertentem vniuersalem propositionem monstrare alteram: nullo enim modo erit syllogismus.*

2 Secunda conclusio est: in modis tertiæ figuræ, in quibus altera præmissa est particularis, aliquando talis præmissa potest probari circulariter, aliquando non. Cum maior est particularis, minor vniuersalis, vt in Disamis, & Boccardo, tum maior particularis potest probari circulariter: cum maior est vniuersalis, minor particularis, vt in Datisi, & Ferison, minor particularis probari non potest circulariter, saltem circulatione perfecta.

3 Probatur discurrendo per quatuor modos particulares. Primo in Datisi non potest minor probari circulariter circulatione perfecta. Sit enim syllogismus in Datisi: *omnis homo est risibilis; aliquis homo est albus; ergo aliquod album est risibile*: ex conuersa maioris, & conclusione infertur in Darij, non quidem minor, sed eius conuersa, ex qua deinde potest inferri minor. Dicitur enim: *omne risibile est homo; aliquod album est risibile; ergo aliquod album est homo; ergo aliquis homo est albus*; sed cum non infertur præmissa, sed eius conuersa non fit circulatio perfecta; ergo in Datisi non fit circulatio perfecta.

4 Secundo è conuerso in Disamis ex conclusione, & conuersa minoris, fit similiter syllogismus in Disamis, in quo infertur ipsa maior. Sit enim syllogismus in Disamis; *aliquis homo est albus; omnis homo est risibilis; ergo aliquod risibile est album*: ex conclusione, & conuersa minoris infertur maior in Disamis sic: *aliquod risibile est album; omne risibile est homo; ergo aliquis homo est albus*; sed cum ex conclusione, & conuersa alterius præmissæ, per eumdem modum infertur alia præmissa, fit circulatio perfecta; ergo in Disamis fit circulatio perfecta.

5 Tertio etiam in Boccardo ex conclusione, & conuersa minoris fit syllogismus, in quo per eumdem modum infertur maior. Sit enim syllogismus in Boccardo; *aliquis homo non est albus; omnis homo est risibilis; ergo aliquod risibile non est album*; ex conclusione, & conuersa minoris infertur

tur maior itidem in Boccardo sic; *aliquod risibile non est album; omne risibile est homo; ergo aliquis homo non est albus*; sed cum ex conclusione, & ex conuersa alterius præmissæ infertur altera præmissa per eumdem modum fit circulatio perfecta; ergo in Boccardo fit circulatio perfecta.

6 Quarto demum in Ferison, minor particularis, vtpote affirmatiua nõ potest probari circulariter, cum conclusio, & altera præmissa sit negatiua, nisi conuertendo cõclusionem, & maiores negatiuas in affirmatiuas, modo explicato cap. 5. num. 6. & 8. Sit enim syllogismus in Ferison; *nullum rationale est irrationale; aliquod rationale est animal; ergo aliquod animal non est irrationale*: ad probandam minorem affirmatiuam, debet dici sic: *omne, de quo negatur irrationale est rationale; sed de aliquo animali negatur irrationale; ergo aliquod animal est rationale; ergo aliquod rationale est animal*; ergo patet, quod etiam ex hoc capite non fit perfecta circulatio; ergo manifestum est, quod in modis particularibus tertiæ figuræ, in quibus minor est vniuersalis, hoc est in Disamis, & Boccardo, potest fieri perfecta circulatio; in modis verò, in quibus maior est vniuersalis, hoc est in Datisi, & Ferison, non potest fieri perfecta circulatio.

7 *Planum itaque, quòd in prima quidem figura monstratio per se inuicem, & per tertiam, & per primam efficitur figuram. Cùm enim prædicatiua est conclusio, per primam: cùm autem priuatiua, per vltimam. Accipitur enim cui hoc nulli, alterum omni inesse.*

8 *In media autem, cùm syllogismus quidem vniuersalis fit, & per ipsam, & per primam figuram: cùm vero in parte, & per*
9 *ipsam & per vltimam.* * *In tertia autem per ipsam omnes.*

10 *Manifestum autem, & quòd in tertia, & media, qui non per ipsas fiunt syllogismi, aut non sunt secundum circularem monstrationem, aut imperfecti.*

7 Concludit Aristoteles inferendo quædam Corollaria. Primum corollarium est: in prima figura potest fieri probatio circularis, & per primam figuram, & per tertiam. Cum enim conclusio est affirmatiua, præmissæ probantur circulariter per primam figuram: cum vero conclusio est negatiua, & debet probari præmissa negatiua, probatio circularis fit per tertiam figuram, assumendo, quod subiectum affirmatur de omni, de quo negatur prædicatum.

8 Secundum Corollarium est: in secunda figura, cum modi sunt vniuersales probatio circularis fit per secundam, & per primam; in Camestres enim minor probatur circulariter per secundam figuram, & per ipsum Camestres; in Cesare maior probatur circulariter per Celarent, vt dictum est cap. 6. num. 3. In modis verò particularibus, hoc est Festino, & Barocco, probatio circularis fit per ipsam, & per tertiam. In Barocco enim minor probatur circulariter per ipsum Barocco; in Festino minor, quæ cum sit affirmatiua, non potest concludi in secunda figura, probatur per tertiam.

9 Tertium Corollarium est: in tertia figura probatio circularis perfecta fit per ipsam tertiam figuram. In Disamis enim, & Boccardo fit probatio circularis perfecta per eamdem figuram, & eumdem modum, vt dictum est num. 5. & 6.

10 Quartum Corollarium est: in secunda, & tertia figura cum non potest fieri circulatio per easdem figuras, aut non fit vllo modo, aut est imperfecta, cum immediatè inferatur non ipsa præmissa, sed eius conuersa.

De syllogismo conuersiuo, in quo ex opposito conclusionis infertur oppositum præmissarum in prima figura. Caput VIII.

1 *Conuertere autem est, transponentem conclusionem, facere syllogismum, quòd aut summum medio non inerit, aut hoc vltimo. Necesse enim conclusione conuersa, & altera propositione manente, interimi reliquam. Si enim erit, & conclusio erit.*

2 *Differt autem opposite, aut contrarie conuertere conclusionem: non enim idem efficitur syllogismus, cùm vtroque modo conuertitur. Sed hoc per sequentia manifestum erit.*

erit. Dico autem opponi omni, non omni, & alicui, nulli: contrarie vero omni, nulli: & alicui, non alicui inesse.

1 Postquam Aristoteles egit de virtute conclusionis, per quam possunt ex conclusione circulariter inferri præmissæ, agit de virtute, per quam ex opposito conclusionis potest conuersiuè inferri oppositum præmissarum.

Primo ergo explicat, quid sit conuersio syllogistica, seu syllogismus conuersiuus. Conuersio syllogistica, seu syllogismus conuersiuus est, per quam ex opposito conclusionis, & altera præmissa, euertitur reliqua præmissa, probando oppositum ipsius. Ex. gr. sit syllogismus in Barbara: *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*: ex contradictorio conclusionis, & minori potest fieri syllogismus in Boccardo ad concludendum contradictorium maioris sic; *aliquis homo non est risibilis; omnis homo est rationalis; ergo aliquod rationale non est risibile*. Rursus ex maiori, & contradictorio conclusionis potest in Barocco inferri contradictorium minoris sic: *omne rationale est risibile; aliquis homo non est risibilis; ergo aliquis homo non est rationalis*. Ratio, quare per syllogismum conuersiuum ex opposito conclusionis, seruata vna præmissa, sequatur oppositum alterius est, quia cum ex antecedenti sequitur consequens, ex opposito consequentis, sequitur oppositum antecedentis, vt dictum est libro 1. Prior. cap. vlt.; sed ex vtraque præmissa, tanquam ex antecedenti necessario sequitur conclusio; ergo ex opposito conclusionis seruata vna præmissa, necessario sequitur oppositum alterius præmissæ.

2 Secundo docet Aristoteles, quod oppositum conclusionis potest sumi dupliciter: primo oppositum contradictoriè, *vt omne, non omne; nullum, aliquod*: secundo potest sumi oppositum contrariè, vel subcontrariè, vt *omne, nullum; aliquod, aliquod non*. Non igitur eodem pacto fit syllogismus conuersiuus, sumendo oppositum conclusionis contradictoriè, contrariè, & subcontrariè, vt patebit inferius.

3 *Sit nanque monstratum* A *de omni* C *per medium* B. *Si itaque A acceptum fuerit nulli* C *inesse: ipsi vero* B *omni: nulli* C *inerit* B. *Et si* A *quidem nulli* C: B *autem omni* C: A *non omni* B, *& non omnino nulli. Non enim monstrabatur vniuersale per vltimam figuram. Omnino vero non est vniuersaliter destruere per conuersionem propositionem, quæ est ad maius extremum. Semper enim tollitur per tertiam figuram. Necesse nanque ad vltimum extremum ambas accipere propositiones.*

4 *Et si priuatiuus syllogismus sit, consimiliter. Sit enim ostensum* A *nulli eorum, quæ* C *inexistens per* B. *Igitur si acceptum fuerit* A *inesse omni* C: *ipsi vero* B *nulli*: B *inerit nulli eorum, quæ* C. *Et si* A, *&* B *omni* C: A *alicui* B: *sed nulli inerat.*

Quòd si opposite conuersa fuerit conclusio, & syllogismi oppositi, & non vniuersales erunt. Namque fit altera propositio in parte: quare & conclusio erit secundum partem. Sit enim prædicatiuus syllogismus, & conuertatur sic. Igitur si A *non omni* C: *omni autem* B: *ipsum* B *non omni* C. *Et si A quidem non omni* C: *ipsum vero* B *omni*: A *non omni* B. *Consimiliter autem & si priuatiuus syllogismus. Si enim A alicui* C *inest: ipsi vero* B *nulli*: B *alicui* C *non inerit, non simpliciter nulli. Et si A alicui* C, B *vero omni, quemadmodum in principio acceptum est*: A *alicui* B *inerit.*

3 Tertio explicat, quo pacto in prima figura, & in duobus modis vniuersalibus ipsius, qui sunt Barbara, & Celarent fiat syllogismus conuersiuus, sumendo contrarium conclusionis. In Barbara sumendo contrarium conclusionis, & maiorem, sequitur contrarium minoris per secundam figuram, & per Camestres. Sit enim syllogismus principalis: *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*: sumendo contrariam conclusionis, & maiorem, concluditur in Camestres contraria minoris sic: *omne rationale est risibile; nullus homo est risibilis; ergo nullus homo est rationalis*: sumendo verò contrariam conclusionis, & minorem, concluditur in tertia figura, & in Felapton contradictoria maioris sic: *nullus homo est risibilis; omnis homo est rationalis; ergo aliquod rationale non est risibile.*

4 In Celarent ex contraria conclusionis, & maiori, concluditur in Cesare contraria minoris. Sit enim syllogismus in Celarent; *nullum rationale est hinnibile*; *om-*

omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis: sumendo maiorem, & contrariam conclusionis, sic concluditur in Cesare contraria minoris: *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est hinnibilis; ergo nullus homo est rationalis*: ex contraria verò conclusionis, & minori, concluditur in tertia figura, & in Darapti contradictorium minoris sic: *omnis homo est hinnibilis; omnis homo est rationalis; ergo aliquod rationale est hinnibile*. Hinc patet, quod minor destruitur totaliter ex contraria conclusionis, & maiori, probando contrariam minoris: maior verò non destruitur totaliter, sed solum partialiter; quia cum ex contraria conclusionis, & minori, fiat argumentum in tertia figura, non potest probari contraria maioris, quæ contraria est vniuersalis, cum tertia figura non concludat vniuersaliter, sed solum potest probari contradictoria maioris, quæ est particularis.

5 *Cæterum in syllogismis, qui in parte, quando opposite quidem conuertatur conclusio, tolluntur ambæ propositiones: quando autem contrarie, neutra. Non enim amplius accidit tollere, quemadmodum in vniuersalibus, deficiente conclusione secundum conuersionem, sed neque omnino tollere.*

6 *Sit enim ostensum A de aliquo* C. *Igitur si acceptum fuerit* A *nulli* C *inesse: ipsum vero* B *alicui: A alicui* B *non inerit. Et si A nulli* C: *omni autem* B: *ipsum* B *nulli* C. *Quare tolluntur vtræque. Quòd si contrarie conuersa fuerit, neutra. Si enim A alicui C non inest: ipsi vero* B *omni:* B *alicui C non inerit. Sed nondum tollitur quod à principio: contingit namque alicui inesse, & alicui non inesse. Sed ipsius* A B *vniuersalis omnino non fit syllogismus. Si enim A non inest alicui eorum, quæ C:* B *vero alicui inest: neutra propositionum vniuersalis.*

7 *Consimiliter autem & si priuatiuus syllogismus. Si enim accipietur A omni C inesse, tollentur vtræque: si vero alicui, neutra. Demonstratio autem eadem.*

5 Quarto explicat, quo pacto in modis particularibus primæ figuræ, qui sunt Darij, & Ferio fit syllogismus conuersiuus. Ponit ergo conclusionem: in Darij, & Ferio sumendo contradictoriam conclusionis, & alteram præmissam, fit syllogismus conuersiuus destruens aliam præmissam: sumendo verò subcontrariam conclusionis, & alteram præmissam non destruitur altera præmissa per syllogismum conuersiuum.

6 Probatur, & explicatur: sit enim syllogismus in Darij; *omnis homo est rationalis; aliquod animal est homo; ergo aliquod animal est rationale*: ex contradictoria conclusionis, & maiori fit syllogismus in Camestres, destruens minorem, & probans eius contradictoriam sic: *omnis homo est rationalis; nullum animal est rationale; ergo nullum animal est homo*. Ex contradictoria conclusionis, & minori fit syllogismus in Ferison, destruens maiorem, & probans eius contradictoriam sic: *nullum animal est rationale; aliquod animal est homo; ergo aliquis homo non est rationalis*. At verò si sumatur subcontraria conclusionis, quæ est, *aliquod animal non est rationale*, cum altera præmissarum, neutra præmissa euertitur. Sumendo enim maiorem fit syllogismus in Barocco: *omnis homo est rationalis; aliquod animal non est rationale; ergo aliquod animal non est homo*, quæ conclusio non est destructiua minoris, quæ est, *aliquod animal est homo*, cum duæ particulares subcontrariæ possint simul verificari: sumendo verò subcontrariam conclusionis, & minorem, non fit syllogismus. Cum enim minor sit particularis, & subcontraria conclusionis sit itidem particularis, nihil sequitur, sed dicitur, *aliquod animal non est rationale; aliquod animal est homo*; ex quibus præmissis nihil sequitur.

7 In Ferio similiter ex contradictoria conclusionis, & maiori sequitur per Cesare contradictoria minoris: ex contradictoria verò conclusionis, & minori sequitur per Datisi contradictoria maioris. Sit enim syllogismus in Ferio: *nullus homo est hinnibilis; aliquod animal est homo; ergo aliquod animal non est hinnibile*: sumendo contradictoriam conclusionis, & maiorem, sequitur in Cesare contradictoria minoris sic: *nullus homo est hinnibilis; omne animal est hinnibile; ergo nullum animal est homo*: sumendo verò contradictoriam conclusionis, & minorem sequitur contradictoria maioris in Datisi sic: *omne animal est hinnibile; aliquod animal est homo; ergo aliquis homo est hinnibilis*. Si verò sumatur subcontraria conclusionis, & maior, sequitur subcontraria minoris in Festino sic: *nullus*

homo est hinnibilis ; aliquod animal est hinnibile ; ergo aliquod animal non est homo, quæ conclusio non destruit illam minorem, *aliquod animal est homo*, cum simul possint verificari. Ex subcontraria verò conclusionis, & minori; cum vtraque sit particularis, nihil sequitur.

De Syllogismo conuersiuo in secunda figura. Cap. IX.

1 *SEd in secunda figura propositionem quidem, quæ ad maius extremum, non est interimere contrarie, facta conuersione vtrolibet modo. Nam semper erit conclusio in tertia figura: vniuersalis autem non erat in hac syllogismus.*

2 *Alterum vero similiter tollemus conuersioni. Dico autem similiter, si contrarie quidem conuertitur, contrarie: si vero opposite, opposite. Insit enim A omni B: ipsi autem C nulli: conclusio B C. Si itaque acceptum fuerit B omni C inesse: & A B maneat: A omni C inerit: nam fit prima figura.*

3 *Quòd si B omni C: A vero nulli C: A non omni B: figura vltima. Sin autem opposite conuersum fuerit B C, A B quidem iisdem monstrabitur, A C vero opposite. Si enim B alicui C: A autem nulli C: A alicui B non inerit. Rursus si B alicui C: A vero omni B: A alicui C. Quare oppositus fit syllogismus. Consimiliter monstrabitur, & si è conuerso se habeant propositiones.*

1 POstquam Aristoteles explicauit, quo pacto fiat syllogismus conuersiuus in prima figura, explicat, quo pacto fiat in secunda figura. Quo ad modos igitur vniuersales illius, Cesare nimirum, & Camestres, ponit duas regulas.

Prima regula est: in modis vniuersalibus secundæ figuræ, Cesare nimirum, & Camestres, siue sumatur contrarium, siue contradictorium conclusionis, & minor, nunquam euertitur maior, probando eius contrariam vniuersalem, sed solum probando eius contradictoriam particularem. Ratio est, quia ex contradictoria, vel contraria conclusionis, & minori, semper fit syllogismus in tertia figura; sed tertia figura concludit solum particulariter; ergo non potest probari contraria maioris, quæ debet esse vniuersalis.

2 Secunda regula est: in iisdem modis ex contraria conclusionis, & maiori probatur contraria minoris: ex contradictoria conclusionis, & maiori probatur contradictoria minoris. Probatur discurrendo per dictos modos vniuersales. Primo fit syllogismus in Camestres: *omnis homo est intellectualis ; nullus equus est intellectualis ; ergo nullus equus est homo*: sumendo contrariam conclusionis, & maiorem, concluditur in prima figura, & in Barbara contraria minoris sic: *omnis homo est intellectualis ; omnis equus est homo ; ergo omnis equus est intellectualis*: sumendo contrariam conclusionis, & minorem concluditur per tertiam figuram in Felapton, non contraria, sed contradictoria maioris sic: *nullus equus est intellectualis ; aliquis equus est homo ; ergo aliquis homo non est intellectualis*: sumendo contradictoriam conclusionis, & maiorem concluditur in prima figura, & in Darij contradictoria minoris sic; *omnis homo est intellectualis ; aliquis equus est homo ; ergo aliquis equus est intellectualis*: sumendo contradictoriam conclusionis, & minorem concluditur in tertia figura, & in Ferison contradictoria maioris sic: *nullus equus est intellectualis ; aliquis equus est homo ; ergo aliquis homo non est intellectualis*.

3 Secundo fit syllogismus in Cesare: *nullus homo est hinnibilis ; omnis equus est hinnibilis ; ergo nullus equus est homo*: ex cõtraria conclusionis, & maiori sequitur, contraria minoris in prima figura, & in Celarent sic: *nullus homo est hinnibilis ; omnis equus est homo ; ergo nullus equus est hinnibilis*: ex contradictoria conclusionis, & maiori sequitur in Ferio contradictoria minoris sic: *nullus homo est hinnibilis ; aliquis equus est homo ; ergo aliquis equus non est hinnibilis*: ex contraria conclusionis, & minori, sequitur in tertia figura, & in Darapti, non quidem contraria, sed contradictoria maioris sic; *omnis equus est hinnibilis ; omnis equus est homo ; ergo aliquis homo est hinnibilis*: ex contradictoria conclusionis, & minori sequitur in Datisi contradictoria maioris, sic: *omnis equus est hinnibilis ; aliquis equus est homo ; ergo aliquis homo est hinnibilis*.

4 *Quòd si syllogismus est in parte, si contrarie conuertatur conclusio, neutra propositionum tollitur, quemadmodum neque in*

quidem vera, propositiones autem falsæ.

3 *Et si ad aliquid vtraque falsa, erit conclusio vera. Nihil enim prohibet & A, & B alicui C inesse, & A alicui B: vt album, & honestum alicui animali inest, & album alicui honesto. Si igitur positum fuerit A, & B omni C inesse: propositiones quidem ad aliquid falsæ, conclusio autem vera. Sed & cùm A C priuatiua ponitur, consimiliter. Nihil enim prohibet A quidem alicui C non inesse, ipsum vero B alicui inesse, & A B non omni inesse: vt honestum alicui animali non inest, album vero alicui inest, & album non omni honesto. Quare si acceptum fuerit, A quidem nulli C, ipsum vero B omni: ambæ propositiones ad aliquid falsæ, conclusio autem vera.*

1 EXplicat demum Aristoteles modos, quibus ex præmissis falsis infertur conclusio vera in tertia figura. Docet igitur, quod in tertia figura potest ex præmissis falsis inferri conclusio vera; siue vtraque præmissa sit falsa totaliter; siue vtraque sit falsa partialiter; siue maior sit falsa totaliter, minor partialiter; siue maior sit falsa partialiter, minor totaliter; siue altera tantum sit falsa totaliter, aut partialiter, & hæc siue sit maior, siue minor, & quomodocunque combinentur.

2 Primo igitur in modis vniuersalibus, qui sunt Darapti, & Felapton, potest ex vtraque præmissa totaliter falsa inferri cōclusio vera. Possunt enim duo extrema inuicem affirmabilia particulariter, puta *homo*, & *gressibile*, esse inuicem negabilia de aliquo medio, ex. gr. de inanimato. Si igitur vniuersaliter affirmentur de tali medio, fiet syllogismus in Darapti; *omne inanimatum est homo; omne inanimatum est gressibile; ergo aliquod gressibile est homo*; in quo vtraque præmissa est totaliter falsa, conclusio vera. Rursus possunt duo extrema inuicem particulariter negabilia, ex. gr. animal, & nigrum ita comparari cum aliquo medio, ex. gr. cum cygno, vt alterum, hoc est animal, sit de cygno vniuersaliter affirmabile, alterum, hoc est nigrum, sit de cygno vniuersaliter negabile. Si ergo animal vniuersaliter negetur de cygno, nigrum vniuersaliter affirmetur de cygno, fiet syllogismus in Felapton, & dicetur; *nullus cygnus est animal; omnis cygnus est niger; ergo aliquod nigrum non est animal*, in quo conclusio vera infertur ex vtraque præmissa totaliter falsa.

3 Secundo in iisdem modis vniuersalibus potest ex vtraque præmissa partialiter falsa inferri conclusio vera. Possunt enim duo extrema inuicem particulariter affirmabilia, ex. gr. album, & pulchrum, esse etiam solum particulariter affirmabilia de aliquo medio, ex. gr. de animali. Si ergo de tali medio affirmentur vniuersaliter, & dicatur in Darapti; *omne animal est album; omne animal est pulchrum; ergo aliquod pulchrum est album*, vtraque præmissa erit partialiter falsa, & conclusio erit vera. Si verò dicatur; *nullum animal est album; omne animal est pulchrum; ergo aliquod pulchrum non est album*; ex iisdem terminis fiet syllogismus in Felapton, in quo vtraque præmissa est falsa solum partialiter, conclusio autem est vera.

4 *Consimiliter vero & cùm hæc quidem tota falsa, illa autem tota vera accipitur. Accidit enim, & A, & B sequi omni C, A tamen alicui B non inesse: vt animal, & album omnem cygnum sequitur, animal tamen non omni inest albo. His igitur positis terminis, si acceptum fuerit, B quidem toti C inesse, A vero toti non inesse: B C quidem tota erit vera, A C autem tota falsa, & conclusio vera. Consimiliter vero, & si B C quidem falsum, A C autem verum. Iidem enim termini ad demonstrationem, nigrum, cygnus, inanimatum.*

5 *Sed & si ambæ accipiantur affirmatiuæ. Nihil enim prohibet, B quidem sequi omne C, ipsum vero A toti non inesse, & A alicui B inesse: vt animal omni cygno, nigrum autem nulli cygno, & nigrum inest alicui animali. Quare si acceptum fuerit A, & B omni C inesse: B C quidem tota vera, A C autem tota falsa, & conclusio vera. Sed consimiliter & cum A C accepta fuerit vera. Per eosdem nanque terminos demonstratio.*

6 *Rursus & cùm hæc quidem tota vera extiterit, illa autem ad aliquid falsa. Accidit enim B quidem omni C inesse, A verò alicui, & alicui B: vt bipes quidem omni homini, honestum autem non omni, & honestum alicui bipedi inest. Si igitur acceptum fuerit, & A, & B toti C inesse: B C quidem tota vera, A C autem ad aliquid falsa, sed conclusio vera. Consimiliter*

autem

autem, & si A C *vera*, & B C *falsa accipiatur*. *Iisdem nanque terminis transpositis erit demonstratio*. *Et si hæc priuatiua, illa autem affirmatiua sit*. *Quoniam enim accidit* B *quidem toti* C *inesse*, A *vero alicui, quando sic se habent*, A *non omni* B. *Si acceptum igitur fuerit* B *quidem toti* C *inesse*, A *vero nulli: priuatiua quidem ad aliquid falsa, altera autem tota vera*, & *conclusio*. *Rursus, quoniam monstratum est, quòd cùm* A *nulli inest* C, *ipsum vero* B *alicui, accidit* A *alicui* B *non inesse: planum, quòd & cùm* A C *tota vera sit*, B C *autem ad aliquid falsa, accidit conclusionem veram esse*. *Si enim acceptum fuerit* A *nulli* C, *ipsum vero* B *omni*: A C *quidem tota vera*, B C *autem ad aliquid falsa*.

7 *Cæterum, & in syllogismis in parte manifestum, quòd omnino erit verum per falsa*. *Iidem enim termini accipiendi*, & *quando vniuersales sint propositiones: qui quidem in affirmatiuis, affirmatiui, qui vero in priuatiuis, priuatiui*. *Nihil enim differt, cùm nulli insit omni accipere inesse: et si alicui inerat, vniuersaliter capere ad terminorum expositionem*. *Itidem et in priuatiuis*.

4 Tertio in ijsdem modis vniuersalibus ex altera totaliter falsa, seu sit maior, seu minor, altera autem vera, potest inferri conclusio vera. Possunt enim duo extrema inuicem particulariter negabilia, puta animal, & album, ita comparari cum altero medio, ex. gr. cum cygno, vt vtrumque sit vniuersaliter affirmabile de cygno. Si ergo alterum negetur, alterum affirmetur de cygno, dicetur in Felapton; *nullus cygnus est albus; omnis cygnus est animal; ergo aliquod animal non est album*; in quo syllogismo ex maiori totaliter falsa, minori vera, sequitur conclusio vera. Rursus possunt duo extrema inuicem particulariter negabilia: ex. gr. nigrum, & inanimatum esse vniuersaliter negabilia de medio, puta de cygno. Tum igitur si alterum vniuersaliter negetur, alterum vniuersaliter affirmetur de tali medio, hoc est de cygno, fiet syllogismus sequens in Felapton; *nullus cygnus est niger; omnis cygnus est inanimatus; ergo aliquod inanimatum non est nigrũ*, in quo ex maiori vera, minori totaliter falsa, infertur conclusio vera.

5 Etiam in Darapti potest ex maiori falsa totaliter, minori vera; vel ex maiori vera, minori totaliter falsa inferri conclusio vera. Possunt enim duo extrema particulariter affirmabilia ad inuicem, ex. gr. animal, & nigrum ita comparari cum aliquo medio, ex. gr. cum cygno, vt de eo alterum, hoc est animal sit vniuersaliter affirmabile, alterum hoc est nigrum sit vniuersaliter negabile. Si igitur vtrumque vniuersaliter affirmetur de cygno, & dicatur in Darapti; *omnis cygnus est niger; omnis cygnus est animal; ergo aliquod animal est nigrum*, ex maiori falsa totaliter, minori vera inferetur conclusio vera. Si rursus dicatur: *omnis cygnus est animal; omnis cygnus est niger; ergo aliquod nigrum est animal*; ex maiori vera, minori totaliter falsa, inferetur conclusio vera.

6 Quarto in ijsdem modis vniuersalibus tertiæ figuræ potest ex altera præmissa, seu maiori, seu minori partialiter falsa, altera autem vera, inferri conclusio vera. Possunt enim duo termini inuicem affirmabiles particulariter, ex. gr. bipes, & pulchrum ita comparari ad aliquod medium, ex. gr. hominem, vt alter, puta bipes, sit de homine affirmabilis vniuersaliter, alter, puta pulchrum, sit de homine negabilis particulariter; sed tum si vterque terminus de homine affirmetur vniuersaliter, fiet sequens syllogismus in Darapti: *omnis homo est bipes; omnis homo est pulchr; ergo aliquod pulchrum est bipes*, in quo maior est vera, minor partialiter falsa, conclusio vera: vel fiet hic alius syllogismus similiter in Darapti; *omnis homo est pul ker; omnis homo est bipes; ergo aliquod bipes est pulchrum*; in quo maior est partialiter falsa, minor vera, & conclusio vera; ergo in Darapti ex altera præmissa vera, altera partialiter falsa, siue maiori, siue minori potest inferri conclusio vera. Rursus possunt duo termini inuicem particulariter negabiles, vt bipes, & pulchrum, ita se habere ad aliquod medium, puta quadrupes, vt de ipso alterum, puta bipes sit vniuersaliter negabile, alterum, puta pulchrum sit affirmabile solum particulariter; sed tum fiet sequens syllogismus in Felapton; *nullum quadrupes est bipes; omne quadrupes est pulchrum; ergo aliquod pulchrum est bipes*; in quo maior est vera, minor partialiter falsa, & conclusio vera; ergo potest in Felapton ex maiori vera, minori partialiter falsa, inferri conclusio vera. Si verò dicatur; *nullum quadrupes est pulchrum; omne* qua-

quadrupes est gressibile; ergo aliquod gressibile non est pulchrum; maior erit partialiter falsa, minor vera, & conclusio vera.

7 Quinto, eodem pacto potest in syllogismis particularibus tertiæ figuræ, qui sunt Disamis, Datisi, Boccardo, & Ferison, inferri conclusio vera ex præmissis, vel vtraque falsa, vel altera tantum, vel ita vt vniuersalis sit totaliter falsa, vel ita vt sit falsa solum partialiter. Sumi enim debent termini proportionaliter, sicut in syllogismis vniuersalibus, ac proportionaliter debent combinari, idque tum in syllogismis affirmatiuis, tum in negatiuis.

8 *Planum igitur, quòd si quidem sit conclusio falsa, necesse est falsa esse ex quibus est ratio, aut omnia, aut quadam: quando autem vera, non necesse est verum esse, neque aliquid, neque omnia: sed est, cùm nullum eorum, quæ in syllogismo verum sit, conclusionem consimiliter veram esse.*

9 *Non ex necessitate tamen. Causa autem: quoniam quando duo sic se inuicem habeant, vt cùm ex necessitate alterum sit, ex necessitate alterum existat: cùm hoc quidem non sit, neque alterum erit: cùm autem sit, non necesse alterum esse.*

10 *Sed cùm idem sit, & non sit, impossibile ex necessitate esse idem. Dico autem, vt cùm sit A album, B esse ex necessitate: & cùm non sit album A, B esse ex necessitate. Quando enim cùm hoc sit album A, necesse est hoc magnum esse B: cùm vero magnum B sit, C non album: necesse est si A album, C non esse album. Et quando duobus existentibus, altero existente, necesse est alterum esse: hoc non existente, necesse est A non esse: B vero non existente magno, potest A album esse: A vero non existente albo, si necesse est B magnum esse, accidit ex necessitate, B magno non existente, ipsum B magnum esse. Hoc autem impossibile. Si enim B non est magnum, A non erit album ex necessitate. Si igitur non existente hoc albo, B erit magnum, accidit. si B non est magnum, esse magnum, tanquam per tria.*

8 Ex dictis patet, quod cum conclusio est falsa, necesse est omnes, vel aliquam saltem præmissam esse falsam. Ex vero enim non potest necessario sequi falsum; ergo si conclusio est falsa, aliqua saltem præmissa est falsa. E conuerso, si conclusio est vera, non est necesse, vt vtraque vel altera præmissa sit vera. Potest enim verum sequi ex falso, imo potest ex vtraque præmissa falsa, sequi conclusio vera, vt ostensum est.

9 Licet tamen possit ex præmissis falsis sequi necessario conclusio vera, non tamen potest conclusio vera sequi necessario ex præmissis falsis, ita vt sequatur, quia præmissæ sunt falsæ, ideoque conclusio vera non potest sequi ex præmissis falsis, vt falsis, sed solum materialiter, & per accidens; & hæc est tertia conclusio posita cap. 2. num. 2. quod conclusio vera non sequitur ex præmissis falsis *propter quid*.

Vt probetur hæc tertia conclusio, quod nimirum conclusio vera non potest sequi ex præmissis falsis, quia sunt falsæ, reuocandum est in memoriam principium positum lib. 1. Prior. cap. vlt. num. 6. quod cum ex antecedenti necessario sequitur consequens, ex contradictorio, seu destructiuo consequentis, necessario sequitur contradictorium, seu destructio antecedentis: non autem è conuerso ex contradictorio, seu destructione antecedentis, sequitur contradictorium, seu destructio consequentis.

10 Hoc posito, est impossibile vt consequens, quod necessario sequitur ex aliquo antecedenti, sequatur etiam necessario ex contradictorio, seu falsitate, & destructione talis antecedentis; sed si cum ex antecedenti falso, sequitur consequens verum, consequens sequeretur ex falsitate antecedentis, consequens sequeretur necessario tum ex antecedenti, tum ex eius contradictorio, & falsitate; ergo est impossibile, vt consequens, quod necessario sequitur ex aliquo antecedenti, sequatur ex eius falsitate. Probatur, & explicatur maior. Impossibile enim est, vt valeat *si A est album*; B *est magnum*; & valeat etiam *si A non est album*, B *est magnum*. Probatur: si enim valeret, valeret etiam; *si A est magnum*, *A non est magnum*, adeoque ex vno contradictorio, sequeretur necessario aliud contradictorium, quod est impossibile. Probatur antecedens, siue eius sequela: quod enim necessario sequitur ex consequenti, necessario etiam à primo ad vltimum sequitur ex antecedenti: ex. gr. valet: *si A est album*, B *est magnum*; *sed si B est magnum, C non est album*; *ergo à primo ad vltimum si A est album, C non est album*; ergo proportionaliter valet, *si A est album*, *B est magnum*; *ergo si* B *non est magnum*, *A*

non

non est album; *ergo si B non est magnum, B est magnum*. Probatur vltima consequentia: *si* B *non est magnum*, *A non est album*; cum enim ex antecedenti sequitur consequens, ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis; sed *si A non est album*, *B est magnum*, vt supponitur: supponitur enim valere simul, *si A est album*, B *est magnum*, & *si A non est album*, *B est magnum*: *ergo à primo ad vltimum si* B *non est magnum*, *B est magnum*, quod repugnat; ergo impossibile est, vt conclusio vera sequatur ex præmissis falsis, quia sunt falsæ, alioquin sequeretur ex affirmatione, & negatione eiusdem, & vnum contradictorium sequeretur ex altero contradictorio, quod est impossibile.

De circulari syllogismo in prima figura. Cap. V.

1 *Circulo autem, & ex se inuicem monstrare, est per conclusionem, & eo, quod prædicatione retrouersum se habet alteram accipientem propositionem, concludere reliquam, quam accipiebat in altero syllogismo. Quemadmodum si oportebat monstrare, quòd A omni C inest: monstrauit autem per B. Rursus, si ostenderet, quòd A inest ipsi B, accipiens A ipsi C inesse: C vero ipsi B: & A ipsi B. Prius autem e conuerso accipiebat B inesse ipsi C. Aut si oportet monstrare, quòd B inest ipsi C. Accipiat A de C, quæ erat conclusio: B vero de A inesse. Sed prius acceptum fuerat e conuerso, A de B.*

2 *Aliter autem non est ex seinuicem ostendere. Siue enim aliud medium accipiet, non circulo: nihil enim accipitur ex ijs, quæ eadem sunt, siue horum aliquid, necesse alterum solum. Si nanque ambo, eadem erit conclusio. Oportet autem alterum.*

3 *In ijs igitur, quæ non conuertuntur, ex indemonstrabili altera propositione fit syllogismus. Non enim est demonstrare per hos terminos, quòd medio tertium inest, aut primo medium.*

POstquam Aristoteles explicauit virtutes præmissarum, ex quibus constat syllogismus, per quas virtutes possunt eædem præmissæ concludere plures conclusiones, & possunt præmissæ falsæ concludere conclusiones veras, explicat virtutem conclusionis, quæ infertur in syllogismo, quæ virtus est, vt possint ex conclusione veluti quodam circulo probari præmissæ. Primo igitur explicat, quid sit probatio circularis: secundo ostendit probationem circularem non fieri, nisi in terminis conuertibilibus: tertio explicat, quo pacto fiat syllogismus circularis in modis tum vniuersalibus, tum particularibus, tum affirmatiuis, tum negatiuis primæ figuræ.

1 Quoad primum: probatio circularis est, per quam ex conclusione, & conuersa vnius præmissæ, probatur altera præmissa. Ex.gr. sit syllogismus, in quo probatum sit omnem hominem esse risibilem, per rationale, dicendo: *omne rationale est risibile*; *omnis homo est rationalis*; *ergo omnis homo est risibilis*: potest ex conclusione, & conuersa minoris probari maior, dicendo; *omnis homo est risibilis*; *omne rationale est homo*; *ergo omne rationale est risibile*. Potest similiter ex eadem conclusione, & conuersa maioris probari minor, dicendo; *omne risibile est rationale*; *omnis homo est risibilis*; *ergo omnis homo est rationalis*.

2 Addit Aristoteles, quod probatio circularis non potest aliter fieri. Probat: vel enim ad probandas præmissas sumitur medium diuersum à tribus terminis syllogismi; & cum hoc medium non contineatur in conclusione, iam conclusio non assumetur ad probandam præmissam: in omni enim præmissa syllogismi debet inesse medium; sed si præmissa non probatur per conclusionem, non est probatio circularis; ergo assumendo pro medio quartum terminum, non potest fieri probatio circularis: si assumatur vtraque præmissa, sequetur eadem conclusio, adeoque non inferetur circulariter altera præmissarum, quod requiritur ad probationem circularem; ergo necesse est, vt probatio circularis constet ex ijsdem terminis, & ex conclusione, atque altera præmissarum, & sic inferat reliquam.

3 Quoad secundum: probatio circularis non potest fieri, nisi in terminis conuertibilibus. Si enim termini non sint conuertibiles, vt in hoc syllogismo; *omne animal est viuens*; *omnis homo est animal*; *ergo omnis homo est viuens*; ad probandas præmissas debent sumi aliæ propositiones, & alij

rem conuersam; secundo minor probatur per conclusionem, & maiorem conuersam, vt explicatum est num. 2. Sed probandæ sunt maior, & minor conuertentes. Maior conuertens, quæ est, *omne risibile est rationale*, probatur per minorem, & conclusionis conuertentem, dicendo; *omnis homo est rationalis*; *omne risibile est homo*; *ergo omne risibile est rationale*. Minor conuertens, quæ est, *omne rationale est homo*, probatur per conuertentem conclusionis, & maiorem, dicendo; *omne risibile est homo*; *omne rationale est risibile*; *ergo omne rationale est homo*. In vtroque hoc syllogismo conclusio conuertens, quæ est, *omne risibile est homo*, adhuc non est probata. Probari igitur potest talis conclusio conuertens per conuertentem minoris, & maioris, dicendo; *omne rationale est homo*; *omne risibile est rationale*; *ergo omne risibile est homo*; ergo patet quod in terminis conuertibilibus, & in Barbara, possunt omnes sex propositiones, præmissæ nimirum, & conclusio, & earum conuertentes probari per se inuicem, nullam sumendo propositionem non probatam, cum in terminis non conuertibilibus id fieri nequeat, vt dictum est num. 4.

5 Secundo sit syllogismus in Celarent; *nullum rationale est irrationale*; *omnis homo est rationalis*; *ergo nullus homo est irrationalis*: maior potest probari ex conclusione, & conuersa minoris, sic; *nullus homo est irrationalis*; *omne rationale est homo*; *ergo nullum rationale est irrationale*. Ad probandam minorem affirmatiuam, non sufficit sumere conclusionem, & conuertere maiorem: nam hoc pacto vtraque præmissa erit negatiua, adeoque non sequetur conclusio affirmatiua. Debent igitur minor, & conclusio conuerti in affirmatiuas, sic; *omne, de quo negatur vniuersaliter irrationale, est rationale*; *sed de omni homine negatur vniuersaliter irrationale*; *ergo omnis homo est rationalis*; ergo patet, quod in Celarent hæc tria possunt circulo probari, conclusio nimirum ex præmissis, & ex conclusione præmissæ.

6 Tertio in Darij non potest per conclusionem circulariter probari maior vniuersalis affirmatiua, potest minor particularis. Maior vniuersalis probari non potest circulariter, quia deberet probari per conclusionem, & conuersam minoris; sed per conclusionem probari nequit, quia conclusio est particularis; vniuersalis autem probari non potest per particularem; per conuersam minoris probari nequit, quia minor particularis conuertitur in aliam particularem; ergo ex conclusione, & conuersa minoris fiunt duæ præmissæ particulares, ex quibus nihil sequitur. At minor particularis circulariter probari potest. Sit enim syllogismus in Darij; *omne rationale est risibile*; *aliquod animal est rationale*; *ergo aliquod animal est risibile*: ex conuersa maioris, & conclusione probatur minor, sic; *omne risibile est rationale*; *aliquod animal est risibile*; *ergo aliquod animal est rationale*.

7 Quarto in Ferio maior vniuersalis negatiua non potest circulariter probari ex ratione allata num. 6.: minor particularis affirmatiua probari potest circulariter conuertendo maiorem in affirmatiuam, vt dictum est num. 6. Sit enim syllogismus in Ferio; *nullum rationale est irrationale*; *aliquod animal est rationale*; *ergo aliquod animal non est irrationale*: minor probari potest, sic: *omne, de quo negatur quodlibet irrationale, est rationale*; *aliquod animal non est irrationale, adeoque de aliquo animali negatur quodlibet irrationale*; *ergo aliquod animal est rationale*. Nisi verò fiat talis conuersio propositionum negatiuarum in affirmatiuas, probari non potest minor affirmatiua, quia propositio affirmatiua probari non potest, nisi ex vtraque præmissa affirmatiua.

De circulari syllogismo in secunda figura. Cap. VI.

1 *IN secunda autem figura, affirmatiuum quidem non est monstrare per hunc modum, priuatiuum vero est. Prædicatiuum igitur non monstratur eo quòd ambæ propositiones non sunt affirmatiuæ, conclusio autem est priuatiua: sed prædicatiuum ex ambabus monstrabatur affirmatiuis.*

2 *Priuatiuum vero sic monstratur. Insit* A *omni* B: *nulli autem* C: *conclusio* B *nulli* C. *Si igitur acceptum fuerit* B *omni* A *inesse necesse est* A *nulli* C *inesse. Fit enim secunda figura: medium* B. *Sin autem* A B *priuatiuum acceptum fuerit, alterum vero prædicatiuum, prima erit figura*: C *qui-*

quidem omni A : B *autem nulli* C : *quare* B *nulli* A : *neque igitur* B *ipsi ipsum* A. *Per conclusionem igitur, & vnam propositionem non fit syllogismus : accepta autem altera, erit.*

3 *Si vero non vniuersalis syllogismus, in toto quidem propositio non demonstratur ob eandem causam, quam diximus, & prius: quæ autem est in parte monstratur, quando fit vniuersale prædicatiuum. Insit enim* A *omni* B : C *vero non omni : conclusio* B C. *Si itaque acceptum fuerit* B *omni* A : C *autem non omni :* A *alicui* C *non inest : medium* B. *Quòd si est vniuersalis priuatiua, non demonstrabitur* A C *propositio, conuerso* A B : *accidit enim aut vtrasque, aut alteram propositionem fieri negatiuam: quare non erit syllogismus. Sed consimiliter monstrabitur, quemadmodum & in vniuersalibus, si acceptum fuerit, cui* B *alicui non inest,* A *alicui inesse.*

1 Explicato syllogismo circulari in prima figura, explicat Aristoteles syllogismum circularem in secunda figura. Ponit ergo duas conclusiones.

Prima conclusio est : in secunda figura non potest præmissa affirmatiua probari circulariter. Probatur, quia propositio affirmatiua non potest probari, nisi ex ambabus præmissis affirmatiuis ; sed ad probandam præmissam affirmatiuam circulariter deberet assumi conclusio, quæ est negatiua; ergo &c. Non tamen negat Aristoteles posse probari præmissam affirmatiuam, mutando conclusionem negatiuam in affirmatiuam, vt dictum est cap. 5. num. 6. & 8.

2 Secunda conclusio est : potest in secunda figura probari circulariter præmissa negatiua. Probatur discurrendo per modos, tum vniuersales, tum particulares. Primo in Camestres minor probatur per conclusionem, & conuersam maioris. Sit enim syllogismus in Camestres : *omnis homo est rationalis ; nullus equus est rationalis ; ergo nullus equus est homo* : ex conuersa maioris, cuius termini supponuntur conuertibiles, & ex conclusione probatur minor sic : *omne rationale est homo ; nullus equus est homo ; ergo nullus equus est rationalis*. Secundo in Cesare maior probatur per conclusionem, & conuersam minoris. Sit enim syllogismus in Cesare : *nullus equus est rationalis; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est equus* : ex conclusione, & conuersa minoris, fit syllogismus in Celarent : *Nullus homo est equus ; omne rationale est homo ; ergo nullum rationale est equus ; ergo nullus equus est rationalis*. Ad concludendam ergo maiorem, non sufficit conclusio, & conuersa minoris, sed requiritur conuersa maioris, quæ directè infertur in Celarent, vt explicatum est.

3 Tertio in modis particularibus, qui sunt Festino, & Barocco, præmissa vniuersalis non potest probari circulariter ex eadem ratione, ex qua cap. 5. num. 7. & 8. ostensum est, quod in Darij, & Ferio præmissa vniuersalis non potest probari circulariter. At præmissa particularis in Barocco potest probari circulariter ex conclusione, & conuersa maioris. Sit enim syllogismus in Barocco : *omnis homo est rationalis ; aliquod animal non est rationale; ergo aliquod animal non est homo* : sumendo conuersam maioris, & conclusionem infertur minor, sic ; *omne rationale est homo ; aliquod animal non est homo ; ergo aliquod animal non est rationale*. In Festino verò neque minor affirmatiua particularis potest probari circulariter. Si enim sumatur conclusio negatiua, & conuertatur maior similiter negatiua, vtraque præmissa erit negatiua, adeoque vtraque erit inepta ad probandam minorem affirmatiuam, ad quam probandam requiritur vtraque præmissa affirmatiua ; ergo in Festino minor affirmatiua solum probari poterit circulariter conuertendo maiorem, & conclusionem negatiuas in affirmatiuas, vt explicatum est cap. 5. num. 8. agendo de Ferio.

De circulari syllogismo in tertia figura. Cap. VII.

1 *In tertia autem figura, quando ambæ quidem propositiones vniuersaliter acceptæ fuerint, non contingit monstrare per se inuicem. Vniuersale nanque monstratur per vniuersalia : conclusio autem, quæ in hac, semper est secundum partem: quare manifestum, quòd omnino non contingit monstrare per hanc figuram vniuersalem propositionem.*

De-

1 DEscendit demum Aristoteles ad agendum de circulari syllogismo in tertia figura, circa quem ponit tres conclusiones.

Prima conclusio est: in modis tertiæ figuræ, in quibus vtraque præmissa est vniuersalis, hoc est in Darapti, & Felapton, non potest fieri probatio circularis. Probatur, quia propositiones vniuersales non possunt probari, nisi ex vtraque præmissa vniuersali; sed conclusio in tertia figura semper est particularis; ergo assumendo conclusionem, & alteram præmissam, prout requiritur ad probationem circularem, non potest inferri vlla propositio vniuersalis; ergo nec vlla præmissa Darapti, & Felapton, cum vtraque sit vniuersalis.

2 *Quòd si hæc vniuersaliter sit, illa verò in parte, aliquando quidem erit, quandoque autem non erit. Cum igitur vtraque prædicatiuæ acceptæ fuerint, & vniuersale fiat ad minus extremum, erit: cùm vero ad alterum, non erit.*

3 *Insit enim A omni C: ipsum autem B alicui: conclusio, A B. Si acceptum fuerit C omni A inesse: A autem alicui B: C quidem ostensum est alicui B inesse: B vero alicui C non est monstratum. Atqui necesse est, si C alicui B, & B alicui C inesse. Sed non est idem, hoc huic, et hoc huic inesse. Sed assumendum, si hoc alicui huic, et alterum alicui huic. Hoc autem accepto, non amplius fit ex conclusione, et altera propositione syllogismus.*

4 *Si vero B omni C: A autem alicui C: erit demonstrare A C, quando acceptum fuerit, C quidem omni B inesse: A autem alicui. Si enim C omni B inest: A autem alicui B: necesse est A alicui C inesse; medium B.*

5 *Et quando sit hæc quidem prædicatiua, illa vero priuatiua: quæ autem prædicatiua vniuersalis, monstrabitur altera. Insit enim B omni C: ipsum vero A alicui non insit: conclusio, quod A alicui B non inest. Si igitur assumptum fuerit C omni B inesse: erat autem & A non omni B: necesse est A alicui C non inesse: medium B.*

6 *Quando autem priuatiua fiat vniuersalis, non monstratur altera: nisi quemadmodum in prioribus, si acceptum fuerit, cui hoc alicui non inest, alterum alicui inesse. Vt si A quidem nulli C: ipsum vero B alicui: conclusio, quòd A alicui B non inest. Si igitur acceptum fuerit, cui A alicui non inest, C alicui inesse, necesse est C alicui eorum, quæ B inesse. Aliter autem non est conuertentem vniuersalem propositionem monstrare alteram: nullo enim modo erit syllogismus.*

2 Secunda conclusio est: in modis tertiæ figuræ, in quibus altera præmissa est particularis, aliquando talis præmissa potest probari circulariter, aliquando non. Cum maior est particularis, minor vniuersalis, vt in Disamis, & Boccardo, tum maior particularis potest probari circulariter: cum maior est vniuersalis, minor particularis, vt in Datisi, & Ferison, minor particularis probari non potest circulariter, saltem circulatione perfecta.

3 Probatur discurrendo per quatuor modos particulares. Primo in Datisi non potest minor probari circulariter circulatione perfecta. Sit enim syllogismus in Datisi: *omnis homo est risibilis; aliquis homo est albus; ergo aliquod album est risibile*: ex conuersa maioris, & conclusione infertur in Darij, non quidem minor, sed eius conuersa, ex qua deinde potest inferri minor. Dicitur enim: *omne risibile est homo; aliquod album est risibile; ergo aliquod album est homo; ergo aliquis homo est albus*; sed cum non infertur præmissa, sed eius conuersa non fit circulatio perfecta; ergo in Datisi non fit circulatio perfecta.

4 Secundo è conuerso in Disamis ex conclusione, & conuersa minoris, fit similiter syllogismus in Disamis, in quo infertur ipsa maior. Sit enim syllogismus in Disamis; *aliquis homo est albus; omnis homo est risibilis; ergo aliquod risibile est album*: ex conclusione, & conuersa minoris infertur maior in Disamis sic: *aliquod risibile est album; omne risibile est homo; ergo aliquis homo est albus*; sed cum ex conclusione, & conuersa alterius præmissæ, per eumdem modum infertur alia præmissa, fit circulatio perfecta; ergo in Disamis fit circulatio perfecta.

5 Tertio etiam in Boccardo ex conclusione, & conuersa minoris fit syllogismus, in quo per eumdem modum infertur maior. Sit enim syllogismus in Boccardo; *aliquis homo non est albus; omnis homo est risibilis; ergo aliquod risibile non est album*; ex conclusione, & conuersa minoris infertur

tur

tur maior itidem in Boccardo sic; *aliquod risibile non est album; omne risibile est homo; ergo aliquis homo non est albus*; sed cum ex conclusione, & ex conuersa alterius præmissæ infertur altera præmissa per eumdem modum fit circulatio perfecta; ergo in Boccardo fit circulatio perfecta.

6 Quarto demum in Ferison, minor particularis, vtpote affirmatiua nō potest probari circulariter, cum conclusio, & altera præmissa sit negatiua, nisi conuertendo cōclusionem, & maiores negatiuas in affirmatiuas, modo explicato cap. 5. num. 6. & 8. Sit enim syllogismus in Ferison; *nullum rationale est irrationale; aliquod rationale est animal; ergo aliquod animal non est irrationale*: ad probandam minorem affirmatiuam, debet dici sic: *omne, de quo negatur irrationale est rationale; sed de aliquo animali negatur irrationale; ergo aliquod animal est rationale; ergo aliquod rationale est animal*; ergo patet, quod etiam ex hoc capite non fit perfecta circulatio; ergo manifestum est, quod in modis particularibus tertiæ figuræ, in quibus minor est vniuersalis, hoc est in Disamis, & Boccardo, potest fieri perfecta circulatio; in modis verò, in quibus maior est vniuersalis, hoc est in Datisi, & Ferison, non potest fieri perfecta circulatio.

7 *Planum itaque, quòd in prima quidem figura monstratio per se inuicem, & per tertiam, & per primam efficitur figuram. Cùm enim prædicatiua est conclusio, per primam: cùm autem priuatiua, per vltimam. Accipitur enim cui hoc nulli, alterum omni inesse.*

8 *In media autem, cùm syllogismus quidem vniuersalis sit, & per ipsam, & per primam figuram: cùm vero in parte, & per*
9 *ipsam & per vltimam.* * *In tertia autem per ipsam omnes.*

10 *Manifestum autem, & quòd in tertia, & media, qui non per ipsas fiunt syllogismi, aut non sunt secundum circularem monstrationem, aut imperfecti.*

7 Concludit Aristoteles inferendo quædam Corollaria. Primum corollarium est: in prima figura potest fieri probatio circularis, & per primam figuram, & per tertiam. Cum enim conclusio est affirmatiua, præmissæ probantur circulariter per primam figuram: cum vero conclusio est negatiua, & debet probari præmissa negatiua, probatio circularis fit per tertiam figuram, assumendo, quod subiectum affirmatur de omni, de quo negatur prædicatum.

8 Secundum Corollarium est: in secunda figura, cum modi sunt vniuersales probatio circularis fit per secundam, & per primam; in Camestres enim minor probatur circulariter per secundam figuram, & per ipsum Camestres; in Cesare maior probatur circulariter per Celarent, vt dictum est cap. 6. num. 3. In modis verò particularibus, hoc est Festino, & Barocco, probatio circularis fit per ipsam, & per tertiam. In Barocco enim minor probatur circulariter per ipsum Barocco; in Festino minor, quæ cum sit affirmatiua, non potest concludi in secunda figura, probatur per tertiam.

9 Tertium Corollarium est: in tertia figura probatio circularis perfecta fit per ipsam tertiam figuram. In Disamis enim, & Boccardo fit probatio circularis perfecta per eamdem figuram, & eumdem modum, vt dictum est num. 5. & 6.

10 Quartum Corollarium est: in secunda, & tertia figura cum non potest fieri circulatio per easdem figuras, aut non fit vllo modo, aut est imperfecta, cum immediatè inferatur non ipsa præmissa, sed eius conuersa.

De syllogismo conuersiuo, in quo ex opposito conclusionis infertur oppositum præmissarum in prima figura. Caput VIII.

1 *CONuertere autem est, transponentem conclusionem, facere syllogismum, quòd aut summum medio non inerit, aut hoc vltimo. Necesse enim conclusione conuersa, & altera propositione manente, interimi reliquam. Si enim erit, & conclusio erit.*

2 *Differt autem opposite, aut contrarie conuertere conclusionem: non enim idem efficitur syllogismus, cùm vtroque modo conuertitur. Sed hoc per sequentia manifestum erit.*

erit. Dico autem opponi omni, non omni, & alicui, nulli: contrarie vero omni, nulli: & alicui, non alicui inesse.

1 Postquam Aristoteles egit de virtute conclusionis, per quam possunt ex conclusione circulariter inferri præmissæ, agit de virtute, per quam ex opposito conclusionis potest conuersiuè inferri oppositum præmissarum.

Primo ergo explicat, quid sit conuersio syllogistica, seu syllogismus conuersiuus. Conuersio syllogistica, seu syllogismus conuersiuus est, per quam ex opposito conclusionis, & altera præmissa, euertitur reliqua præmissa, probando oppositum ipsius. Ex. gr. sit syllogismus in Barbara: *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*: ex contradictorio conclusionis, & minori potest fieri syllogismus in Boccardo ad concludendum contradictorium maioris sic: *aliquis homo non est risibilis; omnis homo est rationalis; ergo aliquod rationale non est risibile*. Rursus ex maiori, & contradictorio conclusionis potest in Barocco inferri contradictorium minoris sic: *omne rationale est risibile; aliquis homo non est risibilis; ergo aliquis homo non est rationalis*. Ratio, quare per syllogismum conuersiuum ex opposito conclusionis, seruata vna præmissa, sequatur oppositum alterius est, quia cum ex antecedenti sequitur consequens, ex opposito consequentis, sequitur oppositum antecedentis, vt dictum est libro 1. Prior. cap. vlt.; sed ex vtraque præmissa, tanquam ex antecedenti necessario sequitur conclusio; ergo ex opposito conclusionis seruata vna præmissa, necessario sequitur oppositum alterius præmissæ.

2 Secundo docet Aristoteles, quod oppositum conclusionis potest sumi dupliciter: primo oppositum contradictoriè, *vt omne, non omne; nullum, aliquod*: secundo potest sumi oppositum contrariè, vel subcontrariè, vt *omne, nullum; aliquod, aliquod non*. Non igitur eodem pacto fit syllogismus conuersiuus, sumendo oppositum conclusionis contradictoriè, contrariè, & subcontrariè, vt patebit inferius.

3 *Sit nanque monstratum* A *de omni* C *per medium* B. *Si itaque A acceptum fuerit nulli* C *inesse: ipsi vero* B *omni: nulli* C *inerit* B. *Et si* A *quidem nulli* C: B *autem omni* C: A *non omni* B, *& non omnino nulli. Non enim monstrabatur vniuersale per vltimam figuram. Omnino vero non est vniuersaliter destruere per conuersionem propositionem, quæ est ad maius extremum. Semper enim tollitur per tertiam figuram. Necesse nanque ad vltimum extremum ambas accipere propositiones.*

4 *Et si priuatiuus syllogismus sit, consimiliter. Sit enim ostensum* A *nulli eorum, quæ* C *inexistens per* B. *Igitur si acceptum fuerit* A *inesse omni* C: *ipsi vero* B *nulli*: B *inerit nulli eorum, quæ* C. *Et si* A, *&* B *omni* C: A *alicui* B: *sed nulli inerat.*

Quòd si opposite conuersa fuerit conclusio, & syllogismi oppositi, & non vniuersales erunt. Namque fit altera propositio in parte: quare & conclusio erit secundum partem. Sit enim prædicatiuus syllogismus, & conuertatur sic. Igitur si A *non omni* C: *omni autem* B: *ipsum* B *non omni* C. *Et si A quidem non omni* C: *ipsum vero* B *omni*: A *non omni* B. *Consimiliter autem & si priuatiuus syllogismus. Si enim A alicui* C *inest: ipsi vero* B *nulli*: B *alicui* C *non inerit, non simpliciter nulli. Et si* A *alicui* C, B *vero omni, quemadmodum in principio acceptum est*: A *alicui* B *inerit.*

3 Tertio explicat, quo pacto in prima figura, & in duobus modis vniuersalibus ipsius, qui sunt Barbara, & Celarent fiat syllogismus conuersiuus, sumendo contrarium conclusionis. In Barbara sumendo contrarium conclusionis, & maiorem, sequitur contrarium minoris per secundam figuram, & per Camestres. Sit enim syllogismus principalis: *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*: sumendo contrariam conclusionis, & maiorem, concluditur in Camestres contraria minoris sic: *omne rationale est risibile; nullus homo est risibilis; ergo nullus homo est rationalis*: sumendo verò contrariam conclusionis, & minorem, concluditur in tertia figura, & in Felapton contradictoria maioris sic: *nullus homo est risibilis; omnis homo est rationalis; ergo aliquod rationale non est risibile.*

4 In Celarent ex contraria conclusionis, & maiori, concluditur in Cesare contraria minoris. Sit enim syllogismus in Celarent; *nullum rationale est hinnibile*;

homo est hinnibilis; aliquod animal est hinnibile; ergo aliquod animal non est homo, quæ conclusio non destruit illam minorem, *aliquod animal est homo*, cum simul possint verificari. Ex subcontraria verò conclusionis, & minori; cum vtraque sit particularis, nihil sequitur.

De Syllogismo conuersiuo in secunda figura. Cap. IX.

1 *SEd in secunda figura propositionem quidem, quæ ad maius extremum, non est interimere contrarie, facta conuersione vtrolibet modo. Nam semper erit conclusio in tertia figura: vniuersalis autem non erat in hac syllogismus.*

2 *Alterum vero similiter tollemus conuersioni. Dico autem similiter, si contrarie quidem conuertitur, contrarie: si vero opposite, opposite. Insit enim A omni B: ipsi autem C nulli: conclusio B C. Si itaque acceptum fuerit B omni C inesse: & A B maneat: A omni C inerit: nam fit prima figura.*

3 *Quòd si B omni C: A vero nulli C: A non omni B: figura vltima. Sin autem opposite conuersum fuerit B C, A B quidem itidem monstrabitur, A C vero opposite. Si enim B alicui C: A autem nulli C: A alicui B non inerit. Rursus si B alicui C: A vero omni B: A alicui C. Quare oppositus fit syllogismus. Consimiliter monstrabitur, & si è conuerso se habeant propositiones.*

1 POstquam Aristoteles explicauit, quo pacto fiat syllogismus conuersiuus in prima figura, explicat, quo pacto fiat in secunda figura. Quo ad modos igitur vniuersales illius, Cesare nimirum, & Camestres, ponit duas regulas.

Prima regula est: in modis vniuersalibus secundæ figuræ, Cesare nimirum, & Camestres, siue sumatur contrarium, siue contradictorium conclusionis, & minor, nunquam euertitur maior, probando eius contrariam vniuersalem, sed solum probando eius contradictoriam particularem. Ratio est, quia ex contradictoria, vel contraria conclusionis, & minori, semper fit syllogismus in tertia figura; sed tertia figura concludit solum particulariter; ergo non potest probari contraria maioris, quæ debet esse vniuersalis.

2 Secunda regula est: in ijsdem modis ex contraria conclusionis, & maiori probatur contraria minoris: ex contradictoria conclusionis, & maiori probatur contradictoria minoris. Probatur discurrendo per dictos modos vniuersales. Primo fit syllogismus in Camestres: *omnis homo est intellectualis; nullus equus est intellectualis; ergo nullus equus est homo*: sumendo contrariam conclusionis, & maiorem, concluditur in prima figura, & in Barbara contraria minoris sic: *omnis homo est intellectualis; omnis equus est homo; ergo omnis equus est intellectualis*: sumendo contrariam conclusionis, & minorem concluditur per tertiam figuram in Felapton, non contraria, sed contradictoria maioris sic: *nullus equus est intellectualis; aliquis equus est homo; ergo aliquis homo non est intellectualis*: sumendo contradictoriam conclusionis, & maiorem concluditur in prima figura, & in Darij contradictoria minoris sic; *omnis homo est intellectualis; aliquis equus est homo; ergo aliquis equus est intellectualis*: sumendo contradictoriam conclusionis, & minorem concluditur in tertia figura, & in Ferison contradictoria maioris sic: *nullus equus est intellectualis; aliquis equus est homo; ergo aliquis homo non est intellectualis*.

3 Secundo fit syllogismus in Cesare: *nullus homo est hinnibilis; omnis equus est hinnibilis; ergo nullus equus est homo*: ex contraria conclusionis, & maiori sequitur, contraria minoris in prima figura, & in Celarent sic: *nullus homo est hinnibilis; omnis equus est homo; ergo nullus equus est hinnibilis*: ex contradictoria conclusionis, & maiori sequitur in Ferio contradictoria minoris sic: *nullus homo est hinnibilis; aliquis equus est homo; ergo aliquis equus non est hinnibilis*: ex contraria conclusionis, & minori, sequitur in tertia figura, & in Darapti, non quidem contraria, sed contradictoria maioris sic: *omnis equus est hinnibilis; omnis equus est homo; ergo aliquis homo est hinnibilis*: ex contradictoria conclusionis, & minori sequitur in Datisi contradictoria maioris, sic: *omnis equus est hinnibilis; aliquis equus est homo; ergo aliquis homo est hinnibilis*.

4 *Quòd si syllogismus est in parte, si contrarie conuertatur conclusio, neutra propositionum tollitur, quemadmodum neque in*

prima figura: si vero opposite, vtreque.

5 *Ponatur enim A. B quidem nulli inesse: ipsi autem C alicui: conclusio B C. Si itaque positum fuerit B alicui C inesse: & A B maneat: conclusio erit, quòd A alicui C non inest, sed non est sublatum, quod à principio: contingit enim alicui inesse, & non inesse. Rursus si B alicui C: & A alicui C: non est syllogismus. Neutrum enim acceptorum vniuersale: quare non tollitur A B. Quòd si opposite conuertatur, tolluntur ambæ. Si enim B omni C: A vero nulli B: nulli C ipsum A. Sed erat alicui. Rursus si B omni C: A autem alicui C: A alicui B. Eadem vero demonstratio, & si vniuersale prædicatiuum.*

4 Quoad modos particulares secundæ figuræ, qui sunt Festino, & Barocco, ponit Aristoteles duas regulas. Prima est: ex subcontraria conclusionis, & altera præmissarum, non euertitur altera præmissa. Secunda est: ex contradictoria conclusionis, & altera præmissarum euertitur altera præmissa.

5 Probatur, discurrendo per dictos modos. Primo fit syllogismus in Festino: *nullus homo est hinnibilis; aliquod animal est hinnibile; ergo aliquid animal non est homo*: ex subcontraria conclusionis, & maiori non euertitur minor, sed sequitur in Ferio subcontraria minoris sic: *nullus homo est hinnibilis; aliquod animal est homo; ergo aliquod animal non est hinnibile*. Ex subcontraria conclusionis, & minori, quæ sunt: *aliquod animal est homo; aliquod animal est hinnibile*; nihil sequitur, cum vtraque sit particularis. Ex contradictoria conclusionis, & maiori sequitur in Celarent contradictoria minoris sic: *nullus homo est hinnibilis; omne animal est homo; ergo nullum animal est hinnibile*. Ex contradictoria conclusionis, & minori, sequitur in Disamis contradictoria maioris sic: *aliquod animal est hinnibile; omne animal est homo; ergo aliquis homo est hinnibilis*. Idem dicendum de Barocco, & est eadem demonstratio.

De Syllogismo conuersiuo in tertia figura. Cap. X.

1 *Sed in tertia figura cùm contrarie quidem conuertatur conclusio, neutra tollitur propositionum secundum nullum syllogismorum.*
2 ** Cum vero opposite, ambæ, & in omnibus.*

3 *Sit ostensum A alicui B inexistens: medium autem sit acceptum C: sint autem propositiones vniuersales. Igitur si acceptum fuerit A alicui B non inesse: B vero omni C: non fit syllogismus A, & C. Neque si A eorum quidem, quæ B alicui non insit: C autem omni: non erit B, & C syllogismus.*

4 *Consimiliter autem monstrabitur, & si non vniuersales propositiones. Aut enim ambas necesse est secundum partem esse per conuersionem, aut vniuersale ad minus extremum fieri.*
5 ** Verum sic non erat syllogismus neque in prima figura, neque in media.*

1 Qvoad tertiam figuram ponit Aristoteles duas regulas. Prima regula est: in tertia figura ex subcontraria conclusionis, & altera præmissa non destruitur reliqua.

2 Secunda regula est: in tertia figura ex contradictoria conclusionis, & altera præmissa destruitur reliqua, tum maior, tum minor. Probatur prima regula, discurrendo per modos, primo affirmatiuos, qui sunt Darapti, Disamis, & Datisi vniuersales, & particulares.

3 Primo fit syllogismus in Darapti: *omnis homo est intellectualis; omnis homo est animal; ergo aliquod animal est intellectuale*: ex subcontraria conclusionis, & minori fit; *aliquod animal est intellectuale; omnis homo est animal*; ex quibus præmissis nihil sequitur, quia in prima figura ex maiori particulari nihil sequitur. Ex subcontraria conclusionis, & maiori fit syllogismus in Barocco, ex quo sequitur subcontraria minoris, per quam non euertitur minor sic: *omnis homo est intellectualis; aliquis homo non est animal; ergo aliquod animal non est intellectuale*. Si verò inuertantur præmissæ, & dicatur; *aliquis homo non est animal;*

omnis

omnis homo est intellectualis; nihil sequitur, quia in secunda figura ex maiori particulari nihil sequitur.

4 Secundo fit syllogismus in Disamis; *aliquod animal est homo; omne animal est viuens; ergo aliquod viuens est homo*: ex subcontraria conclusionis, & maiori nihil sequitur, quia vtraque est particularis: ex subcontraria conclusionis, & minori fit; *aliquod viuens non est homo; omne animal est viuens*; ex quo modo nihil sequitur, quia in prima figura ex maiori particulari nihil sequitur.

5 Tertio fit syllogismus in Datisi; *omnis homo est animal; aliquis homo est albus; ergo aliquod album est animal*: ex subcontraria conclusionis, & minori nihil sequitur, quia vtraque est particularis: ex subcontraria conclusionis, & maiori fit; *aliquod album non est animal; omnis homo est animal*; ex quibus præmissis nihil sequitur, quia in secunda figura ex maiori particulari, & minori negatiua nihil sequitur.

6 *Quòd si opposite conuertantur, propositiones, tolluntur ambæ. Si enim A nulli B: B vero omni C: A nulli C. Rursus si A nulli quidem B: ipsi vero C omni: B nulli C.*

7 *Et si altera non vniuersalis, consimiliter. Si enim A nulli B: B vero alicui C: A alicui C non inerit. Quod si A. B quidem nulli: C autem omni: nulli C ipsum B.*

6 Probatur iam secunda regula discurrendo per eosdem modos affirmatiuos. Primo fit syllogismus in Darapti; *omnis homo est intellectualis; omnis homo est animal; ergo aliquod animal est intellectuale*: ex contradictoria conclusionis, & minori concluditur in Celarent contradictoria maioris sic; *nullum animal est intellectuale; omnis homo est animal; ergo nullus homo est intellectualis*: ex contradictoria conclusionis, & maiori concluditur in Cesare contradictoria minoris sic; *nullum animal est intellectuale, omnis homo est intellectualis, ergo nullus homo est animal.*

7 Secundo fit syllogismus in Datisi; *omnis homo est animal; aliquis homo est albus; ergo aliquod album est animal*: ex contradictoria conclusionis, & minori, concluditur in Ferio contradictoria maioris sic: *nullum album est animal; aliquis homo est albus; ergo aliquis homo non est animal*: ex contradictoria conclusionis, & maiori concluditur in Cesare contradictoria minoris sic; *nullum album est animal; omnis homo est animal; ergo nullus homo est albus.*

8 *Similiter vero & si priuatiuus syllogismus. Sit enim ostensum A alicui B non inexistens: sit autem prædicatiuum quidem B C: negatiuum autem A C: sic enim efficiebatur syllogismus. Quando igitur contrarium acceptum fuerit conclusioni, non erit syllogismus, Si enim A alicui B: B vero omni C: non erat syllogismus ipsius A, & ipsius C. Neque si A alicui B: C vero nulli: non erat ipsius B, & ipsius C syllogismus. Quare non tolluntur propositiones.*

9 *Quando autem oppositum, tolluntur. Si enim A omni B: & B ipsi C: A omni C: sed nulli inerat. Rursus si A omni B: ipsi autem C nulli: B nulli C: sed omni inerat.*

10 *Consimiliter autem monstratur & si non vniuersales sunt propositiones. Sit enim A C, & vniuersale, & priuatiuum, alterum autem prædicatiuum in parte. Si igitur A omni B: B autem alicui C: A alicui C contingit: sed nulli inerat. Rursus si A omni B: ipsi autem C nulli: B nulli C. Sin autem A alicui B: & B alicui C, non fit syllogismus. Neque si A alicui B: ipsi autem C nulli, neque sic. Quare illo quidem modo tolluntur, sic autem non tolluntur propositiones.*

11 *Planum igitur per dicta, quomodo conuersa conclusione in vnaquaque figura fit syllogismus, & quando contrarius propositioni, & quando oppositus.*

8 Probat iam Aristoteles easdem duas regulas de tribus modis negatiuis, qui sunt Felapton, Boccardo, & Ferison. Primo fit syllogismus in Felapton; *nullus homo est equus; omnis homo est animal; ergo aliquod animal non est equus*; ex subcontraria conclusionis, & minori fit; *aliquod animal est equus; omnis homo est animal*; ex quibus præmissis nihil sequitur, quia in prima figura ex maiori particulari nihil sequitur; ergo in Felapton ex subcontraria conclusionis, & altera præmissarum non euertitur altera præmissa, vt dictum est in prima regula: ex maiori, & subcontraria conclusionis fit syllogismus in Festino sic; *nullus homo est equus; aliquod animal est equus; ergo aliquod animal non est homo*; quæ conclusio non destruit illam minorē; *omnis homo est animal*; sed verificatur simul cū illa.

9 E conuerso iuxtà secundam regulam in eodem Felapton ex contradictoria conclusionis, & minori fit syllogismus in Barbara, in quo infertur contraria maioris sic: *omne animal est equus; omnis homo est animal: ergo omnis homo est equus*: ex contradictoria conclusionis, & maiori fit syllogismus in Camestres, in quo infertur contraria minoris sic: *omne animal est equus; nullus homo est equus; ergo nullus homo est animal*.

10 Secundo fit syllogismus in Ferison: *nullus homo est equus; aliquis homo est animal; ergo aliquod animal non est equus*: ex contradictoria conclusionis, & minori concluditur in Darij contradictoria maioris sic; *omne animal est equus; aliquis homo est animal; ergo aliquis homo est equus*: ex contradictoria conclusionis, & maiori infertur in Camestres contradictoria minoris sic; *omne animal est equus; nullus homo est equus; ergo nullus homo est animal*. Si verò accipiatur subcontraria conclusionis, cum minori, nihil sequitur, cum vtraque præmissa sit particularis: si accipiatur subcontraria conclusionis, cum maiori, vel subcontraria conclusionis fit maior, & dicitur; *aliquod animal est equus; nullus homo est equus*; & nihil sequitur, quia in secunda figura ex maiori particulari nihil sequitur; vel subcontraria conclusionis fit minor, & fit sequens syllogismus in Festino; *nullus homo est equus; aliquod animal est equus; ergo aliquod animal non est homo*; quæ conclusio non est destructiua illius minoris, *aliquis homo est animal*, sed verificatur simul cum illa.

11 Concludit Aristoteles, quod ex his patet, quo pacto in singulis figuris efficiatur syllogismus conuersiuus, & quo pacto ex tali syllogismo inferatur contraria, vel contradictoria alterius præmissæ.

12 *Et quòd in prima quidem figura per mediam, & vltimam fiunt syllogismi, & quæ ad minus extremum semper per mediam tollitur, quæ vero ad maius, per vltimam.*

13 *In secunda autem per primam, & vltimam: quæ quidem ad minus extremum semper per primam figuram, quæ autem ad maius per vltimam.*

14 *Sed in tertia per primam, & per mediã: & quæ quidem ad maius semper per primam, quæ autem ad minus per mediam. Quis igitur est conuertere, & quomodo in vnaquaque figura, & quis sit syllogismus, manifestum.*

12 Infert tria corollaria spectantia ad vnamquamque figuram. Primum est: in prima figura syllogismus conuersiuus ad euertendam maiorem fit per tertiam figuram, ad euertendam minorem fit per secundam figuram.

13 Secundum corollarium est: in secunda figura syllogismus conuersiuus euertens minorem fit per primam figuram; syllogismus conuersiuus euertens maiorem fit per tertiam figuram.

14 Tertium corollarium est: in tertia figura syllogismus cõuersiuus euertens maiorem, semper fit in prima figura; syllogismus conuersiuus euertens minorem, semper fit per secundam figuram. Patet igitur, quid sit syllogismus conuersiuus, & quomodo fiat in vnaquaque figura.

De Syllogismo per impossibile in prima figura. Cap. XI.

1 *Syllogismus vero, qui per impossibile, mõstratur quidem, quando contradictio conclusionis posita fuerit, & assumpta sit alia propositio. Fit autem in omnibus figuris; simile nanque est conuersioni: præterquam quòd differt tantùm, quòd conuertitur quidem facto syllogismo, & impositis ambabus propositionibus: deducitur vero ad impossibile, non præconfesso prius opposito, sed manifesto existente, quòd verum.*

2 *Termini autem similiter se habebunt in ambobus, & eadem amborum acceptio. Vt si A inest omni B: medium autem C. Si fuerit suppositum, aut non omni, aut nulli B inesse: C vero omni, quod erat verum: necesse est C, aut nulli, aut non omni B inesse: hoc autem impossibile: quare falsum, quod suppositum est: verum igitur oppositum. Consimiliter vero, & in alijs figuris. Quæcunque enim conuersionem suscipiunt, & syllogismum per impossibile.*

POstquam Aristoteles egit de illa virtute syllogismi, per quam ex opposito conclusionis syllogizatæ, & altera præmissa, potest per syllogismum conuersiuum inferri oppositum alterius præmissæ, agit de altera

altera

altera virtute affini, per quam ex contradictoria conclusionis non syllogizatæ, sed syllogizandæ, & altera propositione manifesta, potest concludi aliquid impossibile. Primo igitur explicat, quid sit syllogismus per impossibile, & eius differentiam, & conuenientiam cum syllogismo conuersiuo: secundo docet, quo pacto fieri possit syllogismus per impossibile in omnibus figuris.

1 Quoad primum: syllogismus per impossibile est, cum ex contradictoria conclusionis probandæ, & altera præmissa manifesta, infertur aliquid impossibile per omnes figuras. Syllogismus per impossibile in aliquo conuenit, & in aliquo disconuenit cum syllogismo conuersiuo. Disconuenit in hoc, quod syllogismus conuersiuus est, cum facto iam syllogismo, sumitur oppositum conclusionis, & altera præmissa, quæ prius fuerat concessa, & infertur oppositum alterius præmissæ, quæ similiter supponitur fuisse concessa. At syllogismus per impossibile est, cum ex opposito conclusionis syllogizandæ, & altera præmissa manifesta, sed quæ non supponitur concessa, infertur aliquid, cuius oppositum non est concessum, sed concedi debet, vt pote manifestè verum.

2 Conueniunt in hoc, quod vterque fit disponendo terminos eodem modo, & sumendo vt præmissam oppositum conclusionis probandæ, & addendo illi alteram præmissam, ac tales præmissas disponendo iuxta aliquam figuram, & modum. Ex. gr. sit factus syllogismus in Barbara; *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*: syllogismus conuersiuus est, cum ex maiori, & contradictoria conclusionis, infertur in Barocco oppositum minoris, sic: *omne rationale est risibile; aliquis homo non est risibilis; ergo aliquis homo non est rationalis*, quæ est contradictoria maioris concessæ: syllogismus verò per impossibile esset, si non facto primo syllogismo in Barbara, nec concessis illis præmissis, sed solum negato, *quod omnis homo est risibilis*, diceretur itidem in Barocco; *omne rationale est risibile; aliquis homo non est risibilis; ergo aliquis homo non est rationalis; sed hoc est manifestè falsum, & maior est manifestè vera; ergo falsum est, quod aliquis homo non sit risibilis; ergo verum est, quod omnis homo est risibilis*. Idem dic de cæteris figuris, & modis; ergo patet, quod eodem pacto fit syllogismus conuersiuus, & per impossibile, ac solum differunt per differentiam iam explicatam.

3 *Alia itaque problemata omnia per impossibile monstrantur in omnibus figuris: vniuersale autem prædicatiuum in media quidem, & tertia monstratur, in prima vero non monstratur.*

4 *Supponatur namque A non omni B, aut nulli inesse: & accipiatur alia propositio vtrinlibet, siue C inesse omni A, siue B omni D: sic enim esse posset prima figura. Si igitur suppositum est A inesse non omni B, non fit syllogismus, vtrinlibet accepta propositione. Si autem nulli, quando B D assumpta fuerit, syllogismus quidem erit falsi, sed propositum non monstratur. Si enim A nulli B: B vero omni D: A nulli D. Hoc vero impossibile: falsum itaque A inesse nulli B. Sed non, si nulli falsum, omni verum. Quòd si C A accepta fuerit, non fit syllogismus: neque quando suppositum sit A inesse non omni B. Quare manifestum, quòd omni inesse non monstratur in prima figura per impossibile.*

3 Quoad secundum: ponit Aristoteles hanc conclusionem: cum quatuor sint propositiones probandæ; vniuersalis affirmatiua; vniuersalis negatiua; particularis affirmatiua; & particularis negatiua; in prima figura possunt per impossibile probari omnes, excepta vniuersali affirmatiua: in secunda, & tertia figura probari possunt omnes quatuor.

4 Probatur ergo primo, quod in prima figura non potest probari per impossibile vniuersalis affirmatiua. Sit enim probanda hæc: *omnis homo est risibilis*: vel ad faciendum syllogismum per impossibile, sumitur eius contradictoria, vel eius contraria; neutro modo potest posita vniuersalis affirmatiua probari in prima figura; ergo &c. Probatur minor: sumatur enim contradictoria, quæ est; *aliquis homo non est risibilis*: vel hæc particularis negatiua ponitur vt maior syllogismi, vel vt minor; neutro modo potest fieri syllogismus primæ figuræ; ergo &c. Probatur minor: si enim illa particularis negatiua ponitur vt maior, non fit syllogismus, quia in prima figura ex maiori particulari nihil sequitur; si ponitur vt minor, non fit syllogismus, quia in pri-

prima figura & minori negatiua nihil sequitur. Si verò sumatur contraria, quæ est, *nullus homo est risibilis*, si ponatur vt minor, non fit syllogismus, quia in prima figura ex minori negatiua nihil sequitur; si verò ponatur vt maior, fiet quidem syllogismus, in eoque poterit concludi in Celarent aliquid falsum, & impossibile, ex eoque inferri, quod hæc propositio, *nullus homo est risibilis*, quæ est contraria conclusioni probandæ, quæ est, *omnis homo est risibilis*, sit falsa, at non poterit probari, quod hæc conclusio, *omnis homo est risibilis* sit vera, cum propositiones contrariæ possint esse simul falsæ; ergo non erit probata illa vniuersalis affirmatiua; ergo in prima figura vniuersalis affirmatiua non potest probari per impossibile.

5 *Alicui vero, & nulli, & non omni monstratur. Supponatur enim A nulli* B *inesse:* B *autem acceptum sit omni, aut alicui* C: *igitur necesse est A nulli, aut non omni C inesse. Sed hoc impossibile. Sit enim verum, & manifestum, quòd A inest omni C: quare si hoc falsum, necesse est A alicui B inesse. Quòd si ad A sumpta fuerit altera propositio, non erit syllogismus, neque quando contrarium conclusioni suppositum fuerit, vt alicui non inesse. Planum igitur, quòd oppositum supponendum.*

6 *Rursus supponatur A alicui* B *inesse: acceptum autem sit C omni A: necesse itaque C alicui* B *inesse. Hoc autem sit impossibile: quare falsum, quod suppositum est. Si vero sic, verum nulli inesse. Consimiliter autem & si priuatiuum sumptum fuerit* C A. *Sed si propositio, quæ est ad B accepta fuerit, non erit syllogismus. Sin autem contrarium suppositum fuerit, syllogismus quidem erit, & impossibile, sed non monstratur propositum. Supponatur enim A omni B: &* C *accipiatur omni A: igitur necesse est* C *omni B inesse. Hoc autem impossibile: quare falsum A inesse omni* B. *Verum nondum vtique necessarium, si non omni, nulli inesse. Consimiliter autem & si ad* B *accepta fuerit altera propositio, syllogismus quidem erit, & impossibile, sed non tollitur suppositio: quare oppositum supponendum.*

5 Probatur secundo, quod in prima figura probari potest per impossibile particularis affirmatiua, & negatiua tum vniuersalis, tum particularis. Primo sit probanda hæc particularis affirmatiua: *aliquod animal est rationale:* sumatur vt maior eius contradictoria, quæ est, *nullum animal est rationale;* subsumatur minor vniuersalis, vel particularis, quæ sit; *omnis, vel aliquis homo est animal;* sequitur in Celarent, & Ferio; *ergo nullus homo est rationalis, vel aliquis homo non est rationalis;* sed hoc est falsum, cum manifestè, *omnis homo sit rationalis*; ergo falsum est, quod *nullum animal est rationale*; ergo verum est quod *aliquod animal est rationale*, quod erat probandum. Si verò contradictoria conclusionis, quæ est, *nullum animal est rationale*, ponatur vt minor, nihil sequitur, quia in prima figura ex minori negatiua nihil sequitur. Si rursus loco contradictoriæ sumatur subcontraria conclusionis probandæ, quæ subcontraria est, *aliquod animal non est rationale*, non potest fieri syllogismus, quia particularis negatiua neque potest esse maior in prima figura, quia in prima figura ex maiori particulari nihil sequitur; neque potest esse minor, quia in prima figura ex minori negatiua nihil sequitur; ergo particularis negatiua non potest esse præmissa in prima figura. Patet igitur, quod particularis affirmatiua potest in prima figura per impossibile probari per duos modos, Celarent nimirum, & Ferio, sed non debet sumi ad illam probandam ipsius subcontraria, sed contradictoria, vt explicatum est.

6 Secundo sit probanda per impossibile hæc vniuersalis negatiua: *nullus homo est hinnibilis;* sumatur contradictoria, *aliquis homo est hinnibilis*; addatur vt maior hæc manifesta, *omne hinnibile est equus*; sequitur in Darij; *ergo aliquis homo est equus*; sed hoc est manifestè impossibile, & maior est manifestè vera; ergo falsa est minor, quod *aliquis homo sit hinnibilis*; ergo vera est eius contradictoria, quod *nullus homo est hinnibilis*, quæ erat conclusio probanda. Rursus sumatur vt maior hæc negatiua, *nullum hinnibile est rationale*; subsumatur vt minor contradictoria conclusionis probandæ, *aliquis homo est hinnibilis*; sequitur in Ferio; *ergo aliquis homo non est rationalis*, quod est impossibile; ergo falsum est, quod *aliquis homo est hinnibilis*. Quod si contradictoria conclusionis vniuersalis negatiuæ, quæ est particularis affirmatiua, ponatur vt maior, non fiet syllo-

logismus primæ figuræ, quia in prima figura ex maiori particulari nihil sequitur. Si rursus loco contradictoriæ conclusionis probandæ sumatur eius contraria, quæ est, *omnis homo est hinnibilis*; & subsumatur, quod *omne rationale est homo*; fit quidem syllogismus, ex quo sequitur impossibile manifestum, nimirum, quod *omne rationale est hinnibile*; ex quo rursus sequitur falsum esse, quod *omnis homo sit hinnibilis*; sed adhuc non probatur veram esse propositam conclusionem, quod *nullus homo est hinnibilis*; quia cum contrariæ possint esse simul falsæ, ex falsitate vnius non potest inferri veritas alterius. Idem dic, si contraria conclusionis probandæ fiat minor, altera verò propositio ponatur vt maior: nam inferetur quidem conclusio impossibilis, non tamen probabitur vniuersalis negatiua intenta; ergo vt hæc probetur, non debet sumi contraria, sed contradictoria ipsius.

7 *Vt autem monstremus A inesse non omni B, supponendum omni inesse. Si enim A omni B: & C omni A: C omni B. Quare si hoc impossibile, falsum quod suppositum est. Consimiliter autem et si ad B accepta fuit altera propositio. Et si priuatiuum sit C A, consimiliter: sic enim fit syllogismus. Si vero ad B sit priuatiuum, nihil monstratur.*

8 *Quòd si non omni, sed alicui inesse suppositum fuerit, non monstratur, quòd non omni, sed quòd nulli. Si enim A alicui B: C vero omni A: C alicui B inerit. Si igitur hoc impossibile, falsum est A alicui B inesse: quare verum nulli. Hoc autem monstrato, tollitur ipsum verum. A enim alicui quidem B inerat: alicui autem non inerat. Amplius non accidit impossibile iuxta hypothesin. Esset enim vtique falsa: si quidem ex veris non est falsum ratiocinari. Nunc autem est vera: inest nanque A alicui B: quare non supponendum alicui inesse, sed omni. Consimiliter vero & si monstraremus A alicui B non inexistens: si enim idem alicui non inesse, & non omni inesse, eadem vtrorumque demonstratio. Planum itaque, quòd non contrarium, sed oppositum supponendum. Nanque sic necessarium erit, & dignitas probabilis. Si enim de omni dictio, aut negatio, cùm monstratum fuerit, quòd non negatio, necesse est affirmationem verificari. Rursus si non ponit affirmationem verificari, probabile est existimare negationem. Contrarium autem neutro modo conuenit existimare. Neque enim necessarium, si nulli falsum, omni verum esse: neque probabile, vt si alterum falsum, quòd alterum verum. Planum igitur, quòd in prima figura alia quidem problemata omnia monstrantur per impossibile: vniuersale autem affirmatiuum non monstratur.*

7 Tertio sit probanda hæc negatiua particularis, *aliquod animal non est homo*: sumatur contradictoria, quæ est, *omne animal est homo*, & præmittendo, vt maiorem vniuersalem affirmatiuam, vel negatiuam manifestam, fiat syllogismus per impossibile in Barbara, vel Celarent, dicendo: *omnis homo est rationalis; omne animal est homo; ergo omne animal est rationale*; quod est impossibile; vel *nullus homo est equus; omne animal est homo; ergo nullum animal est equus*; quod est impossibile. Rursus constituendo contradictoriam conclusionis maiorem, & subsumendo minorem affirmatiuam vniuersalem, vel particularem, fiat syllogismus in Barbara, vel Darij, dicendo; *omne animal est homo; omnis, vel aliquis equus est animal; ergo omnis, vel aliquis equus est homo*; quod est impossibile. Si verò subsumatur minor negatiua vniuersalis, vel particularis, non fit syllogismus, quia in prima figura ex minori negatiua nihil sequitur.

8 Quod si loco sumendi contradictoriam conclusionis particularis negatiuæ probandæ per impossibile, quæ conclusio sit; *aliquod animal non est homo*; sumatur eius subcontraria, quæ est, *aliquod animal est homo*, & fiat minor, (non enim potest fieri maior, quia in prima figura ex maiori particulari nihil sequitur) fiet talis syllogismus; *omnis homo est rationalis; aliquod animal est homo; ergo aliquod animal est rationale*: si ergo addatur; sed est impossibile, vt aliquod animal sit rationale; sequitur; *ergo est falsum quod aliquod animal sit homo*; ergo vera est contradictoria, quod *nullum animal est homo*, & sic probatur propositio falsa; ergo ex subcontraria non fit conuenienter syllogismus per impossibile. Confirmatur, quia subcontrariæ possunt esse simul veræ; sed ex vero coniuncto alteri vero non sequitur falsum; ergo ex subcontraria conclusionis veræ cum altera propositione manifesta, non potest inferri falsum; sed in syllogismo per impossibile de-

debet inferri falsum; ergo ex subcontraria conclusionis probandæ non potest fieri syllogismus per impossibile; ergo ad faciendum syllogismum per impossibile, non debet sumi contraria, neque subcontraria, sed contradictoria conclusionis probandæ. Ratio est, quia probatio per impossibile fundatur in eo, quod ex contradictorijs alterum est verum; ergo cum probatur falsitas vnius partis contradictionis ex eo, quod ex illa sequatur falsum, infertur veritas alterius; sed ex contrarijs non est necesse, vt altera sit vera; ergo ex eo, quod probetur falsitas vnius contrarij per syllogismum ad impossibile, non sequitur veritas alterius.

De Syllogismo per impossibile in secunda figura. Cap. XII.

1 *IN media vero, atque vltima, & hoc*
2 *monstratur. * Ponatur enim A non omni B inesse: acceptum autem sit A omni C inesse. Igitur si non omni B: C vero omni: C non omni B. Sed hoc impossibile. Sit enim manifestum, quòd C inest omni B: quare falsum, quod supponitur: verum itaque omni inesse. Sin autem contrarium suppositum fuerit, syllogismus quidem erit, & impossibile, non tamen monstratu propositum. Si enim A nulli B: ipsi vero C omni: C nulli B. Sed hoc impossibile: quare falsum nulli inesse. Cæterum non si hoc falsum, omni verum.*

3 *Quando autem A inest alicui B, supponatur A nulli B inesse: C autem omni insit: necesse igitur C nulli B. Quare si hoc impossibile, necesse est A alicui B inesse. Quòd si fuerit suppositum alicui non inesse, eadem erunt, quæ & in prima figura.*

1 POstquam Aristoteles ostendit, quod in prima figura possunt per impossibile probari omnes propositiones, excepta vniuersali affirmatiua, procedit ad ostendendum, quod in secunda, & tertia figura probari possunt omnes, etiam vniuersalis affirmatiua.

2 In secunda igitur figura probanda sit hæc vniuersalis affirmatiua; *omnis homo est risibilis*: sumatur eius contradictoria, quæ est, *aliquis homo non est risibilis*, & fiat minor: præponatur, vt maior hæc, *omne rationale est risibile*; fiet sequens syllogismus in Barocco; *omne rationale est risibile; aliquis homo non est risibilis; ergo aliquis homo non est rationalis*; sed hoc est impossibile, & maior est vera; ergo minor est falsa; ergo est vera contradictoria minoris, quod omnis homo est risibilis. Si verò loco contradictoriæ sumatur contraria, fiet sequens syllogismus in Camestres; *omne rationale est risibile; nullus homo est risibilis; ergo nullus homo est rationalis*; hoc est falsum, ergo falsa minor, quod *nullus homo est risibilis*. At non ex hoc probatur veram esse conclusionem intentam, quod omnis homo est risibilis, quia propositiones contrariæ possunt esse simul falsæ.

3 Secundo sit probanda hæc particularis affirmatiua; *aliquod animal est risibile*: sumatur eius contradictoria, quæ est, *nullum animal est risibile*, & fiat minor: proponatur, vt maior hæc: *omne rationale est risibile*: fiet sequens syllogismus in Camestres; *omne rationale est risibile; nullum animal est risibile; ergo nullum animal est rationale*; sed hoc est impossibile, & maior est manifestè vera; ergo falsa est minor, & vera est eius contradictoria, quod aliquod animal est risibile. Si verò loco contradictoriæ sumatur subcontraria, cum possint subcontrariæ esse simul veræ, non fiet ex vi formæ syllogismus ad impossibile, ex quo necessario sequatur falsum, vt dictum est cap. 11. num. 8.

4 *Rursus subijciatur A alicui B inesse: ipsi vero C nulli insit: necesse itaque C alicui B non inesse. Sed omni inerat: quare falsum, quod est suppositum: A igitur nulli B inerit.*

5 *Quando autem A non omni B, supponatur omni inesse: ipsi vero C nulli: necesse igitur C nulli B inesse: hoc autem impossibile: quare verum non omni inesse. Planum igitur, quòd omnes syllogismi fiunt per mediam figuram.*

4 Tertio sit probanda hæc vniuersalis negatiua; *nullus homo est hinnibilis*: sumatur contradictoria, quæ sit, *aliquis homo est hinnibilis*, & fiat minor: præponatur vt maior hæc, *nullum rationale est hinnibile*, fiet sequens syllogismus in Festino: *nullum rationale est hinnibile; aliquis homo est hinnibi-*

nibilis ; ergo aliquis homo non est rationalis ; sed hoc est impossibile, & maior est vera ; ergo falsa est minor ; ergo vera est eius contradictoria, quod nullus homo est hinnibilis.

5 Quarto sit probanda hæc particularis negatiua, *aliquod animal non est hinnibile*: sumatur contradictoria, quæ est ; *omne animal est hinnibile*, ac fiat minor ; præponatur vt maior hæc, *nullus homo est hinnibilis*; fiet sequens syllogismus in Cesare ; *nullus homo est hinnibilis ; omne animal est hinnibile ; ergo nullum animal est homo* ; sed hoc est impossibile, & maior est manifestè vera ; ergo falsa est minor, & vera est eius contradictoria, quod aliquod animal non sit hinnibile;ergo manifestum est,quod in secunda figura probari possunt per impossibile omnes propositiones, nimirum vniuersalis affirmatiua, vniuersalis negatiua, particularis affirmatiua, & particularis negatiua.

De Syllogismo per impossibile in tertia figura. Cap.XIII.

1 *Consimiliter autem, & per vltimam. Ponatur enim A alicui B non inesse: ipsum vero C omni: A igitur alicui C non inest. Si igitur hoc impossibile, falsum alicui non inesse: quare verum omni. Si vero suppositum fuerit nulli inesse, syllogismus quidem erit, & impossibile, non autem monstratur propositum. Nam si contrarium suppositum fuerit, eadem erunt, quæ & in prioribus.*

2 *Sed ad alicui inesse accipienda est hæc suppositio. Si enim A nulli B: C vero alicui B: A non omni C. Si igitur hoc falsum, verum A alicui B inesse.*

1 Ostendit demum Aristoteles, quod etiam in tertia figura probari possunt omnes quatuor propositiones. Primo enim probanda sit hæc vniuersalis affirmatiua ; *omnis homo est risibilis* : sumatur eius contradictoria ; *aliquis homo non est risibilis*, & fiat maior : subsumatur vt minor ; *omnis homo est rationalis* ; fit syllogismus in Boccardo ; *aliquis homo non est risibilis ; omnis homo est rationalis ; ergo aliquod rationale non est risibile* ; sed hoc est impossibile, & minor est manifestè vera ; ergo falsa est maior ; ergo vera est eius contradictoria, quod omnis homo est risibilis. Si verò loco contradictoriæ sumatur contraria fiet sequens syllogismus in Felapton ; *nullus homo est risibilis ; omnis homo est rationalis ; ergo aliquod rationale non est risibile* ; sed hoc est impossibile ; ergo falsa est maior ; sed non sequitur ; *ergo vera est eius contraria*, hoc est conclusio intenta, cum propositiones contrariæ possint esse simul falsæ.

2 Secundo sit probanda hæc particularis affirmatiua, *aliquod animal est risibile* : sumatur contradictoria ; *nullum animal est risibile*, & fiat maior ; subiungatur vt minor, *aliquod animal est homo*; fit syllogismus in Ferison, in quo sequitur ; *ergo aliquis homo non est risibilis* ; sed hoc est impossibile, & minor est manifestè vera ; ergo falsa est maior ; ergo vera est contradictoria maioris, adeoque aliquod animal est risibile.

3 *Quando autem A inest nulli B, supponatur alicui inesse: accipiatur autem, & C omni B inexistens: igitur necesse est ipsum A inesse alicui C: sed nulli inerat: quare falsum A inesse alicui B. Si vero suppositum fuerit A inexistens omni B, non monstratur propositum.*

4 *Sed ad non omni inesse, hæc accipienda est suppositio. Si enim A omni B: & C alicui B: A inest alicui C. Sed hoc non erat: quare falsum omni inesse. Si autem ita, verum non omni. Quòd si fuerit suppositum alicui inesse, eadem erunt, quæ & in prædictis. Manifestum igitur, quòd in omnibus syllogismis per impossibile oppositum supponendum. Planum autem, & quòd in media figura monstratur quodammodo affirmatiuum, & in vltima vniuersale.*

3 Tertio probanda sit hæc vniuersalis negatiua, *nullus homo est hinnibilis* : sumatur eius contradictoria, quæ est, *aliquis homo est hinnibilis*, & fiat maior: subiungatur vt minor ; *omnis homo est rationalis* ; sequitur in Disamis ; *ergo aliquod rationale est hinnibile* ; sed hoc est impossibile,& minor est manifestè vera; ergo falsa est maior, & vera eius contradictoria, quod *nullus homo est hinnibilis*.

4 Quarto probanda sit hæc particularis negatiua, *aliquod animal non est homo* : sumatur eius contradictoria, quæ est, *omne ani-*

animal est homo, & fiat maior; subiungatur, vt minor, *aliquod animal est equus*; fiet syllogismus in Datisi, in quo infertur; *ergo aliquis equus est homo; sed hoc est impossibile, & minor est manifestè vera; ergo falsa est maior, & vera est contradictoria maioris, quod aliquod animal non sit homo.* Si verò loco contradictoriæ, sumatur subcontraria, quæ est, *aliquod animal est homo*, cum hæc possit esse simul vera cum conclusione probanda, non fiet syllogismus per impossibile, vt dictum est cap. 11. num. 8. Patet igitur, quod ad syllogizandum per impossibile, sumi debet non contraria, neque subcontraria, sed contradictoria conclusionis probandæ. Patet rursus, quod in secunda, & tertia figura probari potest per impossibile etiam vniuersalis affirmatiua, cum hæc in prima figura probari non possit.

De Differentia inter demonstrationem ostensiuam, & demonstrationem per impossibile. Cap. XIV.

1 *Differt autem demonstratio ad impossibile ab ostensiua, eo quòd ponit, quod vult tollere, deducens ad confessum falsum: ostensiua vero incipit ex confessis positionibus. Accipiunt itaque ambæ duas propositiones confessas: sed illa quidem, ex quibus est syllogismus: hæc vero vnam quidem harum, vnam autem contradictionem conclusionis. Et illic quidem non necesse conclusionem notam esse, neque praeaccipere quod est, aut non: hic vero necesse, quod est. Differt autem nihil, dictionem, aut negationem esse conclusionem: sed similiter se habet de vtrisque.*

1 POstquam Aristoteles egit de syllogismo per impossibile, comparat illum cum syllogismo ostensiuo, & explicat in quo differant, ac conueniant. Differunt in hoc, quod syllogismus per impossibile assumit vt præmissam illam propositionem falsam, quam vult interimere, ostendendo, quod ex ipsa sequitur aliquid manifestè falsum: syllogismus verò ostensiuus assumit vt præmissas solum propositiones veras, & concessas. Tum igitur syllogismus ostensiuus, tum syllogismus per impossibile sumunt duas præmissas concessas: sed syllogismus ostensiuus sumit illas præmissas, ex quibus concluditur conclusio probanda; syllogismus verò per impossibile sumit vnā præmissam, ex qua concludi potest conclusio probanda, alteram verò, quæ est contradictoria conclusionis probandæ. Rursus syllogismus ostensiuus non supponit, quod conclusio probanda sit vera, neque quod sit falsa; syllogismus verò per impossibile supponit, quod conclusio probanda non sit vera, sed falsa. Nihil porrò refert, vtrum conclusio probanda sit affirmatiua, vel negatiua: nam de vtraque eadem est ratio.

De mutua reductione syllogismi ostensiui ad syllogismum per impossibile, & syllogismi per impossibile ad ostensiuũ in prima figura. Cap. XV.

1 *OMne vero, quod ostensiue concluditur, & per impossibile monstrabitur: & quod per impossibile, ostensiue, per eosdem terminos.*

2 *Quando igitur syllogismus in prima efficiatur figura, verum erit in media, aut vltima: priuatiuum quidem in media, prædicatiuum autem in vltima.*

3 *Cum vero in media fuerit syllogismus, quod verum in prima, & in omnibus problematibus.*

4 *Quando autem in vltima syllogismus, quod verum in prima, & media: affirmatiua quidem in prima, priuatiua vero in media.*

EXplicata conuenientia, ac differentia syllogismi per impossibile, ac ostensiui, explicat Aristoteles, quo pacto syllogismus ostensiuus possit mutari in syllogismum per impossibile, & syllogismus per impossibile in ostensiuum in omnibus figuris, & ponit quatuor conclusiones.

1 Prima conclusio est: omne, quod probatur per impossibile, potest probari ostensiuè; & omne, quod probatur ostensiuè, potest probari per impossibile, retentis iisdem terminis, sed mutata figura.

2 Secunda conclusio pro prima figura est:

est: si syllogismus per impossibile inferens conclusionem falsam, ex cuius interemptione colligitur vera, sit in prima figura, syllogismus ostensiuus directè inferens conclusionem veram, erit in secunda, vel tertia figura: in secunda quidem, si conclusio vera sit negatiua; in tertia verò, si conclusio vera sit affirmatiua.

3 Tertia conclusio pro secunda figura est: si syllogismus per impossibile sit in secunda figura, syllogismus ostensiuus inferens directè conclusionem veram, erit in prima figura, cuiuscunque generis sit conclusio.

4 Quarta conclusio pro tertia figura est: si syllogismus per impossibile sit in tertia figura, syllogismus ostensiuus directè inferens conclusionem veram, erit in prima, vel in secunda figura; in prima quidem, si vera conclusio inferenda sit affirmatiua; in secunda autem, si vera conclusio inferenda sit negatiua.

5 *Sit enim ostensum A nulli, aut non omni B per primam figuram: igitur suppositio quidem erat A inesse alicui B: C vero accipiebatur A quidem omni inesse: B autem nulli: nam sic efficiebatur syllogismus, & impossibile. Hæc autem media figura, si C A quidem omni: B vero nulli inest: & manifestum ex his, quod nulli B inest A.*

6 *Consimiliter autem & si non omni monstratum est inexistens. Suppositio nanque est omni inesse: C vero accipiebatur A quidem omni, B vero non omni. Et si priuatiuum acciperetur C A consimiliter. Sic enim efficitur media figura.*

7 *Rursus monstratum sit A inexistens alicui B. Suppositio igitur nulli inesse: B vero accipiebatur omni C inesse: & A, aut omni, aut alicui C: sic enim erit impossibile. Hæc autem vltima figura, si A, & B omni C. Et manifestum ex his, quod necesse est A alicui B inesse. Consimiliter autem & si B, aut A acceptum fuerit inexistens alicui C.*

5 Probantur iam positæ conclusiones; & quia prima conclusio patebit ex probatione aliarum trium, probantur aliæ tres conclusiones. Primo ergo probatur secunda conclusio, quæ continet regulam pro prima figura; & primo ostenditur prima pars regulæ, quod negatiua vera per impossibile probata in prima figura, possit ostensiuè probari in secunda figura. Primo ad probandam hanc vniuersalem negatiuam, *nullus homo est equus*, fiat sequens syllogismus per impossibile in Darij: *omnis equus est irrationalis; aliquis homo est equus; ergo aliquis homo est irrationalis; hoc est impossibile, & maior est manifestè vera; ergo falsa est minor, & vera est contradictoria minoris, quæ contradictoria est, nullus homo est equus.* Ex maiori, quæ supponitur vera, & est contradictoria conclusionis impossibilis fit syllogismus ostensiuus in secunda figura, & in Camestres, inferens directè conclusionem intentam, quod nimirum, *nullus homo est equus* sic; *omnis equus est irrationalis; nullus homo est irrationalis; ergo nullus homo est equus.*

6 Secundo sit syllogismus per impossibile in Barbara ad probandam hanc particularem negatiuam, *aliquod animal non est homo*, sic: *omnis homo est rationalis; omne animal est homo; ergo omne animal est rationale; hoc est falsum, & maior est vera; ergo falsa est minor, & vera contradictoria minoris, quæ est, aliquod animal non est homo.* Ex maiori, & contradictoria conclusionis impossibilis fit syllogismus in secunda figura, & in Barocco, directè probans conclusionem intentam, quod *aliquod animal non est homo*, sic: *omnis homo est rationalis; aliquod animal non est rationale; ergo aliquod animal non est homo;* ergo syllogismi per impossibile, per quos in prima figura probantur propositiones negatiuæ veræ, mutantur in syllogismos ostensiuos directè ostendentes easdem negatiuas veras in secunda figura.

7 Probatur iam secunda pars regulæ, quod nimirum affirmatiua vera per impossibile probata in prima figura, probetur ostensiuè in tertia figura. Quandoquidem vniuersalis affirmatiua non potest probari per impossibile in prima figura, vt dictum est cap. 11. num. 4. fit syllogismus per impossibile in Celarent ad probandam hanc particularem affirmatiuam, *aliquod animal est homo*, sic: *nullum animal est homo; omne risibile est animal; ergo nullum risibile est homo; hoc est impossibile & minor est manifestè vera; ergo falsa est maior, & vera est eius contradictoria, quod aliquod animal est homo.* Ex contradictoria conclusionis impossibilis, & minori vera, probatur directè in tertia figura, & in Disamis conclusio intenta sic; *aliquod risibile est homo; omne risibi-*

risibile est animal; ergo aliquod animal est homo; ergo patet regula posita in secunda conclusione, quod negatiua probata per impossibile in prima figura, probatur ostensiuè in secunda figura; affirmatiua probata per impossibile in prima figura, probatur ostensiuè in tertia.

De mutua reductione syllogismi per impossibile, & ostensiui in secunda figura. Caput XVI.

1 *Rursus in media figura sit ostensum A omni B inexistens. Igitur suppositio erat A inesse non omni B: est autem acceptum A omni* C: *& C omni B: sic erit enim impossibile. Hæc vero prima figura, si A omni* C: *& C omni* B.

2 *Consimiliter autem & si alicui ostensum est inexistens. Suppositio nanque erat A inesse nulli* B: *sed acceptum fuit* A *omni* C: *& C alicui* B.

3 *Quòd si priuatiuus sit syllogismus, suppositio quidem* A *alicui* B: *acceptum vero est* A *nulli eorum, quæ* C: *& C omni* B. *Quare fit prima figura.*

4 *Et si non vniuersalis syllogismus, sed* A *alicui* B *monstratum est non inesse, consimiliter. Nam suppositio* A *inesse omni* B: *acceptum vero est* A *nulli* C: *& C alicui* B: *sic enim prima figura.*

PRobata secunda conclusione, & ostensa reductione syllogismorum per impossibile primæ figuræ ad ostensiuos, probat Aristoteles tertiam conclusionem, in qua continentur regulæ pro secunda figura, quod nimirum conclusio probata per impossibile in secunda figura, probetur ostensiuè in prima.

1 Primo sit syllogismus in Barocco probans hanc vniuersalem affirmatiuam; *omnis homo est risibilis*, sic; *omne rationale est risibile; aliquis homo non est risibilis; ergo aliquis homo non est rationalis; hoc est impossibile; & maior est manifestè vera; ergo falsa est minor, & vera contradictoria, quod omnis homo est risibilis*: ex maiori, & contradictoria conclusionis impossibilis, concluditur ostensiuè intenta conclusio in Barbara sic: *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*.

2 Secundo sit syllogismus in Camestres probans per impossibile hanc particularem affirmatiuam; *aliquod animal est risibile*, sic: *omnis homo est risibilis; nullum animal est risibile; ergo nullum animal est homo; hoc est impossibile, & maior est manifestè vera; ergo falsa est minor, & vera contradictoria minoris, quod aliquod animal est risibile*: ex maiori, & contradictoria conclusionis impossibilis eadem conclusio intenta ostensiuè probatur in Darij sic; *omnis homo est risibilis; aliquod animal est homo; ergo aliquod animal est risibile*.

3 Tertio sit syllogismus in Festino ad probandam per impossibile hanc vniuersalem negatiuam, *nullus homo est hinnibilis*, sic: *nullum rationale est hinnibile; aliquis homo est hinnibilis; ergo aliquis homo non est rationalis; hoc est impossibile, & maior est vera manifestè; ergo falsa est minor, & vera eius contradictoria, quod nullus homo est hinnibilis*: ex maiori, & contradictoria conclusionis impossibilis, eadem conclusio intenta probatur ostensiuè in Celarent, sic: *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis.*

4 Quarto sit syllogismus in Cesare ad probandam per impossibile hanc particularem negatiuam, *aliquod animal non est homo*, sic: *nullus equus est homo; omne animal est homo; ergo nullum animal est equus; hoc est impossibile, & maior est manifestè vera; ergo falsa est minor, & vera eius contradictoria, adeoque aliquod animal non est homo*: ex maiori, & contradictoria conclusionis impossibilis, eadem conclusio probatur ostensiuè in Ferio, sic: *nullus equus est homo; aliquod animal est equus; ergo aliquod animal non est homo*. Patet igitur, quod omnes conclusiones, quæ probantur per impossibile in secunda figura, probantur ostensiuè in prima figura.

De mutua reductione syllogismi per impossibile, & ostensiui in tertia figura. Cap. XVII.

1 *Rursus in tertia figura ostensum sit A omni* B *inesse. Igitur suppositio erat A inesse*

A inesse non omni B: *acceptum autem est* C *omni* B: *& A omni* C: *sic enim erit impossibile. Hæc vero prima figura.*

2 *Consimiliter autem & si in aliquo demonstratio. Suppositio nanque A inesse nulli* B: *acceptum autem est* C *alicui* B. *& A omni* C.

3 *Si vero priuatiuus syllogismus, suppositio quidem A alicui B inesse: acceptum est autem C. A quidem nulli:* B *vero omni. Hæc autem media figura.*

4 *Consimiliter autem, & si non vniuersalis demonstratio. Suppositio enim erit A inesse omni B: acceptum vero fuit C. A quidem nulli: B autem alicui. Hæc vero media figura.*

5 *Planum igitur, quòd per eosdem terminos, & ostensiue est monstrare vnumquodque problematum, & per impossibile. Consimiliter autem erit, & ostensiuis existentibus syllogismis ad impossibile deducere in terminis acceptis, quando propositio opposita conclusioni accepta fuerit: fiunt enim ijdem syllogismi ijs, qui per conuersionem: quare statim habemus, & figuras, per quas vnumquodque erit. Manifestum igitur, quòd vnumquodque problema monstratur ambobus modis, & per impossibile, & ostensiue: & non contingit alterum separari.*

PRobat demum Aristoteles quartam conclusionem, in qua continetur regula pro tertia figura, quod conclusiones negatiuæ probatæ per impossibile in tertia figura, probentur ostensiuè in secunda; conclusiones affirmatiuæ probatæ per impossibile in tertia figura, probentur ostensiuè in prima.

1 Primo fit syllogismus in Boccardo, probans per impossibile hanc vniuersalem affirmatiuam, *omnis homo est risibilis*, sic: *aliquis homo non est risibilis; omnis homo est rationalis; ergo aliquod rationale non est risibile; hoc est impossibile, & minor est vera; ergo falsa est maior, & vera eius contradictoria, quod omnis homo est risibilis*: ex contradictoria conclusionis impossibilis, & minori, probatur ostensiuè in Barbara conclusio intenta sic; *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis.*

2 Secundo fit syllogismus in Ferison ad probandam per impossibile hanc particularem affirmatiuam, *aliquod animal est homo*, sic: *nullum animal est homo; aliquod animal est rationale; ergo aliquod rationale non est homo; sed hoc est impossibile, & minor est vera; ergo maior est falsa, & vera eius contradictoria, quod aliquod animal est homo*: ex contradictoria conclusionis impossibilis, & minori vera, probatur ostensiuè conclusio intenta in Darij, sic: *omne rationale est homo; aliquod animal est rationale; ergo aliquod animal est homo.* Patet igitur, quod conclusiones affirmatiuæ probatæ per impossibile in tertia figura, probantur ostensiuè in prima figura.

3 Tertio fit syllogismus in Datisi ad probandam per impossibile hanc vniuersalem negatiuam; *nullus homo est hinnibilis*, sic; *omnis homo est rationalis; aliquis homo est hinnibilis; ergo aliquod hinnibile est rationale; sed hoc est impossibile, & maior est vera manifestè; ergo falsa est minor, & vera eius contradictoria, quod nullus homo est hinnibilis*: ex contradictoria conclusionis impossibilis, & maiori vera, eadem conclusio probatur directè in secunda figura, & in Cesare, sic: *nullum hinnibile est rationale; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis.*

4 Quarto fit syllogismus in Disamis ad probandam per impossibile hanc particularem negatiuam; *aliquod animal non est homo*, sic; *aliquod animal est irrationale; omne animal est homo; ergo aliquis homo est irrationalis; sed hoc est impossibile, & maior est manifestè vera; ergo falsa est minor, & vera est contradictoria minoris, quod aliquod animal non est homo*: ex contradictoria conclusionis, & maiori vera, probatur ostensiuè conclusio intenta in Festino, sic; *nullus homo est irrationalis; aliquod animal est irrationale; ergo aliquod animal non est homo.* Patet igitur, quod conclusiones negatiuæ, quæ probantur per impossibile in tertia figura, probantur ostensiuè in secunda figura.

5 Hinc iam probatur prima conclusio posita cap. 15. num. 1. quod omnes conclusiones, quæ probantur per impossibile, possunt probari ostensiuè, retentis ijsdem terminis, & mutatis figuris; & quod è conuerso omnes conclusiones, quæ probantur ostensiuè probari possunt per impossibile, retentis ijsdem terminis, & mutatis figuris. Nam retenta vna præmissa vera, & addendo contradictoriam conclusionis ostensiuè probatæ, infertur contradictoria alterius præmissæ, & sic probatur ali-

aliquid impossibile, vt dictum est cap. 8. 9. & 10. agendo de syllogismo conuersiuo. Ex his verò patere potest, in qua figura fit syllogismus ostensiuus. Ergo omnes conclusiones probari possunt vtroque modo, ostensiuè scilicet, & per impossibile.

De syllogismo ex præmissis oppositis contrariè, & contradictoriè, in prima figura. Cap. XVIII.

1 *IN quali autem figura est ex oppositis propositionibus ratiocinari, & in quali non est, ita erit manifestum. Dico autem oppositas esse propositiones, secundum dictionem quidem quatuor: vt omni, ei quod est, nulli: & omni, ei quod est, non omni: & alicui, ei quod est, nulli: & alicui, ei quod est, non alicui: secundum autem veritatem tres: alicui enim, ei quod est, non alicui, secundum dictionem solum opponitur. Harum vero contrarias quidem quæ vniuersaliter, omni, ei quod est, nulli inesse: vt omnem scientiam esse studiosam, ei quod est, nullam esse studiosam: alias autem oppositas.*

2 *In prima igitur figura non est ex oppositis propositionibus syllogismus, neque affirmatiuus, neque negatiuus. Affirmatiuus quidem, quoniam ambas oportet affirmatiuas esse propositiones: oppositæ vero dictio, & negatio. Priuatiuus autem, quoniam oppositæ quidem idem de eodem prædicant, & negant: medium vero, quod in prima, non dicitur de ambobus: sed ab illo quidem aliud negatur, ipsum autem de alio prædicatur. Verum hæ non opponuntur.*

1 POstquam Aristoteles egit de virtute syllogismi, per quam potest ex contradictoria conclusionis probandæ concludere aliquid impossibile, agit de alia virtute, per quam potest ex præmissis oppositis contrariè, vel contradictoriè concludere aliquid impossibile. Primo ergo docet, in qua figura fiat, vel non fiat syllogismus ex præmissis contrarijs, vel contradictorijs. Præmittit quatuor esse genera oppositionum secundum modum loquendi. Prima oppositio contraria est, qua asseritur idem inesse omni & nulli. Secunda contradictoria est, qua asseritur idem inesse omni, & non omni. Tertia similiter contradictoria, qua asseritur idem inesse alicui, & nulli. Quarta subcontraria, qua asseritur idem alicui inesse, & alicui non inesse, quæ est oppositio solum secundum modum loquendi, non verò secundum rem, ideoque de hac non est agendum in præsentia, sed solum de oppositione contraria, & contradictoria.

2 His præmissis: prima conclusio est: ex propositionibus oppositis contrariè, vel contradictoriè non potest fieri syllogismus in prima figura. Probatur, quia neque potest fieri syllogismus concludens affirmatiuè, neque syllogismus concludens negatiuè; sed omnis syllogismus vel concludit affirmatiuè, vel negatiuè; ergo in prima figura nullus potest fieri syllogismus ex præmissis oppositis. Probatur prima pars maioris, quia syllogismus concludens affirmatiuè constare debet ex vtraque præmissa affirmatiua; sed ex præmissis oppositis contrariè, vel contradictoriè, altera est affirmatiua, altera negatiua; ergo &c. Probatur secunda pars minoris, quia propositiones oppositæ contrariè, vel contradictoriè debent esse affirmatiuæ, ac negatiuæ eiusdem prædicati de eodem subiecto; sed in prima figura in altera præmissa maius extremum negatur de medio tanquam de subiecto, in altera non maius extremum, sed medium affirmatur de minori extremo, tanquam de subiecto, adeoque præmissæ non sunt affirmatiuæ, ac negatiuæ eiusdem prædicati de eodem subiecto, sed altera est negatiua maioris extremi de medio, altera est affirmatiua medij de minori extremo; ergo prima figura non potest constare ex præmissis oppositis.

De syllogismo constante ex præmissis oppositis contrariè, & contradictoriè in secunda figura. Cap. XIX.

1 *SEd in media figura, & ex oppositis, & ex contrarijs contingit fieri syllogismum. Sit enim bonum quidem, in quo A: scientia vero, in quo B, & C. Si itaque scientiam*

tiam omnem studiosam accepit, & nullam: A. B omni inest, & C nulli: quare B nulli C. Nulla igitur scientia scientia est.

Consimiliter autem & si omnem accipiens studiosam, medicinam non studiosam accepit. Namque ipsum A omni B: ipsi vero C nulli: quare quædam scientia non erit scientia. Et si ipsum A. C quidem omni, B autem nulli: est vero B quidem scientia, C autem medicina, sed A suspitio. Cùm enim acceperit nullam scientiam suspitionem, accepit aliquam scientiam esse suspitionem. Differt autem ab eo, qui pridem, eo quòd terminis conuertitur: prius enim ad B, nunc autem ad C affirmatiuum. Et si altera propositio non sit vniuersaliter, consimiliter. Semper enim medium est, quod ab altero quidem negatiue dicitur, de altero autem affirmatiue. Quare contingit opposita concludi, præterquam quòd non semper neque omnino: sed si ita se habeant, quæ sub medio, vt aut eadem sint, aut totum ad partem: aliter autem impossibile. Neque enim erunt vllo modo propositiones, aut contrariæ, aut oppositæ.

1 SEcunda conclusio est: in secunda figura fit syllogismus ex præmissis oppositis contrariè, & etiam contradictoriè. Probatur, quia dicendo, *omnis scientia est bona; nulla scientia est bona*; fit syllogismus in Camestres ex duabus propositionibus contrarijs, in quo infertur; *ergo nulla scientia est scientia*. Rursus dicendo: *nulla scientia est bona; omnis scientia est bona*; sequitur in Cesare; *ergo nulla scientia est scientia*; ergo ex contrarijs fit syllogismus in Cesare, & in Camestres. Similiter dicatur; *nulla scientia est bona; aliqua scientia, vt medicina, est bona*; fit syllogismus in Festino ex præmissis contradictorijs, in quo sequitur; *ergo aliqua scientia, vt medicina, non est scientia*. Demum si dicatur; *omnis scientia est bona; aliqua scientia, vt medicina, non est bona*; fit syllogismus in Barocco, in quo sequitur; *ergo aliqua scientia, vt medicina, non est scientia*; ergo in secunda figura potest fieri syllogismus ex oppositis contrariè, vel contradictoriè.

De syllogismo constante ex præmissis oppositis contrariè, vel contradictoriè, in tertia figura. Cap. XX.

1 *SEd in tertia figura affirmatiuus quidem syllogismus nunquam erit ex oppositis propositionibus, ob dictam causam & in prima figura: negatiuus vero erit, & vniuersaliter, & non vniuersaliter terminis existentibus.*

2 *Sit enim scientia, in quo B, & C: medicina autem in quo A. Si itaque acceperit omnem medicinam scientiam, & nullam medicinam scientiam: ipsum C accepit omni A, & ipsum B nulli: quare erit aliqua scientia non scientia. Consimiliter autem & si non vniuersaliter accepta fuerit C A propositio. Si enim est aliqua medicina scientia, & rursus nulla medicina scientia, accidit scientiam aliquam non esse scientiam. Sunt autem cum termini vniuersaliter accipiuntur, propositiones contrariæ: cùm vero alter in parte, oppositæ. Oportet autem existimare, quòd contingit quidem sic opposita accipere, quemadmodum diximus, omnem scientiam studiosam esse, & rursus nullam; aut aliquam non studiosam, quod non consueuit latere. Est autem per alias interrogationes ratiocinari alterum, aut, quemadmodum in Topicis dictum est, accipere.*

1 TErtia conclusio est: in tertia figura non potest ex præmissis contrarijs, vel contradictorijs fieri syllogismus concludens affirmatiuè; potest fieri syllogismus concludens negatiuè. Probatur prima pars; vt enim dictum est cap. 18. num. 2. agendo de prima figura, syllogismus concludens affirmatiuè constare debet ex vtraque præmissa affirmatiua; sed ex præmissis oppositis altera est affirmatiua, altera negatiua; ergo syllogismus concludens affirmatiuè non potest constare ex præmissis oppositis.

2 Probatur secunda pars: medicina enim sit medium, scientia verò sit simul maius, & minus extremum: ex præmissis contrarijs; *nulla medicina est scientia; omnis*

nis medicina est scientia; fit syllogismus in Felapton, in quo concluditur; *ergo aliqua scientia non est scientia*. Ex præmissis contradictorijs; *aliqua medicina non est scientia*; *omnis medicina est scientia*; concluditur in Boccardo; *ergo aliqua scientia non est scientia*. Ex his alijs contradictorijs; *nulla medicina est scientia*; *aliqua medicina est scientia*; concluditur in Ferison; *ergo aliqua scientia non est scientia*; ergo etiam in tertia figura ex præmissis contrarijs, & contradictorijs fit syllogismus; ex contrarijs quidem, cum vtraque præmissa est vniuersalis, sed altera affirmatiua, altera negatiua; ex contradictorijs verò, cum vna præmissa est vniuersalis, altera particularis, vna affirmatiua, altera negatiua. Possunt verò fieri syllogismi ex oppositis, non solum sumendo istos terminos, *omnis*, *nullus*; *omnis*, *non omnis*; *nullus*, *aliquis*; in quibus terminis manifesta est oppositio, sed etiam sumendo alios terminos æquipollentes, in quibus oppositio non est ita manifesta, de quibus dicetur in Topicis.

3 *Quoniam vero affirmationum oppositiones tres, sex modis contingit opposita accipere: aut omni & nulli; aut omni & non omni; aut alicui & nulli: & hoc conuertere in terminis: vt A omni B, ipsi vero C nulli: aut C omni, B autem nulli: aut huic quidem omni, illi vero non omni: & rursus hoc conuertere secundum terminos. Consimiliter autem & in tertia figura. Quare manifestum, & quot modis, & in qualibus figuris contingit per oppositas propositiones fieri syllogismum.*

4 *Sed & manifestum, quòd ex falsis quidem est verum ratiocinari, quemadmodum dictum est prius: ex oppositis autem, non est: semper enim syllogismus fit contrarius rei, vt si est bonum, non esse bonum: aut si animal, non animal: eo quòd ex contradictione est syllogismus, & termini subiecti aut idem sunt, aut hic totum, ille pars.*

3 Quarta conclusio est: sex sunt possibiles combinationes præmissarum oppositarum, ex quibus potest fieri syllogismus in secunda, & tertia figura. Probatur, quia oppositiones sunt tres, vna contraria *omnis*, *nullus*; & duæ contradictoriæ, hoc est *omnis*, *non omnis*; *nullus*, *aliquis*; sed singulæ ex istis tribus oppositionibus possunt duobus modis variari, vt scilicet maior sit affirmatiua, minor negatiua, vel vt maior sit negatiua, minor affirmatiua; ergo vniuersim sex sunt possibiles combinationes præmissarum oppositarum. Prima combinatio est, vt maior sit vniuersalis affirmatiua, minor vniuersalis negatiua, dicendo *omnis*, *nullus*. Secunda est, vt maior sit vniuersalis negatiua, minor vniuersalis affirmatiua, dicendo *nullus*, *omnis*. Tertia, vt maior sit vniuersalis affirmatiua, minor particularis negatiua, dicendo, *omnis*, *non omnis*. Quarta vt maior sit particularis negatiua, minor vniuersalis affirmatiua, dicendo, *non omnis*, *omnis*. Quinta, vt maior sit vniuersalis negatiua, minor particularis affirmatiua, dicendo, *nullus*, *aliquis*. Sexta demum, vt maior sit particularis affirmatiua, minor vniuersalis negatiua, dicendo, *aliquis*, *nullus*. Istæ verò sex combinationes possunt æquè fieri in secunda, & tertia figura.

4 Quinta conclusio est: licet possit ex præmissis falsis inferri conclusio vera, vt dictum est cap. 2. num. 2. adhuc non potest ex præmissis oppositis inferri conclusio vera. Probatur, quia ex oppositis infertur conclusio, qua idem negatur de se ipso, ex. gr. quod *bonum non est bonum*, *animal non est animal*; sed negatio eiusdem de se ipso non potest esse vera; ergo ex præmissis oppositis infertur conclusio, quæ non potest esse vera. Et ratio est, quia extrema sunt omninò idem, vel saltem minus extremum continetur sub maiori extremo, & in præmissis ponitur contradictio; ergo infertur conclusio, in qua idem negatur de se ipso, ac proinde, quæ non potest esse vera.

5 *Planum autem & quòd in obratiocinationibus nil prohibet fieri suppositionis contradictionem, vt si est impar, non esse impar: ex oppositis namque propositionibus contrarius erat syllogismus. Si itaque tales acceperit, erit suppositionis contradictio.*

6 *Oportet autem existimare, quòd ita quidem non erit contraria concludere ex vno syllogismo, vt sit conclusio, non existens bonum, aut aliud quid tale: nisi statim propositio talis accepta fuerit, vt animal album esse, & non album, hominem vero animal.*

Sed aut contradictionem oportet assumere, vt, quòd omnis scientia suspitio, & non su-

suspitio: postea accipere, quòd medicina scientia quidem est, nulla autem suspitio, quemadmodum elenchi fiunt: aut ex duobus syllogismis. Vt autem quæ accepta sunt, contraria sint secundum veritatem, non est alio modo, quàm hoc, veluti prius dictum fuit.


5 Infert Aristoteles, quod cum in syllogismo infertur conclusio vera, potest per oppositum paralogismum inferrri opposita conclusio falsa: ex. gr. si per syllogismum infertur hæc conclusio vera, quod *numerus quaternarius est par*, sic; *omnis numerus diuisibilis bifariam est par; sed omnis quaternarius est diuisibilis bifariam; ergo omnis quaternarius est par*: sumendo propositionem falsam contrariam maiori, potest fieri paralogismus concludens quaternarium esse numerum non parem, sed imparem, sic: *nullus numerus diuisibilis bifariam est par, sed est impar; sed omnis quaternarius est diuisibilis bifariam; ergo quaternarius non est par, sed impar*. Ratio est, quia ex oppositis præmissis, sequitur opposita conclusio.

6 Aduertit tamen Aristoteles, quod opposita non inferuntur vno syllogismo, sed pluribus, nisi tamen quis in ipsa maiori affirmet simul opposita. Ex. gr. non potest vno syllogismo inferri, quod aliquid est bonum, & non est bonum; est album, & non est album; sed vno quidem syllogismo inferetur, quod est bonum, altero, quod non est bonum; vno quod est album, altero, quod non est album, nisi tamen in maiori sumpserit, quod simul est album, & non est album, dicendo ex. gr. *omne animal est album, & non est album; sed omnis homo est animal; ergo omnis homo est albus, & non est albus*: vel *omnis scientia est opinio, & non est opinio; medicina est scientia; ergo medicina est opinio, & non est opinio*. Si verò in maiori non sumantur duo opposita, ad opposita concludenda debent fieri duo syllogismi: primus ex. gr. erit: *omnis scientia est opinio; medicina est scientia; ergo medicina est opinio*: secundus erit, *nulla scientia est opinio; medicina est scientia; ergo medicina non est opinio*. Non contingit verò pluribus modis sumi opposita in syllogismo nisi dictis. Primus est, vt sumantur præmissæ oppositæ ad inferendam conclusionem, in qua idem negetur de se ipso. Secundus est, vt in maiori idem affirmetur, ac negetur de medio; in minori sumatur aliquid sub medio; & in conclusione idem affirmetur, ac negetur de minori extremo. Tertius, vt per vnum syllogismum inferatur vnum ex contrarijs, per alium inferatur alterum ex contrarijs.

PARS SECVNDA.

De impotentijs, ac defectibus syllogismorum.

De petitione principij. Cap. XXI.




1 *Vod autem in principio peti, & accipere, est quidem vt in genere accipiam, in eo quod est non demonstrare propositum. Hoc autem accidit multifariam Nanque, & si non ratiocinatur, & si per ignotiora, aut similiter ignota, & si per posteriora prius: demonstratio nanque, & ex credibilioribus, & prioribus est. Horum igitur nihil est peti, quod in principio.*

2 *Sed quoniam nonnulla quidem per se ipsa apta sunt cognosci, quædam vero per alia: principia enim per seipsa. quæ autem sub principijs per alia: quando non per se ipsum cognoscibile conetur aliquis per se ipsum monstrare, tunc petit quod ex principio.*

3 *Hoc autem est quidem sic facere, vt statim censeat, quod propositum est. Contingit vero, & in alia transeuntes, nata per illud monstrari, per hæc demonstrare quod ex principio. Veluti si A monstraretur per B: B autem per C: C autem natum esset monstrari per A. Accidit enim*

ita ratiocinantes ipsum A per seipsum monstrare. Quod faciunt qui coalternas putant scribere: latent enim ipsi seipsos talia accipientes, quae non est possibile monstrare, non existentibus coalternis.

Quare accidit ita ratiocinantibus, vnum quodque esse dicere, si est vnumquodque. Sed ita omne erit per seipsum cognoscibile: quod impossibile.



OSTQVAM Aristoteles egit de potestatibus, seu virtutibus syllogismi, agit de impotentijs, seu defectibus eiusdem; ac primo de petitione principij. Vt definiat petitionem principij, primo explicat, in quo genere sit; deinde enumerans varias eius generis differentias, inuestigat differentiam constitutiuam petitionis principij, ex eaque generi addita construit integram definitionem.

1 Petitio principij est vnus ex modis, quo non bene probatur proposita conclusio, adeoque genus petitionis principij est, vt sit quidam defectus in probando, quod est propositum ad probandum. Porrò multipliciter accidit defectus in probando propositum. Primo accidit defectus, cum ex præmissis non sequitur conclusio probanda: secundo cum ex præmissis posterioribus, & ignotioribus, probatur conclusio notior, & prior, cum demonstratio debeat esse ex prioribus, & notioribus. Nullus ex his defectibus hactenus enumeratis est petitio principij.

2 Vt igitur explicetur, quis defectus sit petitio principij, notandum est, quod duo sunt genera veritatum. In primo genere sunt veritates, quæ per se ipsas sunt notæ, & affirmabiles, cuiusmodi sunt prima principia: ex. gr. *omne totum est maius parte*. In secundo genere sunt veritates, quæ non sunt per se ipsas notæ, & affirmabiles, sed innotescunt, & sunt affirmabiles propter alias veritates, ex quibus inferuntur. Hoc posito: petitio principij est, cum quod non est per se notum, conatur quis per se ipsum ostendere. Dum enim hoc facit, petit, vt sine probatione concedatur, quod est propositum ad probandum.

3 Dupliciter potest contingere, vt quis petat principium. Primo, cum quod est probandum, probat quis immediatè per se ipsum: ex. gr. si quis per se ipsum probet, quod *cuiuscunque trianguli, tres anguli sunt æquales duobus rectis*: secundo cum id, quod est probandum probat quis per se ipsum non immediatè, sed mediatè, ita vt probet per aliquid aliud, quod deberet probari per ipsum: ex. gr. si probet A per B, & B per C, cum C ex natura sua debeat probari per ipsum A; eo enim ipso à primo ad vltimum probat A per ipsum A, adeoque petit principium. Hoc pacto petunt principium, qui conantur ostendere aliquas lineas esse æquè distantes, seu parallelas ex eo, quod nunquam concurrant. Cum enim *lineas non concurrere* probari debeat ex eo, quod sunt æquè distantes, à primo ad vltimum probant lineas esse æquè distantes, ex eo quod sunt æquè distantes, adeoque probant idem per idem, & petunt principium, dum quod est probandum, & non est principium per se notum, assumunt, ac si esset principium per se notum. Si autem liceret hic modus probandi, facilè esset omnia probare per se ipsa, & omnia essent cognoscibilia per se ipsa.

4 *Si igitur obscuro existente, quòd A inest ipsi C: similiter autem, & quòd ipsi B: petetur A inesse ipsi B: nondum clarum, si quod in principio petitur: sed planum, quòd non demonstrat. Non enim est principium demonstrationis, quod similiter obscurum. Si tamen B ad C ita se habet, vt idem sint, aut videlicet conuertuntur, aut inest alterum alteri, petitur quod in principio. Monstrare enim posset per illa, quòd A inest ipsi B, si conuertuntur: nunc autem hoc prohibet, sed non modus. Si vero hoc faceret, quod dictum est faceret vtique, & conuerteret per tria.*

5 *Consimiliter autem, & si acciperet B ipsi C inesse, itidem obscurum existent: & si A ipsi C: nondum quod à principio, sed non demonstrat. Si vero idem sint A & B, aut eo, quòd conuertuntur, aut eo, quòd ex B sequitur A, quod à principio, ob eandem causam. Quid enim potest, quod ex principio, dictum nobis est, quod per seipsum monstrare, quod non per seipsum manifestum. Si igitur est in principio peti, per seipsum monstrare, quod non per seipsum manifestum: hoc autem est non monstrare, cùm similiter obscura sint, & id quod monstratur, & id per quod monstrat: aut eo, quod eadem eidem, aut eo quòd idem eisdem inest, accipiat.*

Ex-

4 Explicat deinde Aristoteles magis in speciali, quo pacto petatur principium in specialibus modis, & figuris. Primo in prima figura, & in Barbara, si quis ad probandam propositionem per se immanifestam, & ignotam, ex. gr. quod *omne triangulum habeat tres angulos æquales duobus rectis*, assumat maiorem, æquè ignotam & immanifestam, ex. gr. quod *omnis figura trilatera habeat tres angulos æquales duobus rectis*, adhuc non constat, an petat principium, licet constet, quod non bene probat propositam conclusionem, siquidem illam probat ex æquè ignoto, cum quod est æquè ignotum, non sit idoneum principium demonstrationis. Si verò subiungat minorem conuertibilem, ita vt propositio, quæ conuertitur, & propositio, in quam conuertitur sint æquè notæ, tum constat, quod petitur principium. Ex. gr. per hunc syllogismum; *omnis figura trilatera habet tres angulos æquales duobus rectis; sed omnis triangulus est figura trilatera; ergo omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis;* petitur principium. Ratio est, quia cum maior sit æquè ignota, ac conclusio, & minor sit conuertibilis in aliam propositionem æquè notam, sicut conclusio probatur per maiorem, ita maior probari potest per conclusionem, dicendo; *omne triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis; omnis figura trilatera est triangulum; ergo omnis figura trilatera habet tres angulos æquales duobus rectis*; ergo cum conclusio probetur per maiorem, quæ maior æquè bene in ijsdem terminis probari potest per conclusionem, conclusio æquiualenter probatur per se ipsam, & petitur principium.

5 Secundo, si ad probandam conclusionem assumatur minor æque ignota, adhuc non constat, an petatur principium, licet constet, quod non bene probatur conclusio, cum probetur ex æquè ignoto: si verò præmittatur maior conuertibilis in propositionem æquè notam, tum petitur principium. Ratio est eadem, quia conuertendo maiorem, minor æquè bene probatur per conclusionem, ac conclusio per minorem. Ex.gr. sit syllogismus: *omne risibile est flebile; omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est flebilis*: minor est æquè ignota, ac conclusio, & maior est conuertibilis in hanc æquè notam; *omne flebile est risibile*, ideò æquiualenter petitur principium, quia sicut conclusio probatur per minorem, sic minor æquè bene probari potest per conclusionē, dicendo; *omne flebile est risibile; omnis homo est flebilis; ergo omnis homo est risibilis*: conclusio igitur probatur æquiualenter per se ipsam, adeoque petitur principium.

6 *In media quidem figura, & tertia vtroque modo contingere posset peti, quod in principio: in prædicatiuo autem syllogismo, & in tertia, & prima.*

7 *Quando autem negatiue, cùm eadem ab eodem, & non similiter ambæ propositiones. Consimiliter vero, & in media, propterea quòd termini non conuertuntur secundum negatiuos syllogismos.*

8 *Est autem in principio peti, in demonstrationibus quidem secundum veritatem sic se habentia: in dialecticis vero secundum opinionem.*

6 Tertio ostendit Aristoteles, quo pacto principium peti possit in secunda, & tertia figura. Docet igitur, quod cum petitio principij fit, quando quod non est per se notum probatur per se ipsum, & cum talis petitio accidat in prima figura, eo quod assumatur propositio æquè ignota, ac conclusio probanda, & præterea medium est conuertibile cum maiori, vel minori extremo conuersione in propositionem æquè notam, patet, quod eodem pacto poterit peti principium in secunda, & tertia figura, si euenit quid simile. In syllogismis igitur affirmatiuis potest peti principium, tum in prima, tum in tertia figura, non autem in secunda, quæ non potest concludere affirmatiuè. Ex. gr. si in Disamis ad probandam conclusionem assumatur maior æquè ignota, ac minor conuertibilis in æquè notam, ac dicatur; *aliquod animal est flebile; omne animal est sensibile; ergo aliquod sensibile est flebile*, petitur principium, quia conuertendo minorem in æquè notam, sicut conclusio probatur ex maiori, sic maior probabitur ex conclusione, dicendo; *aliquod sensibile est flebile; omne sensibile est animal; ergo aliquod animal est flebile*.

7 In modis verò negatiuis petitio principij fit tum in prima, tum in secunda figura, cum assumitur negatiua æquè dubia, affirmatiua verò est conuertibilis modo explicato in aliam æquè notam, siue affirmatiua sit maior, siue minor. Ex. gr. si dicatur in Camestres; *omnis figura trilatera est triangulum; nulla figura trilatera habet tres angulos*

gulos inæquales duobus rectis ; ergo nullum triãgulum habet tres angulos inæquales duobus rectis : petitur principium, quia minor est æquè ignota, ac conclusio, & maior est conuertibilis in propositionem æquè notam, adeoque sicut conclusio probatur per maiorem, sic maior probari potest per conclusionem, dicendo ; *omnis triangulus est figura trilatera ; nullus triangulus habet tres angulos inæquales duobus rectis ; ergo nulla figura trilatera habet tres angulos inæquales duobus rectis*. Idem dic de cæteris.

8 Concludit Aristoteles, quod petitio principij potest fieri, tum in demonstratiuis, tum in dialecticis. In demonstratiuis, cum verè propositio probanda non est per se nota, & probatur per se ipsam, vel per aliam, quæ debet probari per ipsam, vel per aliam verè æquè ignotam, ita vt altera præmissa sit verè conuertibilis, vt explicatum est : in dialecticis, cum secundum opinionem hæc eueniunt, ita vt conclusio probanda, vel non existimetur per se nota, vel probetur per propositionem, quæ existimetur æquè ignota, vel quæ existimetur probanda per conclusionem.

De defectu falsi non contingentis propter hoc, hoc est propter hypothesim, in syllogismo per impossibile. Cap. XXII.

1 *Non penes hoc autem accidere falsum, quod plerumque in rationibus consueuimus dicere : primum quidem est in syllogismis ad impossibile, quando ad contradictionem sit huius, quod monstrabatur ea, quæ est ad impossibile. Neque enim qui non contradixit, dicet quod est non penes hoc, sed quòd falsum aliquid positum fuit eorum, quæ prius. Neque in ea, quæ monstrat : non enim ponit, quod contradicit.*

2 *Amplius autem quando sublatum fuerit aliquid ostensiue per A.B.C, non est dicere, quòd non penes positum factus est syllogismus. Nanque non penes hoc fieri tunc dicimus, quando sublato hoc, nihil minus concludatur syllogismus. Quod non est in ostensiuis : sublata enim positione, neque quæ ad hanc erit syllogismus.*

Postquam Aristoteles egit de primo defectu syllogismi, qui dicitur *petitio principij*, agit de secundo defectu, qui dicitur, *falsum non contingere propter hoc, hoc est propter hypothesim*. Primo ergo explicat in quo syllogismo possit committi hic defectus: secundo hunc defectum definit: tertio declarat varios modos, quibus committitur hic defectus : quarto explicat duos modos contrarios, quibus falsum sequitur propter hypothesim : quinto demum proponit, ac soluit quamdam obiectionem.

1 Quoad primum : docet hunc defectum dari in syllogismo ad impossibile, in quo syllogismo ad probandam contradictoriam hypothesis ostenditur, quod ex hypothesi sequitur aliquid impossibile. Probatur primo, quia in eo solum syllogismo potest committi hic defectus, cui potest opponi hic defectus; sed soli syllogismo, in quo ad probandam conclusionem, ponitur eius contradictoria, & ostenditur, quod ex tali hypothesi sequitur impossibile, potest opponi, quod falsum, & impossibile nõ sequitur ex hypothesi, sed aliunde ; in syllogismo verò, in quo conclusio directè probatur, non potest opponi, quod falsum sequatur aliunde, sed solum potest opponi, quod aliqua ex præmissis suppositis est falsa ; ergo hic defectus potest solum committi in syllogismo per impossibile, non autem in ostensiuo.

2 Probatur secundo : quia quando aliqua propositio, ex. gr. *quod homo sit hinnibilis*, directè, & ostensiuè reijcitur, ostendendo, quod *nullus homo est hinnibilis*, sic ; *nullum rationale est hinnibile ; omnis homo est rationalis ; ergo nullus homo est hinnibilis* ; nemo opponit, quod conclusio sequitur quidem, sed non ex eo, quod supponitur, hoc est ex præmissis : tunc enim dicitur, quod conclusio sequitur, sed non ex suppositis, quando ablato aliquo ex suppositis, adhuc conclusio sequeretur ; sed qui opponit syllogizanti ostensiuè, non dicit, quod etiam sublata aliqua præmissa conclusio sequeretur ; ergo hic defectus non committitur in syllogismo ostensiuo, sed solum in syllogismo ad impossibile.

3 *Manifestum igitur, quòd in ijs, quæ ad impossibile, dicitur non penes hoc: & quando ita se habeat ad impossibile suppositio quæ à principio, vt & existente, & non exi-*

existente hac, nihil minus accidat impossibile.

4 *Manifestissimus igitur modus eius, quod est non penes positionem esse falsum, est, quando à suppositione inconiunctus sit à medijs ad impossibile syllogismus; quod dictum est, & in Topicis. Non causam enim vt causam ponere, hoc est. Vt si volens monstrare, quòd diameter est incommensurabilis, argueret Zenonis rationem, quod non est moueri, & in hoc deduceret impossibile. Nullo nanque modo nullibi continuum est falsum dictioni, quæ à principio.*

5 *Alius autem modus, si continuum sit impossibile suppositioni, non tamen propter illam accidat. Hoc enim contingit fieri, & sursum, & deorsum accipienti continuum. Vt si A ponatur ipsi* B *inesse:* B *autem ipsi C: C vero ipsi D: hoc autem sit falsum*, B *inesse ipsi D. Nanque si ablato A, nihil minus inesset B ipsi* C, *&* C *ipsi D, non esset vtique falsum propter suppositionem, quæ à principio. Aut rursus, si quispiam sursum acciperet continuum. Vt si A ipsi B: E vero ipsi A: & F ipsi B: falsum esse posset F inesse ipsi A. Nanque, & sic nihil minus esse posset impossibile, sublata suppositione, quæ à principio.*

3 Quoad secundum: defectus *falsi contingentis non propter hoc*, est, cum in syllogismo ad impossibile concluditur falsum ex hypothesi, quæ siue ponatur, siue non ponatur, adhuc sequitur tale falsum. Eo enim ipso, quod impossibile sequitur, seu ponatur, seu non ponatur hypothesis, non sequitur ex ea hypothesi, sed ex alia causa.

4 Quoad tertium: duo sunt præcipui modi, quibus in syllogismis ad impossibile committitur defectus *falsi contingentis non propter hypothesim*. Primus, & manifestus modus est, cum syllogismus, in quo infertur impossibile, non communicat in vllo termino cum hypothesi, hoc est cum contradictoria conclusionis probandæ, sed est omninò disparatus. Ex. gr. si quis volens ostendere *diametrum esse incommensurabilem costæ*, probet per impossibile ex eo, quod si supponatur contradictorium, quod nimirum *diameter esset commensurabilis*, spatium pertransiri non posset; hoc autem impossibile probet tali syllogismo Zenonis; *spatium constans ex partibus infinitis pertransiri non potest; sed quodlibet spatium constat ex partibus infinitis; ergo spatium pertransiri non potest*: hoc impossibile sequitur quidem, sed non ex hypothesi, quod *diameter sit commensurabilis*, ideoque est sophisma, in quo quod non est causa, affertur vt causa, de quo sophismate dicetur in topicis. In hoc igitur syllogismo committitur defectus impossibilis contingentis nō ex hypothesi data, sed ex aliquo medio omninò disparato, nimirum ex eo, quod spatium habeat infinitas partes, quod medium non conuenit cum hypothesi in vllo termino.

5 Secundus modus est, cum syllogismus, in quo probatur impossibile, est quidem ità continuus cum hypothesi, vt conueniat, & continuetur cum tali hypothesi in aliquo termino, adhuc tamen impossibile non sequitur ex hypothesi. Porrò hæc continuatio potest fieri dupliciter: primo, vt hypothesis sit suprà maiorem syllogismi, ex quo infertur, ita vt prædicatum maioris, seu maius extremum sit subiectum hypothesis: secundo, vt hypothesis sit sub minori, ita vt subiectum minoris, seu minus extremum sit prædicatum hypothesis. Exēplum, in quo hypothesis, est suprà maiorem syllogismi ad impossibile sit: *omne rationale est homo; omne sensitiuum est rationale; omnis equus est sensitiuus; ergo omnis equus est rationalis; hoc est impossibile; ergo falsum est, quod omne rationale est homo.* Licet enim in syllogismo posito sequatur hoc impossibile, quod *omnis equus est rationalis*, non tamen sequitur ex hypothesi, sed ex syllogismo sub hypothesi, vt patet, quia ablata, vel remanente illa hypothesi, *quod omne rationale est homo*, eodem pacto sequitur hoc impossibile, quod *omnis equus sit rationalis*: hypothesis autem *omne rationale est homo*, est suprà maiorem syllogismi, quæ maior est: *omne sensitiuum est rationale*, quia *rationale*, quod est prædicatum maioris, adeoque maius extremum syllogismi ad impossibile, est subiectum hypothesis. Exemplum, in quo hypothesis est sub minori syllogismi ad impossibile, ita vt minus extremum talis syllogismi sit prædicatum hypothesis potest esse: *omne sensitiuum est rationale; omne quadrupes est sensitiuum; omnis equus est quadrupes; ergo omne quadrupes est rationale; hoc est impossibile; ergo falsa hypothesis, quod omnis equus est quadrupes*. Hoc impossibile, quod *omne quadrupes sit rationale*, sequitur quidem,

sed non ex hypothesi, quod *omnis equus est quadrupes*, siquidem ablata hac hypothesi, adhuc idem impossibile sequitur per syllogismum: *omne sensitiuum est rationale; omne quadrupes est sensitiuum; ergo omne quadrupes est rationale*. Hypothesis verò, quod *omnis equus est quadrupes*, est sub minori, cum habeat pro prædicato quadrupes, quod est subiectum minoris, quæ minor est, *omne quadrupes est sensitiuum*.

6 *Sed oportet ad terminos, qui à principio, coaptare impossibile: sic enim erit propter suppositionem. Vt deorsum quidem accipienti continuum ad prædicatum terminorum. Nam si impossibile, A ipsi D inesse, ablato A, non amplius erit falsum. Sursum vero, de quo prædicatur. Si enim non accidit F inesse ipsi B, ablato B, non amplius erit impossibile. Consimiliter autem & priuatiuis existentibus syllogismis. Planum igitur, quòd impossibili non existenti ad terminos, qui à principio, non accidit falsum penes positionem.*

6 Quoad quartum: explicatis modis, quibus falsum sequitur, & non propter hypothesim, explicat Aristoteles modos contrarios, quibus falsum sequitur propter hypothesim. Vt falsum sequatur propter hypothesim, debent propositiones, ac termini syllogismi per impossibile ita coaptari, vt ablata hypothesi, impossibile non sequatur. Potest autem hoc fieri, seu hypothesis ponatur suprà maius extremum, hoc est suprà prædicatum conclusionis impossibilis, seu ponatur suprà minus extremum. Exemplum, in quo falsum sequitur ex hypothesi, cuius prædicatum sit maius extremum conclusionis impossibilis, est; *omne sensitiuum est rationale; omne animal est sensitiuum; omnis equus est animal; ergo omnis equus est rationalis, quod est impossibile*: hoc impossibile, quod *omnis equus sit rationalis*, non sequitur ablata hypothesi, quod *omne sensitiuum sit rationale*: infertur enim immediatè per hunc syllogismum; *omne animal est rationale; omnis equus est animal; ergo omnis equus est rationalis*: maior verò huius syllogismi infertur per hunc alium syllogismum: *omne sensitiuum est rationale; omne animal est sensitiuum; ergo omne animal est rationale*; ergo ablata hac hypothesi, *omne sensitiuum est rationale*, non sequitur hoc impossibile, *omnis equus est rationalis*; illa verò hypothesis, *omne sensitiuum est rationale*, continet maius extremum huius impossibilis, *omnis equus est rationalis*. Exemplum, in quo falsum sequitur ex hypothesi, cuius subiectum est minus extremum conclusionis impossibilis sit: *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; omne hinnibile est homo; ergo omne hinnibile est risibile*, quod est impossibile. Sequitur enim hoc impossibile, *omne hinnibile est risibile*, ex hac hypothesi, *omne hinnibile est homo*, quæ hypothesis continet hinnibile, quod est subiectum, seu minus extremum conclusionis impossibilis; & ita hoc impossibile sequitur ex hypothesi, vt hypothesi ablata non sequeretur. Quod dictum est de syllogismis affirmatiuis, proportionaliter dic de negatiuis.

7 *Aut neque ita semper propter suppositionem erit falsum. Nanque & si positum fuerit A inesse non ipsi B, sed ipsi K: K vero ipsi C, & hoc ipsi D: & sic manet impossibile. Consimiliter autem, & sursum accipienti terminos. Quare quoniam & existenti, & non existenti hoc, accidit impossibile non esset vtique penes positionem.*

8 *Aut hoc, quod est, non existenti hoc, nihil minus fieri falsum, non ita accipiendum, vt cùm aliud ponitur, accidat falsum: sed quando ablato hoc, per reliquas propositiones idem concludatur impossibile. Quoniam idem vtique falsum per plures suppositiones accidere, nihil fortassè inconueniens: veluti coalternas coincidere, & si maior est extrinsecus intrinseco, & si triangulus habet plures rectos duobus.*

7 Quoad quintum: opponit Aristoteles contrà doctrinam traditam num. 4. Videtur enim falsum, quod tum impossibile non sequitur propter hypothesim, quando ablata hypothesi adhuc sequeretur. Nam cum dicitur, *omne rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est hinnibilis*: hoc impossibile, quod *omnis homo est hinnibilis*, sequitur propter hanc hypothesim, *omne rationale est hinnibile*; & tamen hac hypothesi ablata, & posita alia hypothesi, quod *omne animal sit hinnibile*, adhuc idem impossibile sequitur per hunc syllogismum: *omne animal est hinnibile; omnis homo est animal; ergo omnis homo est hinnibilis*.

8 Respondet Aristoteles, quod cum dicitur,

citur, impossibile tum non sequi propter hypothesim, cum ablata hypothesi adhuc sequeretur, id est ità intelligendum, quod idem impossibile sequeretur ex positis, quæ non pendent ab hypothesi, non ponendo loco hypothesis ablatæ aliam hypothesim. De reliquo non repugnat idem impossibile sequi ex pluribus hypothesibus. Potest enim idem falsum, & impossibile sequi ex pluribus impossibilibus: ex. gr. hoc impossibile, quod duæ lineæ parallelæ concurrant, sequitur & ex hoc, quod linea recta incidens in duas parallelas faciat angulum externum maiorem interno, & opposito ad easdem partes, & ex hoc, quod triangulus habeat tres angulos maiores duobus rectis. Demonstrationes Aristoteles non affert: si quis cupit illas videre, legat Blancanum in locis mathematicis Aristotelis in explicatione huius loci.

De falsa ratione. Cap. XXIII.

1 *Sed falsa ratio efficitur penes primum falsum. Aut enim ex duabus propositionibus, aut ex pluribus omnis est syllogismus. Si igitur ex duabus, harum alteram, vel & ambas necesse est falsas esse: ex veris enim non erat falsus syllogismus. Quòd si ex pluribus, vt C per A B, hæc per D E, F H, ex his aliquid superiorum falsum erit, & ratio penes hoc. Nanque A, & B per illa concluduntur: quare penes illorum aliquid accidit conclusio, & falsum.*

1 Postquam Aristoteles ostendit falsum aliquando sequi quidem, sed non propter hypothesim, quia posset aliquis opinari tum falsum sequi propter alias propositiones veras, vt auferat hunc errorem, docet falsum semper sequi radicaliter propter aliquod primum falsum. Probat, quia vel conclusio falsa infertur per syllogismũ simplicem constantem ex duabus tantum præmissis, vel per syllogismum compositum ex duabus præmissis, & ex prosyllogismis factis ad probandas tales præmissas; vtroque modo falsum sequitur propter aliquod falsum immediatè, & sine probatione suppositum; ergo semper falsum sequitur propter aliquod primum falsum immediatè, & sine probatione suppositum. Probatur minor: si enim falsum sequitur per syllogismum simplicem constantem ex duabus tantum præmissis, vel altera, vel vtraque est falsa, cum non possit falsum sequi ex veris, vt dictum est cap. 2. num. 2.; ergo iam falsum sequitur propter aliquam præmissam falsam, quæ immediatè supponitur sine probatione: si verò talis præmissa falsa non præsupponitur immediatè, sed probatur, cum non possit probari per vtramque præmissam veram, debet tandem perueniri ad aliquam præmissam falsam immediatè, & sine probatione suppositam, ex qua inferatur conclusio falsa; ergo falsum semper sequitur ex aliquo falso immediatè, & sine probatione supposito.

De modo impediendi contrarium syllogismum. Cap. XXIV.

1 *Ad hoc autem, quòd non fiat ratiocinium, obseruandum, quando sine conclusionibus rationem interrogat, ne bis in propositionibus idem detur: quoniam scimus, quod sine medio non efficitur syllogismus: medium vero est, quod pluries dicitur. Qualiter autem oportet ad vnamquamque conclusionem medium obseruare, manifestum ex eo, quod scimus, quale in vnaquaque figura monstratur. Hoc autem nos non latebit, eo quòd scimus, quomodo præstamus rationem.*

2 *Oportet autem, quod à respondentibus cauendum enunciamus, ipsos arguentes conari latere. Hoc autem erit, primum quidem, si conclusiones non preratiocinentur, sed acceptis necessarijs sint obscuræ. Amplius vero, si propinqua non interrogat, sed quam maxime immediata. Vt sit opus concludere A de F, media B.C.D E. Oportet itaque interrogare, si A ipsi B: & rursus non si B ipsi C, sed si D ipsi E: & postea, si B ipsi C, & sic reliqua. Ac si per vnum medium fiat syllogismus, à medio incipere. Maxime enim sic latere posset respondentem.*

1 Explicatis duobus primis defectibus syllogismi, Aristoteles antequam explicet tertium defectum, tradit quædam præ-

præcepta pro disputante vtilia ad impediendum, ne argumentans faciat syllogismum, vel redargutionem. Si argumentans habeat pro scopo aliquid concludere indeterminatè, respondens verò velit impedire, ne quidquam concludat, debet respondens adhibere cautionem, ne concedat arguenti duas propositiones, in quibus replicetur idem terminus. Cum enim non possit quidquam concludi sine medio, medium autem debeat bis poni in præmissis, si non concesserit propositiones, in quibus idem bis ponatur, impediet, ne arguens faciat vllum syllogismum. Si verò arguens habeat pro scopo concludere aliquam determinatam propositionem, respondens, vt id impediat, debet cauere, ne concedat duas propositiones, ex quibus possit inferri talis conclusio. Quia verò vniuersalis affirmatiua non potest inferri, nisi ex omnibus præmissis vniuersalibus affirmatiuis in prima figura, debet respondens cauere, ne concedat duas præmissas vniuersales affirmatiuas, in quibus medium semel prædicetur, semel subijciatur, idemque dic de alijs conclusionibus.

2 E conuerso arguens debet conari in oppositum latenter. Si enim velit inferre conclusionem indeterminatam, debet conari latenter, vt respondens sibi concedat duas propositiones, in quibus lateat medium. Si velit inferre conclusionem determinatam, quæ non possit inferri, nisi per plura media ordinata, ab initio non debet ponere propositiones, in quibus est medium, ex quo immediatè infertur conclusio intenta, sed debet ponere propositiones, in quibus est medium, ex quo conclusio intenta infertur solum mediatè, & remotè: ex. gr. si debeat inferre *hominem esse risibilem* per admiratiuum, & rationale, non debet statim sumere, quod *omne admiratiuum est risibile*, ex quo immediatè infertur *hominem esse risibilem*, sed quod *omne rationale est admiratiuum*, ex quo non immediatè, sed mediatè solum infertur *hominem esse risibilem*. Si verò conclusio debeat inferri per vnicum medium, debet incipere à minori, in qua medium prædicatur, non verò à maiori: sic enim magis latebit conclusio inferenda, ideoque facilius concedetur propositio assumpta: ex. gr. ad probandum *hominem esse risibilem*, debet assumere, quod *homo est rationalis*,

---

De impedienda Redargutione. Cap. XXV.

1 *QVoniam autem habemus quando, & quo modo se habentibus terminis fit syllogismus, manifestum, & quando erit, & quando non erit redargutio. Cùm enim omnes responsiones conceduntur, aut vicissim ponuntur, vt hæc quidem negatiua, illa vero affirmatiua, accidit fieri redargutionem: erat enim syllogismus, & ita, & illo modo se habentibus terminis. Quare, si quod ponitur contrarium sit conclusioni, necesse fieri redargutionem. Redargutio nanque contradictionis syllogismus. Quòd si nihil concederetur, impossibile fieri redargutionem. Non enim erat syllogismus, omnibus terminis priuatiuis existentibus: quare neque redargutio. Si enim redargutio, necesse syllogismum esse: syllogismo autem existente, non necesse redargutionem. Consimiliter vero, & si nihil poneretur secundum responsionem in toto: eadem nanque erit determinatio redargutionis, & syllogismi.*

1 TRaditis regulis ad impediendum syllogismum, subdit Aristoteles regulas ad impediendam redargutionem, quæ redargutio nihil est aliud, quam syllogismus probans contradictorium eius, quod diximus. Ad impediendum igitur talem syllogismum redargutiuum, applicandæ sunt regulæ, quibus diximus impediendum esse syllogismum probantem determinatam conclusionem. Cum enim per redargutionem debeat probari contradictorium eius, quod diximus, debet aduerti, quale sit hoc contradictorium, an vniuersale affirmatiuum &c. Debet rursus aduerti, quibus præmissis possit probari, ad impediendum, ne probetur. Rursus, quia omnis syllogismus etiam redargutiuus fit, vel ex vtraque præmissa affirmatiua, vel ex altera affirmatiua, altera negatiua, vel ex vtraque vniuersali, vel ex altera vniuersali, altera particulari; si nullam propositionem vniuersalem, vel nullam affirmatiuam concedamus, erit impossibile vt fiat syllogismus, adeoque redargutio, quandoquidem redargutio ex necessitate est syllogismus,

mus, licet syllogismus possit non esse redargutio.

De Deceptione in opinione. Cap. XXVI.

1 *Accidit autem aliquando, quemadmodum in terminorum positione decipimur, & secundum suspicionem fieri deceptionem.*

2 *Quemadmodum si contingit idem pluribus primis inesse, & hoc quidem latere quempiam, & existimare nulli inesse, illud autem nosse. Sit A inexistens B, & C per se ipsa, & hæc omni D consimiliter. Si igitur existimat A omni quidem B inesse, & hoc ipsi D: A vero nulli C, & hoc omni D: eiusdem secundum idem habebit scientiam, & ignorantiam.*

3 *Rursus, si quis deciperetur circa ea, quæ ex eadem coordinatione. Vt A inest ipsi B, hoc autem ipsi C, & C ipsi D: suspicaretur vero A omni B inesse, & rursus nulli C: simul enim, & noscet, & non suspicabitur inesse. Igitur nil aliud censebit ex his, quam quod sit, hoc non suspicari: scit enim quodammodo, quòd A inest ipsi C, veluti vniuersali quod secundum partem. Quare quod quodammodo scit, hoc penitus censet non suspicari: quod impossibile.*

1 POstquam Aristoteles egit de deceptione, quæ fit à dispositione terminorum in syllogismo ad impossibile, cum impossibile sequitur quidem, sed non ex hypothesi, agit de deceptione, & fallacia, quæ fit in opinione, eo quod opinemur contraria. Porrò multis modis potest fingi, quod opinemur contraria, quorum aliqui sunt impossibiles, nec possunt in actum venire, aliqui sunt possibiles, & possunt in actum venire, ideoque Aristoteles primo proponit hos modos: secundo explicat, quo pacto sit possibile, vel impossibile opinari contraria.

2 Quoad primum: primus modus opinandi contraria est: potest aliquod prædicatum conuenire æquè vniuersaliter, & immediatè duobus, ita vt neutri conueniat ratione alterius, eo pacto, quo prædicatum corporis æquè immediatè conuenit animali, & sensibili, cum & *omne animal, & omne sensibile sit corpus*. Possunt rursus hæc duo æquè vniuersaliter conuenire vni tertio, eo pacto, quo equo conuenit & *esse animal*, & *esse sensibile*, cum *omnis equus, & sit animal, & sit sensibilis*. Si igitur fingamus, quod quis opinetur *omne animal esse corpus, & omnem equum esse animal*, & simul opinetur, *nullum sensibile esse corpus*, & *omnem equum esse sensibilem*, sequitur, quod hic concludendo opinetur, *quod omnis equus est corpus*, & *nullus equus est corpus*, adeoque de eodem habeat scientiam, & opiniones contrarias, existimans equum esse corpus, & non esse corpus, & habens simul opinionem veram, & falsam.

3 Secundus modus est: potest aliquod prædicatum conuenire duobus, sed non æquè immediatè, sed vni mediante altero, eo pacto, quo prædicatum corporis conuenit tum viuenti, tum animali, sed animali mediante viuente, cum animal sit corpus quatenus est viuens: possunt rursus hæc duo conuenire vniuersaliter eidem tertio, eo pacto, quo tum viuens, tum animal dicuntur vniuersaliter de homine, siquidem *omnis homo est animal, & viuens*. Si igitur fingamus, quod quis opinetur, *omne viuens esse corpus*, & *omnem hominem esse viuentem*, & simul opinetur, *nullum animal esse corpus*, & *omnem hominem esse animal*, sequitur, quod concludendo opinetur, quod *omnis homo est corpus*, & *nullus homo est corpus*, adeoque circa idem secundum idem habeat deceptionem, & scientiam. Dum enim scit, quod *omne viuens est corpus*, per viuens, quod continet animal, scit aliquo pacto, quod *omne animal est corpus*, eo pacto, quo particulare scitur in vniuersali; dum verò opinatur, quod *nullum animal est corpus*, negat in particulari, quod affirmauit in vniuersali, & per hoc ducitur ad opinandum, quod *omnis homo est corpus*, & *nullus homo est corpus*; quod est impossibile.

4 *Sed in prius dicto, si non medium ex eadem coordinatione, secundum vtrunque mediorum ambas propositiones non accidit suspicari, vt A. B quidem omni: C vero nulli: hæc autem vtraque omni D. Accidit enim, aut simpliciter, aut ad aliquid, contrariam accipi propositionem primam. Si enim cui omni inest B, existimat ipsum A ines-*

A inesse: B vero ipsi D nouit: & quòd ipsi D. A nouit: quare si iterum cui C nulli existimat A inesse cui B alicui inest, huic non existimat A inesse. Quod autem omni existimatur cui B, rursus alicui non existimare cui B, aut simpliciter, aut ad aliquid, contrarium est. Sic igitur non contingit suspicari.

5 *Secundum vtrumque vero vnam, aut secundum alterum ambas nihil prohibet: vt A omni B: & B ipsi D: & rursus A nulli C.*

4 Quoad secundum: propositis his duobus modis opinandi contraria, explicat Aristoteles, quo pacto sit possibile, vel impossibile opinari contraria, præsertim iuxta primum modum, ex quo patebit, quid sit dicendum de secundo.

Iuxta primum igitur modum, in quo medius terminus vtriusque syllogismi non est subordinatus, impossibile est, vt quis simul opinetur veras ambas præmissas vtriusque syllogismi: ex. gr. impossibile est, vt quis simul opinetur, quod *omne animal est corpus*, & *omnis equus est animal*; & quod *nullum sensibile est corpus*, & *omnis equus est sensibilis*. Probatur, quia alioquin simul opinabitur, quod *omne animal est corpus*, & quod *aliquod animal non est corpus*, adeoque simul actu opinabitur contradictoria, vel contraria, quod est impossibile. Probatur sequela: nam simul opinatur, quod *omne animal est corpus*, & quod *omnis equus est animal*; ergo opinatur, quod *omnis equus est corpus*: rursus opinatur, quod *nullum sensibile est corpus*, & *omnis equus est sensibilis*; ergo opinatur, quod *nullus equus est corpus*; sed ex hac conclusione secundi syllogismi, & ex minori primi syllogismi, sequitur contradictoria maioris eiusdem primi syllogismi in tertia figura, & in Felapton, sic: *nullus equus est corpus; omnis equus est animal; ergo aliquod animal non est corpus*; ergo simul opinatur maiorem, & eius contradictoriam, hoc est simul opinatur, quod *omne animal est corpus*, & *aliquod animal non est corpus*; sed est inconueniens, & impossibile, vt simul quis opinetur actu contraria, vel contradictoria; ergo est inconueniens, & impossibile, vt iuxta primum modum opinetur quis actu simul ambas præmissas vtriusque syllogismi.

5 At licet sit impossibile, vt iuxta prædictum modum opinetur quis simul veras ambas præmissas vtriusque syllogismi, vt iam est probatum, adhuc non est impossibile, vt quis opinetur simul veram alteram saltem præmissam vtriusque syllogismi, ex. gr. maiorem sine minori, vel vt opinetur veras ambas præmissas vnius syllogismi, alterius autem alteram tantum. Ex. gr. non est impossibile, vt quis opinetur simul, quod *omne animal est corpus*, & quod *nullum sensitiuum est corpus*; vel vt opinetur, quod *omne animal est corpus*, & *omnis equus est animal*, & *nullum sensitiuum est corpus*.

6 *Similis enim talis deceptio, & quemadmodum decipimur circa eas, quæ in parte. Veluti si A inest omni B: B vero omni C: A omni C inerit. Si itaque quispiam nouit, quòd A inest omni cui B, nouit, & quòd cui C: sed nil prohibet ignorare C, quod est. Vt si A, duo recti: in quo autem B, triangulus: in quo vero C, sensibilis triangulus. Suspicari nanque posset aliquis non esse C, sciens quòd omnis triangulus habet duos rectos: quare simul noscet, & ignorabit idem. Nosse enim omnem triangulum, quòd duobus rectis, non simplex est: sed hoc quidem, eo quòd vniuersalem habet scientiam, illud autem, eo quòd singularem. Sic igitur vt vniuersali nouit C, quòd duo recti: vt autem singulari non nouit: quare non habebit contrarias. Similiter vero & ratio, quæ in Menone, quòd disciplina recordatio. Nullibi nanque accidit præsciri, quod singulare est: sed simul cum inductione accipere scientiam, quæ secundum partem, tanquam recognoscentes: quædam enim subito nouimus, quemadmodum quòd duobus rectis, si nouerimus, quòd triangulus. Consimiliter autem, & in alijs. Vniuersali igitur speculamur quæ in parte, propria vero non nouimus. Quare accidit & decipi circa ipsa, præterquàm quod non contrarie, sed habere quidem vniuersalem, decipi vero ea, quæ secundum partem.*

7 *Consimiliter igitur, & in prædictis. Neque enim contraria deceptio, quæ secundum medium, scientiæ, quæ secundum syllogismum, neque quæ secundum vtrumque mediorum suspitio.*

6 Vt hæc probet, præmittit Aristoteles non repugnare, vt quis sciat aliquid in vniuersali, & simul ignoret, atque erret circa

circa illud in particulari, eo quod non videat, quod continetur in vniuersali. Probatur, & explicatur exemplis. Qui scit, *omne animal esse corpus*, scit corpus de omni animali, adeoque etiam de equo, qui supponitur animal, & tamen, si non aduertat equum contineri in animali, potest in particulari ignorare, quod *equus sit corpus*, imo potest opinari, quod *equus non sit corpus*, nec hoc est inconueniens, quia in vniuersali sciet equum esse corpus, in particulari ignorabit equum esse corpus, imo censebit equum non esse corpus. Similiter potest quis scire in vniuersali, quod *omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis*, & ignorare, quod *hic triangulus sensibilis habet tres angulos æquales duobus rectis*, eo quod non aduertat hoc sensibile esse triangulum, adeoque idem vno modo sciet, alio modo nesciet, sciet in vniuersali, nesciet in particulari, quod non repugnat. Ex hoc autem reijcitur argumentum Platonis, quo in Menone conatur ostendere scientiam esse reminiscentiam. Qui enim addiscit quod ante sciebat, reminiscitur; sed nos addiscimus quod ante sciebamus; ergo reminiscimur. Probabat minorem Plato: supponatur enim, quod aliquis sciat omnem *triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis*, & quod hic de nouo aduertat aliquid sensibile esse triangulum: hic addiscit hunc triangulum sensibilem habere tres angulos æquales duobus rectis; sed hoc ipsum sciebat ante, siquidem sciebat omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis; ergo reminiscitur triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis. Fallacia est, quia ille sciebat in vniuersali hunc triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, nesciebat in particulari, & statim ac per sensum certificatur, quod hic est triangulus addiscit in particulari, quod habet tres angulos æquales duobus rectis; sed hoc ante in particulari nesciebat; ergo addiscit, quod ante nesciebat; ergo non reminiscitur, sed beneficio sensus acquirit scientiam de nouo.

7 Sicut ergo possumus aliquid scire in vniuersali, & ignorare in particulari, sic possumus aliquid scire in vniuersali, & errare, ac decipi circa illud in particulari; nec per hoc habebimus opiniones ita contrarias, vt non possint simul coniungi in eodem intellectu. Sicut enim in eodem intellectu possunt simul coniungi scientia, qua aliquid scitur in vniuersali, & ignorantia, qua idem ignoratur in particulari, sic potest in eodem intellectu coniungi scientia, qua aliquid scitur in vniuersali, & error seu deceptio, qua circa illud idem erratur in particulari; ergo licet aliquis sciens, quod *omne animal est corpus*, sciat in vniuersali, quod *equus*, (*vtpote animal*,) *est corpus*, adhuc poterit in particulari opinari, quod *equus non est corpus*, deceptus hoc syllogismo; *nullum sensitiuum est corpus; omnis equus est sensitiuus; ergo nullus equus est corpus*: tum verò syllogismi, quo probatur, quod *omnis equus est corpus*, habebit solam maiorem, quod *omne animal est corpus*, non verò minorem, quod *omnis equus est animal*; syllogismi verò, quo probatur *nullum equum esse corpus*, habebit maiorem simul, & minorem.

8 *Nihil enim prohibet scientem, & quòd A toti B inest, & rursus hoc ipsi C, existimare A non inesse C: vt quòd omnis mula sterilis, & ipsa mula, existimare prægnantem hanc esse. Non enim scit, quòd A ipsi C, non simul speculans assumptum, quod secundum vtrunque.*

9 *Quare planum, quòd etsi hoc quidem nouit, illud vero non nouit, decipietur: quod habent vniuersale ad scientias, quæ secundum partem. Nullum enim sensibilium extra sensum existens nouimus, neque si sentientes scimus, nisi vt vniuersale, & eo quod est habere propriam scientiam: sed non vt agere. Scire nanque trifariam dicitur, vel vt vniuersale, vel vt propria, vel vt agere: quare decipi tot modis. Nihil igitur prohibet, & nosse, & deceptum esse circa idem, præterquam, quòd non contrarie: quod accidit, & secundum vtranque cognoscenti propositionem, & non considerant i prius. Suspicans enim mulam prægnantem esse, non habet scientiam secundum agere: neque iterum ob suspitionem, contrariam deceptionem scientiæ: syllogismus enim contraria deceptio vniuersali.*

10 *Qui vero suspicatur bono esse malo esse, idem suspicabitur bono esse, & malo. Sit nanque bono esse, in quo A: malo autem esse, in quo B: rursus vero bono esse, in quo C. Quoniam igitur idem suspicabitur B, & C, & esse C. B. suspicabitur & rursus B. A esse consimiliter: quare & C A. Quemadmodum enim si erat verum,* de

de quo C, B: & de quo B, A: & de C. A verum erat: ita & in ipso suspicari. Similiter autem, & in ipso esse. Cùm enim idem sint C & B: & rursus B & A: & C ipsi A idem erat: quare & in ipso opinari: consimiliter ergo hoc quidem necessarium, si quis dabit primum. Sed fortasse illud falsum, suspicari quendam malo esse, bono esse, nisi secundum accidens. Multipliciter enim possibile est hoc suspicari. Considerandum vero hoc melius.

8 Rursus non solum potest quis sciens aliquid in vniuersali errare circa illud in particulari, si sciat solum vnam præmissam, seu vnum medium syllogismi, sed etiam si sciat vtramque præmissam, & vtrumque medium. Ex. gr. potest quis scire, quod *omnis mula est sterilis*, & quod *hæc est mula*, & tamen opinari, quod *hæc concepit, & fert in vtero*, si nimirum solum habitu sciat omnem mulam esse sterilem, & hanc esse mulam, actu autem de hoc non cogitet, sed videns hanc mulam habere aliquem tumorem in ventre, putet hanc mulam esse fœtam.

9 Patet igitur, quod dupliciter potest quis sciens aliquid in vniuersali, errare, ac decipi circa idem in particulari: primo ex ignorantia minoris particularis, eo quod non acquisiuerit scientiam talis minoris per inductionem, & experientiam sensibilem: secundo etiam si quis sciat aliquid in vniuersali, & per inductionem, atque experientiam sensibilem acquisiuerit scientiam minoris particularis, adhuc potest errare, ac decipi circa conclusionem particularem, si maiorem vniuersalem sciat solum habitu, non actu. Ratio est, quia tot modis contingit errare circa aliquid, quot modis contingit illud scire; sed possumus aliquid scire tribus modis; primo in vniuersali, eo pacto, quo sciens omnem mulam esse sterilem, scit in vniuersali hanc mulam esse sterilem; secundo in particulari, eo pacto, quo quis scit hanc mulam, quam videt esse sterilem; tertio non solum habitu, sed actu, eo pacto, quo scit hanc mulam esse sterilem, qui actu cogitat, quod hæc est sterilis; ergo proportionaliter triplex est error, ac deceptio contraria dictis scientijs. Scientiæ in vniuersali contraria est deceptio circa idem in vniuersali: ex. gr. huic scientiæ vniuersali, *omnis mula est sterilis*, contraria est deceptio, qua quis opinetur *nullam, vel non omnem mulam esse sterilem*: deceptio verò in particulari, qua quis non aduertens hanc esse mulam, existimet hanc non esse sterilem, non est contraria scientiæ vniuersali, sed est compossibilis cum scientia vniuersali. Scientiæ particulari contraria est deceptio particularis: ex. gr. scientiæ, quod hæc *mula sit sterilis*, contraria est deceptio, qua quis opinetur hanc mulam non esse sterilem. Scientiæ actuali contraria est deceptio actualis, non autem habitualis, ideoque scientiæ, qua aliquis non actu, sed solum habitu sciat omnem mulam esse sterilem, & hanc esse mulam, non est contraria, & incompossibilis deceptio, qua quis existimet hanc mulam, quam videt tumentem in ventre, concepisse, & in vtero ferre.

10 Vltimus modus, quo possumus fingere, quod aliquis de eodem subiecto particulari affirmet contraria est, si fingamus, quod in vniuersali affirmet vnum contrarium esse aliud: ex. gr. si quis affirmet in vniuersali, quod *esse bonum est esse malum*, si de aliquo particulari, puta de fortitudine, affirmet, quod *est bonum*. de eadem putabit, quod sit malum per hunc syllogismum; *esse bonum est esse malum*; *fortitudo est bonum*; *ergo fortitudo est malum*. Quandoquidem enim in maiori affirmat, quod *esse bonum est idem, ac esse malum*, cum existimet fortitudinem esse bonum, existimabit fortitudinem esse malum. Similiter si illi maiori *esse bonum est esse malum*, addat hanc minorem, *auaritia est mala*, concludet quod *auaritia est bona*, per hunc syllogismum; *esse bonum, & esse malum idem est*; *auaritia est mala*; *ergo auaritia est bona*. Sicut enim, si verum sit, quod auaritia est mala, & quod malum est bonum, sequitur ex necessitate, quod auaritia est bona; sic si quis opinetur, quod auaritia est mala, & quod malum est bonum, sequitur, quod opinetur auaritiam esse bonam. Proportionaliter si auaritia est mala, & si idem est esse bonum, ac esse malum, sequitur ex necessitate, quod auaritia sit bona; ergo similiter, si quis opinetur, quod auaritia est mala, & quod idem est esse malum, & esse bonum, sequitur ex necessitate, quod opinetur auaritiam esse bonam. Necessitas siquidem opinandi proportionatur necessitati, quæ apparet in essendo; ergo si quis affirmet vnum contrarium esse aliud, de eodem particulari affirmabit

mabit contraria. Verumtamen impossibile est, vt quis decipiatur, existimans, quod vnum contrarium est aliud per se: ex. gr. quod bonum in quantum bonum est malum, sed solum potest existimare, quod vnum contrarium est aliud per accidens: ex. gr. quod ei, quod est bonum, accidit esse malum. Hoc autem indigeret maiori consideratione.

PARS TERTIA.

De annexis syllogismo.

De conuersione terminorum. Cap. XXVII.

1 *QVANDO autem extrema conuertuntur, necesse est, & medium conuerti ad vtraque.*
2 ** Si enim A de C per B inest, si conuertuntur, & ipsum C inest omni cui A: & B cum A conuertitur, & inest B omni cui A, per medium C: & C cum B conuertitur, per medium A.*

POSTQVAM Aristoteles in prima, & secunda parte huius libri secundi egit de potentijs, & impotentijs, seu de virtutibus, & defectibus syllogismi, in tertia, & postrema parte agit de alijs argumentationibus, quæ possunt ad syllogismum reduci: & quia inter alias argumentationes est argumentatio, quæ fundatur in conuertibilitate terminorum, ideo primo agit de conuertibilitate terminorum, ac circa conuersionem terminorum ponit sex regulas.

1 Prima regula est: si in syllogismo affirmatiuo extremitates, hoc est prædicatum, & subiectum conclusionis sint conuertibiles, medium est conuertibile cum vtraque extremitate.

2 Probatur: concludatur in Barbara, quod *omnis homo est risibilis*, per rationale, tanquam per medium, dicendo; *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*: si extrema, hoc est *homo, & risibile* conuertuntur, adeoque conclusio conuertitur, etiam medium, hoc est rationale conuertitur cum extremis, adeoque conuertitur vtraque præmissa. Quod conuertatur maior, probatur, quia ex conuersa conclusionis, & minori sequitur conuersa maioris, quæ est *omne risibile est rationale* per medium, *homo*, sic: *omnis homo est rationalis; omne risibile est homo; ergo omne risibile est rationale*. Quod conuertatur minor, probatur, quia ex conuersa conclusionis, & maiori sequitur conuersa minoris, quod nimirum, *omne rationale est homo*, per medium, *risibile*, sic; *omne risibile est homo; omne rationale est risibile; ergo omne rationale est homo*.

3 *Et in non inesse consimiliter. Veluti si B ipsi C inest: A vero ipsi B non inest: neque A ipsi C inerit. Si igitur A conuertitur cum B, & C conuertetur cum A. Sit enim B non inexistens ipsi A: neque igitur C: nam B inerat omni C.*

4 *Et si C conuertitur cum B, & B conuertetur cum A. De quo enim B omni, & C.*

5 *Et si C ad A conuertitur, & B conuertetur. Nam cui B, C: cui vero A, C non inest. Et solum hoc à conclusione incipit, alia autem non similiter: vt & in prædicatiuo syllogismo.*

3 Secunda regula est: in syllogismo negatiuo si medium conuertatur cum extremis, extrema negatiuè conuertuntur inter se: si extrema conuertantur, etiam medium conuertitur negatiuè cum illo extremo, de quo negatur.

Probatur, & explicatur: primo si medium conuertatur negatiuè cum maiori extremo, extrema conuertuntur negatiuè inter se. Probatur: sit enim syllogismus in Celarent; *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis*: quandoquidem medium, quod est rationale, conuertitur negatiuè cum maiori

iori extremo, quod est hinnibile, maior potest simpliciter conuerti in hanc; *nullum hinnibile est rationale*; sed facta hac conuersione, & transpositis præmissis, sequitur in Camestres conuersa conclusionis sic; *omnis homo est rationalis; nullum hinnibile est rationale; ergo nullum hinnibile est homo*; ergo si medium conuertitur negatiuè cum maiori extremo, etiam extrema conuertuntur negatiuè inter se.

4 Secundo si medium conuertitur affirmatiuè cum minori extremo, etiam extrema conuertuntur negatiuè inter se. Sit enim syllogismus in Celarent; *nullum rationale est hinnibile*; *omnis homo est rationalis*; & è conuerso, *omne rationale est homo*; sequitur, *ergo nullus homo est hinnibilis*; & è conuerso, *nullum hinnibile est homo*. Ratio est, quia termini conuertibiles ita se habent, vt quæ possunt affirmari, aut negari conuertibiliter de vno, possint affirmari, ac negari conuertibiliter de alio; sed hinnibile negatur conuertibiliter de rationali; ergo potest negari conuertibiliter de homine, qui est conuertibilis cum rationali, adeoque sicut *nullus homo est hinnibilis*, sic, *nullum hinnibile est homo*.

5 Tertio è conuerso, si in minori medium conuertatur affirmatiuè cum minori extremo, & in conclusione maius extremum conuertatur negatiuè cum minori extremo, etiam in maiori maius extremum conuertetur negatiuè cum medio. Probatur: sit enim syllogismus in Celarent; *nullum rationale est hinnibile*; *omnis homo est rationalis*; *ergo nullus homo est hinnibilis*: conuersa minori, & conclusione sequitur in Camestres conuersa maioris sic; *omne rationale est homo*; *nullum hinnibile est homo*; *ergo nullum hinnibile est rationale*. Addit Aristoteles, quod solum hic tertius modus à conuersa conclusionis processit ad conuersam alicuius præmissæ, cum alij duo modi à conuersis præmissarum processerint ad conuersam conclusionis.

6 *Rursus, si A & B conuertuntur, & C.D consimiliter: necesse autem A vel C omni inesse: & B & D sic se habebunt, vt omni alterum insit.*

7 *Quoniam enim cui A: B, & cui C.D: omni autem A vel C, & non simul: planum quòd & B, vel D omni, & non simul. Vt si ingenerabile incorruptibile, & incorruptibile, ingenerabile: necesse quod sit corruptibile, & corruptibile factum esse. Duo enim syllogismi fiunt.*

6 Tertia regula est: si quatuor termini A. B. C. D sic se habeant, vt primus A, & secundus B sint conuertibiles, ac similiter tertius C, & quartus D sint conuertibiles, si primus A, & tertius C sic se habeant, vt cuilibet alterum necessario insit, hoc est vel A, vel C, ac nulli possit vtrumque, hoc est & A, & C, simul conuenire, etiam secundus B, & quartus D sic se habent, vt cuilibet alterum, hoc est vel B, vel D, necessario insit, ac nulli vtrumque, hoc est & B, & D, possit simul conuenire.

7 Probatur, & explicatur: quatuor termini sint, qui proponuntur in apposita figura:

1. A Ingenitum.	3. C Genitum.
2. B Incorruptibile.	4. D Corruptibile.

Hi termini sic se habent, vt primus, & secundus, hoc est ingenitum, & incorruptibile conuertantur. Sicut enim, *omne ingenitum est incorruptibile*, sic, *omne incorruptibile est ingenitum*. Similiter tertius, & quartus conuertuntur. Sicut enim, *omne genitum est corruptibile*, sic, *omne corruptibile est genitum*. Rursus primus, & tertius, hoc est *ingenitum*, & *genitum* sic se habent, vt cuilibet alterum necessario insit, nulli vtrũque. Sicut enim quodlibet vel est ingenitum, vel est genitum, sic nihil potest esse simul ingenitum, & genitum. Dico igitur, quod etiam secundus, & quartus, hoc est incorruptibile, & corruptibile ita se habent, vt quodlibet ex necessitate vel sit incorruptibile, vel corruptibile, nihil possit simul esse incorruptibile, & corruptibile. Demonstratur: necesse est enim, vt quodlibet ingenitum sit incorruptibile, quandoquidem hi duo termini supponuntur conuertibiles: & ex eadem ratione necesse est, vt quodlibet genitum sit corruptibile; sed necesse est vt quodlibet, vel sit ingenitum, vel genitum, vt etiam supponitur; ergo necesse est, vt quodlibet vel sit incorruptibile, vel sit corruptibile: rursus necesse est, vt ingenitum, & genitum non sint idem; sed necesse est, vt omne incorruptibile sit ingenitum, & omne corruptibile sit genitum;

tum; ergo necesse est, vt incorruptibile, & corruptibile non sint idem. Cum igitur ex eo, quod ingenitum, & incorruptibile, & similiter genitum, & corruptibile conuertantur mutuo. & ex eo, quod quodlibet vel sit ingenitum, vel genitum, nihil possit esse simul ingenitum, & genitum, sequatur per duos syllogismos, quod quodlibet vel est incorruptibile, vel corruptibile, nihil potest esse simul incorruptibile, & corruptibile, patet veritas regulæ.

8 *Rursus, si omni A, aut B, & C, aut D: simul vero non insunt: si conuertuntur A, & C, & C, & D conuertuntur.*

9 *Si enim B non inest alicui cui D, planum, quòd A inest: si vero A, & C, conuertitur enim: quare simul C, & D. Hoc autem impossibile.*

8 Quarta regula, quæ est quasi conuersa tertiæ est: si quatuor termini A. B. C. D. sic se habent, vt cuilibet necessario conueniat primus A, aut secundus B, & non vterque simul; & similiter cuilibet necessario conueniat tertius C, aut quartus D, & non vterque simul; si primus A, & tertius C sunt conuertibiles, etiam secundus B, & quartus D, erunt conuertibiles.

9 Demonstratur: sint enim quatuor termini, qui proponuntur in apposita figura.

1. A Ingenitum.	2. B Genitum.
3. C Incorruptibile.	4. D Corruptibile.

Hi termini sic se habeant, vt quodlibet vel sit ingenitum, vel genitum, & nihil possit esse simul ingenitum, & genitũ; & quodlibet vel sit incorruptibile, vel corruptibile, & nihil possit esse simul incorruptibile, & corruptibile · dico, quod si primus, & tertius, hoc est ingenitum, & incorruptibile conuertuntur, etiam secundus, & quartus, hoc est genitum, & corruptibile conuertuntur. Demonstratur: si enim genitum, & corruptibile non conuertuntur, poterit ex. gr. aliquod corruptibile non esse genitum; sed ex suppositione quodlibet vel est ingenitum, vel genitum; ergo hoc corruptibile, quod non est genitum, erit ingenitum; sed supponitur, quod ingenitum, & incorruptibile conuertuntur; ergo hoc corruptibile, quod non est genitum, sed ingenitum, erit simul incorruptibile; ergo idem erit simul corruptibile, & incorruptibile, quod supponitur impossibile; ergo stantibus dictis suppositionibus, necesse est, vt genitum, & corruptibile conuertantur.

10 *Cùm verò A toti B, & C insit, & de nullo alio prædicetur: insit autem & B omni C: necesse est A, & B conuerti. Quoniam enim A de solis B C dicitur: prædicatur autem B & ipsum de se ipso, & de C: planum, quòd de quibus A, & B dicetur omnibus, præterquam de ipso A.*

11 *Rursus, quando A, & B toti insunt C: conuertitur autem C cum B: necesse A omni B inesse. Quoniam enim A omni C: C vero ipsi B, eo quòd conuertitur: & A omni B inerit.*

10 Quinta regula est: quando aliquod prædicatum, puta animal, dicitur de duobus solum subiectis, puta sensitiuo, & appetitiuo, & de nullo alio, si quidem nihil, quod non sit sensitiuum, vel appetitiuum, est animal, si alterum ex his duobus subiectis prædicatur vniuersaliter de altero, eo pacto, quo sensitiuum prædicatur vniuersaliter de appetitiuo, prædicatum illud conuertitur cum tali subiecto, ex. gr. animal conuertitur cum sensitiuo. Demonstratur: tum animal conuerteretur cum sensitiuo, cum diceretur de omni, & solo sensitiuo; sed ex suppositis sequitur, quod animal dicatur de omni, & solo sensitiuo; ergo &c. Probatur minor: animal enim ex suppositione dicitur de sensitiuo, & appetitiuo omnibus, & solis; sed etiam sensitiuum dicitur de sensitiuo, & de omni appetitiuo, vt supponitur; ergo animal prædicatur de omni, & solo eo, de quo dicitur sensitiuum; ergo prædicatur de omni, & solo sensitiuo, adeoque conuertitur cum sensitiuo.

11 Sexta regula est: quando duo prædicata, ex. gr. viuens, & animal, dicuntur vniuersaliter de aliquo subiecto, ex. gr. de sensitiuo, alterum autem prædicatorum conuertitur cum tali subiecto, eo pacto, quo animal conuertitur cum sensitiuo, tum illud prædicatum dicitur etiam vniuersaliter de prædicato, quod conuertitur cum subiecto, ex. gr. viuens dicitur vniuersaliter de animali. Demonstratur: quod enim dicitur vniuersaliter de aliquo, dicitur vniuersa-

uersaliter de omni eo, de quo dicitur illud; sed ex suppositione viuens dicitur de omni sensitiuo, sensitiuum verò dicitur de omni animali, siquidem supponitur sensitiuum conuerti cum animali; ergo viuens dicitur de omni animali, & potest fieri syllogismus in Barbara; *omne sensitiuum est viuens; omne animal est sensitiuum; ergo omne animal est viuens.*

De oppositis magis, aut minus eligibilibus. Cap. XXVIII.

1 *QVando autem duobus existentibus, vt A eligibilius sit, quàm B, cum sint opposita, & D, quàm C consimoliter: si eligibiliora A C quàm B D, A eligibilius quàm D.*

2 *Similiter enim sequendum A, & fugiendum B: opposita nanque: & C ipsi D: nam & hæc opponuntur. Si igitur A ipsi D similiter eligendum, & B ipsi C fugiendum: vtrumq; enim vtriq; similiter fugiendum sequendo: quare & ambo A C ipsis B D: quoniam autem magis non possunt, similiter: nanque B D similiter erant.*

3 *Si vero D quàm A eligibilius, & B quàm C minus fugiendum: nam minus minori opponitur: eligibilius autem maius bonum, & minus malum, quàm minus bonum, & maius malum: & totum ergo B D eligibilius, quàm A C: sed nunc non est: A igitur eligibilius, quàm D: & C itaque, quàm B minus fugiendum.*

4 *Si ergo eligeret omnis amans secundum amorem, A sic se habere, vt gratificetur: & non gratificari, in quo C: aut gratificari, in quo D: & non talem esse, vt gratificetur, in quo B: planum, quòd A talem esse, eligibilius est, quam gratificari. Amari igitur coitu eligibilius secundū amorem.*

5 *Amor igitur magis est amicitiæ, quàm ipsius coitus. Quòd si magis huius, & finis hoc: coire igitur aut non est penitus, aut eius, quod est amari, gratia. Nanque & alij affectus, et artes sic.*

Quomodo igitur se habent termini secundum conuersiones, et eo, quòd magis fugiendi, vel eligibiliores sint, manifestum.

1 SEx regulis traditis de conuersione terminorum, subdit Aristoteles incidenter septimam regulam de oppositis magis, aut minus eligibilibus.

Septima igitur regula est: si sint duo opposita, ex. gr. sanitas, & ægritudo, quorum primum sit eligibilius secundo, eo pacto, quo sanitas est eligibilior ægritudine; & sint alia duo opposita, ex. gr. Diuitiæ, & paupertas, quorum primum sit eligibilibus secundo, eo pacto, quo diuitiæ sunt eligibiliores paupertate; tum si complexum ex sanitate, & paupertate magis est eligibile, quam complexum ex diuitijs, & ægritudine, etiam sanitas est magis eligibilis, quam diuitiæ.

2 Demonstratur: stantibus enim suppositis, impossibile est, quod sanitas sit æquè, aut minus eligibilis, quam diuitiæ; ergo necesse est, vt sit magis eligibilis. Probatur prima pars antecedentis, quod nimirum stantibus suppositis impossibile est, vt sanitas sit æquè eligibilis, ac diuitiæ: æquè est eligendum vnum oppositum, ac est fugiendum alterum oppositum; sed sanitas, & ægritudo sunt opposita; ergo æquè est eligenda sanitas, ac fugienda ægritudo; sed etiam diuitiæ, & paupertas sunt opposita; ergo æquè eligendæ sunt diuitiæ, ac sit fugienda paupertas; ergo si sanitas, & diuitiæ sunt æqualiter eligendæ, ægritudo, & paupertas sunt æqualiter fugiendæ; ergo etiam complexum ex sanitate, & paupertate est æquè eligendum, ac complexum ex diuitijs, & ægritudine, cum constent ex partibus æquè eligendis, ac fugiendis, primum nimirum ex sanitate, & paupertate, secundum ex diuitijs, & ægritudine; hoc autem est contra suppositum; supponitur enim, quod complexum ex sanitate, & paupertate sit magis eligibile, quam complexum ex diuitijs, & ægritudine; ergo stantibus suppositis impossibile est, vt sanitas, ac diuitiæ sint æquè eligibiles.

3 Probatur iam secunda pars antecedentis, quod stantibus suppositis, impossibile sit, vt sanitas sit minus eligibilis, quam diuitiæ: quod enim opponitur minori bono est minus malum, ac minus fugiendum, quam quod opponitur maiori bono; sed si sanitas esset minus bona, ac minus eligibilis, quam diuitiæ, ægritudo opposita sanitati opponeretur minori bono, quam paupertas opposita diuitijs; ergo ægritudo esset minus malum, minusque fugiendum, quam paupertas; ergo complexum ex sanitate, & paupertate constaret ex minori

bono,

bono, ac minus eligendo, & maiori malo, magisque fugiendo, quam complexum ex diuitijs, & ægritudine; sed complexum constans ex minori bono, & maiori malo minus est eligendum, quam complexum constans ex maiori bono, & minori malo; ergo complexum ex sanitate, ac paupertate esset minus bonum, ac minus eligendum, quam complexum ex diuitijs, & ægritudine, quod est contra suppositum; ergo stantibus suppositis, impossibile est, vt sanitas sit minus bona, ac minus eligenda, quam diuitiæ; sed etiam demonstratum est, quod est impossibile, vt sanitas sit æquè eligenda, ac diuitiæ; ergo stantibus suppositis sanitas est magis bona, ac magis eligenda, quam diuitiæ, quod erat demonstrandum.

4 Hoc idem, quod nos exemplificauimus in sanitate, & ægritudine, & in diuitijs, ac paupertate, exemplificat Aristoteles in voluntate gratificandi, seu benefaciendi, & in opposita voluntate non gratificandi, ac non benefaciendi, & in actione gratificandi, & actione non gratificandi. Si enim eligibilius est, vt amicus habeat voluntatem benefaciendi, & non benefaciat, quam vt benefaciat, & habeat voluntatem non benefaciendi, eligibilius est, vt amicus habeat voluntatem benefaciendi, quam vt benefaciat: valet enim argumentatio iam facta.

5 Ex dictis infert Aristoteles corollarium, quod si in amicitia, quod est optimum, & eligibilius cæteris est dilectio amici, seu voluntas benefaciendi; quod autem est optimum est finis; sequitur, quod finis amicitiæ est diligi ab amico, & amicum diligere; sed in omnibus artibus, virtutibus, & appetitionibus, cætera eligun tur gratia finis; ergo in amicitia non debet eligi amor amici gratia communicationis, sed communicatio gratia amoris. Concludit Aristoteles satis explicatum esse, quo pacto se habeant termini conuertibiles, & quid sit magis eligendum, aut fugiendum.

De Inductione. Cap. XXIX.

1 *QVòd autem non solum dialectici, et demonstratiui syllogismi per prædictas efficiuntur figuras, sed & rhetorici, & simpliciter quæcunque fides, & secundum quamcunque methodum, nunc vtique sit dicendum.*

2 *Omnia enim credimus, aut per syllogismum, aut ex inductione.*

3 *Inductio igitur est, & ex inductione syllogismus, alterum extremum medio ratiocinari per alterum. Veluti si ipsorum A C medium sit B, per C monstrare A inexistens ipsi B: sic enim facimus inductiones, Vt sit A, longæuum: in quo autem B, bilem non habens: in quo vero C, singulare longæuum, sicut homo, & equus, & mulus.*

4 *A igitur inest toti C: omne enim C longæuum: sed & B bilem non habens inest omni C. Si igitur conuertitur C cum B, & non excedit medium, necesse est A inesse ipsi B.*

POstquam Aristoteles egit de argumentationibus fundatis in conuertibilitate terminorum, agit de alijs argumentationibus, ac de earum reductione ad syllogismum, & præsertim de inductione, exemplo, abductione, instantia, enthymemate, quod est syllogismus ex verosimilibus, ac signis, ac demum de syllogismo physiognomico, per quem ex naturalibus signis indagamus naturam, & naturales affectiones.

1 Primo ergo præmittit, quod cum actum sit de syllogismo in genere, ac de eius virtutibus, ac defectibus, superest vt ostendatur, quod non solum syllogismi demonstratiui, ac dialectici, sed etiam syllogismi rhetorici, ac vniuersim omnes argumentationes, ac rationes, quibus vtimur in omnibus disciplinis ad faciendam fidem alicuius, vel quomodocunque ad aliquid probandum, & persuadendum, fiunt per explicatas figuras, & modos, adeoque omnes rationes, & argumentationes reduci possunt ad syllogismum.

2 Secundo vt id probet, docet, quod omnis ratio, per quam inducimur ad aliquid credendum est vel inductio, vel syllogismus: cæteræ siquidem argumentationes reducuntur ad istas; ergo si probatum fuerit, quod inductio reducitur ad syllogismum, probatum iam erit, quod omnis ratio, per quam inducimur ad aliquid credendum, reducitur ad syllogismum.

3 Tertio definit inductionem, & ex definitione ostendit, quod inductio reducitur ad syllogismum, & est syllogismus qui-

dam. Est igitur inductio ratiocinatio, per quam maius extremum probatur de medio per minus extremum, hoc est per singularia, & inferiora, quæ continentur sub medio. Explicatur: aliqua animalia, ex. gr. homo, equus, mulus &c. sunt longæua, hoc est ducunt longam vitam. Ratio, propter quam sunt longæua est, quia non habent bilem cum excessu, adeoque medium ad probandum, quod equus, mulus, homo sunt animalia longæua est, quia non habent bilem cum excessu; esse longæuum est maius extremum; mulus, homo, equus &c. sunt minus extremum contentum sub medio animalis non habentis bilem cum excessu. Si igitur è conuerso probetur omne animal bilem non habens esse longæuum per inductionem inferiorum, ex eo, quod equus, homo, mulus &c., qui non multnm habent bilis, sint longæua, iam maius extremum probabitur de medio per minus extremum contentum sub medio; ergo inductio est ratiocinatio, per quam maius extremum probatur de medio per minus extremum, seu per inferiora contenta sub medio.

4 Iam vt hæc inductio sit perfecta, ac necessario concludat ex vi formæ, quod *omne animal bilem non habens est longæuum*, necesse est, vt animalia inducta, quæ cum bilem non habeant, sunt longæua, sint omnia, quæ bilem non habent, adeoque conuertantur cum animalibus bilem non habentibus: si enim non sint omnia, sed solum aliqua, non sequitur necessario ex vi formæ; *ergo omnia animalia bilem non habentia sunt longæua*; sed si animalia enumerata conuertantur cum non habentibus bilem, eo ipso inductio est reducibilis ad syllogismum in Barbara, quo dicatur: *omne quod est equus, vel mulus &c. est longæuum; sed omne animal non habens bilem est vel equus, vel mulus &c.; ergo omne animal non habens bilem est longæuum*; ergo inductio si sit perfecta, & necessario concludat ex vi formæ, reducibilis est ad syllogismum.

5 *Monstratum nanque fuit prius, si duo quædam eidem insint, & ad alterum ipsorum conuertatur extremum, quòd conuertenti & alterum prædicatorum inerit. Oportet autem intelligere C ex omnibus singularibus compositum: inductio enim per omnia.*

6 *Est autem talis syllogismus primæ, & immediatæ propositionis. Quorum nanque est medium, per medium syllogismus: quorum vero non est, per inductionem.*

7 *Et quodammodo opponitur inductio syllogismo. Hic enim per medium extremum tertio monstrat: illa autem per tertium extremum medio.*

8 *Natura igitur prior, & notior qui per medium syllogismus: nobis vero notior qui per inductionem.*

5 Confirmat Aristoteles istam reductionem inductionis positæ ad syllogismum: ex sexta enim regula tradita cap. 26. num. 7. quando duo prædicata dicuntur de eodem subiecto, si alterum prædicatorum conuertatur cum tali subiecto, de ipso dicitur vniuersaliter aliud prædicatum; sed longæuum, & carens bile dicuntur vniuersaliter de subiecto coalescente ex homine, equo, mulo, ac reliquis singularibus inductis; talia vero singularia sunt conuertibilia cum hoc, quod est *habere bilem*; ergo longæuum dicitur vniuersaliter de habente bilem, & potest fieri allatus syllogismus in Barbara; ergo inductio perfecta, in qua maius extremum demonstratur de medio per minus extremum conuertibile, hoc est per omnia inferiora contenta sub medio, potest reduci ad syllogismum.

6 Quarto ex dictis explicat Aristoteles differentiam syllogismi inductiui à syllogismo probatiuo. Syllogismus inductiuus præsertim deseruit ad probandas propositiones primas, immediatas, & carentes medio. Ex. gr. hæc propositio; *omne animal carens bile est longæuum*, est prima, & immediata, quia ratio, cur animal sit longæuum non est alia, nisi quia caret bile, adeoque non est medium, seu alia ratio, cur animal carens bile sit longæuum. Cum igitur allata propositio, vt pote carens medio, non possit probari per medium, potest solum probari per inductionem, seu syllogismum inductiuum. E conuerso syllogismus probatiuus probat maius extremum de minori extremo per aliquod medium, adeoque non probat propositiones immediatas, sed mediatas: ex. gr. probat hominem esse risibilem per rationale, quod est medium, & ratio, propter quam *homo est risibilis*.

7 Ex dictis patet primo syllogismum inductiuum, & probatiuum quodammodo opponi. Syllogismus enim probatiuus probat

bat maius extremum de minori extremo per medium; syllogismus inductiuus probat maius extremum de medio per minus extremum.

8 Patet secundo, quod syllogismus probatiuus est notior ex natura sua. Cum enim procedat per causam, causa verò ex natura sua sit notior effectu, procedit per notiora natura. E conuerso syllogismus inductiuus est notior quoad nos, quia procedit per singularia, quæ vt pote magis sensibilia sunt notiora nobis.

De exemplo. Cap. XXX.

1 *Sed exemplum est, quando extremum medio inexistens monstratum fuerit per simile tertio. Oportet autem medium tertio, & primum simile notius esse inexistens. Vt sit A, malum: B, contra confines bellum inferre: in quo C, Athenienses contra Thebanos: in quo autem D, Thebanos contra Phocenses. Si itaque velimus monstrare, quòd bellum gerere cum Thebanis est malum, accipiendum, quòd contra confines bellum gerere est malum. Huius autem fides ex similibus, vt quoniam Thebanis, quod contra Phocenses. Quia igitur malum est, quod contra confines: quod vero contra Thebanos, contra confines est: planum, quòd contra Thebanos bellum gerere malum. Manifestum itaque, quòd B ipsi C, & ipsi D inest: ambo enim sunt contra confines bellum inferre: & quòd A ipsi D: Thebanis enim non contulit bellum contra Phocenses. Quòd autem A ipsi B inest, per D monstrabitur. Eodem autem modo, si per plura similia fides fiat medij ad extremum.*

2 *Planum igitur, quòd exemplum est, neque vt pars ad totum, neque vt totum ad partem, sed vt pars ad partem, quando ambo sub eodem sint, notum vero alterum. Et differt ab inductione: quoniam illa quidem ex omnibus indiuiduis extremum monstrabat inesse medio, & ad extremum non coaptabat syllogismum: hoc autem & coaptat, & non ex omnibus monstrat.*

1 Postquam Aristoteles egit de inductione, agit de exemplo, quod est inductio quædam imperfecta. Primo ergo definit exemplum: exemplum est, per quod ostenditur maius extremum inesse medio per aliquid simile tertio, seu minori extremo, & sic demum concluditur maius extremum inesse tertio, seu minori extremo: ex. gr. maius extremum sit malum; medium sit *inferre bellum finitimis*; tertium, seu minus extremum sit, *Athenienses inferre bellum Thebanis*; quartum huic simile sit *Thebanos intulisse bellum Phocensibus*. Si igitur probandum sit maius extremum de tertio, hoc est quod *Athenienses inferre bellum Thebanis malum est*, debet maius extremum dici de medio sic; *inferre bellum finitimis malum est; sed Athenienses inferre bellum Thebanis est inferre bellum finitimis; ergo Athenienses inferre bellum Thebanis malum est*. Si rursus sit probandum maius extremum de medio, hoc est, quod *inferre bellum finitimis malum est*, debet assumi aliquid simile minori extremo, hoc est, quod *Thebanos inferre bellum Phocensibus finitimis malum fuit; ergo inferre bellum finitimis malum est*. In toto hoc discursu, quod medium insit tum minori extremo, tum simili patet. Nam sicut *Athenienses inferre bellum Thebanis est inferre bellum finitimis*, sic Thebanos *inferre bellum Phocensibus fuit inferre bellum finitimis*. Quod maius extremum insit alicui, quod est simile minori extremo, est similiter manifestum. Nam Thebanos inferre bellum Phocensibus malum fuit. Quod autem maius extremum insit medio, hoc est, quod *inferre bellum finitimis malum sit*, probatur per exemplum simile ex eo, quod Thebanos inferre bellum Phocensibus finitimis malum fuit. Sicut autem maius extremum probatur de medio per vnum exemplum, sic posset probari per plura exempla: ex. gr. ad probandum, quod *inferre bellum finitimis malum sit*, possent adduci plura exempla eorum, quibus inferre bellum finitimis malum fuit.

2 Hinc patet differentia exempli à syllogismo, & inductione. Syllogismus ex toto procedit ad partem. Ex eo enim, quod aliquid dicatur de omni, vel nullo, proceditur ad id affirmandum, vel negandum de ijs, quæ continentur in omni, vel nullo. Inductio ex partibus procedit ad totum. Ex eo enim, quod aliquid dicatur de inferioribus, probatur de vniuersali. Exemplum ab vna parte nota procedit ad alteram partem ignotam, cum vtraque con-

continetur sub aliqua ratione communi: ex. gr. quia *Thebanos inferre bellum Phocensibus, & Athenienses inferre bellum Thebanis est, inferre bellum finitimis*; notum autem est, quod malum fuit Thebanis inferre bellum Phocensibus, infertur, quod malum est, etiam Athenienses inferre bellum Thebanis. Præterea exemplum differt ab inductione in hoc, quod inductio ex omnibus indiuiduis, seu inferioribus ostendit maius extremum de medio, & non descendit ad probandum maius extremum de tertio: at exéplum ex aliquibus solum inferioribus probat maius extremum de medio, ac descendit etiam ad probandum maius extremum de tertio: ex. gr. aliquibus exemplis ostenditur, quod inferre bellum finitimis malum est, & sic concluditur, quod Athenienses inferre bellum Thebanis malum est.

De Abductione, seu Deductione. Cap. XXXI.

1 *Abductio vero est, cùm primum medio inexistens manifestum sit: vltimo autem medium, obscurum quidem, sed similiter credibile, aut magis, quam conclusio.*

2 *Amplius, si pauca sint media vltimi, & medij: omnino enim propinquius scientiæ accedit esse.*

3 *Vt sit A docibile: in quo B, scientia: C iustitia. Quod igitur scientia docibilis, planum: si autem virtus scientia, obscurum. Si igitur BC similiter, aut magis credibile, quàm AC, abductio est: est enim proximius ipsi scire, eo quòd assumpsimus AC, scientiam prius non habentes.*

4 *Aut rursus si pauca sint media ipsorum BC: nanque, & sic proximius ipsi cognoscere. Veluti si K esset quadrari: in quo autem E, rectilineum: in quo vero F, circulus: si ipsius EF vnum solum esset medium; hoc quod est, cum lunulis æqualem fieri circulum rectilineo, esse posset prope ipsum cognoscere.*

Cùm vero BC, neque credibilius sit, quàm AC, neque pauca media, non dico abductionem: neque quando BC sit immediatum: tale enim scientia est.

1 Abductio est, per quam licet non acquiramus scientiam conclusionis, appropinquamus tamen tali scientiæ. Hinc patet, quod abductio habet quamdam oppositionem cum inductione, propter quam conuenienter Aristoteles postquam egit de inductione, & exemplo, agit de abductione. Hæc autem oppositio consistit in hoc, quod inductio probat medium per aliquid ex sua natura posterius, ac remotius à sciētia; abductio è conuerso probat conclusionem per aliquid insufficiens quidem ad causandam scientiam, sed ex sua natura prius, & propinquius scientiæ.

2 Abductio fit duobus modis. Primus modus est, cum ad conclusionem probandam fit syllogismus constans ex maiori per se nota, in qua maius extremum dicitur de medio, & ex minori, in qua medium dicitur de minori extremo, æquè, vel magis nota, quam conclusio. Secundus modus est cum ad probandam conclusionem fit syllogismus cōstans ex maiori per se nota, & ex minori per se non nota, sed quæ possit probari per pauciora media, quam conclusio. Explicantur isti duo modi exemplis, ex quibus etiam patebit, quo pacto licet per abductionem non acquiramus scientiam, appropinquamus tamen scientiæ.

3 Exemplum primi modi fit: ad probandum, quod iustitia est docibilis, fiat sequens syllogismus: *omnis disciplina est docibilis; iustitia est disciplina; ergo iustitia est docibilis*. Maior, quod omnis disciplina est docibilis, est per se nota, & manifesta: si minor, quod iustitia est disciplina, licet non sit per se nota, adhuc sit credibilior, vel æquè credibilis, ac conclusio, facta erit abductio, per quam licet non habeamus scientiam conclusionis, sumus tamen propinquiores scientiæ. Ratio est, quia propinquior est scientiæ, qui ad probandam conclusionem habet omnia media, quæ habebat ante, & aliquod aliud; sed facta hac deductione, habebimus scientiam conclusionis, & per media, per quæ directè probatur, quod iustitia est docibilis, & per media, per quæ probatur, quod iustitia est disciplina, adeoque habemus plura media, quam ante; ergo facta hac deductione propinquiores sumus scientiæ.

4 Exemplum secundi modi fit: ad probandum, quod circulus potest quadrari, fiat sequens syllogismus; *omnis figura rectilinea potest quadrari; sed omnis circulus potest ostendi æqualis alicui figuræ rectilineæ; ergo omnis circulus potest quadrari*. Maior est mani-

manifesta; minor ex se est æquè ignota, ac conclusio: si tamen minor, quod *omnis circulus possit ostendi æqualis alicui figuræ rectilineæ*, demonstretur per vnicum medium Hippocratis Chij ex quadratura Lunulæ, talis syllogismus erit abductio, quia licet per illum non demonstremus conclusionē, propinquiores sumus demonstrationi, cum ad minorem demonstrandam pauciora media requirantur, quam ad demonstrandam conclusionē. Ratio, qua Hippocrates Chius conatus est demonstrare quadraturam circuli videri potest lib. 1. Physicorum tex. 11.

5 Expositis duobus modis, quibus potest fieri abductio, explicat Aristoteles, quando nam syllogismus non sit abductiuus. Docet, quod si ad probandam conclusionem assumatur minor, quæ neque sit credibilior, neque æquè credibilis, neque sit probabilis per pauciora media, quam conclusio, non est abductio, cum per talem syllogismum non appropinquemus scientiæ. Rursus si assumatur minor per se nota, & immediata, cum etiam maior supponatur per se nota, & immediata, talis syllogismus non erit abductio, sed demonstratio. Ratio est, quia syllogismus probans conclusionem ex vtraque præmissa per se nota, & immediata, eo ipso causat scientiam, & facit scire; ergo non est abductio, quæ iuxta definitionem allatam num. 1. est syllogismus non faciens scire, sed solum faciens, vt appropinquemus sciētiæ.

De Instantia, siue Obiectione. Cap. XXXII.

1 *CAeterum instantia est propositio propositioni contraria. Differt autem à propositione, quoniam instantiam contingit esse in parte: propositionem vero aut omnino non contingit, aut non in vniuersalibus syllogismis.*

2 *Fertur autem instantia bifariam, & per duas figuras. Bifariam quidem, quoniam, aut vniuersaliter, aut in parte omnis instantia: ex duabus vero figuris, quoniam opposita feruntur propositioni: opposita autem in prima, & tertia figura concluduntur soli. Quando enim censeat omni inesse, instamus, quòd nulli, aut quòd alicui non inest. Horum autem nulli quidem ex prima figura: alicui vero non, ex vltima. Vt sit A, vnam esse scientiam: in quo B, contraria. Cùm igitur proponit vnam esse contrariorum scientiam, instat, aut quòd omnino non eadem oppositorum: contraria autem opposita: quare fit prima figura: aut quòd noti, & ignoti, non vna; hæc vero tertia. De C nanque noto, & ignoto, contraria quidem esse, verum: vnam autem ipsorum scientiam esse, falsum. Rursus in priuatiua propositione consimiliter. Cùm enim censet non esse vnam contrariorum, aut quod omnium oppositorum, aut quòd aliquorum contrariorum eadem, dicimus, vt sanabilis, & ægrotabilis. Omnium igitur ex prima: aliquorum vero ex tertia figura.*

3 *Simpliciter enim in omnibus, cùm vniuersaliter quidem instat, necesse ad vniuersale contradictionem dicere eorum, quæ proponuntur: veluti si non existimet eandem contrariorum omnium, dicentem oppositorum vnam. Sic autem necesse primam esse figuram: medium enim fit, quod vniuersale ad id, quod ex principio. In parte vero, ad quod est vniuersale, de quo dicitur propositio: vt noti, & ignoti non eandem: contraria enim vniuersaliter ad hæc, & fit tertia figura. Medium enim, quod in parte accipitur, vt notum & ignotum.*

4 *Ex quibus enim est ratiocinari contrarium, ex his & instantias conamur dicere. Quare & ex solis his figuris ferimus: in solis enim his oppositi syllogismi: per medium enim non erat affirmatiue.*

1 INstantia, seu obiectio est propositio propositioni contraria, vel contradictoria. Ex. gr. si quis assumat, quod *omnium contrariorum est eadem disciplina*, instantia est, si obijciatur, *immo nullorum, vel saltem aliquorum contrariorum non est eadem disciplina*. Instantia differt à propositione, contrà quam affertur in hoc, quod propositio debet esse vniuersalis, saltem in syllogismis vniuersalibus: at instantia potest esse tum vniuersalis, tum particularis. Ratio est, quia instantia, est propositio allata ad destruendam propositionem vniuersalem, ex qua conficitur syllogismus; sed propositio vniuersalis destruitur tum per vniuersalem contrariam, tum per particularem contradictoriam: ex. gr. hæc propositio, *omnium contrariorum est eadem disciplina*, destruitur tum per hanc vniuersalem, *nullorum contrariorum est eadem disciplina*, tum per hanc particularem, *aliquorum*

rum contrariorum non est eadem disciplina; ergo instantia potest esse tum vniuersalis, tum particularis.

2 Hinc infertur, quod instantia potest afferri duobus modis, & potest naturaliter concludi per duas figuras, per primam nimirum, & tertiam. Ratio, cur possit afferri duobus modis est, quia tot modis potest afferri instantia, quot modis potest euerti propositio vniuersalis assumpta in syllogismo; sed propositio vniuersalis potest euerti duobus modis, hoc est vel per vniuersalem contrariam, vel per particularem contradictoriam; ergo instantia potest afferri duobus modis, hoc est tum per vniuersalem contrariam, tum per particularem contradictoriam. Ratio, cur possit naturaliter probari per primam, & tertiam figuram est, quia instantia vniuersalis connaturaliter probatur per primam figuram, instantia particularis connaturaliter probatur per tertiam: ex.gr.si quis dicat,quod *omnium contrariorum est eadem disciplina*, & instetur per instantiam vniuersalem dicendo, *immo nullorum contrariorum est eadem disciplina*, talis instantia vniuersalis connaturaliter probabitur per primam figuram sic: *nullorum oppositorum est eadem disciplina; omnia contraria sunt opposita; ergo nullorum contrariorum est eadem disciplina*. E conuerso instantia particularis, quod *aliquorum contrariorum est eadem disciplina*, probabitur per tertiam figuram,sic: *noti, & ignoti non est eadem disciplina; sed notum, & ignotum sunt contraria; ergo aliquorum contrariorum non est eadem disciplina*. Similiter si quis afferat contra hanc propositionem negatiuam, *nullorum contrariorum est eadem disciplina*, instantiam vniuersalem, & dicat; *immo omnium contrariorum est eadem disciplina*. probabit illam per primam figuram, & per Barbara, sic: *omnium oppositorum est eadem disciplina; sed omnia contraria sunt opposita; ergo omnium contrariorum est eadem disciplina*: instantiam verò particularem, quod *aliquorum contrariorum sit eadem disciplina*, probabit per tertiam figuram sic; *sani, & ægroti est eadem disciplina; sed sanum, & ægrotum sunt contraria; ergo aliquorum contrariorum est eadem disciplina*. Patet igitur, quod connaturaliter instantia vniuersalis probatur per primam figuram; instantia particularis per tertiam.

3 Ad probandam igitur instantiam vniuersalem, debet quæri medium superius subiecto propositionis: ex.gr.ad probandum, quod *nullorum contrariorum est eadem disciplina*, debet sumi pro medio aliquid vniuersalius contrarijs, nimirum oppositum, & sic fieri syllogismus in prima figura; *nullorum oppositorum est eadem disciplina; sed omnia contraria sunt opposita; ergo &c.* Ad probandam verò instantiam particularem, ex. gr. quod *aliquorum contrariorum non est eadem disciplina*,debet sumi medium inferius subiecto, ex. gr. *notum, & ignotum*, quæ continentur sub contrarijs, & fieri syllogismus in tertia figura sic: *noti, & ignoti non est eadem disciplina; sed notum, & ignotum sunt contraria; ergo contrariorum aliquorum non est eadem disciplina*.

4 Confirmat Aristoteles doctrinam positam, quod instantiæ connaturaliter probentur per primam, & tertiam figuram. Cum enim instantiæ sint propositiones oppositæ alijs propositionibus, per illas figuras debent probari, per quas probari possunt propositiones oppositæ; sed propositiones oppositæ probari possunt solum per primam, & tertiam figuram, non verò per secundam; ergo &c. Probatur minor, quia ex propositionibus oppositis altera est affirmatiua, altera negatiua; sed secunda figura probat solum propositiones negatiuas, non autem affirmatiuas; prima,& tertia figura concludunt tum affirmatiuè, tum negatiuè; ergo &c.

5 *Amplius, & si pluris indigeat orationis quæ per mediam figuram, veluti si non det A inesse B, eò quòd C non sequitur ipsum,*

6 *Hoc enim per alias propositiones planum. Non oportet autem instantiam ad alia euerti, sed statim manifestam habere*
7 *alteram propositionem. * Vnde, & signum ex sola hac figura non est.*

8 *Considerandum autem & de alijs instantijs, vt de ijs, quæ sunt ex contrario, & simili, & eo quod secundum opinionem: & si eam, quæ est in parte ex prima, aut priuatiuam ex media possibile capere.*

5 Potest contrà hoc opponi, quia saltem per secundam figuram probari potest instantia negatiua ad euertendam propositionem affirmatiuam: ex. gr. si hæc affirmatiua, *omnium contrariorum est eadem disciplina*, instetur per hanc negatiuam, *immo nullo-*

nullorum contrariorum est eadem disciplina, hæc instantia probari poterit in secunda figura, sic; *eadem disciplina non est oppositorum; sed contraria sunt opposita; ergo contrariorum non est eadem disciplina*.

6 Respondet Aristoteles, quod instantia debet ita afferri, vt ex se sit manifesta; at instantia allata in secunda figura non est ex se manifesta, sed indiget conuersione alicuius præmissæ, per quam fiat euidens; ergo non conuenienter affertur instantia per secundam figuram. E conuerso per tertiam figuram conuenienter affertur, quia syllogismus expositorius tertiæ figuræ ex se manifestè concludit: ex. gr. ex se manifestè concludit hic syllogismus: *noti, & ignoti non est eadem disciplina; sed hæc, nimirum notum, & ignotum sunt contraria; ergo aliquorum contrariorum non est eadem disciplina*.

7 Ex eo, quod Aristoteles dixerit secundam figuram non concludere affirmatiuè, infert, quod syllogismus à signo, licet fiat per primam, & tertiam figuram, nunquam fit per secundam, quia est affirmatiuus, vt dicetur cap. 34. & num. 3.

8 Postquam Aristoteles explicauit, quo pacto afferantur instantiæ ex se euidentes, breuiter insinuat quæ supersint examinanda circa alias instantias non euidentes, sed merè probabiles. Examinandum nimirum superest, quo pacto afferantur instantiæ ex contrario, ex simili, ex auctoritate, siue aliorum opinione &c. Instantia à contrario esset, si contra dicentem, quod *omne gaudium est bonum* opponatur, *non omnis tristitia est mala; ergo non omne gaudium est bonum*. Instantia à simili esset, si contra dicentem, quod *punctum est pars lineæ*, opponatur; *linea non est pars superficiei; ergo punctum non est pars lineæ*. Instantia ab auctoritate, siue opinione communi esset, si contra dicentem, quod *anima rationalis est mortalis*, opponatur communis opinio docens, quod *anima rationalis est immortalis*. Examinandum præterea, vtrum instantia particularis non solum possit afferri in tertia figura, sed etiam in prima: & vtrum instantia negatiua ex se non manifesta, possit afferri in secunda figura. Sed de his agendum est in libris Topicorum.

De verisimili, & signo. Caput XXXIII.

1 *Verisimile vero, & signum non est idem, sed verisimile quidem est propositio probabilis: quod enim cognoscunt, vt in pluribus ita fieri, aut non fieri, esse aut non esse, hoc est verisimile, vt odire inuidentes, aut beneuolentia prosequi amatos.*

2 *Signum autem vult esse propositio demonstratiua, aut necessaria, aut probabilis. Quo enim existente, est: aut quo facto prius, aut posterius facta est res, signum est, quòd factum fuerit, aut sit.*

Postquam Aristoteles egit de inductione, exemplo, abductione, & instantia, agit demum de enthymemate: & quia in definitione enthymematis debet vti verisimili, ac signo, ne quidquam relinquat inexplicatum ex ijs, quibus vsurus est, præmittit definitionem verisimilis, ac signi.

1 Licet verisimile, ac signum habeant quandam conuenientiam inter se, adhuc non sunt omninò idem. Verisimile igitur est propositio probabilis secundum se præcisè considerata: & quia probabile est, quod plerunque contingit, ideo verisimile est propositio, per quam affirmamus faciendum id, quod scimus plerunque fieri; non faciendum id, quod scimus plerunque non fieri; esse, quod scimus plerunque esse; non esse, quod scimus plerunque non esse: ex. gr. est verisimile, quod inuidentes oderint eos, quibus inuident, & quod amantes diligant, & velint bona ijs, quos amant, quia plerunque solet ita contingere.

2 Signum è conuerso est propositio necessaria, aut probabilis, non secundum se præcisè considerata, sed in quantum demonstrat, atque indicat aliquid aliud. Tria videntur esse genera signorum: comitantia nimirum, consequentia, & antecedentia. Signa comitantia sunt, quæ non possunt esse, quin aliud sit: ex. gr. talis pulsus est signum comitans febris, quia non potest dari talis pulsus, quin simul detur febris: partus est signum consequens conceptionis, quia impossibile est, vt pariat, quæ ante non concepit; pulsus moribundi est signum

gnum antecedens mortis paulo post securturæ, quia est impossibile, vt detur talis pulsus, quin ægrotus paulo post moriatur.

Infertur verisimile, & signum se habere sicut excedens, & excessum. Nam neque omnia verisimilia sunt signa, cum quædam verisimilia non indicent aliud; neque omnia signa sunt verisimilia, cum dentur etiam signa non merè probabilia, sed euidentia.

De Enthymemate. Caput XXXIV.

1 *Enthymema igitur est syllogismus imperfectus, ex verisimilibus, aut signis.*

2 *Accipitur autem signum trifariam, quot modis, & medium in figuris. Aut enim vt in prima, aut vt in media, aut vt in tertia. Veluti monstrare prægnantem, eò quòd lac habet. Medium enim, lac habere. In quo A prægnantem esse; B, lac habere: mulier, in quo C. Quòd autem sapientes studiosi: Pittacus enim studiosus, per vltimam: in quo A, studiosum: in quo B, sapientes: in quo C, Pittacus. Verum igitur & A. & B de C prædicare, præterquàm quod hoc quidem non dicunt propter cognoscere, illud autem accipiunt. Prægnantem vero esse, quoniam pallida, per mediam figuram vult esse. Quoniam enim sequitur pallidum prægnantes, sequitur autem & hanc, monstratum fuisse putant, quòd est prægnans. Pallidum, in quo A: prægnantem esse, in quo B: mulier, in quo C. Si igitur vna dicta fuerit propositio, signum fit solum: sin autem & altera assumpta fuerit, syllogismus. Vt quoniam Pittacus liberalis: nam honoris cupidi liberales: Pittacus vero honoris cupidus. Aut rursus, quòd sapientes boni: Pittacus enim bonus: sed & sapiens.*

PRæmissa definitione verisimilis, ac signi, agit Aristoteles de enthymemate; ac primo tradit definitionem enthymematis; secundo distinguit tria genera signorum, ex quibus fiunt enthymemata in tribus figuris; tertio comparat inuicem enthymemata, seu syllogismos ex signis trium figurarum; quarto demum distinguit tecmyrion, seu indicium infallibile ab alijs signis fallibilibus.

1 Quoad primum: enthymema est syllogismus imperfectus ex verisimilibus, ac signis. Authores satis communiter dicunt, enthymema esse syllogismum imperfectum, quia reticet alteram ex præmissis. Verum Iulius Pacius in Commentario huius loci, cap. 27., ostendit non requiri ad enthymema, vt omittat alteram ex præmissis, sed omnem syllogismum constantem ex verisimilibus, ac signis, seu reticeat alteram præmisam, seu exprimat vtranque, iuxta doctrinam Aristotelis esse enthymema; immo putat illam particulam *imperfectus*, quæ ponitur in definitione, esse additam textui, nec inueniri in emendatioribus codicibus manuscriptis. Enthymema igitur est syllogismus ex verisimilibus, ac signis, siue exprimat vtramque præmissam, siue alteram omittat, & per hoc differt ab exemplo, & inductione, quæ non procedunt ex verisimilibus, ac signis.

2 Quoad secundum: sicut triplex est medium iuxta naturam trium figurarum, sic triplex est signum. Medium connaturale pro prima figura est, quod verè est medium, ita vt sit minus vniuersale maiori extremo, & magis vniuersale minori extremo, vel cum illo conuertibile, ideoque connaturaliter in maiori subijcitur, in minori prædicatur. Medium pro secunda figura est, quod est magis vniuersale vtroque extremo, ideoque in vtraque præmissa prædicatur. Medium pro tertia figura est, quod est minus vniuersale vtroque extremo, ideoque in vtraque præmissa subijcitur. Proportionaliter signum aliud est minus vniuersale maiori extremo, & minus vniuersale, vel conuertibile cum minori, & per hoc fit enthymema primæ figuræ: ex. gr. habere lac est signum, quod mulier conceperit, quia est minus vniuersale quam concepisse. Licet enim omnis mulier, quæ habet lac conceperit, non tamen omnis, quæ concepit statim habet lac, sed incipit habere lac aliquo tempore post conceptionem. Rursus, habere lac, est signum magis vniuersale, quam mulier, quia licet omnis, quæ lac habet, sit mulier, non tamen omnis mulier habet lac. Ex hoc igitur signo potest fieri syllogismus in prima figura sic; *omnis mulier, quæ lac habet concepit; sed hæc mulier habet lac; ergo concepit.*

cepit. Aliud ſignum eſt minus vniuerſale vtroque extremo: ex. gr. ſignum, quod ſapientes ſint probi eſt Pittacus, qui eſt probus, & ſapiens; vtrumque verò extremum, hoc eſt probus, & ſapiens magis latè patet, quam Pittacus. Ex hoc ſigno fit enthymema tertiæ figuræ: *Pittacus eſt probus; Pittacus eſt ſapiens; ergo ſapientes ſunt probi*. Demum aliud ſignum eſt magis vniuerſale vtroque extremo: ex. gr. eſſe pallidam in muliere eſt ſignum, quod ſit prægnans, quia omnes prægnantes ſunt pallidæ, non omnes pallidæ ſunt prægnantes, ideo ex pallore probatur in ſecunda figura, quod mulier ſit prægnans ſic: *omnes prægnantes ſunt pallidæ; hæc eſt pallida; ergo hæc eſt prægnans*. Signum igitur eſt vnica propoſitio; ſyllogiſmus duplex: ex. gr. hæc propoſitio: *hæc mulier habet lac*, eſt ſignum, quod conceperit; at vero iſtæ duæ propoſitiones; *quæ habet lac concepit; hæc habet lac*; non ſunt ſignum, ſed ſunt ſyllogiſmus ex ſigno, adeoque ſunt enthymema. Similiter ſyllogiſmi ex ſigno ſunt; *ambitioſi ſunt liberales; Pittacus eſt ambitioſus; ergo eſt liberalis. Pittacus eſt bonus; Pittacus eſt ſapiens; ergo ſapientes ſunt boni*. Signum vero, quod *Pittacus eſt liberalis*, eſt quia eſt ambitioſus; ſignum, quod *ſapientes ſunt boni eſt*, quia Pittacus eſt bonus. Patet igitur, quid ſit ſignum, & quomodo fiat ſyllogiſmus ex ſigno.

3 *Sic igitur fiunt ſyllogiſmi prœterquam quòd qui per primam figuram, inſolubilis, ſi verus ſit, vniuerſalis enim eſt: qui vero per vltimam, ſolubilis, & ſi vera ſit concluſio, eo quòd non eſt vniuerſalis, neque ad rem ſyllogiſmus: non enim ſi Pittacus ſtudioſus, propter hoc & alios neceſſe ſapientes: qui vero per mediam figuram, ſemper, & omnino ſolubilis. Nunquam enim fit ſyllogiſmus ita ſe habentibus terminis: non enim ſi prægnans pallida: pallida autem & hæc: neceſſe prægnantem eſſe hanc. Verum igitur in omnibus erit figuris: differentias autem habens quæ dictæ ſunt.*

4 *Aut igitur ſic diuidendum ſignum: horum vero medium veſtigium ſumendum. Veſtigium nanque, quod ſcire facit, aiunt eſſe: tale autem maximè, quod medium: Aut quæ ex extremis, ſignum dicendum, quod vero ex medio veſtigium. Probabiliſſimum nanque, & maximè verum, quod per primam figuram.*

3 Quoad tertium, comparat Ariſtoteles inter ſe enthymemata, ſeu ſyllogiſmos ex ſignis trium figurarum. Syllogiſmus ex ſignis in prima figura, ſi conſtat ex præmiſſis veris, adeoque non peccat in materia, concludit ex neceſſitate, quia nititur *dicto de omni*, & maiori vniuerſali: ex gr hic ſyllogiſmus; *omnis mulier, quæ habet lac concepit; hæc mulier habet lac; ergo hæc mulier concepit* eſt inſolubilis, & concludit ex neceſſitate, cum nitatur *dicto de omni*. Syllogiſmus ex ſignis in tertia figura, licet præmiſſæ ſint veræ, eſt ſolubilis, & non concludit ex neceſſitate, quia non nititur *dicto de omni*: ex. gr. exhis præmiſſis: *Pittacus eſt bonus; Pittacus eſt ſapiens*, non ſequitur ex neceſſitate; *ergo ſapientes ſunt boni*, ſed ſolum ſequitur, quod *aliquis ſapiens, hoc eſt ipſe Pittacus eſt bonus*; quod verò aliquis ſapiens diſtinctus à Pittaco ſit bonus, non ſequitur ex neceſſitate, ideo licet ſyllogiſmus ex ſignis in tertia figura aliquid probet, non probat intentum, cum intentum poſiti ſyllogiſmi ſit, quod alij ſapientes præter Pittacum ſint boni, quod dicto ſyllogiſmo non probatur. Demum ſyllogiſmus ex ſignis in ſecunda figura eſt ſemper, & omninò ſolubilis, cum nihil omninò concludat. Nam in ſecunda figura ex puris affirmatiuis nihil ſequitur ex neceſſitate, ideoque in fine cap. 32. dictum eſt, quod in ſecunda figura non poteſt fieri ſyllogiſmus ex ſignis: ex. gr. ex his præmiſſis: *omnes prægnantes ſunt pallidæ; hæc eſt pallida*; nihil ſequitur ex neceſſitate, ſed ad ſummum ſequitur probabiliter, quod *hæc ſit prægnans*. Licet igitur in omnibus tribus figuris fieri poſſit ſyllogiſmus ex ſignis probabiliter inferens aliquid verum, tamen hæc eſt differentia, quod in prima figura concluſio ſequitur inſolubiliter, & ex neceſſitate; in tertia ſequitur aliquid ex neceſſitate, ſed intentum ſequitur ſolum ſolubiliter, & non neceſſario; in ſecunda nihil omninò ſequitur ex neceſſitate ratione formæ.

4 Quoad quartum, addit Ariſtoteles, quod vel ſic diuidenda ſunt ſigna, vt explicatum eſt, & dicendum, quod ſignum primæ figuræ eſt tecmyrion, ſiue indicium infallibile, adeoque faciens ſcire; vel dicendum, quod ſola fallibilia propriè ſunt ſigna, infallibile verò non tam eſt ſignum, quam

quam tecmyrion, seu indicium, & argumentum infallibile, cuiusmodi est, per quod fit syllogismus in prima figura.

De syllogismo physiognomico ex signis naturalibus. Caput XXXV. & vltimum.

1 *NAturam vero cognoscere possibile est, si quis det simul mutari corpus & animam, quæcunque naturales passiones sunt. Qui enim fortasse Musicam didicit, mutauit animam in aliquo: verum passio hæc non est ex ijs, quæ natura à nobis insunt: sed quemadmodum iræ, & desideria ex naturalibus motibus.*

2 *Si igitur & hoc datum fuerit, & vnum*
3 *vnius signum esse, * & possimus accipere propriam vniuscuiusque generis passionem, & signum, poterimus naturam cognoscere.*

POstquam Aristoteles egit in genere de syllogismo ex signis, ac de ipsis signis, vt magis explicet doctrinam traditam, agit specialiter de signis naturarum, seu naturalium affectionum, ac de syllogismo physiognomico, per quem nimirum ex signis ostendimus naturas, & naturales affectiones. Primo ergo examinat, an possimus per syllogismum physiognomicum ex signis conijcere naturas, & naturales affectiones, ac ponit principia, in quibus fundatur physiognomica, hoc est ars conijciendi naturas, & naturales affectiones: secundo docet, quo pacto possimus suppositis talibus principijs inuenire signa naturarum, ac naturalium affectionum, & ex ijs per syllogismum physiognomicum indagare naturas: tertio demum explicat, in qua præsertim figura construatur syllogismus physiognomicus.

1 Quoad primum: sicut in alijs disciplinis supponi debent quædam principia, quibus negatis corruit illa disciplina, sic in physiognomica supponenda sunt quædam principia, quibus negatis corruit physiognomica, & impossibile est ex signis conijcere naturas, & naturales affectiones.

Primum principium supponendum est, quod affectiones, seu passiones naturales, quæ sunt propriæ totius compositi, immutant, atque alterant animam simul, & corpus. Patet inductione, & experientia; quando enim irascimur, timemus &c. alteramur etiam secundum corpus. Et quia posset obijci, quod cum quis addiscit musicam, mutatur secundum animam, & non secundum corpus; respondet Aristoteles, quod musica non est affectio naturalis compositi, sed affectio propria animæ, ideoque non est ex affectionibus, de quibus agimus.

2 Secundum principium est: vnius affectionis est vnum determinatum signum in omnibus. Patet inductione: nam signa iræ, timoris, tristitiæ, in omnibus sunt eadem.

3 Tertium suppositum est, quod possimus in varijs generibus, seu speciebus specialissimis animalium, deprehendere propriam naturalem affectionem, & eius signũ. Patet inductione: de facto enim deprehendimus: & nisi hoc admittatur, impossibilis est physiognomica.

4 *Si enim seorsum est alicui generi indiuiduo inexistens passio, vt leonibus fortitudo, necesse, & signum esse aliquod: simul nanque inuicem pati suppositum est: & sit hoc, magnas extremitates habere, quod & alijs inesse generibus non totis contingit. Signum enim ita proprium est, quoniam totius generis propria est passio, & non solum propria, quemadmodum consueuimus dicere. Inerit igitur & in alio genere hoc, & homo erit fortis, & aliud aliquod animal. Habebit igitur signum: vnum enim vnius erat. Si igitur hæc sunt, & poterimus talia signa colligere in his animalibus, quæ solum vnam aliquam passionem habent propriam, vnaquæque autem habet signum, quoniam necesse vnum habere, poterimus naturam cognoscere.*

5 *Quòd si duo habet propria, totum genus, vt leo forte, & communicatiuum, quomodo cognoscemus vtrum vtrius signum, seorsum consequentium signorum.*

6 *An si & alij alicui non toti ambo, & in quibus non totis vtrunque: quando hoc quidem habeat, illud vero non. Si enim fortis quidem, liberalis vero non, habet autem ex duobus hoc: planum, quòd & in leone hoc signum fortitudinis.*

4 Quoad secundum: suppositis his principijs, possumus naturas, & naturales affe-

affectiones conijcere. Vnumquodque enim genus, seu species specialissima animalium habet aliquam naturalem affectionem, eiusque signum corporeum, & sensibile (siquidem iuxtà primum suppositum affectionibus animæ correspondet aliqua passio in corpore, & proinde potest esse signum sensibile affectionis, quæ est in anima): ex. gr. Leo habet in anima fortitudinem, & animositatem, cui correspondet in corpore hoc, quod est *habere magnas extremitates*. Rursus possumus vtrumque deprehendere iuxtà tertium suppositum, quod nimirum & Leo sit fortis, & quod signum fortitudinis in eo sit *habere magnas extremitates*. Præterea multæ ex talibus affectionibus ità sunt propriæ alicuius speciei specialissimæ animalium, vt conueniant quidem omni, sed non soli: ex. gr. ità proprium Leonis est *esse fortem*, vt non solus Leo, sed etiam aliqui homines, & aliqui equi sint fortes, & animosi; sed vnius affectionis vnum est signum iuxtà secundum suppositum; ergo homines, & equi, qui conueniunt cum Leone in fortitudine, conueniunt etiam in signo corporeo habendi magnas extremitates; ergo iam ex hoc signo *habendi magnas extremitates*, possumus per syllogismum physiognomicum conijcere, quod isti homines, & equi sunt fortes, dicendo; *qui magnas habent extremitates sunt fortes, et animosi, vt patet in leonibus; sed isti homines, et equi magnas habent extremitates; ergo &c.*

5 Sed licet, quando vna species animalium habet vnicam affectionem, & vnicum signum, facile possimus deprehendere, quod nam sit signum talis affectionis; adhuc cum vna species animaliũ habet plures affectiones, & plura earũ signa, difficilius est deprehendere, quod nam sit signum vniuscuiusque affectionis, adeoque tunc difficilius est inuenire principium indagandi tales affectiones. Ex. gr. Leo habet duas affectiones, fortitudinem nimirum, & liberalitatem quamdam, per quam communicat prædam; & habet in corpore duo signa proportionalia, nimirum magnas extremitates, & frontem latam. Quo pacto ergo deprehendemus, quod nam ex his duobus signis correspondeat vni affectioni, quod nam correspondeat alteri?

6 Respondet Aristoteles, quod in casu posito ad inueniendum, quod nam signum correspondeat cuique affectioni, considerandum est in alijs animalibus, in quibus inuenitur vna affectio sine alia, adeoque vnum signum sine alio, quod nam signum comitetur talem affectionem: illud enim erit talis affectionis signum. Ex. gr. quia videmus, quod homines, qui conueniunt cum Leone in fortitudine, & non in liberalitate, conueniunt etiam in hoc, quod habent magnas extremitates, non autem in hoc, quod habeant frontem latam, possumus arguere, quod *habere magnas extremitates* in Leone est signum fortitudinis, non autem liberalitatis. Quia rursus videmus, quod homines, qui conueniunt cum Leone in liberalitate, non in fortitudine, conueniunt in signo habendi frontem latam, non autem in signo habendi magnas extremitates, possumus arguere, quod etiam in Leone frons lata est signum liberalitatis, non fortitudinis.

7 *Est itaque naturam cognoscere, in prima figura medium conuerti cum primo extremo, supergredi vero tertium, & non conuerti. Vt fortitudo A: extremitates magnæ in quo B: C autem leo. Cui igitur C, B omni, sed & alijs: cui vero B. A omni, & non pluribus, sed conuertitur. Quòd si non, non erit vnum vnius signum.*


7 Quoad tertium: syllogismus per signum physiognomicum construitur in prima figura. Ratio est, quia cum medium est conuertibile cum maiori extremo, & transcendit minus extremum, siue est vniuersalius illo, tum syllogismus construitur in prima figura; sed signum affectionis, quod est medium ad illam probandam, est conuertibile cum affectione, quæ est maius extremum; idem verò signum, sicut & affectio est quid vniuersalius subiecto, cum non conueniat soli; ergo syllogismus per signum physiognomicum construitur in prima figura. Explicatur exemplo: probanda sit de Leone, vt de subiecto, fortitudo, per signum, quod est *habere magnas extremitates*: construetur sequens syllogismus: *omne animal habens magnas extremitates naturaliter est forte; sed Leo habet magnas extremitates*; ergo &c. *Esse animal forte, & habere magnas extremitates*, sunt conuertibilia: nam affectio animæ habet suum signum in corpore, iuxta primum suppositum; & vnius affectionis vnum est signum, iuxta secundum suppositum; ergo nec potest dari in anima fortitudo sine signo

gno habendi magnas extremitates, nec hoc signum sine fortitudine. At tum affectio fortitudinis, tum signum habendi magnas extremitates latius patent, quam Leo, qui est minus extremum, quandoquidem affectio dicta, & eius signum, inuenitur etiam in aliquibus hominibus, & equis. Et per hæc Aristoteles concludit duos libros de priori Resolutione.

IN DVOS LIBROS POSTERIORVM ANALYTICORVM, HOC EST RESOLVTORIORVM.

PROOEMIVM.

De subiecto horum librorum, & ipsorum synopsis.

1 NSCRIBVNTVR hi libri *resolutoriorum posteriorum*, seu *de posteriori resolutione*. Quid sit resolutio tũ prior, tum posterior, explicatum est in procemio priorum, num.2. & 3. atque ibidem num. 4. dictum est, quod subiectum commune quatuor librorum de priori, & posteriori resolutione est demonstratio, seu syllogismus resolutorius; subiectum particulare librorum de priori resolutione est syllogismus resolutorius, abstrahendo à materia; subiectum particulare librorum de posteriori resolutione est syllogismus resolutorius, vt applicatus materiæ necessariæ, ac certæ, seu demonstratio resolutoria: numero verò 5. explicatum est etiam, quid sit syllogismus resolutorius, ac demonstratio resolutoria, quæ est subiectum horum librorum. His igitur indicatis, per breuem synopsim ponenda est ob oculos doctrina horum librorum.

2 Libro primo Aristoteles agit de ipsa demonstratione: libro 2. agit de principijs, ac medio demonstrationis. Possunt hi libri diuidi in decem partes, quarum septem continentur in lib.1. tres in 2. Libro primo in prima parte, quæ continetur cap. 1. & textibus 4 agit de existentia, ac necessitate demonstrationis; in secunda, quæ continetur cap.2. textibus 5. & 6. agit de definitione demonstrationis: in tertia, quæ continetur cap.4. vsque ad 13. & tex.7. vsque ad 30. agit de materia demonstrationis, ac de diuisione, qua demonstratio ratione materiæ diuiditur in demonstrationem *quia*, & demonstrationem *propter* quid: in quarta, quæ continetur cap.14. & textu 31. agit de forma demonstrationis: in quinta, quæ continetur cap.15. text. 32. & 33. agit de antidemonstratione, seu de syllogismo causante errorem oppositũ scientiæ: in sexta, quæ continetur cap.16. ac 17. & text. 34. & sequentibus vsque ad 38. inclusiuè, ostendit in demonstrationibus non procedi in infinitum: in septima demum comparat inter se varias demonstrationes, scientias, & habitus, & per hæc concludit librum primum.

3 Libro secundo agit de principijs, ac medio demonstrationis: & quia medium demonstrationis est *quid*, seu definitio, & *propter quid*, primo per quinque prima capita, ac decem textus agit de quidditate, & definitione: secundo à cap.6. vsque ad 10. & à text.11. vsque ad 26. inclusiuè agit de *propter quid* explicante cæteras causas: tertio demum cap.11. & vltimo, ac textu 27. agit de principijs complexis, & explicat, quo pacto per inductionem colligantur prima principia.


ARIS-

ARISTOTELIS POSTERIORVM ANALYTICORVM, HOC EST RESOLVTORIORVM.

LIBER PRIMVS.

De existentia, ac necessitate demonstrationis, & de Præcognitis. Caput Primum.

Text. 1.

1 
MNIS doctrina, & omnis disciplina discursiua ex præexistente fit cognitione. Manifestum autem hoc speculantibus in omnibus. Mathematica nanque scientiarum per hunc modum procedunt, & aliarum vnaquæque artium. Consimiliter autem & circa rationes, & quæ per syllogismos, et quæ per inductionem. Ambæ enim per ea, quæ præcognoscuntur faciunt doctrinam: illæ quidem accipientes, tanquam à cognoscentibus, istæ vero monstrantes vniuersale per id, quod manifestum sit singulare. Itidem et Rhetorica persuadent. Aut enim per exempla, quod est inductio, aut per enthymemata, quod est syllogismus.

SCIENTIÆ circa suum obiectum primo debent statuere, *quod est*; secundo debent explicare, *quid sit*; tertio ex essentia, ac definitione subiecti, tanquam ex medio, procedere debent ad ipsius proprietates, & attributa demonstranda. Aristoteles igitur in libris posteriorum, in quibus ita agit de demonstratione resolutoria, tanquam de subiecto, vt circa ipsam demonstrationem exequatur præcepta demonstrandi, quæ tradit, ipso statim initio ostendit demonstrationem esse; ideoque primo probat, quod scientia acquiritur per demonstrationem, atque adeo, quod si datur scientia, vt patet experientia, datur etiam demonstratio, quæ est ita necessaria ad scientiam, vt scientia sine demonstratione non possit acquiri. Secundo quia demonstratio continet, aut præsupponit quasdam præcognitiones, ex quibus acquiritur scientia conclusionis, explicat, quot sint genera præcognitionum, & quæ debeant præcognosci circa subiectum, prædicatum, & principia conclusionis demonstrandæ. Tertio ostendit, quod per demonstratiouem aliquo modo præcognoscitur ipsa conclusio demonstranda, & ex hoc soluit quandam obiectionem Platonis.

1 Primo ergo, quod scientia acquiratur per demonstrationem, adeoque quod demonstratio detur, & sit necessaria ad scientiam, probat Aristoteles hac ratiocinatione, quæ saltem virtualiter continetur in textu. Omnis doctrina, & omnis disciplina intellectiua, per quam nobis manifestatur aliquid, quod ex se non est notum, fit ex præexistente cognitione; sed scientia est quædam doctrina, ac disciplina intellectiua, per quam aliquid ex se non notum nobis manifestatur; est quidem doctrina, in quantum tradi potest docendo; est disciplina, in quantum acquiri potest discendo; ergo scientia fit ex præexistente cognitione; sed hæc præcedens cognitio est demonstratio, cum demonstratio ex ipsa nominis etymologia sit, per quam aliquid ex se non notum, fit notum, & sic quodammodo demonstratur intellectui, & ponitur ob oculos mentis; ergo scientia fit, & acquiritur per demonstrationem, adeoque demonstratio est necessaria ad acquirendam

dam scientiam. Maiorem primi syllogismi, quod nimirum omnis doctrina, & disciplina intellectiua fiat ex præexistente cognitione, probat Aristoteles inductione, tum in Mathematicis, tum in Dialecticis, tum in Rhetoricis. In Mathematicis, doctrina certa, & euidens problematum, ac theorematum per se non notorum fit, & causatur ex præexistente cognitione principiorum, & axiomatum, quæ præsupponuntur, ita vt impossibile sit, vt discens perueniat ad euidentem cognitionem problematum, ac theorematum, nisi prius habeat cognitionem suppositorum. In dialecticis probabilis cognitio quorumdam problematum causatur ex quibusdam suppositis, quæ probabilia videntur disputanti, ex quibus deinde proceditur ad probandum intentum per syllogismum, vel inductionem. In Rhetoricis demum persuadere conatur orator quod intendit, ex quibusdam præsuppositis; ex quibus infert conclusionem intentam per enthymema, quod est syllogismus imperfectus, aut per exemplum, quod est inductio imperfecta; ergo vniuersim omnis doctrina tum certa, & euidens, ac scientifica, vt mathematica; tum probabilis, vt dialectica; tum merè persuasiua, vt rhetorica, fit, & causatur ex præexistente cognitione.

2 *Bifariam autem necessarium est præcognoscere. Alia nanque quòd sunt præsuscipere necessarium: alia vero quid est, quod dicitur, intelligere oportet: alia autem ambo.*

3 *Vt quòd quidem omne, aut asserere, aut negare, verum, quòd est: triangulum vero, quòd hoc significat; vnitatem autem ambo, et quid significat, et quòd est. Non enim consimiliter horum vnumquodque manifestum nobis est.*

4 Text. 2. *Est autem cognoscere, alia quidem prius cognoscentem, quorumdam vero, et simul accipientem cognitionem: vt quæcunque sunt sub vniuersalibus, quarum habet cognitionem. Quòd enim omne triangulum habet duobus rectis æquales, præsciuit: quòd autem hoc, quod est in semicirculo, triangulum est, simul inducens, cognouit. Quorundam enim in hunc modum disciplina est, & non per medium, extremum cognoscitur, quæcunque iam singularia sunt, & non de subiecto aliquo.*

2 Quoad secundum: tria debent præcognosci ad acquirendam scientiam, vel qualemcumque cognitionem conclusionis; subiectum nimirum conclusionis, quod in demonstratione perfecta, & potissima est subiectum alicuius passionis, seu proprietatis; prædicatum conclusionis, quod in demonstratione potissima est passio, seu proprietas talis subiecti; & principium, per quod manifestatur conclusio. De his tribus præcognoscendis possunt haberi duo genera præcognitionum. Primum genus est, per quod præcognoscitur, *quod est*; secundum, per quod præcognoscitur, *quid sit* definitione nominali, vel reali.

Hoc posito, de quibusdam debet solum præcognosci *quod est*; de quibusdam solum *quid sit*, seu quid significet nomen; de quibusdam vtrumque. De principijs, seu præmissis demonstrationis, debet præcognosci solum, *quod est*. Ratio est, quia principium est quid complexum, ex. gr. *non potest idem esse, & non esse*; sed de complexis non potest præcognosci, *quid sint*, sed solum *an sint*, vel *non sint*, siue an sint vera, vel falsa; ergo de principio solum præcognoscitur an sit. Minor probatur, quia ea solum possunt cognosci de aliquo, quæ possunt de ipso quæri; sed de complexis non potest conuenienter quæri *quid sint*, sed solum *an sint*: ex. gr. potest quidem quæri, *est ne possibile idem esse, ac non esse?* non autem potest quæri; *quid est possibile idem esse, ac non esse?* & si forte quæratur, *quid est posse idem esse, ac non esse?* tum hoc totum *posse idem esse, ac non esse*, non habet rationem propositionis complexæ, sed solum habet rationem termini, ex quo propositio componitur; ergo &c.

De prædicato conclusionis seu de passione debet solum præcognosci, *quid sit*, seu quid nomen significet, non autem *quod sit*. Debet quidem præcognosci, quid nomen significet: vana enim est demonstratio de voce, cuius significatum ignoratur: at non debet præcognosci, *quod est*: prædicato enim, seu passioni idem est *esse*, ac *subiecto inesse*; sed de prædicato non debet præcognosci, quod inest subiecto; ergo de prædicato neque debet præcognosci, *quod est*. Probatur minor: quod enim est demonstrandum de prædicato, non debet de ipso præcognosci ante demonstrationem; sed est demonstrandum, quod prædicatum inest, ac conuenit subiecto; ergo non debet

ante

ante demonstrationem præcognosci, quod prædicatum inest subiecto.

De subiecto demum conclusionis debet saltem in demonstratione perfecta, ac potissima præcognosci, tum *quod est*, tum *quid est*. Debet quidem præcognosci, *quid est*, seu quid significat nomen, quia alioquin vana esset quæstio, ac demonstratio de illo: debet præcognosci, *quod est*, seu quod est ens reale, quia non entis nullæ possunt demonstrari passiones, cum non ens nullas habeat passiones.

3 Huius doctrinæ exempla ponit Aristoteles more suo ex Mathematicis. Quia enim primum subiectum mathematicæ, de quo cætera possunt demonstrari, cum ipsum non possit demonstrari de alio subiecto, est vnitas, ideo de vnitate debet præcognosci, *quod est*, & *quid est*. Quia prima passio quantitatis est figura, & prima figura rectilinea est triangularis, ideo in demonstratione, qua hoc ipsum demonstratur de figura triangulari, debet solum præcognosci *quid est*, non autem *quod est*. Quia demum principium omnium primum est, quod *non potest idem esse, & non esse*, ideo de hoc principio ad omnem demonstrationem debet præcognosci, *quod est*, seu quod est verum. Idem dicendum proportionaliter de alijs subiectis, prædicatis, & principijs demonstrationum.

4 Addit Aristoteles, quod licet de principio præcognosci debeat, *quod est*, hoc est de præmissis, præcognosci debeat, quod veræ sunt, nō tamen semper hæc præcognitio de veritate vtriusque præmissæ præcedit tempore cognitionem de veritate conclusionis, sed potest contingere, vt aliquando maior præcognoscatur prius tempore, veritas verò minoris cognoscatur simul tempore cum veritate conclusionis, ita vt conclusionem præcedat solum prioritate naturæ, seu causalitatis. Si enim aliquis ex. gr. iam sciat cuiuscunque trianguli tres angulos esse æquales duobus rectis, sed non dum videat triangulum descriptum in posito semicirculo, statim ac videt talem triangulum, cognoscit de ipso, quod habet tres angulos æquales duobus rectis. Sicut verò immediatè per sensum cognoscimus triangulum in semicirculo, sic multas alias veritates immediatè cognoscimus ex terminis sine medio, ex quo illas per discursum inferamus.

5 *Ante vero quàm inductum sit, aut acceptus fuerit syllogismus, modo quidem aliquo fortasse dicendum est scire, modo autem alio non. Quod enim non sciuit, si est simpliciter, hoc quomodo sciuit, quòd duos rectos habet simpliciter? sed manifestum, quòd ita quidem scit, quoniam vniuersaliter scit, simpliciter autem non scit.*

6 Tex. 3. *Si vero non, quæ in Menone, dubitatio continget. Aut enim nihil addiscet, aut quæ nouit. Non enim iam, veluti quidam nituntur soluere, dicendum. An ne nosti omnem binarium, quòd par est, aut non? Asserente autem, attulerunt quendam binarium, quem non existimabat esse: quare neque partem.*

7 *Soluunt enim, non dicentes omnem scire binarium parem esse, sed quem sciunt, quòd binarius.*

8 Tex. 4. *Atqui sciunt quidem, cuius demonstrationem habent, & cuius acceperunt: acceperunt autem non de omni, de quo vtique noscant, quòd triangulum, aut quòd numerus, sed simpliciter de omni numero, atque triangulo. Nulla enim propositio accipitur talis, quòd quem tu nosti numerum, aut quam tu nosti rectilineam, sed de omni.*

9 *Cæterum nihil, puto vetat, quod addiscit aliquis, est sic scire, est autem sic ignorare. Absurdum enim, non si nouit quodammodo quod addiscit, sed si ita, vt inquantum addiscit, & sic.*

5 Quoad tertium: ex dictis Aristoteles infert conclusionem demonstrandam, antequam demonstretur aliquo pacto sciri, aliquo pacto nesciri; sciri nimirum cognitione quadam vniuersali, confusa, & virtuali; nesciri autem cognitione particulari, distincta, & actuali. Ex. gr. qui scit omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, antequam videat triangulum in semicirculo, de tali triangulo scit vniuersaliter & confusè, quod habet tres angulos æquales duobus rectis, at non scit particulariter, & distinctè; cum verò videt triangulum in semicirculo, tum de illo cognoscit cognitione etiam actuali, ac distincta, quod habet tres angulos æquales duobus rectis. Accidit igitur aliquid proportionale in generatione scientiæ, ac in generatione rerum. Sicut enim cum animal generatur ex semine, ante generationem in semine præexistebat, non actu, sed virtute animal generandum; sic cum scien-

tia generatur ex demonstratione, quæ est veluti semen scientiæ, ante demonstrationem conclusio sciebatur non actu, & in particulari, sed virtute, & in vniuersali.

6 Hinc Aristoteles soluit argumentum Platonis in dialogo, qui inscribitur meno, ad probandum, quod scientiæ non addiscantur per disciplinam, quia si addiscerentur, disceretur id, quod ante sciebatur. Adducit Socrates apud Platonem quemdam omninò imperitum Geometriæ, qui interrogatus ordinatè de quibusdam principijs, ac mox de pluribus conclusionibus, quæ ex talibus principijs inferuntur, ad omnes interrogationes bene respondet. Hoc posito, Plato sic argumentatur. Qui interrogatur de eo, quod nescit, non potest bene respondere; hic homo bene respondet; ergo ante omnem interrogationem, & instructionem scit principia, & conclusiones geometricas; ergo non de nouo geometriam addiscit; alioquin disceret id, quod ante sciebat.

7 Respondent aliqui, quod in principijs vniuersalibus conclusio nullo modo est scita. Qui enim ex. gr. scit, quod omnis dualitas est par, scit de omni dualitate, quam scit esse dualitatem, de dualitate verò, quam nescit esse dualitatem, nescit etiam esse parem; sed antequam subsumat minorem, & videat dualitatem, quam aliquis manu tegebat, nescit hanc esse dualitatem; ergo nescit illam esse parem; ergo discit quod ante omninò nesciebat.

8 Hæc responsio reijcitur ab Aristotele. Cum enim aliquis cognoscit omnem dualitatem esse parem, cognoscit paritatem de omni, de qua demonstrauit; sed demonstratio ex eo, quod *omnis numerus diuisibilis bifariam est par; omnis dualitas est diuisibilis bifariam; ergo est par*; probat de omni omninò dualitate, non verò cum restrictione ad dualitatem, quæ cognoscitur esse dualitas; ergo de omni omnino dualitate præcognoscebat, quod est par. Confirmat, quia nemo propositionibus vniuersalibus addit illam restrictionem, qua dicat; *omnis dualitas, quam cognosco esse dualitatem, est par; omnis homo, quem cognosco esse hominem est animal rationale*; sed profert tales propositiones simpliciter, & sine restrictione; ergo non est addenda talis restrictio.

9 Respondet igitur Aristoteles, quod hic interrogatus de principijs, bene respondet, non quia ante sciuerit principia, sed quia principia sunt per se nota; interrogatus verò de conclusionibus, bene respondet, quia sciebat illas virtualiter in principijs, ac per demonstrationem à scientia virtuali procedit ad scientiam actualem conclusionis; sicut dum animal generatur ex semine, ex esse virtuali, procedit ad esse actuale. Addiscit ergo quæ sciebat aliquo modo, hoc est virtualiter, & addiscendo fit sciens actu; quod non repugnat.

Quid sit scientia; quid sit demonstratio; & quæ conditiones ad demonstrationem requirantur. Cap. II. Art. I.

Text. 5.

1 *Scire autem arbitramur vnumquodque simpliciter, sed non sophistico modo, qui est secundum accidens, cùm causam existimamus cognoscere, propter quam res est, quòd illius causa est, & non contingere hoc aliter se habere. Planum igitur, quòd tale aliquid scire est. Nanque, & non scientes, & scientes, illi quidem existimant ipsi sic se habere, scientes vero, & habent. Quare cuius simpliciter est scientia, hoc impossibile aliter se habere.*

2 *Si igitur & alter est sciendi modus, posterius dicemus.*

3 *Dicimus autem & per demonstrationem cognoscere. Demonstrationem vero dico syllogismum scientialem. Scientialem autem dico, secundum quem, eo quòd ipsum habeamus, scimus.*

POstquam Aristoteles ostendit demonstrationem esse, procedit ad explicandum *quid sit*. Et quia non potest satis intelligi, quid sit id, quod ordinatur ad aliquem finem, nisi intelligatur, quid sit talis finis; demonstratio autem habet pro fine scientiam; primo præmittit definitionem scientiæ; secundo ex definitione scientiæ infert definitionem, qua demonstratio definitur per causam finalem; tertio ex definitione per causam finalem, infert aliam definitionem demonstrationis per causam materialem, quæ definitio explicat, ex qualibus præmissis constare debeat demonstratio

tio:

rio: definitio enim per causam finalem, quæ est causa extrinseca, est ratio definitionis per causam materialem, & formalem, quæ sunt causæ intrinsecæ, & est medium probans talem definitionem: ex. gr. ex eo, quod serra sit instrumentum aptum ad secandum, quæ est definitio serræ per causam finalem, infertur quod serra est ferrum dentatum, quæ est definitio per causam materialem, & formalem: quarto demum Aristoteles explicat conditiones demonstrationis positas in definitione.

1 Quoad primum: scire simpliciter, & non solum sophistico modo, quod est scire solum per accidens, est cognoscere causam, propter quam res est, & quod illius causa est, & quod non contingit aliter se habere. Tres igitur conditiones requiruntur ad scientiam: prima est, vt cognoscatur causa rei: secunda vt cognoscatur, quod est causa: tertia, vt cognoscatur, quod res propter talem causam aliter se habere non potest. Requiritur primo, vt cognoscatur causa, quia nemo putat se scire id, cuius causam ignorat; ex. gr. nemo putat se scire Eclypsim, dum nescit eius causam. Requiritur secundo, vt cognoscatur, quod est causa rei. Qui enim cognoscit quidem causam, sed adhuc non deprehendit, quod hæc est causa rei, non putat se assecutum scientiam actualem rei: ex. gr. qui cognoscit terram interponi inter Solem, & Lunam, sed adhuc non aduertit, quod Luna cum careat lumine proprio, propter interpositionem terræ priuatur lumine, quod accipit à Sole, adhuc non putat se assecutum scientiam actualem eclypsis. Tertio demum requiritur, vt cognoscatur, quod res aliter se habere non potest, quia dubitans, an res possit aliter se habere, adhuc non putat se scire, cum sit incertus. Hinc desumpta est communis definitio, qua scientia dicitur; *cognitio certa, & euidens rei per causam necessariam, & immediatam*. Cognitio enim est certa per hoc, quod videat rem aliter se habere non posse: & dum cognoscit rem per causam, cognoscit causam, & quod est causa rei. Quod autem hoc sit scire, adeoque bona sit allata definitio, probat Aristoteles, quia qui nesciunt aliquid, sed putant se illud scire, putant se habere talem cognitionem, qualem explicauimus; & rursus, qui verè sciunt, putant se habere talem cognitionem, & verè habent; ergo hoc intelligunt nomine scientiæ, tum qui verè habent scientiam, tum qui falso putant se habere scientiam; ergo verè hoc intelligitur nomine scientiæ. Definitio enim est ratio, quam significat nomen, vt dicitur 4. metaph. tex. 28.

2 Hinc Aristoteles infert obiectum scientiæ non posse aliter se habere. An verò præter hanc scientiam perfectam, & per causam detur alia scientia minus perfecta, & per effectum, explicabitur inferius. Perfecta enim scientia est, quam diximus: sciētia verò, quam quærunt Sophistæ, non per proprias causas rerum, est scientia solum per accidens. Sicut enim res non potest esse, nisi dependenter à causis, ita non potest sciri, nisi per causas.

3 Quoad secundum: quia scientia est finis demonstrationis, ex definitione scientiæ infert Aristoteles definitionem demonstrationis, definientem illam per causam finalem. Cum enim scire sit per demonstrationem intelligere, sequitur, quod demonstratio sit syllogismus scientialis, seu faciens scire. Est autem syllogismus scientialis, quem cum habemus, eo ipso scimus id, quod per talem syllogismum concludimus, & probamus.

4 *Si itaque est ipsum scire quale posuimus, necesse & demonstratiuam scientiam ex verisque esse, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, & causis conclusionis.*

5 *Sic enim erunt, & principia propria eius quod demonstratur. Syllogismus enim erit & sine his, demonstratio autem non erit. Non enim faciet scientiam.*

6 *Vera quidem igitur oportet esse: quoniam non est non ens scire: vt quod diameter commensurabilis.*

7 *Ex primis autem indemonstrabilibus, quoniam non sciet non habens demonstrationem ipsorum. Scire enim, quorum demonstratio est, non secundum accidens habere demonstrationem est.*

8 *Causas quoque, & notiora oportet esse, & priora. Causas quidem, quoniam tunc scimus, quando causam cognoscimus: & priora, siquidem causæ: & præcognita, non solum altero modo eo quod intelligantur, sed & eo, quòd cognoscantur, quòd sunt.*

9 *Priora verò sunt, & notiora bifariam. Non enim idem prius natura & ad nos prius, neque notius & nobis notius. Dico autem ad nos quidem priora, & notiora,*

quæ sunt propinquiora sensui: simpliciter autem priora, & notiora, quæ longius. Sunt autem longissime quidem ipsa maxime vniuersalia, proxime vero ipsa singulariaq; & opponuntur hæc sibi inuicem.

Ex primis autem est, quod ex principijs proprijs: idem enim dico primum, & principium.

4 Quoad tertium: ex hac definitione per causam finalem, infert Aristoteles aliam definitionem per causam materialem, qua definitione explicatur ex qualibus propositionibus, tanquam ex partibus materialibus, constet demonstratio. Est igitur demonstratio, syllogismus constans ex propositionibus veris; primis, & immediatis; notioribus, prioribus, & causis conclusionis: & quia vnicuique effectui adaptantur propriæ causæ, & proportionata principia, ideò demonstratio est syllogismus constans etiam ex proprijs principijs conclusionis.


5 Probat Aristoteles hanc secundam definitionem ex prima definitione per causam finalem. Demonstratio enim est syllogismus faciens scire, seu causans scientiã conclusionis; sed nullus syllogismus potest causare scientiam conclusionis, nisi constet ex propositionibus veris &c.; ergo demonstratio debet esse syllogismus constans ex propositionibus veris &c. adeoque ratiocinatio non habens dictas conditiones, poterit quidem esse syllogismus, sed non poterit esse demonstratio. Minor probatur discurrendo per singulas conditiones, quod erat quarto loco propositum num. 1.

6 Primo syllogismus demonstratiuus debet constare ex præmissis veris. Probatur, quia debet causare scientiam conclusionis; sed scientia non potest haberi, nisi de vero, cum falsum sciri non possit: ex. gr. nemo potest scire diametrum quadrati esse commensurabilem costæ, cum hoc sit falsum; ergo per demonstrationem debet sciri conclusio vera; sed verum non potest sciri nisi ex veris, vt dicetur infra cap. 6. n. 5. ergo &c.

7 Secundo demonstratio debet constare ex propositionibus primis, siue immediatis, & indemonstrabilibus, vel quæ reducantur ad propositiones immediatas, & indemonstrabiles. Ratio est, quia propositiones demonstrabiles sciri non possunt scientia per se, & perfecta, nisi per demonstrationem, licet possint sciri per accidens, & imperfectè sine demonstratione; sed non potest haberi perfecta scientia de conclusione, nisi habeatur perfecta scientia de præmissis; ergo præmissæ vel debent esse indemonstrabiles, vel si sunt demonstrabiles, debent esse scitæ, adeoque demonstratæ, perueniendo ad propositiones indemonstrabiles, immediatas, & primas.

8 Tertio demum præmissæ, ex quibus constat demonstratio, debent esse notiores, priores, & causæ conclusionis. Debent esse causæ, quia conclusio sciri non potest nisi per causam: & quia causa est naturaliter prior, & notior effectu, debent etiam esse priores, & notiores conclusione, adeoque debent præcognosci, non solum quoad significationem nominum, & terminorum, ex quibus constant, sed etiam quoad veritatem: & quia in vnoquoque genere primum est principium, & causa cæterorum, ideo eo ipso, quod demonstratio constat ex primis, constat ex proprijs principijs conclusionis.

9 Iam prius, & notius dicitur dupliciter. Quædam enim sunt priora, & notiora secundum naturam; quædam sunt priora, & notiora quoad nos. Priora, & notiora secundum naturam sunt, quæ sunt aliorum causæ, ac proinde maiorem habent entitatem, adeoque cognoscibilitatem, quæ proportionatur entitati. Priora, & notiora quoad nos sunt, quæ propinquiora sunt sensibus, ideoque prius, & magis à nobis cognoscuntur. Et quia perfectiora, & vniuersaliora sunt remotiora à sensibus, imperfectiora verò, & singularia sensibilia sunt propinquiora sensibus; ideo priora, & notiora natura, & priora, ac notiora nobis, habent quandam oppositionem, per quam priora, & notiora natura, posterius, & minus nobis innotescunt, & è conuerso. Cum igitur dicitur, quod demonstratio constare debet ex prioribus, & notioribus, sensus est, quod præmissæ debent esse priores, & notiores secundum naturam, & non solum quoad nos.



Quid,

Quid, & quotuplex sit principium, & quomodo principia sint notiora conclusionibus. Cap. II. Art. II.

10 *PRincipium autem est demonstrationis propositio immediata: immediata vero, quæ non est alia prior.*

11 *Propositio autem est enunciationis altera particula, vnum de vno: dialectica quidem, quæ similiter accipit vtramuis: demonstratiua vero, quæ determinate alteram, quoniam veram. Enunciatio autem contradictionis vtrauis particula. Contradictio vero oppositio cuius non est medium secundum seipsam. Particula autem contradictionis, quæ quidem aliquid de aliquo, affirmatio: quæ vero aliquid ab aliquo, negatio.*

QVia Aristoteles dixit demonstrationem constare ex propositionibus primis, & immediatis, tanquam ex principijs, progreditur ad explicandum, quid, & quotuplex sit principium, seu propositio immediata: & quia non potest intelligi, quid sit propositio immediata, nisi intelligatur, quid sit propositio *vt sic*, explicat, quid sit propositio *vt sic*, & quomodo propositio dialectica differat à demonstratiua. Quia rursus propositio est species enunciationis, definit enunciationem, tum affirmatiuam, tum negatiuam: & quia in definitione enunciationis ponitur contradictio, explicat, quid sit contradictio, ac deinde describit varia genera principiorum, quæ genera sunt dignitas, petitio, suppositio, ac definitio. Demum probat principia esse notiora conclusione.

10 Principia igitur demonstrationis sunt propositiones immediatæ. Propositiones immediatæ sunt, quæ carent medio, ita vt prædicatum conueniat subiecto, ratione ipsius subiecti, & non propter aliquid aliud, quod sit medium, & ratio, cur prædicatum conueniat subiecto: ex. gr. propositio, per quam prima passio prædicatur de definitione, qualis est hæc, *omne animal rationale est admiratiuum*, est immediata, quia *esse admiratiuum* conuenit animali rationali, non propter aliam rationem, nisi quia est animal rationale. Quia verò propositio carens medio non potest demonstrari per vllum medium, adeoque nec per propositionem priorem, ideo propositio immediata est, qua nulla alia est prior: si enim haberet priorem, posset per illam demonstrari, adeoque esset mediata.

11 Propositio immediata est species propositionis *vt sic*, quæ diuiditur in dialecticam & demonstratiuam: propositio verò *vt sic* est species, seu pars subiectiua enunciationis. Propositionem *vt sic* definit Aristoteles dicens, quod *est altera enunciationis pars, vnum de vno complectens*. Enunciationem definit dicens, quod *est contradictionis vtraque pars*. Quod enunciatio sit vtraque pars contradictionis idem significat, ac quod sit oratio affirmatiua, aut negatiua vnius de altero. Cum enim contradictio sit affirmatio, ac negatio, eo ipso, quod enunciatio complectitur tum affirmationem, tum negationem, est vtraque pars contradictionis. Quod verò propositio sit altera pars contradictionis, vnum de vno complectens, idem significat, ac quod propositio sit altera species, seu pars subiectiua enunciationis, eo quod sit præmissa syllogismi, affirmans, aut negans vnum prædicatum de vno subiecto.

Propositio diuiditur in dialecticam, & demonstratiuam. Propositio dialectica est, *per quam indifferenter sumitur vtralibet pars contradictionis*. Cum enim ad dialecticam propositionem non requiratur, vt sit vera, sed solum vt sit probabilis, possit autem vtraque pars contradictionis esse probabilis, ad propositionem dialecticam nihil refert, vtra pars contradictionis sumatur. Propositio demonstratiua est, *in qua determinatè sumitur vna tantum pars contradictionis*. Cum enim propositio demonstratiua debeat esse vera, vnica verò pars contradictionis possit esse vera, debet sumere vnicam partem contradictionis. Aureolus acutiùs explicat has Aristotelicas definitiones, ac dicit propositionem dialecticam sumere quodammodo vtramque partem contradictionis, quia ita affirmat veritatem vnius partis, vt suspicetur de veritate oppositæ: propositionem verò demonstratiuam, vtpote certam, sumere vnicam partem contradictionis, cum totali exclusione alterius. Contradictio est *oppo-*

sitio, cuius nullum est medium, eo quod contradictoria neque possint simul poni, neque possint simul tolli, neque simul falsificari, neque simul verificari. Affirmatio, quæ est vna pars contradictionis, est, *quæ vnum de altero affirmatur*: negatio est, *quæ vnum de altero negatur*.

12 *Immediati vero principij syllogistici, positionem quidem dico, quam non est monstrare, neque necesse habere docendum quippiam: quam autem necesse est habere docendum quippiam, dignitatem. Sunt enim quædam talia: hoc enim maxime in talibus consueuimus nomen dicere. Positionis vero, quæ quidem accipit vtramlibet particularum enuntiationis, vt dico esse aliquid, aut non esse aliquid, suppositio: quæ vero sine hoc, definitio. Definitio enim positio quidem est: ponit enim Arithmeticus vnitatem indiuisibile esse secundum quantum: suppositio autem non est: nam quid est vnitas, & esse vnitatem, non idem.*

12 Principia diuiduntur primo in positiones, & dignitates. Petitio est *propositio immediata, quam non necesse est præhabere naturaliter eum, qui doctrinam aliquam addiscit, sed sufficit, vt eam accipiat à docente.* Dignitas, siue axioma è conuerso est *propositio immediata, quam necesse est naturaliter præhabere eum, qui doctrinam addiscit*. Ex. gr. *non potest idem esse, & non esse: omne totum est maius sua parte &c.* sunt dignitates, siue axiomata, quia sunt propositiones immediatæ, quas homines naturaliter habent, antequam ab alio discant. At verò, quod *omnes anguli recti sint æquales*, est positio, quia non omnes id aduertunt, licet cum ponitur à Mathematicis, cognoscant esse verum. Idem dic de innumeris alijs. Positio diuiditur in suppositionem, ac definitionem. Suppositio est *positio affirmans, aut negans prædicatum de subiecto*: ex.gr. *omnes anguli recti sunt æquales*. Definitio est *positio non continens talem affirmationem, ac negationem*: ex. gr. *vnitas, cuius pars nulla est*.

13 *Quoniam autem oportet credere, & scire rem, eo quòd talem habemus syllogismum, quem vocamus demonstrationem: est autem hic, eo quòd hæc sunt, ex quibus est syllogismus: necesse est non solum præcognoscere prima, aut omnia, aut quædam; sed magis: semper enim propter quod est vnumquodque, illud magis est: vt propter quod amamus, illud amicum magis.*

Quare siquidem scimus per prima, & credimus, & illa scimus, & credimus magis, quoniam per illa, & posteriora. Fieri autem non potest, vt credat magis ijs quæ scit, quæ non est neque sciens, neque melius dispositus, quàm si esset sciens. Accidet autem hoc, nisi aliquis præcognoscet per demonstrationem credentium. Magis enim necesse est credere principijs, aut omnibus, aut quibusdam, quam conclusioni. Habiturum autem scientiam, quæ est per demonstrationem, non solum oportet principia magis cognoscere, & magis ipsis credere, quam ei, quod monstratur, sed neque aliud ipsi credibilius esse, neque notius his, quæ sunt opposita principijs, ex quibus erit syllogismus, quæ est contrariæ deceptionis: siquidem oportet scientem simpliciter à credulitate impermutabilem esse.

13 His explicatis, dupliciter probat Aristoteles principia non solum esse priora, sed etiam notiora conclusionibus scitis, ac demonstratis. Prima ratio est; propter quod vnumquodque tale, & illud magis; sed demonstrans cognoscit, ac credit conclusionem esse veram, quia principia sunt vera; ergo magis cognoscit, ac credit ipsa principia esse vera; sicut qui diligit mediũ, quia diligit finem, magis diligit ipsum finem. Hinc verò infertur, quod qui scit conclusionem, non solum magis credit, sed etiam magis scit principia; vel saltem circa principia est melius dispositus, quam si ipsa sciret. Repugnat enim, quod aliquis magis credat, ac magis cognoscat id, quod nescit, quam id quod scit; sed si sciens conclusionem, non sciret principia, neque esset circa principia melius dispositus, quàm si sciret, magis crederet, & magis cognosceret principia, quæ nescit, quàm conclusiones, quas scit; ergo vel scit principia, vel est circa principia dispositus melius, quàm per habitum scientiæ, hoc est per habitum intellectus. Concludit Aristoteles, quod non solum requiritur, vt principia sint notiora conclusionibus, sed etiam requiritur, vt sciens nihil oppositum principijs, & ex quo per legitimam consequentiam inferatur falsitas principiorum,

rum, magis credat, quàm principia. Ratio est, quia sciens debet esse immobilis ab eo, quod scit; sed si aliquid contrarium principijs magis crederet, quàm principia, posset dimoueri ab assensu principiorum; ergo &c.

De possibilitate scientiæ sine processu in infinitum in demonstrationibus, & sine demonstratione Circulari. Caput III.

Tex. 6.

1 *NOnnullis quidem igitur, eò quòd oportet prima scire, non videtur scientia esse: quibusdam vero esse quidem, verum omnium demonstrationes esse. Quorum neutrum, neque verum, neque necessarium. Qui quidem enim supponunt non esse omnino scire, hi in infinitum existimant reduci, tamquam non scientes posteriora per priora, quorum non sunt prima: recte dicentes: impossibile nanque infinita pertransire. Si vero stant, ac sunt principia, hæc esse ignota: cùm demonstratio de ipsis non sit, quod dicunt esse scire solum. Si vero non est prima scire, neque quæ ex his esse scire simpliciter, neque proprie, sed ex suppositione, si illa sunt.*

2 *Alij autem ipsum quidem scire confitentur: per demonstrationem enim esse solum: sed omnium esse demonstrationem nihil prohibere. Contingere enim circulo fieri demonstrationem, & ex ijs, quæ ad se inuicem.*

1 QVià veritas destruit errores contrarios, Aristoteles determinata veritate circa existentiam demonstrationis, ac scientiæ, destruit duos errores contrarios circa demonstrationem, ac scientiam. Primus error est eorum, qui dixerunt non posse dari scientiam simpliciter. Fundamentum est, quia conclusiones non possunt sciri, nisi sciantur principia; sed principia non possunt sciri; ergo nec conclusiones; ergo nulla dari potest scientia. Probatur minor: principia enim sciri non possunt, nisi demonstrentur ex alijs principijs, cum scire sit per demonstrationem cognoscere; sed de illis principijs redit difficultas; ergo vel procedendum est in infinitum in demonstrationibus, vel sistendum est in aliquibus principijs, quorum non habeatur vlterior demonstratio; sed vtrumlibet dicatur, non datur scientia: si enim sistitur in principijs, quorum non habeatur vlterior demonstratio, talia principia non sciuntur; ergo nec per ipsa sciuntur conclusiones: si proceditur in infinitum, sicut impossibile est pertransire infinitum, sic impossibile est obtinere scientiam; ergo non datur scientia simpliciter, sed ad summum datur scientia ex suppositione, qua cognoscitur conclusiones esse veras, si vera sunt principia; sed cum ignoretur, an principia sint vera, ignoratur etiam, an veræ sint conclusiones.

2 Secundus error est eorum, qui conuenientes cum primis in hoc, quod nihil potest sciri, nisi per demonstrationem, vt defenderent dari scientiam, recurrerunt ad demonstrationes circulares, ac dixerunt perueniri ad principia, quæ per se mutuo demonstrentur.

3 *Nos vero dicimus, neque omnem scientiam demonstratiuam esse, sed eam, quæ immediatorum est, indemonstrabilem. Quòdque hoc sit necessarium, manifestum. Si enim necesse quidem scire priora, & ex quibus demonstratio, stant autem aliquando immediata, hæc indemonstrabilia necesse est esse. Hæc igitur ita dicimus, & non solum scientiam, sed & principium scientiæ esse quoddam dicimus, quo terminos cognoscimus.*

4 *Circulòque quòd impossibile demonstrare simpliciter, planum: siquidem ex prioribus oportet demonstrationem esse, & notioribus. Impossibile enim est eadem eisdem simul priora, & posteriora esse: nisi altero modo, vt alia quidem ad nos, alia vero simpliciter, quo modo inductio facit notum. Si vero sic, non esset vtique simpliciter scire bene definitum, sed duplex: aut non simpliciter altera demonstratio, quæ fit ex nobis notioribus.*

5 *Accidit autem dicentibus circulo demonstrationem esse, non solum quod nunc dictum est, sed nihil aliud dicere, quàm quòd hoc est, si hoc est. Sic autem omnia facile monstrare. Manifestum autem, quòd hoc contingit tribus terminis positis: per multos nanque, aut paucos reflectere dicere, nihil differt: per paucos autem,*

tem, aut duos. Quando enim A existente, ex necessitate sit B: hoc autem, ipsum C: A existente, erit C. Si itaque A existente, necesse est B esse: hoc autem existente, ipsum A: hoc enim erat circulo. Ponatur A in quo C. Dicere igitur, B existente, A esse, est ipsum C esse dicere, hoc autem, quoniam A existente ipsum C est: C autem ipsi A idem. Quare contingit dicere circulo asserentes esse demonstrationem, nihil alterum, quam quod A existente, A est. Sic autem facile est omnia monstrare.

3 Vtrumque errorem refutat Aristoteles ex eo, quod solæ propositiones mediatæ non possunt sciri, nisi per demonstrationem, sed peruenitur tandem ad propositiones immediatas, quæ sunt ex se notæ, adeoque sciuntur sine demonstratione, vel saltem cognoscuntur aliquo habitu perfectiori, quam habitu scientiæ, qui habitus vocatur habitus principiorũ; ergo ad scientiam neque requiritur processus in infinitum, neque demonstrationes circulares, cum perueniatur ad principia per se nota sine vlla demonstratione.

4 Addit Aristoteles impossibilem esse demonstrationem circularem. Probatur primo, quia demonstratio, vt dictum est, debet esse ex prioribus, & notioribus; sed non possunt duo esse mutuo priora, & notiora, vt patet; ergo non possunt duo per se inuicem demonstrari; nisi forte vnum, quod est per se notius secundum naturam probetur per aliud per se notius nobis, quod non repugnat: sed tunc non habetur scientia perfecta, de qua hic agimus.

5 Probatur secundo, quia in demonstratione circulari, id, quod non est per se notum, probaretur, & fieret notum per se ipsum. Patet: nam conclusio probatur, & fit nota, non solum per præmissas immediatas, sed etiam per præmissas mediatas, ex quibus probantur præmissæ immediatæ; sed inter præmissas mediatas daretur ipsa conclusio probanda; ergo conclusio per se ipsam probaretur, & fieret nota, atque esset, sicut si diceretur, quod A est, quia A est, seu quod est A, si est A. Explicatur, sicut cum A probatur per B, & B per C, A probatur per C; sic cum A probatur per B, & B per A, A probatur per A. Nihil verò refert, an ponantur tres termini, vel plures, & an reflexio fiat per plures terminos, vel per pauciores: hoc autem modo facile esset omnia demonstrare, probando vnam propositionem ignotam per aliam, & hanc rursus per primam, & sic facile possemus acquirere scientiam cuiuslibet veritatis ignotæ.

6 *Verum neque hoc possibile, præterquam in ijs, quæcunque se inuicem consequuntur, quemadmodum propria. Vno quidem igitur posito, quòd nunquam necesse est aliquid esse alterum, monstratum est. Dico autem vno, quòd neque termino vno neque positione vna posita: ex duabus autem positionibus primis, & minimis contingit siquidem & syllogizare.*

7 *Si igitur & A sequatur ex ipso B, & C: & hæc ex se inuicem et ex ipso A: sic quidem contingit ex se inuicẽ monstrare omnia petita in prima figura, quemadmodum monstratum fuit in ijs, quæ de syllogismo. Monstratum autem est & quòd in alijs figuris, aut non fit syllogismus aut non de acceptis. Quæ vero nõ contra prædicantur, nullo modo est monstrare circulo. Quare quoniam pauca talia in demonstrationibus, manifestum, quòd vanũmque, & impossibile est dicere ex ijs, quæ ad se inuicem demonstrationem esse, & propter hoc omnium contingere esse demonstrationem.*

6 Tertio probatur, quia vt dictum est lib. 1. Prior. cap. 25. conclusio non potest necessario inferri ex vnico termino, neque ex vnica præmissa, sed ad minimum debet inferri ex tribus terminis, & ex duabus propositionibus, seu præmissis; ergo ad hoc, vt omnia possint inuicem demonstrari demonstratione circulari, necesse est, vt ex conclusione possit probari vtraque præmissa; sed vtraque præmissa potest solum per conclusionem probari in primo modo primæ figuræ, hoc est in Barbara, cum omnes tres termini mutuo sunt conuertibiles; in alijs verò figuris, & modis, non potest probari vtraque præmissa ex solis assumptis in syllogismo, nec in Barbara, cum termini non sunt conuertibiles, probari potest per conclusionem vtraque præmissa; ergo cum paucissimi sint syllogismi in Barbara, & ex terminis conuertibilibus, paucissima principia possunt circulariter demonstrari ex conclusione, adeoque falsum est, quod omnia principia sint circulariter demonstrabilia.

7 Pro intelligentia, duo sunt explicanda, & probanda. Primum est, quod in Bar-

Barbara, cum termini sunt conuertibiles vtraque præmissarum potest mutuo concludi ex conclusione. Secundum est, quod in Barbara, cum termini non sunt conuertibiles, & in alijs modis primæ figuræ, & in secunda, & tertia figura nunquam potest vtraque præmissa syllogismi inferri ex conclusione. Primum igitur probatur: sint tres termini conuertibiles, *homo, rationale, & risibile*; & sit syllogismus in Barbara; *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*. Potest ex conclusione, & ex minori conuersa simpliciter maior probari sic; *omnis homo est risibilis; omne rationale est homo; ergo omne rationale est risibile*: potest rursus ex maiori conuersa, & ex conclusione concludi minor sic; *omne risibile est rationale; omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est rationalis*. At si termini non sunt conuertibiles, propositiones non possunt conuerti simpliciter in aliam vniuersalem, sed solum in particularem; sed ex altera præmissa particulari, non potest inferri conclusio vniuersalis; ergo cum termini non sunt conuertibiles, in Barbara non possunt circulariter concludi præmissæ. Hæc autem fusius explicata sunt secundo Priorum cap. 5. num. 4. & 5. In secunda figura non potest fieri reciprocatio: cum enim conclusio sit negatiua, non potest per ipsam probari præmissa affirmatiua, quia propositio affirmatiua concludi non potest, nisi ex ambabus præmissis affirmatiuis. In tertia figura præmissa vniuersalis non potest inferri ex conclusione, quæ semper est particularis, vt magis explicatum est 2. Priorum, cap. 6. num. 2. & cap. 7. num. 2. Et quia etiam in cæteris modis primæ figuræ, excepto Barbara, conclusio vel est negatiua, vel particularis, in nullo modo primæ figuræ, excepto Barbara, potest concludi vtraque præmissa, cum in negatiuis non possit concludi præmissa affirmatiua, in particularibus non possit concludi præmissa vniuersalis; sed principia, ex quibus infertur conclusio ad minimum sunt duo; ergo rarissimo accidit, vt omnia principia possint circulariter probari ex conclusione.

Quid sit dici de omni; dici per se; & dici vniuersaliter. Caput IV.

Text. 7.

1 *Quoniam autem impossibile aliter se habere, cuius est scientia simpliciter, necessarium vtique fuerit scibile, quod est secundum demonstratiuam scientiam demonstratiua autem est, quam habemus, eo quòd habemus demonstrationem: ex necessarijs igitur syllogismus est demonstratio. Accipiendum igitur ex quibus, & qualium demonstrationes sunt.*

Postquam Aristoteles ostendit demonstrationem esse, & explicauit, quid sit, ex definitione demonstrationis progreditur ad ostendendum, qualis sit demonstratio, & ex qualibus præmissis constet. Et quia probaturus est demonstrationem constare ex præmissis necessarijs, in quibus prædicatum dicatur de omni, per se, & vniuersaliter: idcirco primo breuiter tangit rationem infra cap. 6. magis explicandam, qua ostenditur demonstrationem constare debere ex præmissis necessarijs: secundo explicat, quid sit *dici de omni*: tertio explicat quid sit *dici per se*, & distinguens quatuor modos dicendi per se, declarat, quo pacto ijs vtatur demonstrans: quarto explicat, quid sit *dici vniuersaliter*.

1 Quoad primum: ex definitione scientiæ, sic obiter probat Aristoteles demonstrationem constare debere ex præmissis necessarijs. In definitione scientiæ dictum est id, quod simpliciter scitur, non posse aliter se habere; sed id, quod non potest aliter se habere est necessarium; ergo quod scitur, debet esse necessarium; sed scientia simpliciter est, per quam conclusio scitur per demonstrationem; ergo in scientia simpliciter, per demonstrationem cognoscitur, quod conclusio non potest aliter se habere; sed si per demonstrationem cognoscitur, cognoscitur per causam; ergo in sciētia simpliciter cognoscitur per causā, quod conclusio nō potest aliter se habere; sed solæ præmissę necessariæ possunt esse causa, cur conclusio non possit aliter se habere; ergo demonstratio

stratio causans perfectam scientiam constat ex præmissis necessarijs.

Text. 8

1 *Primũ autem determinemus, quid dicimus de omni, & quid per se, & quid vniuersale. De omni quidẽ igitur hoc dico quod sit vtiq; non in aliquo quidem, in aliquo autem non: neque aliquando quidem, aliquando autem non: vt si de omni homine animal, si verum hunc dicere hominem verum & animal: & si nunc alterum, & alterum: & si in omni linea punctum consimiliter. Signum autem, etenim instantias ita ferimus tanquam de omni interrogati, aut si in aliquo non, aut si aliquando non.*

2 Quoad secundum: *dici de omni* est, cum prædicatum non cuidam conuenit, cuidam non conuenit, vel aliquando conuenit, aliquando non conuenit: ex. gr. animal dicitur de omni homine, quia de quocunque verum est, quod sit homo, verum est, quod sit animal; & quandocunque verum est, quod est homo, verum est, quod est animal: similiter de omni linea dicitur, quod contineat puncta, quia nulla est linea, quæ non contineat, & semper continet. E conuerso licet nunc verificaretur, quod *omnis homo vigilat*, adhuc prædicatum vigilantis non diceretur de omni, quia non quandocunque homo est, vigilat, sed aliquando dormit. Quod autem ad hoc, vt prædicatum dicatur de omni, requiratur, vt nulli non conueniat, & vt semper conueniat, probatur, quia cum aliquis ponit propositionem tanquam de omni dicens, *omnis homo vigilat*, putamus nos per instantiam ostendere, quod non est de omni, si vel ostendamus, quod aliquis non vigilat, vel quod aliquando non vigilat; ergo signum est, quod vtrumque requiritur ad propositionem de omni.

Hinc patet primo, quod non sufficit, vt propositio vniuersalis sit vera, ad hoc, vt prædicatum dicatur de omni. Licet enim hæc, *omnis homo vigilat*, esset vera, adhuc prædicatum vigilantis non diceretur de omni.

Secundo patet *dici de omni* posterioristicum, quod requiritur ad demonstrationem, addere aliquid supra dici *de omni* prioristicum, quod sufficit ad syllogismum. Nam ad *dici de omni* prioristicum sufficit, quod prædicatum conueniat omni, licet non semper; adhuc enim subsumpta minori, conclusio sequitur necessario: at verò ad *dici de omni* posterioristicum, requiritur, vt prædicatum conueniat etiam semper; alioquin non inferretur conclusio, per quam cognosceretur, quod prædicatum ita conuenit subiecto, vt non possit non conuenire, quod requiritur ad scientiam.

Text. 9.

3 *Per se autem, quæcunque & insunt in eo quod quid est: vt triangulo linea, & lineæ punctum. Substantia nanque ipsorum ex his est, & in oratione dicente, quid est, insunt.*

4 *Et quibuscunque inexistentium ipsis, ipsa sunt in oratione, quid est declarante: quemadmodum rectum inest lineæ, & circulare; & impar, & par numero; & primum, & compositum, & æquilaterum, & altera parte longius. Et omnibus his insunt in oratione, quid est dicente, ibi quidem linea, hic autem numerus. Consimiliter autem, & in alijs. Ị alia singulis per se dico: quæcunque autem neutro modo insunt, accidentia: vt musicum, aut album animali.*

5 *Amplius, quod non de subiecto dicitur alio aliquo: vt ambulans alterum quid existens, ambulans est, & album: substantia vero, & quæcunque hoc aliquid significant, non alterum quid existentia sunt, quod sunt. Quæ quidem igitur non de subiecto, per se dico: quæ autem de subiecto, accidentia.*

6 *Amplius autem alio modo, quod quidem propter ipsum inest vnicuique, per se: quod vero non propter ipsum, accidens. Quemadmodum si ambulante fulgurauit, accidens: non enim propter ambulare fulgurauit, sed contingit, dicimus, hoc. Si autem propter ipsum, per se. Vt si quid iugulatum interit, & secundum iugulationem, quoniam propter iugulari, sed non accidit iugulatum interire.*

3 *Per se* dicuntur quadrupliciter. Primo dicuntur *per se* de subiecto, quæ includuntur in definitione subiecti: ex. gr. animal per se dicitur de homine, quia includitur in definitione hominis. Si enim quæratur, *quid est homo*, respondetur, *quod est animal rationale*: similiter linea *per se* dicitur de triangulo, quia si quæratur, *quid est triangulum?* respondetur, quod *est figura constans ex tribus tantum lineis rectis*: punctum per se dicitur de linea, quia si quæratur.

tur, *quid est linea?* respondetur, quod est *longitudo latitudinis expers, cuius partes punctis terminantur, et copulantur.*

4 Secundo per se dicuntur de subiecto illa, in quorum definitione includitur subiectum: ex. gr. rectum, & curuum per se dicuntur de linea, quia linea inest in definitione recti, & curui. Rectum enim est *linea, cuius medium non exit ab extremis;* curuum est *linea, cuius medium exit ab extremis*. Similiter par, & impar, primum, & compositum per se dicuntur de numero, quia numerus includitur in definitione ipsorum. Par enim est *numerus diuisibilis bifariam*: impar est *numerus non diuisibilis bifariam*: primum in numeris est *numerus, qui non mensuratur alio numero, sed sola vnitate*, vt binarius, ternarius &c. compositum in numeris est *numerus, qui mensuratur alio numero*, vt quaternarius, qui mẽsuratur binario, nouenarius, qui mensuratur ternario. Proportionaliter æquilaterum, & altera parte longius *per se* dicuntur de figura, quia in eorum definitione includitur figura. Æquilaterum enim est *figura constans ex omnibus lateribus æqualibus*: altera parte longius est *figura, cuius vnum latus longius est alijs*. Quæ igitur vel includuntur in definitione subiecti, vel includunt subiectum in sua definitione, dicuntur per se primo, aut secundo modo: quæ neque includunt subiectum in sua definitione, neque includuntur in definitione subiecti, dicuntur de subiecto per accidens; ex. gr. per accidens dicitur de animali, quod sit album, vel musicum; nam neque includuntur in definitione animalis, neque animal includitur in definitione ipsorum.

5 Tertio per se dicuntur, quæ non dicuntur de vllo, vt de subiecto, quod sit aliud ab ipsis; cuiusmodi sunt substantiæ: accidentia verò sunt, quæ dicuntur de alio, vt de subiecto, quod sit aliud ab ipsis: ex. gr. Socrates, Plato &c homo, equus &c. sunt substantiæ, & entia per se, quia vel nullo modo dicuntur de subiecto, vt Socrates, Plato, & alia indiuidua; vel si dicuntur de subiecto, non dicuntur vt de alio ab ipsis: ex. gr. *homo* dicitur de Platone, sed non tanquam de alio ab homine. E conuerso ambulans significat accidens, quia dicitur de Petro, vel alio ambulante, cui aliud est *esse Petrum*, aliud *esse ambulantem*.

6 Quarto per se dicitur, quod conuenit subiecto propter ipsum: ex. gr. per se dicitur, quod *iugulatus interijt*, quia ideo interijt, quia iugulatus: at non per se dicitur, quod *ambulante coruscauit*, quia non ideo coruscauit, quia ambulabat, sed dum ambularet, ex alijs causis accidit coruscatio. Ratio istorum modorum fusius explicabitur lib. 5. metaph. cap. 18.

Text. 10.

7 *Quæ igitur dicuntur in simpliciter scibilibus per se sic, vt insint prædicatis, aut illa insint subiectis, & per ipsa sunt, & ex necessitate.*

8 *Non enim contingit non inesse, aut simpliciter, aut opposita: vt lineæ rectum aut curuum, & numero impar, aut par. Est enim contrarium, aut priuatio, aut contradictio in eodem genere, vt par, quod non impar in numeris, inquantum sequitur. Quare si necesse asserere, aut negare, necesse & per se inesse. Quod igitur de omni, & per se, determinatum sit hunc in modum.*

7 Explicatis modis dicendi *per se*, ostendit Aristoteles, quo pacto illis vtatur demonstrans. Demonstrans vtitur secundo, & primo. Cum enim in conclusione scientifica prima passio ostendatur de subiecto, conclusio scientifica est *per se* secundo modo: proprium enim subiectum includitur in definitione suæ passionis. Cum rursus definitio subiecti sit medium ad demonstrandam primam passionem de subiecto, minor est per se primo modo, cum in minori definitio prædicetur de subiecto, vt patet in hac demonstratione; *omne animal rationale est disciplinabile; omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est disciplinabilis*: conclusio est in secundo modo; minor in primo. Poterat Aristoteles addere maiorem esse in quarto modo. Nam *disciplinabile* dicitur de animali rationali, quatenus animal rationale est. In demonstratione verò, in qua secunda passio demonstratur de subiecto per primam: ex. gr. *omne admiratiuum est risibile; omnis homo est admiratiuus; ergo omnis homo est risibilis*, conclusio, & minor sunt in secundo modo, maior in quarto.

8 Addit Aristoteles passiones, quæ de subiectis probantur in talibus demonstrationibus, necessario inesse subiectis. Probat; nam non possunt non inesse, saltem disiunctim; ergo necessario insunt. Probat

bat antecedens: quædam enim non possunt non inesse determinatè: ex. gr. *risibile* non potest non inesse homini; *habere tres angulos æquales duobus rectis*, non potest non inesse triangulo: quædam non possunt non inesse disiunctim: ex. gr. numero non potest non inesse *par*, vel *impar*; lineæ non potest non inesse *rectum*, aut *curuum*. Ratio est, quia rectum, & curuum respectu subiecti determinati, hoc est lineæ, licet opponantur priuatiuè, vel contrariè, tamen se habent sicut affirmatio, ac negatio; sed necesse est, vt de quocunque verificetur affirmatio, vel negatio; ergo necesse est, vt de quocunque verificetur rectum, aut curuum; & ex eadem ratione necesse est, vt in genere numeri verificetur par, aut impar.

Text. 11.

9 *Vniuersale autem dico, quod vtique, & de omni fit, & per se, & secundum quòd*

10 *ipsum.* * *Manifestum igitur, quòd quæcunque vniuersalia, ex necessitate insunt rebus.*

11 *Per se autem & secundum quòd ipsum, idem: vt per se lineæ inest punctum, & rectum: etenim secundum quod linea: & triangulo secundum quod triangulum, duo recti: etenim per se triangulum duobus rectis æquale.*

12 *Vniuersale autem est tunc, quando in quolibet & primo monstretur. Vt duos rectos habere, neque figuræ est vniuersale, quamuis est monstrare de figura, quòd duos rectos habet, sed non de qualibet figura, neque vtitur qualibet figura monstrans. Quadrangulum enim figura quidem est, non habet autem duobus rectis æquales. Æquicrus vero habet quidem quodcunque duobus rectis æquales, sed non primo, sed triangulum prius.*

13 *Quod igitur quoduis primum monstratur duos rectos habens, aut quodcunq; aliud, huic primo inest vniuersale. Et demonstratio per se de hoc vniuersaliter est, de alijs vero quodammodo non per se: neque de æquicrure non est vniuersaliter, sed in plus.*

9 Quoad quartum; dici *vniuersaliter* de subiecto est *conuenire omni, per se, & quatenus ipsum*. Conuenire subiecto *quatenus ipsum*, est illi conuenire primo ratione sui; quod verò conuenit subiecto ratione alterius, non conuenit ipsi, in *quantum est ipsum*: ex. gr. sensitiuum non dicitur de homine, in quantum est homo, quia licet necessario dicatur de homine, non conuenit homini primo, sed primo conuenit animali: homini verò conuenit in quantum animal est. E conuerso rationale dicitur de homine in quantum est homo, quia dicitur de homine primo ratione sui, & non ratione alterius.

10 Ex dictis infertur primo, quod omne, quod dicitur vniuersaliter, dicitur necessario. Probatur: nam omne, quod dicitur per se, dicitur necessario; sed omne, quod dicitur vniuersaliter, dicitur per se; ergo &c.

11 Secundo infertur, quod *esse per se*, & *esse vniuersaliter*, sunt idem non conuertibiliter, eo pacto, quo *esse hominem*, & *esse animal*, sunt idem non conuertibiliter. Sicut enim eo ipso, quod aliquid est homo, est animal, & non è conuerso; sic eo ipso, quod aliquid inest vniuersaliter, & secundum quod ipsum, inest per se, & non è conuerso: ex. gr. eo ipso, quod triangulo in quantum triangulus est conuenit *habere tres angulos æquales duobus rectis*, per se conuenit *habere tres angulos æquales &c.* Similiter eo ipso, quod linea in quantum est linea, vel est recta, vel curua, & terminatur punctis, per se terminatur punctis, & vel est recta, vel curua.

12 Infertur tertiò, quod *dici vniuersaliter* addit supra *dici per se*, quod dicatur non solum de omni, sed primo. Ex defectu primæ conditionis, quæ est *dici de omni*, non vniuersaliter conuenit figuræ, *habere tres angulos æquales duobus rectis*, quia non conuenit omni figuræ, sed solum triangulari. Ex defectu secundæ conditionis non conuenit vniuersaliter triangulo isosceli *habere tres angulos æquales duobus rectis*, quia non conuenit isosceli primo ratione sui, sed in quantum est triangulus.

13 Concludit Aristoteles, quod demonstratio per se est de subiecto, cui primo conuenit prædicatum; de subiecto verò, cui primo non conuenit prædicatum, quodammodo non est demonstratio per se: ex. gr. hoc prædicatum, & hæc passio habendi tres angulos æquales duobus rectis, per se demonstratur de triangulo *vt sic*; de isoscele verò non per se demonstratur, sed in quantum continetur in triangulo.

De

De modis, quibus erratur circa prædicatum vniuersale. Cap. V.

Text. 12.

1 *OPortet autem non latere; quòd plerunque contingit peccare, & non esse, quod monstratur primum vniuersale, secundum quòd videtur monstrari vniuersale primum.*

2 *Decipimur autem hac deceptione, quando vel nihil sit accipere superius præter singulare.*

3 *Vel sit quidem, sed innominatum sit in rebus specie differentibus.*

1 POstquam Aristoteles explicauit, quid sit *dici vniuersaliter*, declarat, quo pacto, & quot modis in demonstrationibus erretur, sumendo vt vniuersaliter demonstratum id, quod verè non est vniuersaliter demonstratum.

2 Primus modus est, cum quia sub aliqua ratione superiori non datur, nisi vnum inferius, putamus, quod id, quod primo conuenit superiori, conueniat primo illi inferiori: ex. gr. si non daretur aliud animal, quam homo, putaret quis omnes proprietates, quæ primo conueniunt animali, in quantum animal est, primo conuenire homini, in quantum homo est, & in hac opinione falleretur.

3 Secundus modus est, cum in aliquo genere superiori, dantur plures species, sed genus superius est innominatum, potest quis putare proprietates, quæ primo conueniunt generi innominato, primo conuenire speciebus: ex. gr. quia genus commune equo, asino, & mulo est innominatum, potest quis putare proprietates talis generis primo conuenire equo, vel asino, & in hoc errare.

4 *Vel contingat esse, vt in parte totum, in quo monstratur. Iis enim, quæ sunt in parte inerit quidem demonstratio, & erit de omni, sed tamen non erit huius primi vniuersaliter demonstratio. Dico autem huius primi secundum quòd huius demonstrationem, quando sit primi vniuersaliter. Si quis igitur monstrauerit, quòd rectæ non coincidunt, videbitur vtique huius esse demonstratio, eo quòd in omnibus est rectis. Non est autem: siquidem, non quoniam sic æquales, fit hoc: sed secundum quòd quomodocunque æquales. Et si triangulum non esset aliud, quàm æquicrus, videretur vtique inesse. Et proportionale, quod & alternatim, secundum quòd numeri, & secundum quòd solida, & secundum quòd tempora: quemadmodum, & monstrabatur aliquando seorsum, contingens vtique de omnibus vnica demonstratione monstrari. Sed quia non sunt nominatum quiddam omnia hæc vnum, numeri, longitudines, tempora, solida, & specie differunt à se inuicem, seorsum accipiebatur. Nunc autem vniuersaliter monstratur. Non enim secundum quòd lineæ, aut secundum quòd numeri inerat: sed secundum quòd hoc, quod vniuersale supponunt esse.*

4 Tertius modus est: cum totum, seu ratio superior, & communis, cui primo conuenit prædicatum, explicatur per quandam habitudinem ad partem, seu determinatam speciem inferiorem, tum potest quis putare prædicatum primo conuenire illi parti, & speciei, & in hoc errabit. Ex. gr. (& est exemplum ab Aristotele allatum, qui primo affert exemplum tertij modi; secundo affert exemplum primi; tertio demum affert exemplum secundi modi). Exemplum igitur tertij modi, qui est obscurissimus, desumitur ex propositione 29. lib. 1. Euclidis, in qua ostenditur, quod si linea recta incidens in duas lineas rectas iacentes in eodem plano, fecerit angulos internos ad easdem partes æquales duobus rectis, erunt parallelæ, & nunquam concurrent. Subiectũ, de quo primo demonstratur prædicatum paralleli, sunt duæ lineæ, in quas tertia incidens linea facit duos angulos internos ad easdem partes duobus rectis æquales. Hoc subiectum est genus continens sub se duas species. Prima est linearum, in quas tertia linea incidens faciat duos dictos angulos rectos, adeoque duobus rectis æquales. Secunda species est linearum, in quas tertia linea incidens faciat duos dictos angulos, non quidem rectos, sed æquales duobus rectis; ergo subiectum talis passionis est genus commune, quod habet habitudinem ad vnam speciem in-

inferiorem, hoc est ad lineas facientes cum linea incidente duos angulos rectos. Quia ergo subiectum, cui primo conuenit proprietas paralleli est genus commune, explicatum per habitudinem ad hanc speciem linearum facientium cum linea incidente duos angulos rectos, posset quis errare existimando proprietatem illam non concurrendi primo demonstrari de duabus lineis facientibus cum tertia linea incidente duos angulos rectos, cum talis proprietas sit primo demonstranda de duabus lineis facientibus cum tertia linea duos angulos duobus rectis quomodolibet æquales, etiamsi ipsi non sint recti. Exemplum primi modi ab Aristotele allatum est: si non daretur alius triangulus, quam isosceles, posset quis putare proprietatem habendi tres angulos æquales duobus rectis, primo conuenire isosceli. Vt intelligatur exemplum secundi modi, aduertendum est, quod proportio est *habitudo duarum quantitatum*, ex. gr. proportio duorum ad vnum dicitur proportio dupla. Proportionalitas est *habitudo duarum proportionum*, quæ si sint disiunctæ, habent quatuor terminos, si coniunctæ tres, ita tamen vt vnus terminus sumatur bis loco duorum: ex. gr. proportionalitas est, *sicut se habent octo ad quatuor, ita sex se habent ad tria*: tam enim octo habent ad quatuor proportionem duplam, quam sex ad tria. Ex his terminis duo se habent vt antecedentes, illi nempe, quibus alij comparantur; duo vt consequentes, hoc est illi, qui comparantur alijs. Permutata proportio *est, cum antecedentia inuicem conferuntur, & similiter consequentia*: ex. gr. sicut se habent 8. ad 4. sic 6. ad 3; ergo sicut 8. se habent ad 6. sic quatuor ad 3: nam & 8. excedunt sex per quartam partem sui, & 4 excedunt 3. per quartam partem sui. Hoc posito, *esse proportionale commutabiliter* conuenit numeris, lineis, solidis, ac temporibus; & tamen, quia non datur nomen significans genus commune his omnibus, olim seorsim de singulis demonstrabatur, & putabatur primo conuenire singulis, & in hoc errabatur.

5 *Propter hoc neque si aliquis monstrauerit singulum triangulum demonstratione, aut vna, aut altera, quòd duos rectos habet vnumquodque æquilaterum seorsum, & gradatum, & æquicrus: nondum nouit triangulum, quod duobus rectis, nisi sophistico modo, neque vniuersaliter triangulum, neque si nullum est præter hæc triangulum alterum. Non enim secundum quòd triangulum nouit, neque omne triangulum, nisi secundum numerum, secundum speciem autem non omne: & si nullum est, quod non nouit. Quando igitur non nouit vniuersaliter, & quando nouit simpliciter? Manifestum, quòd si idem esset triangulo esse, & æquilatero, aut vnicuique, aut omnibus. Si autem non idem, sed alterum, inest autem secundum quòd triangulum, non nouit.*

6 Text. 14. *Vtrum autem secundum quod triangulum, aut secundum quòd æquicrus inest, & quando secundum hoc inest primo, & vniuersaliter cuius est demonstratio? Planum, quòd quando ablatis inerit primo, quemadmodum æquicruri, æneo triangulo inerunt duo recti. Sed & quod sit aheneum, ablato & quòd æquicrus. Sed non figura, aut termino: sed non primis. Quo igitur primo? si quidem triangulo, secundum hoc inest & alijs, & huius vniuersaliter est demonstratio.*

5 Semper igitur peccatur cum passio, quæ primo conuenit rationi superiori, demonstratur de inferioribus, siue seorsim, siue simul etiam enumerando omnia inferiora: ex. gr. si prædicatum habendi tres angulos æquales duobus rectis demonstretur de equilatero, isoscele, & scaleno, peccatur. Quamuis enim quis per talem demonstrationem sciat passionem habendi tres angulos &c. conuenire omni triangulo, non tamen scit simpliciter, & *per se*, sed per accidens, & sophistico modo, in quantum scilicet illi tres sunt omnes trianguli, non autem scit per se de propria ratione trianguli. Si eadem esset ratio trianguli, & illorum trium, tum sciret per se; sed quia diuersa est ratio, non scit, neque demonstrat per se, sed per accidens.

6 Concludit Aristoteles afferendo regulam ad dignoscendum, quando nam prædicatum aliquod primo conueniat alicui subiecto, quæ regula est: cum ratio, quæ ponitur vt subiectum, talis est, vt illa remanente, & ablatis alijs, adhuc prædicatum conueniret, illa verò dempta non conueniret, tum prædicatum primo conuenit subiecto. Ex. gr. quæritur, vtrum prædicatum habendi tres angulos æquales duo-

duobus rectis, primo conueniat triangulo, vel isosceli, vel figuræ: probatur, quod non primo conuenit isosceli, quia ablato isoscele, & remanente triangulo, conuenit; nec primo conuenit figuræ, quia remanente figura, & ablato triangulo, non conuenit; ergo primo conuenit triangulo; quia nisi remaneat triangulum non conuenit figuræ; & si auferatur isosceles, adhuc conuenit triangulo, isosceli vero, & figuræ conuenit ratione trianguli.

Ostenditur demonstrationem constare debere ex propositionibus, seu præmissis necessarijs, & per se. Cap. VI.

Tex. 15.

1 *SI igitur est demonstratiua scientia ex necessarijs principijs: quod enim scitur, non potest aliter se habere: per se vero inexistentia necessaria sunt rebus: alia quidem enim in eo, quod est quid insunt: alijs autem, quæ de ipsis prædicantur, ipsa insunt in eo quod est quid, quorum alterum oppositorum necesse est inesse: manifestum, quòd ex talibus quibusdam sit vtique demonstratiuus syllogismus. Omne enim aut sic inest, aut secundum accidens: accidentia vero non sunt necessaria.*

POstquam Aristoteles explicauit, quid sit *dici de omni*, *per se*, & *vniuersaliter*, procedit ad ostendendum, quod demonstratio debet constare ex propositionibus necessarijs, & *per se*: & primo quidem obiter proponit syllogismum, in quo ex eo, quod demonstratio debet constare ex propositionibus necessarijs, infert, quod debet etiam constare ex propositionibus *per se*: secundo multipliciter probat assumptum, quod nimirum demonstratio constare debeat ex præmissis necessarijs: tertio concludit demonstrationem constare debere ex propositionibus, non per accidens, sed *per se*.

1 Quoad primum igitur, proponit talem syllogismum, per quem ex eo, quod demonstratio constare debet ex necessarijs, probat constare etiam debere ex propositionibus *per se*. Per demonstratiuam scientiam infertur, quod conclusio non potest aliter se habere; neque enim scit, qui non cognoscit, quod res aliter se habere non potest; sed non potest per scientiam inferri, quod conclusio non potest aliter se habere, nisi demonstratio, seu syllogismus causans talem scientiam constet ex propositionibus, seu principijs, & præmissis necessarijs; ergo demonstratio debet constare ex præmissis necessarijs; solæ propositiones *per se* sunt necessariæ; ergo demonstratio constare debet ex propositionibus *per se*. Antecedens subsumptum duas habet partes: prima est, quod propositiones *per se* sunt necessariæ: secunda est, quod solæ propositiones per se sunt necessariæ. Probat Aristoteles vtramque partem; & primo, quod propositiones *per se* primo, & secundo modo, sint necessariæ, ostendit sic. In primo modo dicendi *per se*, prædicatum includitur in definitione subiecti; sed quod includitur in definitione, necessario conuenit, cum definitio non possit non conuenire; ergo propositiones *per se* primo modo sunt necessariæ. In secundo modo *per se* prædicatum includit subiectum in sua definitione; sed cum prædicatū includit subiectū in sua definitione, necessario conuenit subiecto, saltē disiunctim, eo pacto, quo numerus necessario est vel par, vel impar, vt explicatum est c. 4. n. 8.; ergo etiam propositiones per se secundo modo sunt necessariæ. Hinc iam probat secundam partem antecedentis, quod solæ propositiones *per se* sunt necessariæ: omne enim prædicatum, vel conuenit subiecto *per se*, vel per accidens; sed quod per accidens conuenit, non necessario conuenit, cum possit non conuenire; ergo sola prædicata *per se* necessario conueniunt.

2 Tex. 16. *Aut igitur sic dicendum aut principium ponendum, quòd demonstratio necessarium est: & si demonstratum est, non potest aliter se habere. Ex necessarijs igitur oportet esse syllogismum. Ex veris quidem enim est, & non demonstrantem syllogizasse: ex necessarijs vero non est, nisi demonstrantem. Hoc enim iam proprium demonstrationis est.*

3 *Signum autem, quòd demonstratio ex necessarijs: quoniam & instantias ita ferimus ad eos, qui existimant demonstrare, quòd non necesse, si existimemus, aut omnino contingere aliter, aut sermonis vtique gratia. Planum autem ex his, & quòd fatui*

tui sunt, qui se existimant recte principia accipere, si probabilis sit propositio, & vera, veluti Sophistæ, quod scire est scientiam habere. Non enim quod probabile, aut non, principium est, sed primum ipsius generis, circa quod monstratur. Et verum non omne proprium.

4 Tex. 17. *Quod autem ex necessarijs oportet esse syllogismum, manifestum & ex his. Si enim qui non habet rationem eius, quod est propter quid, existente demonstratione non est sciens. Esse autem posset vt A de C ex necessitate esset: B vero medium, per quod demonstratum est, non ex necessitate: non sciuit propter quid. Non enim est hoc propter medium. Hoc enim contingit non esse, conclusio autem necessaria.*

5 *Præterea, si aliquis non sciuit nunc habens rationem, & saluus, salua re, non oblitus, neque prius sciuerat: corrumpi autem posset medium, si non est necessariũ: quare habebit quidem rationem saluam, salua re, non autem sciuit: neque igitur prius sciuerat. Si vero non est corruptum, contingit autem corrumpi, quod accidit, esset vtique possibile, & contingens. Sed est impossibile ita se habentem scire.*

2 Quoad secundum: quia poterat videri non satis adhuc probatum, quod demonstratio debeat constare ex propositionibus necessarijs, regrediens Aristoteles ad id probandum, dicit, quod aut concedatur notum, quod nimirum demonstratio constare debet ex propositionibus necessarijs, & *per se*, aut si id negetur, statuatur tanquã principium ad id probandum, quod demonstratio, cum faciat scire, infert conclusionem necessariam, per quam cognoscitur, quod obiectum non potest aliter se habere, vt dictum est cap. 2. in definitione scientiæ; sed conclusio necessaria non potest sciri, nisi ex principijs necessarijs; ergo demonstratio constare debet ex præmissis necessarijs, ac proinde in hoc syllogismus demonstratiuus differt à dialectico, quod syllogismus dialecticus, ac merè probabilis potest procedere ex propositionibus nõ necessarijs; at impossibile est, vt syllogismus procedens ex non necessarijs sit demonstratiuus, & quod è conuerso syllogismus procedens ex necessarijs non sit demonstratiuus.

3 Confirmatur primo ex signo, quia cum per instantiam ostendimus præmissas assumptas in aliquo syllogismo non esse necessario veras, putamus nos probare talem syllogismum non esse demonstratiuum, nec conclusionem esse necessariam; ergo censemus ad syllogismum demonstratiuum, qui inferat conclusionem necessariam, requiri, vt constet ex præmissis necessario veris. Hinc patet stultos esse illos sophistas, qui putant propositiones probabiles esse principia idonea ad inferendam conclusionem scientificam. Vnaquæque enim conclusio debet inferri ex principijs primis proprijs eiusdem generis; sed conclusio scientifica debet esse in genere propositionis necessariæ, cum per illam cognosci debeat, quod obiectum aliter se habere non potest; ergo principia, ex quibus infertur, debent esse in eodem genere, adeoque debent esse necessaria, nec sufficit, quod sint probabilia, vel quomodocunque vera.

4 Confirmatur secundo, quia non scit conclusionem, qui non cognoscit rationem, & causam, propter quam conclusio est necessario vera; sed qui cognoscit conclusionem per principia non necessaria, non cognoscit rationem, & causam, propter quam conclusio est necessario vera; ergo non scit conclusionem. Probatur minor: nullum enim contingens potest esse causa alicuius necessarij; necessarium enim non potest non esse; contingens potest non esse; sed quod potest non esse non est causa eius, quod non potest non esse; ergo &c. Probatur minor: quia nihil est causa eius, quod eodem pacto se habet, siue illud sit, siue non sit; sed necessarium eodem pacto se habet, seu contingens sit, seu non sit; ergo contingens non potest esse causa necessarij; ac proinde conclusio necessaria sciri non potest per præmissas non necessarias. Explicatur: sit enim conclusio, quod *A necessario conuenit C*, & præmissæ sint, quod *A conuenit B*, & *B conuenit C*: si tales præmissæ sint contingentes, ita *A conuenit B*, & *B conuenit C*, vt possint non conuenire; ergo ratio, cur *A conueniat C* non est, quia *A conuenit B*, & *B conuenit C*: nam siue hoc sit verum, siue non, adhuc *A necessario conuenit C*; ergo conclusio non cognoscitur per causam, adeoque non scitur; ergo vt conclusio sciatur, præmissæ, ex quibus infertur debent esse necessariæ.

5 Confirmatur tertio, quia qui nunc nescit conclusionem, & tamen & conclusio nunc remanet vera sicut prius, & ipse saluus est,

est, & neque est oblitus conclusionis, neque rationis, qua conclusionem ante probauit, is perfecto nec ante sciebat conclusionem; scientia enim non potest amitti, nisi aut ex hoc, quod pereat ille, qui est subiectum sciens, aut ex hoc, quod saluo subiecto, pereat veritas scita, aut ex hoc, quod saluo subiecto, & veritate scita, qui sciebat obliuiscatur veritatis scitæ, aut ex hoc, quod licet non obliuiscatur veritatis scitæ, obliuiscatur rationis, ac medij, per quod illam veritatem sciebat; sed si conclusio necessaria cognosceretur per mediũ contingens, & medium corrumperetur, omnia dicta saluarentur, & tamen cognoscens conclusionem per medium corruptum, adeoque falsum, non sciret conclusionem; ergo nec ante sciebat; ergo conclusio necessaria non potest sciri ex præmissis non necessarijs. Etiam si verò medium contingens non corrumpatur, potest corrumpi, alioquin non esset contingens; sed ex possibili nullum sequitur impossibile; ex eo autem, quod medium conclusionis scitæ sit contingens, & corrumpatur, sequitur impossibile iam explicatum, quod nimirum quis amitteret scientiam saluis omnibus illis; ergo medium, per quod scitur veritas necessaria, non potest esse contingens. Breuiter, qui ex falsis infert verum non scit; ergo neque qui ex contingenti infert necessarium.

6 *Quando quidem igitur conclusio ex necessitate sit, nihil prohibet medium non necessarium esse, propter quod monstratum est. Est enim necessarium, & non ex necessarijs syllogizatum esse, quemadmodum & verum non ex veris.*

7 *Quando autem medium ex necessitate, & conclusio ex necessitate: quemadmodum, & ex veris verum semper. Sit enim A de B ex necessitate: & hoc de C: necessarium igitur & A ipsi C inesse.*

8 *Quando autem non necessaria sit conclusio, neque medium necessarium potest esse. Si enim A ipsi C non ex necessitate inesse: ipsi autem B ex necessitate: & hoc ipsi C ex necessitate: & A igitur ipsi C ex necessitate inerit. Sed non suppositum fuerat.*

9 Text. 18. *Quoniam igitur quod scitur demonstratiue, oportet ex necessitate inesse, manifestum, quòd & per medium necessarium oportet habere demonstrationem: aut non sciet neque propter quid, neque quòd necesse est illud esse, sed vel existimabit non sciens, si suspicetur tanquam necessarium, quod non necessarium: aut neque existimabit. Similiter & si quòd sciat per media, & si propter quid, & per immediata.*

10 *Accidentium vero non per se, quo modo determinata sunt per se, non est scientia demonstratiua. Non enim ex necessitate monstrare conclusionem; accidens nanque contingit non inesse. De tali enim dico accidente.*

6 Ex dictis Aristoteles infert quinque corollaria. Primum est: non repugnat necessarium sequi ex non necessarijs, sicut non repugnat verum sequi ex falsis: sed sicut cum verum colligitur ex falsis, non scitur, sic cum necessarium infertur ex non necessarijs, non scitur, ac proinde syllogismus ex non necessarijs non potest esse demonstratiuus.

7 Secundum est: sicut conclusio, quæ sequitur ex præmissis veris, eo ipso est vera, quia ex vero non potest sequi falsum; sic conclusio, quæ sequitur ex necessarijs, est necessaria, quia ex necessarijs non potest sequi non necessarium: ex. gr. *si omne rationale necessario est admiratiuum; & omnis homo necessario est rationalis; omnis homo necessario est admiratiuus.*

8 Tertium est: si conclusio non est necessario vera, nec præmissæ necessario sunt veræ: ex præmissis enim necessarijs sequitur conclusio necessaria, vt dictum est in secundo corollario; ergo si conclusio non est necessaria, nec præmissæ: ex. gr. ponatur, quod *homo ita sit risibilis, vt possit non esse risibilis;* ex eo, quod *rationale necessario sit risibile; & homo sit necessario rationalis;* sequitur, *quod homo sit necessario risibilis;* ergo si homo non est necessario risibilis, altera saltem ex dictis præmissis non est necessaria.

9 Quartum est: etiam medium demonstrationis debet esse necessarium. Ratio est, quia per medium demonstrationis sciri debet conclusio necessaria; sed necessarium per medium contingens non potest sciri, neque quoad *esse*, neque quoad *propter quid*; non quoad *propter quid*, quia contingens non potest esse causa necessarij; neque quoad *esse*, quia necessarium non potest sciri per contingens; ergo medium demonstrationis non debet esse contin-

tingens, adeoque debet esse necessarium; ergo qui cognoscit necessarium per contingens, vel arbitrabitur se scire id, quod non scit, si putauerit præmissas quæ verè non sunt necessariæ, esse necessarias, vel neque sciet, neque putabit se scire. Hoc vero est intelligendum tam de scientia *quia*, quam de scientia *propter quid*.

10 Quintum est: per scientiam demonstratiuam non possunt sciri de subiecto accidentia, quæ non per se conueniunt tali subiecto. Ratio est, quia per scientiam demonstratiuam debet concludi, quod prædicatum necessario conueniat subiecto; sed accidentia, quæ non per se competunt subiecto, hoc est non includunt subiectum in sua definitione, non necessario conueniunt, sed possunt non conuenire; ergo accidentia non per se non possunt sciri de subiecto.

11 *Atqui dubitare fortasse quispiam posset, cuius causa hæc oportet interrogare de his, si non necesse est conclusionem esse. Nihil enim differt, si quis interrogatus quæcunque, postea dicat conclusionem. Oportet autem interrogare, non tanquam necessarium sit propter interrogata: sed quoniam dicere necessarium illa dicenti, & vere dicere, si vere sint inexistentia.*

11 Contra hactenus dicta, quod nimirum conclusiones non possunt sciri per præmissas contingentes, proponit Aristoteles dubitationem. Si conclusiones non possunt sciri ex contingentibus, cur Dialectici interrogant indifferenter de propositionibus contingentibus, & ex ijs, quæ conceduntur, inferunt conclusiones? Respondet Aristoteles, quod argumentantur ex contingentibus, non quia per contingentia possint sciri conclusiones necessariæ, sed quia interrogatus, concesso antecedenti, debet etiam concedere consequentiam. Dialecticus igitur non curat, vtrum conclusio sit necessaria necessitate consequentis, sed solum vtrum sit necessaria necessitate consequentiæ; cum demonstrans quærat etiam necessitatem consequentis, sine qua non potest haberi scientia.

Ostenditur demonstrationem constare debere ex principijs proprijs, & eiusdem generis. Caput VII.

Text. 19.

1 *QVoniam autem ex necessitate insunt circa vnumquodque genus, quæcunque per se insunt, & secundum quòd vnumquodque, manifestum, quòd de ijs, quæ per se sunt, sunt scientiales demonstrationes, & ex talibus sunt: accidentia enim non necessaria. Quare non necesse est conclusionem scire propter quid est, neque si semper esset, non per se autem: veluti per signa syllogismi. Quod enim per se, non per se sciet, neque propter quid. Propter quid autem scire est per causam scire. Propter ipsum igitur oportet, & medium tertio, & primum medio inesse.*

1 POstquam Aristoteles ostendit demonstrationem constare ex principijs, & propositionibus necessarijs, concludit, quod debet etiam constare ex præmissis per se. Sic igitur argumentatur. Demonstratio non solum debet inferre conclusionem necessariam, sed etiam debet constare ex præmissis necessarijs; sed ea solum necessario competunt subiecto, quæ conueniunt per se; quæ vero conueniunt per accidens, non necessario conueniunt, cum possint non conuenire; ergo demonstratio debet etiam constare ex præmissis per se. Addit, quod etiam si præmissæ necessario inferant conclusionem, adhuc si non sint per se, non causant scientiam conclusionis, vt patet in argumentationibus à signo, qualis est hæc: *omne quod senescit est corruptibile; omne mistum senescit; ergo omne mistum est corruptibile*. Licet enim conclusio sit per se, & necessario sequatur ex præmissis, adhuc non scitur, quia præmissæ non sunt per se, neque explicant causam corruptibilitatis. Causa enim corruptibilitatis non est *senescere*, sed *componi ex contrarijs*, adeoque conclusio per se, cum non cognoscatur per propositiones per se, non scitur scientia perfecta, & à priori, de qua hic agitur; ergo necesse est, vt in-

præ-

præmissis cognoscatur, quod prædicatum conclusionis per se inest medio, & medium per se inest subiecto conclusionis, vt ex hoc inferatur, quod prædicatum per se inest subiecto.

Text. 20.

2 *Non igitur est ex alio genere transcendentem monstrare, vt geometricum arithmetica.*

3 *Tria enim sunt, quæ sunt in demonstrationibus: vnum quidem, quæ demonstratur, ipsa conclusio: hoc autem est, quod inest generi alicui per se. Vnum autem, dignitates: dignitates autem sunt ea, ex quibus. Tertium genus ipsum subiectum, cuius passiones, & per se accidentia declarat demonstratio.*

4 *Ex quibus quidem igitur demonstratio, contingit eadem esse: quorum autem genus alterum, quemadmodum Arithmeticæ & Geometriæ, non est arithmeticam demonstrationem coaptare ad accidentia magnitudinibus, nisi magnitudines numeri sint. Hoc autem vt contingit in quibusdam, posterius dicetur. Arithmetica vero demonstratio semper habet genus, circa quod demonstratio, & aliæ consimiliter. Quare aut simpliciter necesse est idem esse genus, aut aliquo modo, si debet demonstratio transcendere: aliter vero, quòd impossibile, manifestum: ex eodem enim genere necesse est extrema, & media esse.*

5 *Nanque si non per se, accidentia erunt.*

2 Procedit deinde Aristoteles ad ostendendum, quod demonstratio debet etiam constare ex principijs proprijs, non autem extraneis, ac spectantibus ad aliam scientiam. Ponit ergo conclusionem, quæ est: non potest conclusio spectans ad vnam scientiam sciri per principia extranea, ac spectantia ad aliam scientiam: ex. gr. conclusio geometrica de quantitate continua, vt de subiecto, non potest probari ex principijs arithmeticis de numeris, hoc est de quantitate discreta; & vniuersim conclusio spectans ad vnam scientiam, & vnum subiectum genus, non potest sciri, ac demonstrari per principia spectantia ad aliam scientiam, & aliud subiectum genus.

3 Vt conclusionem explicet, ac probet, duo præmittit. Primum est: in demonstrationibus cuiuscunque scientiæ tria debent considerari: primum est genus subiectum, de quo demonstrantur aliquæ passiones per se competentes tali generi: secundum sunt passiones per se conuenientes tali generi subiecto: tertium sunt dignitates, & principia, ex quibus de subiecto passiones demonstrantur. Ex. gr. in demonstrationibus geometricis datur subiectum, quod continet quantitates continuas, quarum per se passiones demonstrantur; dantur passiones, quæ demonstrantur; & dantur dignitates, seu principia, ex quibus demonstrantur. Secundum, quod Aristoteles præmittit obiter, & obscurè est, quod scientiæ, aut habent subiecta omninò diuersa, & adequatè distincta, ita vt subiectum vnius non includatur in subiecto alterius, quales sunt geometria, & arithmetica; subiectum enim geometriæ est quantitas continua, quæ distinguitur adæquatè à quantitate discreta, seu numeris, qui sunt subiectum arithmeticæ, nisi partes continuæ sumantur vt numeri; aut habent subiecta inadæquatè distincta, ita vt subiectum vnius sit directè, & per se inferius subiecto alterius, vt scientia de animali, & de homine, de figuris, & de triangulo; aut habent subiecta inadæquatè distincta, ita vt subiectum vnius sit accidentaliter inferius subiecto alterius, eo pacto, quo numerus sonorus, qui est subiectum musicæ est inferius accidentaliter numero *vt sic*, qui est subiectum arithmeticæ, eo quod numerus sonorus suprà numerum vt sic addit differentiam accidentalem sonori; & eo pacto, quo linea visualis, quæ est subiectum perspectiuæ, est inferior accidentaliter linea *vt sic*, quæ est subiectum geometriæ.

4 His præmissis, probat Aristoteles, quod in scientijs, quarum subiecta sunt adæquatè distincta, conclusiones vnius non possunt sciri per principia alterius; at in scientijs, quarum subiecta non sunt adæquatè distincta, possunt conclusiones inferioris demonstrari per principia superioris. Ratio ab Aristotele satis obscurè insinuata est, quia scientiæ, quæ non communicant in subiecto, nec possunt communicare in passionibus, & principijs, ita vt conclusiones vnius demonstrentur per principia alterius; sed scientiæ, quarum subiecta adæquatè distinguuntur non communicant in subiectis; ergo &c. Probatur maior: quia in demonstratione, extrema, & medium debent esse eiusdem generis; sed alterum extremorum, hoc est subiectum conclusio-

nis, est in genere subiecto scientiæ; ex. gr. subiectum conclusionis geometricæ est in genere quantitatis continuæ, & subiectum conclusionis arithmeticæ est in genere numeri; ergo etiam prædicatum conclusionis, quod est maior extremitas, & medius terminus erit in genere talis scientiæ; ergo si subiecta scientiarum adæquatè distinguuntur, etiam prædicata, quæ demonstrantur, & media, per quæ demonstrantur, adæquatè distinguuntur; sed si extrema, & medium demonstrationum distinguuntur adæquatè, etiam principia, seu præmissæ talium demonstrationum distinguuntur adæquatè, cum præmissæ componantur ex tribus terminis demonstrationis, duobus nimirum extremis, & medio; ergo scientiæ, quæ adæquatè distinguuntur secundum subiecta, adæquatè distinguuntur etiam secundum principia, adeoque conclusiones vnius non possunt demonstrari per principia alterius.

5 In hoc discursu sola illa maior indiget probatione, quod extrema, & medium demonstrationis debeant esse eiusdem generis. Probat igitur illam Aristoteles sic: ex dictis cap. 6. num. 1. tum conclusio, tum præmissæ demonstrationis debent esse propositiones *per se*, in quibus prædicatum per se dicatur de subiecto; sed si prædicatum per se dicitur de subiecto, sunt eiusdem generis; ergo maius, & minus extremum, hoc est prædicatum, & subiectum conclusionis sunt eiusdem generis, alioquin conclusio non esset per se; & ex eadem ratione medius terminus, ac subiectum conclusionis debent esse eiusdem generis, alioquin minor, in qua medius terminus prædicatur de subiecto conclusionis, non esset per se; ergo cum & prædicatum conclusionis, & medium sint eiusdem generis cum subiecto, omnes termini demonstrationis sunt eiusdem generis inter se. Minor, quod nimirum prædicatum, si per se dicitur de subiecto, sit eiusdem generis, probatur: prædicatum enim esse eiusdem generis cum subiecto est, quod tale prædicatum non possit per se conuenire alteri generi: ex gr. omnia illa prædicata, quæ per se conueniunt solis quantitatibus continuis, sunt de genere quantitatis continuæ; omnia, quæ per se conueniunt solis numeris sunt, de genere numerorum; sed prædicata, quæ per se conueniunt vni generi, illi soli per se conueniunt, nec possunt conuenire per se alteri generi; ergo omnia prædicata per se conuenientia alicui subiecto sunt eiusdem generis cum subiecto. Probatur minor, quia prædicata per se conuenientia numeris, vt *par*, & *impar* non possunt per se conuenire lineis, sed solum per accidens, in quantum numeri accidũt lineis, eo quod lineæ sint tres, vel quatuor; similiter prædicata per se conuenientia lineis, vt *rectum*, & *curuum*, non possunt per se conuenire numeris, sed solum per accidens, eo quod tria, vel quatuor sint lineæ; ergo prædicata per se conuenientia vni generi, illi solum per se conueniunt, adeoque sunt eiusdem generis cum ipso.

6 *Propter hoc Geometriæ non licet monstrare, quòd contrariorum vna est scientia, sed neque quòd duo cubi cubus: neque alij scientiæ, quod alterius: nisi quæcunque ita se habent inter se, vt sit alterum sub altero: vt Perspectiua ad Geometriam, & Harmonica ad Arithmeticen.*

7 *Neque si quid inest lineis non secundum quòd lineæ, & secundum quòd ex principijs proprijs: vt si recta pulcherrima linearum: aut si in contrarium se habet ipsi circumferentiæ. Non enim secundum quòd proprium genus ipsorum est, sed secundum quòd commune aliquod.*

6 Ex dictis infertur primo, quod nulla scientia demonstrat quidpiam de subiecto scientiæ communioris, aut disparatæ; potest tamen scientia communior demonstrare aliquid de subiecto scientiæ inferioris: ex. gr. geometria non demonstrat contrariorum vnam esse scientiam, quia contraria continentur in subiecto scientiæ communioris, hoc est metaphysicæ, vel dialecticæ; nec demonstrat, quod numerus cubicus multiplicatus per alium numerum cubicum, semper facit numerum cubicum, vt videre est apud Euclidem lib. 9. propos. 4., quia numeri sunt subiectum arithmeticæ, quæ est scientia disparata à geometria. Scientia tamen superior potest demonstrare conclusiones inferioris, eo pacto, quo conclusiones musicæ demonstrantur in arithmetica; conclusiones perspectiuæ demonstrantur in geometria.

7 Infertur secundo, quod non potest scientia demonstrare de suo subiecto primo prædicata communiora ipso, quæque proinde non per se competunt ipsi, sed alicui su-

superiori: ex. gr. non potest geometria de linea circulari demonstrare, quod sit pulcherrima linearum, neque de linea recta, quod sit contraria lineæ circulari. Ratio est, quia prædicata pulchri, & contrarij, non per se conueniunt quantitati continuæ, vt quantitas continua est, sed per se conueniunt alicui superiori; ergo sunt per se demonstranda de eo subiecto, ac genere superiori ab ea scientia, quæ agit de eo subiecto, ac genere superiori.

Ostenditur demonstrationem debere esse de perpetuis, ac non de corruptibilibus. Caput VIII.

Tex. 21.

1 *Manifestum autem & si fuerint propositiones vniuersaliter, ex quibus est syllogismus, quod necesse & conclusionem perpetuam esse huiuscemodi demonstrationis, & vt simpliciter dicam demonstrationis. Non est igitur demonstratio corruptibilium, neque scientia simpliciter, sed ita, sicut secundum accidens: quoniam non vniuersalis ipsius est, sed aliquando, & quodammodo. Quando autem fit, necesse est alteram non vniuersalem esse propositionem, & corruptibilem. Corruptibilem quidem, quoniam & conclusio, existente: non vniuersalem autem, quoniam hoc quidem erit, illud vero non erit, in quibus. Quare non est syllogizare vniuersaliter, sed quod nunc.*

2 Text. 22. *Consimiliter autem se habet & circa definitiones: quoniam definitio est aut principium demonstrationis, aut demonstratio positione differens, aut conclusio quædam demonstrationis.*

3 *Eorum vero, quæ sæpe fiunt, demonstrationes, & scientiæ, vt Lunæ defectus, manifestum, quòd secundum quod quidem tales sunt, semper sunt: secundum quod vero non semper, secundum partem sunt. Quemadmodum autem defectus, consimiliter atijs.*

1 Postquam Aristoteles ostendit conclusiones scientiarum debere demõstrari ex proprijs, ac non posse demonstrari ex extraneis, descendit ad probandum, quod non potest propriè sciri conclusio corruptibilis, neque potest demonstrari ex principijs corruptibilibus. Probatur: ex dictis enim præmissæ demonstrationis debent esse per se, ac necessariæ, adeoque *de omni* posterioristicè, ita vt semper sint veræ; sed ex præmissis *de omni* posterioristicè, ac semper veris, sequitur conclusio semper vera; ergo ex præmissis demonstrationis sequitur conclusio semper vera, ac de omni posterioristicè; sed conclusio corruptibilis non semper est vera, sed aliquando est vera, aliquando falsa; ergo si conclusio est corruptibilis, aliqua præmissarum est corruptibilis, adeoque non est *de omni* posterioristicè; sed principia, quæ non sunt *de omni* posterioristicè, non sunt idonea ad demonstrationem; ergo conclusio corruptibilis non potest propriè demonstrari, ac sciri scientia perfecta, de qua sola hic loquimur, sed solum potest sciri per accidens.

2 Ex dictis infertur, quod etiam definitio non potest esse corruptibilium. Probatur, quia vel definitio est principium demonstrationis, vel conclusio demonstrationis, vel demonstratio positione differens; sed neque conclusio demonstrationis, neque principium, neque demonstratio potest esse corruptibilium; ergo &c.

Pro intelligentia aduerte definitionem explicare causas rei; sed causæ sunt plures, & ordinatæ; ergo definitiones possunt esse plures, & ordinatæ. Prima causarum est finis, qui mouet agentem: secunda est efficiens, quæ assimilat sibi passum in forma: tertia est forma, in ordine ad quam disponitur materia: quarta est materia; ergo definitio, quæ desumitur ex fine, est ratio, per quam probantur aliæ definitiones, adeoque est principium ad illas demonstrandas; aliæ definitiones sunt conclusiones demonstrabiles ex definitione per finem; definitio verò per finem simul, & alias causas, est demonstratio positione differens. In quantum enim est per causas alias à finali, est conclusio demonstrabilis; in quantum est per causam finalem est principium, & medium demonstrationis.

Exemplo res explicabitur. Domus potest per causam finalem definiri *operimentum defendens homines à pluuijs, calore, frigore &c.* Potest per causam materialem, & formalem definiri, *operimentum constitutum*

ium ex lapidibus, cæmentis &c. si ordinatis, ac dispositis. Ratio, cur sit operimentum ex tali materia &c. est, quia alioquin non defenderet à pluuijs &c. Ratio, quare illa materia debeat esse sic disposita est eadem, adeoque ratio materiæ, & formæ desumitur ex fine; ergo ex definitione per causam finalem tanquam ex principio, potest demonstrari definitio per causam materialem, & formalem, dicendo; *operimentum defendens à pluuia &c. debet constare ex tali materia, & forma; domus est tale operimentum; ergo domus debet constare ex tali materia, & forma*; ergo definitio per causam finalem est principium demonstrationis; definitio per causam materialem, & formalem est conclusio demonstrationis. Si verò afferatur definitio domus complectes omnes dictas causas, ac dicatur; *domus est operimentum constans ex lapidibus, & cæmentis sit ordinatis ad arcendas pluuias &c.* talis definitio erit demonstratio sola positione differens, vt pote continens principium, & conclusionem demonstrationis, licet non disposita in figura, & modo syllogistico. Cum ergo neque conclusio demonstrationis, neque principium, neque demonstratio possit esse corruptibilium, neque definitio potest esse corruptibilium.

3 Potest obijci: eclypses Solis, & Lunæ, & alia eiusmodi sunt scibilia, ac demonstrabilia; sed non sunt semper, sed aliquando; ergo &c. Respondet Aristoteles, quod hæc semper sunt per comparationem ad causam, ex. gr. semper luna eclypsatur, cum terra interponitur; ergo sunt veritates perpetuæ, quantum sufficit ad demonstrationem. Quæ verò non sunt semper, etiam in ordine ad causam, eo pacto, quo ab homine non semper generatur homo, demonstrari possunt restringendo propositionem, & concludendo, quod semper homo generat hominem, nisi quid per accidens impediat. Si verò demonstrationes non ponantur hoc pacto, conclusio non erit vniuersalis, sed particularis, sicut est conclusio particularis, qua demonstratur eclypsis futura tali die, & anno.

Ostenditur demonstrationem non constare ex communibus. Cap. IX.

Text. 23.

1 *QVoniam autem manifestum, quòd vnumquodque demonstrare non est, nisi ex vniuscuiusque principijs, si quod monstratur insit secundum quòd illud, non est scire hoc.*

Etsi ex veris, & indemonstrabilibus monstratum sit, & immediatis. Est enim sic monstrare, quemadmodum Bryso quadraturam. Secundum commune enim monstrant tales rationes, quod & alteri inerit. Quocirca & in alijs coaptabuntur rationes non cognatis. Igitur non secundum quòd illud scit, sed secundum accidens. Neque enim coaptari posset demonstratio & in aliud genus. Vnumquodque autem scimus non secundum accidens, quando secundum illud cognoscamus, secundum quòd inest ex principijs illius, secundum quod illud: vt duobus rectis æquales habere, cui inest per se, quod dictum est ex principijs huius.

2 *Quare si per se & illud inest, cui inest, necesse est medium in eadem cognatione esse.*

1 POstquam Aristoteles ostendit demõstrationem non posse constare ex principijs extraneis, & corruptibilibus, probat, quod neque potest constare ex cõmunibus. Dicit ergo patere ex dictis conclusionem, in qua de subiecto affirmetur aliquod prædicatum *per se*, non posse demonstrari, nisi ex proprijs principijs, propter quæ tale prædicatum conuenit subiecto; sed potest contingere, vt conclusio, in qua affirmetur prædicatum per se conueniens subiecto, inferatur ex propositionibus veris, indemonstrabilibus, & immediatis, quæ tamen non sint propria principia, propter quæ prædicatum conuenit subiecto, sed sint principia communia etiam rebus diuersi generis; ergo potest contingere, vt conclusio inferatur ex veris, indemonstrabilibus, & immediatis, & tamen non demonstretur. Probat minorem adducens exemplum Brysonis, qui vt demonstraret,

quadraturam circuli, sic est argumentatus. In quocunque genere datur maius, & minus aliquo, datur etiam æquale illi; sed in genere quadratorum datur quadratum maius, & quadratum minus quocunque circulo dato; ergo datur etiam quadratum æquale. Probabat minorem: dato enim circulo describebat duplex quadratum, alterum internum, alterum externum, & argumentabatur: quadratum externum est maius, vtpote includens, quadratum internum est minus, vtpote inclusum; ergo &c. Hæc demonstratio, vt patet, procedit ex principio non proprio geometriæ, sed communi geometriæ, & arithmeticæ. Illud enim principium, quod in quocunque genere datur maius, & minus, datur etiam æquale, est commune quantitati tum continuæ, tum discretæ, adeoque tum geometriæ, tum arithmeticæ; sed principium commune non est propria ratio, & causa, cur circulus sit quadrabilis; ergo non affert propriam rationem, & causam, propter quam circulus est quadrabilis; ergo etiam si admittatur principium assumptum esse verum, adhuc non demonstrat quadrabilitatem circuli, sed facit illam scire solum per accidens. Vt demonstratio faceret per se scire quadraturam circuli, deberet ostendere dato circulo tale quadratum esse æquale secundum aream ex proprijs principijs, propter quæ sequitur talis æqualitas, eo pacto, quo demonstratur trianguli tres angulos esse æquales duobus rectis ex proprijs principijs trianguli, quia nimirum angulus externus æqualis est vtrique interno, & opposito, vt videri potest lib. 1. Euclidis propositione 32.

2 Vt igitur prædicatum *per se* demonstretur de subiecto, demonstrari debet per medium *per se* conueniens subiecto, adeoque eiusdem generis, cum termini demonstrationis debeant esse eiusdem generis, principia debeant esse propria generis, quod est subiectum proprium scientiæ; ergo non potest conclusio demonstrari per principia communia.

3 *Si verò non, sed quemadmodum Harmonica per Arithmeticam. Talia autem monstrantur quidem similiter. Differunt vero: ipsum enim quod, alterius scientiæ, subiectum namque genus alterum: ipsum vero propter quid, superioris, cuius per se passiones sunt. Quare & ex his manifestum, quod non est demonstrare vnumquodque simpliciter, nisi ex vniuscuiusque principijs. Sed horum principia habent commune.*

4 *Si vero manifestum est hoc, manifestum & quod non est vniuscuiusque propria principia demonstrare. Erunt enim illa omnium principia, & scientia illorum domina omnium. Et namque magis scit, qui ex superioribus causis scit: ex prioribus enim sciuit, cùm ex non causatis sciat causis. Quare si magis sciuit, & maxime: & si scientia illa esset & magis, & maxime. Demonstratio autem non coaptatur in aliud genus: nisi vt dictum est, geometricæ in perspectiuas, aut mechanicas, & arithmeticæ in harmonicas.*

5 *Difficile autem est cognoscere, si sciuit, aut non. Difficile est enim cognoscere, si ex vniuscuiusque principijs scimus aut non: quod est scire. Existimamus autem, si habeamus ex veris quibusdam syllogismum, & primis scire. Hoc autem non est, sed oportet primis cognata esse.*

3 Insinuat Aristoteles obiectionem: nam per eadem principia demonstrantur conclusiones tum arithmeticæ, tum musicæ; ergo potest aliqua conclusio demonstrari per principia communia pluribus scientijs. Respondet Aristoteles scientiam subalternatam in hoc differre à subalternante, quod scientia subalternata de conclusionibus cognoscit solum, quod sunt veræ, non autem *propter quid* sunt veræ; scientia verò subalternans scit *propter quid* sunt veræ: ex. gr. musica cognoscit per experientiam, quod soni habentes proportionem talium numerorum, faciant consonantiam, at nescit, cur faciant consonantiam; è conuerso arithmetica cognoscit, cur faciant consonantiam; ergo dum scientia superior descendit ad demonstrandam conclusionem scientiæ inferioris, procedit ex principijs proprijs scientiæ superioris, à quibus post demonstratas conclusiones per se scientiæ superioris, potest descendi ad demonstrandas conclusiones scientiæ inferioris, quæ continentur in conclusionibus scientiæ superioris, sicut conclusiones minus vniuersales in magis vniuersalibus, & sicut hæc conclusio, quod isosceles habet tres angulos æquales duobus rectis, in hac vniuersaliori, quod triangulus habet tres angulos æquales duobus; ergo patet omnem conclusionem debere demonstrari ex prin-

principijs proprijs, licet deinde à conclusione vniuersaliori possit descendi ad minus vniuersalem in illa contentam, vt explicatum est.

4 Ex dictis infert Aristoteles, quod nulla scientia non habens communissimum subiectum, probat propria principia; metaphysica verò, quæ habet communissimum subiectum, hoc est ens vt ens, probat principia omnium aliarum scientiarum, ideoque est præstantissima inter scientias. Quod scientiæ, quæ non habent communissimum subiectum, non probent sua principia, patet: nam ex dictis considerant principia communissima suo subiecto; sed prima principia scientiarum solum possunt probari per principia vniuersaliora de ente vt ens est, qualia sunt, quod *non potest idem esse, & non esse*; ergo scientiæ non habentes pro subiecto ens vt ens, non probant sua principia, sed ex illis probant conclusiones. At metaphysica, quæ considerat ens vt ens, quod est subiectum communissimum, considerat principia communissima, ex ijsque potest descendere ad probanda principia minus communia, proportionaliter, ac arithmetica, quæ considerat subiectum communius subiecto musicæ, descendit ad probanda principia musicæ. Hæc autem scientia communissima, quia considerat principia omnium prima, quæ cum non habeant suprà se alia principia, sunt maximè principia, est maximè scientia, & facit maximè scire, ideoque est scientiarum præstantissima. Demonstratio verò propria vnius generis non potest transferri ad aliud genus, sed solum potest ex conclusione superiori de vniuersaliori subiecto, descendi ad demonstrandam conclusionem minus vniuersalem de subiecto minus vniuersali, eo pacto, quo ex geometrica conclusione vniuersaliori de lineis, aut solidis, descenditur ad conclusiones minus vniuersales perspectiuæ, & mechanicæ de lineis visualibus, ac de machinis solidis, & à conclusionibus arithmeticæ de numeris, descenditur ad conclusiones minus vniuersales musicæ de numeris sonoris.

5 Concludit Aristoteles difficile admodum vnumquemque discernere, vtrum sciat conclusiones, an non: difficile enim discernitur, an principia sint propria, vel communia. Multi prætereà decipiuntur putantes sufficere ad scientiam cognoscere conclusiones ex veris, atque immediatis, etiamsi propria non sint, quod tamen est falsum.

De Diuisione principiorum in communia, & propria; quid sint, & quomodo illis vtantur scientiæ. Caput X.

Tex. 24.

1 *Dico autem principia in vnoquoque genere hæc, quæ quod sunt, non contingit monstrare. Quid igitur significant & prima, & quæ ex his, accipitur; quòd autem sunt, principia quidem necesse est accipere, alia vero monstrare. Vt quid vnitas, aut quid rectum, aut triangulum. Esse autem vnitatem accipere, & magnitudinem, altera vero monstrare.*

Postquam Aristoteles ostendit demonstrationem non procedere ex principijs communibus, sed ex proprijs, definit, ac diuidit principia tum communia, tum propria, & explicat, quo pacto ijs vtantur scientiæ. Primo ergo definit principia in genere, & explicat conuenientiam, ac disconuenientiam eorum ab ijs, quæ principia non sunt: secundo diuidit principia in propria, & communia, & ex eorum differentijs ostendit, quo pacto scientiæ vtantur principijs tum proprijs, tum communibus: tertio diuidit principia in complexa, & incomplexa, & declarat, quo pacto scientiæ considerent tum principia complexa, tum incomplexa.

1 Quoad primum: principia sunt, quæ in quocunque genere demonstrari non possunt. Conueniunt igitur principia cum ijs, quæ non sunt principia in hoc, quod de vtrisque debet sumi, quid significent: differunt in hoc, quod principia sunt, de quibus non solum sumitur, *quid significent*, sed etiam, *quod sunt*; de non principijs verò sumitur solum, *quid significent*; quod autem *sint*, & reliqua debent demonstrari. Ex. gr. vnitas est principium in arithmetica, linea est principium in geometria, quia non solum sumitur, quid sit vnitas, aut linea, sed etiam *quod est*: at rectum, aut triangulus non sunt principium, quia solum in Geometria sumitur *quid sint*; at vero angulum rectum constitui ad datum punctũ

lineæ

lineæ rectæ, & datum triangulum constitui ad datam lineam rectam, demonstratur, vt patet ex propositione prima, & 8. lib. 1. Euclidis.

2 *Sunt autem, quibus vtuntur in demonstratiuis scientijs, alia quidem propria vniuscuiusque scientiæ, alia vero communia. Communia autem secundum proportionem: quoniam vtile vtique quantum in eo, quod sub scientiam est genere. Propria quidem, quemadmodum lineam esse talem, & rectum: communia vero, vt si ab æqualibus æqualia auferantur, quòd æqualia sunt reliqua. Sufficiens autem est vnumquodque horum, quantum est in genere. Idem enim faciet, & si non de omnibus acceperit, sed in magnitudinibus solum, Arithmetico autem in numeris.*

3 *Sunt autem propria quidem, & quæ accipiuntur esse; circa quæ scientia speculatur inexistentia per se, veluti vnitates Arithmetica, Geometria vero puncta, & lineas: hæc enim accipiunt esse, & hoc esse. Horum autem passiones per se, quid quidem significat vnaquæque accipiunt: veluti Arithmetica quidem, quid impar, aut par, aut quadrangulum, aut cubus: Geometria vero, quid irrationale, aut refrangi, aut congruere. Quòd autem sunt, monstrant & per communia, & ex demonstratis. Et Astrologia consimiliter.*

2 Quoad secundum: principia, quibus ad demonstrandum vtuntur scientiæ, diuiduntur in communia, & propria. Communia sunt, quibus licet scientiæ vtantur vt restrictis ad proprium subiectum, possunt tamen proportionaliter applicari subiectis aliarum scientiarum: ex. gr. hoc principium, *si ab æqualibus æqualia demas &c.* est commune, licet geometra restringat illud ad magnitudines dicendo, *si ab æqualibus magnitudinibus æquales demas magnitudines, quæ remanent sunt æqualia*; arithmeticus restringat ad numeros dicendo; *si ab æqualibus numeris &c.* Hinc patet Aristotelem non contradicere sibi, dum suprà dixit demonstrationem non posse procedere ex communibus, hic dicit scientias vti principijs communibus. Ibi enim docet ex principijs communibus non restrictis ad genus subiectum scientiæ non posse conclusionem sciri; hic docet posse conclusionem sciri ex principijs communibus restrictis ad proprium subiectum, ac determinatis per principia propria. Sicut enim causæ vniuersales prout determinatæ per causas speciales, concurrunt ad effectus speciales, sic principia communia prout determinata per principia propria, causant conclusiones proprias scientiarum.

3 Principia propria scientiarum sunt, per quæ supponitur, & explicatur *quid sint* subiecta, de quibus agunt scientiæ, & passiones, quæ demonstrari debent de subiectis. Ex. gr. principia propria geometriæ, sunt suppositiones, quibus explicatur, quid sit linea recta, vel circularis, quæ sunt partialia subiecta geometriæ; quid sit angulus rectus, acutus, aut obtusus, quæ sunt passiones de lineis demonstrandæ. Subiecta etiam, de quibus scientiæ demonstrant passiones, & de quibus non solum supponunt quid sint, sed etiam *quod sint* habent rationem principiorum incomplexorum. Ex. gr. lineæ, de quibus geometria non solum supponit *quid sint*, sed etiam *quod sint*, sunt subiecta partialia geometriæ.

Text. 25.

4 *Omnis enim demonstratiua scientia circa tria est, & quæcunque esse ponuntur. Hæc autem sunt, genus, cuius per se passionum est speculatiua: & communia, quæ dicimus dignitates, ex quibus primo demonstrant: & tertium, passiones, quarum quid significat vnaquæque accipit.*

5 *Nonnullas tamen scientias nihil prohibet quædam horum despicere, vt genus non supponere esse, si sit manifestum, quòd est: non enim similiter planum, quòd numerus est, & quòd frigidum, & calidum. Et passiones non accipere, quid significant, si sint planæ: quemadmodum neque communia non accipit, quid significant: hoc quod est, æqualia ab æqualibus demere, quoniam notum: sed nihil minus natura tria hæc sunt, circa quod monstrat, & quæ monstrat, & ex quibus.*

4 Quoad tertium: tria sunt in scientia: subiectum, de quo demonstrantur passiones; passiones, quæ de subiectis demonstrantur; & dignitates communes, ex quibus passiones demonstrantur de subiectis. Dignitates communes sunt principia communia: suppositiones, quibus supponitur de subiecto, *quod sit*, & *quid sit*, & ex quibus de passionibus supponitur, *quid sint*, sunt principia propria. Ex. gr. Principia

pro-

propria arithmeticæ sunt, quibus in arithmetica supponitur, quid sit par, quid impar, quid quadratum, quid cubus: principia propria geometriæ sunt, quibus supponitur, quid sit proportio irrationalis, quid sit fractio linearum, quid linearum concursus. Idem dic de Astrologia, & cæteris scientijs.

5 Addit Aristoteles posse aliquas ex dictis suppositionibus omitti in scientijs, cum sunt per se manifestæ: ex. gr. in physica non solet poni expressa suppositio, quod dentur calida, & frigida, sicut in arithmetica ponitur expressa suppositio, quod dentur numeri. Ratio est, quia per sensum est manifestum dari calida, & frigida; at non ita est statim manifestum dari numeros. Ex eadem ratione possunt omitti descriptiones, quibus explicatur, quid sint passiones de subiecto demonstrandæ, cum id est omnibus manifestum, sicut omittitur explicatio principiorum manifestorum, quale est illud, *si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia*, licet explicatio principiorum non ita manifestorum non omittatur. Licet igitur tales suppositiones omittantur, tum subintelliguntur. Ex natura igitur rei in scientia dantur tria hæc; subiectum, de quo supponitur *esse*, & *quid sit*; passio, de qua supponitur, *quid sit*; & communes dignitates, de quibus supponitur, *quod sint veræ*, & ex quibus, addendo alias suppositiones, demonstrantur passiones de subiectis.

Quid sint dignitates, suppositiones, petitiones, ac definitiones; & quomodo inuicem differant. Cap. XI. Art. I.

1 *Non est autem suppositio, neque petitio, quod necesse est esse propter ipsum, & videri necesse. Non enim ad extrinsecam rationem demonstratio, sed ad eam, quæ in anima: quoniam neque syllogismus. Semper enim est instare ad extrinsecam rationem, sed ad intrinsecam rationem non semper.*

2 *Quæcunque igitur monstrabilia existentia accipit ipse non monstrans, hæc quidem, si apparentia discenti accipiat, supponit, & sunt non simpliciter suppositio, sed ad illum solum. Si vero, aut nulla inexistente opinione, aut & contraria inexistente accipiat idem, petit. Et hoc differunt suppositio, & petitio. Est enim petitio quod subcontrarium est addiscentis opinioni: aut quod aliquis demonstrabile existens accipiat, & vtatur non monstrans.*

3 *Termini quidem igitur non sunt suppositiones: neque enim esse, aut non esse dicunt: sed in propositionibus suppositiones. Terminos autem solum intelligere oportet. Hoc autem non est suppositio: nisi & ipsum audire suppositionem aliquis esse dicat. Sed quibuscunque existentibus, eo quòd illa sunt, fit conclusio.*

1 Postquam Aristoteles distinxit principia propria à communibus, distinguit inter se dignitates, seu communes conceptiones à suppositionibus, easque definit. Dignitates differunt a suppositionibus per hoc, quod dignitas est principium, quod non solum per se ipsum necesse est esse, sed etiam videri: ex. gr. *non potest idem esse, & non esse; omne totum est maius sua parte*. At suppositio est, quam necesse est quidem esse, sed non necesse est videri: potest enim contingere, vt ei alicui non satis penetranti terminos, non appareat vera. Hinc patet dignitatem, & suppositionem conuenire in hoc, quod propter se necesse est eas esse; differre verò in hoc, quod dignitates necesse est etiam videri, secus suppositiones. Et quia contrà definitionem dignitatis posset opponi, quod potest aliquis negare dignitates; ergo non necesse est dignitates videri veras: respondet Aristoteles, quod potest quis dignitates negare ore, non autem mente; at dignitates dicuntur ex eo, quod non possint negari mente, sicut demonstratio est, quæ ita conuincit, vt non possit negari mente; & syllogismus est, cuius conclusio negari mente non potest, concessis præmissis, licet ore possit quis negare demonstrationem, & conclusionem syllogismi præmissis concessis.

2 Præter suppositiones latè sumptas, quas iam definiuimus, dantur etiam suppositiones strictè sumptæ, & petitiones. Suppositio strictè sumpta, ac petitio conueniunt in hoc, quod sunt demonstrabiles, saltem in scientia superiore, & tamen sumuntur sine demonstratione: ex. gr. principia

cipia perspectiuæ, licet sint demonstrabilia in geometria, sumuntur in perspectiua sine demonstratione. Differunt in hoc, quod principia demonstrabilia, ac sumpta sine demonstratione, quando videntur vera discenti, cum quo agitur, tum merè supponuntur, etiam ex opinione discentis; quando verò discenti neque videntur falsa, neque vera, tunc sunt petitiones, quia petitur à discente, vt illa admittat; quando autem videntur falsa discenti, tunc neque sunt suppositio, neque petitio, sed sunt quæstio, quia de illis oritur disputatio, vtrum sint vera, vel falsa.

3 Explicato discrimine inter suppositionem, & petitionem, explicat Aristoteles differentiam horum à definitionibus. Prima differentia est: omnis suppositio est propositio, atque adeo est oratio affirmatiua, vel negatiua; at definitio non est propositio, cum neque sit oratio affirmatiua, neque negatiua, sed solum sit oratio explicans rem. Secunda differentia est: suppositio non consistit solum in hoc, quod suppositum intelligatur, sed in hoc, quod iudicetur esse verum; alioquin si intelligere quod dicitur esset supponere, etiam audire quod dicitur esset supponere, quod est absurdum. Suppositiones igitur sunt, quibus admissis necessario sequitur conclusio, eo quod illa sint admissa; sed ad definitionem sufficit, vt per ipsam res intelligatur. Tertia differentia, quam Aristoteles affert, soluta quadam dubitatione, cuius solutionem nos commodius paulo post afferemus, est: omnis suppositio est propositio vel vniuersalis, vel particularis; sed definitio neque est vniuersalis, neque particularis: ex. gr. definitio hominis est *animal rationale*; absurdè verò diceretur, quod definitio hominis est *omne, vel aliquod animal rationale*.

4 *Neque Geometra falsa supponit, quemadmodum quidam asseruere dicentes, quòd non oportet falso uti: Geometram vero mentiri, dicentem pedalem non pedalem, aut rectam descriptam non rectam existentem. Geometra vero nihil concludit, eo quod hæc est linea, quam ipse locutus est, sed quæ per hæc ostenduntur. Præterea petitio, & suppositio omnis, aut vt totum, aut vt in parte: definitiones vero neutrum horum.*

5 *Formas quidem igitur esse, aut vnum aliquid præter multa, non necesse, si demonstratio erit. Esse quidem igitur vnum de multis verum dicere necesse est. Non enim erit vniuersale, nisi hoc sit. Si autem vniuersale non sit medium non erit: quare neque demonstratio. Oportet igitur aliquid vnum, & idem in pluribus esse, non æquiuoce.*

4 His explicatis, proponit Aristoteles, ac soluit duas dubitationes. Prima est: demonstrans non debet vti falsis suppositionibus; sed Mathematici vtuntur falsis suppositionibus; descripta enim aliqua linea, supponunt illam esse pedalem, vel rectam, licet illa linea neque sit pedalis, & fortasse neque sit recta; ergo &c. Respondet Aristoteles, quod Mathematici non demonstrant conclusiones de lineis descriptis, sed de alijs lineis, quæ per descriptas significantur, & intelliguntur, & quæ verè sunt pedales, & rectæ; ergo nihil falsum supponunt.

5 Secunda dubitatio, quia ex eo, quod vt dictum est cap. 8. num. 1. demonstratio debeat esse de vniuersalibus, & sempiternis, videtur, quod debeant dari vniuersalia sempiterna, adeoque formæ, & ideæ quas Plato admittebat. Respondet Aristoteles, quod vniuersale, de quo agit scientia, est vnum de multis non solum communi nomine prædicandum; sed ad hoc, vt sit vnum de multis prædicandum, debet esse in multis, hoc est in singularibus, non autem præter multa, hoc est præter singularia, vt ponebat Plato; si enim esset extra singularia, non posset de singularibus prædicari; ergo ad scientias non requiritur vniuersale Platonicum, sed requiritur aliud vniuersale existens in singularibus fundamentaliter, & formaliter constitutum vniuersale per operationem mentis. Quod autem hoc vniuersale requiratur ad demonstrationem, patet, quia medium debet esse vnum, quod de pluribus prædicetur non æquiuocè, sed secundum rationem, ac definitionem eamdem.



Quo

Quo pacto scientiæ vtantur principijs de contradictorijs. Cap. XI. Art. II.

Text. 26.

1 *Non contingere autem simul asserere, & negare, nulla accipit demonstratio, nisi oporteat monstrare & conclusionem sic. Monstratur autem accipientibus primum de medio, quòd verum, negare autem non verum. Medium autem nihil differt esse, & non esse accipere: consimiliter autem, & tertium. Si enim datum est, de quo hominem verum dicere, si & non hominem verum, sed si solum hominem animal esse, totum, non animal autem non. Erit enim verum dicere Calliam, si & non Calliam, tamen animal, non animal autem non. Causa autem, quoniam primum non solum de medio dicitur, sed & de alio, eo quòd est in pluribus. Quare neque si medium, & idem est, & non idem, ad conclusionem nihil differt.*

2 *Omne autem asserere, aut negare demonstratio ad impossibile accipit: & hæc neque semper vniuersaliter, sed quantum sufficiens est. Sufficiens autem est in genere. Dico autem in genere, vt circa quod genus demonstrationes fert, quemadmodum dictum est, & prius.*

POstquam Aristoteles distinxit varia genera principiorum, & explicauit, quo pacto scientiæ vtantur principijs tum proprijs, tum communibus, explicat, quo pacto scientiæ vtantur duobus communissimis principijs, quæ sunt: *non potest idem esse, & non esse; quodlibet vel est, vel non est.*

1 Docet igitur primo Aristoteles, quod nulla scientia vtitur vt præmissa demonstrationis illo principio, *non potest idem simul esse, & non esse, affirmari, ac negari.* Probatur: si enim vteretur, vel poneret illud ex parte primi, hoc est maioris extremi, vel ex parte medij, vel ex parte vltimi, seu minoris extremi; nullum ex his dici potest; ergo &c. Probatur minor, quia ex parte maioris extremi non debet poni, nisi forte contrà proteruum: ex. gr. ad demonstrandum, quod *Callias est animal,* sufficit dicere; *omnis homo est animal; Callias est homo; ergo Callias est animal:* si verò proteruus diceret *Calliam esse animal, & non animal,* tum deberemus illo principio vti ex parte maioris extremi, dicendo; *omnis homo est animal, & non est non animal; Callias est homo; ergo Callias est animal, & non est non animal.* Ex parte medij poni non debet: ex. gr. dum dicitur: *omnis homo est animal; Callias est homo;* non debet addi; *omnis homo est animal, & non homo non est animal.* Ratio est, quia cum maius extremum possit esse superius, & communius medio, sicut in exemplo posito *animal* est superius *homine*, potest contingere, vt maius extremum prædicetur de medio, & de eius contradictorio, sicut *animal* non solum prædicatur de *homine*, sed etiam de *non homine*, ex. gr. de *equo*; ergo non debet poni ex parte medij; argumentũ enim eodem pacto procedit, etiamsi maius extremum prædicetur de medio, & de eius contradictorio. Ex eadem ratione neque debet poni ex parte minoris extremi: ex. gr. in argumento posito; *omnis homo est animal; Callias est homo;* non debet addi, *Callias est homo, & non Callias non est homo*, quia cum medium possit esse superius, & communius minori extremo, sicut in exemplo posito *homo* est superior *Callia*, nihil refert ad conclusionem, quod Callias,& etiã non Callias sit homo. Quod si contra proteruum deberet inferri; *Callias est animal, & non est non animal*, adhuc nihil referret, quod poneretur ex parte medij, vel minoris extremi, dummodo poneretur ex parte maioris extremi. Ex. gr. ad inferendum: *Callias est animal, & non est non animal*, sufficit dicere, *omnis homo est animal, & non est non animal; Callias est homo; ergo Callias est animal, & non est non animal*; nec debet addi; *omnis homo est animal, & non est non animal, & non homo non est animal*; ergo per se illud principium, *non potest idem &c.* non debet poni formaliter in demonstratione, nisi forte contra proteruum, vt explicatum est. Hic est sensus Aristotelis obscurissimè expressus in textu, præsertim propter imperfectionem versionum latinarum.

2 Docet secundo, quod scientiæ in demonstratione ad impossibile vtuntur illo alio principio; *quodlibet vel est, vel non est.* Per demonstrationem enim ad impossibile, sic argumentamur; *si hoc non esset verum, contra-*

contradictorium esset verum; necesse est enim, vt vera sit affirmatio, vel negatio; *contradictorium non est verum, sed falsum; ergo &c.* Non est tamen necesse, vt scientiæ sumant illud principium vniuersaliter, sed sufficit, vt sumant illud prout restrictum ad genus, vel subiectum ipsarum: ex. gr. sufficit, vt Geometria sumat, quod *linea vel est recta, vel non est recta; falsum est, quod non sit recta; ergo est recta.*

Quo pacto scientiæ, ac præsertim Dialectica, & Metaphysica vtantur alijs principijs communibus. Caput XII. Articulus Primus.

Text. 27.

1 *COmmunicant autem omnès scientiæ sibi inuicem secundum communia. Communia autem dico, quibus vtuntur tanquam ex his demonstrantes, sed non de quibus monstrant, neque quod monstrant.*

2 *Et Dialectica omnibus, & si aliqua vniuersaliter tentet monstrare communia: vt quòd omne asserere, aut negare: aut quòd æqualia ab æqualibus: aut talium nonnulla. Dialectica vero non est ita determinatorum quorundam, neque generis alicuius vnius. Non enim interrogaret. Demonstrantem enim non est interrogare, eo quod oppositis existentibus non monstrauit idem. Monstratum est autem hoc in ijs, quæ de syllogismo.*

POstquam Aristoteles explicauit, quo pacto scientiæ vtantur duobus principijs communissimis de contradictorijs, explicat quo pacto vtantur alijs principijs communibus, ex. gr. illo: omne totum est maius sua parte.

1 Docet igitur primo, quod scientiæ non communes vtuntur principijs communibus, sicut principijs, ex quibus demonstrant, non autem sicut subiecto, de quo aliquid demonstrant, vel sicut passionibus, quas de subiecto demonstrant: ex. gr. geometria nihil demonstrat de hoc principio, *quodlibet vel est, vel non est*, neque illud demonstrat vt passionem de vllo subiecto.

2 Docet secundò, quod duæ scientiæ cõmunes, hoc est Metaphysica, & Dialectica non solũ vtuntur principijs vt principijs ad demonstrandum, sed etiam considerant illa, vt subiecta, de quibus aliquid demonstrent, & vt passiones, quas demonstrant de aliquo subiecto: ex. gr. Metaphysica demonstrat de his principijs, *non potest idem esse, et non esse &c.* quod nullus potest illa negare mente, sed solum ore. Præterea metaphysica demonstrat principia communia, cuiusmodi sunt, *non potest idem esse, et non esse; si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia*, contra proteruos demonstratione non ostensiua, sed redargutiua, vt explicatur 4. metaph. t. 7. & sequentibus. De ijsdem etiam principijs agit dialectica, sed aliter, ac metaphysica. Neque enim dialectica procedit ex principijs certis, sed ex probabilibus in vtramque partem; ideoque Dialecticus interrogat paratus probare vtramlibet partem contradictionis, cum vtraque possit esse probabilis. Demonstrator è conuerso non interrogat paratus demonstrare vtramlibet partem contradictionis: (cum enim non possit vtraque pars contradictionis esse vera, non potest vtraque demonstrari), sed demonstrat illam partem contradictionis, quæ est vera. Similiter demonstrator non sumit principia, interrogando, paratus probare conclusionem ex eo, quod admittitur, sed sumit illam partem contradictionis, quæ est vera, & ex ea demonstrat conclusionem. Cuius ratio est, quia non potest demonstrari, nisi verum, & ex veris, vt dictum est cap. 6. num. 5. Differentia verò demonstratoris à dialectico explicata est lib. 1. Prior. cap. 1.

Ostenditur in scientijs dari proprias interrogationes, responsiones, disputationes, deceptiones, & ignorantias, siue errores. Cap. XII. Art. II.

3 *SI vero idem est interrogatio syllogistica, & propositio contradictionis: propositiones autem secundum vnamquanque scientiam, ex quibus syllogismus secundum vnamquanque scientiam: erit vtique aliqua interrogatio scientialis, ex quibus, qui secundum vnamquanque, proprius fit syllogismus. Planum igitur, quod non omnis*

inter-

interrogatio geometrica fuerit, neque medicinalis: similiter autem, & in alijs.

4 *Sed ex quibus, aut monstratur aliquid, de quibus Geometria est: aut ex eisdem monstratur Geometriæ, quemadmodum Perspectiua. Consimilitèr autem, & in alijs. Et de his quidem & rationem subijciendum ex geometricis principijs, & conclusionibus. De principijs vero rationem non subijciendum Geometræ, inquantum Geometra. Consimiliter autem & in alijs scientijs.*

POstquam Aristoteles ostendit, quod in scientijs præter principia communia, dantur etiam principia propria, proprium subiectum, & propriæ passiones, procedit ad ostendendum, quod dantur etiam propriæ interrogationes, responsiones, disputationes, deceptiones, ignorantiæ, & errores. Primo ergo ostendit, quod in qualibet scientia dantur propriæ interrogationes, & explicat quæ sint: secundo probat dari etiam proprias responsiones, & disputationes: tertio proponit, ac soluit tres quæstiones circa deceptiones, & ignorantias proprias scientiarum, & ostendit, quod in scientijs demonstratiuis, ac præsertim in Mathematicis, aut nunquam, aut rarò fiunt paralogismi, tum ex fallacijs in dictione, tum ex fallacijs extra dictionem.

3 Quoad primum, primo sic probat dari interrogationes proprias scientiarum. Propositio syllogistica, in qua sumitur determinata pars contradictionis, secundum substantiam non differt ab interrogatione syllogistica. Idem enim in quantum ponitur vt præmissa syllogismi, est propositio; in quantum ponitur vt consequentia illata, est conclusio; in quantum interrogatur, & petitur, est interrogatio, seu petitio. Ex. gr. in quantum Mathematicus quærit; *non ne à puncto ad punctum potest duci linea? non ne in spatio dato potest describi circulus? &c.* sunt interrogationes, seu petitiones; in quantum verò in syllogismo assumit; *à puncto ad punctum potest duci linea &c.* sunt propositiones; sed in scientijs dantur propriæ conclusiones demonstrandæ, & propriæ propositiones assumendæ tanquam præmissæ demonstrationum, vt probatum est; ergo dantur etiam propriæ interrogationes; ergo non omnes interrogationes sunt geometricæ, nec omnes medicæ, sed multæ interrogationes sunt alienæ à geometria, & à medicina: ex. gr. hæc interrogatio; *non ne linea circularis est pulcherrima inter lineas?* est aliena à geometria.

4 Secundo explicat, quæ sint interrogationes propriæ scientiarum, ac docet interrogationes proprias scientiarum esse de principijs proprijs, ex quibus demonstrantur conclusiones propriæ talium scientiarum, vel scientiarum subalternatarum, & de conclusionibus proprijs demonstrandis à scientia: ex. gr. interrogationes propriæ geometriæ sunt vel de principijs proprijs, ex quibus demonstrantur conclusiones geometriæ, & scientiarum subalternatarum, quarum proinde conclusiones demonstrantur ex principijs geometricis, cuiusmodi est perspectiua; & de conclusionibus demonstrandis in geometria. Addit, quod si interrogatio est de conclusionibus, reddenda est ratio illarum in scientia; at si interrogatio est de principijs, non est de ijs reddenda ratio in scientia, quia scientiæ non reddunt rationem de proprijs principijs, nisi forte per accidens: ex. gr. geometra, vt geometra non probat à puncto ad punctum posse duci lineam, nisi forte per accidens, in quantum idem est geometra simul, & metaphysicus.

5 *Neque igitur omnem interrogationem vnusquisque scientificus interrogare debet: neque omne interrogatum respondere de vnoquoque: sed quæ secundum scientiam determinata sunt. Si autem disputabit cum Geometra, inquantum Geometra sic, manifestum quòd bene, & si ex his aliquid monstret: si autem non, non bene. Planum autem, quòd neque redarguit Geometram, nisi secundum accidens. Quare non erit in non geometricis de Geometria disputandum: latebit enim praue disputans. Consimiliter autem & in alijs scientijs se habet.*

5 Quoad secundum, sic probat Aristoteles, quod sicut in scientijs dantur propriæ interrogationes, sic dantur propriæ responsiones: ad eamdem scientiam spectat interrogare, & respondere; sed non ad omnem scientiam spectat quælibet interrogare; ergo non ad omnem scientiam spectat ad quamlibet interrogationem respondere. Et quia ex interrogationibus, & responsionibus oritur disputatio, ideo non ad omnem scientiam spectat de quibus-

libet

libet disputare. Ex. gr. non spectat ad geometram respondere ad interrogationem, *vtrum linea circularis sit pulcherrima linearum?* neque de hoc disputare. Ille ergo bene disputat in geometria, qui & interrogat interrogationes geometricas, & respondet geometricas responsiones, & argumentatur ex principijs geometricis. Qui verò non hoc disputat modo, malè disputat; & qui redarguit eum, cum quo disputat ex principijs non geometricis, non redarguit geometram per se, & vt geometra est, sed solum per accidens, in quantum accidit, vt is, qui redarguit non geometricè, sit geometra. Hinc Aristoteles infert, quod de rebus geometricis non est disputandum inter ignaros geometriæ, quia non possunt dijudicare vtrum bene, vel male disputetur; & ex eadem ratione de proprijs scientiarum, & artium, non est disputandum coram ignaris talium scientiarum, atque artium.

Text. 28.

6 *Quoniam autem sunt geometricæ interrogationes, sunt ne igitur, & non geometricæ? & iuxta vnamquanque scientiam, quæ secundum ignorantiam qualemnam geometricæ sunt? Et vtrum secundum ignorantiam syllogismus, qui ex oppositis syllogismus, aut paralogismus?*

7 *Secundum Geometriam vero, aut ex alia arte: vt musica est interrogatio non geometrica de Geometria; coalternas vero coincidere existimare, geometrica quodammodo, et non geometrica alio modo. Duplex enim hoc, quemadmodum irrhythmicum: et alterum quidem non geometricum, eo quòd non habet, quemadmodum irrhythmicum:*

8 *alterum vero, eo quòd male habet.* * *Et ignorantia hæc, et quæ ex talibus principijs contraria.*

9 Tex. 29. *In Mathematicis vero non est similiter paralogismus, quoniam medium est semper, quod duplex. De hoc enim omni, et hoc rursus de alio dicitur omni: quod autem prædicatur non dicitur omne. Hæc autem sunt, ac si intellectione viderentur. In rationibus vero latet. Nunquid omnis circulus figura? si vero descripserit, planum. Quid autem? carmina circulus? manifestum, quod non sunt.*

6 Quoad tertium: proponit Aristoteles tres quæstiones. Prima est, an sicut dantur interrogationes geometricæ, hoc est propriæ geometriæ, sic dentur interrogationes ageometricæ, hoc est contrariæ geometriæ; & vtrum vniuersim sicut dantur interrogationes propriæ cuiuscunque facultatis, sic dentur interrogationes contrariæ? Secunda est, vtrum interrogationes procedentes ex ignorantia prauæ dispositiones circa geometriam, sint geometricæ; & vniuersaliter, vtrum interrogationes procedentes ex ignorantia prauæ dispositionis in qualibet scientia, sint propriæ illius scientiæ? Tertia est, vtrum syllogismus ignorantiæ in scientijs sit syllogismus procedens ex falsis, & erroneis contrà talem scientiam, adeoque peccans in materia, non autem in forma syllogistica; an potius sit paralogismus, hoc est syllogismus peccans in forma syllogistica?

7 Ad primam quæstionem respondet, quod sicut dantur interrogationes geometricæ, sic dantur interrogationes ageometricæ. Possunt autem interrogationes dici ageometricæ dupliciter: primo, quia interrogant de aliquo non spectante ad geometriam, sed ad aliam facultatem, ex. gr. ad musicam, cuiusmodi esset interrogatio, qua aliquis in geometria quæreret, vtrum tonus possit diuidi in duos semitonos? Secundo interrogationes possunt dici ageometricæ, quia interrogant quidem de re geometrica, sed supponendo principia contraria geometriæ: ex. gr. si quis quæreret, in quo puncto concurrant lineæ parallelæ? quæreret de aliquo geometrico, sed supponens principium contrarium geometriæ, quod nimirum parallelæ concurrant. Explicatur exemplo. Potest aliquid dici innumerosum dupliciter; primo, quia omnino caret numero; secundo, quia habet quidem numerum, sed malum; ergo proportionaliter interrogatio potest dici ageometrica, vel quia interrogat de re non geometrica, vel quia supponit principia contraria geometriæ. Idem dic de cæteris scientijs.

8 Hinc patet solutio ad secundam quæstionem, vtrum nimirum interrogationes contrariæ principijs geometriæ sint geometricæ? Dicendum, quod in aliquo sensu sunt geometricæ, in alio ageometricæ. Sunt geometricæ, in quantum versantur circa materiam geometricam: at sunt ageometricæ, in quantum supponunt principia contraria geometriæ.

9 Ad tertiam quæstionem respondet Aristo-

Aristoteles syllogismos ignorantiæ in scientijs demonstratiuis, ac præsertim in mathematicis solere peccare in materia, eo quod assumant aliquid falsum, quod videtur verum, non verò in forma. Quod autem in mathematicis difficile peccetur in forma, probatur, quia cum syllogismus peccat in forma, vel fallacia est in dictione, eo quod medius terminus ex. gr. sumitur æquiuocè &c., vel est extra dictionem, eo quod medius terminus non distribuatur &c; sed in demonstratiuis, ac præsertim in mathematicis, neque facile incurritur in fallaciam dictionis, neque in fallaciam extra dictionem; ergo &c. Probatur minor, & primo quoad primam partem, quod non incurratur in fallaciam dictionis: præcipua enim fallacia dictionis, ad quam aliæ reducuntur, est fallacia æquiuocationis; in hanc non incurritur; ergo &c. Probatur minor, quia tum incurritur in fallaciam æquiuocationis, cum ponuntur termini, non ponendo eorum definitionem: definitio enim tollit æquiuocationem terminorum; sed in mathematicis non ponuntur termini, nisi per definitionem illos ponendo ob oculos mentis, & per descriptionem figurarum ponendo etiam ob oculos corporis; ergo &c. Explicatur exemplo: in dialecticis enim facile committitur hæc æquiuocatio; *omnis circulus est figura; aliquod genus carminis apud Homerum est circulus; ergo aliquod genus carminis, in quo idem est principium, & finis est figura*: dialecticus enim dum loquitur de circulo, neq; per definitionem ponit illum ob oculos mentis, neque per descriptionem ante oculos corporis: at hæc æquiuocatio in geometria euanescit, quia geometra agens de circulo, prius per definitionem ponit illum ante oculos mentis, deinde per descriptionem ante oculos corporis. Si ergo posita maiori; *omnis circulus est figura*; subsumatur minor; *tale genus carminis est circulus*; statim potest minor instari ostendendo, quod tale genus carminis non est circulus secundum allatam definitionem circuli.

10 *Non oportet autem instantiam in ipsum ferre, si sit propositio inductiua, quemadmodum neque propositio est, quæ non est in pluribus: non enim erit in omnibus: ex vniuersalibus autem syllogismus: planum quod neque instantia. Eædem enim propositiones, et instantiæ. Quam enim fert instantiam, hæc fieri potest propositio, aut demonstratiua, aut dialectica.*

11 *Contingit autem quosdam non syllogistice dicere, eo quòd ex vtrisque consequentia accipiunt: quemadmodum et Cæneus facit, quòd ignis in multiplicata proportione. Etenim ignis celeriter gignitur, vt ait: et hæc est proportio. Sic autem non est syllogismus, nisi celerrimam, proportio sequatur multiplex: et ignem celerrima in motu proportio. Aliquando quidem igitur non contingit syllogizare ex acceptis: nonnunquam vero contingit, sed non videtur.*

10 Quia verò Aristoteles fecit mentionem de instantia, explicat differentiam instantiæ demonstratiuæ à dialectica. Instantia est *propositio propositioni contraria*: ex. gr. si aliquis assumat, *omne animal respirat*, instantia est, si quis assumat oppositum, quod *non omne animal respirat*, & probet, quia animalia carentia pulmonibus non respirant. Instantia demonstratiua est propositio propositioni contraria, quæ ponitur vt demonstranda. Instantia dialectica est propositio propositioni contraria, quæ ponitur vt probabiliter probanda. Hoc posito, quia dialectica non solum probat propositiones vniuersales, & *de omni*, sed etiam particulares, instantia dialectica potest esse particularis; at quia propositiones demonstrandæ debent esse vniuersales, & *de omni*, vt dictum est supra cap. 4. num. 1. instantia demonstratiua debet esse propositio vniuersalis.

11 Probatur iam minor quoad secundam partem, quod nimirum in mathematicis difficile incurritur in fallaciam extrà dictionem: si enim in aliquam fallaciam incurreretur, maximè in fallaciam consequentis; sed in hanc non facile incurritur; ergo &c. Probatur maior, quia fallacia extra dictionem vel est fallacia accidentis, vel fallacia secundum quid, & simpliciter, vel fallacia consequentis; in fallaciam accidentis non incurritur, quia sumuntur propositiones per se, & non per accidens: in fallaciam *secundum quid, & simpliciter* non incurritur, quia sumuntur propositiones *de omni, & semper*; ergo deberet incurri in fallaciam consequentis. Probatur ergo minor, quod neque incurratur in fallaciam consequentis. In fallaciam enim consequentis præcipuè incurritur, quando sumitur

mitur medium communius, & superius vtroque extremo, & sic fit argumentum in secunda figura ex puris affirmatiuis, quale fecit Cæneus, sic probans, quod ignis generatur in multiplicata proportione, hoc est ita, vt quando aliquid mutatur in ignē, rarefiat, ac crescat materia, sicut accidit in puluere tormentario, dum ignescit: *quod generatur in multiplicata proportione celerrime gignitur; sed ignis celerrime gignitur; ergo ignis generatur in multiplicata proportione*. Hoc argumentum Cænei non concludit; vt autem concluderet deberet verificari conuersa maioris, nimirum, quod *omne, quod celerrime gegnitur, generatur in multiplicata proportione*, quod tamen est falsum: aliquando enim celerrimè ex vapore fit aqua, & tamen tum materia condensatur, adeoque non fit generatio in multiplicata, sed in diminuta proportione. Iam argumentum in secunda figura ex puris affirmatiuis, aliquando concludit, aliquando non concludit. Concludit ratione materiæ, cum medius terminus est conuertibilis; cum medius terminus est communior maiori extremo, non concludit. Ex. gr. hoc argumentum: *omne rationale est risibile; omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est rationalis*, concludit ratione materiæ, quia cum risibile conuertatur cum rationali, valet: *omne risibile est rationale; omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est rationalis*. E conuerso hoc argumentum: *omnis homo est animal; omnis equus est animal; ergo omnis equus est homo*, non concludit, quia animal, quod est medius terminus est superius homine, qui est maius extremum. Subiungit Aristoteles rationem, cur difficile discernatur, an valeat conuersio, quam rationem nos commodius explicabimus paulo post num. 12. Iam in mathematicis medius terminus solet esse definitio subiecti, vel saltem non accidens, sed passio subiecti; sed definitio, & etiam passio est conuertibilis cum subiecto; ergo in mathematicis etiam argumentum ex puris affirmatiuis plerumque concludit, adeoque difficile, & raro incurritur in fallaciam consequentis; cum ex opposita ratione facile, & sæpe in eam fallaciam incurratur in dialectica.

12 *Si autem impossibile esset ex falso verum monstrare, facile vtique esset resoluere: conuerteretur enim ex necessitate. Sit enim A ens: hoc autem existente, hæc sunt, quæ noui, quòd sunt, vt B: ex his itaque monstrabo quòd illud est. Conuertuntur autem magis, quæ sunt in Mathematicis: quoniam nullum accidens accipiunt, (sed & hoc differunt ab ijs, quæ sunt in disputationibus) sed definitiones.*

13 *Augentur autem non per media, sed eo, quòd assumunt: vt A de B: hoc autem de C: rursus hoc de D: & hoc in infinitum. Et in latus: vt A, & de C, & de E. Vt est numerus quantus, vel & infinitus, hoc, in quo A: impar numerus quantus, in quo B: numerus impar, in quo C: est igitur A de C. Et est par quantus numerus, in quo D: par vero numerus, in quo E: est igitur A, de E.*

12 Quia verò Aristoteles dixit aliquos terminos esse conuertibiles, aliquos non, explicat, cur difficile aduertatur, an valeat conuersio, vel non. Dicit rationem esse, quia verum potest etiam sequi ex falso. Si verum non posset sequi ex falso, eo ipso, quod videremus, quod aliquod consequens sequitur ex aliquo antecedenti, & quod cōsequens est verum, possemus inferre etiam antecedens esse verum: ex. gr. valeret, *si asinus est homo, est animal; sed est verum, quod asinus est animal, & verum non potest sequi ex falso; ergo verum est etiam, quod asinus est homo*. Sed quia verum potest sequi ex falso, ideo difficile est resoluere, & videre, vtrum antecedens, ex quo sequitur consequens verum, sit verum, an falsum.

13 Ex eo, quod scientiæ mathematicæ assumant vt medium definitionem subiecti, vel passionem conuertibilem cum subiecto, dialectica verò assumat accidentia subiecti, sequitur, vt diuerso modo crescant, & augeantur scientiæ mathematicæ, multiplicando demonstrationes, ac crescat dialectica, multiplicādo syllogismos dialecticos. Quia enim dialectica probat conclusionem per medium accidentale, & non per propriam causam, sequitur, quod possit eamdem conclusionem probare per plura media, cum accidentia possint multiplicari in infinitum, & sic, quod dialectica possit augeri multiplicando plura media ad probandas easdem conclusiones. At verò scientia perfecta, cum demonstret per propriam causam, propria verò causa sit vnica, demonstrat per vnicum medium, adeoque non augetur multiplicando media ad probandam eamdem con-

conclusionem. Augentur igitur scientiæ mathematicæ, aliæque demonstratiuæ alio duplici modo excellentiore. Primo augentur secundum quandam longitudinem, probando primam passionem subiecti ex definitione, & deinde secundam passionem ex prima, tertiam ex secunda, & sic in infinitum, vt patet in demonstrationibus Euclidis. Secundo augentur secundum quandam latitudinem, probando per idem medium passionem de pluribus subiectis. Ex.gr. posita sit hæc demonstratio: *omnis numerus quantus est finitus, vel infinitus; omnis numerus impar est quantus; ergo omnis numerus impar est finitus, vel infinitus*: medius terminus est *numerus quantus*: potest igitur augeri scientia demonstrando eamdem passionem de alio subiecto, hoc est de numero pari, ac dicendo; *omnis numerus quantus, vel est finitus, vel infinitus; omnis numerus par est quantus; ergo &c.* Patet igitur, quod diuerso modo augentur scientiæ demonstratiuæ, ac augeantur dialectica.

De Demonstratione *quia*, eiusque speciebus, ac de differentia demonstrationis *quia*, & *propter quid*, tum in eadem, tum in diuersa scientia. Caput XIII.

Text. 30.

1 *QVod vero differt, & propter quid scire, primum quidem in eadem scientia, & in hac dupliciter. Vno quidem modo, si non per immediata efficiatur syllogismus: non enim accipitur prima causa: scientia vero ipsius propter quid secundum primam causam. Alio autem, si per immediata quidem, sed non per causam, sed per notius eorum, quæ conuertuntur. Nihil enim prohibet eorum, quæ conuersim prædicantur, notius aliquando esse, quod est non causa. Quare erit per hæc demonstratio.*

2 *Vt quòd planetæ prope, per id, quòd non scintillant. Sit in quo C. Planetæ: in quo B, non scintillare: in quo A, prope esse. Verum itaque B de C dicere: planetæ enim non scintillant. Sed & A de B: quod enim non scintillat prope est. Hoc autem acceptum sit per inductionem, aut per sensum. Necesse igitur A inesse ipsi C. Quare demonstratum fuit quòd planetæ prope sunt. Hic igitur syllogismus non ipsius propter quid, sed ipsius, quod est. Non enim propter non scintillare, prope sunt, sed propterea, quia prope sunt, non scintillant. Euenit autem, & per alterum monstrari alterum: & erit ipsius propter quid demonstratio. Vt sit C, planetæ: in quo B, prope esse: A, non scintillare. Inest itaque, & B ipsi C quare et ipsi C. A: et A ipsi B, non scintillare. Et est syllogismus ipsius propter quid: accepta enim est prima causa.*

3 *Rursus quemadmodum lunam monstrāt, quòd sphærica per augmenta. Si enim quod ita augetur est sphæricum: augetur autem luna: planum, quòd sphærica. Sic igitur ipsius, quòd factus fuit syllogismus. E conuerso autem posito medio ipsius propter quid. Non enim propter augmenta est sphærica: sed quia est sphærica, accipit augmenta talia. Luna, in quo C: sphærica, in quo B: augmentum, in quo A.*

4 *In quibus autem media non conuertuntur, et est notius, quod non est causa, ipsum quidem quòd monstratur, ipsum autem propter quid non.*

SIcut rectum est regula sui, & obliqui, sic perfectum est regula sui, & imperfecti. Aristoteles igitur, postquam egit de perfecta demonstratione, in qua conclusio demonstratur per causam propriam, & immediatam, quæ idcirco vocatur demonstratio *propter quid*, descendit ad agendum de demonstratione imperfecta, quæ dicitur demonstratio *quia est*, eo quod per eam solum ostenditur veritas conclusionis, non explicando causam immediatam, propter quam conclusio est vera. Et quia demonstratio *quia*, & propter *quid* differre possunt ad inuicem tum in eadem, tum in diuersa scientia, explicat differentiam earum tum in eadem, tum in diuersa scientia. Primo ergo proponit duos modos, quibus demonstrationes *quia* differunt à demonstrationibus *propter quid* in eadem scientia: secundo explicat secundum modū per duo exempla, & ex iisdem exemplis ostendit, quo pacto demonstratio *quia* possit conuerti in demonstrationem *propter quid*; & quoniam non semper fieri potest talis conuersio, tradit regulam ad discernendum, vtrum possit fieri, vel non possit: tertio explicat primum modum etiam per exempla.

pla, docetque demonstrationem *quia* negatiuam commodius fieri in secunda figura, quam in prima: quarto demum explicat, quo pacto demonstratio *quia* differat à demonstratione *propter quid* in diuersis scientijs, tum subalternatis, tum non subalternatis.

1 Quoad primum: scientia perfecta, & *propter quid* est, in qua conclusio scitur per causam proximam, & immediatam; ergo scientia imperfecta erit, in qua vel conclusio scitur quidem per causam, sed mediatam, non immediatam; vel etiamsi sciatur per aliquid immediatè connexum cum conclusione, illud tamen non est causa conclusionis, sed potius eius effectus, aut signum cum conclusione connexum, nobis tamen magis notum, quam conclusio.

2 Quoad secundum: plura secundi modi exempla possunt afferri. Primum est, quo demonstratur de planetis, quod propiores nobis sint, quam stellæ fixæ, ex eo, quia planetæ non scintillant formando tale argumentum: *omnes stellæ non scintillantes sunt prope nos; planetæ non scintillant; ergo planetæ sunt prope nos*. In hac demonstratione scitur, quod planetæ sunt prope nos, sed non scitur per causam, sed per effectum, si quidem *non scintillatio* non est causa, sed effectus propinquitatis. Ideo verò stellæ errantes non scintillant, quia propter maiorem propinquitatem mittunt lumen validius, cum è conuerso stellæ fixæ scintillent, quia propter maiorem distantiam mittunt lumen imbecillius. Veritas verò maioris, & minoris innotescit nobis per experientias sensibiles. Nam experimur luminosa distantiora scintillare, propinquiora non scintillare; & rursus experimur planetas non scintillare, ideoque demonstratio procedit ex notioribus nobis. Si verò maius extremum allatæ demonstrationis mutetur in medium terminum, & medius terminus mutetur in maius extremum, tum demonstratio *quia* mutabitur in demonstrationem *propter quid*, qualis est hæc: *omnes stellæ, quæ sunt prope nos, non scintillant; sed planetæ sunt prope nos; ergo planetæ non scintillant.* Demonstratur enim *non scintillatio* per suam causam, hoc est per propinquitatem.

3 Secundum exemplum est, in quo demonstratur Lunam esse rotundam ex eo, quia circulariter illuminatur, ideoque videtur crescere circulariter, dicendo; *omne corpus, quod quando magis, & magis illuminatur, crescit in lumine circulariter, est rotundum; Luna est huiusmodi*; ergo &c. In hac demonstratione probatur rotunditas Lunæ ex modo illuminationis, & incrementi, qui modus non est causa, sed effectus rotunditatis. Neque enim Luna est rotunda, quia sic illuminatur, sed potius ideò sic illuminatur, & crescit, quia est rotunda. Si vero etiam in hac demonstratione maius extremum mutetur in medium, & medium mutetur in minus extremum, demonstratio *quia* mutabitur in sequentem demonstrationem *propter quid*: *omne rotundum illuminatur circulariter; Luna est rotunda; ergo* &c. Hæc est demonstratio *propter quid*, quia in ea modus illuminationis, qui est effectus, probatur per suam causam, hoc est per rotunditatem corporis illuminati.

Quia tamen non semper demonstratio, *quia* potest conuerti in demonstrationem *propter quid*, nec è conuerso semper demonstratio *propter quid* potest conuerti in demonstrationem *quia*, tradit, vel potius insinuat Aristoteles duas regulas ad id dijudicandum, ex quibus etiam potest colligi tertia regula.

Pro intelligentia est aduertendum, quod causa, & effectus possunt tripliciter comparari. Primo causa, & effectus possunt mutuo adæquari, & conuerti, ita vt nunquam sit causa, quin sit effectus, & nunquam sit effectus, quin sit à tali causa: ex gr. interpositio terræ, & eclypsis Lunæ conuertuntur, quia nunquam datur interpositio terræ, quin causet eclypsim Lunæ, & nunquam datur eclypsis Lunæ, quin causetur ab interpositione terræ. Secundo potest causa excedere effectum, ita vt nunquam sit effectus, quin sit à tali causa, sed aliquando sit causa, quin effectus sequatur: ex. gr. animal ita est causa motus progressiui, vt excedat. Licet enim nihil moueatur motu progressiuo, quin sit animal, tamen Zoophyta sunt animalia, & non mouentur motu progressiuo. Tertio potest effectus excedere causam, ita vt nunquam detur causa, quin sequatur effectus, sed aliquando detur effectus, qui non sit à tali causa, sed ab alia: ex. gr. *nutriri* excedit animal, quia licet nunquam detur animal, quin nutriatur, tamen nutritio datur etiam in plantis, quæ non sunt animalia.

3 Ex hac doctrina inferuntur tres regulæ. Prima regula est: cum causa, & effectus sunt mutuo conuertibiles, etiam demonstratio *quia*, *&* *propter quid* sunt mutuo conuertibiles, adeoque potest fieri vtraque demonstratio: ex.gr. & potest fieri demonstratio *propter quid* de eclypsi Lunæ, dicendo; *quotiescunque terra interponitur Luna eclypsatur; certis temporibus terra interponitur; ergo* &c. Potest etiam fieri demonstratio *quia* de interpositione terræ, dicendo: *quotiescunque Luna eclypsatur, terra interponitur; sed tali tempore Luna eclypsatur*; ergo &c. Ratio est, quia cum causa, & effectus mutuam habeant connexionem, potest & ex causa probari effectus, & ex effectu causa.

Secunda regula est: cum causa excedit effectum, si effectus sit notior, solum potest fieri demonstratio *quia* non conuertibilis in demonstrationem *propter quid*: ex. gr. quia animal excedit motum progressiuum, potest quidem fieri demonstratio *quia* dicendo; *omne, quod mouetur progressiuè est animal; sed equus mouetur progressiuè; ergo* &c. At non potest allata demonstratio conuerti in demonstrationem *propter quid*, dicendo, *omne animal mouetur motu progressiuo; equus est animal; ergo* &c. maior enim est falsa.

Tertia regula est: cum effectus excedit causam, potest quidem fieri demonstratio *propter quid*, sed hæc non est conuertibilis in demonstrationem *quia*: ex. gr. quia effectus nutritionis excedit animal, potest quidem ex animali probari nutritio, dicendo; *omne animal nutritur; omnis equus est animal; ergo omnis equus nutritur*; at non potest per nutritionem probari animal, dicendo; *omne, quod nutritur, est animal; omnis equus nutritur; ergo* &c.

5 *Amplius in quibus medium extra ponitur. Etenim in his ipsius quòd, & non ipsius propter quid est demonstratio. Non enim dicitur causa. Vt propter quid non respirat paries: quoniam non animal. Si enim hoc non respirandi causa est, oporteret animal esse causam respirandi. Vt si negatio causa est ipsius non esse, affirmatio causa est ipsius esse. Quemadmodum si hoc, quod est incommensurabilia esse calida, & frigida, eius, quod est non sanum esse, hoc, quod est commensurabilia esse, eius, quod est sanum esse. Consimiliter autem, & si affirmatio ipsius esse, negatio ipsius non esse. In ijs autem, quæ sic assignata sunt, non contingit quod dictum est. Non enim omne respirat animal.*

6 *Syllogismus autem fit talis causæ in media figura. Vt sit A animal: in quo B, respirare: in quo C, paries. A igitur inest omni B, omne enim respirans est animal: ipsi autem C nulli: quare neque B, C nulli, non itaque respirat paries.*

7 *Assimilantur autem tales causæ ijs, quæ secundum excessum dicuntur. hoc autem est plus distans dicere medium. Vt illud Anacharsidis, quòd in Scythis non sunt tibicines: neque enim vites.*

5 Quoad tertium: postquam Aristoteles explicauit secundum modum demonstrationis *quia*, explicat primum, qui contingit, cum effectus demonstratur quidem per causam, non tamen proximam, sed remotam. Docet ergo, quod cum ad probandam conclusionem accipitur pro medio causa remota effectus, quam vocat extra positam, seu distantem ab effectu, tum conclusio demonstratur demonstratione *quia*, non autem *propter quid*: ex. gr. *non esse animal* est quidem causa non respirandi, sed remota, non proxima. Ratio est, quia cum negatio sequitur ex negatione, tanquam ex propria, & necessaria causa, tum ex affirmatione sequitur etiam affirmatio: ex. gr. quia *habere humores non bene attemperatos* est proxima causa, vt animal non sit sanum, *habere humores bene attemperatos* est causa, vt animal sit sanum. E conuerso etiam cum affirmatio est proxima, & necessaria causa affirmationis, negatio est proxima, & necessaria causa negationis: ex. gr. quia interpositio terræ est proxima causa, cur Luna eclypsetur, non interpositio est causa, cur non eclypsetur; sed causa proxima respirandi non est *esse animal*, sed *habere pulmones*, ideoque animalia non habentia pulmones, non respirant; ergo causa proxima non respirandi est *non habere pulmones*; ergo si probetur, quod paries non respirat, quia non est animal, non probatur per causam proximam, sed remotam; ergo non demonstratur demonstratione *propter quid*, sed demonstratione *quia*.

6 Addit Aristoteles, quod demonstratio negatiua per causam remotam, non commodè fit in prima figura, sed in secunda:

da: ex. gr. ad probandum, quod nullus paries respirat, ex eo, quod nullus paries est animal, fieri debet hic syllogismus in Camestres; *omne, quod respirat, est animal; nullus paries est animal; ergo nullus paries respirat*. Et quia causa remota excedit effectum, ideo non potest fieri conuersio ad probandam talem causam remotam per effectum: neque enim valet; *omne animal respirat; nullus paries respirat; ergo nullus paries est animal*; nam maior est falsa, cum animalia carentia pulmonibus non respirent. Posset tamen fieri conuersio, si demonstratio negatiua esset per causam proximam, adeoque conuertibilem cum effectu: ex. gr. valet; *omne, quod respirat, habet pulmones; nullus paries habet pulmones; ergo nullus paries respirat*; quæ est demonstratio *propter quid* à negatione causæ ad negationem effectus: valet è conuerso; *omne habens pulmones respirat; nullus paries respirat; ergo nullus paries habet pulmones*, quæ est demonstratio *quia* à negatione effectus ad negationem causæ.

7 Subiungit Aristoteles, quod cum redditur ratio effectus per causam valde distantem, tum videtur quædam hyperboles fidem superans. Exemplum desumit ex quodam dicto Anacharsidis Scythæ, qui cum Athenis interesset conuiuio, vbi mulieres inter fæcundos calices modulis canentes, saltabant, interrogatus, an apud Scythas essent tales mulieres modulatrices? respondit non esse, & rationem reddidit, quia apud Scythas non sunt vites. Acutè enim insinuauit mulieres græcas excitari ad saltandum calore vini; & quia in Scythia non erant vites, ac proinde nec vinum, nec calor excitans ad saltandum, nec erant tales mulieres saltatrices.

8 *Secundum quidem igitur eandem scientiam, & secundum mediorum positionem istæ differentiæ sunt eius, qui est ipsius quòd, ad eum, qui est ipsius propter quid, syllogismum. Alio autem modo differt ipsum propter quid ab ipso quod, eo quòd per aliam scientiam vtrunque speculatur. Talia autem sunt, quæcunque sic se habent inuicem, vt sit alterum sub altero: vt perspectiua ad Geometriam, & mechanica ad Stereometriam, & harmoniaca ad Arithmeticam, & apparentia ad Astrologicam. Ferè autem vniuocæ sunt nonnullæ istarum scientiarum, vt Astrologia, & quæ Mathematica, & quæ Nautica, atque Harmonica, & quæ mathematica, & quæ secundum auditum.*

9 *Hic enim ipsum quidem quod sensitiuorum est scire, ipsum vero propter quid, Mathematicorum. Hi nanque habent causarum demonstrationes, & plerunque non sciunt ipsum quòd: quemadmodum qui vniuersale speculantur, multotiens nonnulla singularium nesciunt, quia non aduertunt.*

10 *Sunt autem hæc, quæcunque cùm alterum quid sint secundum substantiam, vtuntur formis: disciplinæ nanque circa formas sunt: non enim de subiecto aliquo geometrica sunt. Si enim de subiecto aliquo geometrica sunt, sed non inquantum geometrica, de subiecto. Se habet autem & ad Perspectiuam, vt hæc ad Geometriam, alia ad hanc, vt quod est de iride. Ipsum enim quòd, Naturalis est scire, ipsum vero propter quid, Perspectiui, aut simpliciter, aut secundum mathema. Multæ autem & non sub se inuicem scientiarum, ita se habent, vt Medicina ad Geometriam. Quòd enim vlcera orbicularia tardius sanantur, Medici est scire: propter quid vero, Geometræ.*

8 Quoad quartum: explicata differentia demonstrationis *quia*, & *propter quid* in eadem scientia, explicat Aristoteles earum differentiam in scientijs diuersis. Aliquando igitur demonstratio *propter quid* spectat ad scientiam subalternantem, quæ considerat subiectum sub ratione communi, demonstratio *quia* spectat ad subalternatam, quæ considerat subiectum vt restrictum, & affectum aliqua qualitate sensibili. Ex. gr. geometria est subalternans respectu perspectiuæ, siue opticæ, quia geometria considerat vt subiectum lineas *vt sic*, perspectiua considerat lineas, vt visuales. Ex eadem ratione arithmetica est subalternans respectu musicæ; stereometria, seu scientia de solidis, respectu mechanicæ; astrologia speculatiua respectu practicæ, in qua includitur nautica: nam arithmetica considerat numeros *vt sic*, musica considerat numeros vt sonoros: stereometria considerat solida *vt sic*, mechanica considerat solida vt ponderosa: astrologia considerat corpora cælestia *vt sic* speculatiuè, nautica considerat eadem corpora practicè, & in ordine ad nauigandum. Nihil autem refert, vtrum scientia subalternata diuersum habeat nomen à subalternante, vt accidit musicæ respectu arithmeticæ, an habeat idem nomen, vt accidit astro-

astrologiæ practicæ respectu speculatiuæ, & musicæ practicæ respectu musicæ speculatiuæ, quæ est vna ex sciētijs mathematicis

9 Scientiæ igitur subalternatæ, quæ vtuntur sensuum iudicio, solent cognoscere *quod res est*; scientiæ subalternantes, & abstrahentes à sensibilibus, solent cognoscere *propter quid*: ex. gr. musica practica optimè scit, qui nam soni faciant consonantiam, sed nescit *propter quid*: è conuerso arithmetica cognoscit *propter quid*, sed cum abstrahat à sensibilibus, fortasse non descendit ad aduertendum, quod tales voces sensibiles faciant consonantiam, ideoque hoc arithmeticus discit à musico; musicus è conuerso discit ab arithmetico causam, propter quam tales, & tales soni faciunt consonantiam, vel non faciunt.

10 Quod autem scientiæ mathematicæ, ac præsertim geometria, & arithmetica abstrahant à sensibilibus, patet; nam considerant formas, quæ licet non inueniantur nisi in materia sensibili, tamen considerantur ita, vt abstrahantur à materia sensibili. Sicut verò optica, siue perspectiua subalternatur geometriæ, sic scientia de Iride, quæ est pars physicæ, subalternatur opticæ. Physicus enim cognoscit de Iride per sensibiles experientias, quod ita se habet; cum autem sic se habeat, discit ab optica, ex cuius principijs redditur ratio eorum, quæ apparent in Iride. Iam potest etiam accidere, vt ex scientijs, quarum neutra alteri subalternatur, vna sciat per experientiam, *quod ita res est*, altera sciat causam, *propter quam* ita est: ex. gr. medicina per experientiam deprehendit vulnera rotunda difficilius, ac tardius sanari; *propter quid*, difficilius sanentur, ignorat, ac proinde discere debet à geometria, quæ reddit rationem ex eo, quia cum partes circuli magis distent, difficilius coniunguntur.

Ostenditur primam figuram esse aptissimam ad demonstrationem; & explicatur, quo pacto propositiones negatiuæ possint esse mediatæ, vel immediatæ. Cap. XIV.

Text. 31.

1 F*igurarum autem maxime scientialis est prima. Mathematicæ nanque scientiæ per hanc demonstrationes ferunt, vt Arithmetica, & Geometria, & Perspectiua, & ferè vt dixerim, quæcunque ipsius propter quid considerationem faciunt. Aut enim omnino aut vt plurimum, & in plurimis per hanc figuram ipsius propter quid fit syllogismus: quare & propter hoc erit vtique maxime scientialis. Maxime nanque proprium ipsius scire est propter quid speculari.*

2 *Postea & ipsius quid est scientiam per solam hanc venari possibile. In media enim figura non fit prædicatiuus syllogismus, ipsius vero quid est scientia affirmationis. In vltima autem fit quidem, sed non vniuersaliter: ipsum autem quid est vniuersalium est. Non enim homo aliquo modo est animal bipes.*

3 *Amplius hæc quidem illarum nihil indiget, illæ vero per hanc condensantur, & augentur, quousque ad immediata venerint. Manifestum itaque, quod ad sciendum maxime proprie est prima figura.*

POstquam Aristoteles egit de materia demonstrationis, breuiter agit de forma: & quia omnia, quæ spectant ad formam syllogisticam in genere, explicata sunt in libris Priorum, solum hic examinat, quæ nam figura sit ad demonstrandum aptissima. Primo igitur docet, ac tripliciter probat primam figuram esse aptissimam ad demonstrandum: secundo quia in prima figura concludi potest etiam negatiuè, propositiones verò negatiuæ mediatæ reduci debent ad propositiones negatiuas immediatas, explicat, quando nam propositiones negatiuæ sint mediatæ, quando immediatæ.

1 Quoad primum: prima ratio probans primam figuram esse aptissimam ad demonstrandum est, quia illa figura est ad demonstrandum aptissima, in qua pene semper fieri debent demonstrationes potissimæ, & *propter quid*; sed demonstrationes *propter quid* pene semper fiunt in prima figura; ergo &c. Minor probatur, quia scientiæ, quæ demonstrant proprias passiones de subiectis per suas causas, quales sunt arithmetica, geometria, perspectiua &c. pene semper procedunt per primam figuram, vt patet euoluenti demonstrationes earum: ex. gr. hæc conclusio geometrica, *cuiuscunque trianguli tres anguli sunt æquales duobus rectis*, demonstratur per primam figu-

figuram, cum sit vniuersalis affirmatiua, ac proinde non inferibilis nisi in Barbara, idemque dic de alijs; ergo &c. Ratio, cur demonstratio *propter quid* pene semper debeat formari in prima figura est, quia in demonstratione *propter quid* prædicatum conclusionis debet probari conuenire, vel non conuenire subiecto per suam causam; sed si prædicatum conclusionis conuenit, vel disconuenit subiecto mediatè, vt supponitur (si enim conueniret, vel disconueniret immediatè, conclusio esset propositio immediata, adeoque non demonstrabilis;) si inquam prædicatum conuenit, vel disconuenit subiecto mediatè, ratio, & causa, cur conueniat, aut disconueniat est, quia inter prædicatum, & subiectum aliquid mediat, cui conueniat, aut disconueniat immediatè prædicatum conclusionis, ipsum verò conueniat immediatè subiecto conclusionis; ergo medium debet esse aliquid, quod conueniat subiecto conclusionis, & cui conueniat, vel disconueniat prædicatum conclusionis; sed hoc solum contingit in prima figura; in illa enim sola prædicatum conclusionis prædicatur de medio in maiori, quod medium prædicatur de subiecto conclusionis in minori; ergo demonstratio *propter quid* formari debet in prima figura. Explicatur exemplis, tum in conclusionibus affirmatiuis, tum in negatiuis. Hæc propositio affirmatiua, *omnis homo est risibilis*, est mediata, quia prædicatum *risibilis* non immediatè conuenit *homini*, sed illi conuenit propter aliquod medium inter hominem, & risibile, quod medium est *rationale*, cui rationali ità immediatè conuenit risibile, vt ipsum rationale immediatè conueniat homini; ergo vt demonstretur risibile de homine, debet risibile in maiori prædicari de rationali, & rationale in minori prædicari de homine, adeoque debet fieri talis syllogismus primæ figuræ: *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*. Proportionaliter hæc propositio negatiua, *nullus homo est hinnibilis*, est mediata, quia prædicatum *hinnibilis* non immediatè disconuenit homini; ergo mediat aliquid inter hominem, & hinnibile, quod immediatè conuenit homini, & cui immediatè disconueait hinnibile; quod medium est rationale; ergo vt demonstretur, quod homo non est hinnibilis, debet de hoc medio negari hinnibile, ipsum verò debet affirmari de homine, adeoque formari debet talis syllogismus primæ figuræ; *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis*.

2 Secunda ratio ad probandum, quod prima figura est aptissima ad demonstrandum est, quia vna ex potissimis demonstrationibus est, in qua ex definitione per causam finalem infertur definitio per alias causas, ac præsertim per materialem, & formalem, vt dictum est cap. 8. num. 2; sed definitio non potest inferri nisi per primam figuram; ergo prima figura est ad demonstrandum aptissima. Minor probatur, quia definitio prædicatur de definito affirmatiuè, & vniuersaliter, ex. gr. animal rationale, vel animal bipes vniuersaliter prædicatur de homine; sed vniuersalis affirmatiua potest inferri solum in Barbara, qui est modus primæ figuræ, cum secunda figura concludat solum negatiuè, tertia concludat solum particulariter; ergo &c.

3 Tertia ratio est: illa figura est aptior ad demonstrandum, quæ non indiget alijs figuris, cum aliæ indigeant ipsa; sed omnes aliæ figuræ indigent prima, cum prima non indigeat vlla alia; ergo &c. Probatur minor, quia cum maior, & minor secundæ figuræ sunt mediatæ, ideoque debent resolui ad propositiones immediatas, non possunt resolui in secunda figura; nam altera præmissarum est affirmatiua, in secunda verò figura probari non potest conclusio affirmatiua, sed solum negatiua: similiter in tertia figura non possunt probari omnes præmissæ, quarum vna est vniuersalis, ac proinde probari non potest in tertia figura, quæ concludit solum particulariter; ergo sola prima figura sibi sufficit, cum possint in illa probari omnes præmissæ, tum affirmatiuæ, tum negatiuæ, tum vniuersales, tum particulares. Notandus est autem modus loquendi Aristotelis acutus, & ingeniosus. Dicit, quod cum probantur præmissæ demonstrationis, fit quædam densatio, & accretio, interponendo media, donec perueniatur ad immediata. Ratio est, quia termini propositionis mediatæ sunt quodammodo distantes; ergo vt probentur, debent interponi media propinquiora, & propinquiora, donec perueniatur ad terminos immediatos. In hac autem interpositione fit quædam densatio mediorum, donec omnia quodammodo concrescant, & coniungantur.

astrologiæ practicæ respectu speculatiuæ, & musicæ practicæ respectu musicæ speculatiuæ, quæ est vna ex sciẽtijs mathematicis

9 Scientiæ igitur subalternatæ, quæ vtuntur sensuum iudicio, solent cognoscere *quod res est*; scientiæ subalternantes, & abstrahentes à sensibilibus, solent cognoscere *propter quid*: ex. gr. musica practica optimè scit, quinam soni faciant consonantiam, sed nescit *propter quid*: è conuerso arithmetica cognoscit *propter quid*, sed cum abstrahat à sensibilibus, fortasse non descendit ad aduertendum, quod tales voces sensibiles faciant consonantiam, ideoque hoc arithmeticus discit à musico; musicus è conuerso discit ab arithmetico causam, propter quam tales, & tales soni faciunt consonantiam, vel non faciunt.

10 Quod autem scientiæ mathematicæ, ac præsertim geometria, & arithmetica abstrahant à sensibilibus, patet; nam considerant formas, quæ licet non inueniantur nisi in materia sensibili, tamen considerantur ita, vt abstrahantur à materia sensibili. Sicut verò optica, siue perspectiua subalternatur geometriæ, sic scientia de Iride, quæ est pars physicæ, subalternatur opticæ. Physicus enim cognoscit de Iride per sensibiles experientias, quod ita se habet; cur autem sic se habeat, discit ab optica, ex cuius principijs redditur ratio eorum, quæ apparent in Iride. Iam potest etiam accidere, vt ex scientijs, quarum neutra alteri subalternatur, vna sciat per experientiam, *quod ita res est*, altera sciat causam, *propter quam* ita est: ex. gr. medicina per experientiam deprehendit vulnera rotunda difficilius, ac tardius sanari; *propter quid*, difficilius sanentur, ignorat, ac proinde discere debet à geometria, quæ reddit rationem ex eo, quia cum partes circuli magis distent, difficilius coniunguntur.

Ostenditur primam figuram esse aptissimam ad demonstrationem; & explicatur, quo pacto propositiones negatiuæ possint esse mediatæ, vel immediatæ. Cap. XIV.

Text. 31.

1 *Figurarum autem maxime scientialis est prima. Mathematicæ nanque scientiæ per hanc demonstrationes ferunt, vt Arithmetica, & Geometria, & Perspectiua, & ferè vt dixerim, quæcunque ipsius propter quid considerationem faciunt. Aut enim omnino aut vt plurimum, & in plurimis per hanc figuram ipsius propter quid fit syllogismus: quare & propter hoc erit vtique maxime scientialis. Maxime nanque proprium ipsius scire est propter quid speculari.*

2 *Postea & ipsius quid est scientiam per solam hanc venari possibile. In media enim figura non fit prædicatiuus syllogismus, ipsius vero quid est scientia affirmationis. In vltima autem fit quidem, sed non vniuersaliter: ipsum autem quid est vniuersalium est. Non enim homo aliquo modo est animal bipes.*

3 *Amplius hæc quidem illarum nihil indiget, illæ vero per hanc condensantur, & augentur, quousque ad immediata venerint. Manifestum itaque, quod ad sciendum maxime proprie est prima figura.*

Postquam Aristoteles egit de materia demonstrationis, breuiter agit de forma: & quia omnia, quæ spectant ad formam syllogisticam in genere, explicata sunt in libris Priorum, solum hic examinat, quænam figura sit ad demonstrandum aptissima. Primo igitur docet, ac tripliciter probat primam figuram esse aptissimam ad demonstrandum: secundo quia in prima figura concludi potest etiam negatiuè, propositiones verò negatiuæ mediatæ reduci debent ad propositiones negatiuas immediatas, explicat, quando nam propositiones negatiuæ sint mediatæ, quando immediatæ.

1 Quoad primum; prima ratio probans primam figuram esse aptissimam ad demonstrandum est, quia illa figura est ad demonstrandum aptissima, in qua pene semper fieri debent demonstrationes potissimæ, & *propter quid*; sed demonstrationes *propter quid* pene semper fiunt in prima figura; ergo &c. Minor probatur, quia scientiæ, quæ demonstrant proprias passiones de subiectis per suas causas, quales sunt arithmetica, geometria, perspectiua &c. pene semper procedunt per primam figuram, vt patet euoluenti demonstrationes earum: ex. gr. hæc conclusio geometrica, *cuiuscunque trianguli tres anguli sunt æquales duobus rectis*, demonstratur per primam figu-

figuram, cum sit vniuersalis affirmatiua, ac proinde non inferibilis nisi in Barbara, idemque dic de alijs; ergo &c. Ratio, cur demonstratio *propter quid* pene semper debeat formari in prima figura est, quia in demonstratione *propter quid* prædicatum conclusionis debet probari conuenire, vel non conuenire subiecto per suam causam; sed si prædicatum conclusionis conuenit, vel disconuenit subiecto mediatè, vt supponitur (si enim conueniret, vel disconueniret immediatè, conclusio esset propositio immediata, adeoque non demonstrabilis;) si inquam prædicatum conuenit, vel disconuenit subiecto mediatè, ratio, & causa, cur conueniat, aut disconueniat est, quia inter prædicatum, & subiectum aliquid mediat, cui conueniat, aut disconueniat immediatè prædicatum conclusionis, ipsum verò conueniat immediatè subiecto conclusionis; ergo medium debet esse aliquid, quod conueniat subiecto conclusionis, & cui conueniat, vel disconueniat prædicatum conclusionis; sed hoc solum contingit in prima figura; in illa enim sola prædicatum conclusionis prædicatur de medio in maiori, quod medium prædicatur de subiecto conclusionis in minori; ergo demonstratio *propter quid* formari debet in prima figura. Explicatur exemplis, tum in conclusionibus affirmatiuis, tum in negatiuis. Hæc propositio affirmatiua, *omnis homo est risibilis*, est mediata, quia prædicatum *risibilis* non immediatè conuenit *homini*, sed illi conuenit propter aliquod medium inter hominem, & risibile, quod medium est *rationale*, cui rationali ità immediatè conuenit risibile, vt ipsum rationale immediatè conueniat homini; ergo vt demonstretur risibile de homine, debet risibile in maiori prædicari de rationali, & rationale in minori prædicari de homine, adeoque debet fieri talis syllogismus primæ figuræ: *omne rationale est risibile*; *omnis homo est rationalis*; *ergo omnis homo est risibilis*. Proportionaliter hæc propositio negatiua, *nullus homo est hinnibilis*, est mediata, quia prædicatum *hinnibilis* non immediatè disconuenit homini; ergo mediat aliquid inter hominem, & hinnibile, quod immediatè conuenit homini, & cui immediatè disconuenit hinnibile; quod medium est rationale; ergo vt demonstretur, quod homo non est hinnibilis, debet de hoc medio negari hinnibile, ipsum verò debet affirmari de homine, adeoque formari debet talis syllogismus primæ figuræ; *nullum rationale est hinnibile*; *omnis homo est rationalis*; *ergo nullus homo est hinnibilis*.

2 Secunda ratio ad probandum, quod prima figura est aptissima ad demonstrandum est, quia vna ex potissimis demonstrationibus est, in qua ex definitione per causam finalem infertur definitio per alias causas, ac præsertim per materialem, & formalem, vt dictum est cap. 8. num. 2; sed definitio non potest inferri nisi per primam figuram; ergo prima figura est ad demonstrandum aptissima. Minor probatur, quia definitio prædicatur de definito affirmatiuè, & vniuersaliter, ex. gr. animal rationale, vel animal bipes vniuersaliter prædicatur de homine; sed vniuersalis affirmatiua potest inferri solum in Barbara, qui est modus primæ figuræ, cum secunda figura concludat solum negatiuè, tertia concludat solum particulariter; ergo &c.

3 Tertia ratio est: illa figura est aptior ad demonstrandum, quæ non indiget alijs figuris, cum aliæ indigeant ipsa; sed omnes aliæ figuræ indigent prima, cum prima non indigeat vlla alia; ergo &c. Probatur minor, quia cum maior, & minor secundæ figuræ sunt mediatæ, ideoque debent resolui ad propositiones immediatas, non possunt resolui in secunda figura; nam altera præmissarum est affirmatiua, in secunda verò figura probari non potest conclusio affirmatiua, sed solum negatiua: similiter in tertia figura non possunt probari omnes præmissæ, quarum vna est vniuersalis, ac proinde probari non potest in tertia figura, quæ concludit solum particulariter; ergo sola prima figura sibi sufficit, cum possint in illa probari omnes præmissæ, tum affirmatiuæ, tum negatiuæ, tum vniuersales, tum particulares. Notandus est autem modus loquendi Aristotelis acutus, & ingeniosus. Dicit, quod cum probantur præmissæ demonstrationis, fit quædam densatio, & accretio, interponendo media, donec perueniatur ad immediata. Ratio est, quia termini propositionis mediatæ sunt quodammodo distantes; ergo vt probentur, debent interponi media propinquiora, & propinquiora, donec perueniatur ad terminos immediatos. In hac autem interpositione fit quædam densatio mediorum, donec omnia quodammodo concrescant, & coniungantur.

4 *Quemadmodum vero contingebat A inesse B indiuidue, ita & non inesse accidit. Dico autem indiuidue inesse, aut non inesse, eo quod non est ipsorum medium: sic enim non erit secundum aliud inesse, aut non inesse.*

5 *Quando igitur, aut A, aut B in toto aliquo sit, aut & ambo, non contingit A ipsi B primo non inesse. Sit enim A in toto C: si igitur B non est in toto C (contingit enim ipsum quidem A esse in aliquo toto, ipsum vero B non esse in hoc) syllogismus erit, quòd A ipsi B non insit: si enim C, A quidem omni: ipsi vero B nulli: A nulli eorum, quæ B. Consimiliter autem & si B in toto aliquo est, vt in D: ipsum nanque D omni B inest: ipsi autem A nulli ipsum B: quare ipsum A nulli eorum, quæ B inerit per syllogismum. Eodem pacto monstrabitur, & si ambo in toto aliquo sint. Quòd autem contingit ipsum B non esse in quo toto est A, aut rursus A, in quo est B, manifestum ex coordinationibus, quæcunque non commutantur ad se inuicem. Si enim nullum eorum, quæ sunt in A C D coordinatione, de nullo prædicatur eorum, quæ sunt in B E F: ipsum vero A in toto est H coordinato existenti: planum, quòd B non erit in H. Commutarentur enim coordinationes. Consimiliter autem, & si B in toto aliquo est.*

6 *Si vero neutrum sit in toto nullo: non insit autem A ipsi B: necesse est indiuidue non inesse. Si enim erit aliquod medium, necesse alterum ipsorum in toto aliquo esse. Aut enim in prima figura, aut in media erit syllogismus. Si quidem igitur in prima, B erit in toto aliquo: affirmatiuam nanque oportet, quæ ad hoc, propositionem fieri. Sin autem in media vtrum contigerit: ad vtraque enim accepto priuatiuo, efficitur syllogismus: ambabus vero negatiuis existentibus, non erit. Planum itaque, quòd contingit aliud alij non inesse indiuidue: & quando contingit, & quomodo diximus.*

4 Quoad secundum: quia Aristoteles fecit mentionem de reductione propositionum mediatarum ad immediatas, suprà verò egit de propositionibus affirmatiuis immediatis, hic agit de propositionibus negatiuis immediatis. Primo igitur docet, quod sicut dantur propositiones affirmatiuæ immediatæ, in quibus prædicatum conuenit subiecto indiuiduè, ita vt non diuidantur per aliquod medium inter illa, sic dantur propositiones negatiuæ immediatæ, in quibus prædicatum indiuiduè disconuenit subiecto, & non per medium diuidens.

5 Secundo explicat, quo modo propositio negatiua sit mediata, ita vt prædicatum disconueniat subiecto propter aliquod medium. Si prædicatum, & subiectum sint in aliquo toto, seu genere diuerso, vel alterum eorum sit in genere, alterum in nullo sit genere, tum propositio negatiua prædicati de subiecto semper est mediata. Exemplum, in quo prædicatum sit in genere, subiectum non sit in genere, est hæc propositio, *nulla quantitas est homo*: *homo* siquidem est in genere, & prædicamento substantiæ, *quantitas* verò cum sit summum genus, non continetur in vllo genere. Medium ad illam demonstrandam est substantia, per quam sic probari potest, in secunda figura, & in Camestres: *omnis homo est substantia; nulla quantitas est substantia, ergo nulla quantitas est homo*. Exemplum propositionis, in qua subiectum sit in genere, prædicatum non sit in genere, est hæc, *nulla linea est substantia*: linea siquidem, quæ est subiectum, est in genere quantitatis; substantia non est in genere, cum sit summum genus. Potest igitur dicta propositio demonstrari in Celarent sic: *nulla quantitas est substantia; omnis linea est quantitas; ergo nulla linea est substantia*. Exemplum propositionis, in qua prædicatum, & subiectum sunt sub duobus generibus diuersis, est hæc, *nulla albedo est substantia*. Albedo enim est in genere qualitatis, linea in genere quantitatis, ideoque dicta propositio poterit in prima figura demonstrari sic: *nulla qualitas est linea; omnis albedo est qualitas; ergo nulla albedo est linea*. Quod verò termini propositionis possint sumi tribus prædictis modis, patet ex coordinationibus prædicamentorum, quæ sunt ita impermixtæ, vt quod est in vna coordinatione, non sit in alia, ex. gr. quod est in coordinatione prædicamenti substantiæ, non est in coordinatione prædicamenti quantitatis &c; ergo si sumantur duo ex diuersis prædicamentis, ex. gr. homo, & linea, vtrunque erit sub genere, sed diuerso; si verò sumatur ex aliquo prædicamento supremum genus, ex altero autem aliquid, quod non est supremum genus, ex. gr. ex prædicamento quantitatis, *quantitas*, ex prædicamento qualitatis, *albedo*,

bedo, alterum erit sub genere, alterum sub nullo erit genere, & valebunt prædictæ demonstrationes.

6 Tertio demum explicat Aristoteles, quando nam propositio negatiua sit immediata, ita vt nullum sit medium, propter quod prædicatum disconueniat subiecto. Quando neque prædicatum, neque subiectum est in genere vllo, tum propositio negatiua est immediata, ex. gr. hæc, *nulla substantia est quantitas*. Ratio est, quia si esset demonstrabilis, vel esset demonstrabilis in prima figura, vel in secunda, vel in tertia; in nulla ex his est demonstrabilis; ergo &c. Probatur minor, & primo, quod non in tertia: propositio enim negatiua immediata, debet esse vniuersalis: si enim prædicatum repugnat subiecto immediatè, hoc est ratione ipsius subiecti, semper, & vniuersaliter repugnat; sed tertia figura non concludit vniuersaliter, sed particulariter; ergo propositio negatiua immediata non potest demonstrari in tertia figura. Secundo probatur, quod non in prima figura: si enim prædicatum repugnat subiecto, non immediatè, & primo, repugnat ratione alicuius, quod sit prius subiecto; sed nihil aliud est prius subiecto, quam genus, & differentia, ac definitio; accidentia enim tum propria, tum communia sunt posteriora subiecto; ergo subiectum iam habet genus; definitio enim, ac differentia dari non possunt sine genere; ergo si subiectum non est in genere, vniuersalis negatiua demonstrari non potest in prima figura. In secunda figura altera præmissarum debet esse affirmatiua, hoc est vel maior, vel minor; ergo ratio, cur prædicatum, & subiectum conclusionis repugnant inuicem debet esse, quia repugnant alicui medio, quod est prius prædicato, vel subiecto, de quo medium prædicatur in præmissa affirmatiua; sed nihil est prius prædicato, vel subiecto, nisi genus, definitio, vel differentia; ergo iam alterum extremum habet genus, vt paulo ante concludebatur; ergo si neutrum extremorum est sub genere, propositio negatiua non est demonstrabilis per medium prius; ergo est immediata.

Hinc patet responsio ad obiectionem, qua aliqui opponunt, quod prædicatum conclusionis posset demonstrari per medium conuertibile cum altero extremorum, licet neutrum extremorũ haberet genus. Ad demõstrationem enim *propter quid* non sufficit medium vtcunque conuertibile, sed tale medium debet esse prius; sed ex conuertibilibus sola definitio, vel differentia est prior, passiones enim sunt posteriores; ergo medium conuertibile debet esse definitio, vel differentia; sed neque definitio, neque differentia potest dari sine genere; ergo alterum saltem extremum debet esse sub genere. Aduertit S. Thomas, quod etiam propositiones negatiuæ de differentijs ex æquo diuidentibus idem genus, sunt immediatæ; qualis est hæc, *nullum rationale est hinnibile*.

Explicatur, quo pacto ignorantia prauæ dispositionis circa propositiones immediatas affirmatiuas, ac negatiuas, causetur per syllogismum. Caput XV. Art. I.

Text. 32.

1 *Ignorantia vero, quæ non secundum negationem, sed secundum dispositionem dicitur, est quidem deceptio, quæ per syllogismum fit.*

2 *Hæc autem in primo quidem inexistentibus, aut non inexistentibus contingit dupliciter. Aut enim quando simpliciter existimet inesse, aut non inesse: aut quando per syllogismum accipiat suspicionem. Simplicis quidem igitur suspicionis simplex est deceptio: eius vero, quæ est per syllogismum, plures. Non insit enim A nulli eorum, quæ B indiuidue. Si igitur syllogizet A inesse ipsi B, medium accipiens C, deceptus erit per syllogismum. Contingit quidem igitur vtrasque propositiones esse falsas, contingit autem alteram solum.*

1 Postquam Aristoteles egit de demonstratione, agit de syllogismo opposito demonstrationi: & quia demonstratio est syllogismus, quo acquiritur scientia, demonstrationi opponitur syllogismus causans errorem oppositum scientiæ, de hoc syllogismo acturus, præmittit, vel potius supponit ignorantiam alteram esse puræ negationis, alteram prauæ dispositionis. Ignorantia puræ negationis est, qua solum ignoratur verum, sed non creditur falsum:

ex.

ex. gr. rustici habent ignorantiam puræ negationis circa veritates mathematicas, puta circa hanc, *cuiuscunque trianguli tres anguli sunt æquales duobus rectis*, quia ita ignorant hanc, & alias similes veritates, vt neque habeant errorem contrarium. Ignorantia prauæ dispositionis est, per quam creditur falsum, vt si quis crederet posse tres angulos trianguli esse maiores, aut minores duobus rectis. Ignorantia prauæ dispositionis, vel causatur sine syllogismo, non tam ex discursu, quam ex defectu discursus, vel causatur per syllogismum. Ignorantia prauæ dispositionis, quæ causatur per syllogismum, vel est circa propositiones immediatas, vel circa mediatas; vel circa affirmatiuas, vel circa negatiuas. Aristoteles igitur primo agit de ignorantia prauæ dispositionis, quæ causatur per syllogismum circa propositiones immediatas: secundo agit de ea, quæ per syllogismum causatur circa propositiones mediatas: tertio de ignorantia puræ negationis.

2 Ignorantia deceptionis circa propositiones immediatas duplex est: altera, qua concluditur esse quod non est, ex. gr. si concludatur, quod *omnis qualitas est substantia*, cum sit propositio vera, & immediata, quod *nulla qualitas est substantia*: altera, qua concluditur non esse quod est, ex. gr. si concludatur, quod *nullum corpus est substantia*, cum sit propositio vera, & immediata, quod omne corpus est substantia. Propositio falsa non potest concludi, nisi ex præmissis falsis, (si modo syllogismus non peccat in forma, de quo defectu non agimus hic); ergo vel potest concludi ex vtraque præmissa falsa, vel ex altera tantum falsa, altera vera. Si vtraque est falsa, vel est falsa totaliter, ita vt contraria sit vera, vel est falsa solum partialiter, ita vt non sit vera contraria, sed contradictoria.

3 *Si enim neque A nulli eorum, quæ C insit: neque C nulli eorum, quæ B: assumpta vero fuerit vtraque è conuerso, ambæ falsa erunt.*

4 *Euenit autem ita se habere C ad A, & B, vt neque sub A sit, neque vniuersaliter in B. Impossibile nanque B esse in toto aliquo. Dicebatur enim A primo ipsi non inesse: A vero non necesse omnibus entibus inesse vniuersaliter: quare ambæ falsæ.*

5 *Sed & alteram contingit veram accipere, non tamen vtram volueris, sed A C: C B nanque propositio semper falsa erit: eo quòd ipsum B in nullo sit: A C vero euenit. Quemadmodum si A, & ipsi C, & ipsi B insit indiuidue. Quando enim idem primo prædicetur de pluribus, neutrum in neutro erit. Differt autem nihil, neque si non indiuidue insit.*

6 *Deceptio quidem igitur inexistendi, & per hæc, & ita fit solum: non enim erat in alia figura inexistendi syllogismus.*

3 His præmissis, incipit Aristoteles explicare, quo pacto possit inferri conclusio affirmatiua falsa contraria negatiuæ veræ, & immediatæ. Hæc negatiua, *nulla quantitas est substantia*, est vera, & immediata; ergo si probetur per aliquod medium hæc affirmatiua, *omnis quantitas est substantia* fiet syllogismus concludens falsam contrariam negatiuæ veræ, & immediatæ. Hic syllogismus primo potest fieri ex vtraque præmissa totaliter falsa. Sumatur enim pro medio aliquid, de quo substantia sit vniuersaliter negabilis, & quod sit vniuersaliter negabile de quantitate, quod medium sit qualitas: tum affirmando in maiori vniuersaliter substantiam de qualitate, & qualitatem in minori affirmando vniuersaliter de quantitate, fit syllogismus concludens positam conclusionem falsam ex vtraque præmissa totaliter falsa, ita vt contraria sit vera, sic; *omnis qualitas est substantia; omnis quantitas est qualitas; ergo omnis quantitas est substantia.*

4 Secundo potest fieri syllogismus concludens positam conclusionem falsam ex vtraque præmissa partialiter falsa, ita vt non contrariæ, sed contradictoriæ præmissarum sint veræ. Sumatur enim pro medio aliquid, de quo substantia sit solum partialiter affirmabilis, ipsum verò sit solum partialiter affirmabile de quantitate, quod medium sit perfectum: de hoc medio in maiori vniuersaliter affirmetur substantia, ipsum vero in minori vniuersaliter affirmetur de quantitate: fiet sequens syllogismus; *omne perfectum est substantia; omnis quantitas est perfecta; ergo omnis quantitas est substantia*, in quo vtraque præmissa est falsa solum partialiter, ita vt contradictoriæ, non contrariæ sint veræ: neque enim est verum, quod *nullum perfectum est substantia*, & quod *nulla quantitas est perfecta*,

sed

sed solum est verum, quod *aliquod perfectum non est substantia*, & quod *aliqua quantitas non est perfecta*.

5 Tertio potest fieri syllogismus concludens positam conclusionem falsam ex altera præmissa vera, altera falsa. Non tamen vtralibet præmissa potest esse vera, sed sola maior, minor verò semper est falsa. Maior potest esse vera, quia potest sumi pro medio aliquid inferius substantia, quæ est maius extremum, quod medium sit homo, de quo proinde substantia potest vniuersaliter, & verè affirmari, dicendo: *omnis homo est substantia*; sed homo falsò affirmatur de quantitate in minori, siquidem quod est in vno prædicamento non potest affirmari de altero prædicamento; ergo fiet hic syllogismus: *omnis homo est substantia; omnis quantitas est homo; ergo omnis quantitas est substantia*, in quo maior est vera, minor falsa. E conuerso minor non potest esse vera. Vt enim esset vera veritate requisita ad demonstrationem (agendo enim de syllogismo opposito demonstrationi, dum dicitur, quod aliqua præmissa est vera, intelligitur, quod sit vera, prout requiritur in demonstratione) vt inquam minor sit vera veritate requisita ad demonstrationem, debet de minori extremo affirmari medium, quod sit definitio subiecti, siquidem medium demonstrationis est definitio subiecti, seu minoris extremi; sed subiectum, hoc est quantitas non habet definitionem; ergo &c. Probatur minor: supponitur enim, quod hæc propositio affirmatiua, *omnis quantitas est substantia*, est contraria huic negatiuæ veræ, & immediatæ, *nulla quantitas est substantia*; sed eo ipso, quod hæc est immediata, substantia negatur de quantitate ratione sui, adeoque quantitas non habet genus superius; alioquin substantia negaretur de quantitate ratione talis generis prioris, & sic illa propositio non esset immediata, sed mediata; ergo quantitas non habet genus, adeoque non habet definitionem, quæ non potest dari sine genere.

6 Concludit Aristoteles deceptionem circa affirmatiuam contrariam negationi immediatæ non posse contingere, nisi per syllogismum primæ figuræ. Ratio est, quia secunda figura concludit solum negatiuè, tertia solum particulariter; sed agimus de deceptione ex syllogismo opposito demonstrationi; ergo sicut demonstratio non concludit particulariter, sed vniuersaliter, sic syllogismus oppositus concludit vniuersaliter, adeoque in prima figura, & in Barbara.

7 *Qua vero est non existendi, & in prima fit, & in media figura. Primum itaque dicamus quot modis in prima fit, & quomodo se habentibus propositionibus.*

8 *Contingit quidem igitur vtrisque falsis existentibus, quemadmodum si A, & ipsi C, & ipsi B insit indiuidue. Si enim acceptum fuerit A quidem nulli C: C vero omni B: falsæ erunt propositiones.*

9 *Contingit autem & altera falsa existente, & hac vtrauis. Euenit enim A C quidem veram esse, C B vero falsam. A C quidem veram: quoniam non omnibus entibus inest A. C B vero falsam: quoniam impossibile est C inesse ipsi B, cui nulli inest A. Non enim amplius vera erit A C, propositio. Simul autem si & ambæ sunt veræ, & conclusio erit vera. Sed & C B contingit veram esse, altera existente falsa. Quemadmodum si B, & in C, & in A est; necesse enim alterum sub altero esse. Quare si acceperit A nulli eorum, quæ C inesse, falsa erit propositio. Planum igitur, quòd altera falsa existente, & vtrisque, erit falsus syllogismus.*

7 Postquam Aristoteles explicauit, quo pacto per syllogismum concludatur affirmatiua falsa contraria negatiuæ veræ, & immediatæ, explicat, quo pacto concludatur negatiua falsa contraria affirmatiuæ veræ, & immediatæ. Propositio negatiua vniuersalis falsa contraria affirmatiuæ veræ, & immediatæ, potest concludi tum in prima figura, tum in secunda, non verò in tertia, quæ concludit solum particulariter.

8 In prima figura potest primo concludi ex vtraque falsa. Ex.gr. hæc propositio, *omnis albedo est color*, est immediata, quia in ea genus proximum prædicatur de specie: genus verò proximum dicitur de specie per se primo, quia includitur in definitione speciei; ergo hæc negatiua, *nulla albedo est color*, est falsa, contraria propositioni immediatæ. Primo igitur potest in prima figura concludi ex vtraque præmissa falsa. Si enim sumatur pro medio aliquid, de quo maius extremum, hoc est color dicatur æquè immediatè, ac de albedine,

quæ

quæ est minus extremum, quod medium sit nigredo, fiet sequens syllogismus; *nulla nigredo est color; omnis albedo est nigredo; ergo omnis albedo est color*, in quo vtraque præmissa est totaliter falsa.

9 Secundo potest eadem conclusio inferri ex vna tantum præmissa falsa, seu sit maior, seu minor. Ex maiori vera, & minori falsa, potest concludi, quod *nulla albedo est color*. Cum enim color non omnibus insit, potest sumi pro medio aliquid, cui vniuersaliter non insit, puta scientia, & tum erit vera maior, quod *nulla scientia est color*: minor verò, quod *omnis albedo est scientia*, erit falsa, tum quia eo ipso, quod color negatur vniuersaliter de scientia, scientia negatur vniuersaliter de colore, ac de omnibus, quæ continentur sub colore, qualis est albedo, ac proinde falsum est, quod *omnis albedo est scientia*; tum quia si maiore existente vera, etiam minor esset vera, conclusio esset vera, & non posset esse falsa, cum falsum non possit sequi ex vero. Potest etiam esse vera minor, maiori existente falsa. Minus enim extremum, ex. gr. albedo, sicut continetur immediatè in colore, sic contineri potest mediatè in aliquo superiore, puta in qualitate; si ergo illud superius, hoc est qualitas sumatur pro medio, fiet sequens syllogismus; *nulla qualitas est color; omnis albedo est qualitas; ergo nulla albedo est color*, in quo posita conclusio sequitur ex maiori falsa, & minori vera.

10 *In media autem figura, totas quidem esse propositiones ambas falsas, non contingit. Quando enim A omni B insit, nihil erit accipere, quod alteri quidem omni, alteri vero nulli inerit. Oportet autem sic accipere propositiones, vt huic quidem insit, illi vero non insit: siquidem erit syllogismus. Si igitur sic acceptæ falsæ, planum, quòd è contrario è conuerso se habebunt. Hoc autem impossibile.*

11 *In aliquo vero vtranque nihil prohibet falsam esse, quemadmodum si C, & A, & B alicui insit. Si enim A quidem omni acceptum fuerit inesse: B vero nulli: falsæ quidem ambæ propositiones, non tamen totæ, sed in aliquo. Et è conuerso quoque posito priuatiuo, consimiliter.*

12 *Alteram vero falsam esse, & vtramuis, contingit. Quod enim inest A omni, & B inest. Si igitur acceptum fuerit ipsum C inesse quidem toti A, toti vero B non inesse: C A quidem vera erit, B C autem falsa. Rursus, quod B quidem nulli inest, neque A omni inerit. Si enim ipsi A, & ipsi B: sed non inerat. Si igitur acceptum fuerit C. A quidem toti inesse, B vero nulli: B C quidem propositio vera, altera autem falsa. Consimiliter vero & transposito priuatiuo. Quod enim nulli inest A, neque B nulli inerit. Si igitur acceptum fuerit C. A quidem toti non inesse: A C quidem propositio vera erit, altera autem falsa. Et rursus, quod omni B inest, accipere inesse nulli A, falsum. Necesse enim, si B omni, & A alicui inesse. Si igitur acceptum fuerit, C inesse quidem omni B, nulli vero A: C B quidem vera erit, C A autem falsa. Planum igitur, quòd & ambabus existentibus falsis, & altera solum, erit syllogismus deceptorius in indiuiduis.*

10 In secunda figura potest propositio falsa ex. gr. hæc, *nulla albedo est color*, inferri ex duabus præmissis, quarum vtraque sit falsa, vt patet in sequenti syllogismo: *nullus color est nigredo; omnis albedo est nigredo; ergo nulla albedo est color*; at non potest concludi ex duabus præmissis totaliter falsis, ideoque in syllogismo posito, licet minor sit totaliter falsa, tamen illa maior, *nullus color est nigredo*, non est falsa totaliter, sed partialiter, quia non est vera contraria, quod *omnis color sit nigredo*, sed sola contradictoria, quod *aliquis color est nigredo*. Ratio autem vniuersalis, cur in secunda figura conclusio negatiua falsa opposita propositioni veræ & immediatæ non possit inferri ex duabus præmissis totaliter falsis est, quia propositio negatiua falsa opposita veræ immediatæ est totaliter falsa, ita vt eius contraria sit vera, eo pacto, quo propositio illa, *nulla albedo est color*, ita est falsa, vt eius contraria, *omnis albedo est color*, sit vera; sed propositio negatiua totaliter falsa non potest inferri in secunda figura ex duabus præmissis totaliter falsis; ergo &c. Probatur maior, quia eo ipso, quod hæc propositio, *albedo est color*, sit immediata, prædicatum conuenit subiecto per se, omni, & semper, prout requiritur ad propositionem immediatam; ergo eo ipso est verum, quod *omnis albedo est color*; ergo hæc negatiua, quod *nulla albedo est color*, eo ipso, quod opponitur veræ immediatæ, est falsa totaliter.

liter. Probatur iam minor; quia si propositio falsa totaliter, ex. gr. hæc, *nulla albedo est color*, inferretur in secunda figura ex duabus præmissis totaliter falsis, deberet inferri per medium, quod vniuersaliter affirmaretur de omni albedine, vniuersaliter negaretur de omni colore, vel è conuerso, dicendo vel in Cesare; *nullus color est C; omnis albedo est C; ergo nulla albedo est color*; vel in Camestres; *omnis color est C; nulla albedo est C; ergo nulla albedo est color*; sed si medium C hoc pacto se habet, impossibile est, vt & maior, & minor sint totaliter falsæ, ita vt contrariæ sint veræ; ergo propositio negatiua totaliter falsa non potest in secunda figura inferri ex duabus præmissis totaliter falsis. Probatur minor, quia si illæ præmissæ, *nullus color est C; omnis albedo est C*, sunt totaliter falsæ, contrariæ, quæ sunt, *omnis color est C; nulla albedo est C*, sunt veræ; sed ex his sequitur in Camestres eadem conclusio; *ergo nulla albedo est color*, quæ conclusio supponitur falsa; ergo ex duabus præmissis veris sequitur conclusio falsa, quod est impossibile, quia falsum non sequitur ex vero. Si autem illæ præmissæ; *omnis color est C; nulla albedo est C*; sunt totaliter falsæ, sunt veræ contrariæ; *nullus color est C; omnis albedo est C*; ex quibus sequitur in Cesare hæc conclusio, quæ supponitur falsa, *nulla albedo est color*; quod est absurdum, quia ex vero non potest sequi falsum; ergo impossibile est, vt conclusio negatiua totaliter falsa inferatur in secunda figura ex vtraque præmissa totaliter falsa.

11 At verò non repugnat, quod inferatur ex ambabus præmissis partialiter falsis. Potest enim sumi medium, quod particulariter solum insit vtrique extremo, hoc est & colori, & albedini, quod medium sit *intensum vt octo*: si ergo hoc medium de altero extremo vniuersaliter affirmetur, de altero negetur, fient syllogismi sequentes in Cesare, vel in Camestres, in quibus vtraque præmissa erit partialiter falsa, dicendo in Camestres; *omnis color est intensus vt octo; nulla albedo est intensa vt octo; ergo nulla albedo est color*; vel dicendo in Cesare, *nullus color est intensus vt octo; omnis albedo est intensa vt octo; ergo nulla albedo est color*.

12 Demum potest conclusio negatiua falsa contraria propositioni veræ immediatæ, ex gr. hæc, *nulla albedo est color*, inferri in secunda figura ex duabus præmissis, quarum altera sit falsa, altera sit vera. Id verò necessario accidit, si sumatur medium, vel vniuersaliter negabile de maiori extremo, vel vniuersaliter de illo affirmabile. Sumatur enim pro medio *substantia* vniuersaliter negabilis de colore; ergo cum omnis albedo sit color, substantia est etiam vniuersaliter negabilis de albedine; ergo si substantia vniuersaliter negetur de colore, & vniuersaliter affirmetur de albedine, fiet sequens argumentum in Cesare; *nullus color est substantia; omnis albedo est substantia; ergo nulla albedo est color*, in quo maior est vera, minor est falsa. Si verò substantia vniuersaliter affirmetur de colore, & vniuersaliter negetur de albedine, fiet sequens argumentum in Camestres; *omnis color est substantia; nulla albedo est substantia; ergo nulla albedo est color*, in quo maior est falsa, minor est vera. Idem accidit, si sumatur medium vniuersaliter affirmabile de maiori extremo, hoc est de colore, quod medium sit qualitas. Eo enim ipso, cum omnis albedo sit color, qualitas erit vniuersaliter affirmabilis etiam de albedine; ergo si qualitas vniuersaliter negetur de colore, & vniuersaliter affirmetur de albedine, fiet sequens syllogismus in Cesare; *nullus color est qualitas; omnis albedo est qualitas; ergo nulla albedo est color*. Si verò qualitas vniuersaliter affirmetur de colore, & vniuersaliter negetur de albedine, fiet syllogismus sequens in Camestres: *omnis color est qualitas; nulla albedo est qualitas; ergo nulla albedo est color*. Tot igitur modis conclusio negatiua falsa opposita affirmatiuæ veræ potest inferri in secunda figura, vel ex vtraque præmissa falsa, vel ex altera falsa, altera vera.

De modis, quibus conclusio falsa affirmatiua, vel negatiua contraria propositionibus veris mediatis infertur per syllogismum; & de ignorantia puræ negationis. Cap. XVI. Art. II.

13 IN *his vero, quæ insunt non indiuidue, aut non insunt, quando quidem per* pro-

proprium medium efficiatur falsi syllogismus, non possunt ambae falsae esse propositiones, sed ea solum, quae est ad maius extremum. Dico autem proprium medium, per quod fit contradictionis syllogismus. Insit enim A ipsi B per medium C: quoniam igitur necesse est C B affirmatiuam accipi, cùm sit syllogismus: planum, quod semper haec erit vera, non enim conuertitur: A C vero falsa; hac enim conuersa contrarius fit syllogismus.

14 *Consimiliter autem, & si ex alia coordinatione acceptum fuerit medium, vt D licet in toto A sit, & de B omni praedicetur: necesse est D B quidem propositionem manere, alteram vero conuerti. Quare haec quidem semper vera, illa autem semper falsa, Et quasi talis deceptio eadem est ei, quae est per proprium medium.*

POstquam Aristoteles docuit, quo pacto per syllogismum causetur deceptio contrarii propositionibus immediatis, docet quo pacto causetur deceptio contraria propositionibus mediatis. Primo ergo explicat, quo pacto causetur circa negatiuas falsas oppositas affirmatiuis veris mediatis, ex. gr. circa hanc, *nullus homo est risibilis*, quae opponitur huic verae mediatae, *omnis homo est risibilis*: secundo explicat, quo pacto causetur circa affirmatiuas falsas oppositas negatiuis veris mediatis, ex. gr. circa hanc, *omnis homo est quantitas*, quae opponitur huic verae mediatae, *nullus homo est quantitas*: tertio agit de ignorantia purae negationis.

Quoad primum: propositio negatiua vniuersalis falsa opposita verae mediatae, potest solum inferri in prima, & secunda figura, non autem in tertia, quae concludit solum particulariter. In prima figura potest inferri vel per medium proprium, ex quo infertur vera; vel per medium non proprium, ex quo tamen bene probetur vera; vel per medium extraneum, ex quo non bene potest probari vera.

13 Si inferatur per medium proprium, vnicus est modus, vt minor sit vera, maior falsa. Proposito exemplo res explicabitur, ac demonstrabitur. Medium proprium ad demonstrandam hanc veram, *omnis homo est risibilis*, est rationale, quod est causa, vt homo sit risibilis, & ex quo sic demonstratur omnem hominem esse risibilem; *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*. Vt igitur haec negatiua falsa, *nullus homo est risibilis*, concludatur in prima figura per medium proprium, debet concludi per rationale; sed non potest aliter concludi per rationale, nisi mutando maiorem demonstrationis verae in suam contrariam vniuersalem negatiuam, & relinquendo minorem, quae minor mutari non potest, quia in prima figura ad concludendam directè vniuersalem negatiuam, minor debet esse vniuersalis affirmatiua, in eaque medium debet affirmari de minori extremo; ergo sola maior debet esse falsa, minor debet esse vera, ac formari debet sequens syllogismus; *nullum rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est risibilis*.

14 Ex eadem ratione per medium non proprium, ex quo tamen bene probetur propositio vera, non potest in prima figura aliter inferri negatiua falsa, quam ex maiori falsa, & minori vera. Explicatur, & demonstratur exemplo proposito. Haec vniuersalis affirmatiua, *omnis homo est risibilis* potest bene probari per multa media, quae non sint causa risibilitatis in homine, adeoque non sint propria, ex. gr. per animal capax felicitatis, per flebile &c. formando hos syllogismos; *omne capax felicitatis est risibile; omnis homo est capax felicitatis; ergo omnis homo est risibilis; omne flebile est risibile; omnis homo est flebilis; ergo* &c. Si igitur haec negatiua falsa, *nullus homo est risibilis*, concludatur per eadem media, concludetur per media non propria, sed quasi propria; sed non potest per dicta media aliter concludi in prima figura, nisi relinquendo minores, in quibus in prima figura medium semper debet affirmari de minori extremo, ac transmutando maiorem in suam contrariam, adeoque faciendo sequentes syllogismos: *nullum animal capax felicitatis, vel flebile est risibile; omnis homo est capax felicitatis, vel est flebilis; ergo nullus homo est risibilis &c.* ergo in prima figura conclusio negatiua vniuersalis falsa per media, per quae bene probatur vera, seu sint propria, seu non propria, non potest, nisi vnico modo concludi, in quo nimirum maior sit falsa, minor vera.

15 *Si vero non per proprium medium efficiatur syllogismus: quando sub A quidem sit*

sit medium: ipsi vero B nulli insit: necesse est falsas esse ambas. Accipiendæ nanque sunt è contrario, quàm se habent propositiones, si debet syllogismus fieri. Sic autem acceptis ambæ efficiuntur falsæ. Quemadmodum si A quidem toti D inest: D vero nulli eorum, quæ B: his enim conuersis, syllogismus erit, & propositiones ambæ falsæ.

16 *Quando vero medium non sit sub A, vt D, A D quidem vera erit, D B autem falsa. Nam A D quidem vera, quoniam non erat in A ipsum D: D B autem falsa, quoniam si esset vera, & conclusio vera esset: sed erat falsa.*

17 *Sed cum per mediam figuram efficitur deceptio, ambas quidem non contingit falsas esse propositiones totas. Cùm enim sit B sub A, nihil contingit, huic quidem omni, illi vero nulli inesse, quemadmodum dictum est & prius. Alteram autem euenit, & vtramlibet. Si enim C, & A, & B insit: si acceptum fuerit, ipsi quidem A inesse, ipsi vero B non inesse: A C quidem vera erit, altera autem falsa. Rursus, si acceptum fuerit C ipsi quidem B inesse, A vero nulli: B C quidem vera erit, altera autem falsa. Si igitur priuatiuus sit deceptionis syllogismus, dictum est, quando, & per quæ erit deceptio.*

15 Si negatiua falsa inferatur in prima figura per medium extraneum, per quod nimirum non potest bene probari opposita vera, quando medium est vniuersaliter negabile de minori extremo, maius verò extremum est affirmabile de ipso, tum & maior, & minor sunt totaliter falsæ. Explicatur, ac probatur proposito exemplo. Sit hæc negatiua falsa, *nullus homo est viuens*, opposita huic veræ mediatæ, *omnis homo est viuens*, quæ est demonstrabilis per animal, tanquam per medium proprium. Sumatur arbor, quæ est medium extraneum vniuersaliter negabile de homine, quod est minus extremum, si quidem *nullus homo est arbor*, & de quo vniuersaliter est affirmabile viuens, quod est maius extremum, nam *omnis arbor est viuens*. Dico, quod si per tale medium probetur negatiua falsa in prima figura, vtraque præmissa erit totaliter falsa, & fiet sequens syllogismus in Celarent; *nulla arbor est viuens; omnis homo est arbor; ergo nullus homo est viuens*. Ratio est, quia in prima figura ad concludendam directè vniuersalem negatiuam, in maiori debet de medio vniuersaliter negari maius extremum; sed ex suppositione sumitur medium, de quo maius extremum est vniuersaliter affirmabile; ergo maior est totaliter falsa, ita vt contraria sit vera. Rursus in minori debet medium vniuersaliter affirmari de minori extremo; sed ex suppositione sumitur medium vniuersaliter negabile de minori extremo; ergo etiam minor est totaliter falsa, ita vt contraria sit vera.

16 Demum si negatiua falsa inferatur in prima figura per medium extraneum, de quo maius extremum sit vniuersaliter negabile, sola minor erit falsa. Explicatur, ac demonstratur proposito exemplo. Ad inferendam hanc negatiuam falsam, *nullus homo est viuens*, sumatur, medium extraneum, de quo viuens sit vniuersaliter negabile, ex. gr. lapis; maior, quæ necessario est negatiua, erit vera, puta hæc, *nullus lapis est viuens*; sed non potest conclusio falsa inferri ex vtraque præmissa vera; ergo minor erit falsa, & fiet sequens syllogismus in Celarent: *nullus lapis est viuens; omnis homo est lapis; ergo nullus homo est viuens*.

17 In secunda figura negatiua falsa non potest inferri ex vtraque præmissa totaliter falsa. Si enim prædicatum est vniuersaliter affirmabile de subiecto; ergo nihil datur vniuersaliter affirmabile de vno, vniuersaliter negabile de altero, vt dictum est num. 10. agendo de propositionibus negatiuis falsis oppositis veris immediatis. Potest igitur solum negatiua falsa inferri ex altera præmissa totaliter falsa, siue sit maior, siue minor. Explicatur, ac demonstratur proposito exemplo. Sit enim negatiua; *nullus homo est risibilis*: sumatur medium vniuersaliter affirmabile tum de homine, tum de risibili, ex. gr. animal: potest per hoc medium inferri posita conclusio, vel in Cæsare, negando illud vniuersaliter de risibili, & affirmando de homine, ac dicendo; *nullum risibile est animal; omnis homo est animal; ergo nullus homo est risibilis*: vel in Camestres, affirmando illud vniuersaliter de risibili, ac negando de homine, ac dicendo: *omne risibile est animal; nullus homo est animal; ergo nullus homo est risibilis*. In primo casu maior est totaliter falsa, minor vera; in secundo maior est vera, minor est falsa totaliter; ergo non potest

test conclusio negatiua falsa concludi in secunda figura ex vtralibet præmissa totaliter falsa, sumendo medium vniuersaliter affirmabile de vtroque extremo. Explicatum igitur est, quot modis negatiua falsa mediata concludi possit, tum in prima, tum in secunda figura.

18 *Sin autem affirmatiuus, quando quidem per proprium medium, impossibile ambas esse falsas. Necesse est enim C B manere, si quidem erit syllogismus, quemadmodum dictum est & prius. Quare C A semper erit falsa: hæc enim est, quæ conuertitur. Consimiliter autem, & si ex alia coordinatione accipiatur medium, quemadmodum dictum est & in priuatiua deceptione. Necesse enim D B quidem manere, A D autem conuerti, & deceptio eadem est ei, quæ prius.*

19 *Quando autem non per proprium: si D quidem sit sub A, hæc quidem erit vera, altera autem falsa: euenit enim A pluribus inesse, quæ non sunt sub se inuicem.*

20 *Si vero non sit D sub A planum quidem, quòd hæc semper erit falsa, affirmatiua nanque accipitur, D B vero contingit & veram esse, & falsam: nihil enim prohibet, A quidem nulli D inesse, D vero ipsi B omni: vt animal scientiæ, scientiam autem musicæ. Neque rursus si neque A nulli eorum, quæ D, neque D nulli eorum, quæ B. Manifestum igitur, quòd non existente medio sub A, & ambas euenit falsas esse, & vtram volueris. Quot igitur modis, & per quæ euenit fieri deceptiones, quæ secundum syllogismum, & in immediatis, & in ijs, quæ per demonstrationem, manifestum.*

18 Quoad secundum: postquam Aristoteles explicauit, quo pacto possit concludi vniuersalis negatiua falsa, explicat, quo pacto possit concludi vniuersalis affirmatiua falsa. Vniuersalis affirmatiua falsa opposita negatiuæ veræ mediatæ, non potest inferri in secunda figura, quia secunda figura concludit solum negatiuè; nec potest inferri in tertia, quia tertia figura concludit solum particulariter; ergo potest solum concludi in prima figura, & in Barbara. Per medium proprium, per quod bene probetur opposita negatiua vera, non potest concludi, nisi vnico modo, ita vt scilicet sola maior sit falsa. Probatur, & explicatur proposito exemplo. Sit hæc falsa mediata, *omnis color est substantia*. Medium proprium ad demonstrandam oppositam negatiuam veram est qualitas, ex qua sic demonstratur; *nulla qualitas est substantia; omnis color est qualitas; ergo nullus color est substantia*. Si per tale medium debeat inferri affirmatiua falsa, quod omnis color est substantia, minor affirmatiua, in qua qualitas, quæ est medium prædicatur de colore, quod est minus extremum, debet manere eadem, ac sola maior debet mutari in contrariam vniuersalem negatiuam, iuxta dicta supra num. 13. Debet igitur fieri sequens syllogismus; *omnis qualitas est substantia; omnis color est qualitas; ergo omnis color est substantia*; in quo sola maior est falsa, minor est vera. Eadem demonstratio fieri potest ad ostendendum, quod si medium non est proprium, dummodo per illud possit probari opposita vera, sola maior debet esse falsa.

19 Cum sumitur medium extraneum, de quo maius extremum sit vniuersaliter prædicabile, tum affirmatiua vniuersalis falsa infertur ex maiori vera, minori falsa. Explicatur, ac demonstratur exemplo. Sit hæc falsa mediata, *omne animal est scientia*: sumatur medium extraneum, de quo scientia prædicetur vniuersaliter, ex. gr. musica: maior, in qua maius extremum prædicatur de tali medio, necessariò erit vera; ergo sola minor erit falsa, & fiet sequens syllogismus: *omnis musica est scientia; omne animal est musica; ergo omne animal est scientia*.

20 Si verò sumatur medium, de quo maius extremum vniuersaliter negetur, maior, in qua maius extremum vniuersaliter prædicatur de medio, semper erit falsa, minor verò aliquando erit vera, aliquando falsa. Explicatur, ac demonstratur proposito exemplo. Ad concludendam hanc, *omne animal est scientia*, potest sumi medium, de quo nec scientia negetur vniuersaliter, nec ipsum prædicetur vniuersaliter de animali, ex. gr. habitus; potest etiam sumi medium, de quo ita scientia non negetur vniuersaliter, vt ipsum prædicetur vniuersaliter de animali, ex. gr. substantia; sed in primo casu vtraque præmissa erit falsa, & fiet sequens syllogismus: *omnis habitus est scientia; omne animal est habitus; ergo omne animal est scientia*; in secundo casu falsa erit sola maior, & fiet sequens syllogismus; *omnis substantia est scientia; omne*

animal est substantia; ergo omne animal est scientia. Explicatum igitur est quot modis possit concludi affirmatiua falsa opposita veræ mediatæ.

Text.33.

21 *Planum autem est & quòd si quis sensus defecerit, necesse & scientiam aliquam deficere, quam impossibile est accipere, si quidem addiscimus, aut inductione, aut demonstratione. Est autem demonstratio ex vniuersalibus, inductio vero ex ijs, quæ secundum partem. Impossibile autem vniuersalia speculari, nisi per inductionem, quoniam & quæ ex abstractione dicuntur, erunt per inductionem nota, si quis voluerit nota facere, quòd insunt vnicuique generi nonnulla, & si non separabilia sunt, secundum quòd tale hoc vnumquodque: inducere autem non habentes sensum impossibile. Singularium namque sensus est. Non enim contingit accipere ipsorum scientiam. Neque enim ex vniuersalibus sine inductione, neque per inductionem sine sensu.*

21 Quoad tertium: postquam Aristoteles egit de ignorantia prauæ dispositionis, quæ fit per syllogismum, agit de ignorantia puræ negationis, quæ fit absque syllogismo. Docet igitur necesse esse, vt qui à natiuitate caret aliquo sensu, careat scientia sensibilium propriorum talis sensus: ex. gr. qui cæcus est à natiuitate, caret scientia colorum, qui surdus est à natiuitate caret scientia sonorum &c. Probatur: non enim possumus aliter addiscere, quàm per inductionem, vel per demonstrationem. Acquirimus nimirum scientiam conclusionum per demonstrationem ex vniuersalibus: intellectum verò principiorum acquirimus per inductionem ex singularibus. Et licet aliqua principia sint abstracta à materia sensibili, cuiusmodi sunt principia metaphysicæ, & mathematicæ, vt *omne totum est maius parte &c.* tamen ipsas rationes totius, & partis, entis &c. debemus primo abstrahere ab aliquo indiuiduo sensato, adeoque etiam talia principia colligimus per inductionem; sed inductionem ex singularibus facere non possumus sine sensu, cum sensus sit potentia primo cognoscitiua singularium; ergo qui caret aliquo sensu, non potest per inductionem colligere principia de sensibilibus proprijs talis sensus; sed si non potest colligere principia propriorum sensibilium, nec potest ex principijs procedere ad scientiam conclusionum; ergo qui caret aliquo sensu non potest obtinere scientiam de proprijs sensibilibus. Explicatur: qui caret visu non potest percipere rationem propriam albedinis, nigredinis, coloris, lucis &c; ergo neque potest colligere principia propria circa albedinem, nigredinem &c, hoc est eorum definitionem propriam; sed ex principijs proprijs, ac præsertim ex definitione inferuntur proprietates; ergo non potest obtinere scientiam proprietatum. Non tamen repugnat, vt carens aliquo sensu, habeat aliqualem scientiam proprietatum sensibilium secundum rationes communes abstrahibiles per alios sensus, & secundum aliquas proportiones, & similitudines.

Proponitur quæstio, an demonstrationes possint in infinitum procedere sursum, deorsum, vel quoad media. Cap.XVI. Articulus Primus.

Text.34.

1 *Est autem omnis syllogismus per tres*
2 *terminos, * & qui quidem monstrare potest, quòd A inest ipsi C, eo quòd inest ipsi B, & hoc ipsi C: priuatiuus autem alteram quidem propositionem habens, quòd aliud quid alij inest, alteram vero, quòd non inest.*

3 *Manifestum igitur, quòd principia, & quæ dicuntur suppositiones hæ sunt. Accipientem enim hæc ita necesse est monstrare, vt quòd A inest ipsi C per B. Rursus vero, quòd A ipsi B per aliud medium, & quòd B ipsi C consimiliter.*

4 *Secundum opinionem igitur syllogizantibus & solum dialecticè planum, quòd hoc solum considerandum si ex quibus contingit probabilissimis fiat syllogismus. Quare, & si est aliquid in veritate eorum quæ sunt A B, medium, videtur autem non esse, qui per hoc syllogizauit, syllogizatus est dialecticè. Ad veritatem autem ex ijs, quæ sunt, oportet considerare: se habet autem sic.*

5 *Quoniam est, quòd ipsum quidem de alio prædicatur non secundum accidens. Dico autem secundum accidens, vt album aliquando illud dicimus esse hominem, non*

similiter dicentes, & hominem album. Hic quidem enim non alterum aliquid existens album est album vero, quoniam accidit homini esse albo. Sunt itaque nonnulla talia, vt per se prædicentur.

POstquam Aristoteles egit de demonstratione, ipsius materia, & forma, ac de syllogismo deceptionis opposito demonstrationi, procedit ad inquirendum, vtrum demonstrationes possint procedere in infinitum, sursum, deorsum, vel quoad media? & primo quidem præmittit quædam necessaria ad intelligendum statum quæstionis: secundo proponit varias dubitationes ad quæstionem pertinentes.

1 Quoad primum: pro quæstionis intelligentia quædam sunt præmittenda. Primum est: demonstratio, & vniuersim omnis syllogismus constare debet ex tribus terminis, maiori nimirum extremo, quod est prædicatum conclusionis; minori extremo, quod est subiectum conclusionis; & medio termino.

2 Secundum est: demonstratio diuiditur in affirmatiuam, & negatiuam. Affirmatiua probat prædicatum conclusionis conuenire subiecto ex eo, quod conueniat vniuersaliter alicui medio, quod vniuersaliter prædicatur de subiecto conclusionis. Hæc demonstratio potest solum fieri in prima figura, in qua sola potest inferri vniuersalis affirmatiua, quæ potissimum quæritur in scientijs. Demonstratio negatiua debet constare ex duabus præmissis, altera affirmatiua, altera negatiua, diuersimode dispositis terminis in prima, vel in secunda figura, vt dictum est in libris Priorum.

3 Tertium est: quandoquidem demonstratio constare debet ex tribus terminis, ac duabus propositionibus dispositis modo prædicto, tales propositiones sunt principia, & suppositiones demonstrationis, quibus suppositis, necessario sequitur conclusio. Demonstrator enim demonstrat prædicatum de subiecto conclusionis per aliquod medium; & si rursus debeat demonstrare aliquam ex præmissis, demonstrat per aliud medium, & rursus per aliud, donec perueniatur ad immediata, ex quibus suppositis, cætera necessario sequuntur.

4 Quartum est: licet demonstrator, & Dialecticus conueniant in hoc, quod vterque probat conclusiones intentas ex quibusdam suppositionibus, differunt tamen per hoc, quod dialecticus, cum peruenerit ad aliquas propositiones, quæ licet non sint immediatæ, probabiliter videntur immediatæ, sistit in illis, ac non probat vlterius: at demonstrator non sistit in propositionibus, quæ videntur veræ, & immediatæ, sed solum in propositionibus, quæ sunt veræ, & immediatæ, ac medio carentes. Ratio discriminis est, quia dialecticus quærit solum probabilitatem, & apparentiam, ideoque procedit ex principijs probabilibus, & apparentibus: at demonstrator quærit scientiam veritatis, ideoque procedit ex principijs, quæ non solum videntur, sed sunt.

5 Rursus demonstrator non sumit principia vera solum per accidens, sed vera per se. Propositio per accidens duplex est. Prima est, in qua subiectum prædicatur de accidente, vt cum dicitur, *album est homo*. Neque enim homo dicitur de albo, eo quod homo accidat alteri, sed eo quod album accidit homini. Secunda est in qua accidens prædicatur de subiecto, vt cum dicitur, *homo est albus*. Albedo enim accidit homini, cum neque albedo includatur in definitione hominis, neque homo includatur in definitione albedinis. Has propositiones per accidens sumit vt principia dialecticus, non autem demonstrator, qui solum sumit propositiones per se, in quibus nimirum vel prædicatum includitur in definitione subiecti, vel subiectum includitur in definitione prædicati, vt magis explicatum est cap. 5. num. 4.

6 *Sit igitur C tale, quod ipsum quidem non amplius insit alij, huic autem B primo, & non sit aliud intermedium, & rursus E ipsi ipsum F consimiliter, & hoc ipsi B: an igitur hoc necesse est stare, aut contingit in infinitum ire?*

7 *Et rursus si de A quidem nihil prædicatur per se. A vero ipsi H inest primo, intermedio autem nulli priori, & H ipsi G, & hoc ipsi B: an & hoc stare necesse est, aut & hoc contingit in infinitum ire? differt autem hoc à priori tantum, quoniam hoc quidem est, an contingit incipienti à tali, quod nulli inest alteri, sed aliud illi, sursum in infinitum ire: alterum vero incipientem à tali, quod ipsum quidem de alio, de illo autem nihil prædicatur, deorsum considerare, si contingit in infinitum ire.*

8 *Amplius media an contingit infinita esse deter-*

determinatis extremis. Dico autem veluti, si A ipsi C inest, medium vero ipsorum B, ipsius vero B, & A altera: horum autem altera, an & hæc in infinitum contingit ire, aut impossibile? est autem hoc considerare idem, & si demonstrationes in infinitum vadunt: & si est demonstratio cuiusque, aut ad se inuicem terminantur.

6 Quoad secundum: his præmissis proponit Aristoteles tres quæstiones circa tres terminos demonstrationis. Prima quæstio circa maius extremum est, vtrum supposito aliquo vltimo, & indiuiduo subiecto, quod non habeat sub se subiectum inferius, possit dari processus in infinitum in prædicatis vniuersalioribus, & vniuersalioribus sine termino, an verò debeat tandem sisti in aliquo prædicato vniuersalissimo, quod non habeat supra se prædicatum vniuersalius. Ex. gr. *Petrus* est aliquod subiectum vltimum, quod non potest prædicari de subiecto inferiori: de *Petro* prædicatur immediatè, & vt quid superius *homo*, qui est species infima: de homine prædicatur immediatè *animal*: de animali, viuens: de viuente corpus &c. Quæritur vtrum possit procedi in infinitum in prædicatis immediatis superioribus, & superioribus; an potius debeat sisti in aliquo supremo, & vniuersalissimo prædicato, quod non habeat supra se aliquod aliud prædicatum.

7 Secunda quæstio circa minus extremum, hoc est circa subiectum conclusionis est, vtrum supposito, quod detur aliquod prædicatum supremum, & uniuersalissimum, ita ut nihil detur superius, & uniuersalius ipso, possit dari processus in infinitum in subiectis inferioribus, hoc est minus, & minus uniuersalibus sine termino, an uerò debeat sisti in aliquo subiecto ultimo, quod non habeat sub se aliud subiectum. Ex. gr. intelligibile est uniuersalissimum prædicatum, quod immediatè prædicatur de ente, ut de subiecto inferiori, quod ens prædicatur immediate de substantia, quæ substantia prædicatur immediatè de corpore. Quæritur utrum possit procedi in infinitum sine termino, an debeat sisti in aliquo subiecto infimo, quod non habeat sub se aliud subiectum inferius. In prima igitur quæstione quæritur, utrum incipiendo ab infimo dari possit processus in infinitum, ascendendo sursum ad superiora. In secunda quæritur, utrum incipiendo à supremo, dari possit processus in infinitum descendendo deorsum ad inferiora.

8 Tertia quæstio circa medium est, vtrum supposito supremo, & vniuersalissimo prædicato, & infimo, ac particularissimo subiecto, possint inter ipsa dari infinita media: ex. gr. supposito, quod Petrus sit infimum subiectum, & intelligibile sit supremum prædicatum, quæritur vtrum inter Petrum, & intelligibile dari possint infinita media, ita vt inter intelligibile, & Petrum detur medium, & inter intelligibile, & medium detur aliud medium, & sic sine termino. In his porro quæstionibus quæritur, vtrum detur processus in infinitum in demonstrationibus ascendendo, descendendo, & per media. Si enim dato vltimo subiecto, sunt possibilia plura, & plura prædicata vniuersaliora, & vniuersaliora sine termino, possunt de tali subiecto demonstrari ascendendo prædicata vniuersaliora, & vniuersaliora sine termino: ex. gr. de Petro per hominem poterit demonstrari animal, dicendo: *omnis homo est animal; Petrus est homo; ergo Petrus est animal*: rursus per *animal* poterit demonstrari *viuens*, per *viuens corpus*, per *corpus substantia*, & sic in infinitum ascendendo semper ad prædicata vniuersaliora, & vniuersaliora. Similiter si dato primo, & vniuersalissimo prædicato sunt possibilia subiecta particulariora, & particulariora sine termino, poterit tale prædicatum demonstrari per infinitas demonstrationes de subiectis particularioribus, & particularioribus descendendo: ex. gr. poterit *intelligibile* demonstrari de *substantia* per *ens* dicendo: *omne ens est intelligibile; omnis substantia est ens; ergo omnis substantia est intelligibilis*: poterit rursus per *substantiam* demonstrari de *corpore*, per *corpus* de *viuente*, per *viuens* de *homine*, & sic in infinitum descendendo ad subiecta particulariora, & particulariora. Demum si posito supremo, & vniuersalissimo prædicato, & infimo, ac particularissimo subiecto, dentur infinita media, omnes propositiones, seu præmissæ erunt demonstrabiles, nec peruenietur ad propositiones immediatas. Ex. gr. inter Petrum, & intelligibile mediat corpus; ergo per corpus potest demonstrari, quod Petrus est intelligibilis dicendo; *omne corpus est intelligibile; Petrus est corpus; ergo Petrus est intelligibile*: inter corpus, & intelligibile mediat aliud medium; & similiter

ter inter Petrum, & corpus mediat aliud medium; ergo maior, & minor sunt demonstrabiles, adeoque omnes propositiones, seu præmissæ sunt demonstrabiles, qui est error reiectus supra cap.3.

9 *Consimiliter autem dico & in priuatiuis syllogismis, ac propositionibus: vt A inest B nulli, aut primo: aut erit aliquid medium, cui priori non inest, veluti si ipsi C quid B inest omni: & rursus alij adhuc priori hoc, vt si ipsi A, quod C omni inest: in his etenim, aut infinita, quibus non inest priora-rus, aut stant.*

10 *In ijs vero, quæ conuertuntur, non similiter se habet. Non est enim in ijs, quæ retrouersum prædicantur, de quo primo prædicatur, aut vltimo: omnia enim ad omnia sic consimiliter se habent, siue sunt infinita, quæ de ipso prædicantur, siue vtraque sunt, quæ dubitantur, infinita, præterquam quòd si non similiter contingit conuerti, sed hoc quidem vt accidens, illud vero vt prædicamentum.*

9 Quæstiones explicatæ procedunt proportionaliter de propositionibus negatiuis. Sit enim propositio negatiua, *Petrus non est qualitas*: vel qualitas primo negatur de Petro, vel prius negatur de aliquo priori, & vniuersaliori, quod est affirmabile de Petro, puta de homine, ita vt per hominem possit negari de Petro, dicendo; *nullus homo est qualitas; Petrus est homo; ergo Petrus non est qualitas*: & rursus qualitas negatur ne primo de homine, an prius de animali, quod est superius homine? & adhuc prius negatur de viuente, & prius de corpore, & sic in infinitum? vel potius finita solum sunt illa, de quibus qualitas negatur prius, quam de Petro, & inuenitur aliquid, de quo primo negetur qualitas? Similiter si qualitas primo negatur de substantia, & media substantia de corpore, medio corpore de viuente, sunt ne infinita subiecta particulariora, & particulariora, de quibus qualitas potest negari descendendo; an potius sistitur in aliquo vltimo, & particularissimo subiecto?

10 Non tamen procedunt istæ quæstiones de prædicatis conuertibilibus, cuiusmodi sunt propriæ passiones. Nam ex prædicatis conuertibilibus, seu sint infinita, seu finita, nullum est prius altero, nullum posterius, nullum est primum, vel vltimum prioritate, de qua loquimur, quæ est prioritas à subsistendi consequentia: ex. gr. siue prædicata conuertibilia cum homine, cuiusmodi sunt rationale, admiratiuum, risibile, flebile &c. sint finita siue infinita, eodem pacto conuertuntur, ita vt sicut *omnis homo est admiratiuus, sic omne admiratiuum sit homo*, adeoque nullam habent prioritatem, vel posterioritatem à subsistendi consequentia. Possunt tamen habere aliquam aliam prioritatem causalitatis, per quam rationale sit causa admiratiui, admiratiuum risibilis &c. ex qua prioritate oritur, vt propositio, in qua effectus prædicatur de causa, sit naturalis, & per se, propositio in qua causa prædicatur de effectu sit innaturalis, & per accidens: ex. gr. hæc propositio, *omne rationale est admiratiuum*, est per se, quia admiratiuum, quod est effectus, prædicatur de rationali, quod est causa: at hæc, *omne admiratiuum est rationale*, est innaturalis, & per accidens ex opposita ratione. Ex hoc verò oritur rursus, vt prædicatum, quod est causa, debeat assumi vt medium ad demonstrandum id, quod est effectus. Et quia essentia, ac definitio est causa cæterorum conuertibilium, ideo definitio est primum medium demonstrationis. Sed de hac prioritate, & posterioritate conuertibilium non agimus in præsentia.

Ostenditur non posse procedi in infinitum in medijs, nisi procedatur in infinitum in extremis; ac non posse procedi in infinitum in negatiuis, nisi procedatur in infinitum in affirmatiuis. Caput XVI. Art. II.

11 *QVòd igitur intermedia non contingit infinita esse, si deorsum, & sursum stent prædicamenta, manifestum. Dico autem sursum, quod in magis vniuersale, deorsum vero, quod ad id, quod secundum partem.*

12 *Si enim A prædicante de F, infinita sunt in-*

intermedia, in quibus est B: planum, quòd contingere posset, vt & ab A in deorsum alterum de altero prædicaretur in infinitum: antequam enim in F deueniatur, infinita sunt intermedia: & ab F sursum infinita, antequam ad A deueniatur: quare si hæc impossibilia, & ipsius A, & F impossibile infinita esse media.

23 *Neque enim si quis diceret, quòd alia quidem sunt ipsorum A B C inuicem, vt non sit medium, alia vero non est accipere, nihil differt. Quodcunque enim accepero eorum, quæ B erit ad A, aut ad F, aut infinita media, aut non: quo autem sint, primum infinita, siue statim, siue non statim nihil differt: quæ enim sunt post hæc, infinita sunt.*

PRopositis quæstionibus, antequam Aristoteles illas vltimo decidat, probat primo, quod tertia quæstio de medijs pendet à prima, & secunda quæstione de extremis, ita vt si non potest dari processus in infinitum in extremis, nec possit dari processus in infinitum in medijs: secundo ostendit, quod quæstio de demonstrationibus negatiuis pendet à quæstione de affirmatiuis, ita vt si non potest dari processus in infinitum in demonstrationibus affirmatiuis, nec possit dari in negatiuis.

11 Quoad primum: si non potest procedi in infinitum sursum in prædicatis vniuersalioribus, & vniuersalioribus, neque deorsum in subiectis particularioribus, & particularioribus, sed debet dari supremũ, & vniuersalissimum prædicatum, & infimum, ac particularissimum subiectum, nec possunt dari infinita media; ergo quæstio de medijs pendet à quæstionibus de extremis.

12 Probatur antecedens: sit enim infimum subiectum *Petrus*, & supremum prædicatum *intelligibile*: si inter Petrum, & intelligibile sunt infinita media vniuersaliora, & vniuersaliora Petro; ergo datur infinitum sursum in prædicatis vniuersalioribus, & vniuersalioribus; & si sunt infinita media particulariora, & particulariora intelligibili; ergo datur infinitum deorsum in subiectis particularioribus, & particularioribus; ergo si neque dari potest infinitum sursum, neque infinitum deorsum, sequitur, quod neque possit dari processus in infinitum in medijs. Non enim agimus de medijs conuertibilibus, sed de medijs vniuersalioribus minori extremo, ac minus vniuersalibus maiori extremo.

13 Quia verò posset aliquis respondere hanc rationem valere solum de medijs habitis, siue hærentibus, non autem de medijs non hærentibus, inter quæ nimirum aliquid mediat, eo pacto, quo inter punctum, & punctum semper mediat linea, ideo Aristoteles probat rationem allatam æquè valere, seu media hæreant, seu non hæreant. Sit enim Petrus, & intelligibile, inter quæ mediet F, siue hærens, siue non hærens: adhuc inter F, & intelligibile mediet aliud, quod vocetur C vniuersalius, quam F, & minus vniuersale, quam intelligibile: & adhuc inter C, & intelligibile mediet D, & sic in infinitum; ergo ascenditur sursum per infinita prædicata vniuersaliora, & vniuersaliora, siue hæreant siue non hæreant; ergo si impossibilis est infinitus ascensus sursum, impossibile est, vt dentur infinita media, siue hærentia, siue non hærentia. Similiter inter intelligibile, & Petrum mediet B, siue hærens, siue non hærens: & inter B, & Petrum mediet C, minus vniuersale, quam B, & magis vniuersale, quam Petrus, & sic in infinitum; ergo descenditur deorsum per subiecta minus, & minus vniuersalia in infinitum; ergo si est impossibilis talis descensus, est impossibile, vt sint infinita media; ergo tertia quæstio de medijs pendet à prima, & à secunda de extremis.

14 *Planum autem & in priuatiua demonstratione, quòd stabitur, si quidem in prædicatiua statur ad vtraque. Sit enim non contingens, neque sursum ab vltimo in infinitum ire (dico autem vltimum, quod ipsũ quidem alij nulli inest, illi vero aliud, vt F:) neque à primo in vltimum (dico autem primum, quod ipsum quidem de alio, de illo vero nihil aliud) si vtique hæc sunt, & in negatione stabitur. Tripliciter namque monstratur non existens: aut enim cui quidem ipsum C. B inest omni, cui vero ipsum B, ipsum A nulli. Ipsius itaque B C, & semper alterius distantiæ, necesse est progredi ad immediata: prædicatiua namque est hæc distantia: alterum vero manifestum, quòd si alij non inest priori, vt ipsi D, hoc oportebit ipsi B omni inesse: & si rursus alij priori ipso D non inest, illud oportebit ipsi D omni inesse: quare quoniam, quæ sursum est, via stat, & quæ deorsum sta-*

stabit, & erit aliquid primo, cui non inest.

14 Quoad secundum: probat Aristoteles, quod si non potest dari processus in infinitum in demonstrationibus affirmatiuis, neque possit dari processus in infinitum in negatiuis. Supponatur enim, quod à subiecto vltimo non posit demonstrando sursum procedi in infinitum ad prædicata vniuersaliora, & vniuersaliora, ita vt de Petro ex. gr. per hominem demonstretur animal, dicendo; *omnis homo est animal; Petrus est homo; ergo Petrus est animal*: per animal demonstretur viuens; per viuens corpus; per corpus substantia; & sic in infinitum. Supponatur rursus, quod non posit ab vniuersalissimo prædicato dari processus in infinitum deorsum ad prædicata minus, & minus vniuersalia, ita vt intelligibile affirmetur de ente, & per ens de substantia, dicendo; *omne ens est intelligibile; omnis substantia est ens; ergo omnis substantia est intelligibilis*; & per substantiam de corpore; per corpus de viuente; per viuens de animali; per animal de homine, & sic in infinitum. Si inquam non posit procedi in demonstrationibus affirmatiuis in infinitum sursum, neque deorsum, neque potest procedi in infinitum in negatiuis. Probatur, quia conclusio negatiua potest demonstrari vel in prima figura, vel in secunda, vel in tertia; in nulla potest procedi in infinitum, si non potest in affirmatiuis; ergo &c. Probatur minor, & primo quoad primam partem, quod nimirum in prima figura procedi non posit in infinitum. In prima enim figura concluditur prædicatum non conuenire subiecto, quia prius non conuenit medio, quod vniuersaliter prædicatur de subiecto conclusionis: ex. gr. in Celarent: *nullum animal est quantitas; omnis homo est animal; ergo nullus homo est quantitas*; concluditur, quod quantitas non conuenit homini, quia prius non conuenit animali, quod vniuersaliter dicitur de homine. Iam si minor, *omnis homo est animal*, est mediata, cum sit affirmatiua, non possunt homo, & animal ita esse distracta, vt interponantur infinita media, vt supponitur; sed neque si maior, *nullum animal est quantitas*, sit mediata, possunt interponi infinita media; ergo neque ex parte maioris, neque ex parte minoris, potest procedi in infinitum. Probatur minor: si enim hæc, *nullum animal est quantitas*, sit mediata, probari debet ex eo, quod quantitas prius, quam de animali negetur, negatur vniuersaliter de aliquo vniuersaliori, quod affirmetur vniuersaliter de animali, & per consequens de homine, ex gr. de viuente, dicendo: *nullum viuens est quantitas; omne animal est viuens; ergo nullum animal est quantitas*: & si iterum maior, *nullum viuens est quantitas*, sit mediata, quantitas debet prius negari de aliquo vniuersaliori, quod vniuersaliter affirmetur de viuente, & per consequens de animali, ac de homime, ex. gr. de corpore, dicendo; *nullum corpus est quantitas; omne viuens est corpus; ergo &c.* si rursus maior; *omne corpus est quantitas*, sit mediata, quantitas debet prius negari de aliquo vniuersaliori, quod vniuersaliter prædicetur de corpore, viuente, animali, & homine, ex. gr. de substantia; sed in prædicatis vniuersalioribus, & vniuersalioribus Petro, qui positus est vt vltimum subiectum, non potest procedi in infinitum; ergo deueniendum est ad aliquod vniuersalissimum, de quo immediatè negetur quantitas, ita vt nihil mediet, quale subiectum est substantia: est enim immediata hæc negatiua, *nulla substantia est quantitas*; ergo si non potest procedi in infinitum in prædicatis vniuersalioribus, & vniuersalioribus per demonstrationes affirmatiuas, nec potest procedi in infinitum in demonstrationibus negatiuis in prima figura, sed deueniendum est ad negatiuas immediatas.

15 *Rursus si B quidem omni A: ipsi vero C nulli: ipsum A eorum, quæ C, nulli inest. Rursus hoc si oportet monstrare, planum, quòd aut per superiorem modum monstrabitur, aut per hunc, aut tertium. Primus igitur dictus fuit: secundus vero monstrabitur. Sic autem vtique monstraret, vt quòd D ipsi quidem B omni inest, si vero C nulli, si necesse est inesse aliquid ipsi B. Et rursus, si hoc ipsi C non inerit, aliud ipsi D inest, quod ipsi C non inest: igitur quoniam inesse semper superiori stat, stabit & non inesse.*

15 Probatur iam secunda pars minoris, quod nimirum neque in secunda figura posit procedi in infinitum in demonstrationibus negatiuis. Hæc negatiua ex.gr.

nullus

nullus homo est albedo, demonstratur eo eo, quod medium vniuersaliter de altero extremorum affirmetur, de altero negetur, dicendo in Camestres; *omnis albedo est color; nullus homo est color; ergo nullus homo est albedo*; sed neque in probatione maioris affirmatiuæ potest procedi in infinitum, vt supponitur, neque in probatione minoris negatiuæ; ergo &c. Probatur minor, quia vel minor negatiua probatur per primam figuram, vel per secundam, vel per tertiam; si per primam, non potest procedi in infinitum, vt iam probatum est; neque si per secundam, & tertiam; ergo &c. Probatur minor, & primo, quod non possit procedi in infinitum, probando illam negatiuam, *nullus homo est color*, in secunda figura: deberet enim probari per hoc, quod aliud medium, ex gr. qualitas, affirmaretur vniuersaliter de colore, & negaretur vniuersaliter de homine, dicendo; *omnis color est qualitas; nullus homo est qualitas; ergo nullus homo est color*: & si minor negatiua sit mediata, deberet inueniri aliud medium affirmabile vniuersaliter de qualitate, & negabile de homine, & sic in infinitum; ergo deberent inueniri media vniuersaliora, & vniuersaliora (de medijs enim conuertibilibus non agimus,) quorum primum, hoc est color, affirmaretur vniuersaliter de albedine, secundum, hoc est qualitas, affirmaretur vniuersaliter de colore, tertium affirmaretur vniuersaliter de qualitate, & sic in infinitum; sed non possunt dari infinita media affirmabilia vniuersaliora, & vniuersaliora, vt supponitur; ergo &c. Idem dic, si procedatur in Cesare, ita vt minor sit affirmatiua: deberent enim inueniri infinita media affirmabilia vniuersaliora, & vniuersaliora minori extremo, sicut procedendo in Camestres deberent inueniri infinita media vniuersaliora, & vniuersaliora maiori extremo, vt explicatum est. Si verò dicatur, quod aliquando procedetur in Cesare, aliquando in Camestres, hoc reijcietur ab Aristotele paulo post; ergo non potest procedi in infinitum, neque in prima, neque in secunda figura.

16 *Tertius vero modus fuerat, si A quidem B omni inest, ipsum vero C non inest, non omni inest C, cui A. Rursus vero hoc aut per superius dicta, aut similiter monstrabitur. Illo quidem itaque modo statur. Sin autem sic, iterum accipietur B inesse ipsi E, cui ipsum C non omni inest, & hoc rursus consimiliter. Quoniam autem suppositum est stari & deorsum, planum, quòd stabit & C non inexistens.*

17 *Manifestum autem, quòd & si non vna via monstretur, sed omnibus, aliquando quidem ex prima figura, aliquando autem ex secunda, aut tertia, quòd & sic stabitur: finitæ enim sunt viæ: finita autem finities: necesse est finita esse omnia. Quòd igitur in priuatione, si quidem & in eo, quod est inesse, statur, manifestum.*

16 Probatur iam tertia pars minoris, quod nimirum neque in tertia figura procedi possit in infinitum. Concludatur enim hæc negatiua, *aliquod viuens non est intellectiuum*, in Felapton, dicendo, *nulla planta est intellectiua; omnis planta est viuens; ergo aliquod viuens non est intellectiuum*: neque potest procedi in infinitum in probatione minoris affirmatiuæ, neque in probatione maioris negatiuæ; ergo &c. Probatur antecedens: si enim posset procedi in infinitum in probatione maioris negatiuæ, vel procederetur in infinitum in prima figura, vel in secunda, vel in tertia; non in prima, neque in secunda, vt iam probatum est, neque in tertia; ergo &c. Probatur, quod non in tertia, primo, quia illa vniuersalis negatiua, *nulla planta est intellectiua*; non potest probari in tertia figura, quæ solum concludit particulariter. Secundo si dicatur, quod sufficit probare particularem, quod *aliqua planta non est intellectiua*. (æquè enim valet ad probandam dictam conclusionem hic syllogismus in Boccardo; *aliqua planta non est intellectiua; omnis planta est viuens; ergo aliquod viuens non est intellectiuum*, ac allatus syllogismus in Felapton): si inquam hoc dicatur, contra est, quia ad probandam illam particularem, *aliqua planta non est intellectiua*, debet sumi medium, de quo maius extremum negetur, minus extremum, hoc est planta, affirmetur; (in tertia enim figura medium semper est subiectum, & minor semper est affirmatiua:) hoc igitur medium sit arbor, & dicatur, *aliqua arbor non est intellectiua; omnis arbor est planta; ergo aliqua planta non est intellectiua*: & si rursus sit probanda maior negatiua, debet sumi medium, de quo in minori prædicetur arbor, ex. gr. quercus: & si rursus ma-

maior negatiua sit probanda, debet sumi medium, de quo in minori affirmetur quercus &c; ergo si procedatur in infinitum, debebunt sumi infinita media, quorum primum sit subiectum respectu minoris extremi, secundum sit subiectum respectu primi medij, adeoque etiam respectu minoris extremi; tertium sit subiectum respectu secundi medij, adeoque etiam respectu primi medij, & minoris extremi, & sic in infinitum; ergo daretur processus in infinitum in subiectis minus, & minus vniuersalibus (subiecta enim conuertibilia cum prædicatis iam exclusimus, & præterea subiecta non possunt esse vniuersaliora prædicatis in propositione naturali;) ergo si est impossibilis processus in infinitum deorsum uersus subiecta minus, & minus uniuersalia, ut supponitur, est etiam impossibilis processus in infinitum in demonstrationibus negatiuis in tertia figura; ergo uniuersim est impossibilis processus in infinitum in demonstrationibus negatiuis, si est impossibilis in affirmatiuis.

17 Posset aliquis respondere, quod debet sisti in demonstrationibus negatiuis, si in probatione præmissarum semper procedatur per eamdem figuram: si verò modo procedatur per vnam figuram, modò per aliam, vel modò per vnum modum eiusdem figuræ, modò per alium, non debet sisti, sed potest procedi in infinitum. Reijcit hanc responsionem Aristoteles, quia figuræ, & modi sunt solum finiti; sed per finita finities sumpta non potest procedi in infinitum; ergo vt procedatur in infinitum, necesse est, vt vel omnis figura, vel aliqua sumatur infinities; sed in nulla figura procedi potest in infinitum, probando propositiones negatiuas, si non potest procedi in infinitum ascendendo, vel descendendo in prædicatis affirmatiuis, vt ostensum est; ergo neque variando figuras, ac modos, potest procedi in infinitum in propositionibus negatiuis, si non potest procedi in infinitum in affirmatiuis; ergo tota quæstio pendet ab ea, an possit procedi in infinitum in prædicatis affirmatiuis vniuersalioribus, & vniuersalioribus, ascendendo, & in subiectis particularioribus, & particularioribus descendendo.

Resoluitur quæstio, & ostenditur non posse dari processum in infinitum, neque in prædicatis superioribus, & superioribus, neque in subiectis inferioribus, & inferioribus. Cap. XVI. Art. III.

Text. 35.

18 *QVod autem in illis, logice quidem speculantibus, ita manifestum. In ijs quidē igitur, quæ in eo, quòd quid est prædicantur, planum. Si enim est definire, aut cognoscibile ipsum quod quid erat esse, infinita vero non est pertransire, necesse est terminata esse, quæ in eo, quòd quid est prædicantur.*

ACcedit tandem Aristoteles ad resoluendam quæstionem principalem, à qua pendent aliæ, & ad probandum non posse procedi in infinitum, neque in prædicatis vniuersalioribus, & vniuersalioribus, neque in subiectis particularioribus, & particularioribus: & primo probat rationibus dialecticis, atque ex communibus: secundo rationibus resolutiuis, atque ex proprijs demonstrationis.

18 Prima igitur ratio dialectica, seu logica est: si daretur processus in infinitum sursum, ac deorsum in prædicatis quidditatiuis, & essentialibus, res non possent definiri, vel saltem definitiones non possent innotescere; consequens est inconueniens; ergo saltem in prædicatis quidditatiuis, & essentialibus non potest dari processus in infinitum. Probatur sequela: vt enim cognoscatur definitio rei, debent cognosci omnia prædicata quidditatiua ipsius, ex. gr. vt cognoscatur, quid sit homo, debent cognosci omnia prædicata quidditatiua hominis; sed infinita prædicata cognosci, atque intellectu pertransiri non possunt; ergo &c. Vt igitur dentur definitiones, & possint innotescere, necesse est, vt in prædicatis non possit procedi in infinitum, neque sursum, neque deorsum, sed vt perueniatur ad vniuersalissimum, ac primum prædicatum, & ad particularissimum, atque vltimum subiectum.

Vni-

19 *Vniuersaliter autem sic dicimus. Est enim dicere vere, album ambulare, & magnum illud lignum esse, & rursus lignum magnum esse & hominem ambulare: sed alterum est ita dicere, & illo modo. Quando enim album esse dixero lignum, tunc dico, quòd cui accidit, vt sit album, lignum est, sed non tanquam subiectum ligno album est: neque etenim album existens, neque quod est album aliquid, factum fuit lignum. Quare non est nisi secundum accidens. Quando autem lignum album esse dixero, non quòd alterum quid est album, illi vero contigit lignum esse, veluti quando musicum album esse dixero: tunc enim quòd homo albus est, cui contigit esse musicum, dico: sed lignum est subiectum, quod quidem & erat non alterum quid existens, quàm quod lignum, aut lignum quoddam. Si itaque oportet nomina ponere, sit quidem ita dicere prædicare: illo vero modo aut nequaquam prædicare, aut prædicare quidem non simpliciter, secundũ accidens autem prædicare. Est autem, vt quidem album, quod prædicatur, vt vero lignum, illud, de quo prædicatur. Supponatur itaque prædicatum prædicari semper de quo prædicatur simpliciter, sed non secundum accidens: sic enim demonstrationes demonstrant.*

20 *Quare aut in eo, quod quid est, aut quod quale, aut quantum, aut ad aliquid, aut faciens, aut patiens, aut vbi, aut quando, cùm vnum de vno prædicatum fuerit.*

21 *Amplius substantiam quidem significantia, quod illud, aut quod illud aliquid significant, de quo prædicantur. Quæcunque vero non substantiam significant, sed de alio subiecto dicuntur, quod non est, neque quod illud, neque quod illud aliquid, accidentia: quemadmodum de homine album. Non enim est homo neque quod album, neque quod album quid, sed animal fortasse. Quod quidem enim animal est, homo est. Quæcunque vero non substantiam significant, oportet de aliquo subiecto prædicari, & non esse aliquid album, quod non alterum quid existens album est. Species enim valeant: nanque & teretismata sunt, & si sunt, nihil ad sermonem sunt: demonstrationes enim de talibus sunt.*

22 *Amplius si non est hoc huius qualitas, & illud huius, neque qualitatis qualitas, impossibile est mutuo prædicari sic, sed verum quidem dicere contingit, mutuo autem prædicari vere non contingit.*

19 Vt proponat Aristoteles secundam rationem, qua ostendatur vniuersaliter non posse procedi in infinitum, non solum in prædicatis quidditatiuis, sed neque in alijs, præmittit quatuor. Primum est: ea, quæ prædicantur, vel prædicantur absolutè, & simpliciter, vel prædicatur solum per accidens. Explicatur: tripliciter potest vnum dici de altero: primo vt accidens de accidente, vt cum dico, *album ambulat*, siue *est ambulans*: secundo vt subiectum de accidente, vt cum dicimus, *illud album, vel illud magnum est lignum*: tertio vt accidens de subiecto, vel quomodocunque vt attributum de subiecto, cui conuenit, vt cum dicimus, *lignum est album*. Differentia inter has prædicationes est, quod cum prædico accidens de subiecto, significo illud esse subiectum, cui conuenit tale accidens, vel prædicatum; ex. gr. cum dico, *lignum est album*, significo lignum esse subiectum, cui conuenit *esse album*. Lignum enim est aliquid per se subsistens, cui accidit, vt fiat, & sit album. At cum dico, *album est lignum*, non significo album esse aliquod subiectum per se subsistens, cui accidat esse lignum; neque enim datur album, quod sit subiectum potens fieri, & esse lignum; solum igitur significo, quod lignum est subiectum, cui accidit *esse album*. Cum verò dico, *album est ambulans*, neque significo album esse subiectum, cui accidat *ambulare*, neque significo ambulans esse subiectum, cui accidat esse album, sed solum significo dari subiectum commune, puta hominem, cui simul accidat ambulare, & esse album. Posito hoc: si liceat imponere nomina ad distinguenda hæc tria genera prædicatorum, prædicata simpliciter voco, quæ ita comparantur ad subiectum, de quo dicuntur, sicut album ad lignum: nam ea solum verè insunt ei, de quo dicuntur. Illa verò prædicata, quæ comparantur ad subiectum, sicut lignum ad album, vel sicut album ad ambulans, non voco prædicata simpliciter, sed solum prædicata secundum quid, & per accidens, cum verè non insint ijs, de quibus dicuntur, vt explicatum est. Ratio est, quia scientiæ demonstratiuæ, de quibus loquimur, non considerant de subiectis, nisi illa prædicata, quæ verè insunt.

20 Secundum est: prædicata simpliciter aut significant quid res sit, siue essentiam subiecti; aut significant quantum sit; aut quale; aut ad aliquid; aut facere; aut pa-

pati; aut in loco; aut in tempore, vel vniuersaliter aliquod prædicamentum, vt explicatum est fusè in libro prædicamentorum.

21 Tertium est: prædicata, quæ significant, quid res sit, siue essentiam subiecti, per hoc differunt à prædicatis, quæ non significant essentiam subiecti, quod quæ significant essentiam subiecti, significant subiectum esse illud ipsum, quod subiecto attribuitur, vel eius partem, seu speciem: at prædicata, quæ non significant essentiam subiecti, non significant subiectum esse id ipsum, quod subiecto attribuitur, vel eius partem, aut speciem, cum subiectum sit aliquid aliud, cui accidit tale prædicatum; ex. gr. animal est prædicatum quidditatiuum hominis, quia non solum homo est animal, sed idem est *esse hominem*, ac *esse animal*, cum homo nihil aliud sit, quam animal quoddam, hoc est animal rationale: at *album* non est prædicatum quidditatiuum, sed accidentale hominis, quia licet homo sit albus, tamen non idem est *esse hominem*, ac *esse album* vel esse tale album. Hinc sequitur, quod talia prædicata semper sint in subiecto: album enim non est per se existens, sed semper alicui singulari accidit *esse album*. Et quia Plato ponebat Ideas per se existentes, ex. gr. *per se hominem, per se album*, Aristoteles valere iubet tales ideas, quia vel non dantur, vel sunt veluti teretismata, hoc est illæ fidium attrectationes, quæ nihil conferunt ad musicam. Nam etiam si dentur ideæ, adhuc scientiæ demonstrant de subiectis sensibilibus, non ideas separatas, & per se existentes, sed prædicata, quæ verè insunt subiectis.

22 Quartum est: in prædicationibus simpliciter non potest dari conuersio, per quam subiectum prædicetur vicissim de suo prædicato. Ratio est, quia subiectum prædicationis simpliciter, de qua sola loquimur, est id, cui prædicatum inest; sed est est impossibile, vt id, cui aliud inest, vicissim insit eidem, & quod vnum sit qualitas alterius, illudque vicissim sit qualitas suæ qualitatis; ergo prædicationes simpliciter, licet possint conuerti, ita vt & conuersa, & conuertens sit vera, non tamen possunt ita conuerti, vt in vtraque seruentur leges prædicationis simpliciter. Ex. gr. licet hæc propositio, *homo est risibilis*, possit verè cōuerti in hanc, *risibile est homo*, ita vt vtraque sit vera, tamen non ita potest conuerti, vt vtraque sit prædicatio simpliciter: nam hæc conuertens *risibile est homo*, non est prædicatio simpliciter, quia homo non inest risibili, vt subiecto. Idem proportionaliter dic de prædicatis essentialibus. Vniuersalius enim ita est prædicatum, vt non possit naturaliter constitui subiectum, cum subiectum naturale debeat esse minus vniuersale prædicato.

23 *Aut enim vt substantia prædicabitur velut si genus existens aut differentia prædicati. Hæc autem monstrata sunt, quòd non erunt infinita, neque deorsum neque sursum, vt homo bipes, hoc animal, hoc autem alterum: neque animal de homine, hoc autem de Callia in eo, quod est quid. Substantiam enim omnem est definire talem: infinita vero non est pertransire intelligentem: quare neque sursum, neque deorsum infinita. Illam nanque non est definire, de qua infinita prædicantur. Sic itaque genera inter se non retrouersum prædicabuntur: erit enim ipsum quod ipsum aliquid est.*

24 *Neque vtique qualis, aut aliorum nullum, si non secundum accidens prædicatum fuerit. Omnia enim hæc accidunt, & de substantijs prædicantur. Sed certe neque sursum infinita erunt: de vnoquoque nanque prædicatur quod vtique significat, aut quale quid, aut quantum quid, aut de talibus, aut quæ in substantia. Hæc autem determinata sunt, & genera prædicamentorum determinata sunt. Aut enim quale, aut quantū, aut ad aliquid, aut faciens, aut patiens, aut vbi, aut quando. Suppositum autem fuit vnum de vno prædicari: ipsa vero de ipsis, quæcunque non quid sunt non prædicantur: accidentia nanque sunt omnia: sed hæc quidem per se, illa autem secundum alterum modum. Hæc autem omnia de subiecto aliquo prædicari dicimus, accidens autem non esse subiectum aliquid: nihil enim talium ponimus esse, quod non alterum quid existens dicitur, sed ipsum alijs, & alia quædam de alio. Neque sursum itaque vnum de vno, neque deorsum inesse dicetur. De quibus enim dicuntur accidentia, quæcunque insunt in substantia vniuscuiusque, hæc infinita non sunt: sursum autem, & ipsa quoque accidentia vtraque non infinita sunt. Necesse est igitur esse aliquid, de quo primum aliquid prædicatur, & de hoc aliud, & hoc stare, & esse aliquid, quod non amplius neq; de alio priori, neque de illo aliud*

prius

prius prædicatur. Vnus igitur modus dicitur demonstrationis hic.

23 His quatuor suppositis, sic Aristoteles probat non posse procedi in infinitum in prædicatis: si posset procedi in infinitum in prædicatis, vel posset procedi in infinitum in prædicatis essentialibus, vel in accidentalibus; neutrum dici potest; ergo &c. Probatur minor, & primo de prædicatis essentialibus: nam prædicata essentialia, generica, ac differentialia sunt finita tantum, tum sursum, tum deorsum, cum debeant omnia definitione explicari, quæ definitio non potest pertransire infinita; ergo est impossibile, vt in Petro ex. gr. dentur infinita prædicata essentialia, ita vt sit homo, bipes, animal, & sic sine termino, procedendo per prædicata non ordinata, vel procedendo per ordinata sursum, aut deorsum, ita vt animal dicatur de homine, homo de Petro, Petrus de aliquo alio subiecto inferiore &c. vel è conuerso de Petro dicatur homo, de homine animal, de animali viuens, & sic sine termino. Quod si etiam velimus procedere innaturaliter per prædicationes indirectas, dicendo, *animal quoddam est homo, homo est bipes; bipes est Petrus &c.* adhuc, si procedamus per prædicata essentialia, quæ sunt tantum finita, non possumus procedere in infinitum. Cæterum repugnat, quod superiora, & inferiora mutuo prædicentur æqualiter, hoc est per prædicationes vtrique vniuersales, dicendo ex. gr. *omnis homo est animal; omne animal est homo* quia cum superius cõparetur ad inferius, sicut continens ad contentum, & sicut totum ad partem, totum, & pars, continens, & contentum deberent adæquari, quod est impossibile.

24 Probatur iam secunda pars minoris, quod neque possit procedi in infinitum in prædicatis accidentalibus. Vel enim procederetur in infinitum in prædicatis accidentalibus, in quibus accidens prædicatur de accidente, vel in quibus accidens prædicatur de subiecto; neutrum dici potest; ergo &c. Probatur prima pars minoris: accidens enim prædicatur de accidente, in quantum vtrumque inest eidem subiecto, quod est substantia: ex. gr. dicitur, *musicum est album*, in quantum eidem homini inest albedo, & musica; ergo si non possunt eidem subiecto inesse infinita accidentia, neque potest procedi in infinitum in prædicationibus, in quibus accidens prædicatur de accidente, ac proinde prima pars minoris pendet à secunda. Probatur iam secunda pars minoris, quod non possit procedi in infinitum in prædicationibus, in quibus accidens prædicatur de subiecto: accidentia enim reducuntur ad genera finita, hoc est ad nouem prædicamenta accidentium, quæ sunt, *quale*, *quantum &c*; sed in vnoquoque prædicamento procedi non potest in infinitum sursum, aut deorsum, ita vt quale prædicetur de colorato, coloratum de albo, album de hoc albo, & sic in infinitum, descendendo ad subiecta inferiora, & inferiora; neque ita, vt de hoc albo prædicetur album, de albo coloratum, de colorato quale, & sic in infinitum, ascendendo ad prædicata superiora, & superiora: cum enim hæc omnia prædicata debeant poni in definitione accidentium, non possunt esse infinita; ergo in prædicationibus, in quibus vnum prædicatur de vno, & non congeruntur prædicata plurium prædicamentorum, vt cum dicitur, *Petrus est homo albus*, non potest procedi in infinitum; sed de accidentibus non possunt prædicari nisi prædicata eorum essentialia (accidentia enim prædicantur de subiecto, cui insunt, solum per accidens); ergo in prædicatis accidentalibus, dum dicuntur de subiecto, hoc est de substantia, non potest procedi in infinitum ascendendo, vel descendendo; ergo cum in prædicatis, quæ dicuntur essentialiter de subiecto, non possit procedi in infinitum, neque in ijs, quæ accidentaliter dicuntur de substantia vt de subiecto, possit procedi in infinitum, & cum accidens non possit prædicari de accidente, nisi in quantum vtrũque accidit subiecto, ac de eo dicitur accidentaliter, sequitur, quod in nullo genere possit procedi in infinitum, ascendendo, vel descendendo, sed in vnoquoque sit vltimum subiectum, quod non dicitur de alio subiecto inferiori, & supremum prædicatum, de quo non dicitur aliud prædicatum superius. Ex. gr. in genere substantiæ, primum subiectum est *Petrus*, de quo dicitur homo, de quo animal, & sic ascendendo ad supremum genus: de hoc genere dicuntur alia genera: de *Petro* enim dicitur *albus*, de *albo, coloratum*, de *colorato quale*, & sic ascendendo vsque ad suprema genera in singulis prædicamentis; ergo in nullo genere prædicatorum potest procedi in infinitum,

nitum, ascendendo, vel descendendo. Et hic est primus modus probandi per rationes communes omnibus prædicationibus scientificis, ac non scientificis conclusionem intentam.

25 *Amplius autem alius est, si de quibus priora aliqua prædicantur, est horum demonstratio.* 26 * *Quorum autem est demonstratio neque melius euenit se habere ad ipsa, quam scire, neque scire sine demonstratione. Si autem hoc per hæc notum, hæc autem non nouimus, neque melius nos habemus ad ipsa, quam scire, neq; quod per hæc notum sciemus.*

27 *Si igitur est aliquid scire per demonstrationem simpliciter, & non ex quibusdam, neque ex suppositione, necesse est stare prædicationes intermedias: si enim non stant, sed est semper acceptio ad superius, omnium erit demonstratio. Quare si infinita non euenit pertransire, quorum est demonstratio, hæc non sciemus per demonstrationem. Si igitur neque melius nos habemus ad ipsa, quam scire, non erit aliquid scire per demonstrationem simpliciter, sed ex suppositione.*

25 Vt proponat Aristoteles tertiam rationem pariter logicam, & ex communibus, præmittit quædam. Primum est: omnis propositio, in qua prædicatum ita dicitur de subiecto, vt illud prædicatum prius conueniat alicui priori, & vniuersaliori, est demonstrabilis: ex. gr. hæc propositio, *homo est substantia*, est demonstrabilis per *animal*, dicendo: *omne animal est substantia; omnis homo est animal; ergo omnis homo est substantia*, quia substantia prius dicitur de animali, quam de homine.

26 Secundum est: impossibile est, vt demonstrabilia sciantur, nisi per demonstrationem, vel quod illa non scientes, simus perfectius circa illa dispositi, quam si sciremus: ex. gr. quia hæc propositio, *cuiuscunque trianguli tres anguli sunt æquales duobus rectis* est demonstrabilis, non potest sciri, nisi per demonstrationem, nec possumus si illam non sciamus, melius circa ipsam disponi, quam si sciremus.

Tertium est: si aliquid nobis innotescat ex principijs, quæ nec scimus, nec sumus circa illa melius dispositi, quam si sciremus, impossibile est vt illud sciamus: ex. gr. si aliquid nobis innotescat ex eo, quia *cuiuscunque trianguli tres anguli sunt æquales duobus rectis*; quod verò *tres anguli &c.* non scimus, neque sumus circa illud melius dispositi, quam si sciremus, nec illud, quod ex hoc cognoscimus scimus.

27 Ex his suppositis infertur, quod vt habeamus scientiam absolutè, & simpliciter, & non solum ex suppositione, de aliqua conclusione, necesse est, vt stetur in aliquibus præmissis, in quibus prædicatum conueniat subiecto primo, ita vt non prius conueniat alicui priori. Probatur: nam si omnes præmissæ essent de prædicato conuenienti subiecto non primo, omnes essent demonstrabiles; ergo sine demonstratione non possent sciri, vel melius cognosci, quam si scirentur; ergo sine demonstratione ipsarum omnium non posset sciri conclusio; sed non posset omnium haberi demonstratio, si procederetur in infinitum, cum infinitum pertransiri nequeat; ergo non posset per ipsas sciri conclusio absolutè, sed solum conditionatè, cognoscendo nimirum, quod conclusio est vera, si præmissæ sunt veræ; ergo vt possit aliqua conclusio sciri absolutè, non omnia prædicata conueniunt subiecto non primo, sed aliqua primo conueniunt subiecto, ita vt non prius conueniant alteri priori.

Text. 36.

28 *Logice igitur ex his quidem aliquis crederet de eo, quod dictum est. Resolutoriè verò per hæc manifestum breuius, quod neque sursum, neque deorsum infinita prædicata contingit esse in demonstratiuis scientijs de quibus consideratio est. Demonstratio namque eorum est, quæcunque per se insunt rebus. Per se vero dupliciter sunt. Quæcunque etenim in illis insunt in eo, quod quid est, & quibus ipsa in eo, quod quid est inexistentibus ipsis. Vt in numero impar, quod inest quidem numero, inest autem ipsi numerus in ratione ipsius: & rursus multitudo, aut diuisibile in ratione numeri inest: horum autem neutra contingit infinita esse, neque vt impar numeri: iterum enim in impar aliud esset, cui inerat existenti, hoc autem si sit primum numerus inerit inexistentibus ipsi. Si igitur non contingit infinita talia esse in vno, neque sursum erunt infinita: sed necesse vtique omnia inesse ipsi primo, vt numero, & illis numerum: quare conuertentia erunt, sed non supertendentia.*

29 *Neque etiam quæcunque in eo, quod quid est insunt, neque hæc infinita sunt. Neque enim esset vtique definire. Quare si prædicata*

cata quidem per se omnia dicuntur: hæc autem non infinita, starent vtique quæ sursum: quare & deorsum. Si autem sic, & quæ in medio duobus terminis semper inerunt finita. Si vero hoc, planum iam, quòd necesse est demonstrationum principia esse, & non omnium esse demonstrationem: quòd dicebamus quosdam dicere à principio. Si enim sunt principia, neque omnia demonstrabilia, neque infinitum iri potest.

Esse enim vtrumuis horum, nihil aliud est, quam esse nullam distantiam immediatam, & indiuisibilem; sed omnes diuisibiles. Intro nanque proijciendo terminum, sed non assumendo, demonstratur quod demonstratur. Quare si hoc in infinitum contingit ire, contingeret vtique duorum terminorum infinita in intermedio esse media, sed hoc impossibile, si stant prædicamenta sursum & deorsum. Quòd autem stant, monstratum fuit logice quidem prius, resolutoriè vero nunc.

28 Probatur demum resolutiuè, & ex proprijs demonstrationis, quod in scientijs demonstratiuis non potest procedi in infinitum in prædicatis sursum, neque deorsum. Prima ratio est: demonstratio ostendit de subiecto prædicata per se; sed in prædicatis per se non potest procedi in infinitum; ergo in demonstrationibus non potest procedi in infinitum. Probatur minor: prædicata enim per se sunt, quæ vel includuntur in definitione subiecti, eo pacto, quo multitudo per se dicitur de numero, quia includitur in definitione numeri; vel includunt subiectum in sua definitione, eo pacto, quo par, & impar per se dicuntur de numero, quia includunt numerum in sua definitione; sed neque potest procedi in infinitum in ijs, quæ includuntur in definitione subiecti, neque in ijs, quæ includunt subiectum in sua definitione; ergo &c. Probatur minor, primo quoad ea, quæ includunt subiectum in sua definitione: primo, quia si *risibile*, ita dicitur de homine, vt includat hominem in sua definitione, & aliud, quod vocetur B, ita dicitur de risibili, vt includat risibile in sua definitione, sequitur, quod homo includatur etiam in definitione B: quod enim includit risibile in sua definitione, includit etiam omnia, quæ includuntur in definitione risibilis; sed B includit risibile in sua definitione; ergo includit etiam hominem, qui includitur in definitione risibilis; ergo si de B dicitur C, quod includit B in sua definitione, *homo* includitur etiam in definitione C; ergo si procedatur in infinitum, homo includetur in definitione infinitorum; sed est impossibile, vt subiectum includatur in definitione infinitorum attributorum, sicut est impossibile, vt subiectum in sua definitione includat infinita attributa; ergo in prædicatis *per se* secundo modo, hoc est includentibus subiectum in sua definitione, non potest procedi in infinitum sursum. Secundo ea, quæ prædicantur per se de subiecto, ita vt includant subiectum in sua definitione, non possunt conuenire alteri subiecto: sicut enim non possunt esse sine sua definitione, sic non possunt esse sine subiecto, per quod definiuntur; sed si non possunt conuenire alteri subiecto, non sunt prædicata superiora subiecto, sed æqualia, & cum subiecto conuertibilia; ergo etiamsi posset procedi in infinitum in talibus prædicatis, posset solum procedi in infinitum in prædicatis æqualibus, & conuertibilibus, de quibus non agimus, non verò in prædicatis vniuersalioribus, & vniuersalioribus, & in subiectis particularioribus, & particularioribus, de quibus solis procedit quæstio, vt supra dictum est.

29 Iam probatur minor quoad secundam partem, quod nimirum non possit procedi in infinitum in prædicatis per se primo modo, quæ nimirum includuntur in definitione subiecti: si enim procederetur in infinitum in prædicatis, quæ includuntur in definitione subiecti, subiectum includeret in sua definitione infinita prædicata; sed est impossibile, vt subiectum includat in sua definitione infinita prædicata; eo enim ipso tale subiectum non posset definiri; ergo non potest procedi in infinitum sursum, & deorsum in prædicatis, quæ includuntur in definitione subiecti; ergo in nullis; sed si non potest dari processus in infinitum in extremis, non potest dari in medijs, vt ostensum est num. 11; ergo neque potest dari processus in infinitum in medijs; sed ex hoc sequitur, quod dentur prima principia demonstrationum, quæ sint indemonstrabilia, & quod non omnia sunt indemonstrabilia, vt quidam dixerunt relati cap. 3; ergo dantur prima principia indemonstrabilia demonstrationum, & non omnia sunt demonstrabilia.

Con-

30 Confirmatur, quia idem est omnia esse demonstrabilia, ac non dari terminos immediatos, inter quos nihil mediet, sed inter omnes terminos aliquid mediare. Vt enim vnus terminus de alio demonstretur, debet sumi medium non extraneum, sed comprehensum inter tales terminos; sed ostensum est in medijs non posse procedi in infinitum, si non proceditur in infinitum in extremis, sed debere perueniri ad terminos immediatos; ostensum est etiam in extremis per se non posse procedi in infinitum sursum, aut deorsum; ergo ostensum est non omnia esse demonstrabilia, sed dari propositiones indemonstrabiles, & immediatas, quod est dari prima principia demonstrationis, & hoc ostensum est tum dialecticè, & ex communibus, tum resolutorie, & ex proprijs demonstrationis.

Explicatur, quo pacto propositiones mediatæ possint resolui ad immediatas, & quale medium sit ad demonstrationem sumendum. Cap. XVII.

Text. 37.

1 *MOnstratis autem his, manifestum, quod si aliquid idem duobus insit, vt A & ipsi C & ipsi D: cum non prædicetur alterum de altero, aut nullo modo, aut non de omni, quòd non semper secundum commune aliquid inerit. Vt æquicruri, & gradato hoc, quod est duobus rectis æquales habere, secundum commune aliquod inest: secundum quòd enim figura quæ tam inest, & non secundum quod alterum. Hoc autem non semper ita se habet.*

2 *Sit enim B secundum quod A ipsi C. D inest: planum igitur erit, quòd & B ipsi C & D. secudum aliud commune. & illud secundum alterum: quare inter duos terminos infiniti vtique inciderent termini: sed impossibile. Secundum igitur commune aliquid inesse non necessarium est semper idem pluribus, si quidem erunt mediata interualla. In eodem tamen genere, & ex ijsdem indiuiduis necesse est terminos esse: siquidem ipsum commune erit ex ijs, quæ per se insunt. Non enim erat ex alio genere in aliud transcendere, quæ monstrantur.*

OStenso, quod non possit procedi in infinitum in terminis, & in demonstrationibus, infert Aristoteles quasdam conclusiones, per quas explicat, quo pacto propositiones mediatæ resolui possint ad immediatas, & quale medium sit ad demonstrationem sumendum.

1 Prima conclusio est: licet aliquando prædicatum, quod conuenit duobus, aut pluribus adæquatè, vel inadæquatè distinctis, conueniat illis ratione alterius vtrique communis, tamen non semper conuenit ratione alterius, sed aliquando conuenit vtrique immediatè. Probatur, & explicatur. Isosceles, & Scalenum sunt duo adæquatè distincta: nam nullum isosceles, hoc est duorum æqualium laterum est scalenum, hoc est trium inæqualium laterum, & nullum scalenum est isosceles. At isosceles, & æquilaterum possunt sumi tanquam inadæquatè distincta: nam licet omne trium æqualium laterum sit etiam duorum æqualium laterum, non tamen omne duorum laterum æqualium, est etiam trium æqualium laterum. His omnibus conuenit hoc prædicatum commune habendi tres angulos æquales duobus rectis, & conuenit ratione alterius communis prædicati, in quo conueniunt, hoc est ratione trianguli. At non omnia prædicata communiter illis conuenientia conueniunt illis ratione alterius prædicati communis; alioquin cum prædicatum trianguli sit illis commune, conueniret illis ratione alterius prædicati communis, & hoc ratione alterius, & sic in infinitum; sed hoc est impossibile; ergo &c.

2 Probatur minor: si enim *habere tres angulos æquales*, conueniret Isosceli ratione trianguli, & *esse triangulum*, ratione alterius, & illud ratione alterius, inter hoc, quod est *triangulum Isoscelem habere tres angulos æquales*, interponerentur infinita media, nimirum ratio communis trianguli, & alia ratio communis, & sic in infinitum; sed ostensum est non posse inter duos terminos interponi infinita media; ergo potest prædicatum commune pluribus dici de singulis eorum immediatè, & hoc pacto genus dicitur immediatè de immediatis speciebus, ex. gr. triangulum dicitur immediatè de triangulo Isoscele, & Scaleno. Quia verò dixit Aristoteles posse prædicatum demonstrari de subiectis cõtradistinctis per medium commune, eo pacto, quo *habere tres*

tres angulos æquales duobus rectis demonstratur de Isoscele, & Scaleno per rationem communem trianguli, aduertit, quod, ad hoc, vt de subiectis contradistinctis possit prædicatum demonstrari per medium commune, debent talia subiecta esse eiusdem generis, eo pacto, quo triangulus, Isosceles, & Scalenus sunt in eodem genere quantitatis. Ratio est, quia medium illud commune debet per se conuenire vtrique subiecto, cum præmissæ demonstrationis debeant esse per se, vt dictum est cap. 6. num. 10. sed medium non potest per se dici de subiectis, quæ non sunt eiusdem generis, vt dictum est cap. 7. ergo illa subiecta debent esse eiusdem generis.

3 Text. 38. *Manifestum autem & quòd quando A insit B: siquidem est aliquid medium, est monstrare, quòd A inest B, & elementa huius sunt hæc, & tot, quot media sunt: immediatæ nanque propositiones elementa sunt, aut omnes, aut vniuersales.*

4 *Si autem non est aliquod medium, non amplius est demonstratio: sed in principio via est hæc.*

5 *Consimiliter autem & si A ipsi B non inest, si quidem est aut medium, aut prius cui non inest, est demonstratio: si autem non, non est: sed principia & elementa tot sunt, quot termini. Horum nanque propositiones principia demonstrationis sunt: & quemadmodum nonnulla principia sunt indemonstrabilia, quòd est istud hoc, & inest istud huic, ita & quod non est istud hoc, neque inest istud huic. Quare hæc quidem esse aliquid, illa autem non esse aliquid, erunt principia.*

3 Secunda conclusio est: quando inter terminos, qui affirmantur, & negantur in aliqua propositione, datur medium, talis propositio est demonstrabilis, & tot requiruntur demonstrationes, quot inter terminos dantur media, quæ demonstrationes sunt elementa, ex quibus quodammodo componitur talis demonstratio: prima verò elementa sunt propositiones immediatæ, & carentes medio, vel omnes, vel vniuersales; propositiones enim singulares, licet sint immediatæ, adhuc non sunt elementa: ex. gr. hæc propositio, *Socrates est homo* est immediata, & tamen quia est singularis, non est elementum, neque principium. Cum enim sola vniuersalia sint demonstrabilia, solæ propositiones vniuersales sunt principia, & elementa demonstrationum.

4 Probatur, & explicatur conclusio, primo in affirmatiuis, secundo in negatiuis. Hæc propositio affirmatiua, *omnis homo est corpus*, est mediata, ita vt medient inter hominem, & corpus duo media, *viuens* nimirum, atque *animal*: corpus enim dicitur immediatè de viuente, quod viuens dicitur immediatè de animali, quod animal dicitur immediatè de homine; ergo inter corpus, & hominem mediat animal, & viuens; ergo ad illam demonstrandam requiruntur duæ demonstrationes elementares. Prima est: *omne animal est corpus; omnis homo est animal; ergo omnis homo est corpus*. Minor est immediata, quia inter hominem, & animal nihil mediat: maior est mediata, quia inter animal, & corpus mediat viuens, ideoque ad illam maiorem demonstrandam sufficit vnica demonstratio, quæ est; *omne viuens est corpus; omne animal est viuens; ergo omne animal est corpus*. Istæ duæ demonstrationes constant ex tribus propositionibus immediatis, & ex duabus mediatis. Immediatæ sunt: *omne viuens est corpus; omne animal est viuens; omnis homo est animal*. Istæ tres propositiones immediatæ sunt prima principia, & prima elementa. Propositiones mediatæ sunt: *omnis homo est corpus*, inter cuius propositionis terminos intercipiuntur duo media, ideoque ad illam demonstrandam requiruntur duo syllogismi; & omne *animal est corpus*, inter cuius terminos vnicum intercipitur medium, ideoque ad illam demonstrandam sufficit vnicus syllogismus.

5 Proportionaliter hæc propositio negatiua, *nullus homo est quantitas*, est mediata, ita vt inter quantitatem, & hominem intercipiantur quatuor media, quæ sunt *substantia*, *corpus*, *viuens*, *animal*. Quantitas enim primo, & immediatè negatur de substantia; per substantiam negatur de corpore; per corpus de viuente; per viuens de animali; per animal de homine; ergo ad illam demonstrandam requiruntur quatuor demonstrationes elementares. Prima est; *nullum animal est quantitas; omnis homo est animal; ergo nullus homo est quantitas*. Minor est immediata, adeoque indemonstrabilis. Secunda demonstratio est, qua sic demonstratur maior, quæ est mediata; *nullum viuens est quantitas; omne*

ne animal est viuens; ergo nullum animal est quantitas. Et quia minor est immediata, maior mediata, ideo ad demonstrandam maiorem requiritur tertia demonstratio, quæ est: *nullum corpus est quantitas; omne viuens est corpus; ergo nullum viuens est quantitas*. Quia demum minor est immediata, maior mediata, quarta demonstratio, quæ requiritur ad demonstrandam maiorem est: *nulla substantia est quantitas; omne corpus est substantia; ergo nullum corpus est quantitas*. In toto hoc processu, dantur quinque propositiones immediatæ, & tres mediatæ. Immediatæ sunt: *nulla substantia est corpus; omnis homo est animal; omne animal est viuens; omne viuens est corpus; omne corpus est substantia*. Mediatæ sunt; *nullum animal est quantitas; nullum viuens est quantitas; nullum corpus est quantitas*. Hinc patet, quod sicut dantur propositiones immediatæ, & prima principia affirmatiua, sic dantur propositiones immediatæ, & prima principia negatiua. Sicut enim illæ affirmatiuæ, *omnis homo est animal; omne animal est viuens*, sunt immediatæ, quia in ijs genera prædicantur de suis proximis speciebus, sic illa negatiua, *nulla substantia est quantitas*, est immediata, quia in illa vnum supremum genus negatur de alio.

6 *Quando autem opus sit monstrare, accipiendum est, quod de B prædicatur primo, sit C, & de hoc consimiliter A. & ita semper procedenti nunquam extra ipsum propositio, neque existens accipitur in demonstrando, sed semper medium condensatur, quousque indiuisibilia fiant, & vnum. Est autem vnũ, quando immediatum factum fuerit, & vna propositio simpliciter, quæ immediata. Et quemadmodum in alijs principium simplex, hoc autem non idem vbique, sed in pondere quidem mina, in cantu vero diesis, illud autem in alio: consimiliter in syllogismis ipsum vnum est propositio immediata: in demonstratione vero, ac scientia, intellectus.*

6. Tertia conclusio est: vt resoluatur propositio mediata ad immediatam, hac arte vtendum est. Sumendum est medium, quod immediate prædicetur de minori extremo, & de quo maius extremum vniuersaliter prædicetur: & si maior sit mediata, sumendum est aliud medium, quod immediatè prædicetur de primo medio, & de quo pariter maius extremum vniuersaliter prædicetur, & sic inter maius extremum, & minus extremum interponenda sunt, ac densanda media, donec nihil amplius mediet, adeoque perueniatur ad propositiones immediatas. Ex. gr. resoluenda sit hæc propositio mediata, *omnis homo est substantia*: sumendum est medium, quod immediatè prædicetur de minori extremo, hoc est de homine, & de quo vniuersaliter prædicetur maius extremum, hoc est substantia, & formandus sequens syllogismus; *omne animal est substantia; omnis homo est animal; ergo omnis homo est substantia*. Minor est immediata, siquidem sumptum est medium, quod immediatè prædicatur de homine. Probetur maior, quæ est mediata, sumendo aliud medium, quod immediatè prædicetur de primo medio, hoc est de animali, ac de quo vniuersaliter prædicetur substantia, ac dicendum; *omne viuens est substantia; omne animal est viuens; ergo omne animal est substantia*. Minor est immediata: vt probetur maior sumatur aliud medium, quod immediatè prædicetur de viuente, & de quo vniuersaliter prædicetur substantia, quod medium sit corpus, & dicatur; *omne corpus est substantia; omne viuens est corpus; ergo omne viuens est substantia*. In hoc processu interponendo tria media inter viuens, & substantiam, quæ sunt *animal, viuens, corpus*, nullum remanet spatium. Nam homini est immediatum animal; animali viuens; viuenti corpus; corpori substantia; ergo iam propositio mediata resoluta est ad propositiones immediatas. Et quia de omnibus his medijs interceptis inter hominem, & substantiam prædicari debet maius extremum, ex. gr. substantia in exemplo posito, ideò nullum medium debet sumi extra maius extremum, hoc est quod non contineatur in maiori extremo. Nam prædicatum non potest vniuersaliter prædicari de subiecto, quod excedit prædicatum, eo pacto, quo substantia non potest vniuersaliter prædicari de ente, quod ens excedit substantiam. Hinc est, quod sicut in alijs generibus, quod est maximè simplex, & indiuisibile est mensura cæterorum, eo pacto, quo in genere ponderum vncia est principium, & mensura, in melodijs primus tonus &c. sic in genere propositionis, propositiones maximè simplices, & indiuisibiles, hoc est in-

ter quarum terminos non datur medium, sunt principium, & mensura cæterarum. Principium verò scientiæ est intellectus, qui assentitur propositionibus maximè simplicibus, & indiuisibilibus, medioque carentibus.

7 *In monstratiuis igitur syllogismis ipsius*
8 *inexistentis, nihil extra cadit: * in priuatiuis vero, vbi quidem, quod oportet inesse, nihil extra hoc cadit. Vt si A ipsi B per C non inest: si enim omni quidem B.C inest, A vero ipsum C nulli. Rursus si opus fuerit, quòd A.C nulli inest, medium accipiendum est ipsius A, & C, & ita semper progredietur.*

9 *Si autem oportuerit monstrare, quòd D ipsi E non inest, eo quòd C.D quidem omni inest, E vero nulli, aut non omni, nunquam cadet extra E: hoc autem est, cui non oportet inesse.*

10 *In tertio autem modo, neque à quo oportet, neque quod oportet priuare, nunquam extra ibit.*

7 Quarta conclusio continet quatuor regulas, quibus explicatur, quale medium sumendum sit ad demonstrandum in singulis figuris. Prima regula est: medium in demonstrationibus affirmatiuis, quæ solum possunt fieri in prima figura, non pótest cadere extra maius extremum, sed vel debet esse inferius maiori extremo, vel debet esse conuertibile cum illo. Ratio est, quia in prima figura maius extremum vniuersaliter prædicatur de medio; sed nihil potest vniuersaliter prædicari, nisi de inferiori, aut æquali; ergo medium debet esse vel inferius, vel æquale. Ex. gr. ad probandum, quod *omnis homo est substantia*, sumitur vt medium animal, quod est inferius substantia, ac dicitur: *omne animal est substantia; omnis homo est animal; ergo omnis homo est substantia*: ad demonstrandum verò, quod *omnis homo est risibilis*, sumitur vt medium rationale, quod est conuertibile cum risibili, & dicitur: *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*. non potest verò sumi medium superius risibili, puta intellectuale: maior enim, *omne intellectuale est risibile*, esset falsa, quia intellectuale inuenitur extra risibile, puta in Angelis, qui sunt intellectuales, & non sunt risibiles.

8 Secunda regula est: in demonstrationibus negatiuis primæ figuræ, medium debet esse tale, vt minus extremum non inueniatur extra ipsum, sed vel sit inferius medio, vel sit conuertibile cum medio. Ratio est, quia in prima figura minor debet esse affirmatiua, in eaque medium debet vniuersaliter prædicari de minori extremo; sed nihil vniuersaliter prædicatur nisi de inferiori, vel æquali, seu conuertibili; ergo medium debet esse tale, vt minus extremum non cadat extra ipsum, sed vel sit inferius, vel æquale. Ex. gr. si sit probandum, quod *nullus homo est quantitas*, sumatur vt medium *animal*, quod est superius homine: & si rursus sit probandũ, quod *nullum animal est quantitas*, sumatur vt medium *viuens*, quod est superius animali, & homine, & sic deinceps. Rursus si sit demonstrandum, quod *nullus homo est hinnibilis*, sumatur vt medium rationale, quod est æquale homini. Debet tamen medium cadere extra maius extremum, cum maius extremum in maiori sit negandum de medio. Ex. gr. ad probandum, quod *nullus homo est hinnibilis*, sumitur vt medium rationale, quod cadit extra hinnibile, cum hinnibile debeat in maiori negari de rationali.

9 Tertia regula est: in secunda figura medium non debet cadere supra illam extremitatem, seu maiorem, seu minorem, de qua negatur, ita vt sit illa superius. Ratio est, quia superius non potest negari de inferiore, neque vniuersaliter, neque particulariter: ex. gr. animal non potest neque vniuersaliter, neque particulariter negari de homine, dicendo; *nullus homo est animal, vel aliquis homo non est animal*; ergo medium non potest esse superius illa extremitate, de qua negatur. Et quia in Camestres, & Barocco medium negatur de minori extremo, in Cesare, & Festino de maiori extremo, ideo in Camestres, & Barocco medium non potest esse superius minori extremo, in Cesare, & Festino medium non potest esse superius maiori extremo. Ex. gr. ad ostendendum, quod *nullus homo est hinnibilis*, in Camestres debet sumi vt medium equus, qui non est superior homine, & dici: *omnis equus est hinnibilis; nullus homo est hinnibilis; ergo nullus homo est equus*: in Cesare potest sumi pro medio intellectuale, quod est superius minori extremo, hoc est *homine*, sed non maiori, hoc est *hinnibili*. ac dici: *nullum hin-*

hinnibile est intellectuale ; omnis homo est intellectualis ; ergo nullus homo est hinnibilis .

10 Quarta regula est : in tertia figura medium non potest cadere supra vllum extremum , hoc est non potest esse superius vllo extremo. Probatur , nam medium in tertia figura debet esse subiectum in vtraque præmissa ; sed subiectum non potest esse superius prædicato , alioquin prædicatio esset indirecta ; ergo &c. Ex. gr. ad probandam hanc negatiuam , *aliquod animal non est lapis* , sumitur vt medium homo , ac dicitur , *nullus homo est lapis ; omnis homo est animal ; ergo aliquod animal non est lapis* ; homo verò neque est superior lapide , neque animali.

Vtrum demonstratio vniuersalis sit præstantior particulari? Cap. XVIII.

Text.39.

1 *CVm vero sit demonstratio, hæc quidem vniuersaliter , illa vero secundum partem , & hæc quidem prædicatiua , illa vero priuatiua , dubitatur vtra melior sit : consimiliter autem , & de ea, quæ demonstrare dicitur , & de ducente ad impossibile demonstratione . Primum igitur considerabimus de vniuersali , & particulari ; hoc autem cum declarauerimus, & de ea , quæ monstrare dicitur, & ea, quæ ad impossibile, dicemus .*

2 *Videretur igitur fortasse aliquibus ita considerantibus, eam secundum partem esse meliorem . Si enim secundum quam magis scimus demonstrationem melior est demonstratio (hæc enim est virtus demonstrationis :) magis autem scimus vnumquodque cùm ipsum sciamus secundum se, quam quando secundum aliud , vt musicum Coriscum, quando quòd Coriscus musicus est, quam quando , quod homo musicus est : similiter autem, & in alijs : vniuersalis autem, quòd aliud, non quòd ipsum contingit, monstrat : vt quòd æquicrus , non quod æquicrus , sed quòd triangulus , quæ vero secundum partem, quòd ipsum, monstrat. Si igitur melior quidem, quæ secundum ipsum, talis autem, quæ secundum partem : vniuersali magis, & melior vtique , quæ secundum partem est, demonstratio erit ,*

3 *Amplius , si vniuersale quidem non est aliquid præter singularia, demonstratio vero opinionem facit esse aliquid hoc , secundum quod demonstrat , & quandam naturam esse in entibus talem : vt trianguli præter quosdam , & figuræ præter quasdam, & numeri præter quosdam numeros: melior autem, quæ est de ente , quam quæ de non ente, & propter quam non decipietur, quam propter quam decipietur: vniuersalis autem est talis , (procedentes enim monstrant , quemadmodum de proportionato , vt quòd vtique sit aliquid tale , erit proportionatum,) quod neque linea , neque numerus , neque solidum , neque planum, sed præter hæc aliquid .*

1 POstquam Aristoteles egit de demonstratione absolutè , agit de eadem comparatiuè , & comparat inter se varia genera demonstrationum : & primo quidem comparat demonstrationem vniuersalem cum particulari, & quærit vtra sit præstantior . Sensus autem quæstionis est , vtrum præstantior sit demonstratio, qua proprietas conueniens vniuersaliter alicui rationi communi demonstratur de illa ratione communi, an verò demonstratio, qua talis proprietas demonstratur de aliquo inferiori contento in illa ratione communi . Ex. gr. hæc proprietas habendi tres angulos æquales duobus rectis conuenit omni triangulo . Quæritur igitur, vtrum præstantior sit demonstratio , qua ostenditur , quod *omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis*, an demonstratio, qua ostenditur , quod *isosceles habet tres angulos æquales duobus rectis*. Similiter *esse risibile*, conuenit omni homini . Quæritur ergo , vtrum præstantior sit demonstratio , qua ostenditur , quod *omnis homo est risibilis* , an qua ostenditur , quod *Socrates est risibilis* . Vt hanc quæstionem resoluat Aristoteles , primo proponit duas rationes , quibus potest suaderi, quod demonstratio particularis sit præstantior vniuersali : secundo soluit , ac retorquet dictas rationes : tertio quæstionem resoluit , ac septem rationibus ostendit demonstrationem vniuersalem esse præstantiorem particulari .

2 Quoad primum : prima ratio , qua videtur ostendi , quod demonstratio particularis sit præstantior vniuersali est , quia quod ordinatur ad aliquem finem , eo est præstantius , quo maiorem habet virtutem

cau-

causandi talem finem: ex. gr. quod ordinatur ad finem illuminandi, eo est præstantius, quo maiorem habet virtutem illuminandi; sed demonstratio ordinatur ad hunc finem, vt faciat nos scire; ergo illa demonstratio est præstantior, quæ magis facit, vt sciamus; sed demonstratio particularis magis facit, vt sciamus, quam vniuersalis; ergo demonstratio particularis est præstantior vniuersali. Probatur assumptum: illud, quod scimus in se ipso, magis scimus, quam illud, quod scimus in alio: ex. gr. magis scit Coriscum esse musicum, qui id scit de ipso Corisco cognito vt Corisco, quam qui scit hominem esse musicum, & quia Coriscus est homo, scit quodammodo Coriscum esse musicum; sed per demonstrationem particularem, ex. gr. qua cognoscimus isoscelem habere tres angulos æquales duobus rectis, cognoscimus hanc proprietatem habendi tres angulos æquales duobus rectis de isoscele in se ipso; per demonstrationem vniuersalem, qua cognoscimus triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, eam proprietatem non cognoscimus de isoscele in se ipso, sed solum de isoscele cognito sub conceptu communi trianguli; ergo magis scimus per demonstrationem particularem, quam per vniuersalem, adeoque demonstratio particularis facit nos magis scire, & est præstantior.

3 Secunda ratio est: illa demonstratio, quæ facit cognoscere id, quod magis est, & prout est, ac non disponit ad errorem, præstantior est, quam illa, quæ facit cognoscere quod minus est, & non prout est, ac disponit ad errorem; sed demonstratio vniuersalis facit cognoscere vniuersalia abstracta à singularibus, quæ non dantur à parte rei, ac per hoc disponit ad errandum, existimando, quod vniuersalia separata dentur à parte rei; demonstratio verò particularis versatur circa singularia, quæ dantur à parte rei, adeoque non disponit ad errandum; ergo &c. Minor probatur, & explicatur exemplis. Demonstratio enim, qua ostenditur triangulum *vt sic* habere tres angulos æquales duobus rectis, cognoscit triangulum *vt sic* abstractum ab isoscele, & ab alijs inferioribus, adeoque disponit ad opinandum, quod detur triangulus separatus; & similiter demonstrationes de numeris *vt sic* disponunt ad opinandum, quod dentur numeri separati; demonstrationes, quibus commutata proportio ostenditur de quantitate proportionabili *vt sic*, abstrahendo à discreta, & continua disponunt ad opinandum, quod detur talis quantitas vt sic.

4 *Si igitur vniuersalis quidem magis hæc, de ente autem minus, quàm particularis, & facit opinionem falsam: peior vtique esset vniuersalis, quam particularis. Et primum quidem nihil magis in vniuersali, quam in particulari altera ratio est. Si enim, quod duobus rectis inest, non inquantum æquicrus, sed inquantum triangulus, noscens, quòd æquicrus, minus nouit inquantum ipsum, quam qui nouit, quòd triangulus. Et omnino si non quidem secundum quòd sit triangulus postea monstrat, non erit vtique demonstratio: sin autem nouit vnumquodque inquantũ vnumquodque inest, magis nouit. Si itaque triangulus in plus est, & eadem ratio, & non secundum æquiuocationem triangulus, & inest omni triangulo hoc, quod est duos, non triangulus inquantum æquicrus, sed æquicrus inquantum triangulus habet tales angulos. Quare qui vniuersaliter scit, magis nouit secundũ quòd inest, quam qui secundũ partem: melior itaque vniuersalis, quàm particularis.*

5 *Amplius siquidem esset aliqua ratio, & non æquiuocatio, vniuersale vtique nihil minus esset quibusdam particularibus, sed & magis, quanto incorruptibilia in illis sunt, quæ vero particularia corruptibilia magis. Præterea nulla necessitas est suspicari aliquid esse hoc præter hæc, quòd vnũ significat, nihil magis, quàm in alijs, quæcunque non aliquid significant, sed aut quale, aut ad aliquid, aut facere: si igitur est, non demonstratio causa, sed qui audit.*

4 Quoad secundum: propositis rationibus dubitandi, Aristoteles illas soluit, ac retorquet. Prima ergo ratio desumpta ex eo, quod demonstratio, quæ facit magis scire, est perfectior, retorquetur ad probandum, quod demonstratio vniuersalis sit perfectior, cum faciat magis scire. Qui enim cognoscit passionem de subiecto, cui primo, & per se conuenit, magis scit, quam qui eamdem passionem cognoscit de subiecto, cui non conuenit primo, & per se; sed passio habendi tres angulos &c. primo, & per se conuenit triangulo, isosceli ve-

verò non conuenit in quantum isosceli, sed in quantum triangulo; ergo qui passionem illam cognoscit de triangulo per demonstrationem vniuersalem, magis scit, quam qui illam cognoscit de isoscele per demonstrationem particularem, ac proinde demonstratio vniuersalis præstantior est particulari. Probatur minor: nam tum illa passio conueniret triangulo primo, & per se, isosceli verò in quantum est triangulus, quando triangulus esset quid superius respectu isoscelis, diceretur secundum rationem vnam, & non æquiuocè, & illi vniuersaliter, ac semper conueniret habere tres angulos æquales duobus rectis; sed de triangulo verificantur hæc omnia; ergo &c. Non igitur obstat, quod illam passionem demonstrans de isoscele, cognoscat illam de isoscele in se, demonstrans verò de triangulo cognoscat de isoscele in triangulo. Nam etiam qui demonstrat de triangulo habere tres angulos æquales duobus rectis, cognoscit talem passionem de triangulo in se, demonstrans de isoscele non cognoscit de triangulo in se; ergo quoad hoc præcisè pares sunt vtraque demonstratio. Differentia verò est, quod vniuersalis demonstrat eam passionem in se de triangulo, cui primo, & per se conuenit; particularis demonstrat de isoscele, cui conuenit ratione trianguli; ergo demonstratio vniuersalis omnibus pensatis est præstantior particulari.

5 Ad secundam rationem respondet Aristoteles negando rationes vniuersales minus esse, quam particulares. Licet enim rationes vniuersales non dentur extra singularia, tamen dantur in singularibus; & quia sunt perpetuæ, cum singularia oriantur, & occidant, magis sunt, quam rationes singulares: ex. gr. ratio lineæ magis est, quam ratio huius lineæ, quia pereunte hac linea, ratio vniuoca lineæ saluatur in alijs lineis. Similiter negat Aristoteles demonstrationes vniuersales disponere ad errandum, & ad censendum, quod dentur vniuersalia separata. Si enim demonstrationes vniuersales de substantijs, ex. gr. de homine, disponerent ad ponendas Ideas separatas substantiarum, etiam demonstratione de accidentibus, ex. gr. de albedine, disponerent ad ponendas ideas separatas accidentium; sed adhuc Platonici negarunt ideas separatas accidentium; ergo etiam potuerunt negare ideas substantiarum; ergo non inciderunt in eum errorem propter demonstrationes vniuersales, sed propter alias causas.

6 *Amplius si demonstratio quidem est syllogismus monstratiuus causæ & ipsius propter quid, vniuersale autem magis est causa: cui enim per se inest aliquid, hoc idem ipsi causa est: vniuersale autem primum: causa igitur vniuersale est. Quare, & demonstratio melior: magis enim causæ, & ipsius propter quid, est.*

7 *Præterea vsque ad hoc quærimus propter quid, & tunc opinamur scire, quando non sit aliquid aliud, quam hoc aut factum, aut existens: finis enim, & terminus ipsum extremum iam sic est. Vt cuius gratia venit? vt accipiat argentum: hoc autem? vt reddat, cui debet: hoc autem? ne iniustitiam committat: & ita procedentes, quando non amplius est propter aliud, neque alterius causa, propter hoc, sicut finem dicimus venisse, & esse, & fieri, & tunc cognoscere maxime propter quid venit. Si autem similiter se habet in omnibus causis, & ijs, quæ sunt propter quid. In ijs vero, quæcunque sunt causæ sic, sicut, cuius causa, sic nouimus maximè, & in alijs: igitur tunc maxime scimus, quando non amplius insit hoc, quoniam est aliud. Quando igitur cognoscimus, quòd quatuor exteriores sunt æquales, quoniam æquicrus, adhuc deficit propter quid æquicrus? quoniam triangulus: & hoc, quoniam figura rectilinea: si autem hoc, non amplius propter aliud erit, tunc maxime scimus & vniuersale est tunc: vniuersalis igitur melior est.*

8 *Amplius quæcunque magis particularia sunt, in infinita incidunt, vniuersalia vero in simplex, & terminum: sunt autem inquantum infinita quidem non scibilia, inquantum autem finiuntur scibilia, inquantum igitur vniuersalia magis scibilia, quam inquantum particularia. Demonstrabilia igitur magis, quæ vniuersalia sunt: demonstrabilium vero magis, magis est demonstratio: simul enim magis, quæ ad aliquid existunt: melior itaque est vniuersalis, quoniam & magis est demonstratio.*

6 Quoad tertium: propositis, ac solutis rationibus, quibus potest suaderi, quod demonstratio particularis sit præstantior vniuersali, probat Aristoteles septem rationibus demonstrationem vniuersalem esse præ-

præstantiorem particulari.

Prima ratio est: demonstratio est syllogismus faciens, vt passio cognoscatur de subiecto per suam causam; ergo illa demóstratio est præstantior, quæ magis facit, vt cognoscatur passio de subiecto per suam causam; sed magis id facit demonstratio ostendens passionem de subiecto vniuersali, quam ostendens de particulari, ex. gr. quæ ostēdit habere tres angulos æquales duobus rectis de triangulo, quam quæ de isoscele; ergo &c. Probatur assumptum: causa passionis magis est subiectum, cui primo, & per se conuenit, quàm subiectum, cui non conuenit primo; sed habere tres angulos primo, & per se conuenit triangulo, isosceli non conuenit primo, sed ratione trianguli; ergo demonstratio ostendens talem passionem de triangulo magis explicat causam, quàm quæ demonstrat eamdem passionem de isoscele, & vniuersim demonstratio vniuersalis magis explicat causam, quàm particularis.

7 Secunda ratio est: magis scimus rem per causam priorem, quàm per posteriorem, & per causam primam, cuius non est quærenda vlterior causa, quàm per causam non primam, cuius vlterior causa est quærenda: ex. gr. in genere causæ finalis, si quæratur *cur venit?* & respondeatur, *vt accipiat argentum*; & rursus quæratur, *cur recepit argentum?* & respondeatur, *vt mutuum redderet; cur mutuum reddidit? ne faceret iniuriam non reddens &c.* magis scitur cur venerit, dum scitur causa vlterior, & vlterior: & cùm scitur causa, de qua non amplius quæri potest *cur?* tum perfectè scitur: idemque valet in omnibus generibus causarum; sed in demonstratione vniuersali scitur conclusio per causam priorem, quàm in particulari; ergo &c. Probatur, & explicatur minor exemplo: cum enim scit quis isoscelem habere tres angulos æquales duobus rectis, adhuc potest quærere, *cur habeat?* & debet reddi pro ratione, *quia est triangulus:* & de triangulo redditur pro ratione ipsa definitio trianguli, quæ est prima causa, & ratio habendi tres angulos æquales duobus rectis.

8 Tertia ratio est, quia quod est magis simplex, & vnum, magis est scibile, quam quod est minus simplex, & minus vnum; sed vniuersalia magis accedunt ad vnitatem, & simplicitatem, particularia magis accedunt ad multitudinem, & infinitatem ideoque singularia sunt infinita, infinitum verò non est scibile; ergo vniuersalia sunt magis scibilia; ergo demonstratio de vniuersali est de magis scibili, adeoque de magis demonstrabili; ergo est præstantior.

9 *Amplius si eligibilior sit illa, secundum quam hoc, & aliud, quam illa, secundum quam hoc solum nouit: qui vero vniuersalem habet, nouit & quod secundum partem, hic autem vniuersale non nouit: quare & sic vtique eligibilior erit.*

10 *Amplius autem sic: vniuersale enim magis scire est eo, quòd monstratur per medium, quod est proximius principio, valde autem proximum est immediatum, hoc vero principium. Si igitur, quæ ex principio est ea, quæ non ex principio, aut quæ magis ex principio est ea, qua minus certior est demonstratio, est autem talis, quæ vniuersalior, melior vtique esset vniuersalis: veluti si oporteret demonstrare A de D per media, in quibus BC: superius itaque B est: quare quæ per hoc vniuersalior est. Sed ex ÿs, quæ dicta sunt, nonnulla logica sunt.*

11 *Maxime autem manifestum, quòd vniuersalis est potior: quoniam propositionum priorem quidem habentes, nouimus quodammodo & posteriorem, & habemus potentia, vt si quis nouit, quod omnis triangulus habet tres duobus rectis æquales, nouit quodammodo & æquicrurem, quòd duobus rectis est potentia: & si non nouit æquicrurem, quòd triangulus sit: qui vero hanc habet propositionem, vniuersalem nullo modo nouit, neque potentia, neque actu.*

12 *Et vniuersalis quidem intelligibilis est, sed particularis in sensum desinit. Quòd igitur vniuersalis melior ea, quæ secundum partem, tot nobis dicta sint.*

9 Quarta ratio est: illa demonstratio est perfectior, quæ facit scire totum id, quod facit scire alia demonstratio, & præterea aliquid aliud; sed demonstratio vniuersalis facit scire totum id, quod particularis, & aliquid aliud: ex. gr. demonstratio, quæ facit, vt sciatur, quod *quilibet triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis*, facit etiam, vt sciatur, quod *isosceles habet tres angulos æquales duobus rectis*; & prætereà facit, vt id sciatur etiam de cæteris triangulis; ergo &c.

10 Quinta ratio est: demonstratio est, qua conclusiones ostenduntur per sua principia, & per propositiones immediatas; ergo illa demonstratio, quæ procedit per medium, quod magis sit principium, vel sit propinquius principio, est præstantior; sed demonstratio vniuersalis procedit per medium propinquius principio, quam particularis; ergo &c. Probatur assumptum: medium enim superius, & vniuersalius est propinquius principio; sed demonstratio, qua ostenditur isosceles habere tres angulos, æquales duobus rectis procedit per rationem isoscelis, demonstratio, qua idem ostenditur de triangulo procedit per rationem trianguli, quæ est superior ratione isoscelis; ergo &c. Addit Aristoteles aliquas ex dictis rationibus esse logicas, & per communia, quod præcipuè verificatur de tertia, & quarta, quæ accipiunt pro medio aliquid commune cuilibet cognitioni, cum aliæ tres rationes procedant ex proprijs demonstrationis.

11 Sexta ratio est: illa demonstratio, quæ continet aliam in potentia, præstantior est; sed demonstratio vniuersalis continet in potentia particularem: qui enim scit actu, quod *omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis*, scit potentia, quod *isosceles habet tres angulos æquales duobus rectis*; è conuerso demonstratio particularis non continet vniuersalem in potentia: nam qui scit *isoscelem habere tres angulos æquales duobus rectis*, neque potentia scit *omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis*; ergo &c.

12 Septima demum, & vltima ratio est: præstantior est demonstratio, quæ terminatur ad magis intelligibile, quam quæ terminatur ad magis sensibile; sed vniuersale magis est intelligibile, singulare magis est sensibile; ergo præstantior est demonstratio vniuersalis, quam particularis.

Vtrum demonstratio affirmatiua præstantior sit, quam negatiua? Caput XIX.

Text. 40.

1 *QVòd autem monstratiua sit dignior priuatiua, hinc manifestum.*
2 *Sit enim hæc demonstratio melior (alijs eisdem existentibus), quæ est ex paucioribus petitionibus, aut suppositionibus, aut propositionibus. Si enim nota similiter sunt, celerius cognoscere per has inerit: hoc autem eligibilius est. Ratio autem propositionis, quòd melior quæ ex minoribus, vniuersaliter hæc est: si enim consimiliter esset hoc, quod est, nota esse media, priora notiora essent. Sit demonstratio quidem per media B C D, quòd A ipsi E inest: quæ vero per F G, quòd A ipsi D. Consimiliter itaque se habet quòd A ipsi D inest, & A ipsi E, quòd A inest ipsi D prius, & notius est, quàm quòd A ipsi E: per hoc enim illud demonstratur: credibilius autem est id, quod est per quod. Igitur demonstratio, quæ per pauciora, est melior alijs eisdem existentibus.*

3 *Ambæ igitur, & per terminos tres, & propositiones duas monstrant: sed hæc quidem esse aliquid accipit, illa vero, & esse, & non esse aliquid: per plura igitur: quare, & peior est.*

4 *Præterea quoniam monstratum fuit, quòd impossibile est, vt vtrisque existentibus priuatiuis propositionibus fiat syllogismus, sed hanc quidem oportet talem esse, illam vero, quod inest.*

1 POstquam Aristoteles comparauit demonstrationem vniuersalem cum particulari, comparat affirmatiuam cum negatiua. Ponit ergo conclusionem: demonstratio affirmatiua, est præstantior, quàm negatiua.

2 Probat conclusionem quinque rationibus. Prima ratio est: demonstratio procedens ex paucioribus principijs, & suppositionibus, si cætera sint paria, est præstantior, quam demonstratio procedens ex pluribus principijs, & suppositionibus; sed demonstratio affirmatiua procedit, & constat ex paucioribus principijs, & suppositionibus, quam negatiua; ergo &c. Probatur maior, primo, quia demonstratio, per quam citius, & facilius peruenitur ad scientiam conclusionis præstantior est, cum sit per se expetibile citissimè obtinere finem; sed citius, & facilius peruenitur ad scientiam conclusionis per pauciores propositiones, quam per plures; ergo &c. Secundo probatur eadem maior: demonstratio procedens per medium magis notum est notior, ac proinde præstantior; sed demonstratio procedens per pauciores suppositiones procedit per medium magis notum;

ergo

ergo &c. Probatur minor: nam licet media eiusdem ordinis sint æquè nota, tamen media priora sunt notiora; sed demonstratio procedens per pauciores suppositiones procedit per media priora; ergo &c. Probantur simul, & explicantur maior, & minor exemplo: sit hæc conclusio, *omnis homo est risibilis*, ad quam demonstrandam requiruntur duo media, *admiratiuum*, quod est immediata causa risibilis, & *rationale*, quod est immediata causa admiratiui, ac proinde requiruntur duo syllogismi, quorum primus sit: *omne admiratiuum est risibile; omnis homo est admiratiuus; ergo omnis homo est risibilis*: & quia minor non est immediata, secundus syllogismus ad illam probandam sit: *omne rationale est admiratiuum; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est admiratiuus*: manifestum est, quod medium *rationale*, per quod probatur admiratiuum, quia est prius, est etiam notius: nam conclusiones probantur ex prioribus, & notioribus; sed demonstratio, quæ est per medium prius, ac notius est præstantior; ergo demonstratio, in qua per rationale probatur admiratiuum, præstantior est, quam demonstratio, in qua per admiratiuum probatur risibile; sed omnes demonstrationes, quę absoluuntur vnico medio, & vnico syllogismo, adeoque duabus tantum propositionibus, procedunt per medium primum, non probatum per aliud medium; demonstrationes, quæ conficiuntur pluribus, quam vno syllogismo, adeoque pluribus, quam duabus propositionibus, procedunt per medium posterius, & probatum per aliud medium; & demonstrationes, quæ conficiuntur pluribus, & pluribus syllogismis, ac suppositionibus, procedunt per medium posterius, & posterius; ergo demonstrationes, quæ requirunt plures suppositiones, semper procedunt per medium minus notum; ergo cæteris paribus minus notificant conclusionem, adeoque sunt minus præstantes.

3 Probatur ergo minor, quod nimirum demonstratio affirmatiua procedat per pauciores suppositiones, quam negatiua: affirmatiua enim procedit ex solis propositionibus affirmatiuis, adeoque ex vno genere suppositionum; sed demonstratio negatiua procedit ex altera præmissa negatiua, altera affirmatiua; ergo procedit ex duplici genere propositionum; ergo procedit ex pluribus suppositionibus, saltem genere.

4 Secunda ratio, quæ primam confirmat est: demonstratio procedens ex principijs efficacioribus ad causandam scientiam est præstantior; sed demonstratio affirmatiua procedit ex solis affirmatiuis, negatiua procedit ex altero principio affirmatiuo, altero negatiuo; principia verò affirmatiua sunt efficaciora, quam negatiua; ergo &c. Probatur minor: principia affirmatiua se solis possunt causare scientiam, principia negatiua non possunt se solis causare scientiam, quia ex puris negatiuis nihil sequitur; sed principia, quæ se solis sufficiunt, sunt efficaciora ijs, quæ se solis non sufficiunt; ergo &c.

5 *Amplius ad hoc oportet hoc accipere. Prædicatiuas enim (aucta demonstratione) necessarium est fieri plures, priuatiuas vero impossibile est plures esse vna in omni syllogismo. Sit enim nulli inexistens ipsum A in quot ipsum B, C vero omni inexistens ipsum B: si vero oporteat rursus augere vtrasque propositiones, medium injiciendũ, ipsius quidem A B sit D, ipsius vero B C, E: E quidem igitur manifestum, quòd est prædicatiuum, D vero de B quidem prædicatiuum, ad A vero vt priuatiuum ponitur: D enim de omni B, A autem nulli oportet eorum, quæ D inesse: fit igitur vna priuatiua propositio, quæ est A D. Idem vero modus & in alijs syllogismis. Semper enim medium prædicatiuorum terminorum, prædicatiuum in vtraque: priuatiui autem in altera priuatiuum necessarium est esse: quare hæc vna talis fit propositio, aliæ vero prædicatiuæ. Si igitur notius, per quod monstratur, & credibilius: monstratur autem priuatiua quidem per prædicatiuam, hoc autem per illam non monstratur: prior igitur, & notior existens, & credibilior, melior vtique erit.*

6 *Amplius si principium syllogismi est vniuersalis propositio immediata: est autem in monstratiua quidem affirmatiua in priuatiua vero negatiua vniuersalis propositio: affirmatiua autem negatiua prior, & notior, propter nanque affirmationem negatio nota: & prior affirmatio, quemadmodum & ipsum esse ipso non esse: quare melius principium monstratiuæ, quam priuatiuæ: quæ vero melioribus principijs vtitur, melior est.*

7 *Amplius principalior: sine enim monstrante non est priuatiua.*

5 Tertia ratio est, quia illa demonstra-

tio, quæ constat ex propositionibus ex suo genere prioribus, ac notioribus est præstantior; sed propositiones affirmatiuæ ex suo genere sunt priores, ac notiores negatiuis; ergo demonstratio affirmatiua ex suo genere præstantior est, quam negatiua. Probatur minor: illæ propositiones sunt ex suo genere priores, ac credibiliores, per quas aliæ possunt innotescere, cum illæ non possint innotescere per ipsas; sed per propositiones affirmatiuas multo magis, quam per negatiuas, innotescunt propositiones negatiuæ; propositiones affirmatiuæ non possunt innotescere per negatiuas, cum ad concludendam propositionem affirmatiuã omnes præmissæ debeant esse affirmatiuæ; ergo &c. Probatur prima pars minoris, quod propositiones negatiuæ magis innotescant per affirmatiuas, quam per negatiuas: si enim propositio negatiua debeat probari, altera saltem præmissarum debet esse affirmatiua; si verò demonstratio debeat augeri probando vtramque præmissam, præmissa affirmatiua debet probari per duas affirmatiuas, negatiua debet probari per alteram affirmatiuam, alteram negatiuam; ergo ex quatuor propositionibus tres debent esse affirmatiuæ; ergo propositiones negatiuæ magis innotescunt per affirmatiuas, quam per negatiuas.

6 Quarta ratio est: principium proprium demonstrationis affirmatiuæ est propositio vniuersalis affirmatiua, principium propriũ demonstrationis negatiuæ est propositio vniuersalis negatiua; sed propositio affirmatiua est prior, ac nobilior, quam negatiua; ergo demonstratio affirmatiua est prior, ac nobilior, quam negatiua. Probatur minor, primo, quia per affirmatiuam probatur negatiua, & non è conuerso: secundo, quia affirmatio præcedit negationem, sicut *non esse* præcedit *esse*.

7 Quinta ratio est: demonstratio, quæ est magis independens, est nobilior; sed demonstratio negatiua pendet ab affirmatiua, & non è conuerso; ergo &c. Probatur minor: nam si præmissa affirmatiua demonstrationis negatiuæ, demonstranda sit, demonstrari debet per demonstrationem affirmatiuam; at nulla præmissarum demonstrationis affirmatiuæ demonstrari potest, nisi demonstratione affirmatiua, cum omnes sint affirmatiuæ, propositiones verò affirmatiuæ demonstrari non possunt, nisi demonstratione affirmatiua.

Vtrum demonstratio ostensiua sit præstantior demonstratione per impossibile. Cap.XX.

Text. 41.

1 *QVoniam vero prædicatiua priuatiua melior est, planum quòd & ad impossibile ducente.*

2 *Oportet autem scire, quæ est differentia ipsarum. Sit itaque A inexistens nulli B: ipsi vero C omne ipsum B: necesse vtique eorum, quæ C, nulli inesse ipsum A. Sit igitur acceptis ostensiua vtique priuatiua esset demõstratio quòd A ipsi C non inest. Quæ vero ad impossibile ita se habet. Si oporteat monstrare, quòd A ipsi B non inest, accipiendum est A inesse ipsi B, & B ipsi C: quare continget A ipsi C inesse: hoc autem sit notum, & confessum, quòd impossibile: non igitur potest A ipsi B inesse: si igitur B ipsi C confessum est inesse, A ipsi B impossibile est inesse.*

3 *Termini igitur consimiliter ordinantur. Differt autem vtra sit notior propositio priuatiua, vtrum quòd A ipsi B non inest, an quòd A ipsi C. Cum igitur conclusio est notior, quòd non est, quæ ad impossibile fit demonstratio: cum autem in syllogismo sit, demonstratiua est.*

1 POstquam Aristoteles ostendit demonstrationem vniuersalem esse præstantiorem particulari, & demonstrationem affirmatiuam esse præstantiorem negatiua, ostendit demonstrationem ostensiuam esse præstantiorem demonstratione ad impossibile.

2 Vt id probet, explicat, quid sit demonstratio directa, & ostensiua, quid demonstratio ducens ad impossibile, & in quo conueniant, ac differant. Demonstratio directa est, in qua directè per syllogismum concluditur conclusio vera, & intenta: ex. gr. hæc negatiua, *nullum C est A*, demonstratur ostensiuè arguendo in Celarent: *nullum B est A; omne C est B; ergo nullum C est A*: vel in terminis veris; *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis*. Demonstratio ducens ad impossibile est, in qua ex opposito conclusionis veræ, & intentæ, infertur conclusio, quam manifestum, & in confesso est esse falsam, & impossi-

possibilem, & ex eo quia impossibile, & falsum non sequitur, nisi ex falso, infertur oppositum conclusionis intentæ esse falsum, & impossibile, adeoque conclusionem intentam esse veram: ex. gr. conclusio intenta sit, *nullus homo est hinnibilis*, vt demonstretur, ducendo ad impossibile, sumenda est vt vera eius opposita: & quia in materia necessaria, circa quam versatur demonstratio, si vna contrariarum propositionum est falsa, altera est vera, potest contra asserentem falsam esse conclusionem intentam sumi vt vera eius contraria, *omnis homo est hinnibilis*: subsumenda minor, quam manifestum, & in confesso sit esse veram, & arguendum: *omnis homo est hinnibilis; omne rationale est homo; ergo omne rationale est hinnibile; sed manifestum, & in confesso est, impossibile esse, vt rationale sit hinnibile; ergo impossibile est, vt homo sit hinnibilis, adeoque nullus homo est hinnibilis*.

3 Conueniunt vtraque demonstratio in dispositione terminorum, in figura, & modo iuxta regulas traditas lib. 1. Priorum cap. 11. n. 1, licet in casu præsenti demonstratio ostensiua sit in Celarent, demonstratio per impossibile in Barbara. Differunt, quod cum notior est præmissa negatiua, per quam conclusio infertur directè in Celarent, quàm conclusio, fit demonstratio directa in Celarent: si verò notius est oppositum eius, quod ex opposito conclusionis intentæ sequitur in Barbara, quam conclusio intenta, tum conclusio intenta infertur per impossibile in Barbara. Ex. gr. in casu posito ex opposito huius, *nullus homo est hinnibilis*, sequitur hæc conclusio, *omne rationale est hinnibile*, cuius oppositum, *nullum rationale est hinnibile*, notius est, quam hæc, *nullus homo est hinnibilis*, ideoque ex opposito eius, quod sequitur, infertur oppositum eius, ex quo sequitur. Quod exemplificatum est in Celarent, & Barbara, potest exemplificari in alijs modis, licet in materia necessaria procedatur ex modis dictis.

4 *Natura autem prior est, quòd A ipsi B, quàm quòd A ipsi C inest: priora enim sunt conclusione, ex quibus est conclusio: est autem A ipsi C non inesse, conclusio, A vero ipsi B, ex quo est conclusio.*

5 *Non enim si contingit ablatum esse aliquid, hoc est conclusio, illa vero ex quibus sunt: sed hoc quidem est, ex quo syllogismus est, qui vtique sic se habet, vt aut totius ad partem, aut partis ad totum habeat rationem: sed A C, & A B propositiones non se habent ita inter se. Si igitur quæ ex notioribus, & prioribus melior: sunt autem ambæ ex eo, quòd non sit aliquid, credibiles, sed hac quidem ex priori, illa vero ex posteriori: melior simpliciter vtique erit priuatiua demonstratio ea, quæ est ad impossibile: quare & quæ hac melior prædicatiua, est manifestum, quòd & ea, quæ ad impossibile est melior.*

4 His explicatis, probat Aristoteles conclusionem, quod demonstratio negatiua directa sit præstantior ducente ad impossibile. Illa demonstratio, quæ procedit ex prioribus, & notioribus secundum naturam est præstantior; sed demonstratio negatiua directa procedit ex prioribus, & notioribus secundum naturam, quam demonstratio ducens ad impossibile; ergo &c. Probatur minor, quia id, ex quo alterum sequitur tanquam conclusio, prius est eo, quod sequitur tanquam conclusio; sed per demonstrationem negatiuam directam conclusio demonstratur ex principio negatiuo, ex quo sequitur: ex. gr. demonstratur, *nullum hominem esse hinnibilem*, ex eo quod *nullum rationale est hinnibile*, dicendo, *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis*: e conuerso in demonstratione ad impossibile conclusio demonstratur ex eo, quod sequitur ex opposito ipsius: ex. gr. demonstratur, *hominem non esse hinnibilem*, ex eo, quod ex opposito talis conclusionis sequitur aliquid falsum, & impossibile; ergo demonstratio directa procedit ex prioribus & notioribus, quam ducens ad impossibile, siquidem directa procedit ex eo, ex quo conclusio sequitur, ducens ad impossibile procedit ex eo, quod sequitur ex opposito conclusionis.

5 Potest opponi, quod demonstratio ad impossibile procedit non ex eo, quod sequitur ex opposito conclusionis, sed ex opposito eius, quod sequitur ex opposito conclusiones, & ex quo sequitur conclusio: ex. gr. cum demonstratur *hominem non esse hinnibilem*, quia eo eo, quod *homo sit hinnibilis*, sequitur rationale esse hinnibile, quod est impossibile, concluditur hominem non esse hinnibilem, ex eo, quod ratio-

rationale non sit hinnibile; sed rationale non esse hinnibile est principium, ex quo sequitur hominem non esse hinnibilem; ergo hominem non esse hinnibilem demonstratur ex principio, ex quo sequitur.

Respondet Aristoteles, quod in demonstratione ad impossibile hæc conclusio; *ergo nullus homo est hinnibilis*, non demonstratur ex hac negatiua, *nullum rationale est hinnibile*, tanquam ex principio, ex quo sequatur, & in quo contineatur, vt pars in toto, sed solum ex opposito eius, quod sequitur ex eo, quod homo sit hinnibilis. Cum ergo in demonstratione ad impossibile conclusio demonstretur non ex principio, ex quo sequitur conclusio, sed ex opposito eius, quod sequitur ex opposito conclusionis, in demonstratione verò directa demonstretur ex principio, ex quo sequitur conclusio, demonstratio directa, etiam negatiua procedit ex prioribus, & notioribus, adeoque est præstantior demonstratione ad impossibile; sed demonstratio affirmatiua adhuc est præstantior negatiua, vt probatum est, capite superiore; ergo demonstratio affirmatiua multo est præstantior demonstratione ducente ad impossibile.

De certitudine, vnitate, ac diuersitate scientiarum inuicem comparatarum. Cap. XXI.

Text. 42.

1 *Scientia autem est certior, & prior scientia, quæ ipsius quòd, & propter quid est eadem, sed non ea, quæ seorsum ipsius quòd ab ea, quæ propter quid.*

2 *Et quæ non de subiecto est ea, quæ de*
3 *subiecto, vt Arithmetica Harmonica.* * *Et quæ ex paucioribus ea, quæ est ex appositione, vt Arithmetica Geometria. Dico autem ex appositione, vt vnitas est substantia sine positione, punctus vero substantia cum positione: hoc autem ex appositione.*

POstquam Aristoteles comparauit inuicem demonstrationes, comparat inuicem scientias, quæ per demonstrationem acquiruntur: ac primo quidem comparat scientias secundum certitudinem, atque explicat tres modos, quibus vna scientia est certior altera: secundo comparat scientias secundum vnitatem, ac diuersitatem; & ostendit vnde desumatur vnitas, ac diuersitas scientiarum.

1 Quoad primum: enumerat Aristoteles tres modos, quibus vna scientia certior est altera. Primus modus est: scientia, per quam non solum cognoscimus de conclusione, quod est, sed etiam *propter quid* est; certior est altera, per quam solum cognoscitur, *quod est*: ex. gr. scientia, qua non solum cognoscitur, quod Luna eclypsatur, sed etiam, quod causa, cur eclypsetur est interpositio terræ, est certior scientia, qua de Luna solum cognoscitur, quod eclypsatur, sed ignoratur causa *propter quam* eclypsatur. Et quia scientiæ subalternatæ non cognoscunt *propter quid* suarum conclusionum, ideo scientiæ subalternatæ sunt minus certæ, quam subalternantes.

2 Secundus modus est: scientiæ, quæ non sunt de subiecto vt sensibili, certiores sunt scientijs, quæ sunt de subiecto vt sensibili: ex. gr. Arithmetica, quæ considerat numeros abstrahendo ab eorum sensibilitate, certior est musica, quæ considerat numeros vt sonoros, adeoque vt sensibiles per auditum; ac similiter Geometria, quæ considerat lineas abstrahendo ab earum sensibilitate, certior est perspectiua, quæ considerat lineas, vt visuales; & vniuersim scientiæ purè mathematicæ certiores sunt physico-mathematicis. Ratio est, quia incertitudo oritur ex mutabilitate materiæ sensibilis; ergo quanto magis abstrahitur à mutabilitate, & sensibilitate, tanto maior est certitudo.

3 Tertius modus est: scientia, quæ considerat obiectum vt simplicius, certior est ea, quæ considerat obiectum vt magis compositum: ex. gr. arithmetica est certior geometria, quia vnitas, ac numeri sunt quid simplicius punctis, ac quantitatibus continuis. Vnitas enim est id, quod caret partibus præscindendo ab hoc, quod habeat situm in continuo, vel non habeat situm in continuo. At punctum est, quod ita caret partibus, vt habeat situm in continuo. Numeri dicunt multitudinem entium, præscindendo à situatione, & continuitate. Quantitates continuæ dicunt multitudinem partium in continuo situatarum. Ratio est, quia quod est magis vnum, est magis scibile; sed quod est simplicius, & abstractius est magis vnum; ergo est magis scibi-

scibile; ergo scientia de subiecto simpliciori ex sua natura est certior.

4 *Vna autem scientia est, quæ est vnius generis, quæcunque ex primis componuntur, & partes sunt, aut passiones horum per se.*

5 *Altera vero scientia est ab altera, quarumcunque principia, neque ex ijsdem, neque altera ex alteris sunt.*

6 *Huius autem signum, cùm ad indemonstrabilia venerit. Oportet enim ipsa in eodem genere esse cum his, quæ demonstrantur. Signum autem & huius, cum ea, quæ monstrantur per ipsa, in eodem genere sint, & cognata.*

7 *Plures autem demonstrationes esse eiusdem euenit, non solum ex eadem coordinatione accipienti non continuum medium, (vt eorum, quæ A B, C, & D, & E) sed & ex altera. Vt sit A transmutari: in quo autem D moueri: ipsum vero B lætari: & rursus E quiescere. Verum est igitur & D de B, & A de D prædicari: nam quod lætatur mouetur, & quod mouetur transmutatur: rursus A de E, & E de B verum prædicari: quare per altera media, & non ex eadem coordinatione syllogismus est, non tamen, vt neutrum de neutro dicatur mediorum: necesse est enim eidem alicui ambo inesse. Considerandum autem est et per alias figuras, quot modis contingit eiusdem fieri syllogismum.*

4 Quoad secundum: scientia vna est, quæ est contemplatiua subiecti, quod sit vnum genere, & habeat principia intra idem genus, partes subiectiuas, seu species, in quas diuidatur, & passiones per se conuenientes tali generi, atque inferioribus speciebus. Ex. gr. Physica est vna scientia, quia contemplatur vt subiectum ens naturale, quod est vnum genere, quod ens naturale habet principia propria, partes subiectiuas, in quas diuiditur, quæ partes sunt corpus simplex, & mixtum, animatum, & inanimatum; & præterea habet passiones per se conuenientes tum corpori naturali, tum singulis speciebus corporum naturalium: aliæ enim sunt passiones corporum simplicium, aliæ mixtorum, aliæ animatorum, aliæ inanimatorum &c. Quod ad vnitatem scientiæ requiratur vnitas saltem generica subiecti, probatur, quia motus habet vnitatẽ præcipuè à termino *ad quem*; sed scientia est quidam motus intelligibilis ad subiectum; ergo vna scientia est de vno subiecto; & quia scientia demonstrat de subiecto, ac de eius partibus subiectiuis, passiones *per se* per principia propria, ideo subiectum debet habere principia propria, partes subiectiuas, ac passiones *per se*.

5 Diuersæ scientiæ sunt, quæ procedunt per principia diuersa. Vt autem prima principia propria duarum scientiarum sint diuersa, neque principia vnius scientiæ debent deriuari ex principijs alterius, neque principia vtriusque scientiæ deriuari debẽt ex ijsdem prioribus principijs. Ex defectu harum conditionum scientiæ de triangulo, & de quadrato non sunt diuersæ, quia principia tum trianguli, tum quadrati deriuantur ex principijs de figura, & scientia de Isoscele non est diuersa à scientia de triangulo, quia principia de Isoscele, deriuantur ex principijs de triangulo. Si verò quæratur, quid requiratur ad hoc, vt prima principia propria sint diuersa, dicendum ex doctrina Aristotelis 6. metaph. tex. 2. & 1. physic. tex. 18, quod cum prima principia propria sint definitiones, requiritur, vt sit diuersus modus definiendi, adeoque subiectum sit diuersimodè definibile: & quia quædam non possunt esse, neque definiri sine materia sensibili, vt naturalia; quædam non possunt esse, sed possunt definiri sine materia sensibili, vt mathematica; quædam possunt esse, ac definiri sine materia sensibili, vt metaphysica; ideò definitiones, ac prima principia sunt triplicis generis, ac proinde sunt tres scientiæ reales primo diuersæ, physica, mathematica, ac metaphysica, & tria sunt genera rerum, ac subiectorum differentia in ratione scibilis, ac definibilis; naturalia, mathematica, ac metaphysica, vt magis explicabitur in metaphysica lib. 6. t. 1. & seq.

6 Quod verò scientiarum diuersitas desumatur ex diuersitate principiorum modo explicato, probat Aristoteles ex signo, quia demonstrationes vniuscuiusque scientiæ resolui debent ad prima principia propria talis scientiæ, & eiusdem generis cum subiecto, & passione, quæ demonstratur: neque enim potest fieri transitus de genere in genus, vt dictum est supra cap. 7. nu. 4. & 5. Ex. gr. demonstrationes physicæ debent resolui ad definitiones rerum, quæ non possunt esse, neque definiri sine materia; demonstrationes mathematicæ debent resolui

solui ad definitiones rerum, quæ non possunt esse, sed possunt definiri sine materia; ergo signum est, quod scientiarum differentia desumitur ex diuersitate principiorum correspondentium diuersitati subiectorum definibilium, adeoque quod scientiæ diuersæ differunt in subiectis, passionibus, atque principijs.

7 Addit Aristoteles posse eamdem conclusionem demonstrari per plura media non solum subordinata, & sumpta ex eodem genere, sed etiam non subordinata, ac non sumpta ex eodem genere. Exemplum conclusionis demonstrabilis per media subordinata, atque eiusdem generis est hæc, *omnis homo est substantia*, quæ potest demonstrari, & per animal, & per viuens, ex eo, quod *omne animal, & omne viuens est substantia; omnis homo est animal, & viuens; ergo omnis homo est substantia*. Sunt autem animal, & viuens media subordinata, quia viuens est superius respectu animalis; & sunt desumpta ex eodem genere, seu prædicamento substantiæ, quia tum animal, tum viuens directè sunt in prædicamento substantiæ; vtrumque verò medium non immediatè cohæret maiori extremo, hoc est substantiæ, quia inter substantiam, & viuens mediat corpus, inter substantiam, & animal mediat corpus, & viuens. Si verò sumeretur pro medio corpus, tale medium cohæreret immediatè maiori extremo, quia inter substantiam, & corpus nihil mediat; at non cohæreret immediatè homini, qui est minus extremum, quia inter hominem, & corpus mediat animal, & viuens. Exemplum conclusionis demonstrabilis per media non subordinata, neque sumpta ex eadem serie est hæc: *omne, quod delectatur transmutatur*, quæ potest probari tum ex motu, tum ex quiete, quæ sunt media non subordinata, imo opposita. Ex quiete probatur sic: *omne, quod quiescit est transmutabile*, cum quies sit priuatio motus in subiecto mobili; *sed omne, quod delectatur quiescit, cum delectatio causetur à quiete in bono desiderato; ergo omne, quod delectatur est transmutabile*. Ex motu probatur sic: *omne, quod mouetur, est transmutabile; omne, quod delectatur, mouetur, cum delectatio sit quidam motus potentiæ appetitiuæ; ergo omne, quod delectatur, est transmutabile.* Hinc sequitur, quod possit eadem conclusio demonstrari tum per plura media subordinata, ac spectantia ad eamdem scientiam, vt cum hominem esse substantiam demonstratur ex animali, & viuente, quæ media sunt subordinata, & spectantia ad eamdem physicam; tum per media non subordinata, ac spectantia ad diuersas scientias. Licet enim in exemplo posito motus, & quies cum sit contraria, spectent ad eamdem disciplinam, tamen potest eadem conclusio demonstrari per media spectantia ad diuersas scientias: ex. gr. hæc conclusio, *quod terra sit rotunda*, potest demonstrari, vel per medium astronomicum ex eo, quod in eclypsi Lunæ vmbra terræ sit rotunda, vel per medium physicum, ex eo, quod omnia grauia mouentur versus idem centrum. Addit Aristoteles media ad demonstrandam eamdem conclusionem non posse ita esse diuersa, vt sint mutuo negabilia vniuersaliter. Cum enim possint prædicari de eodem subiecto conclusionis, possunt etiam aliqualiter prædicari ad inuicem, eo pacto, quo potest dici, quod id, quod mouetur, etiam aliquando quiescit, & quod id, quod proijcit vmbram circularem, constat ex partibus, quæ mouentur versus idem centrum.

Quo pacto scientia versetur circa fortuita, & sensibilia; & quo pacto differat à sensu. Caput XXII.

1 *Eius vero, quod à fortuna, non est scientia per demonstrationem: neque enim vt necessarium, neque tanquam vt plurimum est, quod est à fortuna, sed quod præter hæc fit. Demonstratio autem est alterius horum. Omnis enim syllogismus, aut per necessarias, aut per eas, quæ vt plurimum propositiones conficitur: & si propositiones quidem sunt necessariæ, & conclusio erit necessaria, si vero vt plurimum, & conclusio talis. Quare si id, quod est à fortuna, neque vt plurimum est, neque necessarium, non esset vtique ipsius demonstratio.*

2 *Neque per sensum est scire. Si enim est sensus huius, & non huius cuiusdam, sed sentire necessarium est hoc aliquid, & alicubi, & nunc, vniuersale vero, quod est in omnibus, impossibile est sentire. Non enim est hoc, neque nunc: neque enim esset vtique vniuersale. Quod enim semper, & vbique vniuersale esse dicimus. Quoniam igitur*

demon-

demonstrationes quidem vniuersales sunt, hæc autem non est sentire, manifestum est, quod neque scire per sensum est.

QVia Aristoteles docuit scientiam demonstrare de subiecto passiones per propria principia, procedit ad explicanda quædam, quæ spectant ad passiones, quæ demonstrantur de subiectis, ad subiecta, de quibus demonstrantur passiones, & ad principia, per quæ passiones demonstrantur de subiectis.

1 Circa passiones, ponit hanc conclusionem: ea, quæ eueniunt fortuito, & casualiter, non possunt de subiecto sciri per demonstrationem. Probat, quia præmissæ demonstrationis vel debent esse necessario veræ, vel plerumque veræ; sed ex præmissis veris necessario, vel plerumque, non potest sequi, nisi conclusio vera necessario, vel plerumque; ergo conclusio per demonstrationem scibilis debet esse vera necessario, vel plerumque; sed quæ eueniunt fortuito, & casualiter neque sunt vera necessario, neque plerumque, sed raro, vt dictum est 2. physic. tex. 58; ergo quæ eueniunt fortuito, & casualiter non sunt per demonstrationem scibilia.

2 Circa subiectum ponit hanc conclusionem: sensibilia non sunt scibilia, adeoque per sensum non possumus scire. Probat, quia sensus non cognoscit *hoc*, sed *tale*, id est non cognoscit substantiam, quæ sola est hoc, sed aliquam sensibilem qualitatem, puta calorem, frigus &c; sed sensibiles qualitates non possunt sentiri, nisi prout sunt in aliquo singulari demonstrabili in certo loco, ac tempore determinato; ergo sensibilia sunt singularia demonstrabilia existentia in certo loco, ac tempore determinato; sed demonstratio, ac scientia est de vniuersalibus, quæ sunt semper, & vbique, quæ vniuersalia sentiri nequeunt; ergo scientia non est de sensibilibus, ac proinde scientia non est sensus, cum sensus solum sit de sensibilibus.

3 *Sed planum, quod & si esset sentire triangulum, quòd duobus rectis æquales habet angulos, quæreremus vtique demonstrationem, & non quemadmodum dicunt nonnulli, sciremus: sentire quidem enim necesse est singulare. scientia vero est in cognoscendo vniuersale. Quare, & si supra lunam essemus, & videremus obiectam terram, non vtique sciremus causam defectus: sentiremus enim nunc, quòd deficit, & non propter quid omnino. Non enim erat sensus ipsius vniuersalis, sed ex eo, quòd speculamur hoc plerunque contingere, vniuersale vtique venati, demonstrationem habemus. Ex singularibus enim pluribus vniuersale manifestum est. Vniuersale autem honoratum est, quoniam significat causam. Quare de talibus vniuersalis notitia honoratior est sensibus, & intellectione, quorumcunque altera est causa: sed de primis est alia ratio. Manifestum igitur est, quòd impossibile est, sentiendo aliquid scire demonstratiuorum, nisi quispiam sentire hoc dicat, scientiam habere per demonstrationem.*

4 *Sunt tamen nonnulla, quæ referuntur in sensus defectum in problematibus. Quædam enim, si videremus, non vtique quæreremus, sed non tanquam scientes, eo quòd videmus, sed vt habentes vniuersale ex eo, quòd videmus: quemadmodum si vitrum perforatum videremus, & lumen permeans, planum vtique esset, & propter quid comburit, & ex eo planè, quia videremus fieri seorsum in vnoquoque intelligeremus simul, quod in omnibus sic est.*

3 Hinc reijcitur error eorum, qui vt dicitur 4. metaph. dicebant, intellectum non distingui à sensu, adeoque scientiam, & demonstrationem esse quoddam sentire. Nam etsi sentiremus triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, adhuc non haberemus scientiam, sed ad obtinendam scientiam deberemus quærere demonstrationem; ergo scire non est sentire. Probatur antecedens: nam ad scientiam, debemus cognoscere, quod omnis triangulus vbique, & semper habet tres angulos æquales duobus rectis; sed per sensum non possumus cognoscere de triangulo in vniuersali, quod semper habet tres angulos æquales duobus rectis, sed ad summum possumus id cognoscere de triangulo in singulari; ergo vt sciamus non sufficit, vt sentiamus, sed requiritur, vt ex singularibus sensatis abstrahamus vniuersale. Idcircò si quis positus in Luna, videret Lunam eclypsari ex interpositione terræ, adhuc non sciret causam vniuersalem, propter quam necessario certis temporibus Luna eclypsatur, sed ad hoc, vt sciret causam vniuersalem, deberet illam colligere per inductionem ex pluribus singularibus

sensi-

sensibilibus. Porrò cognitio de vniuersali nobilior est, quam cognitio de singularibus; sed scientia est de vniuersali, sensus de singularibus; ergo scientia nobilior est sensu. Probatur maior: nam cognitio cognoscens per se causam rei, quæ causam habet, est nobilior cognitione, quæ non cognoscit causam per se, licet cognitio cognoscens non per causam prima principia, quæ causam non habent, sit nobilior cognitione cognoscente conclusiones per causam; sed causa per se est vniuersalis, ex. gr. causa eclypsis est vniuersalis interpositio terræ; ergo cognitio de vniuersali perfectior est, quam cognitio de singulari.

4 Licet igitur aliquando ex defectu sensus sequatur defectus scientiæ, adhuc scientia non consistit in sensu, sed solum prærequiritur sensus singularium, vt colligatur scientia de vniuersalibus, ideoque deficiente sensu, deficit scientia. Ex. gr. si videremus oculis vitrum esse perforatum, ita vt lumen transeat per poros, non dubitaremus de causa, propter quam lumen transit per vitrum; nam ex sensu colligeremus causam vniuersalem transitus per poros existentes in vitro. Adhuc tamen scientia non consisteret in illa sensatione, per quam videremus lumen hic, & nunc transire per poros, sed in cognitione vniuersali, qua ex varijs sensationibus colligeremus causam vniuersalem transitus esse, quia vitrum est porosum. Dicit autem hoc Aristoteles, non ex propria sententia, sed ex sententia antiquorum, qui dicebant lumen non esse qualitatem, sed esse effluuium corpusculorum.

De principijs syllogismorum, ac demonstrationum. Cap. XXIII.

1 *EAdem vero principia omnium esse syllogismorum impossibile, primum quidem logice considerantibus. Hi quidem enim veri sunt syllogismorum, illi autem falsi.*

2 *Quanquàm enim liceat verum ex falsis syllogizare, sed semel hoc fit: veluti si A de C verum, medium autem B falsum. Neque enim A ipsi B inest, neque B ipsi C. Sed si harum media accepta fuerint propositionum, falsæ erunt propositiones, eo quòd omnis conclusio falsa ex falsis est, vera autem ex veris, altera autem sunt falsa, & vera.*

3 *Postea neque falsa ex eisdem sibiipsis. Est enim falsa adinuicem, & contraria, & impossibilia simul esse, veluti iustitiam esse iniustitiam, aut timorem, & hominem equum, aut bouem, & æquale, aut maius, aut minus.*

POstquam Aristoteles quædam determinauit de passionibus, quas scientia demonstrat, ac de subiectis, de quibus demonstrat, agit de principijs, per quæ scientia demonstrat, ac probat non eadem esse principia omnium syllogismorum, neque omnium demonstrationum. Ponit igitur quatuor conclusiones.

1 Prima conclusio est: non eadem sunt principia syllogismorum, in quibus infertur conclusio vera, ac syllogismorum, in quibus infertur conclusio falsa. Probat, nam conclusio vera infertur ex principijs veris, conclusio falsa infertur ex principijs falsis; sed principia falsa non sunt eadem, ac principia vera; ergo &c.

2 Potest opponi, quod conclusio vera potest etiam inferri ex præmissis falsis, eo pacto, quo hæc conclusio vera, *omnis homo est animal*, potest inferri ex his præmissis falsis: *omnis lapis est animal; omnis homo est lapis; ergo omnis homo est animal*; ergo ex ijsdem principijs falsis possunt inferri tum conclusiones falsæ, tum veræ.

Respondet Aristoteles, quod vnico syllogismo conclusio vera sequitur ex præmissis falsis, vt patet in exemplo posito: si autem debeant multiplicari syllogismi ad probandas præmissas falsas, quales sunt; quod *omnis lapis est animal; & omnis homo est lapis*; non possunt inferri, nisi ex præmissis falsis, quia falsum non potest sequi nisi ex falso.

3 Secunda conclusio est: neque sunt eadem principia omnium syllogismorum, in quibus inferuntur conclusiones falsæ. Probatur, quia multæ conclusiones falsæ sunt contrariæ, ac simul incomposibiles, ex. gr. istæ: *iustitia est iniustitia; iustitia est fortitudo* sunt incompossibiles, quia non potest idem esse iniustitia, & fortitudo: similiter istæ: *homo est equus; homo est bos; æquale est maius; æquale est minus*, sunt incompossibiles ex eadem ratione; sed principia, ex quibus sequuntur conclusiones incomposibiles sunt incompossibilia, atque adeò diuersa; ergo multa principia conclusionum falsarum sunt diuersa; ergo

ergo non eadem sunt principia conclusionum falsarum.

4 *Ex positis vero sic. Neque enim verorum eadem principia omnium. Altera enim multorum genere sunt principia, & neque conuenientia: quemadmodum vnitates punctis non conueniunt: illæ enim non habent positionem hæc autem habent. Necesse autem est, aut in media conuenire, aut sursum, aut deorsum, aut hos quidem intro habere, illos autem extra, terminorum.*

5 *Sed neque communium principiorum possunt esse aliqua, ex quibus omnia monstrabuntur: (dico autem communia, veluti omne affirmare, aut negare) Genera enim entium altera sunt: & hæc quidem quantitatibus, illa vero qualitatibus insunt solis, cum quibus monstrantur per communia.*

6 *Amplius principia non multo pauciora sunt conclusionibus. Principia enim propositiones sunt, propositiones vero, aut ipsius assumpti termini, aut iniecti sunt. Amplius conclusiones sunt infinitæ, termini vero finiti.*

7 *Amplius principia hæc quidem ex necessitate, illa vero contingentia. Sic igitur considerantibus impossibile eadem esse, aut finita, infinitis existentibus conclusionibus.*

4 Tertia conclusio est: neque eadem sunt principia omnium syllogismorum, in quibus inferuntur conclusiones veræ. Probatur conclusio quatuor rationibus. Prima ratio est, quia multi syllogismi veri affirmatiui constant ex principijs, seu terminis incomplexis genere diuersis: ex. gr. multi syllogismi habent pro terminis numeros, vnitates, & eorum proprietates; alij habent pro terminis lineas, puncta, atque ipsorum proprietates; puncta autem, ac lineæ genere differunt à numeris, & vnitatibus, quia puncta, & lineæ habent positionem in continuo, numeri, & vnitates non habent positionem in continuo; sed syllogismi constantes ex terminis incomplexis genere diuersis non possunt conuenire in eisdem principijs incomplexis, adeoque neque in complexis, quæ componuntur ex incomplexis; ergo multi syllogismi veri non conueniunt in ijsdem principijs. Probatur minor, quia si resoluerentur in eadem principia, vel hoc fieret probando præmissas talium syllogismorum, assumendo medium inter vtrumque extremum, quod medium subijceretur maiori extremitati, & prædicaretur de minori extremitate: & contra est, quia tale medium debet esse intra idem genus cum extremitatibus, & in eadem categoria; ergo cum termini alterius syllogismi sint genere diuersi, nunquam poterunt assumi vt principia: ex. gr. ad probandum, quod *omnis homo est viuens*, non potest assumi, vt medium *qualitas*, quæ genere differt ab homine, & à viuente, sed debet assumi aliquid intra idem genus, & in eadem categoria, puta *animal*, quod subijcitur viuenti, & prædicatur de homine, ac fieri debet sequens syllogismus; *omne animal est viuens; omnis homo est animal; ergo omnis homo est viuens*; vel resoluerentur in eadem principia, ascendendo à terminis vnius syllogismi ad terminos, ac propositiones alterius, vel descendendo: ascendendo quidem, eo pacto, quo ab hoc syllogismo, *omne animal est viuens; omnis homo est animal; ergo omnis homo est viuens*, sumendo pro medio maiorem extremitatem potest ascendi ad probandas has propositiones; *omne animal est corpus; omne viuens est substantia*, sic arguendo: *omne viuens est corpus; omne animal est viuens; ergo omne animal est corpus; omne corpus est substantia; omne viuens est corpus; ergo omne viuens est substantia*: descendendo verò, sumendo pro medio minorem extremitatem, eo pacto, quo ex hoc syllogismo, *omne corpus est substantia; omne viuens est corpus; ergo omne viuens est substantia*: sumendo pro medio *viuens*, potest descendi ad ostendendum, quod *omne animal, & omnis homo est substantia*, sic arguendo: *omne viuens est substantia; omne animal est viuens; ergo omne animal est substantia: omne animal est substantia; omnis homo est animal; ergo omnis homo est substantia &c*; sed nullo ex his modis possunt assumi principia, ac termini diuersi generis, ac categoriæ, vt patet, sed semper sunt assumendi termini, vel intra extrema, vel extra, superius, aut inferius, sed intra idem genus; ergo syllogismi, ac propositiones constantes ex terminis, ac principijs complexis genere diuersis, non possunt resolui in eadem principia incomplexa; ergo nec in eadem principia complexa, quæ componuntur ex incomplexis.

5 Secunda ratio est: si eadem principia

sufficerent ad omnes syllogismos, maximè sufficerent principia communia, ex.gr.hoc, *de quolibet est vera affirmatio, aut negatio*; sed principia communia non sufficiunt sine proprijs; ergo &c. Probatur minor: quia ad probandas per illud principium istas duas conclusiones, *punctum non est linea*, *vnitas non est numerus*, debent assumi duo principia propria, alterum de puncto, & linea, alterum de vnitate, & numero, ac debet sic argui: *de quocunque, vel est vera affirmatio, vel negatio; sed non est vera hæc affirmatio, punctum est linea; ergo est vera hæc negatio, punctum non est linea*; ac similiter, *non est vera hæc affirmatio, vnitas est numerus; ergo est vera hæc negatio, vnitas non est numerus*.

6 Tertia ratio est: principia non multo sunt pauciora conclusionibus; sed conclusiones sunt innumerabiles, ac quodammodo infinitæ; licet enim termini sint finiti sursum, ac deorsum, vt dictum est cap.17. adhuc tales termini possunt innumeris modis inuicem comparari, affirmando, ac negando per propositiones, seu naturales, ac directas, seu innaturales, atque indirectas; ergo etiam principia sunt innumerabilia, ac quodammodo infinita; ergo non eadem sunt principia omnium conclusionum, neque omnium syllogismorum verorum. Probatur maior, quod principia non sint multo pauciora conclusionibus: licet enim ex vna parte cum conclusio probetur ex duabus præmissis, videatur, quod principia sint plura; ex alia parte cum ex ijsdem principijs possint probari plures conclusiones, principia sunt pauciora: sed non sunt multo pauciora, quia cum ex ijsdem principijs probantur plures conclusiones, adduntur etiam alia principia, licet coassumantur etiam plures conclusiones, vt patet in mathematicis. Nouæ enim conclusiones probantur addendo partim noua principia, partim conclusiones iam probatas.

7 Quarta ratio est: conclusiones necessariæ verè syllogizantur ex solis necessarijs, conclusiones contingentes syllogizantur ex solis contingentibus; ergo diuersa sunt principia syllogismorum necessariorum, diuersa syllogismorum contingentium, cum illa sint necessaria, hæc sint contingentia; ergo non omnium syllogismorum sunt eadem principia.

8 *Si vero aliter quodammodo dicat aliquis, vt quòd hæc quidem geometriæ, illa vero ratiociniorum, illa autem medicinæ: quid vtique esset quod dicitur aliud, præterquàm quòd sunt principia scientiarum? dicere autem eadem esse, ridiculum est, quoniam hæc sibi ipsis eadem essent: sic enim omnia fiunt eadem.*

9 *Sed neque ex omnibus monstrari quodlibet idem est quærere omnium esse eadem principia. Valde enim fatuum est. Neque enim in manifestis doctrinis hoc fit, neque in resolutione possibile est. Immediatæ nanque propositiones principia sunt, altera autem conclusio assumpta fit propositione immediata.*

10 *Si vero quispiam diceret primas immediatas propositiones eadem esse principia, vna in vnoquoque genere est, si vero neque ex omnibus, tanquam oporteat monstrari quodcunque, neque ita altero, tanquam fit vnaquæque scientia, altera derelinquitur, quòd cognata sint principia omnium, sed ex his quidem hæc, ex illis autem illa. Manifestum autem & hoc est, quod non contingit: monstratum nanque fuit, quòd alia principia genere sunt differentium genere. Principia enim duplicia sunt, ex quibus, & circa quod: quæ quidem igitur ex quibus, communia sunt, quæ autem circa quod, propria, vt numerus magnitudine.*

8 Quarta conclusio est: neque eadem sunt principia omnium demonstrationum. Probatur hæc vltima conclusio analyticè, & ex proprijs demonstrationis, sicut tres primæ conclusiones probatæ sunt dialecticè, & ex communibus syllogismorum.

Prima ratio est: alia sunt principia propria arithmeticæ, alia geometriæ, alia medicinæ; ergo non eadem sunt principia omnium demonstrationum, sed diuersa demonstrationum spectantium ad scientias diuersas. Si quis verò dixerit principia demonstrationum esse eadem, quia principia arithmeticæ sunt eadem cum principijs arithmeticæ, principia geometriæ sunt eadem cum principijs geometriæ, patet hoc esse ridiculum. Non enim quæritur, vtrum principia cuiuscumque scientiæ sint eadem cum principijs talis scientiæ, sed vtrum principia vnius scientiæ sint eadem cum principijs aliarum scientiarum, adeoque omnes scientiæ conueniant in principijs.

9 Secunda ratio est: si eadem essent principia omnium conclusionum, quodlibet

bet

bet demonstraretur ex quolibet; sed stultè asseritur quodlibet demonstrari ex quolibet; ergo &c. Probatur minor: patet enim, quod diuersæ conclusiones demonstrantur ex diuersis principijs immediatis, & cum conclusiones demonstrantur per præmissas mediatas, adeoque resoluendas ad principia immediata, non resoluuntur ad eadem, sed ad diuersa principia immediata. Si verò quis dicat prima principia nõ esse quaslibet propositiones immediatas, sed propositiones immediatas de communissimis terminis, puta de ente, & non ente, toto, & parte, contrà est, quia ad demonstrandas conclusiones de particularibus generibus, non solum sunt coassumendæ propositiones immediatæ de terminis communibus, sed etiam de proprijs, putà de lineis, figuris &c.; ergo non quodlibet demonstratur ex quolibet, sed diuersa ex diuersis, ita tamen, vt sicut propria principia diuersorum generum sunt genere diuersa, sic propria principia eiusdem generis sint eadem genere.

10 Tertia ratio est: principia propria sunt eiusdem generis cum subiecto cuiuslibet scientiæ, vt dictum est cap.7; sed subiecta scientiarum sunt genere diuersa; ergo etiam principia propria scientiarum sunt genere diuersa. Licet igitur principia, ex quibus procedunt demonstrationes, hoc est dignitates, possint esse communia pluribus scientijs, tamen principia, circà quæ versantur demonstrationes, hoc est subiecta scientiarum, & definitiones subiectorum, non sunt communia pluribus scientijs, sed propria: ex. gr. principia propria arithmeticæ sunt numeri, & eorum definitiones; principia propria geometriæ sunt magnitudines, & figuræ; ergo sicut numeri differunt à magnitudinibus, & figuris, sic principia propria arithmeticæ differunt à principijs proprijs geometriæ.

De differentia scientiæ ab opinione, & de solertia. Caput XXIV. & vltimum.

Text. 44.

1 *Scibile autem, & scientia differunt ab opinabili, & opinione, quoniam scientia quidem vniuersalis, & per necessaria: (necessarium vero non contingit aliter se habere) sunt autem nonnulla vera quidem, quæ contingunt aliter se habere. Planum igitur, quòd circa hæc quidem scientia non est: essent enim impossibilia aliter se habere, possibilia aliter se habere. Verumenimuero neque intellectus (dico enim intellectum principium scientiæ) neque scientia indemonstrabilis: hoc autem est acceptio immediatæ propositionis. Verus autem est intellectus, & scientia, & opinio, & quod per hæc dicitur. Quare derelinquitur opinionem esse circa verũ quidem, aut falsum, contingens autem, & aliter se habere: hoc autem est acceptio immediatæ propositionis, & non necessariæ.*

2 *Et confessum autem est sic apparentibus: nanque, & opinio incertum est, & natura talis. Ad hæc autem nemo putat opinari, quando existimet impossibile aliter se habere, sed scire: sed quando esse quidem sic, sed tamen, & aliter, nihil probibet tunc opinari, tanquam quòd talis opinio sit.*

Postquam Aristoteles comparauit ad inuicem varias scientias, comparat scientiam cum habitibus, qui non sunt scientia, ac præsertim cum opinione. Primo ergo explicat differentiam scientiæ ab opinione, ac scibilis ab opinabili: secundo proponit, ac soluit duo dubia: tertio reijciens in alium locum comparationem scientiæ cum alijs habitibus intellectualibus, breuiter explicat, quid sit solertia, ac concludit librum primum.

1 Quoad primum: scientia duas requirit conditiones. Prima est, vt sit de vniuersalibus: secunda vt sit per necessaria, hoc est per ea, quæ aliter se habere non possunt; sed dantur aliqua, quæ ita sunt vera, vt possint aliter se habere; ergo circà hæc non versatur scientia: alioquin cum scientia sit de ijs, quæ aliter se habere non possunt, sequeretur, quod ea, quæ non possunt aliter se habere, possent aliter se habere, quod implicat; sed intellectus, hoc est habitus principiorum, est principium scientiæ, seu scientia quædam indemonstrabilis, quia versatur circa propositiones immediatas, ac per se notas; ergo cum principia, per quæ scientia demonstrat conclusiones, debeant esse necessaria, ita vt aliter se habere non possint, intellectus versatur circà veritates necessarias, ac quæ non possunt aliter se habere; ergo intellectus non versatur circà ea, quæ possunt aliter se habere; ergo cum intellectus, scientia, & opinio conue-

niant in hoc, quod verſentur circa vera, intellectus autem, ac ſcientia verſentur circà ea, quæ ita ſunt vera, vt non poſſint aliter ſe habere, ſequitur, quod opinio verſetur circà ea vera, vel falſa, quæ poſſunt etiam aliter ſe habere. Sicut igitur intellectus eſt aſſenſus propoſitionis immediatæ, ac neceſſariæ, ſic opinio, quæ correſpondet intellectui, eſt aſſenſus propoſitionis immediatæ, non neceſſariæ: ſicut ſcientia eſt aſſenſus propoſitionis mediatæ, ac neceſſariæ, ſic opinio correſpondens ſcientiæ eſt aſſenſus propoſitionis mediatæ, non neceſſariæ. Scientia igitur, & opinio differunt in hoc, quod ſcientia eſt de neceſſarijs, quæ non poſſunt aliter ſe habere, opinio eſt de non neceſſarijs, quæ poſſunt aliter ſe habere.

2 Confirmat Ariſtoteles hanc eſſe differentiam inter ſcientiam, & opinionem ex ſenſu communi; primo, quia communiter homines exiſtimant opinionem eſſe incertam, & in hac ipſa incertitudine conſiſtere eius eſsentiam; ſed incertitudo conſiſtit in hoc, vt intellectus exiſtimet obiectum poſse aliter ſe habere; ergo opinio verſatur circa ea, quæ poſsunt aliter ſe habere: ſecundo, quia communiter homines, quando ita aſsentiuntur alicui propoſitioni, vt exiſtiment illam non poſse aliter ſe habere, putant ſe non habere opinionem, ſed ſcientiam; cum autem exiſtimant quidem propoſitionem eſse veram, ſed poſse aliter ſe habere, tum putant ſe habere opinionem; ergo ex communi ſenſu ſcientia eſt exiſtimatio, qua putatur rem non poſse aliter ſe habere, opinio eſt exiſtimatio, qua putatur rem poſse aliter ſe habere.

3 *Neceſſarij vero ſcientia eſt. Quomodo igi-*
4 *tur eſt idem opinari, & ſcire? * Et propter quid non erit opinio ſcientia, ſi quis ponet, omne, quod nouit, contingere opinari? conſequetur enim hic quidem ſciens, ille vero opinans per media, quouſque ad immediata venerit. Quare, ſi quidem ille nouit: & qui opinatur nouit. Quemadmodum enim, & quòd opinari eſt, & propter quid: hoc autem ipſum medium.*

5 *An ſiquidem ita ſuſpicabitur non contingentia aliter ſe habere, quemadmodum ſe habeat definitiones, per quas ſunt demonſtrationes, non opinabitur, ſed ſciet. Si autem vera quidem eſſe, non tamen hæc vtique ipſis ineſſe ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum formam, opinabitur, & non ſciet vere ipſum quod, & ipſum propter quid, ſi quidem per immediata opinabitur: ſi autem non per immediata, ipſum quòd ſolum opinabitur.*

3 Quoad ſecundum: proponit Ariſtoteles duo dubia. Primum dubium eſt: ſi ſcientia verſatur circa id, quod non poteſt aliter ſe habere, quo pacto fieri poteſt, vt de eodem obiecto vnus habeat ſcientiam, alius opinionem? Videtur enim ſequi, quod idem, & poſſit aliter ſe habere, & non poſſit aliter ſe habere; ſed videmus, quod de eodem obiecto ſæpe vnus habet ſcientiam, alius opinionem; ergo &c.

4 Secundum dubium eſt: ſi circà eamdem veritatem, puta incommenſurabilitatem diametri, poteſt verſari ſcientia, & opinio, quomodo talis opinio differet à ſcientia? præſertim cum eadem media, quæ ſciēs percurrit, vſque dum perueniat ad propoſitiones immediatas, poſſit etiam percurrere opinans, vſque dum perueniat ad propoſitiones immediatas. Explicatur difficultas. Poſſunt ex duobus, alter ſcire, quod luna eclypſatur propter interpoſitionem terræ, alter hoc totum opinari; ergo primus non ſolum ſciet de luna, quod eclypſatur, ſed etiam *propter quid* eclypſatur; ſecundus vtrumque opinabitur, quod nimirum luna eclypſatur, & propter interpoſitionem terræ eclypſatur. Quomodo ergò differentt talis ſcientia, & opinio, cum verſentur circa eamdem concluſionem, quod luna eclypſatur, & circa idem medium, eaſdemque præmiſſas, quod *quando terra interponitur, luna eclypſatur; ſed terra interponitur; ergo luna eclypſatur?*

5 Reſpondet Ariſtoteles primo ad ſecundum dubium, quod quando non ſolum cognoſcimus prædicatum conuenire ſubiecto, ſed penetramus tale prædicatum conuenire ſubiecto neceſſario, & ita, vt non poſſit non conuenire, eo pacto, quo homini neceſſario conuenit *eſſe animal rationale*, aliæque definitiones conueniunt ſuis definitis, tum tales propoſitiones non opinamur, ſed ſcimus: cum verò putamus quidem prædicatum conuenire ſubiecto, ſed non penetramus, quod conuenit neceſſario, & eſſentialiter, hoc eſt ratione eſſentiæ, ac formæ, tum tales propoſitiones ſolum opinamur, non autem ſcimus. Ex gr. qui non ſolum cognoſcit, quod *quando terra*

interponitur, luna eclypsatur, sed videt hoc esse omnino necessarium, tum non solum opinatur, sed scit talem veritatem. E conuerso qui putat, quod quando terra interponitur, luna eclypsatur, sed non penetrat necessariam connexionem inter interpositionem, atque eclypsationem, solum opinatur, non autem scit eamdem veritatem. Porrò si quis modo explicato non solum opinetur veram esse conclusionem, sed etiã principia immediata, opinabitur non solum, quod conclusio sit vera, sed etiam *propter quid* sit vera: si autem opinetur solum veram esse conclusionem, opinabitur solum, quod conclusio sit vera, non autem *propter quid* sit vera.

6 *Eiusdem vero opinio, & scientia non omnino est, sed quemadmodum & falsa, & vera eiusdem quodammodo sunt, ita & scientia, & opinio eiusdem. Etenim opinionem veram, & falsam (vt nonnulli quidem dicunt) eiusdem esse, absurda contingit erigi, & alia, & non opinari, quod opinatur falso.*

7 *Quoniam vero idem pluribus modis dicitur, est quidem vt contingit, est autem vt non. Commensurabilem nanque esse diametrum vere opinari absurdum est: sed quòd diameter, circa quam opiniones, idem, ita eiusdem est: quòd quid autem erat esse, vtique secundum rationem non est idem.*

8 *Consimiliter autem & scientia, & opinio est eiusdem. Hæc quidem enim sic animalis, vt non contingat non esse animal, illa vero vt contingat, veluti si hæc quidem quòd hominis est, illa vero hominis quidem, non autem quòd hominis: idem enim est, quoniam homo, hoc autem sic non idem.*

9 *Manifestum autem est ex his, quòd neque opinari simul idem, & scire contingit. Simul enim habere posset suspicionem, quòd aliter se habere, & non aliter idem esset: quod non contingit. In alio quidem enim vtrunque esse contingit eiusdem, vt dictum est, in eodem autem non sic possibile est. Habebit enim suspicionem simul vt quòd homo esset, secundum quòd animal: hoc enim esset non contingere esse non animal, & non secundum quòd animal: hoc enim esset sic contingere.*

6 Hinc ad primum dubium, in quo quærebatur, vtrum opinio, & scientia possint versari circa idem obiectum, respondet Aristoteles, quod possunt versari circa idem aliquo pacto, sed non possunt versari circa idem omninò, proportionaliter, ac opinio vera, & opinio falsa possunt esse de eodem aliquo pacto, non possunt esse de eodem omnino. Quod opinio vera, & falsa non possint esse de eodem omninò, patet, quia si possent esse de eodem omninò, sequerentur multa absurda, ac præsertim, quod quis non opinaretur id, quod falso opinatur; ergo &c. Probatur antecedens: verum est Petrum currere; ergo si quis opinatur Petrum currere, eius opinio non est falsa, sed vera; ergo si opinio opinans hoc idem est falsa, non opinatur Petrum currere, adeoque non opinatur id, quod opinatur; ergo opinio vera, & falsa non possunt versari circa idem omnino.

7 Vt igitur explicetur, quo pacto opinio vera, & falsa, ac similiter scientia & opinio non possint versari circa idem omninò, notandum, quod ly *idem* potest sumi multipliciter; primo vt significet idem subiectum; secundo vt significet eamdem rationem, & complexionem. Circa idem subiectum potest versari opinio vera, & falsa: ex. gr. circa eamdem diametrum quadrati potest versari tum opinio vera, qua quis existimet *diametrum esse incommensurabilem costæ*, tum opinio falsa, qua quis existimet *diametrum esse commensurabilem costæ*: at circa eamdem complexionem, & rationem, non potest versari opinio vera, & falsa. Impossibile enim est, vt vnus verè opinetur diametrum esse incommensurabilem, alter hoc ipsum falso opinetur.

8 Proportionaliter circa idem subiectum potest versari scientia, & opinio: ex. gr. de homine potest vnus scire, quod est animal, si ita cognoscat *hominem esse animal*, vt videat id homini conuenire essentialiter, ita vt non possit non conuenire; & potest alter opinari de eodem homine, quod est animal, si putet ita hominem esse animal, vt non sit animal essentialiter, sed possit non esse animal: at non potest vnus scire, quod homo essentialiter est animal, alius hoc ipsum opinari. Eo enim ipso, quod opinabitur, putabit hominem ita esse animal, vt possit non esse animal, adeoque putabit hominem non esse animal essentialiter.

9 Hinc Aristoteles infert non posse eumdem hominem eodem tempore idem

Aa 2 scire,


ſcire, & opinari. Scire enim eſt cognoſcere, quod ita res eſt, vt non poſsit aliter ſe habere; opinari eſt cognoſcere, quod ita res eſt, vt poſſit aliter ſe habere; ſed non poteſt idem eodem tempore de eodem exiſtimare, quod poſsit, & non poſſit aliter ſe habere, alioquin exiſtimaret contradictoria eſſe vera; ergo non poteſt idem eodem tempore de eodem habere ſcientiam ſimul,& opinionem, ſed diuerſo tempore poteſt.

10 *Reliqua vero quomodo oporteat diſtribuere & in diſcurſu, & intellectu, & ſcientia, & arte, & prudentia, & ſapientia, illa quidem naturalis, hæc autem moralis ſpeculationis magis ſunt.*

11 *Solertia vero eſt bona quadam coniectatio in non perſpecto tempore medij, veluti ſi quiſpiam videns, quod Luna ſplendorem ſemper habet ad Solem, celeriter excogitauit propter quid hoc, quoniam propter id, quod ſplendeſcit à Sole: aut diſputantem cum diuite, nouit, quoniam fœneratur: aut propter quid amici ſunt? quoniam inimici eiuſdem. Omnes enim cauſas medias videns ſummas cognouit. Splendidum eſſe ad Solem ſit in quo A, ſplendere à Sole, in quo B, Luna, C: ineſt itaque Lunæ quidem ipſi C ipſum B ſplendere à Sole: ipſi autem B ipſum A ad hoc eſſe ſplendidum, à quo ſplendet: quare & ipſi C ineſt ipſum A per B.*

10 Quoad tertium: poſtquam Ariſtoteles explicauit differentiam inter ſcientiam, & opinionem, dicit quod diuiſio, in qua explicatur, quo pacto differant ratio, intellectus, ſcientia, ſapientia, prudentia, & ars ſpectat ad phyſicam, & moralem, ideoque de illa non eſt agendum hic. Concludit igitur librum explicando, quid ſit ſolertia.

11 Solertia eſt perſpicacia quædam, per quam cognita re, ſtatim, vel penè ſtatim conijcimus eius medium, & cauſam: ex. gr. aduertit quis Lunam eſſe luminoſam ex ea parte,qua eſt obuerſa ſoli; hinc conijcit cauſam, cur Luna ſit luminoſa eſſe, quia illuminatur à Sole: videt quis aliquem colloquentem cum diuite; conijcit ſtatim cauſam, propter quam alloquitur diuitem, eſſe, vt petat mutuum: videt quis inter duos contractam eſſe de nouo amicitiam; conijcit cauſam contrahendæ nouæ amicitiæ eſſe, quia ſunt eiuſdem inimici. Eſt autem vtilis ſolertia ad coniectandum medium, & cauſam, tum in phyſicis, tum in moralibus, vt patet ex allatis exemplis. Qui verò coniecit cauſam, & medium rei, ſtatim per talem cauſam poteſt vnum extremum demonſtrare de altero: ex. gr. qui cognouit cauſam, cur Luna ſplendeat eſſe, quia illuminatur à Sole, poteſt ſic probare, quod Luna vt ſplendeat, debet eſſe obuerſa Soli. *Quod enim ſplendet, quia illuminatur ab alio, debet eſſe obuerſum illi; ſed Luna ſplendet, quia illuminatur à Sole; ergo Luna debet eſſe obuerſa Soli.* Et per hæc Ariſtoteles concludit librum primum Poſteriorum.




ARIS-

ARISTOTELIS POSTERIORVM ANALYTICORVM, SEV RESOLVTORIORVM.

LIBER SECVNDVS.


Ostenditur quatuor esse quæstiones, & per omnes quæri medium, & causam rei. Caput Primum.

Text. 1.



1 *VAE queruntur sunt æqualia numero ijs, quæcunque scimus. Quærimus autem quatuor, quòd, propter quid, si est, quid est.*

2 *Cùm enim vtrum hoc, aut hoc insit, quærimus in numerum ponentes, velut vtrum deficit Sol, aut non, ipsum quod querimus. Signum autem huius. Cùm enim inuenimus, quòd deficit, cessauimus, & si à principio sciremus, quod deficit non quæreremus vtrum. Cùm autem scimus ipsum quòd, tunc ipsum propter quid quærimus, vt scientes, quod deficit & quod mouetur terra, propter quid deficit, aut propter quid mouetur quærimus. Hæc quidem sic, nonnulla vero alio modo quærimus, vt si est, aut non est centaurus, aut Deus. Si autem est, aut non, simpliciter dico, sed non si albus est, aut non. Cùm vero cognouerimus, quòd est, quid est quærimus, vt quid igitur est Deus, aut quid est homo? Quæ quidem igitur quærimus, & quæ cum inuenimus scimus, hæc, & tot sunt.*



OSTQVAM Aristoteles libro primo egit de demonstratione, libro secundo agit de principijs demonstrationis. Et quia medium est principium incomplexum demonstrationis, propositiones autem immediatæ sunt principia complexa, ideò primo agit de medio: secundo de propositionibus immediatis. Quia rursus medium demonstrationis est causa, ex causis autem præcipua est definitio, quæ reducitur ad causam formalem, ideò præcipuè agit de definitione, ac de modo definitionem inuestigandi: deinde agit de cæteris causis. Demum quia medium in demonstrationibus assumitur ad probandam aliquam propositionem, de qua posit esse quæstio, ideo primo explicat numerum quæstionum: secundo ostendit, quod in omnibus quæstionibus quæritur medium.

1 Quoad primum igitur de numero quæstionum: tot sunt genera quæribilium, quot scibilium. Ratio est, quia scientia est cognitio per demonstrationem acquisita; sed per demonstrationem acquirimus scientiam eorum, quæ ante ignorabamus; ergo scientia est cognitio eorum, quæ ante ignorabamus; sed de ijs, quæ ignoramus, possumus instituere quæstionem; ergo de scibilibus possumus instituere quæstionem; ergo numerus quæstionum, & quæribilium proportionatur numero scibilium, ac proinde tot sunt quæribilia, quot scibilia; sed quatuor possumus quærere, nimirum, *vtrum res talis sit? propter quid talis sit? an sit? & quid sit?* ergo hæc eadem possumus scire.

2 Probatur, & explicatur assumptum, quod nimirum quatuor possimus quærere. Duæ enim sunt quæstiones complexæ, seu de tertio adiacente. Prima est, qua de subiecto quærimus, *vtrum sit tal.?* vt cum quærimus de Sole, *vtrum deficiat, seu vtrum sit deficiens, an non?* & per istam quæstionem quærimus scientiam de defectu, vel de negatione defectus, ideoque, cum quis in-

uenit solem deficere, cessat quærere, an deficiat? & si ante sciuisset solem deficere, non mouisset quæstionem. Secunda quæstio est, per quam scientes rem esse talem, quærimus *propter quid* sit talis? ex. gr. cum quis sciens solem deficere, & eclypsari, quærit, propter quam causam eclypsatur? & cum quis videns terram in terræmotu moueri, quærit propter quam causam mouetur? Duæ aliæ sunt quæstiones incomplexæ, siue de secundo adiacente. Prima est, qua non quærimus vtrum subiectum sit tale, sed vtrum simpliciter sit? vt cum quærimus, vtrum sit Centaurus, vel Deus? Secunda est, qua scientes de subiecto, *quod est*, quærimus vlterius quid sit? Ex.gr. qua scientes Deum esse, quærimus quid sit Deus? Ergo hæc quatuor sunt, quæ cum ignoramus quærimus, cum inuenerimus scimus.

3 *Quærimus autem, cùm quærimus quòd, aut si est simpliciter, an est medium ipsius, aut non est? quando autem cognoscentes, aut quòd, aut si est, aut quod in parte, aut simpliciter, rursus ipsum propter quid quærimus, aut quid est, & tunc quærimus quid est medium? Dico autem, quòd, aut si est in parte, & simpliciter: in parte quidem, an deficit Luna, aut augetur? si enim est aliquid, aut non est aliquid in talibus quærimus. Simpliciter vero si est, aut non est Luna, aut nox.*

4 *Contingit itaque in omnibus quæstionibus quærere, aut si est medium, aut quid est medium? Causa enim est medium: in omnibus nanque hoc quæritur, an ne deficit? an ne est aliqua causa, aut non? post hæc, cùm cognouerimus, quod est aliqua, quid igitur est hæc, quærimus.*

3 Quoad secundum: docet Aristoteles, quod in omnibus dictis quæstionibus, quæritur saltem æquiualenter medium. Probat primo inductione: nam in quæstionibus, in quibus vel quæritur simpliciter, an subiectum sit? vel an sit tale? quæritur an detur medium? in quæstionibus, in quibus supponendo, quod subiectum est, vel tale est, quæritur quid sit? vel propter quid sit? quæritur quod sit medium? ergo in omnibus dictis quæstionibus saltem æquiualenter fit quæstio de medio. Probatur antecedens quoad primam partem, quod nimirum, dum quæro *an res sit*? vel talis sit? ex. gr. dum quæro an luna sit, vel an luna eclypsetur? quæram æquiualenter, an detur medium? Nemo enim mouet quæstionem de propositionibus immediatis, ac per se notis, sed solum de mediatis; ergo cum quis quærit an luna sit? vel an eclypsetur? quærit æquiualenter, an detur medium ad demonstrandas has propositiones mediatas, *Luna est*, *Luna eclypsatur*: & quia medium demonstrationis est causa, quærit causam, seu rationem, propter quam luna est, vel eclypsatur.

4 Probatur iam secunda pars antecedentis, quod nimirum, dum cognoscens lunam esse, quæro quid sit? & dum cognoscens lunam eclypsari, quæro propter quid eclypsatur? quæram quod sit medium? Qui enim cognoscit rem esse, iam cognoscit illam habere quidditatem; sed quidditas est causa formalis rei vt sit, cum vnumquodque sit per quidditatem; ergo qui cognoscit lunam esse, iam scit dari medium, & causam, propter quam est; ergo dum procedit ad inquirendum, quid sit luna? quærit, quæ sit quidditas lunæ, adeoque quod sit medium? Similiter qui cognoscens lunam eclypsari, quærit propter quid eclypsetur? iam cognoscit dari medium, seu rationem, & causam, propter quam eclypsatur; ergo dum quærit propter, quid luna eclypsatur? quærit quænam sit causa, propter quam eclypsatur? ergo quærit, quod nam sit medium? ergo patet inductione, quod in quæstionibus, in quibus quæritur an res sit? vel an talis sit? quæritur, vtrum detur medium? in quæstionibus, quibus quæritur, quid res sit? vel propter quid talis sit? quæritur, quod sit medium, adeoque, quod in omnibus quæstionibus quæritur medium.

5 *Causa enim est, quòd sit non hoc, aut illud, sed simpliciter substantia, aut non simpliciter, sed aliquid eorum, quæ per se, aut secundum accidens sunt, medium est. Dico autem simpliciter quidem subiectum, vt Lunam, aut terram, aut Solem, aut triangulum: ipsum vero quid, defectum, æqualitatem, inæqualitatem, si in medio, aut non: in omnibus nanque his manifestum est, quod idem est quid est, & propter quid est. Quid est defectus? priuatio luminis à Luna propter terræ obstructionem. Propter quid est defectus? aut propter quid deficit Luna? eò quòd deficit lumen terra obstructa. Quid est consonantia? ratio numerorum*

rum in acuto, & graui. Propter quid consonat acutum graui? eo quòd rationem habent numerorum acutum & graue. Nunquid est consonare acutum, & graue? nunquid est in numeris ratio ipsorum? cum autem acceperimus, quòd est, quæ igitur est ratio, quærimus.

6 *Quòd autem est medij quæstio, significant, quorumcunque medium est sensibile. Quærimus enim, cum non sensimus, veluti de eclypsi si est, aut non: si vero essemus supra Lunam, non vtique quæreremus neque si fit, neque propter quid, sed simul vtique manifestum esset. Ex eo enim, quod sentitur, & vniuersale nobis factum est scire. Sensus nanque est, quod nunc obstruitur: manifestum enim est: quod nunc deficit: ex hoc autem factum vtique fuit vniuersale Quemadmodum igitur dicimus, quid est scire, idem est, & propter quid est: hoc vero simpliciter, & non inexistentium alicui, aut inexistentium, vt quod duo recti sunt, aut quod maius, aut minus est. Quod igitur omnia, quæ quæruntur, est medij quæstio, planum. Quomodo autem quod quid est monstratur, & quis modus reductionis, & quid est definitio, & quorum, dicamus, cùm dubitauerimus primo de ipsis.*

5 Secundo probat hoc idem Aristoteles ratione: medium, quo demonstratur propositio mediata, est causa, vt supra dictum est; sed in omnibus quæstionibus de propositionibus mediatis, quæritur causa; ergo in omnibus quæstionibus quæritur medium. Probatur minor: cum enim sit quæstio simplex, *an luna sit? an Sol sit? an terra sit? an triangulus sit?* quæritur, an hæc habeant aliquam quidditatem, quæ sit illis causa essendi? cum sit quæstio composita, *an luna, vel sol eclypsetur? an terra sit in centro? an trianguli tres anguli sint æquales duobus rectis?* quæritur, an sit vlla causa, propter quam luna, ac sol debeant eclypsari, terra debeat esse in centro, triangulum debeat habere tres angulos æquales duobus rectis? cum quæritur, *quid res sit?* vel propter quid sit? quæritur, quæ sit causa, propter quam res est, vel talis est; ideoque explicando, quæ sit talis causa, satisfit vtrique quæstioni. Ex. gr. si quæratur, *quid est eclypsis lunæ?* respondetur, *est defectus luminis in luna ex interpositione terræ.* Si quæratur, *propter quid luna eclypsetur?* respondetur, *quia deficit luna lumen ex interpositione terræ.* Si quæratur, quid est consonantia? respondetur, *est proportio numerorum inter acutum, & graue.* Si quæratur, *cur inter istas voces detur consonantia?* respondetur, *quia sunt acutæ, & graues, ita vt detur inter ipsas proportio numerorum*; ergo in omnibus quæstionibus quæritur causa; ergo in omnibus quæritur medium.

6 Tertio probat Aristoteles conclusionem ex signo: qui enim sensu percipit, quæ sit causa passionis, neque quærit *an passio sit?* neque *an conueniat subiecto?* neque *propter quid conueniat?* neque *quid sit?* ergo signum est, quod per omnes istas quæstiones vltimo quæritur, quæ sit causa, & medium rei? Probatur antecedens: si quis enim existeret in luna, & videret lunam eclypsari, terra interposita, non quæreret an sit eclypsis? quia eclypsim videret: nec quæreret, an luna eclypsetur? quia videret lunam eclypsari: non quæreret, propter quid luna eclypsetur? quia videret lunam eclypsari propter interpositionem terræ: demum neque quæreret, quid sit eclypsis lunæ? quia videret eclypsim lunæ esse defectum luminis in luna propter interpositionem terræ; ergo cum cognitio causæ soluat omnes quæstiones, per omnes quæstiones quæritur cognitio causæ, ac medij, adeoque omnes quæstiones reducuntur ad vnicam, quæ est quæstio causæ. Neque verò dicas eum, qui videret causam singularem, adhuc moturum quæstionem de causa vniuersali: nam contra est, quia visa causa singulari, statim intellectus abstraheret causam vniuersalem; ergo neque de causa vniuersali remaneret quæstio. Cum igitur cognoscatur per causam rem esse vel simpliciter, vel talem, cognoscatur etiã, quid sit, & propter quid sit, patet in omnibus quæstionibus quæri causam; & cum medium demonstrationis sit causa, patet, quod cum in omnibus quæstionibus quæratur causa, quæritur medium demonstrationis.

Disputatur, vtrum eiusdem secundum idem possit esse definitio, ac demonstratio? Caput II.

Text. 2.

1 P*Rincipium vero sit futurorum, quod et conuenientissimum habitis sermonibus.*

 Du-

Dubitare enim quispiam posset, an ne est idem, & secundum idem, definitione scire, & demonstratione?

2 *An impossibile. Definitio nanque ipsius quid est esse videtur: quid est autem omne, vniuersale & prædicatiuum: syllogismi vero sunt, hi quidem priuatiui, illi autem non vniuersales: veluti qui quidem in secunda figura, priuatiui omnes, qui vero in tertia non vniuersales.*

3 *Postea neque prædicatiuorum omnium, qui sunt in prima figura, est definitio, vt quòd omnis triangulus duobus rectis aquales habet. Huius autem ratio, quoniam scire, est demonstratiue demonstrationem habere: quare, si in talibus est demonstratio, planum quòd non esset vtique ipsorum, & definitio. Scire enim posset aliquis, & secundum definitionem non habens demonstrationem. Nihil enim prohibet non simul habere.*

4 *Sufficiens autem est fides & ex inductione. Nihil enim vnquam definientes nouimus, neque eorum, quæ per se insunt, neque accidentium. Amplius si definitio, substantiæ quædam cognitio est, talia manifestum, quòd non sunt substantiæ. Quòd igitur non est definitio omnis, cuius & demonstratio, planum.*

1 Postquam Aristoteles ostendit, quod omnis quæstio quodāmodo est quæstio medij, procedit ad explicandum, quo pacto medium nobis innotescat: & quia medium demonstrationis est definitio, inuestigat, quo pacto innotescat definitio. Primo ergo disputat, vtrum eiusdem secundum idem possit esse definitio, ac demonstratio? & quia tripliciter potest intelligi, quod eiusdem secundum idem sit definitio, ac demonstratio: primo ex eo, quod omne demonstrabile sit definibile: secundo ex eo, quod omne definibile sit demonstrabile: tertio ex eo, quod saltem aliquid idem secundum eamdem rationem sit simul definibile, ac demonstrabile: ideò primo Aristoteles proponit rationes, quibus videtur ostendi, non omne demonstrabile esse definibile: secundo proponit rationes, quibus videtur ostendi non omne definibile esse demonstrabile: tertio demum proponit rationes, quibus videtur ostendi, quod neque aliquid idem, secundum eamdem rationem, est simul definibile, ac demonstrabile.

2 Quoad primum: proponit Aristoteles tres rationes ad ostendendum, quod non omne demonstrabile est definibile. Prima ratio est: definitio est solum de quidditate, quæ de subiecto prædicatur vniuersaliter, & affirmatiuè; sed demonstratio est etiam de ijs, quæ prædicantur negatiuè, & particulariter, immo demonstratio in secunda figura est solum de negatiuis, in tertia figura est solum de particularibus; ergo multorum datur demonstratio, quorum dari non potest definitio.

3 Secunda ratio est: neque omnium, quæ demonstrari possunt vniuersaliter affirmatiuè in prima figura, potest dari definitio; ergo &c. Probatur antecedens: hæc enim propositio, *omne triangulum habet tres angulos aquales duobus rectis*, est demonstrabilis affirmatiuè in prima figura; sed hæc propositio, aliæque similes, non possunt sciri per definitionem; ergo &c. Probatur minor, quia nihil aliud est scire veritatem demonstrabilem, quam eius demonstrationem habere; sed si tales veritates scire possemus per definitionem, possemus illas scire, non habendo earum demonstrationem: definitio enim potest haberi sine demonstratione; ergo tales veritates non possunt sciri per definitionem.

4 Tertia ratio est: per demonstrationem plerumque demonstramus de subiecto passiones, quæ subiecto insunt per se, vel etiam prædicata, quæ subiecto insunt per accidens; sed per definitionem cognoscimus de subiecto solam quidditatem, & essentiam, non autem passiones, & prædicata accidentalia, quæ non spectant ad essentiam subiecti; ergo non omnium, quorum est demonstratio, est definitio.

5 *Quid autem, cuius est definitio, an ne omnis est demonstratio, aut non? Vna quidem ratio, & de hoc eadem. Vnius enim inquantum vnum, vna est scientia: quare siquidem scire demonstratiuum est demonstrationem habere, continget aliquid impossibile: definitionem nanque habens sine demonstratione sciet.*

6 *Amplius principia demonstrationum sunt definitiones, quorum non esse demonstrationes monstratum est prius, aut erunt principia demonstrabilia, & principiorum principia, & hoc in infinitum prodibit, aut primæ definitiones erunt indemonstrabiles.*

5 Quoad secundum: proponit Aristoteles

teles duas rationes ad ostendendum, quod neque omnium, quorum est definitio est demonstratio. Prima ratio est, quia, vt ante dicebatur, vnum secundum eamdem rationem, vno modo est scibile; ergo quod est scibile per demonstrationem, sine demonstratione non potest sciri; sed si omne definibile esset demonstrabile, posset etiam sciri per definitionem sine demonstratione; ergo non omne definibile est demonstrabile.

6 Secunda ratio est: definitiones sunt principia demonstrationum; sed non omnia principia sunt demonstrabilia, alioquin procederetur in infinitum in demonstrationibus; ergo peruenitur tandem ad aliquas primas definitiones indemonstrabiles, ac proinde non omne definibile est demonstrabile.

7 *Sed an ne non omnis eiusdem, sed alicuius eiusdem est definitio, & demonstratio, an impossibile sit? non enim est demonstratio, cuius definitio. Definitio nanque ipsius quid est, & substantiæ: definitiones vero apparent omnes supponentes, & accipientes ipsum quid est, vt Mathematicæ, quid vnitas, & impar, & aliæ consimiliter.*

8 *Amplius omnis demonstratio aliquid de aliquo monstrat, vt quod est, aut non est: in definitione vero nihil alterum de altero prædicatur. Quemadmodum neque animal de bipede, neque hoc de animali, neque vtique de plano figura: non enim est planum figura, neque figura planum.*

9 *Amplius alterum est quid est, & quòd est monstrare. Definitio nanque quid est significat, demonstratio autem, quòd aut est hoc de hoc, aut non est.*

10 *Alterius vero altera demonstratio, nisi tanquam pars sit aliqua totius (hoc autem dico, quoniam monstratum est æquicrus duobus rectis æquales habere, si omnis triangulus monstratus fuit) pars enim hoc, illud vero totum est: hæc autem ad se inuicem non habent sic ipsum quod est, & quid est: non enim est alterius alterum pars. Manifestum igitur, quòd neque cuius definitio, huius omnis demonstratio: neque cuius demonstratio, huius omnis definitio: quare omnino eiusdem nullius contingit ambo habere. Manifestum igitur est quòd neque definitio, & demonstratio neque idem esse possunt, neque alterum in altero: subiecta etenim consimiliter vtique se haberent.*

Hæc itaque hucusque dubitata sint.

7 Quoad tertium: subiungit Aristoteles tres alias rationes ad ostendendum, quod neque aliquid idem, secundum idem, sit simul definibile, ac demonstrabile. Prima ratio est: omnis definitio est de essentia rei, ac explicat *quid res sit*; sed nulla demonstratio demonstrat de re, quid sit, sed supponens, *quid sit*, demonstrat passiones, & proprietates; ergo nulla definitio, ac demonstratio est de eodem, sed definitio est de essentia, demonstratio de passionibus. Minor probatur inductione: nam in mathematicis supponitur, quid sit vnitas, quid impar, quid circulus, quid triangulus, iisque suppositis passiones demonstrantur.

8 Secunda ratio est: in omni demonstratione vnum prædicatur de altero; sed in nulla definitione vnum prædicatur de altero; ergo &c. Probatur minor, quia in definitione hominis, quæ sit *animal bipes, vel animal rationale*, neque animal prædicatur de bipede, neque bipes de animali, cum desit verbum *est*, quod est nota prædicationis. Rursus si aliquid definiatur *figura plana*, neque planum prædicatur de figura, neque figura de plano.

9 Tertia ratio est: aliud est, *quid res sit*, aliud *qualis sit*; sed omnis definitio ostendit solum, *quid res sit*, ex. gr. *quod homo est animal rationale*; omnis demonstratio ostẽdit qualis sit res, ex. gr. *quod homo sit risibilis*; ergo nulla definitio, ac demonstratio sunt de eodem.

10 Quarta ratio est: diuersorum, quorum nullum continetur in altero, sicut pars in toto, diuersus est modus manifestationis; sed *quid sit res, & qualis sit res*, diuersa sunt, nec alterum continetur in altero, sicut pars in toto, & sicut isosceles in triangulo; ergo definitio, ac demonstratio, per quarum alteram ostenditur, *quid res sit* per alteram *qualis sit*, diuersæ sunt manifestationes, licet manifestatio, qua ostenditur, triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, non sit diuersa à manifestatione, qua idem ostenditur de isosceele; ergo & definitio ita differt à demonstratione, vt neutra se habeat ad alteram, sicut pars ad totum; & definibile, hoc est, *quid sit res*, ita se habet ad demonstrabile, hoc est *qualis sit res*, vt neutrum se habeat ad alterum, sicut pars ad totum; ergo

ergo nec omne definibile est demonstrabile, nec omne demonstrabile est definibile, quia eo ipso alterum se haberet ad alterum, sicut pars ad totum: immo, cum *quid res sit*, *& qualis sit*, semper mutuo differant, definibile & demonstrabile semper mutuo differunt; ergo idem secundum eamdem rationem non est definibile, ac demonstrabile; est enim definibile, in quantum habet prædicata quidditatiua; est demonstrabile, in quantum habet prædicata non quidditatiua.

Disputatur, vtrum possit demonstrari, quid sit res, seu definitio rei? Cap. III.

Text. 3.

1 *Ipsius vero quid est, est ne syllogismus, & demonstratio, aut non est, quemadmodum nunc ratio supposuit?*

2 *Syllogismus enim aliquid de aliquo mõstrat per medium, ipsum vero quid est, & proprium est, & in eo, quòd quid est prædicatur: hæc autem necesse est conuerti. Si enim A ipsi C proprium est, planum, quòd & ipsi B, & hoc ipsi C: quare omnia ad inuicem.*

3 *Verumenimuero & si A, in eo, quòd quid est inest omni B, & vniuersaliter B de omni C in eo, quòd quid est dicitur, necesse & A in eo, quòd quid est de C dici. Si vero non sic aliquis accipiet duplicans, non necesse erit A de C prædicari in eo, quòd quid est.*

4 *Sed si A quidem de B in eo quod quid est, ipsum vero B non de quibuscunque in eo, quòd quid est, ipsum autem quid est ambo eadem habebunt: erit igitur & B de C quòd quid est. Si itaque ipsum quid erat esse ambo habent, in medio termino erit prius ipsum quid erat esse.*

5 *Et omnino, si est monstrare, quid est homo, sit C homo, A vero quid est, siue animal bipes, siue aliud quid: si itaque syllogizabitur, necesse est A de B omni prædicari: huius autem erit alia ratio media: quare & hoc erit quid est homo: accipit igitur quod oportet monstrare: nanque & B est quid est homo.*

6 *Oportet autem in duabus propositionibus & primis, & immediatis considerare: maxime enim manifestum, quod dicitur, fit. Qui igitur monstrant per id, quod conuertitur, quid est anima, aut quid est homo, aut aliud quodcunque entium, quod ex principio est petunt. Quemadmodum, si aliquis existimat, & animam esse idem subiipsi causam viuendi, hoc autem numerum ipsum seipsum mouentem. Necesse est enim petere animam, quòd numerum esse ipsum seipsum mouentem sit, vt idem existere.*

Non enim si A sequitur B, & hoc C, erit A quod quid erat esse ipsius C, sed verum erat dicere, erit solum: neque si est A quod quid est, & de B prædicatur omni, hoc enim, quod est animali esse, prædicatur de eo, quod est homini esse: verum enim est omni homini esse animali esse, quemadmodum & omnem hominem animal esse, sed non sic vt vnum sit. Si igitur non sic acceperit, non syllogizabitur, quòd A est ipsi C quod quid erat esse, & substantia: si vero ita acceperit, prius erit acceptum C quod quid erat esse ipsius B: quare non demonstratum fuit: hoc enim in principio accepit.

1 Postquam Aristoteles disputauit, vtrum eiusdem secundum idem sit definitio, ac demonstratio, disputat, vtrum saltem possit demonstrari, vel per syllogismum probari, quid sit res, seu definitio rei? Proponit igitur duas rationes ad ostendendum, quod non possit demonstrari, quid sit res.

2 Prima ratio est: ad demonstrandum, *quid sit* subiectum non sufficit ostendere, quod subiectum est hoc, sed requiruntur vlterius duæ conditiones. Prima conditio est, vt *esse hoc* sit proprium subiecti, & cum illo conuertibile: quidditas enim, ac definitio rei est propria, ac conuertibilis cum re. Secunda est, vt dicatur de subiecto quidditatiuè, cum quidditas, & definitio quidditatiuè dicatur de subiecto, ac definito. Si igitur demonstretur subiectum *esse hoc* quidditatiuè, sed non conuertibiliter, non demonstratur, *quid sit subiectum*, ideoque ostendendo hominem esse animal quidditatiuè, non demonstratur, *quid sit homo*, quia animal non dicitur de homine conuertibiliter. Ex eadem ratione si demonstretur subiectum esse hoc conuertibiliter, sed non quidditatiuè, non demonstratur, *quid sit* subiectum, ideoque ostendendo hominem *esse risibilem* conuertibiliter, non demonstratur *quid sit homo*, quia

risibi-

risibile non dicitur de homine quidditatiuè; sed non potest de subiecto demonstrari, vel per syllogismum probari, ipsum esse hoc conuertibiliter, & quidditatiuè; ergo non potest de subiecto demonstrari, vel per syllogismum probari *quid sit*. Probatur minor: vt enim de subiecto, ex. gr. de homine probetur, quod sit hoc, puta *animal rationale* conuertibiliter, & quidditatiuè, debet probari per medium, puta *potens sentire, & discurrere*, quod medium dicatur de subiecto, hoc est de homine conuertibiliter, ac quidditatiuè, & de quo medio dicatur maius extremum, hoc est *animal rationale* conuertibiliter, & quidditatiuè formando talem syllogismum: *omne potens sentire, & discurrere, est animal rationale conuertibiliter, & quidditatiuè; sed omnis homo est potens sentire, & discurrere conuertibiliter, & quidditatiuè; ergo omnis homo est animal rationale conuertibiliter, & quidditatiuè*. Si verò vel in maiori maius extremum dicatur de medio non conuertibiliter, & quidditatiuè, vel in minori medium dicatur de minori extremo non conuertibiliter, & quidditatiuè, non sequitur conclusio, in qua prædicatum, seu maius extremum dicatur de subiecto, hoc est de minori extremo conuertibiliter, & quidditatiuè.

3 Probatur, & explicatur per exempla. In hoc syllogismo: *omne animal est viuens sensitiuum conuertibiliter, & quidditatiuè; omnis homo est animal*; non sequitur; *ergo omnis homo est viuens sensitiuum conuertibiliter, & quidditatiuè*, quia licet in maiori maius extremum, hoc est *viuens sensitiuum*, dicatur de medio, hoc est de animali conuertibiliter, & quidditatiuè, tamen in minori animal, quod est medium, dicitur de homine, quod est minus extremum, non conuertibiliter, ideoque sequitur quidem conclusio; *ergo omnis homo est viuens sensitiuum*; sed non sequitur; *ergo omnis homo est viuens sensitiuum conuertibiliter*, cum de facto *viuens sensitiuum* non sit conuertibile cum homine. Similiter in hoc syllogismo: *omne animal rationale est viuens; omnis homo est animal rationale, conuertibiliter, & quidditatiuè*, non sequitur; *ergo omnis homo est viuens conuertibiliter, & quidditatiuè*, quia licet in minori medium, quod est *animal rationale*, prædicetur de homine, quod est minus extremum, conuertibiliter, & quidditatiuè, tamen in maiori viuens, quod est maius extremum, non prædicatur de medio, quod est *animal rationale*, conuertibiliter.

4 Hoc posito: ad concludendum, quid sit homo conuertibiliter, & quidditatiuè, debet assumi medium, quod in minori prædicetur de homine conuertibiliter, & quidditatiuè, formando hunc syllogismum: *omne potens sentire, & discurrere est animal rationale conuertibiliter, & quidditatiuè; omnis homo est potens sentire, & discurrere conuertibiliter, & quidditatiuè; ergo omnis homo est animal rationale conuertibiliter, & quidditatiuè*; sed si in minori medium prædicatur de homine conuertibiliter, & quidditatiuè, iam medium est definitio hominis, adeoque in minori assumitur, *quid sit homo*; ergo ad demonstrandum, quid sit homo, debet in minori assumi, quid sit homo, adeoque debet peti principium; ergo demonstrari non potest, quid sit homo, & quid vniuersim sit res sine petitione principij; ergo simpliciter demonstrari non potest, quid sit res.

5 Confirmatur primo, quia si illa minor, *omnis homo est potens sentire, ac discurrere conuertibiliter, ac quidditatiuè*, deberet probari per aliud medium, quod vocetur D, in minori illud medium deberet prædicari de homine conuertibiliter, & quidditatiuè; ergo ad probandum, quid sit homo, rursus assumi deberet, quid sit homo; ergo non potest absolutè demonstrari, quid res sit.

6 Confirmatur secundo ponendo exemplum. Sit demonstrandum de anima, quod sit causa se ipsam mouendi conuertibiliter, & quidditatiuè: assumatur vt medium *numerus, seu substantia se ipsam mouens*, iuxta Platonicos, qui substantias vocabant numeros, & formetur sequens syllogismus: *omnis numerus, seu substantia se ipsam mouens est sibi causa viuendi conuertibiliter, & quidditatiuè; omnis anima est numerus, seu substantia se ipsam mouens; ergo omnis anima est sibi causa viuendi conuertibiliter, & quidditatiuè*: patet, quod ad demonstrandam definitionem explicantem, quid sit anima, assumitur in minori definitio explicans, quid sit anima; & si rursus probanda esset illa minor, deberet assumi alia minor explicans, quid sit anima, & sic in infinitum.

Text. 4.

7 *Verumenimuero neque per diuisiones via syllogizat, quemadmodum in resolutione circa*

circa figuras dictum est.

8 *Nusquam enim necessarium sit rem illam esse, cum hæc sint, sed quemadmodum neque inducens demonstrat. Non enim oportet conclusionem interrogare, neque in eo quòd datur esse. sed necesse est esse illis existentibus. Etenim si dixerit respondens, an ne homo animal, aut inanimatum? postea accipiat animal, non syllogizatum fuit. Rursus omne animal, aut pedestre, aut aquaticum? accipiat pedestre; & hominem esse totum animal pedestre, non necesse est ex dictis, sed accipit & hoc. Differt autem nihil in multis, aut paucis ita facere: idem enim est. Non syllogisticus igitur vsus fit ita progredientibus & ad ea, quæ contingit syllogizari.*

9 *Quid enim prohibet hoc verum quidem esse omne de homine, non tamen quid est, neque quòd quid erat esse significans?*

10 *Amplius quid prohibet, aut addere aliquid, aut auferre, aut supergredi substantias? hæc igitur prætermittantur quidem.*

7 Posset aliquis dicere non posse quidem demonstrari de subiecto, *quid sit*, per medium conuertibile, posse tamen demonstrari per viam diuisionis, incipiendo à supremo genere, ac descendendo vsque ad vltimam differentiam, & sic ex. gr. argumentando: *homo vel est substantia, vel accidens; non est accidens; ergo est substantia. Rursus vel est substantia corporea, vel incorporea; non est substantia incorporea; ergo est substantia corporea*, & sic deinceps, vsque dum concludatur, quod homo est animal rationale.

8 Contra hunc modum dicendi proponit Aristoteles secundam rationem, qua ostendit neque posse per viam diuisionis demonstrari *quid sit res*? Vt enim dictum est primo Priorum sect. 2. cap. 3. vel 29. per viam diuisionis nunquam potest fieri syllogismus, in quo positis præmissis, necessario sequatur conclusio; sed ad demonstrationem requiritur, vt ex positis præmissis necessario sequatur conclusio; ergo per viam diuisionis non potest demonstrari *quid sit res*? Probatur maior: vel enim diuisio est per membra contradictoria, vt cum animal diuiditur in rationale, & irrationale; vel non est per membra contradictoria, vt cum animal diuiditur in rationale, hinnibile, rugibile &c: si diuisio fit per membra contradictoria, petitur principium: si non sit per membra contradictoria, nisi petatur principium, conclusio non sequitur necessario ex præmissis; ergo &c. Probatur prima pars minoris: dum enim arguimus; *homo vel est rationalis, vel irrationalis; non est irrationalis; ergo est rationalis*: si irrationale contradictoriè opponitur rationali, idem est *non esse irrationale, ac esse rationale*, cum duæ negationes affirment, atque idem sit auferre vnam partem contradictionis, & ponere aliam partem contradictionis; ergo si argumentamur per diuisionem ex membris contradictorijs, petimus principium, & probamus vnam partem contradictionis per negationem alterius, quod est probare idem per idem. Probatur iam secunda pars minoris: si enim argumentamur ex diuisione per membra non contradictoria, ex tali diuisione non constat membra enumerata esse omnia; sed si membra enumerata non sunt omnia, non sequitur ex necessitate conclusio, E G non sequitur; *homo vel est animal rationale, vel rugibile; sed non est animal rugibile; ergo est animal rationale*, quia in diuisione posita, in maiori non sunt enumeratæ omnes species animalis; ergo si argumentemur per membra non contradictoria, conclusio non sequitur ex necessitate. Explicatur exemplo inductionis. Inductio enim non necessario ex singularibus concludit vniuersale, quia inducendo non manifestatur, verum singularia sint omnia: ex. gr. dicendo *hic ignis calefacit; hic calefacit &c.* non manifestatur ignes inductos esse omnes, ideoque non sequitur ex necessitate; *ergo omnis ignis calefacit*: si verò assumatur in antecedente, *& sic de alijs*, petitur principium. Proportionaliter in diuisione alicuius vniuersalis in suas partes subiectiuas per membra non contradictoria, non manifestatur, quod tales partes sint omnes; ergo ex negatione aliarum partium enumeratarum, non sequitur affirmatio partis reliquæ: si verò in minori assumatur, *& sic de reliquis*, petitur principium. Ex. gr. si quis arguit; *omne animal vel est rationale, vel hinnibile, vel rugibile, vel in aliqua alia specie; sed homo est animal, non rugibile, non hinnibile, nec in vlla alia specie à rationali*; iam petit vt concedatur hominem esse animal, & non in vlla alia specie à rationali, quod est hominem esse animal rationale, adeoque petitur principium, & probatur idem per idem; ergo argumentum ex diuisione vel

vel non necessario concludit, vel petit principium; ergo non potest demonstrari, quid sit res, per viam diuisionis.

9 Confirmatur, quia licet per viam diuisionis probari posset hominem verè esse animal rationale, adhuc non probaretur hominem esse animal rationale quidditatiuè; sed ad demonstrandum, *quid sit res*, non sufficit ostendere, quod res sit hoc, sed debet etiam ostendi, quod res sit hoc quidditatiuè; ergo etiamsi argumentum ex diuisione concluderet necessario, adhuc non demonstraret, *quid sit res*.

10 Confirmatur secundo, quia ad cognoscendum, quid sit res, debent de re cognosci omnia, & sola prædicata quidditatiua; sed etiamsi per viam diuisionis demonstraretur subiectum *esse hoc*, adhuc non ostenderetur hoc continere omnia, & sola prædicata quidditatiua rei, ita vt nullum sit omissum prædicatum quidditatiuum, nullum sit additum prædicatum non quidditatium; ergo &c.

11 *Contingit autem soluere, si quis accipiat ea, quæ sunt in ipso quid est, omnia, & consequens diuisione faciat petens primum, & nihil derelinquat. Hoc autem necessarium est, si omne in diuisionem cadit, & nihil deficit. Hoc autem necessarium: indiuiduum enim iam oportet esse.*

12 *Sed syllogismus tamen non est, sed siquidem alio modo cognoscere facit, hoc quidem nihil absurdum fuit. Neque enim inducens forte demonstrat, sed tamen ostendit aliquid. Syllogismum vero non dicit ex diuisione dicens definitionem.*

13 *Quemadmodum enim in conclusionibus, quæ sunt sine medijs, si quis dicat, quòd his existentibus necesse est hoc esse, contingit interrogare propter quid, ita & in diuisiuis definitionibus. Quid est homo? animal mortale, habens pedes, bipes, sine pennis. Propter quid iuxta vnamquamque appositionem? dicet enim, & monstrabit diuisione, sicut opinatur, quòd omne aut mortale, aut immortale est: talis autem oratio tota non est definitio: quare, & si demonstraretur diuisione, non tamen hæc definitio syllogismus efficitur.*

11 Posset his rationibus responderi, quod argumentans per viam diuisionis poterit incipere à supremo genere, atque illud diuidere per immediatas differentias quidditatiuas, & sic descendere vsque ad vltimam differentiam quidditatiuam, sumendo solas differentias quidditatiuas, & nullam omittendo; sed procedendo hoc pacto, de specie vltima, atque indiuisibili in alias species, concluderet *quid sit*, explicando omnia, & sola prædicata quidditatiua ipsius; ergo procedendo hoc pacto, poterit per viam diuisionis concludi, quid sit res, explicando omnia, & sola prædicata quidditatiua rei. Declaratur quod dictum est posito exemplo. Vt quis ostenderet, quid sit homo, posset sumere substantiam, quæ est supremum genus hominis, atque illam per immediatas differentias quidditatiuas diuidendo in corpoream, & in incorpoream sic argumentari: *omnis substantia vel est corporea, vel incorporea; homo est substantia, & non incorporea; ergo homo est substantia corporea, siue corpus: omne corpus vel est animatum, seu viuens, vel inanimatum; homo est corpus, & non inanimatum; ergo homo est corpus animatum, seu viuens: omne viuens vel est sensitiuum, vel insensitiuum; homo est viuens, & non insensitiuum; ergo homo est viuens sensitiuum, siue animal: omne animal vel est rationale, vel irrationale; homo est animal, & non irrationale; ergo homo est animal rationale*: & quia animal rationale non potest vlterius diuidi in animalia rationalia diuersæ speciei, ideo animal rationale est tota quidditas hominis, qui est species infima, atque indiuisibilis in alias species. Quia ergo sumpta sunt per diuisionem omnia, & sola prædicata quidditatiua hominis, demonstratum est, *quid sit homo*, per adæquatam definitionem quidditatiuam.

12 Impugnat Aristoteles hanc responsionem, quia licet posset quis modo explicato per viam diuisionis descendere ad cognoscendum, quid sit res, non tamen ex præmissis syllogizaret quid sit res, sicut cũ quis per inductionem ex singularibus ascendit ad cognitionem vniuersalis, non tamen syllogisticè ex præmissis singularibus concludit vniuersale; sed ad demonstrandum *quid sit res* debet concludi syllogisticè, ac necessario ex præmissis, *quid sit res*; ergo per viam diuisionis non demonstratur, *quid sit res*.

13 Confirmatur, quia sicut cum per enthymema, vel alium modum argumentandi, in quo medius terminus, & extrema non disponuntur syllogisticè, infertur conclusio,

clusio, potest quæri, cur ex tali antecedenti sequatur conclusio, sic cum per diuisionem infertur definitio, potest quæri, cur id, quod per talem definitionem infertur sit definitio adæquata rei? sed ad hoc, vt definitio sit demonstrata de subiecto, debet ex vi præmissarum esse manifestum, *propter quid* illa sit definitio adæquata subiecti, cum demonstratio debeat manifestare *propter quid*; ergo licet per viam diuisionis assequeretur quis definitionem adæquatam subiecti, adhuc non demonstraret definitionem de subiecto: ex. gr. in exemplo posito, licet per diuisionem quis assequeretur, quod homo est animal rationale, adhuc non demonstraret, quod definitio adæquata hominis est *esse animal rationale*, cum per diuisionem non manifestetur ex præmissis propter quid *animal rationale* sit definitio adæquata hominis. Quod nos exemplificauimus de vera definitione hominis, quæ est, *animal rationale*, exemplificat Aristoteles de alia definitione supposititia, per quam homo definiebatur à Platonicis, *animal mortale, implume, bipes*.

Disputatur, vtrum demonstrari possit quid sit res ex ipsa definitione definitionis, vel ex de definitione contrarij. Caput IV.

Text. 5.

1 *SEd an ne est demonstrare ipsum quid est secundum substantiam? ex suppositione autem accipientem ipsum quidem, quòd quid erat esse, hoc, quod est ex proprijs in eo, quòd quid est, hæc autem in eo, quòd quid est sola, & proprium omne: hoc enim est esse illi.*

2 *An rursus accepit, quòd quid erat esse, & in hoc? necesse enim est per medium monstrare.*

3 *Amplius quemadmodum neque in syllogismo accipitur quid est ipsum syllogizare, (semper enim tota, aut pars est propositio, ex quibus syllogismus), ita neque ipsum, quod quid erat esse oportet inesse in syllogismo, sed seorsum hoc à positis esse, & ad dubitantem, si syllogizatum est, aut non hoc, occurrendum est quòd, hoc enim erat syllogismus: & ad illum, quòd, non ipsum quid erat esse syllogizatum est, quòd certe; hoc enim positum fuit nobis ipsum, quòd quid erat esse: quare necesse est, & sine quid est syllogismus, aut ipsius, quòd quid erat esse, syllogizatum fuisse aliquid.*

1 POsset aliquis existimare, demonstrari posse, quid sit res, ex ipsa definitione quidditatis, ac definitionis, supponendo illam vt præmissam demonstrationis, ac sic argumentando: quidditas, ac definitio rei est, quæ ita est propria rei, vt de ipsa dicatur quidditatiue; sed animal rationale ita est proprium hominis, vt de homine dicatur quidditatiue; ergo animal rationale est quiditas, ac definitio hominis.

2 Contra hunc modum dicendi disputat Aristoteles, ac proponit duas rationes. Prima ratio est, quia etiam in hac argumentatione ad probandum *quid sit res*, sumitur, *quid sit res* adeoque probatur idem per idem, ac petitur principium; ergo &c. Probatur antecedens: sumitur enim in minori, quod *esse animal rationale*, ita est proprium hominis, vt dicatur de homine quidditatiuè; sed hoc ipsum est animal rationale esse quidditatem hominis; ergo sumitur quidditas hominis, cum ad demonstrandum, quid sit homo, non deberet asumi, vt medium, quod *esse animal rationale* sit proprium hominis, ita vt de homine dicatur quidditatiuè, sed hoc ipsum deberet probari per aliud medium, quod ostensum est supra fieri non posse sine petitione principij.

3 Secunda ratio est, quia sicut cum argumentamur syllogizando, non asumimus vt præmisam definitionem syllogismi, sed asumimus solum vt præmisas duas propositiones, quarum altera, quæ est maior, se habet ad minorem, sicut totum ad partem, eo quod maior regulariter sit vniuersalior minore; sic cum syllogizamus *quid sit res*: non debet asumi vt præmisa definitio definitionis. Verumtamē & dum syllogizamus, debemus habere in mente definitionem syllogismi, vt si quis neget ratiocinationem factam esse syllogismum, posimus probare illam esse syllogismum, ex eo, quod ipsi conueniat definitio syllogismi; & dum syllogizamus, *quid sit res*, debemus habere in mente definitionem definitionis, vt si quis neget syllogizatam esse definitionem, posimus id probare ex definitione definitionis.

Text.6.

4 *Et si ex suppositione monstret, veluti si malo inest diuisibile esse, contrario autem hoc, quod est contrarium inesse quibuscunque est aliquid contrarium: bonum autem malo est contrarium & indiuisibile diuisibili: est igitur bono inesse indiuisibile esse.*

5 *Hinc etenim accipiens ipsum quid erat esse monstrat. Accipit autem ad monstrandum ipsum, quod quid erat esse, alterum tamen sit. In demonstrationibus namque, quod est hoc de hoc, sed non ipsum, neque cuius eadem est ratio, & conuertitur.*

6 *Ad vtrosque vero, & ad monstrantem secundum diuisionem, & ad sic syllogizantem, eadem est dubitatio, propter quid homo est animal bipes, pedestre, sed non animal & pedestre? ex ijs enim, quæ accipiuntur, nulla necessitas est vnum fieri, quod prædicatur, sed quemadmodum homo idem esset, & musicus, & grammaticus.*

7 *Quomodo igitur definiens monstrabit substantiam, aut ipsum quid est? neque enim sicut demonstrans ex confessis esse manifestum faciet, quod necesse est illis existentibus alterum quid esse: demonstratio enim hoc est: neque sicut inducens per singularia, cùm manifesta sint, quòd omne sic est, eo quòd nihil aliter est: non enim quid est monstrat, sed quòd aut est, aut non est. Quis igitur alius modus reliquus? Non enim monstrabit vtique sensu, aut digito.*

4 Dici posset, definitionem vnius rei demonstrari posse, supponendo vt præmissam definitionem alterius rei: ex.gr. posse definitionem vnius contrarij demonstrari ex definitione alterius contrarij, sic argumentando: contrariorum essentia, ac definitio est contraria; sed essentia mali, quod est contrarium bono, consistit in diuisione, ac diuisibilitate, ideoque quodlibet refugit diuisionem sui vt malum; ergo essentia boni consistit in indiuisibilitate, & vnitate contraria diuisibilitati, ideoque quodlibet conseruat suam vnitatem, tanquam bonum suum.

5 Contra hunc modum dicendi disputat Aristoteles, primo quia etiam in hac argumentatione ad probandum *quid*, assumitur *quid*; ergo etiam in hac argumentatione petitur principium, & probatur idem per idem. Neque dicas, quod ad probandum, *quid sit* vnum, assumitur, *quid sit* aliud, quod sine vitio fieri potest: nam in demonstratione, non solum non debet assumi idem, sed neque debet assumi aliud eiusdem rationis, & non magis notum, quam conclusio probanda, & quod sit tale, vt posset ipsum æquè bene probari per conclusionem, ac conclusio probetur per ipsum; sed quod malum consistat in diuisibilitate, & bonum in indiuisibilitate sunt eiusdem rationis, æquè nota, ac potest vtrumlibet eodem iure probari per aliud; ergo &c.

6 Secundo arguit Aristoteles ratione communi contra eos, qui dicunt posse demonstrari *quid sit res*, vel per viam diuisionis, vel per definitionem definitionis, vel per definitionem contrarij; quia ad demonstrandum, *quid sit res*, non sufficit ostendere, quod res sit hoc, vel illud, sed vlterius est ostendendum, quod omnia prædicata sunt vnum, & faciunt vnam quamdam naturam: ex. gr. ad demonstrandum, *quid sit homo*, non solum ostendi debet, hominem esse animal rationale, sed etiam animal, & rationale vnum esse, cum quidditas debeat esse vna; sed hoc neque demonstratur per viam diuisionis, neque per viam suppositionis; ergo &c. Probatur minor: quia iuxta dictas vias nihil assumitur in præmissis, ex quo necessario sequatur animal, & rationale esse vnum, magis, quàm musicus, & grammaticus sint vnum.

7 Ex his epilogat Aristoteles argumenta allata, & concludit, nullo pacto posse demonstrari *quid sit res*? si enim posset demonstrari, vel posset demonstrari per syllogismum, vel per inductionem; non potest demonstrari per syllogismum, vt hactenus ostensum est, neque per inductionem; ergo &c. Probatur secunda pars minoris, quia per inductionem potest solum ex eo, quod aliquod prædicatum conueniat, vel non conueniat singularibus, ostendi, quod conuenit vel non conuenit vniuersali; quod verò tale prædicatum sit quidditas vniuersalis, ostendi non potest: ex. gr. potest per inductionem ex eo, quod hic, & ille homo sit animal rationale, ostendi, quod *omnis homo est animal* rationale, quod verò *animal rationale* sit quidditas hominis, ostendi non potest; ergo cum neque per syllogismum, neque per inductionem possit demonstrari, *quid sit res*, non potest simpliciter demonstrari, *quid sit res*? non enim superest alius modus demon-

monstrationis. Demonstratione enim digitali, qua demonstrantur sensibilia, profectò quidditas, quæ non est sensibilis, demonstrari nequit.

Text 7.

8 *Amplius quomodo monstrabit quod quid est homo? necesse est enim scientem, quod quid est homo, aut aliud quodcunque, scire, & quod est. Non ens enim nullus nouit, quod est, sed quid quidem significat oratio, aut nomen, cùm dixero hircocervus: quid autem est hircocervus impossibile est scire. Verum nimuero si monstrabit quid est, & quod est, & quomodo eadem ratione monstrabit. Definitio enim vnum quid significat, & demonstratio: quid autem est homo, & esse hominem, aliud est.*

9 *Postea & per demonstrationem dicimus necessarium esse monstrari omne, quòd est, nisi substantia sit: ipsum vero esse nulli est substantia. Non enim genus est ipsum ens: demonstratio igitur erit, quod est.*

10 *Quod & nunc faciunt scientiæ. Quid enim significat triangulum, accepit Geometra: quod autem est, monstrat. Quid igitur monstrabit definiens quid est, aut triangulum? sciens igitur aliquis definitione quid est, si est non sciet: sed impossibile est.*

11 *Manifestum autem, & secundum modos definitionum, qui nunc sunt, quòd non monstrant definientes, quod est. Nam etsi est ex medio æquale, sed propter quid est ipsum definitum, & propter quid hoc est circulus, quæritur. Esset enim, & definitionem orichalci dicere esse ipsum. Neque enim, quòd possibile est esse quod dicitur, assignant definitiones, neque quòd illud est, cuius dicunt esse definitionem, sed semper licet dicere propter quid.*

8 Postquam Aristoteles disputauit contra varios modos, quibus videbatur posse demonstrari, *quid sit res?* probat vniuersim rationibus communibus non posse demonstrari, *quid sit res?* Prima ratio est, quia impossibile est, vt sciamus, *quid sit homo*, vel quodlibet aliud, nisi sciamus illud esse possibile: quod enim non est possibile, nullam habet quidditatem, adeoque non potest de ipso sciri, *quid sit*, seu quam habeat quidditatem, sed solum potest cognosci, quid significet nomen, eo pacto, quo cognoscitur, quid significet hoc nomen *hircocerυus*; ergo si per demonstrationem ostenditur, *quid sit res?* per eamdem manifestatur illam esse; sed non potest vna, & eadem definitione, vel demonstratione ostendi *quid res sit?* & rem esse; ergo non potest per demonstrationem ostendi *quid res sit?* Probatur antecedens assumptum: vna enim definitio est vnius definibilis, & vna demonstratio vnius est demonstrabilis; sed in creaturis *esse*, & *quid est?* non sunt vnum, & idem, ex. gr. non idem est quidditas hominis, & hominem esse; ergo non potest vna, & eadem definitione ostendi *rem esse*, & *quid sit?*

9 Secunda ratio est, quia per definitionem solum cognoscitur quidditas, atque essentia rei; ergo quando *esse* non est quidditas rei, non cognoscitur definitione, sed demonstratione; sed *esse* non est essentia, & quidditas vllius creati; ergo rem esse non ostenditur definitione, vel vlla ratione explicante, *quid sit res*, sed ostenditur demonstratione, quæ distinguitur à definitione, & vniuersim nunquam eadem ratione ostenditur, *quid res sit*, & *quod est*. Quod verò *esse* non sit quidditas vllius creati, probatur, quia si *esse* esset quidditas, ac prædicatum quidditatiuum, ens, quod significat *esse*, esset genus, ac significaret quidditatem, ac prædicaretur *in quid*, quod est falsum.

10 Tertia ratio est, quia scientiæ de facto supponunt, quid res sit, seu quid significet nomen, & procedunt ad demonstrandum id, quod significat nomen: ex. gr. geometra supponit, quid significet triangulum, ac demonstrat triangulum dari, seu posse construi; ergo non eadem ratione ostenditur *esse*, & *quid est*; ergo posset accidere, vt quis demonstrans, *quid res sit*, adhuc nesciret illam esse, quod est impossibile. Vt enim iam dictum est, qui ignorat an aliquid sit, saltem in virtute causarum, non potest scire, *quid sit*.

11 Quarta ratio est, quia definitiones, quæ de facto assignantur in scientijs, non ostendunt rem esse: ex. gr. definitio geometrica, qua circulus definitur *figura, intra quam est punctum, à quo omnes lineæ rectæ ad circumferentiam ductæ, sunt æquales*, non ostendit circulum esse, neque *propter quid* circulus tale quid sit? Posset enim quispiam dicere tales definitiones dari posse etiam de aliquo impossibili, ex. gr. de Orichalco, quod hic ab Aristotele sumitur pro monte æneo, cum tales definitiones non manifestent possibile esse id, quod per illas

illas describitur, neque quod tales definitiones sint potius huius, quam alterius, sed semper remaneat quærendum *propter quid* est possibile id, quod definitur? & propter quid habet illam quidditatem, quæ de ipso dicitur? ergo constat non posse per eamdem rationem ostendi rem esse, & quid sit.

12 *Si igitur definiens monstrat aut quid est, aut quid significat nomen (si non est nullo*
13 *modo ipsius quid est) * esset vtique definitio oratio idem, quod nomen significans: sed absurdum. Primum quidem enim, & non substantiarum esset vtique & non entium: significare enim licet & non entia.*
14 *Amplius omnes orationes definitiones vtique essent. Esset enim nomen ponere cuicunque orationi: quare definitiones vtique disputaremus omnes, & Ilias definitio vtique esset.*
15 *Amplius nulla scientia demonstraret vtique, quod hoc nomen quid significat: neque definitiones igitur hoc assignant.*
16 *Ex his igitur neque definitio, & syllogismus videtur idem ens, neque eiusdem syllogismus, & definitio. Ad hæc autem quòd definitio nihil demonstrat, neque monstrat, neque ipsum quid est, neque definitione, neque demonstratione est cognoscere.*

12 Posset responderi, quod quandoquidem definitio ex vna parte non potest ostendere, quid res sit, nisi ostendat rem esse, ex alia verò parte propter rationes allatas non potest vna, & eadem ratio simul de re ostendere, quod est, & quid est, definitio non est ratio ostendens, quid res sit, sed solum quid significet nomen?

13 Impugnat Aristoteles hanc responsionem: absurdum est enim definitionem esse rationem explicantem, quid significat nomen; ergo &c. Probatur antecedens tripliciter, primo quia sequeretur, quod posset etiam dari definitio impossibilium, quæ nullam habent essentiam, nec sunt à parte rei, neque in seipsis, neque in causis: nam etiam impossibili potest nomen imponi, eo pacto, quo impositum est nomen Hircoceruo, chimeræ &c.

14 Secundo quia sequeretur, quod omnes rationes essent definitiones: cuiuis enim orationi potest imponi vnum nomen; ergo quandoquidem talis oratio est oratio explicans, quid tale nomen significet, erit definitio; ergo dici potest, quod quidquid loquimur est definitio; & quia etiam Ilias est oratio, quam significat hoc nomen, Ilias, poterit dici, quod etiam Ilias est definitio.

15 Tertio: scientia non ostendit, quid significent nomina, quibus vtitur in conclusione, sed supponens significationem talium nominum, demonstrat verum esse quod ijs nominibus significatur; ergo definitio non ostendit, quid significet nomen, sed supponens significationem nominis, explicat, quæ sit natura rei significatæ.

16 Ex dictis cap. 2. 3. & 4. concludit Aristoteles verisimile videri, quod neque idem sunt definitio, ac demonstratio, neque definitio demonstrat, *quid sit res*, immo impossibile est, vt *quid sit res* demonstratione simul, ac definitione demonstretur.

Resoluitur quæstio, & explicatur, an, & quomodo possit manifestari demonstratione, vel definitione, *quid sit res*; & quo pacto definitio se habeat ad demonstrationem. Cap. V.

Text. 8.

1 *Iterum autem considerandum, quid horum dicitur bene, & quid non bene, & quid est definitio, & ipsius quid est nunquid quodam modo est demonstratio, & definitio, aut nullo modo?*
2 *Quoniam autem est (vt diximus) idem scire quid est, & scire causam ipsius si est. Ratio autem huius, quòd est aliqua causa, & hæc aut eadem, aut alia, & si sit alia, aut demonstrabilis, aut indemonstrabilis: si igitur est alia, & contingit demonstrare,*
3 *necesse est medium esse causam, * & in prima figura monstrari: vniuersale nanque est, & prædicatiuum, quod monstratur. Vnus igitur modus esset vtique, qui nunc exquisitus est, per aliud ipsum quid est monstrari. Ipsorum nanque quid est necesse est medium esse quid est, & propriorum proprium: quare hoc quidem monstrabit, illud vero non monstrabit ipsorum quid erat esse eidem rei. Hic igitur modus, quòd non sit*

vtique demonstratio, dictum est prius, sed est logicus syllogismus ipsius quid est.

1 PRæmissa disputatione in qua Aristoteles disputauit, an posit idem ostendi definitione, ac demonstratione, & an posit demonstrari,quid sit res, accedit ad resoluendam quæstionem, & ad determinandum, quid in rationibus allatis bene, vel male dictum sit. Primo igitur examinat an, & quomodo possit manifestari demonstratione, vel definitione *quid res sit*, an potius nullo modo posit id ostendi: secundo examinat, quid sit definitio, & quo pacto se habeat ad demonstrationem.

2 Qnoad primum, ponit Aristoteles tres conclusiones. Prima conclusio est: potest vnum *quid est* rei, ostendi per aliud *quid est* eiusdem. Probatur: vt enim supra dictum est, *quid est*, seu quidditas est quædam causa essendi rei, ideoque cum scimus *quid res sit*, scimus causam, propter quam; sed sæpe eadem res, præter causas intrinsecas, hoc est materiam, & formam, habet etiam causas extrinsecas, hoc est efficientem, & finalem, & sæpe causæ intrinsecæ sunt demonstrabiles per extrinsecas, tanquam per causas priores, eo pacto, quo materia, & forma sunt demonstrabiles per causam finalem; ergo tum sicut vna causa potest ostendi per aliam priorem, sic *quid est* explicans vnam causam, poterit ostendi per *quid est* explicans aliam causam: ex. gr. *quid est* explicans materiam,& formam, quæ sunt causæ intrinsecæ, & posteriores, poterit explicari per *quid est* explicans causam finalem, quæ est causa extrinseca, & prior.

3 Explicatur exemplo: *quid est* serræ est causa essendi serræ; sed serra, & habet causas intrinsecas, hoc est materiam, & formam, & priorem causam extrinsecam, hoc est finem; ergo serra & habet quidditatem explicantem causas intrinsecas, qualis quidditas est, vt serra sit ferrum dentatum, & habet quidditatem priorem explicantem finem, quæ quidditas est, vt serra sit instrumentum aptum ad secandum; sed ratio, quare serra secundum materiam debet esse ferrea, secundum formam dentata est, vt sit apta ad secandum; ergo quidditas, quæ desumitur ex fine,est ratio quidditatis, quæ desumitur ex materia, & forma; sed quod est ratio alterius, potest assumi vt medium ad illud ostendendum; ergo quod serra sit instrumentum aptum ad secandum, potest assumi vt medium ad ostendendum, quod serra sit ferrum dentatum, ac potest fieri sequens syllogismus demonstratiuus: *omne instrumentum aptum ad secandum, est ferrum dentatum; sed serra est instrumentum aptum ad secandum; ergo serra est ferrum dentatum*; ergo potest de subiecto vna definitio ostendi ex alia definitione priori: & quia definitio dicitur de subiecto vniuersaliter affirmatiuè, quod verò dicitur de subiecto vniuersaliter affirmatiuè, non potest concludi, nisi in primo modo primæ figuræ, hoc est in Barbara, ideo definitio non potest de subiecto ostendi, nisi per syllogismum in Barbara. Porrò illa definitio, quæ cum explicet primam causam, non habet definitionem priorem, concludi hoc pacto non potest. Proprium enim non potest concludi, nisi ex proprio, ac definitio non potest concludi, nisi ex definitione; sed prima definitio non habet ante se definitionem priorem; ergo prima definitio non potest concludi. Addit Aristoteles, quod licet hoc modo non demonstretur *quid sit res*, vt probatum est supra cap. 4. adhuc dialecticè ostenditur, *quid sit res?*

4 *Quo autem modo contingit, dicamus, aggredientes rursus à principio. Quemadmodum enim propter quid quærimus habentes quòd; nonnunquam vero & simul manifesta fiunt, sed non prius vtique propter quid possibile est cognoscere, quàm quòd; manifestum est quòd consimiliter, & ipsum quid erat esse non sine ipso quod est. Impossibile est enim scire quid est, ignorantes si est.*

5 *Ipsum vero si est, aliquando quidem secundum accidens habemus, aliquando autem habentes aliquid ipsius rei: vt tonitrum, quòd sonus est quidam nubium: & defectum, quod est priuatio quædam luminis: & hominem, quòd animal quoddam est: & animam, quòd est ipsum se ipsum mouens.*

6 *Quæcunque igitur secundum accidens nouimus, quod sunt, necessarium est nullo modo se habere ad ipsum quid est. Neque enim, quod est scimus: quærere autem quid est, non habentes quod est, nihil quærere est. De quibuscunque autem habemus aliquid, facilius. Quare vt habemus quod est, ita nos habemus, & ad ipsum quid est.*

Se-

4 Secunda conclusio est: potest *quid res sit*, aliquando elici ex demonstratione. Vt conclusionem probet, tria præmittit. Primum est: sicut possumus quidem scire rem esse talem, ex. gr. Lunam eclypsari, & adhuc quærere, adeoque ignorare, *propter quid sit talis*? ex. gr. *propter quid luna eclypsatur*? rursus possumus simul cognoscere rem esse talem, & propter quid sit talis, ex. gr. Lunam eclypsari, & propter quid eclypsetur: at non possumus scire propter quid res sit talis, & simul ignorare rem esse talem, ex. gr. non possumus scire, propter quid luna eclypsatur, & simul ignorare, an eclypsetur: sic proportionaliter possumus scire rem esse, & ignorare, *quid sit*; possumus rursus simul scire rem esse, & quid sit; at non possumus quærere, & cognoscere *quid sit res* nisi cognoscamus illam esse.

5 Secundum est: dupliciter possumus cognoscere rem esse, ita vt ignoremus *quid sit*? Primo ita, vt cognoscamus illam esse solum, secundum aliquod prædicatum conueniens illi per accidens, ita vt posset non conuenire: secundo, vt cognoscamus rem esse secundum aliquid ipsius, hoc est, secundum aliquid essentiale rei. Primo modo qui videt lunam moueri, cognoscit dari motorem lunæ sub hoc prædicato *motoris*, quod fortasse conuenit illi solum per accidens: secundo modo, qui audit tonitruum, cognoscit tonitruum esse sub hoc prædicato, quod est *esse sonum quemdam in nube*, quod prædicatum est essentiale tonitruo, licet non sit tota essentia tonitrui; & qui videt eclypsim, scit eclypsim esse sub prædicato *priuationis luminis*, quod est essentiale eclypsi; & scimus esse hominem sub prædicato cuiusdam animalis, quod est de essentia hominis; & scimus esse animam sub prædicato *mouentis se*, quod est de essentia animæ. In omnibus igitur exemplis explicatis ita cognoscimus rem esse, vt cognoscamus partialiter, *quid sit*, licet adhuc ignoremus quid sit adæquatè, & totaliter.

6 Tertium est: cum cognoscimus rem esse solum per accidens, adhuc non sumus satis dispositi ad quærendum, & inueniendum, *quid sit*; cum autem cognoscimus rem esse secundum aliquid ipsius, tum sumus dispositi ad quærendum, & inueniendum, *quid sit*. Ratio est, quia de illo possumus verè quærere, & inuenire, *quid sit*, de quo verè, & propriè scimus, *quod est*; sed cum scimus rem esse solum per accidens, non tam scimus rem esse, quam esse accidens talis rei: ex. gr. dum scimus dari motorem lunæ, cum hoc, quod est *esse motorem*, accidat ei substantiæ, quæ mouet, non tam scimus dari illam substantiam, quam hoc accidens mouendi conuenire alicui substantiæ; ergo non tam sumus dispositi ad quærendum, & inueniendum, *quid sit res*, quam ad quærendum, & inueniendum *quid sit* id, quod accidit rei. E conuerso cum scimus rem esse secundum aliquid ipsius, propriè scimus illam esse; ergo tum sumus dispositi ad quærendum, & inueniendum *quid sit*.

7 *Quorum habemus aliquid ipsius quid est, sit primum quidem sic. Defectus in quo A, Luna in quo C, obstructio terræ in quo B. Vtrum igitur deficit, aut non? quærere est, an B sit, aut non? hoc autem nihil differt quærere, quam si est ratio ipsius: & si sit hoc, & illud dicimus esse. Aut vtrius contradictionis est ratio, vtrum habendi duos rectos, aut non habendi? quando autem inuenerimus simul ipsum quod & ipsum propter quid nouimus, si per media sit. Si autem non, ipsum quod nouimus, propter quid vero non. Sit igitur Luna C, defectus A in plenilunio vmbram non posse facere, nullo inter nos existente manifesto, in quo B. Si igitur ipsi C inest B: quod est, non posse vmbram facere, cum nullus nostrum in medio sit: huic autem ipsum A, quod est deficere: quod quidem deficit planum, propter quid autem, nondum: & quòd quidem defectus est, nouimus, quid vero est, non nouimus. Cùm autem planum fuerit, quòd A ipsi C inest, sed propter quid inest quærere ipsum B quidem est, vtrum obstructio, aut conuersio Lunæ, aut extinctio luminis: hoc autem est ratio alterius extremi, vt in his ipsius A: est enim defectus obiectio terræ. Quid est tonitrus? ignis extinctio in nube. Propter quid tonat? eò quòd extinguitur ignis in nube. Sit nubes C, tonitrus A extinctio ignis B: ipsi vtique C nubi inest B extinguitur enim in ipsa ignis huic autem A sonus. & est B vtique ratio ipsius A primi extremi Si vero rursus huius aliud medium sit, ex reliquis erit rationibus.*

8 *Qualiter igitur accipitur ipsum quid est, & fit notum, dictum est. Quare syllogismus quidem ipsius quid est non fit, neque demonstratio: planum est tamen per syllo-*

 gis-

gismum, & per demonstrationem. Quare neque sine demonstratione est cognoscere ipsum quid est, cuius est causa alia, neque est demonstratio ipsius, quemadmodum, & in dubitationibus diximus.

7 His præmissis, probatur, & explicatur exemplis, quo pacto ex demonstratione eorum, quæ cognoscimus esse, secundum aliquid spectans ad quidditatem ipsorum, possit elici, quid adæquatè sint. Eclypsis sit A, hoc est maius extremum demonstrandum de C, hoc est de luna, vt de minori extremo, adeoque sit demonstranda hæc conclusio, quod *luna certis temporibus necessario eclypsatur*: medium ad id demonstrandum sit B, hoc est interpositio terræ inter Solem, & Lunam. Manifestum est ex dictis cap. 1. num. 3. quod quærere *an luna certis temporibus necessario eclypsetur*, est quærere, an detur medium B, ad demonstrandum, quod luna eclypsatur; sed quærere an detur tale medium, est quærere, an detur causa, & ratio eclypsis; ergo quærere, an luna eclypsetur, est quærere, an detur causa, & ratio eclypsis. Similiter quærere, an triangulo conueniat hæc passio *habendi tres angulos æquales duobus rectis*, est quærere, an in rerum natura detur ratio, & causa, propter quam debeat verificari affirmatiua, vel negatiua pars contradictionis, quod nimirum triangulus habeat, vel non habeat tres angulos æquales duobus rectis. Si fuerit inuenta hæc ratio, & hoc medium, quod sit propria causa rei, tum per illud cognoscimus, & demonstramus, & quod passio conuenit subiecto, & propter quid conuenit, & etiam possumus elicere, quid sit passio, quæ conuenit. Si verò fuerit inuenta ratio, & medium, quod non sit propria causa rei, tum solum cognoscimus, quod passio inest subiecto; propter quid verò insit, & quid sit talis passio, adhuc non assequimur. Ex. gr. si proposita quæstio, an luna eclypsetur, soluatur per medium B, quod non sit causa, sed effectus, & indicium eclypsis, quod medium sit, quia *cum luna sit plena, et non detur obstaculum, adhuc vmbram non proijcit*, per tale medium cognoscimus, quod luna eclypsatur, & quod datur eclypsis, sic argumentando: *quoties luna, cum plena sit, & nullum opponitur obstaculum inter nos & ipsam, non proijcit vmbram, eclypsatur; sed de facto luna, cum plena sit, & nullum interponatur corpus, non proijcit vmbram; ergo eclypsatur*: at *propter quid* detur eclypsis, & *quid sit* eclypsis, adhuc ignoramus, ideoque adhuc quærendum remanet, propter quid detur eclypsis, seu quid nam est B, quod est causa, vt detur eclypsis? est ne interpositio terræ inter Solem, & Lunam? est ne conuersio, per quam luna obuertit nobis partem aliquam tenebrosam sui? est ne extinctio luminis? hoc verò est simul quærere, quid sit eclypsis, quæ est maius extremum demonstrationis allatæ. Inuento autem hoc medio, quod sit causa eclypsis, innotescit, propter quid luna eclypsatur, quod nimirum eclypsatur propter interpositionem terræ; & innotescit, quid sit eclypsis, quod nimirum est priuatio luminis in luna, non qualiscunque, (priuatio enim, qua luna, quia substat soli, priuatur lumine in parte nobis obuersa, non est eclypsis) sed est priuatio luminis in luna ex interpositione terræ, & hæc est integra definitio eclypsis. Similiter proposita quæstio, an sit tonitruum, seu an sit sonus in nube, si soluatur per proprium medium, hoc est per causam, quæ supponitur esse *extinctio ignis in nube*, & fiat sequens syllogismus: *cum ignis in nube extinguitur, necesse est fieri tonitruum, seu sonum in nube; sed de facto in nube ignis extinguitur; ergo necesse est fieri tonitruum, hoc est sonum in nube*: si inquam ea quæstio soluatur per tale medium, non solum scitur, an sit tonitruum, sed etiam propter quid sit, & quid sit. Si enim quæratur, *propter quid est tonitruum?* respondetur, *quia ignis extinguitur in nube*: & si quæratur rursus, *quid est tonitruum?* respondetur, *est sonus in nube, non qualiscunque*, neque enim sonus in nube ex concussione ventorum est tonitruum, sed *tonitruum est sonus in nube ex extinctione ignis*, & hæc est integra definitio tonitrui; ergo patet, quod medium additum maiori extremo constituit integram definitionem illius. Maius enim extremum est, *sonus in nube*: addendo medium, quod est, *quia ignis extinguitur*, fit integra definitio tonitrui. Similiter in demõstratione eclypsis maius extremum est *priuatio luminis*; addendo *ex interpositione terræ*, quod est medium, fit integra definitio eclypsis. Si verò medium deberet vlterius probari, deberet probari per aliam causam priorem, ex. gr. per causam finalem, (quæ causa non datur respectu eclypsis, tonitrui, & aliorum simi-

ſimilium, quæ accidunt præter intentionem naturæ); & tum vna definitio poſset probari per aliam, vt explicatum eſt concluſione prima.

8 Addit Ariſtoteles epilogando vtramque concluſionem, quod patet non ſyllogizari, neque demonſtrari *quid ſit res*, quia non probatur hanc eſse definitionem, vt dictum eſt cap. 3. num. 2. ſed ex ſyllogiſmo, & demonſtratione innoteſcere, *quid ſit res*, ita vt licet quidditas, cuius alia eſt cauſa, propriè non demonſtretur, adhuc non innoteſcat ſine demonſtratione.

Text. 9.

9 *Eſt autem horum quidem altera quædam cauſa, illorum vero non eſt. Quare planũ, quòd & ipſorum quid eſt, alia quidem immediata, & principia ſunt quæ et eſſe, et quid eſt, ſupponi oportet, aut alio modo ma-*
10 *nifeſta facere,* * *quod Arithmeticus facit: etenim quid eſt vnitatem ſupponit, et quod eſt: habentium autem medium, et quorum eſt aliqua altera cauſa ſubſtantiæ, eſt per demonſtrationem, quemadmodum diximus, oſtendere, non ipſum quid eſt demonſtrantes.*

9 Tertia concluſio eſt: non ſemper, *quid ſit res*, innoteſcit per demonſtrationem, ſed aliquando eſt primum principium. Probatur, & explicatur, quia in omnibus generibus cauſarum debet perueniri ad primas cauſas; ergo etiam in genere quidditatum; ergo dantur quædam quidditates, quarum in tali genere non eſt altera cauſa; ergo tales quidditates non cognoſcuntur per demonſtrationem, ſed accipiuntur, & ſupponuntur vt prima principia demonſtrationum.

10 Confirmatur: nam mathematici de quibuſdam ante omnem demonſtrationem ſupponunt *quod ſint*, & *quid ſint*; ex. gr. Arithmetica de vnitate ſupponit *quod eſt*, & *quid eſt*; ergo ſolum de illis rebus colligitur ex demonſtratione, *quid ſint*, quarum *quid eſt* habet aliam cauſam, vt explicatum eſt de eclypſi &c.

11 *Definitio autem, quoniam eſt oratio ipſius quid eſt, manifeſtum eſt, quòd aliqua quidem erit oratio, quid ſignificat nomen, aut oratio altera nominalis: vt quid ſignificat quid eſt ſecundum quòd triangulus, cuius habentes, quod eſt, quærimus propter quid eſt. Difficile eſt autem ita accipere, quæ non nouimus, quòd ſunt. Cauſa vero dicta eſt prius difficultatis, quoniam neque ſi ſunt, aut non, nouimus, niſi ſecundum accidens. Oratio autem vna dupliciter eſt: hæc quidem coniunctione, vt Ilias: illa vero vnum de vno ſignificans non ſecundum accidens. Vna quidem definitio eſt definitionis, quæ dicta fuit.*

12 Text. 10. *Alia autem eſt definitio oratio ſignificans propter quid eſt. Quare prior quidem ſignificat quidem, monſtrat autem non: poſterior vero, manifeſtum eſt, quòd erit tanquam demonſtratio ipſius quid eſt poſitione differens à demonſtratione.*

13 *Differt enim dicere, propter quid tonat? & quid eſt tonitrus? dicet enim hic quidem, quoniam extinguitur ignis in nubibus. Quid autem eſt tonitrus? ſonus ignis, qui extinguitur in nubibus.*

14 *Quare eadem oratio alio modo dicitur: & ſic quidem demonſtratio continua, ſic autem definitio. Amplius definitio tonitrus eſt, ſonus in nubibus: hoc autem eſt ipſius quid eſt demonſtrationis concluſio: immediatorum autem definitio poſitio eſt ipſius quid eſt indemonſtrabilis.*

11 Quoad ſecundum: poſtquam Ariſtoteles egit de quidditate, agit de definitione, quæ eſt oratio ſignificans, *quid ſit res*. Ex eo, quod definitio ſit oratio ſignificans, *quid ſit res*, colligitur duplicem eſſe definitionem. Prima, quæ vocatur definitio *quid nominis* eſt, quæ ſolum ſignificat, quid ſit id, quod per nomen ſignificatur, ſed non explicat naturam illius; & hæc poteſt vocari explicatio nominis. Talis definitio eſſet, qua diceretur triangulum eſſe figuram illam, quæ habet tres angulos, non explicando vlterius, quam naturam, & quidditatem habeat talis figura: ideoque poſtquam ſcimus dari talem figuram, adhuc quærere vlterius poſſumus, quid ſit triangulum, & quam habeat naturam, & quidditatem, quod eſt quærere definitionem, *quid rei*, quæ eſt oratio non ſolum explicans, quid ſignificet nomen, ſed declarans, quam naturam, & eſſentiam habeat id, quod ſignificat nomen; ex. gr. quam naturam, & eſſentiam habeat triangulum; licet difficilè poſſimus aſſequi, quã naturam habeant res, quas cognoſcimus eſſe ſolum per accidens, ex ratione ſupra allata, quia cum non tam ſciamus rem eſſe, quam eſſe accidens rei, non poſſumus aſ-

sequi, *quid sit*, & quam habeat naturam. Porrò vna ex differentijs inter definitionem explicantem, quid significet nomen, & definitionem explicantem, quid sit res, est, quod definitio explicans, quid significet nomen, potest esse vna coniunctione tantum, eo pacto, quo etiam Ilias est oratio vna. Potest enim definitio explicans, quid significet nomen, describere rem per accidentia, quæ sunt vnum solum per accidens. At definitio explicans, *quid sit res*, debet esse vna ex eo, quod significet vnam quandam naturam, eo pacto, quo animal rationale estvna oratio, quia significat vnam naturam.

12 Definitio *quid rei*, hoc est explicans, quam res habeat naturam, duplex est. Altera est definitio rei, cuius natura consistit in hoc, vt talis res sit à certa causa, & hæc est definitio explicans *propter quid res sit*; altera est definitio rei, cuius natura non consistit in hoc, vt habeat certam causam, & hæc solum explicat, *quid res sit* propter se ipsam, & non propter causam. Definitio explicans, quid res sit propter se ipsam, non continet demonstrationem rei: at definitio explicans, propter quid res sit, continet demonstrationem rei, immo est demonstratio situ differens.

13 Explicatur propositis exemplis. Quia natura eclypsis consistit in hoc, vt non sit qualiscunque priuatio luminis in luna, sed vt sit priuatio causata ab interpositione terræ, definitur eclypsis, *priuatio luminis in luna, interposita terra*. Quia natura tonitrui est, vt sit non qualiscunque sonus in nube, sed sonus causatus ab extinctione ignis, definitur tonitruum, *sonus ignis extincti in nube*. Vtraque definitio continet omnes terminos, & omnes propositiones demonstrationis, atque à demonstratione differt solum, quod termini, & propositiones non sunt situati, collocati, ac dispositi in figura, ac modo syllogistico, ideoque vtraque definitio est demonstratio solo situ, ac collocatione differens. Patet: nam definitio, qua eclypsis definitur, *priuatio luminis in luna terra interposita*, continet maius extremum, quod est *priuari lumine*, minus extremum, quod est *luna*, & medium, seu causam, cur luna priuetur lumine, quod est *interpositio terræ*, ex quibus terminis potest de luna sic demonstrari eclypsis; *necesse est, vt cum terra interponitur inter solem, & lunam, luna priuetur lumine; sed necesse est, vt certis temporibus terra interponatur inter solem, & lunam; ergo necesse est, vt certis temporibus luna priuetur lumine*. Definitio etiam, qua tonitruum definitur, *sonus ignis extincti in nube*, continet maius extremum demonstrationis, quod est *sonus*, minus extremum, quod est *nubes*, & medium, quod est *extinctio ignis*, ex quibus potest construi talis demonstratio: *extincto igne in nube necesse est nubem sonare; sed necesse est sæpe ignem extingui in nube; ergo necesse est sæpe nubem sonare*.

14 Quia ergo talis definitio est demonstratio solo situ differens, ad quæstionem autem *quid est*? respondetur per definitionem, ad quæstionem *propter quid*? respondetur per demonstrationem continuam, hoc est non distinctam in tres propositiones; ideò ad quæstiones, *quid est eclypsis lunæ? & propter quid luna eclypsatur? quid est tonitruum? & propter quid nubes tonat?* affertur responsio solo situ differens. Ad quæstionem enim *propter quid luna eclypsatur?* respondetur, *luna eclypsatur propter interpositionem terræ;* hæc autem est demonstratio quædam continua, hoc est non distincta in tres propositiones: ad quæstionem *quid est eclypsis?* respondetur, *est priuatio luminis in luna terra interposita*, quæ responsio idem dicit, ac prima, & differt solo situ, & forma, in quantum in prima responsione dicitur, quod *luna eclypsatur propter interpositionem terræ;* in secunda dicitur, quod *eclypsis est priuatio luminis terra interposita*, non exprimendo ly *propter*. Similiter ad quæstionem *propter quid nubes tonat?* respondetur, *propter extinctionem ignis:* ad quæstionem, *quid est tonitruum?* respondetur, *est sonus ignis extincti in nube*, quæ responsiones differunt solo situ.

15 *Est igitur definitio, vna quidem oratio ipsius quid est indemonstrabilis: vna vero syllogismus ipsius quid est casu differens à demonstratione: tertia autem demonstrationis ipsius quid est conclusio.*

16 *Manifestum igitur ex dictis, & quomodo est ipsius quid est demonstratio, & quomodo non est, & quorum est, & quorum non est. Amplius autem definitio quot modis dicitur, & quomodo ipsum quid est monstratur, & quomodo non, & quorum est, & quorum non. Amplius autem ad demonstrationem quomodo se habet, & quomodo contingit*

tingit eiusdem esse, & quomodo non contingit.

15 Ex dictis infert Aristoteles, quo pacto definitio se habeat ad demonstrationem. Definitio eorum, quæ sunt id, quod sunt propter se ipsa, est principium demonstrationis, ac positio quædam indemonstrabilis: ex. gr. definitio, qua homo definitur *animal rationale*, est principium demonstrationum, per quas de homine demonstrantur passiones. Definitio eorum, quæ sunt id, quod sunt propter causam, exprimens talem causam, est demonstratio solo situ differens, vt explicatum est de definitionibus eclypsis, & tonitrui; idemque valet de definitionibus passionum, in quibus poni debet proprium subiectũ, quod est causa passionum. Definitio eorum, quæ sunt id, quod sunt propter causam, sed non exprimens talem causam, est conclusio demonstrationis: ex. gr. in hac demonstratione: *cum ignis intra nubem extinguitur, datur sonus in nube; necesse est sæpe ignem intra nubem extingui; ergo necesse est dari sonum in nube*; conclusio est definitio exprimens, *quid sit* tonitruum, sed non *propter quid* sit.

16 Concludit Aristoteles hanc longam disputationem de quidditate, ac definitione epilogando dicta. Primo explicatum est, quo pacto detur demonstratio de quidditate, quo pacto non detur. Dictum est enim, non posse demonstrari *quid sit res*, posse tamen ex demõstratione colligi, *quid sit res*. Secundo explicatum est, quarum quidditatum detur demonstratio, quarum non detur. Dictum est enim non dari demonstrationem quidditatum, quæ conueniunt subiecto propter se, & non propter causam; at posse dari demonstrationem quidditatũ, quæ conueniunt subiecto propter causam. Tertio explicatum est, quot modis dicatur definitio. Dictum est enim, quod aliqua definitio explicat solum *quid res sit*, alia *propter quid sit*. Quarto explicatum est, quo pacto demonstretur quidditas, ac definitio. Dictum est enim, quod in quantum in quidditate sumitur solum *quid res sit*, & non *propter quid*, potest quidditas, ac definitio esse conclusio demonstrationis; in quantum verò sumitur etiam *propter quid sit*, est demonstratio solo situ differens. Quinto explicatum est, quo pacto quidditas, ac definitio se habeat ad demonstrationem. Dictum est enim, quod aliqua definitio est principium demonstrationis; alia est conclusio demonstrationis; alia est demonstratio solo situ differens. Sexto explicatum est, quo pacto definitio, ac demonstratio sint eiusdem, vel non sint eiusdem: sunt enim eiusdem, sed diuerso modo, ideoque definitio differt à demonstratione situ, & collocatione terminorum.

Explicatur, quo pacto demonstratio possit fieri, assumendo medium ex quolibet genere causarum. Cap. VI.

Text. 11.

1 *QVoniam autem scire putamus, quando sciamus causam, causæ vero quatuor sunt, vna quidem, quòd quid erat esse, vna autem, quibus existentibus necesse est hoc esse, altera vero, quæ aliquid primum mouit, quarta autem, cuius causa; omnes istæ per medium monstrantur. Et hoc enim, quòd cum sit hoc, necesse est esse, vna quidem accepta propositione, non est, duabus autem ad minimum: hoc vero est, quando vnum medium habeant. Hoc igitur vno accepto, conclusionem necesse est esse.*

2 *Manifestum autem & sic. Propter quid est rectus in semicirculo? aut quo existente, rectus est? sit vtique rectus, in quo A, dimidium duorum rectorum, in quo B, qui est in semicirculo, in quo C. Quòd igitur A rectus insit ipsi C ei, qui est in semicirculo, causa est ipsum B: hoc enim ipsi A æquale est, hoc autem C ipsi B: duorum nanque rectorum dimidium est. Cùm igitur B sit dimidium duorum rectorum, A ipsi C inest: hoc autem erat, in semicirculo rectum esse: hoc vero idem est ipsi quid erat esse, eo, quòd hoc significat oratio. Verumenimuero, & ipsius quid erat esse, causa monstrata est media.*

1 SIcut Aristoteles explicauit, quo pacto ad demonstrationem se habeat *quid*, sic explicat, quo pacto se habeat *propter quid*, quod significat causam, & ponit sequentem conclusionem. Medium demonstrationis desumi potest ex quolibet genere causarum. Probat, quia scire est cognoscere rem per causam, tanquam per me-

medium; sed quatuor sunt genera causarum, forma nimirum, seu quidditas; materia, quæ aliquando talis est, vt ea posita, necesse sit aliud esse, eo pacto, quo positis partibus, quæ sunt causa materialis totius, necesse est esse totum; efficiens, quæ est primum principium motus; ac demum finis, cuius gratia aliquid fit, vt ex professo dicetur secundo physicorum tex. 28, & 29; ergo per omnes dictas causam, tanquam per medium, potest sciri res, ac proinde medium demonstrationis potest sumi ex quolibet genere causarum.

2 Confirmatur, & explicatur exemplis; ac primo ponitur, exemplum, in quo medium desumitur ex causa materiali. Sit quæstio, *vtrum omne animal sit corruptibile?* potest solui quæstio, sumendo medium ex causa materiali, hoc est ex eo, quod *omne animal necessario constat ex contrarijs*. Verum ad concludendum, quod animal est corruptibile, non sufficit assumere, quod constat ex contrarijs, sed assumendum est vlterius, quod ad hoc, quod *constare ex contrarijs*, necessario sequitur, *esse corruptibile*, & ita formanda est demonstratio: *omne, quod constat ex contrarijs, necessario est corruptibile; sed omne animal necessario constat ex contrarijs; ergo omne animal necessario est corruptibile.* Aristoteles ponit exemplum desumptum ex libro tertio Euclidis, prop. 30, in qua probatur *omnem angulum descriptum in semicirculo esse rectum*, & assumitur medium ex causa materiali, siue ex ratione partis, ex eo, quod *angulus descriptus in semicirculo necessario est dimidium duorum angulorum rectorum*, ex quo sic demonstratur posita conclusio; *omnis angulus, qui est dimidius duorum rectorum, necessario est rectus; sed omnis angulus in semicirculo necessario, est dimidius duorum rectorum; ergo omnis angulus in semicirculo est rectus.* Probatio minoris videri potest apud Euclidem, atque hic omittitur, quia non requiritur ad explicandum id, de quo agitur. In allata demonstratione, quæstio proposita est *propter quid angulus in semicirculo sit rectus?* seu *quid sit id, ex quo sequitur ex necessitate, quod angulus in semicirculo est rectus?* Solutio quæstionis est ex eo, quod angulus in semicirculo est dimidium duorum rectorum, ex quo sequitur ex necessitate, quod sit rectus. Ideo *angulus rectus* ponitur loco A, hoc est maioris extremi; *dimidium duorum rectorum* ponitur loco B, hoc est medij; *angulus in semicirculo* ponitur loco C, hoc est minoris extremi. Causa igitur, cur *esse rectum*, necessario conueniat angulo semicirculi, est medium B, quod est dimidium duorum rectorum: nam *omnis angulus dimidius duorum rectorum est par angulo recto, adeoque rectus; sed omnis angulus in semicirculo est dimidius duorum rectorum; ergo omnis angulus in semicirculo est par recto, adeoque rectus;* ergo *esse dimidium duorum rectorum* est medium spectans ad causam materialem, quo existente, necesse est angulum in semicirculo esse rectum. Addit Aristoteles, quod si hoc, quod est *esse dimidium duorum rectorum* sumatur, tanquam aliquid spectans ad quidditatem anguli recti, medium allatæ demonstrationis reducetur ad causam formalem, de qua causa formali Aristoteles non ponit aliud exemplum, quia iam suprà ostendit ex professo, quo pacto quidditas, quæ est causa formalis, possit esse medium demonstrationis.

3 *Propter quid autem Medorum bellum factum est Atheniensibus? quæ causa bellum inferendi Atheniensibus? Quoniam in Sardes cum Eretriensibus irruerunt: hoc enim primo mouit. Sit bellum, in quo A: priores irruisse B: Athenienses C. Inest itaque B ipsi C, quod est prius irruisse Atheniensibus: A vero ipsi B: bellum inferunt enim ijs, qui prius iniuria affecere: inest igitur ipsi quidem B, A, quod est bellum inferre ijs, qui prius incepere: hoc autem ipsi C Atheniensibus, prius enim cœpere. Medium igitur, & hic causa est, quæ primo mouit.*

4 *Quorumcunque autem causa ipsum gratia cuius: vt propter quid ambulat? vt sanus fiat. Propter quid domus est? vt conseruetur supellex. Illud quidem gratia conualescendi, hoc autem gratia conseruandi. Propter quid à prandio oportet deambulare, & gratia cuius nihil differt. Deambulatio à prandio C: non supernatare cibaria, in quo B: sanari in quo A. Insit igitur à prandio deambulare ei, quod est facere non supernatare cibaria ad os ventris, & hoc salubre: videtur enim inesse ipsi deambulare, quod est C, ipsum B, quod est non supernatare cibaria: huic autem inest ipsum A salubre. Quæ igitur est causa ipsi C, quòd ipsum A insit quod est gratia cuius? B quod est non supernatare, hoc autem est velut illius*

lius ratio: A enim ita assignabitur: propter quid autem B ipsi C inest, quoniam hoc est sanari, ita se habere;

3 Secundo ponit Aristoteles exemplum demonstrationis ex causa efficiente, & mouente. Proponatur quæstio: *propter quid Medi bellum gesserunt aduersus Athenienses?* In hac quæstione quæritur causa belli Medorum aduersus Athenienses. Hæc causa fuit, quia Athenienses vna cum Eretrijs intulerunt bellum Sardis amicis Medorum; hoc enim mouit Medos ad inferendum bellum Atheniensibus. In demonstratione igitur maius extremum sit A, hoc est bellum à Medis illatum: medius terminus sit B, hoc est prius bellum amicis inferre: minus extremum sit C, hoc est Athenienses. Quia igitur Athenienses priores intulerunt bellum amicis Medorum, passi sunt bellum Medorum, & formari potest hæc demonstratio: *qui bellum prius infert amicis, æquum est, vt bellum patiatur; sed Athenienses priores intulerunt bellum amicis Medorum; ergo æquum fuit, vt Athenienses bellum paterentur à Medis*. In hac verò demonstratione medium reducitur ad causam mouentem, vt patet.

4 Tertio proponit Aristoteles exemplum ex causa finali. Hæc quæstio, *cur post cœnam ambulamus?* quærit finem, ideoque responderi debet, *vt valeamus*, afferendo finem, cuius gratia ambulamus. Et similiter finem quærit hæc alia quæstio; *cur domos habemus?* ideoque per finem soluitur, dicendo, *vt seruemus supellectilem*. Vt igitur fiat demonstratio per causam finalem, *deambulatio post cœnam* fit minus extremum, quod vocetur C: *cibum descendere ad fundum ventriculi, ac non regurgitare ad os ventriculi*, sit medium B: *bene valere sit maius extremum A*: fiet sequens demonstratio: *quod cibus post cœnam descendat ad fundum stomachi, ac non regurgitet ad os ventriculi, facit vt bene valeamus; sed ambulatio post cœnam facit, vt cibus descendat ad fundum stomachi, ac non regurgitet ad os ventriculi; ergo ambulatio post cœnam facit, vt bene valeamus*. Quia igitur ambulatio facit, vt cibus non regurgitet; & *cibum non regurgitare* facit, vt valeamus; ambulatio facit, vt valeamus.

Text. 12.

5 *Oportet autem transumere orationes, & ita magis singula apparebunt. Generationes vero è conuerso hic, & in causis secundum motum. Ibi enim medium oportet fieri primum, hic autem ipsum C extremum: vltimum vero ipsum, cuius gratia.*

6 *Contingit autem idem, & cuius gratia esse, & ex necessitate: vt per lucernam egredi lumen. Ex necessitate etenim progreditur, quod minores habet partes, per maiores poros, siquidem lumen fit eo, quod pertransit: & gratia cuius, vt non offendamus. An ne ergo si esse contingit & fieri contingit? quemadmodum si tonat, cùm extinguitur ignis, necesse est stridere & strepere, vt Pythagorei dicunt, minarum gratia ijs, qui sunt in tartaro, vt timeant. Plurima vero talia sunt, & maxime in ijs, quæ secundum naturam constituuntur & consistunt: hæc enim alicuius gratia facit ipsa natura: illa vero ex necessitate. Necessitas autem duplex. Hæc quidem enim secundum naturam & appetitum: illa autem vi, quæ præter appetitum est: quemadmodum lapis ex necessitate, & sursum & deorsum fertur, sed non propter eandem necessitatem.*

In ijs vero, quæ a discursu, non nulla quidem nunquam à casu sunt, vt domus, aut statua, neque ex necessitate, sed alicuius gratia: quædam vero & à fortuna, vt sanitas, & salus: maxime autem in quibuscunque contingit & sic, & aliter, quando non à fortuna generatio fit. Quare finis, quod est bonum, gratia alicuius fit, aut natura, aut arte: à fortuna vero nihil gratia alicuius fit.

5 Addit Aristoteles in demonstratione per causam efficientem, ac per causam finalem, terminos esse inuerso modo disponendos. In demonstratione enim, qua ostensum est, æquum fuisse, vt Athenienses paterentur bellum à Medis, prima causa efficiens, vt Athenienses paterentur bellum à Medis, sumi debuit vt medium. At in demonstratione, qua ostenditur ambulandum, vt valeamus, primum efficiens sanitatem, quod est *ambulare*, est minus extremum; finis quod est *valere* est maius extremum; *cibum non regurgitare*, quod est effectus ambulationis, ac proxima causa sanitatis, est medium; ideoque in priori demonstratione medium præcedit tempore, in posteriori minus extremum, quod est *ambulatio* præcedit tempore tum medium, quod est *cibum descendere*, tum maius extremum, quod est *valere*.

Quarto

6 Quarto Addit Aristoteles posse aliquando eumdem effectum probari, tum ex fine, tum ex necessitate materiæ, vel efficientis. Ex. gr. duplex potest reddi ratio, propter quam lumen egrediatur ex laterna. Prima ratio iuxta sententiam antiquorum ex necessitate materiæ est, quia cum cornu laternæ habeat poros maiores lumine, quod est subtilissimum, & velocissimi motus, necesse est vt lumen per poros egrediatur. Secunda ratio ex necessitate finis est, quia vt noctu possimus ambulare, & simul custodire lumen clausum, necesse fuit, vt laternam faceremus ex materia, ex qua posset lumen egredi. Eodem pacto potest esse duplex causa eorum, quæ fiunt à natura Ex. gr. tonitrua fiunt, tum ex necessitate efficientis, quia ignis, dum intra nubem extinguitur, necessario edit sonum; tum propter finem, vt scilicet iuxta opinionem Pythagoreorum per tonitrua terreantur impij, qui detinentur in tartaro. Porrò plurima, præsertim ex ijs, quæ natura fiunt, aut constant, fiunt tum propter finem, tum ex necessitate. Ratio est, quia natura operatur propter finem, & etiam ex quadam necessitate: ex. gr. homini naturaliter nascuntur dentes, tum propter finem diuidendi cibum, tum ex quadam necessitate. Duplex autem est necessitas: alia secundum naturam, iuxta inclinationem rerum, quæ habent talem necessitatem; alia contra naturam, & contra inclinationem rerum, quæ illam patiuntur. Ex. gr. lapis sibi relictus ex necessitate mouetur deorsum; lapis proiectus ex necessitate ascendit sursum: sed lapis descendit deorsum necessitate naturali, ac iuxta inclinationem suæ naturæ; at sursum ascendit necessitate violentiæ, & contra inclinationem suæ naturæ. Facile autem discernitur, vtrum effectus fiant necessario necessitate naturali, vel violenta. Vnusquisque enim aduertet homini nasci dentes necessitate naturali, atque eumdem hominem multa pati necessitate violenta. Ex ijs, quæ fiunt ab arte, & electione, quædam sunt, quæ non possunt fieri casu, vt domus, vel statua; quædam possunt etiam fieri casu. Ex. gr. Sanitas & potest recuperari per artem medicam, & potest recuperari casu, vt cum ægrotus bibit multam aquam ad extinguendam sitim, & casu sanatur à febri; & cum quis ingreditur domum propter alium finem, & casu effugit è manibus hostium persequentium. Fortuita verò sunt ex earum rerum genere, quæ possunt fieri tum casu, tum ex electione. Gratia finis, & boni fiunt, quæ fiunt natura, vel arte: quæ verò fiunt casu, & fortuito, non fiunt gratia finis, sed accidunt præter intentionem agentis, vt magis explicabitur lib. 2. physicor. text. 27. & sequentibus.

Explicatur, quomodo demonstratio fieri possit, tum ex causis, quæ sunt simul cum effectibus, tum ex causis, quæ non sunt simul; tum ex causis, quæ causant directè, tum ex causis, quæ agunt circulariter; tum ex causis, quæ causant semper, tum ex causis, quæ causant plerunque. Caput VII.

1 *EAdem autem causa est ijs, quæ fiunt, & factis, & futuris, quæ est & ijs, quę sunt. Medium enim est causa. Præterquam quòd ijs quidem quæ sunt, quæ est: ijs verò, quæ fiunt, quæ fit: factis autem facta: & futuris futura.*

2 *Vt propter quid factus fuit defectus? quoniam facta fuit terra in medio: fit autem, quoniam fit: erit verò, quoniam erit in medio: est autem, quoniam est. Quid est crystallus? accipiatur vtique, quòd est aqua congelata. Aqua in quo C, congelatum in quo A, causa media in quo B, defectus calidi omnino. Inest itaque B ipsi C: huic autem congelatum esse, quod est in quo A: fit autem crystallus, cum fit B: factum est autem fact: erit autem futuro. Sic igitur & causa, & cuius causa simul fiunt, quando fiunt: & sunt, quando sunt: & in eo quod factum fuit, & in futuro consimiliter.*

EX causis aliquæ sunt simul cum effectibus, aliquæ non sunt simul; aliquę causant directè, ita vt eædem specie non recausentur à suis effectibus, aliquæ causant circulariter, ita vt eædem specie recausentur à suis effectibus; aliquæ causant semper, aliquæ solum plerumque. Aristoteles

teles igitur cum docuerit, quo pacto demonstrationes fieri possint ex omnibus quatuor generibus causarum, descendit ad explicandum, quo pacto demonstrationes fieri possint ex talibus causis, seu sint simul, seu non sint simul cum effectibus; seu causent directè, seu circulariter; seu causent semper, seu frequenter. Ponit igitur quinque conclusiones.

1 Prima conclusio est: causæ, quæ sunt simul cum effectibus, possunt assumi vt medium, ex quo probetur, quod cum causa est, effectus est; cum causa fit, effectus fit; cum causa fuit, effectus fuit; cum erit, effectus erit, & sic proportionaliter.

2 Probatur, & explicatur exemplis. Interpositio terræ inter solem, & lunam, ita est causa eclypsis, vt sit simul cum eclypsi: ideò valet; *terra incipit interponi; ergo eclypsis incipit esse: terra iam est interposita; ergo eclypsis iam est: terra desinit interponi; ergo eclypsis desinit: fit interpositio; ergo fit eclypsis: heri terra fuit interposita; ergo heri fuit eclypsis: cras terra interponetur; ergo cras erit eclypsis*. Similiter quia glacies est aqua concreta ex totali defectu caloris, vt construatur demonstratio, *aqua* debet constitui minus extremum, quod vocetur C; *concreta* debet constitui maius extremum, quod vocetur A; *defectus totalis caloris* debet constitui medium, quod vocetur B. Fit igitur demonstratio: *deficiente totaliter calore, aqua concrescit; deficit totaliter calor; ergo aqua concrescit*: & valet; *calor incipit totaliter deficere; ergo aqua incipit concrescere: calor cras totaliter deficiet; ergo aqua cras concrescet*; & sic proportionaliter.

Text. 13.

3 *In ijs vero, quæ non simul sunt, an ne sunt in continuo tempore? quemadmodum videtur nobis alias aliorum causas esse, ipsius quidem facti factam alteram, & futuri alteram futuram, & ipsius fieri, si quid prius factum fuit.*

4 *Est vtique à posterius facto syllogismus. Principium autem & horum ipsa facta: quare & in ijs, quæ fiunt consimiliter: à priori vero non est.*

5 *Vt quoniam hoc factum fuit, quia hoc posterius factum fuit: & in futurum consimiliter.*

6 *Neque enim indefiniti, neque definiti erit temporis, quoniam hoc verum est dicere factum fuisse, hoc autem est verum dicere factum fuisse posterius: in intermedio nanque falsum erit dicere hoc iam altero facto.*

Eadem autem ratio & in futuro, neque quoniam hoc factum fuit, hoc erit. Medium enim congenitum oportet esse, factorum factum, & futurorum futurum, eorum, quæ fiunt quod fit, entium ens: id vero, quod fuit, & id quod erit non contingit esse congenitum. Amplius neque indefinitum contingit esse tempus intermedium, neque definitum. Falsum enim erit dicere in intermedio.

3 Ex dictis oritur quæstio, vtrum causæ, quæ ita sunt necessariæ ad effectus, vt non sint simul cum effectibus, adhuc ita sint continuæ suis effectibus, vt ad eos effectus sequantur immediatè, ac proinde *factum esse* effectus sequatur immediatè ad *factum esse* causæ; *fieri* effectus sequatur immediatè ad *fieri* causæ; *futurum esse* effectus sequatur immediatè ad *futurum esse* causæ, & sic proportionaliter. Solutionem huius quæstionis, quæ est merè occasionalis, afferet Aristoteles paulo post: interim ponit secundam conclusionem, quæ magis spectat ad materiam, de qua agimus.

4 Secunda igitur conclusio est: in ijs, quæ non simul sunt, & fiunt, sed necesse est vnum esse, ac fieri prius, vt aliud fiat posterius, id, quod fit posterius, debet sumi vt medium, ex quo concludatur prius, non autem prius debet sumi vt medium, ex quo concludatur posterius, adeoque valet: *factum est posterius; ergo factum est prius: fit posterius; ergo fiebat prius: fiet posterius; ergo fiet prius*: non autem valet; *factum est prius; ergo factum est posterius: fit prius; ergo fiet posterius: fiet prius; ergo fiet posterius.*

5 Probatur primo, quia illud est principium, & medium ad aliud concludendum, quod si est, necesse est aliud esse; sed cum duo ita se habent, vt necesse sit vnum esse, ac fieri prius, vt aliud fit, ac fiat posterius, necesse est, vt si posterius fit, vel factum est, aut fiet, prius sit factum, vel sit faciendum; non autem è conuerso necesse est, vt si prius sit factum, aut faciendum, etiam posterius sit factum, aut faciendum; ergo posterius debet sumi vt medium ad concludendum prius, & non è conuerso.

Secun-

6 Secundo conclusio probatur, & explicatur inducendo exempla. Valet: *est impossibile, vt nascatur frumentum, nisi prius fuerit seminatum; natum est frumentum; ergo prius fuit seminatum*: at non valet; *est impossibile, vt nascatur frumentum, nisi prius fuerit seminatum; seminatum est frumentum; ergo frumentum est natum*. Cum enim mediet tempus inter hoc, quod est, *frumentum esse seminatum*, & hoc, quod est, *esse natum*, toto illo tempore medio verum est, quod frumentum fuit seminatum, falsum est, quod fuerit natum. Et quia vniuersim inter duo facta, quæ dantur in instanti indiuisibili, mediat tempus diuisibile, siue hoc tempus diuisibile sit determinatum, siue indeterminatum, non valet: *hoc prius factum est; ergo & hoc posterius factum est*: tempore enim medio inter prius *factum esse*, & secundum *factum esse*, verificatur factum esse prius, & simul falsificatur factum esse posterius: ac proportionaliter non valebit in futuris: *tali tempore prius erit factum; ergo & posterius erit factum*, ex eadem ratione, quia inter factum esse prioris, & factum esse posterioris mediabit tempus, in quo prius iam erit factum, posterius adhuc non erit factum. Similiter valet: *est impossibile, vt frumentum nascatur, nisi fuerit seminatum; sed frumentum nascitur; ergo frumentum fuit seminatum*: at non valet; *est impossibile, vt frumentum nascatur, nisi prius fuerit seminatum; sed frumentum fuit seminatum; ergo frumentum nascetur*. Ratio est, quia medium debet sumi ita connexum cum conclusione, vt non possit poni medium, quin ponatur conclusio; sed solum posterius est tale, vt non possit poni, quin positum sit prius, prius verò poni potest, quin sequatur posterius, eo pacto, quo frumentum nasci non potest, nisi antea fuerit seminatum, at potest seminari, quin post nascatur; ergo posterius potest assumi vt medium ad concludendum, quod prius fuit; prius autem non potest assumi vt medium ad concludendum, quod posterius erit, non solum tempore determinato, sed etiam tempore indeterminato, cum possit posterius nunquam esse. Non tamen negat Aristoteles posse aliquando ratione materiæ ex priori argui posterius. Ex. gr. ex eo, quod sol nunc sit in tali signo, potest argui, quod tali die erit in tali alio signo; & sic in pluribus alijs astronomicis, ac fortasse etiam in naturalibus; sed solum dicit id non esse vniuersale, licet in aliquibus valeat ratione materiæ particularis.

Text. 14.

7 *Considerandum autem quid est ipsum continuum, vt post ipsum factum esse, ipsum fieri sit in rebus. An manifestum est, quòd non est contiguum facto quod fit Neque enim factum facto: termini nanque sunt & indiuidui.*

8 *Quemadmodum igitur neque puncta sunt sibi inuicem contigua, neque facta: ambo enim indiuidua sunt: neque vtique quod fit facto propter idem. Nam quod fit, diuisibile est, factum autem indiuisibile. Quemadmodũ igitur linea ad punctum se habet, ita quod fit ad factum. Insunt enim infinita facta in eo, quod fit. Magis autem manifeste in vniuersalibus de Motu oportet dici de his.*

7 Posita, ac probata hac secunda conclusione, vt soluat Aristoteles quæstionem occasionalem propositam num. 3. vtrum effectus sequatur immediatè ad factum esse causæ, vel factum esse effectus sequatur immediatè ad factum esse causæ, præmittit speculandum, per quid res ita continuentur, vt post factum esse sequatur fieri? Respondet manifestum esse, quod sicut vnum factum esse non sequitur immediatè ad aliud factum esse, ita fieri non ita sequitur ad factum esse, vt in ipso fieri non intercipiantur alia facta esse. Ratio, cur vnum factum esse non sequatur immediatè ad aliud factum esse est, quia facta esse sunt indiuisibilia; sed vnum indiuisibile non sequitur immediatè ad aliud indiuisibile, sed mediat aliquid diuisibile, in quo proinde includuntur alia indiuisibilia, saltem potentialia; ergo vnum factum esse non sequitur immediatè ad aliud factum esse.

8 Confirmatur: sicut enim in linea post punctum non sequitur immediatè punctum, sed inter duo puncta semper mediat pars lineæ, in qua sunt alia puncta, saltem potentialia; sic in successiuis post vnum *factum esse* indiuisibile, non sequitur immediatè aliud *factum esse* indiuisibile, sed mediat fieri diuisibile, quod ita se habet ad facta esse, sicut linea diuisibilis se habet ad puncta. Cum ergo fieri sit diuisibile in infinitum, adeoque contineat saltem in potentia infinita facta esse partium, non ita sequitur

quitur immediatè post factum esse, quod est indiuisibile, vt in fieri non contineantur infinita facta esse, inter quæ aliquid mediat. Sicut igitur se habet punctum ad lineam, ita se habet *factum esse* ad *fieri*; & sicut in linea continentur infinita puncta, sic in *fieri* continentur infinita *facta esse*, vt magis explicabitur lib. 6. Physicorum.

9 *De eo igitur quod est, quomodo, cùm generatio consequenter fit, se habeat medium, quod est causa, in tantum acceptum sit. Necesse est enim & in his medium, & primum immediata esse.*

10 *Vt A factum fuit, quoniam C factum fuit: posterius autem C factum fuit: prius autem A. Principium autem C, eo quòd proximius ipsius nunc est, quod est principium temporis. C vero factum est, si D factum est. Cùm igitur D sit, necesse est A factum esse. Causa autem est C: cùm enim D factum est, necesse est C factum esse: C autem facto necesse est prius A factum fuisse.*

11 *Ita vero accipienti medium, stabitur alicubi in immediatum, an semper extra cadet propter infinitum?*

12 *Non enim est contiguum factum facto, quemadmodum dictum fuit: sed incipere tamen necesse est à medio, & ab ipso nunc primo.*

13 *Similiter autem & in ipso erit. Si enim verum est dicere, quòd erit D, necesse prius verum dicere, quòd A erit: huius autem causa ipsum C. Si enim D erit, prius ipsum C erit si vero C erit, prius ipsum A erit. Similiter autem infinita est sectio & in his: non enim sunt futura contigua inter se. Principium vero & in his immediatum accipiendum est.*

14 *Se habet autem sic in operibus. Si facta est domus, necesse est incisos fuisse lapides, & factum fuisse hoc. Propter quid? quoniam necesse est fundamentum factum fuisse, si quidem & domus facta fuit: si vero fundamentum est, prius lapides factos fuisse necesse est. Rursus si erit domus, consimiliter prius erunt lapides (monstratur autem per medium similiter) erit enim fundamentum prius.*

9 Soluta quæstione occasionali, ponit Aristoteles tertiam conclusionem, quæ est: cum prius demonstratur per posterius, tanquam per medium, sisti tandem debet in aliquo primo, & immediato, quod sumitur vt primum principium demonstrationis: hoc autem primum, cum agimus de præteritis est vel præsens nunc temporis, vel propinquius cæteris præsenti nunc temporis; cum agimus de futuris, est remotius cæteris à præsenti nunc temporis.

10 Probatur, & explicatur primo in præteritis, secundo in futuris. Ad demonstrandum, quod factum sit A, ex. gr. quod aliquis fuerit sectus, debet sumi vt medium, quia factum est C posterius, ex. gr. quia liberatus est à calculo lapideo, quo laborabat: & si rursus probandum est, quod factum sit C, hoc est, quod liberatus est à calculo lapideo, debet assumi vt medium D posterius, puta quia exercet operationes hominis perfectè sani, & sic deinceps vsque dum perueniatur ad primum, & immediatum medium; & quia ex præteritis, quæ facta sunt, posteriora, & posteriora, sunt magis propinqua præsenti nunc temporis, vt dicetur 5. metaph. cap. 11. debet sumi medium propinquius, ac propinquius præsenti nunc temporis. Sic igitur formanda est demonstratio: *est impossibile, vt laborans calculo lapideo sanetur, nisi prius secetur; sed sanatus est; ergo prius sectus est*. Quod sanatus sit, demonstratur, quia *est impossibile, vt exerceat operationes hominis perfectè sani, nisi prius fuerit sanatus; sed exercet; ergo fuit sanatus*; & sic deinceps.

11 Potest opponi, quod cum non dentur duo facta esse, inter quæ non mediet aliud factum esse, nunquam poterimus probare vnum factum fuisse prius per factum posterius, inter quæ non mediet aliud factum.

12 Respondet Aristoteles, quod licet inter duo facta medient infinita facta, adhuc illud factum, quod sumimus, est vltimum; ergo potest assumi vt primum medium ad probandum, quod factum fuerit prius, licet factum fuerit medijs alijs factis: ex. gr. licet inter hoc, quod est *sanatum esse*, & *sectum esse*, medient alia facta esse, adhuc valet; *non potuit sanari nisi prius secaretur, & fierent omnia, quæ debent mediare inter sectionem, & sanationem; sed sanatus est; ergo sectus est, & facta sunt omnia, quæ debuerunt mediare inter sectionem, & sanationem*; ergo quod infinita medient, non impedit, quo minus per vltimum factum possit probari prius.

13 Proportionaliter in futuris, ad demonstrandum futurum esse aliquid prius, debet

debet assumi vt medium, quod est futurum posterius: ex. gr. *non potest quis sanari ex calculo lapideo, nisi prius secetur; sanabitur; ergo prius secabitur*: & quod sanabitur demonstratur, quia *non potest exercere operationes perfectè sani, nisi prius sanetur; exercebit; ergo prius sanabitur*. Porrò sicut ex præteritis illud est posterius, quod est propinquius præsenti nunc, sic ex futuris, illud est posterius, quod est remotius à præsenti nunc, vt dicetur 5. met. cap. 11. Ad difficultatem ex eo, quod inter vnum, & aliud medient infinita, applicanda est solutio iam allata.

14 Confirmat Aristoteles totam hanc doctrinam exemplo deducto ex operibus artificialibus. Valet enim de præterito: *non potest domus lapidea construi, nisi prius excidantur lapides; sed domus iam est constructa; ergo prius excisi sunt lapides*. Si verò quæratur, *propter quid* maioris, hoc est propter quid non possit domus cõstrui, nisi prius excidantur lapides, affertur ratio ad probandam illam maiorem, quia *non potest domus construi, nisi prius iaciantur fundamenta; sed non possunt iaci fundamenta, nisi prius excisi sint lapides; ergo &c.* Proportionaliter valet de futuro: *non potest domus construi, nisi prius excidantur lapides; sed domus construetur; ergo prius lapides excidentur*. Maior probatur eodem medio: *non enim potest domus construi, nisi iaciantur fundamenta; sed non possunt iaci fundamenta, nisi prius excidantur lapides; ergo non potest domus construi, nisi prius excidantur lapides*.

15 *Quoniam autem videmus in ijs, quæ fiunt, circulo generationem quandam esse, contingit hoc esse, si quidem sequantur se inuicem medium, & extrema: in his enim ipsum conuertere est. Monstratum vero est hoc in primis, quòd conuertuntur conclusiones: quod autem circulo hoc est. In operibus autem apparet sic. Madefacta terra, necesse est vaporem fieri: hoc autem facto, nubem: hoc autem facto aquam: hoc autem facto, necesse est madefactam esse terram: hoc autem erat quod à principio. Quare circulo circuiuit. Vno enim ipsorum quocunque existente, alterum est, & illo aliud, & hoc primum.*

15 Quarta conclusiò est: cum causæ causãt generationes circulariter, ita vt causent effectus, ex quibus recausentur causæ similes in specie, etiam demonstratio potest procedere circulariter, ita vt ex præmissa probetur conclusio, & ipsa vicissim probetur ex conclusione. Probatur, & explicatur: ex terra à pluuijs madefacta necesse est, vt ascendant vapores; ex vaporibus eleuatis necesse est, vt cogantur nubes; ex nubibus coactis necesse est, vt oriatur pluuia; ex pluuia necesse est, vt terra madefiat; ergo sicut terra madefacta est causa, vt eleuentur vapores, sic vapores sunt causa, vt terra madefiat, adeoque in talibus causis datur circulus, per quem quadam conuersione redeunt ad idem principium. Proportionaliter potest fieri demonstratio circularis, per quam sumatur vt principium, quod est posterius, nimirum, quod terra fuerit madefacta, & ex hoc arguatur; *ergo prius cecidit pluuia; ergo prius coactæ sunt nubes; ergo prius ascendit vapor; ergo prius terra fuerat madefacta*; in quo processu ex primo medio, quod sumitur vt principium, nimirum, quod terra fuerit madefacta, reditur ad concludendum, quod terra fuerit madefacta alia madefactione. Neque verò sequitur, quod idem sit prius, & posterius magis, ac minus notum secundum idem; sed solum sequitur, quod vnum numero sit posterius, ac notius, aliud numero, atque idem specie sit prius, ac minus notum; quod non repugnat.

Tex. 16.

16 *Sunt autem nonnulla quidem, quæ fiunt vniuersaliter: nanque & semper & in omni, aut sic se habent, aut fiunt: alia vero semper quidem non, vt plurimum autem: vt non omnis homo masculus barbam emittit, sed vtplurimum. Talium itaque necesse est & medium vtplurimum esse.*

17 *Si enim A de B vniuersaliter prædicatur, & hoc de C vniuersaliter, necesse est A de C semper, & in omni prædicari. Hoc enim est vniuersale & in omni & semper. Sed supponebatur vt plurimum: necesse est igitur & medium vtplurimum esse, quod est, in quo B: erunt igitur & eorum, quæ vtplurimum, principia immediata, quæcunque vtplurimum ita sunt, aut fiunt.*

16 Quinta conclusio est: conclusio, cuius prædicatum conuenit omni subiecto, & semper, probari debet per medium, quod conueniat eidem subiecto omni, & semper; at conclusio, cuius prædicatum conuenit subiecto solum plerunque, non autem semper,

per, probari debet per medium, quod sit solum plerunque.

17 Explicatur, & probatur: prædicatum risibilis conuenit omni homini, & semper; nullus *enim homo est, qui non sit risibilis, & nunquam homo est quin sit risibilis*; ideo debet probari per præmissas, in quibus maius extremum dicatur de medio omni, & semper, dicendo ex. gr. *omne rationale semper est risibile; omnis homo semper est rationalis; ergo omnis homo semper est risibilis*. Si verò vel risibile non diceretur de rationali omni, & semper, vel rationale non diceretur de homine omni, & semper, non sequeretur ex necessitate, quod risibile diceretur de homine omni, & semper. E conuerso, quod masculus suo tempore emittat barbam, non verificatur de omni, nec semper, sed solum plerunque: ideo debet probari per medium, de quo maius extremum, quod est emittere barbam, verificetur plerumque, non autem de omni, & semper. Ratio est, quia si & maius extremum, quod vocetur A, dicitur de medio B omni, & semper; & medium B dicitur de minori extremo C omni, & semper; etiam maius extremum A dicitur de minori extremo C omni, & semper; sed supponitur, quod A maius extremum non dicatur de C minori extremo omni, & semper; ergo vel A maius extremum non dicitur de omni B medio, vel B medium non dicitur de omni C minori extremo. Ex. gr. ex eo, quod *omne rationale sit semper risibile*; & *omnis homo semper sit rationalis*; sequitur ex necessitate, quod *omnis homo sit risibilis*; ergo si supponatur, quod homo non semper, sed plerunque sit risibilis, hoc ipso, vel non omne rationale semper est risibile, vel non omnis homo semper est rationalis; ergo conclusio, quæ sit vera solum plerumque, resolui debet in principia immediata, quæ sint vera solum plerunque.

Quo pacto possimus venari definitionem explicantem *quid sit res*. Caput VIII.

Tex. 17.

1 *QVomodo igitur ipsum quid est in definitiones assignatur, & quo modo demonstratio, aut definitio est ipsius, aut non est, dictum est prius. Quomodo autem oportet venari quæ in eo quod quid est prædicantur, nunc dicamus. Eorum igitur, quæ insunt semper vnicuique, nonnulla extenduntur in plus, non tamen extra genus. Dico autem in plus inesse, quæ unque insunt quidem vnicuique vniuersaliter, at vero & alij. Veluti est quiddam, quod omni inest trinitati, seu & non trinitati, quemadmodum ens inest trinitati sed & non numero: sed & impar inest omni trinitati, & in plus inest, nam & quinario inest, sed non extra genus: quinarius enim est numerus: nihil autem extra numerum, & impar.*

1 DOcet iam Aristoteles, quo pacto possimus venari, & inuenire tum *quid res sit*, tum *propter quid sit*. Vt igitur explicet, quo pacto possimus venari *quid res* sit, præmittit, ex prædicatis, quæ dicuntur semper, & vniuersaliter de aliquo subiecto, quædam ita latius patere, quam subiectum, vt conueniant etiam alteri generi, ac prædicamento; quædam è conuerso latius quidem patere, quam subiectum, sed ita, vt non conueniant alteri generi, ac prædicamento. Exemplum prædicatorum, quæ ita latius patent, quam subiectum, vt conueniant alteri generi, & prædicamento est ens, quod ita dicitur vniuersaliter de ternario, vt dicatur etiam de rebus, quæ sunt extra genus ternarij, quod genus est numerus, & extra prædicamentum ternarij, quod prædicamentum est quantitas. Exemplum prædicatorum, quæ latius patent intrà idem genus, est impar, quod ita dicitur de ternario, & non ternario, vt non egrediatur genus numeri: de solo enim numero dicitur impar.

2 *Talia itaque accipienda sunt vsque ad hoc, quousque tot accepta fuerint primum, quorum vnum quodque quidem in plus inerit, omnia vero non in plus sunt: hanc enim necesse est esse substantiam rei. Vt trinitati inest omni numerus, impar, primus vtroque modo, & vt non mensuretur numero, & vt non componatur ex numeris: hoc igitur iam est trinitas, numerus impar, primus, & ita primus. Horum enim vnumquodque, alia quidem imparibus omnibus insunt, vltimum vero & dualitati, omnia autem nulli.*

3 *Quoniam vero declaratum est nobis in supe-*

superioribus, quòd necessaria quidem sunt, quæ in eo, quòd quid est prædicantur: vniuersalia vero necessaria sunt: trinitati autem, & cuilibet alij sic accipiuntur in eo, quòd quid est, quæ accipiuntur sic: ex necessitate quidem essent vtique trinitas hæc. Quòd autem substantia sit, ex his planum est. Necesse enim est, si non hoc esset trinitatis esse, vt genus aliquid esse hoc, aut nominatum, aut innominatum: erit igitur in plus quàm trinitati inexistens. Supponatur enim tale esse genus, vt insit secundum potentiam in plus. Si igitur nulli inest alij, quàm indiuiduis trinitatibus, hoc vtique esset trinitati esse. Supponatur enim & hoc substantia vniuscuiusque esse, quæ est in indiuiduis vltima talis prædicatio: quare consimiliter & alij cuicunque ita monstratorum eidem esse erit.

2 His præmissis, ponit Aristoteles primam regulam ad venandam definitionem, quæ regula est: sumi debent prædicata cõmuniora re, sed intrà idem genus, quoadusque, licet singula conueniant alijs à re, omnia simul cõueniant soli rei; in his enim prædicatis consistit essentia, ac definitio rei. Ex. gr. vt inueniam definitionem ternarij, sumere debeo, quod ternarius sit numerus, quod sit impar, & quod sit primus vtroque modo, ita vt non mensuretur vllo numero sæpius repetito, sed sola vnitate, & non componatur ex numeris. Singula ex istis prædicatis cõueniunt alteri à ternario; omnia simul conueniunt soli ternario. *Esse numerum* est commune ternario cum omnibus numeris imparibus; *esse primum, ita vt non mensuretur vllo numero*, est commune ternario cum quinario, septenario &c, qui non mensurantur vllo numero, sed sola vnitate; *esse primum, ita vt non componatur ex numeris* est commune ternario cum binario; at *esse simul numerum, imparem, primum, ita vt neque mensuretur numero, neque componatur ex numeris*, est proprium solius ternarij. Licet enim binarius sit numerus vtroque modo primus, non est impar: & licet quinarius sit numerus impar primus vno modo, in quantum non mensuratur numero, adhuc non est primus secundo modo, ita vt non componatur ex numeris; quinarius siquidem componitur ex ternario, & binario; ergo solus ternarius est numerus, impar, primus vtroque modo, & per hoc, quod sit *numerus primus vtroque modo* conuenit cum binario, sed differt ab omnibus alijs numeris tum paribus, tum imparibus; per hoc, quod sit impar, conuenit cum numeris imparibus, & differt à binario, qui est numerus par primus vtroque modo.

3 Iam quod hæc descriptio, & necessario conueniat ternario, & explicet totam essentiam ternarij, probatur, quia prædicata quidditatiua conueniunt subiecto necessario, hoc est vniuersaliter, & semper; sed ex suppositione sumpta fuerunt sola prædicata quidditatiua; ergo allata descriptio conuenit subiecto necessario. Rursus, quod dicitur de subiecto necessario, & quidditatiuè, vel dicitur vt genus, vel vt tota definitio, ac tota essentia; sed hæc descriptio non dicitur de ternario vt genus, alioquin latius pateret, quam ternarium; supponitur enim genus latius patere, ac potentia pluribus inesse; ergo hæc descriptio dicitur de ternario vt integra definitio, adeoque explicat totam essentiam ternarij. Illud enim explicat totam essentiã rei, quod ita dicitur quidditatiuè de re, vt illi soli conueniat, ac solis indiuiduis in illa contentis; sed allata descriptio dicitur de solo ternario, ac de solis ternarijs singularibus; ergo allata descriptio explicat totam essentiam ternarij. Idem dic proportionaliter de alijs. Definitio enim binarij erit, *numerus par, primus vtroque modo*; & singulæ particulæ talis definitionis erunt communiores ternario: tota definitio non erit communior ternario.

Text. 18.

4 *Oportet autem, quando totum aliquid negotietur quispiam, diuidere genus in indiuidua specie prima, vt numerum in trinitatem & dualitatem: postea sic illorum definitiones tentare accipere.*

5 *Vt recta linea, & circuli, & recti anguli. Post hæc autem accipientem quid est genus, veluti vtrum quantorum, aut qualium, proprias passiones speculari per communia prima. Accidentia namque ijs, quæ componuntur ex indiuiduis, ex definitionibus erunt plana, * eo, quòd principium est omnium defininitionum ipsum simplex, & simplicibus solis per se insunt accidentia, alijs vero secundum illa.*

6

4 Verum quia adhuc remanet dubium, qua methodo, & ordine sint sumenda prædicata quidditatiua communiora re, cuius quærimus definitionem, & quo pacto possimus

ſimus vitare, ne prætermittamus aliquod ex prædicatis quidditatiuis, adeoque faciamus definitionem diminutam, ponit Ariſtoteles ſecundam regulam, quæ eſt: cum agimus de aliquo genere ſubiecto ſcientiæ, vt inueniamus definitiones eorum, quæ ſub tali genere continentur, debemus illud genus diuidere vſque ad primas ſpecies atomas, ſeu ſpecialiſſimas; deinde verò debemus conari, vt inueniamus definitiones talium ſpecierum, aduertendo, in quo genere ſint, & per proprietates ſpecierum ſubalternarum, in quas diuiditur ſupremum genus, inueſtigando, in quibus ſpeciebus ſubalternis ſint ſpecies ſpecialiſſimæ, quarum quærimus definitiones.

5 Probatur, & explicatur exemplis. Arithmeticus, qui contemplatur numeros vt genus ſubiectum, ad inueſtigandas definitiones numerorum, diuidat genus, quod contemplatur, hoc eſt numerum, vſque ad primas ſpecies ſpecialiſſimas, ternarium nimirum, & binarium &c, quæ ſunt primæ ſpecies numerorum: deinde inueſtiget, quid ſint tales ſpecies, puta quid ſit ternarium, quid binarium. Proportionaliter Geometra, qui contemplatur vt genus ſubiectum quantitatem continuam, diuidat quantitatem continuam vſque ad primas ſpecies ſpecialiſſimas, quæ ſunt linea recta, & circulus; angulus rectus, acutus, & obtuſus &c: deinde verò inueſtiget, quid ſint tales ſpecies, quid angulus rectus, quid circulus, quid linea recta. Vt autem inueniat prædicata quidditatiua talium ſpecierum, ſumat primo loco ſupremum genus, ſeu prædicamentum, in quo ſunt, ex. gr. ſumat, quod circulus eſt in prædicamento quantitatis: deinde verò diuidendo illud genus in ſpecies ſubalternas inferiores, & inferiores, ex ijs, quæ ſunt propria talium ſpecierum ſubalternarum communium, aduertat, ſub quibus membris diuiſionis comprehendatur ſpecies, cuius definitionem quærit: ex. gr. diuidens quantitatem in continuam, & diſcretam, ex eo, quod proprium quantitatis continuæ ſit *habere partes copulatas termino communi*, aduertet circulum contineri ſub quantitate continua, cum circulus habeat partes copulatas termino communi: diuidens quantitatem continuam in lineam, ſuperficiem, & ſolidum, ex eo, quod linea ſit longitudo carens latitudine, aduertet, quod circulus continetur in linea &c; & ſic vlterius diuidendo poterit ſumere alia prædicata communia, ex quibus conſtituatur definitio circuli.

6 Ratio verò, cur ex deſcriptionibus explicantibus propria rationum communium, debeat inueſtigari, ſub quibus rationibus communibus contineantur ſpecies atomæ, eſt, quia definitio, ſeu deſcriptio ſimpliciorum eſt principium ad cognoſcendum, vtrum ſimplicia conueniant, vel non conueniant ſpeciebus, quæ componuntur ex ijs ſimplicibus: ex. gr. deſcriptio animalis eſt principium ad inueſtigandum, vtrum homo ſit animal, vel non ſit animal; ſed ſpecies inferiores componuntur ex rationibus ſuperioribus; ergo deſcriptiones propriæ rationum ſuperiorum ſumi debent vt principia ad oſtendendum, quæ rationes ſuperiores prædicentur, vel non prædicentur de ſpeciebus inferioribus, quarum definitiones quærimus. Tales verò deſcriptiones per ſe competunt rationibus ſuperioribus, inferioribus verò conueniunt, in quantum continentur in ſuperioribus: ex. gr. *habere partes copulatas termino communi* per ſe conuenit continuo, circulo verò conuenit, in quantum eſt quoddam continuum.

Text. 19.

7 *Diuiſiones autem, quæ ſunt ſecundum differentias, vtiles ſunt ad ita pertranſe-*
8 *undum. * Vt tamen monſtrant, dictum eſt in præcedentibus: vtiles vero eſſent ita ſolum ad ſyllogizandum ipſum quid eſt.*

7 Contra allatam regulam quædam poſſunt opponi, ex quorum ſolutione vtilitas regulæ magis elucescet. Primum eſt, quia ſequitur, quod per diuiſionem poſſit demonſtrari, *quid ſit res*; hoc autem reprobatum eſt ſupra.

8 Reſponſionem indicat Ariſtoteles, dicendo, quod licet per diuiſionem ratiocinatione quadam inueſtigemus, *quid ſit res*, adhuc non demonſtramus, *quid res ſit*, vt probatum eſt ſupra cap. 3, num. 7, & ſequ.

9 *Atqui videretur vtique, nihil, ſed ſtatim accipere omnia, ac ſi quiſpiam à principio acciperet abſque diuiſione.*
10 *Differt autem aliquid primum, & poſterius eorum, quæ prædicantur prædicari, vt dicere, animal manſuetum bipes, aut bipes animal manſuetum. Si enim omni ex duobus eſt, & vnum quiddam eſt animal*

mansuetum, & rursus ex hoc, & differentia, homo, aut quodcunque est, quod vnum sit necessarium est diuidentem petere. Amplius vt nihil derelinquatur in eo, quod quid est, ita solum contingit. Quando enim primum acceptum sit genus, si inferiorum quidem aliquam diuisionum accipiat, non incidet omne in hoc: vt non omne animal, aut integris, aut scissis pennis est, sed pennatum animal omne: huius enim differentia hac: prima vero differentia est animalis, in quam omne animal incidit. Similiter autem, & aliorum vniuscuiusque, & extrinsecorum generum, & eorum, quæ sub ipso, vt auis, in quam omnis auis, & piscis, in quam omnis piscis. Ita igitur procedenti est scire, quoniam nihil derelictum fuit: aliter autem & derelinquere necessarium est, & non scire.

9 Secunda obiectio est: sine vlla diuisione possumus sumere, quæ prædicata conueniant rei, cuius definitionem quærimus; ergo diuisio nihil confert ad inuestigandam definitionem. Probatur antecedens: sine vlla diuisione quantitatis in continuam, & discretam ex. gr. possumus sumere, quod circulus sit quantitas continua indiuisibilis secundum latitudinem, ac diuisibilis secundum longitudinem, idemque dic de alijs; ergo &c.

10 Respondet Aristoteles diuisionem esse vtilem propter duo: primo, vt prædicata quidditatiua sumantur ordinatè; secundo, vt nullum omittatur prædicatorum quidditatiuorum, adeoque definitio non fit diminuta. Explicatur. Primo possumus eadem prædicata quidditatiua sumere vel vno ordine, vel alio: ex. gr. vel possumus dicere, quod *homo est animal bipes mansuetum*, vel quod *homo est animal mansuetum bipes*. Differt autem valde, vtrum prædicatum ponamus primo, vel secundo loco. Cum enim quod definitur, debeat esse vnum constitutum ex genere, & differentia diuisiua talis generis, si dicatur *animal mansuetum bipes*, significatur, quod genus est *animal mansuetum*, adeoque, quod *mansuetum* est differentia constitutiua generis, *bipes* verò est differentia diuisiua generis, quod genus est *animal mansuetum*, & constitutiua vnius speciei, quæ est *homo*, vel quoduis aliud vnum; sed ad hoc, vt appareat, quo ordine debeant sumi prædicata, necesse est vti diuisione, in qua exprimatur hic ordo, & petatur, vt per diuisionem satis apparens; ergo diuisio confert ad hoc, vt definitio sit ordinata. Secundo confert diuisio, vt definitio non sit diminuta, hoc est, vt nullum omittat ex prædicatis quidditatiuis. Si enim quis omittens differentias immediatas, diuidat genus, per differentias mediatas, statim apparebit defectus ex eo, quod genus non comprehendatur in diuisione, nec sit adæquatè diuisum. Ex. gr. si quis diuidat animal in id, quod habet alas continuas, vt vespertiliones, & in id, quod habet alas diuisas in plures pennas, statim apparebit non omne animal comprehendi sub hac diuisione, si quidem plura sunt animalia non alata, quæ neutro diuisionis membro comprehenduntur; ergo statim apparet omissas esse differentias immediatas, per quas animal diuiditur in alatum, & non alatum: differentiæ enim immediatæ sunt, sub quibus comprehenditur totum diuisum; ergo per diuisionem patet nullam differentiam omissam esse, cum sine diuisione necesse sit multoties aliquam differentiam omitti; & etiam si contingat nullam differentiam omitti, necesse sit definientem ignorare, vtrum omiserit.

Text. 20.

11 *Nihil autem oportet definientem, & diuidentem omnia scire entia, quamuis impossibile dicunt esse aliqui, differentias scire, quæ sunt ad vnumquodq; non scientem vnũquodq; sine autẽ differentijs non esse vnumquodq; scire. A quo enim non differt, idem esse huic: a quo autem differt, alterum ab hoc.*

12 *Primum quidem igitur hoc falsum est. Non enim secundum omnem differentiam alterum est. Multæ enim differentiæ insunt eisdem specie, sed non secundum substantiam, neque per se.*

13 *Postea quando acceperit opposita, & differentiam, & quòd omne incidit hinc, aut inde, & acceperit in altero, quod quæritur, esse, & hoc cognoscat, nihil differt scire, aut non scire, in quibuscunque prædicantur alijs differentiæ. Manifestum enim est, quoniam si ita procedens venerit in hæc, quorum non amplius est differentia, habebit rationem substantiæ.*

11 Tertia obiectio est: non possumus per viam diuisionis definire aliquam rem, nisi sciamus, quid sint omnes aliæ res; sed non possumus scire, quid sint omnes aliæ

res;

res; ergo neque possumus per viam diuisionis definire vllam rem. Probatur maior: non possumus per viam diuisionis cognoscere, quid sit res, nisi cognoscamus, per quã differentiam res differat ab alijs rebus; sed non possumus cognoscere, per quam differentiam res differat ab alia re, nisi cognoscamus, quid sit illa res, à qua differt; ergo non possumus cognoscere, quid sit res, nisi cognoscamus, quid sint aliæ res.

12 Respondet Aristoteles dupliciter: primo, quod ad hoc, vt cognoscamus, quid sit res, non debemus cognoscere omnes differentias accidentales rei, per quas res differt à se ipsa, & etiam ab alijs rebus, sed sufficit, vt cognoscamus differentias essentiales: ex. gr. vt cognoscamus, quid sit homo, non debemus cognoscere, vtrum sit albus, vel niger, calidus, vel frigidus, quæ sunt differentiæ accidentales, per quas homo differt ab alijs rebus, & etiam à se ipso, eo pacto, quo per calorem differt à se ipso, quando est frigidus; ergo non est verum, quod vt cognoscamus, quid sit res, debemus cognoscere omnes differentias rei; nec est verum, quod res per omnes differentias cõstituitur altera, & non eadem, cum possit eadem res nunc habere vnam differentiam accidentalem, nunc aliam; nunc esse calida, nunc frigida &c.

13 Secundo respondet, quod ad cognoscendum, quid res sit, sufficit diuidere genus in duo opposita, & cognoscere, quod definitum constituitur per alteram ex oppositis differentijs, ac per eam differt ab omnibus contentis in opposito membro diuisionis, cognoscendo illa in communi, & non in speciali; ergo ad cognoscendum, quid res sit, non requiritur, vt omnia, à quibus res differt, cognoscantur sub specialibus rationibus, sed sufficit, vt cognoscantur in communi. Ex. gr. vt cognoscam, *quid sit homo*, sufficit, vt diuidam animal, quod est genus hominis in rationale, & irrationale, & vt cognoscam, quod homo est animal rationale, & per hoc differt ab animalibus irrationalibus: at non requiritur, vt cognoscam, quod animal irrationale diuiditur in rugibile, hinnibile &c neque, quod cognoscam, quid sit equus, quid leo &c; ergo ad cognoscendum, quid sit vna res, non debet cognosci, quid sint aliæ res, nisi forte sub ratione communi.

14 *Omne autem incidere in diuisionem, si sint opposita, quorum non est medium, non est petitio.*

15 *Necesse est enim omne in altero ipsorum esse, siquidem illius differentia erit.*

14 Quarta obiectio est: in tantum per viam diuisionis posset constare, quod in definitione sumuntur omnia prædicata quidditatiua, in quantum posset constare, quod diuisio est immediata, & adæquata; sed non potest constare, quod diuisio sit immediata, & adæquata, sed debet id peti; ergo &c.

15 Respondet Aristoteles, quod si diuisio fiat per opposita contradictoriè, inter quæ non datur medium, eo ipso constat diuisionem esse adæquatam: ex. gr. si diuidatur numerus in parem, & imparem, eo ipso est manifestum, quod omnis numerus vel est par, vel impar.

Text. 21.

16 *Ad construendam vero definitionem per diuisiones tria oportet coniectare: vt accipiantur, quæ prædicantur in eo, quod quid est; & hæc ordinare quid primum, aut quid secundum est; & quòd hæc omnia sint.*

17 *Est autem horum vnum primum per id, quod possumus, quemadmodum ad accidens, syllogizare, quòd insit, & per genus construere. Ordinare autem, vt oportet, erit, si primum acceperit. Hoc autem erit, cùm acceptum fuerit, quod omnibus sequitur, illi autem non omnia: necesse est enim esse aliquid tale. Hoc autem accepto, iam in inferioribus idem modus est. Secundum nanque aliorum primum erit, & tertium consequentium. Ablato enim superiore, quod consequitur aliorum primum erit. Consimiliter vero & in alijs. Quòd autem omnia hæc sint, manifestum est ex eo, quod accepit, & primum secundum diuisionem, quoniam omne, aut hoc animal est. Inest autem hoc, & rursus huius totius differentiam, vltimi vero non amplius esse differentiam, aut & statim cum vltima differentia à toto non differre specie hoc. Manifestum enim, quòd neque plus adiacet. Omnia enim in eo, quòd quid est accepta sunt horum neque deficit vllum. Aut enim genus aut differentia vtique esset. Genus quidem igitur, & primum, & hoc, quod cum differentijs assumitur: differentiæ vero omnes habentur. Non enim amplius sunt posteriora speciei: nanque differret vtique ipsum vltimum: hoc autem dictum est non differre.*

16 Proposita, & explicata regula inuestigandi definitionem per viam diuisionis, subdit Aristoteles tria præcepta in hoc negotio obseruanda. Primum est, vt sumantur prædicata quidditatiua. Secundum, vt ita disponantur, vt primum ponatur primo loco, secundum secundo, & sic deinceps. Tertium, vt sumantur omnia prædicata quidditatiua, & nullum omittatur.

17 Addit tria documenta ad hæc præcepta seruanda. Primum est: vt sumamus prædicata quidditatiua, debemus per regulas de accidente examinare, vtrum talia prædicata conueniant subiecto, & per regulas generis examinare, vtrum de subiecto dicantur in quid, quæ regulæ tradentur in topicis lib.2. & 4. Secundum documentum est: vt ordinemus prædicata quidditatiua, primo loco debemus ponere illud prædicatum, quod est prius cæteris à subsistendi consequentia, ita vt ex omnibus sequatur, cum cætera non sequantur ex illo; secundo loco debemus ponere prædicatum, quod sequitur ex cæteris, excepto primo, cum cætera à primo non sequantur ex ipso; tertio loco debemus ponere prædicatum, quod sequitur ex alijs excepto primo, & secundo, & sic deinceps. Ex. gr. prædicata ista, animal, gressibile, bipes, debent ita ordinari, vt primo loco ponatur animal, secundo gressibile, tertio bipes; quia ex eo, quod aliquid sit animal, non sequitur, quod sit gressibile, vel bipes; at ex eo, quod aliquid sit gressibile, vel bipes sequitur, quod sit animal; ergo animal est prædicatum primum à subsistendi consequentia; gressibile est secundum, bipes est tertium, quia omne gressibile est bipes, non omne bipes est gresibile. Tertium documentum est: vt sumamus omnia prædicata quidditatiua, debemus primum genus diuidere adæquatè vsque ad vltimas species, quæ non sint diuisibiles in alia specie diuersa. Obseruatis his tribus documentis, habebimus sola prædicata quidditatiua ex primo præcepto, rectè ordinata ex secundo præcepto, & omnia ex tertio præcepto: nam habebimus primum genus, & omnes differentias. Si enim aliqua superesset differentia, species, in qua sistimus, esset diuisibilis in specie diuersa; sed supponitur non esse diuisibilis; ergo habemus omnes differentias; ergo habemus definitionem, cui nihil deest. Ex. gr. ad inuestigandum, quid sit homo, animal diuidendum est in rationale, & irrationale; rursus animal rationale diuidendum ex sententia Platonicorum in mortale, & immortale. Si animal rationale mortale non erit amplius diuisibile in specie diuersa, hæc erit integra definitio hominis, explicans genus, & omnes differentias. Si enim aliqua superesset differentia specifica, posset per illam diuidi animal rationale mortale in plura animalia rationalia mortalia specie diuersa; sed supponitur non posse animal rationale mortale diuidi in plura animalia rationalia mortalia specie diuersa; ergo sumptæ sunt omnes differentiæ specificæ.

Text.22.

18 *Quærere vero oportet inspicientem ad similia, & indifferentia: primum quid omne idem habent. Postea rursus in alteris, quæ in eodem quidem genere sunt cum illis. Sunt autem ipsis quidem eadem specie, ab illis autem altera. Quando autem in his acceptum fuerit aliquid omnino idem, & in alijs consimiliter, in acceptis omnino considerare, si idem, quousque ad vnam deuenerit rationem: hæc enim erit rei definitio. Si vero non processerit in vnam, sed in duas, aut plures, planum, quòd non esset vtique vnum aliquid, quod quæritur, sed plura.*

19 *Vt dico, si quid est magnanimitas quæreremus, considerandum in quibusdam magnanimis, quos scimus, quid habent vnũ omnes in quantum tales. Vt si Alcibiades magnanimus, aut Achilles, & Aiax, quid vnum omnes habent? non tolerare iniuria affecti. Ille enim bellauit: iste autem iratus est: hic vero interemit seipsum. Rursus in alteris, vt Lysandro, aut Socrate, si vtique indifferentes sunt, & bona, & mala fortuna affecti. Hæc duo capiens considero, quid idem habent, & impassibilitas circa fortunas, & non tolerantia cum iniuriantur. Si vero nihil, duæ vtique species essent magnanimitatis.*

20 *Semper autem est omnis definitio vniuersalis. Non enim alicui oculo dicit salubre Medicus, sed aut omni, aut specie determinans. Facilius autem est singulare definire, quàm vniuersale. Quapropter oportet à singularibus ad vniuersalia transire. Aequiuocationes etenim latent magis in vniuersalibus, quàm in indifferentibus.*

21 *Quemadmodum autem in demonstrationibus oportet esse ipsum syllogizatum fuisse, ita & in definitionibus manifestum est;*

est: hoc autem erit, si per ea, quæ singulariter dicuntur, sit in vnoquoque genere definire seorsum, vt simile non omne, sed quod in coloribus, & figuris & acutum, quod in voce, & ita in commune progredi obseruantem, ne æquiuocatio incidat.

22 *Si vero neque disputare oportet translationibus, planum, quòd neque definire, neque translationibus, neque quæcumque dicuntur translationibus: disputare enim necesse erit in translationibus.*

18 Proposita, & explicata regula venandi definitionem per descensum, incipiẽdo à genere vniuersaliori, ac illud diuidendo, proponit Aristoteles aliam regulam venandi definitionem per ascensum, incipiendo ab inferioribus, & ascendendo ad superius, cuius quærimus definitionem. Tertia igitur regula est: ad venandam definitionem communem alicuius, quod dicitur de pluribus, tum similibus, tum dissimilibus, debemus considerare, in quo conueniant similia, & in quo conueniant dissimilia à primis, sed similia inter se, ac deinde ex duabus diuersis rationibus abstrahere aliquam rationem vnam vtrisque communem. Si enim talis ratio detur, hæc erit definitio, quam quærimus: si non detur, nomen, cuius quærimus definitionem, non habebit definitionem vnam, sed dicetur æquiuocè de pluribus.

19 Affert Aristoteles exemplum ad id explicandum. Quærimus, quid sit magnanimitas? Vt venemur definitionem magnanimitatis considerare debemus homines singulares, qui dicti sunt magnanimi. Diuiduntur isti in duas classes. In prima classe continentur Alcibiades, Achilles, & Aiax Telamonius, qui ita dicti sunt magnanimi, vt fuerint similes in hoc, quod ferre non potuerunt iniurias. Alcibiades enim non ferens Athenis Lysiam sibi præferri, defecit ad Lacedæmonios, ac bellum intulit patriæ: Achilles ob raptam sibi ab Agamemnone Briseidem abstinuit bello: Aiax ob Vlyssem sibi prælatum in accipiendis armis Achillis se ipsum interfecit. In secunda classe sunt Socrates, & Lysander, qui dicti sunt magnanimi, & tamen fuerunt tolerantes iniuriarum, adeoque fuerunt dissimiles à primis tribus, sed fuerunt similes inter se in hoc, quod æquabiliter se habuerunt tum in rebus secundis, tum in aduersis. His positis, quærendum; *æquabilitas in aduersis, ac secundis, & non tolerantia iniuriarum conueniunt ne in aliquo vno, an non?* Si non conueniunt; ergo duæ sunt species, ac duæ definitiones magnanimitatis, ac proinde magnanimitas dicitur æquiuocè. Si conueniunt; id erit definitio, & quidditas magnanimitatis. Et quia magnanimi conueniunt in hoc, quod existimant se dignos magnis, ideoque quidam non ferunt contemptum, & iniurias, alij propter id ipsum æquanimiter se habent in aduersis, ac secundis, quæ despiciunt, vtpote inferiora magnitudine sua, ideo definitio magnanimitatis est: *virtus, per quam quis se dignũ existimat magnis.*

20 Quod autem hæc regula venandi definitiones vniuersales ex singularibus, seu inferioribus sit conueniens, probat Aristoteles, quia licet definitio propriè sit vniuersalis, vt patet ex eo, quod non definitur salubre huic oculo, sed salubre oculo, adhuc tamen facilius cognoscitur, quid sit res, considerando illam in singulari, vel in minus vniuersali, quam considerando illam in vniuersali, præsertim cum in vniuersalibus latere soleant æquiuocationes; ergo sicut ad venanda principia consideramus per inductionem singularia, & ex illis ascendimus ad vniuersale; sic ad venandas definitiones, debemus considerare, quid sit res in singularibus, & sic ascendere ad definitionem vniuersalis.

21 Confirmatur, quia sicut in demonstrationibus debet dari vis inferendi conclusiones, sic in definitionibus debet dari vis explicandi, ac manifestandi definitum; sed hæc vis tum adest, cum genus commune explicamus, prius explicando inferiora, deinde ascendendo ad genus commune; ergo sic est faciendum. Probatur minor exemplis. Facilius intelligitur, quid sit simile in communi, si prius explicetur, quid sit simile in colore, quid simile in figuris, & deinde abstrahatur, quid sit simile *vt sic*. Rursus facilius intelligitur, quid sit acutum *vt sic*, si prius seorsim explicetur, quid sit acutum in voce, acutum in figura, & deinde abstrahatur, quid sit acutum *vt sic*, vitando æquiuocationes; ergo hoc pacto est procedendum.

22 Concludit Aristoteles addendo vltimum præceptum, quod sicut disputans non debet vti locutionibus metaphoricis, sed proprijs, sic definiens non debet vti locutionibus metaphoricis, sed proprijs: ex. gr. non debet definire hominem *arbo-*

rem inuersam. Cum enim definitiones sint principia ad disputandum, eo ipso, quod quis in definiendo vtatur metaphoris, etiam in disputando vti debebit metaphoris.

Explicatur, quomodo possimus per diuisionem venari *propter quid*, seu media, & causas ad soluenda problemata. Caput IX.

1 *AD hoc autem, quòd habeamus problemata, eligere oportet & decisiones, & diuisiones, ita vero eligere supponentem genus commune omnium: vt si animalia essent, quæ speculata sunt, qualia omni animali insunt: his autem acceptis rursus reliquorum primo, qualia omne sequantur: vt si hoc est auis, qualia omnem sequantur auem, & ita semper proxima. Planum enim, quod habebimus iã dicere propter quid insunt consequentia ijs, quæ sunt sub communi.*

2 *Vt propter quid homini, aut equo insunt. Sit autem animal, in quo A: B vero consequentia omne animal: in quibus autem C D E aliqua animalia. Planum igitur propter quid B inest ipsi D: nanque per A. Consimiliter autem, & alijs: & semper in alijs eadem est ratio.*

QVandoquidem Aristoteles ostendit viam diuisionis esse vtilem ad venandum, *quid sit res*, procedit ad ostendendum, quod etiam est vtilis ad venandum propter quid res sit: & quia *propter quid* est causa, & medium demonstrationis, per quam demonstratiuè soluuntur quæstiones, & problemata proposita, docet modum inueniendi medium ad demonstratiuè soluendas quæstiones, & problemata proposita.

1 Vt igitur possimus soluere plurimas quæstiones, & problemata circa aliquod subiectum, ex. gr. circa Aquilam, vel Vulturem, debemus considerare supremum genus talis subiecti, quod sit substantia, & videre, quæ passiones conueniant omni substantiæ, in quantum substantia est: deinde debemus diuidere hoc genus in proximas species subalternas, ex. gr. substantiam in corpus, & spiritum, & assumendo corpus, sub quo continentur *homo*, & *equus*, debemus considerare, quænam aliæ passiones conueniant omni corpori, in quantum est corpus: ac similiter diuidendo corpus in viuens, & non viuens, debemus considerare, quænam passiones conueniant corpori viuenti, in quantum est viuens: & subdiuidendo viuens in animal, & plantam, debemus considerare, quænam passiones conueniant animali, in quantum est animal: & subdiuidendo animal in volucres, & pisces &c. debemus considerare, quænam passiones conueniant volucri, in quantum est volucris &c. Hac via habemus media ad demonstrandum de Aquila omnes passiones communes volucri, animali &c. Si enim quæratur, *propter quid Aquila habet talem passionem?* respondebimus, *quia volucris est. Propter quid hanc aliam?* respondebimus, quia *animal est*; ergo venabimur media ad demonstrandum demonstratione *propter quid* de Aquila, & de omnibus volucribus plurima prædicata.

2 Explicatur: genus commune sit *animal*, passio animalis sit *dormire vicissim, & vigilare*: species contentæ sub animali sint *homo, equus, canis*: poterit de homine, equo, & cane, vt de minori extremo demonstrari passio dormiendi, & vigilandi vt maius extremum, per animal tanquam per medium sic: *omne animal vicissim dormit, & vigilat; omnis homo, equus, canis est animal; ergo omnis, homo, equus, & canis vicissim dormit, et vigilat.*

3 *Nunc quidem igitur secundum tradita communia nomina dicimus.*

Text. 23. *Oportet autem non solum in his considerare, sed & si aliud quid visum fuerit inexistens commune excipientem, postea quæ hoc sequitur, & qualia hoc sequuntur: vt cornua habentia habere erinaceum, & non vtrinque dentata esse: rursus cornua habere, quæ sequitur. Planum enim propter quid illis inerit, quod dictum est: propter enim cornua habere inerit.*

4 *Amplius autem alius modus est secundum proportionale eligere. Vnum enim accipere non est idem, quod oportet vocare sepeum, & spinam, & os: erunt autem consequentia, & his, tanquam vna quadam natura tali existente.*

3 Adhuc plura problemata soluemus, si non solum consideremus passiones generum nominatorum, sed etiam innominatorum, immo & quarumcunque rationum com-

communium etiam non quidditatiuarum. Ex. gr. bos, ceruus, & plura alia animalia conueniunt in hoc, quod sint cornigera, quæ ratio fortasse non est quidditatiua, licet probabiliter sequatur ad aliquam rationem quidditatiuam innominatam. Debemus igitur considerare, quæ passiones conueniant omnibus cornigeris, & inueniemus, quod omnia cornigera carent dentibus in mandibula superiori, eo quod materia dentium conuertatur in cornua, & habent omasum, seu alium ventrem ad ruminandum. Poterunt igitur ex hoc solui problemata, *cur bos habeat duos ventres, & cur careat dentibus ex parte superiori?* respondendo, quod *ideo caret dentibus ex parte superiori, & habet duos ventres, quia est cornigerum*, & construendo demonstrationem similem allatæ.

4 Adhuc plura problemata soluuntur, si consideremus passiones proportionaliter sequentes ad aliquid commune non vniuocè, sed analogicè, & proportionaliter. Ex. gr. ossa animalium terrestrium, spinæ piscium, & sepium, seu quasi spina sepiarum non conueniunt vniuocè, sed secundum quamdam proportionem, in quantum sicut ossa se habent in animalibus terrestribus, sic spina se habet in piscibus, & sepium in sepijs: ad hoc autem proportionale sequuntur aliquæ proprietates proportionales; ergo sumendo pro medio hoc proportionale, possunt demonstrari de inferioribus omnes proprietates, quæ ad illud sequuntur.

Text. 24.

5 *Eadem vero problemata sunt, hæc quidem eo, quòd idem medium habent, vt quoniam omnia contra resistentia. Horum autem quædam genere eadem sunt, quæcunque habent differentias, eo quòd aliorum, aut aliter sunt. Vt propter quid resonat? aut propter quid apparet? & propter quid Iris? omnia enim hæc idem problemata sunt genere: omnia enim sunt refractio: sed specie altera.*

6 *Aliqua vero eo, quòd medium sub altero medio est, differunt problemata: vt propter quid Nilus decrescente mense magis fluit? quoniam hybernior decrescens est: & propter quid hybernior decrescens est? quoniam Luna deficit. Hæc enim ita se habent inter se.*

5 Vlterius aliqua problemata sunt, quæ conueniunt in hoc, vt soluantur per medium idem genere, licet diuersificetur specie, vel ratione subiecti, vel ratione modi. Ex. gr. multa problemata soluuntur, sumendo pro medio antiperistasim, plurima sumendo pro medio reflexionem: ex. gr. hæc tria problemata, *cur detur echo? cur videamus nos ipsos in speculo? cur detur Iris?* soluuntur per reflexionem, dicendo: *Echo datur, quia vox reflectitur à locis concauis: videmus nos ipsos in speculo, quia species reflectuntur à speculo: Iris fit, quia radij solares reflectuntur in nube*, supponendo illam sententiam, quod Iris fiat per reflexionem, quidquid sit de eius sententiæ veritate.

6 Demum quædam sunt problemata ita se habentia, vt medium, quo soluitur vnum, contineatur in medio, quo soluitur aliud, ideoque solutio vnius pendeat à solutione alterius. Ex. gr. solutio huius problematis, *cur Nilus decrescente mense, & Luna, maiores ducit aquas?* pendet à solutione istius; *cur decrescente mense, & Luna fiunt maiores pluuiæ?* Respondetur enim, *quod Nilus ideo decrescente Luna magis abundat aquis, quia decrescente Luna fiunt maiores pluuiæ*: & decrescente Luna fiunt maiores pluuiæ, quia Luna dominatur corporibus humidis, ideoque cum deficit illi lumen, magis mouet corpora humida.

Vtrum quotiescunque est effectus, sit causa; & vtrum eiusdem effectus possint esse plures causæ remotæ, vel proximæ; & quomodo inter primam causam, seu medium, effectum, & subiectum detur mutua conuertentia. Cap. X.

Text. 25.

1 *DE causa vero, & cuius causa dubitaret vtique aliquis, an quando est causatum, & causa est? quemadmodum si fluunt folia, aut deficit, & causa fluendi folia, aut deficiendi erit? veluti si huius est lata folia habere: ipsius vero deficere, est terram in medio esse.*

2 *Si enim non est, alia quædam erit causa ipsorum: siue causa est simul & causatum: vt si in medio terra est, deficit, aut si latifolium est, fluunt folia.*

 3 *Si*

3 *Si vero sic, simul vtique essent, & monstrarentur per se inuicem. Sit enim folio fluere, in quo A: latifolium vero in quo B: vitis autem in quo C. Si itaque ipsi B inest A: omne enim latifolium fluit folio: ipsi vero C inest B: omnis enim vitis est latifolia: ipsi C inest A, & omnis vitis fluit folio: causa vero B medium. Sed & quoniam latifolia est vitis, est per folio fluere demonstrare. Sit enim D quidem latifolium: E vero folio fluere: vitis autem in quo F: ipsi itaque F inest E: folio fluit enim omnis vitis: ipsi autem E. D: omne enim folio fluens est latifolium: omnis igitur vitis est latifolium: causa autem est folio fluere.*

4 *Si vero non contingit causas esse sibi inuicem: causa enim prior est eo, cuius est causa, & deficiendi quidem causa est in medio terram esse, quòd autem in medio terra sit, non est causa ipsum deficere. Si igitur per causam quidem demonstratio est propter quid, quæ vero non per causam, ipsius quod, quòd quidem terra in medio est, nouit, propter quid autem non. Quod autem ipsum deficere non est causa quòd sit in medio, sed hoc ipsius deficere, manifestum est: in ratione nanque ipsius deficere inest esse in medio. Quare planum quòd per hoc, illud cognoscitur, sed non hoc per illud.*

PRo conclusione tractatus de *propter quid*, seu causa, & medio demonstrationis, mouet Aristoteles duas quæstiones circa talem causam. Prima quæstio est, vtrũ semper quando est effectus, sit, vel fuerit causa, adeoque ex effectu possit semper inferri, quod est, vel fuerit talis causa? Quia verò si effectus potest pendere disiunctiuè à pluribus causis, videtur, quod possit esse sine qualibet illarum, proponit secundam quæstionem, an possit idem effectus pendere disiunctiuè à pluribus causis? Et quia solutio quæstionis est, quod potest effectus pendere à pluribus causis remotis, sed non à pluribus proximis, infert causam proximam esse vnicam, adeoque vnicum esse proprium medium demonstrationis conuertibile cum extremis, quod medium est definitio passionis, siue effectus, qui demonstratur de subiecto.

1 Prima igitur quæstio est, an cum est effectus, semper sit, vel fuerit causa, seu talis causa sit simul cum effectu, seu præcedat effectum? Ex. gr. supposito, quod latitudo foliorum sit causa, cur folia decidant, licet talis causa præcedat effectum, necesse ne est, vt cum folia decidunt, sint lata? Similiter necesse ne est, vt cum Luna eclypsatur, terra interponatur, cum interpositio sit causa eclypsis, simul existens cum effectu, & non præcedens illum?

2 Rationes pro parte affirmatiua duæ sunt. Prima ratio est: si non necesse est, vt quando effectus est, causa sit; ergo cum effectus non possit esse, nisi pendeat à causa, erit alia causa talis effectus, qua posita sequatur effectus, eo pacto, quo posita latitudine foliorum sequitur, vt decidant; posita interpositione terræ sequitur, vt Luna eclypsetur.

3 Secunda ratio est: causa, & effectus possunt mutuo demonstrari; sed si causa potest demonstrari per effectum, tanquam per medium, necessario sequitur ex effectu, cum conclusio demonstrationis sequatur necessario; ergo ex eo, quod sit effectus, necessario sequitur, vt sit causa, ac proinde effectus non potest esse sine causa. Maior probatur, & explicatur exemplo. Potest de vite demonstrari, quod habeat folia decidua per causam, ex eo, quod habeat folia lata; & potest vicissim de eadem vite demonstrari, quod habeat folia lata per effectum, ex eo, quod habeat folia decidua. In priori igitur demonstratione maius extremum, quod est *habere folia decidua* ex eo, quod vniuersaliter dicatur de medio, quod est *habens folia lata*, demonstratur de *vite*, vt de minori extremo, sic: *omnis planta habens folia lata habet folia decidua; omnis vitis est planta habens folia lata; ergo omnis vitis habet folia decidua*. In posteriori demonstratione maius extremum, quod est *habere folia lata*, ex eo, quod vniuersaliter dicatur de medio, quod est *habere folia decidua*, demonstratur de eadem vite, vt de minori extremo, sic: *omnis planta habens folia decidua, habet folia lata; omnis vitis est planta habens folia decidua; ergo omnis vitis habet folia lata*.

4 Quia tamen est impossibile, vt duo sint sibi inuicem causæ cum mutua prioritate, quandoquidem duo non possunt esse mutuo priora; ideo cum duo inuicem demonstrantur, vnum per alterum, & è conuerso, tum vna demonstratio, quæ demonstrat effectum per causam, ostendit non solum effectum esse, sed etiam *propter quid sit*; altera verò, quæ probat causam per effectum, probat quidem causam esse, sed

non

non ostendit *propter quid sit*. Ex. gr. demonstratio, qua ostenditur eclypsim esse ex eo, quod terra interponatur, non solum ostendit, quod eclypsis sit, sed etiam *propter quid sit*, quia terræ interpositio est causa eclypsis: at demonstratio, qua ostenditur terram interponi ex eo, quod eclypsis sit, ostendit quidem dari interpositionem, sed non ostendit *propter quid detur*. Quod verò interpositio sit causa eclypsis, eclypsis non sit causa interpositionis, patet, quia in definitione eclypsis ponitur, quod sit *priuatio luminis in Luna ex interpositione terræ*; ergo eclypsis causatur ex interpositione, non è conuerso.

5 *An contingit vnius plures esse causas? Si enim est idem de pluribus primum prædicari, sit A ipsi B primo inexistens: & ipsi C alij primo: & hæc ipsis D.E: inerit igitur A ipsis D.E: causa vero est ipsi quidem D. B, ipsi vero E. C. Quare causa quidem existente, necesse est rem esse, re autem existente, non necesse est omne esse, quodcunque sit causa, sed causa quidem, non tamen omnis.*

6 *Aut si semper vniuersale problema est, & causa totum quiddam, & cuius causa vniuersale: vt folio fluere toto aliquo determinato, licet species ipsius sint, & his vniuersaliter, aut plantis, aut his plantis: quare & medium æquale oportet esse in his, & cuius causa, & conuerti. Vt propter quid arbores folio fluunt? Si itaque propter congelationem humidi, & si folio fluit arbor, oportet esse congelationem, & si congelatio inest non cuicunque, sed arbori, est folio fluere.*

5 Propositis rationibus pro parte affirmatiua, ad quæstionem respondet Aristoteles cum distinctione, quod causa effectus potest ita assignari, vt possit esse effectus, quin sit talis causa; & potest ita assignari, vt non possit esse effectus, quin sit talis causa. Explicatur. Cum alicuius communis potest esse multiplex causa, propter quam illud commune conueniat diuersis, tum illud commune potest conuenire subiecto, quin detur altera causa determinatè accepta, licet non possit conuenire, quin detur altera disiunctiuè, hæc, vel illa. Ex. gr. potest esse duplex causa, cur aliquis sit vituperabilis, quia nimirum excedit, & quia deficit: audax enim est vituperabilis propter excessum, timidus est vituperabilis propter defectum. Vituperabile igitur probatur de audaci per hanc causam, & medium, quod est excessus, sic: *omnis excedens est vituperabilis; omnis audax est excedens; ergo omnis audax est vituperabilis;* & probatur de timido per hanc causam, & medium, quod est defectus, sic: omnis deficiens est vituperabilis; omnis timidus est deficiens; ergo omnis timidus est vituperabilis. Non potest autem è conuerso ex eo, quod aliquis sit vituperabilis, probari determinatè, quod sit excedens, neque potest probari determinatè, quod sit deficiens, sed solum potest colligi, quod vel deficit, vel excedit.

6 Si tamen sicut effectus assignatur in vniuersali, sic assignetur causa non in particulari, sed secundum illam rationem, in qua quia conueniunt causæ particulares, ideo conueniunt in causando effectu, tum sicut non potest esse talis causa, quin sit effectus, ita nec potest esse effectus, quin sit causa. Ex. gr. causa cur & deficiens, & excedens sit vituperabilis est, quia & deficiens, & excedens operantur præter rationem; ergo si causa vituperabilis assignetur, quia subiectum, quod est agens rationale, operatur præter rationem, sicut non potest esse operatio præter rationem, quin sit vituperabilis, ita non potest esse operatio vituperabilis, quin sit præter rationem, adeoque causa, & effectus se mutuo consequuntur. Ad hoc idem explicandum ponit exemplum Aristoteles in hoc effectu, qui est, *plantas habere folia decidua*. Datur aliquod vniuersale, in quo, quia conueniunt omnes arbores habentes folia decidua, ideo habent folia decidua, quod vniuersale sit, *habere humorem frigore congelabilem*. Hæc causa vniuersaliter assignata conuertitur cum effectu, ita vt sicut omnis planta habens congelabilem illum humorem, quo folia adglutinantur extremitati ramorum, habet folia decidua, sic è conuerso omnis planta habens folia decidua, habeat congelabilem illum humorem, quo folia adglutinantur extremitati ramorum.

7 *Vtrum autem contingit non eandem causam esse eiusdem omnibus, sed alteram, aut non?*

8 *An si quidem per se demonstretur, & non per signum, aut accidens non potest fieri: nanque ratio extremi medium est? Si vero non ita, contingit.*

Hinc

7 Hinc oritur secunda quæstio, per cuius solutionem magis declarabitur doctrina tradita. Quæritur enim, vtrum, & quomodo eiusdem effectus, & prædicati possint esse diuersæ causæ, ita vt tale prædicatum conueniat vni subiecto propter vnam causam, alteri subiecto conueniat propter alteram causam, eo pacto, quo dictum est audacem esse vituperabilem propter excessum, timidum propter defectum?

8 Respondet Aristoteles, quod si causa effectus assignetur illa, quæ est per se medium demonstrationis, quod medium est definitio maioris extremi, seu passionis, causa effectus est vnica. Vnius enim vnica est definitio; sed causa per se est definitio; ergo est vnica causa. At si assignetur pro causa aliquod accidens, sine quo possit esse definitio, vel aliquod signum, poterunt eiusdem effectus esse plures causæ. Ex. gr. causa per se, cur operatio sit vituperabilis est, quia est præter rationem; sed esse præter rationem est definitio vituperabilis; ergo sicut non datur alia definitio vituperabilis, nisi hæc, sic non datur alia causa, cur quæuis operatio sit vituperabilis, nisi quia est præter rationem. At verò accidit, vt id, quod fit præter rationem, vel fiat excedendo, vel deficiendo, vel innumeris alijs modis; ergo non est per se causa, vt audax sit vituperabilis, quia excedit, sed hoc est quoddam accidens, & est quædam causa aliqualiter per accidens, adeoque tales causæ possunt esse plures, ac pene infinitæ, sicut etiam possunt esse plura signa operationis vituperabilis.

9 *Est autem, & cuius causa, & cui, considerare secundum accidens, non tamen videntur problemata esse. Si vero non, similiter habebunt medium siquidem sunt æquiuoca æquiuocum medium est: si vero vt in genere,*
10 *similiter habebunt.* * *Vt propter quid est*
11 *permutatim proportionale?* * *Alia enim causa est in lineis, & numeris: & eadem vtique: inquantum quidem lineæ, alia; inquantum vero habens augmentum tale, eadem. Ita & in omnibus.*

12 *Huius autem similiter esse colorem colori, & figuram figuræ, aliam alij. Aequiuocum enim est simile in his: hic quidem fortasse proportionabiliter habere latera, & æquales angulos: in coloribus vero sensum vnum esse, aut aliud aliquid tale. Quæ vero secundum analogiam eadem, & medium habebunt secundum anologiam.*

9 Vt magis declaret doctrinam traditam Aristoteles, explicat, quo pacto causa per se, quæ est medium demonstrationis, debeat proportionari extremitatibus. Licet tam maius extremum, cuius medium est causa, quam minus extremum, cui medium est causa, vt illi cõueniat maius extremum, possint considerari per accidens, vt cum dicimus, *musicus ædificat*; tamen problemata, in quibus proponitur quæstio de ijs, quæ sunt per accidens, ex. gr. *an musicus ædificet?* non sunt scientifica; ergo conclusio scientifica, ac demonstrabilis est, in qua maius extremum per se conuenit minori extremo. Si ergo problema sit de extremis per se, & non per accidens, necesse est, vt ad minus extremum simili modo se habeat medium, ac se habet maius extremum. Si ergo maius extremum dicatur de ijs, quæ se tenent ex parte minoris extremi æquiuocè, & secundum diuersam rationem, etiam medium, & causa, propter quam maius extremum dicitur de minori extremo, dicetur æquiuocè, & secundam diuersam rationem: si maius extremum dicatur de ijs, quæ se tenent ex parte minoris extremi, quasi genericè, & secundum rationem proportionaliter eamdem, etiam medium dicetur quasi genericè, & secundum rationem proportionaliter eamdem.

10 Vt proponatur exemplum problematis, in quo maius extremum dicitur de ijs, quæ se tenent ex parte minoris extremi quasi genericè, supponendum est ex Euclide, quod tam in numeris, quam in magnitudinibus datur permutata proportio, ita vt si primus numerus eamdem habeat proportionem cum secundo, quam tertius habet cum quarto, primus habeat eamdem proportionem cum tertio, quam secundus cum quarto: idemque dic de magnitudinibus. Ex. gr. primus numerus sit nouenarius, secundus ternarius, tertius duodenarius, quartus quaternarius. Si eamdem proportionem triplam, quam habet nouenarius ad ternarium, habet duodenarius ad quaternarium, eamdem proportionem subsesquitertiam habebit nouenarius ad duodenarium, quam habet ternarius ad quaternarium. Est autem proportio subsesquitertia, per quam vnum continetur in

in altero secundum totum, & insuper secundum tertiam sui partem, eo pacto, quo nouenarius continetur in duodenario secundum totum, & insuper secundum tria, quæ sunt tertia pars nouenarij, & eo pacto, quo ternarius continetur in quaternario secundum totum, & insuper secundum vnum, quod est tertia pars ternarij. Idem dic proportionaliter de quantitatibus continuis.

11 His præmissis, exemplum problematis, in quo maius extremum dicitur de ijs, quæ sunt ex parte minoris extremi genericè, vel quasi genericè est hoc: *propter quid in numeris, & magnitudinibus datur permutata proportio?* Permutata enim proportio dicitur quasi genericè de numeris, & magnitudinibus. Sicut enim magnitudines specie differunt à numeris, sic permutata proportio numerorum specie differt à permutata proportione magnitudinum; & sicut numeri, & magnitudines conueniunt quasi genericè in hoc, quod sint quantitates proportionabiles, ita commutata proportio numerorum, & magnitudinum est eadem quasi genericè; ergo etiam causa, & medium, propter quam permutata proportio conuenit numeris, & magnitudinibus, erit eadem quasi genericè, & tamen alia specie erit in numeris, alia in magnitudinibus.

12 Exemplum maioris extremi, quod dicitur æquiuocè de ijs, quæ se tenent ex parte minoris extremi est *simile*, quod æquiuocè dicitur de figuris, & coloribus. Figuræ enim dicuntur similes, eo quod habeant latera proportionalia, & angulos æquales; at colores dicuntur similes, eo quod eodem modo mouent sensum: ex. gr. omnia alba sunt similia, quia disgregant visum. Sicut igitur simile dicitur æquiuocè de coloribus, & figuris, ita causa, propter quam colores, & figuræ sunt similes, dicitur æquiuocè. Est enim talis causa definitio diuersa ipsius similis. Si verò maius extremum dicatur de ijs, quæ se tenent ex parte minoris extremi analogicè, & secundum quandam proportionem, etiam causa dicetur analogicè, & secundum quandam proportionem.

13 *Se habet autem sic consequi causa sibi inuicem, & cuius causa, & cui causa. Singulum quidem accipienti, cuius causa in plus est: vt extrinsecos æquales esse quatuor in plus est, quam triangulum, aut quadrangulum: omnibus vero æqualiter: quæcunque enim quatuor rectis æquales esse extrinsecos. Et medium similiter: est autem medium ratio primi extremi.*

14 *Quocirca omnes scientiæ per definitionem fiunt. Vt folio fluere simul sequitur vitem, & excedit, & ficum, & excedit, sed non omnes sed æquale est. Si igitur acceperis primum medium, ratio folio fluendi est: erit enim primum quidem in altera mediũ, quoniam talia omnia sunt: postea huius medium, quoniam succus congelatur, aut aliud aliquid tale. Quid autem est folio fluere? congelari succum in contactu seminis.*

13 Potest quæri, cur sicut maius extremum se habet ad minus extremum, ita se habeat medium? Dicendum cum Aristotele, quod ratio huius est, quia medium demonstrationis est causa, cur maius extremum, hoc est prædicatum conclusionis dicatur de minori extremo, hoc est de subiecto conclusionis; sed prima causa, id, cuius est causa, & id, cui est causa, si rectè assignentur debent conuerti; ergo medium, maius extremum, & minus extremum debent conuerti. Probatur minor: si enim sumas hoc maius extremum, & prædicatum, quod est *habere angulos externos æquales quatuor rectis*; & sumas, vt minus extremum aliquod tantum ex ijs subiectis, quæ habent angulos externos æquales quatuor rectis, puta solum triangulum; maius extremum non adæquabitur minori extremo, sed excedet: nam *habere angulos externos æquales quatuor rectis*, conuenit non solum triangulo, sed quadrangulo, immo omnibus figuris rectilineis, vt ex propositione 32, & 13. lib. 1. Euclidis probat Clauius in commentario propositionis 32. At si abstrahas rationem communem omnibus subiectis, quibus conuenit *habere angulos externos æquales quatuor rectis*, quæ ratio communis est *figura rectilinea*, hoc, quod est *habere angulos externos æquales quatuor rectis*, adæquabitur cum hoc subiecto, quod est *figura rectilinea*; nam omnes, & solæ figuræ rectilineæ habent omnes angulos externos æquales quatuor rectis, adeoque hæc passio *habendi omnes angulos externos æquales quatuor rectis*, adæquatur cum primo suo subiecto; sed causa prima, cur hæc passio *habendi omnes angulos externos æquales quatuor rectis*, est definitio talis passionis; definitio

finitio autem adæquatur definito; ergo à primo ad vltimum medium, quod est causa, vt maius extremum conueniat minori extremo, ipsum maius extremum, & minus extremum adæquantur inuicem, & sunt mutuo conuertibilia; si tamen & subiectum passionis sumatur vniuersaliter, abstrahendo ab hoc, & illo subiecto partiali, & causa passionis sumatur vniuersaliter, abstrahendo à causa, propter quam passio conuenit solum huic subiecto particulari.

14 Confirmatur, quia omnes scientiæ assumunt vt primum medium ad demonstrandum definitionem passionis, quæ si vlterius sit probanda, probatur per definitionem primi subiecti; sed definitio est conuertibilis cum passione, & passio cum subiecto; ergo à primo ad vltimum omnes termini demonstrationis debent esse conuertibiles. Quod verò scientiæ assumant vt primum medium definitionem passionis, ac proinde construant demonstrationem potissimam ex terminis conuertibilibus, explicatur exemplo physico. Hæc passio *habendi folia decidua*, si comparetur cum vite, ita illi conuenit, vt excedat, cum conueniat etiam ficui; si comparetur ficui, ita illi conuenit, vt excedat, cum conueniat etiam viti, & pluribus alijs plantis. Potest tamen ab omnibus plantis, quibus conuenit passio *habendi folia decidua*, abstrahi aliquod genus commune, cui ita conuenit habere folia decidua, vt non excedat, sed adæquet tale genus. Si verò quæratur, *propter quid hoc totum genus habeat frondes deciduas?* respondebitur, *quia habet congelabilem illum humorem, quo frondes adhæresount extremitati ramorum, quæ vocatur arboris semen*: hæc verò causa est definitio passionis, quia si quæratur; *quid est habere frondes deciduas?* respondetur; *est habere congelabile illud humidum, quo folia adhæreścunt semini arborum, ita vt ex tali congelatione frondes desinant adhærescere, ac proinde decidant*; ergo causa, & primum medium, *propter quod* certum genus plantarum habet frondes deciduas, est definitio huius passionis, quæ est *habere frondes deciduas*, ac proinde conuertitur cum passione, quæ conuertitur cum primo subiecto; ergo tres termini præcipuæ, ac fundamentalis demonstrationis conuertuntur, & causa proxima, atque immediata conuertitur cum effectu, & subiecto, licet causa remota, & mediata posſit non conuerti, eo pacto, quo *habere folia lata* fortasse non conuertitur cum passione, *habendi folia decidua*, sed excedit talem passionem; si quidem laurus habet folia lata, & tamen non habet folia decidua, quia propter caliditatem, humidum, quo folia lauri adhærescunt, non est congelabile.

15 *In figuris vero ita assignabit, quærentibus assecutionem causæ, & cuius causa. Sit A inexistens B omni: B vero vnicuique eorum, quæ D, in plus autem: B vtique vniuersale esset ijs, quæ sunt D. Hoc enim dico vniuersale, quod non conuertitur: primum vero vniuersale, cum quo vnumquodque quidem non conuertitur, omnia autem conuertuntur, & non excedunt. Ipsis itaque D causa est ipsius A ipsum B. Oportet igitur A in plus, quàm B extendi. Si vero non, quid magis causa erit hoc illius? Si itaque omnibus E inest ipsum A, erunt aliquid illa vnum omnia aliud à B. Si enim non, quomodo erit dicere, quòd cui inest E, ipsum A omni inest, cui vero A, non omni ipsum E? Propter quid enim non erit aliqua causa, vt insit omnibus D? sed nunquid, & quæ sunt E, erunt aliquid vnum? Considerare oportet hoc, & sit C. Contingit itaque eiusdem plures causas esse, sed non ijsdem specie. Vt quòd longæua sint, quadrupeda quidem, eo quia non habent bilem, volatilia vero eo quòd sicca sunt, aut alterum quid. Si vero ad indiuiduum non statim veniunt, non solum vnum est medium, sed & plura, & causæ plures.*

16 *Vtrum vero causa mediorum, quod vniuersale primum, aut quod ad singulare, singularibus?*

17 *Planum itaque ea esse, quæ proxima sunt vnicuique, cui sunt causæ. Primum enim sub vniuersali esse, hæc est causa: vt ipsi D inesse ipsum C, ipsum A inesse, est causa: ipsi igitur D ipsum C, causa ipsius est A: ipsi vero C ipsum B: huic autem idem.*

De syllogismo igitur, ac demonstratione, & quid vtrunque est, & quomodo fit, manifestum est: simul vero & de scientia demonstratiua: idem enim est.

15 Addit Aristoteles exempla ad ostendendum, quo pacto posſit effectus de subiectis partialibus demonstrari per plures causas remotas, quæ exceduntur ab effectu, & quo pacto resoluantur vltimo demon-

monstrationes in causam primam, quæ adæquat effectum, & eius primum subiectum. Hæc passio *habendi vitam longam*, potest conuenire varijs animalibus ex duplici causa, aliquibus nimirum quadrupedibus, quia habent complexionem non nimis cholericam, volucribus quibusdam, quia habent complexionem siccam. Hoc posito passio *habendi vitam longam* sit maius extremum, quod dicatur vniuersaliter tanquam de medio de B, hoc est de quadrupede non habente cholericam complexionem, sed ita, vt excedat tale medium: medium B, hoc est *quadrupes habens complexionem non cholericam* dicatur de elephanto, ita vt excedat: sequitur quod passio *habendi vitam longam* insit elephanto, & possit sic demonstrari: *omne quadrupes habens complexionem non cholericam habet vitam longam; omnis elephas habet complexionem non cholericam; ergo omnis elephas habet vitam longam*. In hac demonstratione & effectus excedit causam, & causa excedit subiectum, adeoque à fortiori effectus excedit subiectum. Si ergo effectus *habendi longam vitam* excedit subiectum, quod est *elephas*, & causam, quæ est esse *quadrupes non cholericum*; ergo effectus habendi longam vitam poterit conuenire alteri subiecto, & ex alia causa, ex. gr. poterit conuenire Aquilæ ex eo, quod sit *volucris habens complexionem siccam*. Poterit igitur passio *habendi vitam longam* demonstrari de *Aquila* per medium, & causam, quæ est *esse volucrem siccæ complexionis*, sic: *omnis volucris siccæ complexionis habet longam vitam; omnis Aquila est volucris siccæ complexionis; ergo omnis Aquila habet longam vitam*; ergo patet, quod eiusdem effectus possunt esse plures causæ, at non in subiectis eiusdem speciei, sed in subiectis diuersæ speciei. Ex. gr. in Elephanto vnica causa habendi longam vitam est *esse quadrupedem complexionis non cholericæ*; in Aquila *esse volucrem complexionis siccæ*: at in omnibus Elephantis causa est eadem; in omnibus Aquilis est eadem. Si verò quæratur causa, cur totum genus animalium longæuorum habeat longam vitã, tum causa prima debebit assignari conuertibilis cum effectu, & cum toto genere subiecto, quæ causa erit definitio vitæ longæuæ, quæ definitio sit: *habere vitam longæuam est, habere humidum ita temperatum calido, vt lentissime humidum consumatur à calido, & calidum serò extinguatur ex defectu humidi*, in qua extinctione consistit mors naturalis. Per hanc verò definitionem respondetur quærenti, *cur quadrupedia non abundantia cholera sint vitæ longæuæ? cur volucres siccæ sint vitæ longæuæ &c*, adeoque omnes demonstrationes per causas remotas, & non conuertibiles, resoluuntur vltimo in demonstrationem per causam proximam, & conuertibilem, & per omnes terminos conuertibiles.

16 Pro complemento huius doctrinæ, proponit Aristoteles dubium, vtrum cum non statim peruenimus ad passionem demonstrandam de subiecto primo, sed de inferiori, medium, quo illam demonstramus de tali subiecto, debeat poni prima causa vniuersalis, an causa particularis?

17 Respondet, quod debet sumi pro medio causa particularis. Ex. gr. cum quærimus *cur elephantus sit longæuus*? debemus assignare pro causa, *quia caret cholera*; dum quæritur, *cur Aquila sit longæua*? debemus assignare pro causa, *quia est complexionis siccæ*; cum vero quæritur vlterius causa *cur quadrupedes carentes cholera, & volucres siccæ sint longæuæ*, debemus afferre primam causam ex definitione vitæ longæuæ, per quam demonstratur longæuitas de toto genere, cui primò, & conuertibiliter conuenit, & tunc vltimo facta est resolutio demonstrationis in primam, & conuertibilem causam, & in primam demonstrationem constantem ex terminis conuertibilibus.

Explicatur, quo pacto principia immediata innotescant ex inductione singularium. Caput XI. & vltimum.

Text. 27.

1 *De principijs vero, & quomodo fiunt nota, & quis cognoscens habitus, hinc est planum adubitantibus primum.*

2 *Quòd quidem igitur non contingit scire per demonstrationem non cognoscenti prima principia immediata, dictum est prius. Immediatorum vero cognitio vtrum eadem sit, aut non eadem, dubitare posset aliquis: et vtrum scientia vtriusque, aut non, aut huius quidem scientia, illius vero alterũ quid genus: & vtrum non inexistentes habitus innascantur, aut inexistent latuere.*

3 *Si itaque habemus ipsos, absurdum est.*

Contin-

Contingit enim certiores habentes cognitiones demonstratione, latere. Si vero accipimus, non habentes prius, quomodo vtique cognosceremus, & disceremus ex non præexistente cognitione? Impossibile nanque, quemadmodum, & in demonstratione dicebamus. Manifestum igitur, quoniam neque habere possibile est, neque ignorantibus, & nullum habentibus habitum innasci.

1 HActenus Aristoteles longissima disputatione explicauit, quo pacto possimus venari medium, quod est principium incomplexum demonstrationis, & reducitur ad *quid*, & *propter quid*. In hac vltima parte libri breuiter ostendit, quo pacto, & per quem habitum perueniamus ad cognoscenda principia complexa immediata, adeoque indemonstrabilia per medium, ad quæ principia vltimo resoluendæ sunt omnes conclusiones, & omnia principia mediata. Est autem hæc quæstio necessario tractanda pro complemento doctrinæ de demonstratione. Est enim impossibile, vt quis de vllo obiecto acquirat scientiam, nisi cognoscat principia prima, & immediata; ergo vt sciamus, quo pacto possimus per demonstrationem acquirere scientiam, debemus etiam scire, quo pacto possimus cognoscere principia prima, & immediata: & primo quidem debemus dubitationes proponere, deinde quæstionem soluere.

2 Tres ergo quæstiones circa principia immediata occurrunt examinandæ. Prima quæstio est, vtrum omnium principiorum immediatorum habeamus cognitionem eiusdem generis. Secunda, vtrum quædam principia immediata cognoscamus per sciētiam, quædam non per scientiam, sed per aliud genus cognitionis. Tertia est, vtrum habitus immediatorum principiorum fiant in nobis, ac de nouo acquirantur, cum anteà non fuerint, an potius sint nobis naturales, & ingeniti, sed ita, vt primo lateant, ac deinde incipiant apparere, vt existimauit Plato?

3 Ex vna parte videtur absurdum, ac penitus impossibile, vt habeamus habitus primorum principiorum, & tamen ignoremus nos illos habere. Habitus enim primorum principiorum certior est habitu scientiæ; sed sciens, atque habens habitum scientiæ non ignorat se scire, imo scit se scire; ergo impossibile est, vt habens habitum principiorum ignoret se habere talem habitum. Ex alia parte si illos habitus de nouo acquireremus, deberemus acquirere ex aliqua præexistente cognitione, vt dictum est lib. 1. cap. 1; sed est impossibile, vt cognitionem primorum principiorum acquiramus ex præexistente cognitione; ergo &c. Probatur minor, quia cognitio præcedens, ex qua acquiritur alia cognitio, est certior cognitione, quæ acquiritur, eo pacto, quo cognitio principiorum est certior cognitione conclusionum; sed nulla cognitio potest esse certior cognitione primorum principiorum; ergo cognitio primorum principiorum non potest acquiri ex præexistente cognitione; ergo videtur impossibile, vt habeamus habitus principiorum insitos à natura, & tamen nos lateat, & vt de nouo acquiramus illos, cum anteà essemus omnino ignari, & nullam præhaberemus cognitionem.

4 *Necesse igitur habere quidem aliquam potentiam, non talem autem habere, quæ est his honorabilior secundum certitudinem.*

5 *Apparet autem hoc vtique omnibus inexistens animalibus. Habent enim congenitam potentiam indicatiuam, quam vocant sensum.*

6 *Inexistente autem sensu, in alijs quidem animalium fit permansio sensati, in alijs vero non fit. In quotcunque igitur non fit, aut omnino, aut circa quæ non fit, non est his cognitio extra ipsum sentire. In quibus vero inest sentientibus, habere vnum quiddam in anima, cùm multa talia fiant, iam differentia quædam fit, vt his quidem fiat ratio ex talium permansione, his vero non. Ex sensu quidem igitur fit memoria, quemadmodum dicimus: ex memoria vero, quæ plerunque eiusdem fit, experientia. Multæ nanque memoriæ numero experientia vna est. Experientia autem, aut ex omni quiescente vniuersali in anima, aut vno præter multa, quod vtique in omnibus vnum sit illis idem, est artis principium, & scientiæ: si circa generationem quidem, artis si vero circa ens, scientiæ.*

4 Propositis rationibus dubitandi, soluit Aristoteles tres quæstiones propositas, & primo soluit tertiam, deinde primam, & secundam. Vt igitur soluat tertiam quæstio-

stionem, an habitus principiorum sint ingeniti, vel de nouo acquirantur ex præexistente cognitione, ponit hanc conclusionem. Habitus principiorum non sunt nobis naturaliter insiti, sed acquiruntur de nouo ex præexistente cognitione alicuius potentiæ, ac virtutis nobis naturaliter insitæ, quæ cognitio non est exactior, neque certior cognitione principiorum.

5 Vt conclusionem probet, explicat, quæ sit potentia, & virtus naturalis, per cuius cognitionem peruenimus ad cognoscenda prima principia. Communis, ac naturaliter insita omnibus animalibus est virtus quædam discernendi sensibilia, quæ virtus vocatur sensus. Differunt tamen animalia perfecta ab imperfectis in hoc, quod in imperfectis non conseruatur forma, seu species sensibilium, nisi forte vehementissimorum, in perfectis conseruatur. Animalia igitur, quæ non conseruant species sensibilium, vel solum conseruant sensibilium vehementissimorum, aut non possunt cognoscere vlla sensibilia, nisi cum illa sentiunt præsentia, vel non possunt cognoscere illa sensibilia, quorum speciem non conseruant, nisi cum illa sentiunt vt præsentia: at animalia, quæ conseruant speciem sensibilium, habere possunt cognitionem sensibilium, etiam cum illa non sentiunt vt præsentia.

6 Inter hæc animalia, in quibus propter conseruationem specierum sensibilium, datur etiam cognitio obiectorum non præsentium, quæ cognitio dicitur memoria, intercedit hæc differentia, quod in quibusdam ex multis memorijs oritur ratio, in quibusdam non oritur ratio. Ratio in hominibus, seu animalibus rationalibus oritur hoc pacto. Ex sensu, & ex sensationibus relinquitur memoria: ex pluribus memorijs oritur experientia, quæ experientia consistit in pluribus memorijs inuicem comparatis per vnum actum: ex experientia, & ex quolibet vniuersali, quod habet in anima esse quietum, in quantum cognoscitur abstrahendo à singularibus, quæ sunt subiectum motus, & propter eamdem abstractionem est vnum præter multa, licet à parte rei insit illis multis, oritur principium omnis scientiæ, & omnis artis. Si enim tale vniuersale consideretur circa factibilia à nobis, & circa generationes, ex. gr. quod *talis morbus est ita curandus &c.* est principium artis; si verò consideretur vniuersale circa entia, abstrahendo ab hoc, quod sint factibilia à nobis, ex.gr. quod *totum est maius parte*, est principium scientiæ.

7 Neque itaque insunt determinati habitus, neque ab alijs habitibus fiunt notioribus, sed à sensu.

8 Vt in pugna versione facta vno stante, alter stetit, postea alter, quousque ad principium venit. Anima vero est talis, vt possit pati hoc. Quod autem dictum quidem fuit pridem, non manifeste vero dictum fuit, rursus dicamus. Cum enim steterit indifferentium vnum, primum quidem in anima vniuersale est.

9 Sentitur etenim singulare: sensus vero ipsius vniuersalis est, vt hominis, sed non Calliæ hominis. Rursus in his statur, quousque ad impartibilia steterint, & vniuersalia; vt tale hoc animal, quousque animal, & in hoc consimiliter. Planum itaque, quòd nobis prima inductione cognoscere necessarium est. Sensus etenim sic vniuersale facit.

7 Ex dictis patet conclusio posita, quod nimirum determinati habitus, quibus cognoscuntur principia scientiarum, & artium, neque sunt nobis naturaliter insiti, sed acquiruntur ex præexistente cognitione, neque originem habent ex alijs habitibus certioribus, sed originem habent ex sensibus, & ex cognitione sensibili.

8 Sed adhuc magis explicandum, quo pacto ex cognitione sensitiua singularium possit oriri cognitio vniuersalium, quæ est principium scientiarum, & artium. Ad id explicandum affert Aristoteles exemplum ex pugna. Fusa acie, & fugientibus militibus, aliquando reuocatur agmen, & rursus fit principium pugnæ. Accidit enim, vt vnus ex fugientibus consistat paratus ad pugnandum, deinde consistit alius, atque adiungitur primo, deinde alius, donec fiat agmen, quod est principium pugnandi. Proportionaliter dum animus per sensum percipit sensibilia cognitionibus fluxis, & delabentibus, sistit in animo per memoriam, & speciem fixam sui, cognitio alicuius singularis sensibilis; deinde sistit, & adiungitur cognitio, & species alterius singularis sensibilis; deinde alterius, donec in animo sistat cognitio vniuersalis, quæ est principium scientiarum, & artium. Habet enim anima intellectum possibilem, qui

potest

potest recipere speciem vniuersalem ab intellectu agente abstrahente talem speciem à pluribus singularibus sensibilibus. Sed hoc ipsum adhuc magis est explicandum, quo pacto nimirum acquiratur talis cognitio totius generis, aut speciei, ex. gr. hominis, & animalis.

9 Licet per sensus cognoscamus singularia, tamen in singularibus non solum percipimus ipsam rationem singularitatis, in qua differunt, sed etiam rationem vniuersalem, in qua conueniunt: ex. gr. licet per sensum videamus albedinem A, albedinem B, hominem Socratem, hominem Calliam &c, adhuc in albedine A, & B percipimus albedinem; in Callia, & Socrate percipimus hominem. Infigitur igitur animæ cognitio plurium singularium, ex. gr. plurium albedinum differentium, donec abstrahatur ratio simplex albedinis, in qua singulares albedines non differunt, sed conueniunt: infigitur animo cognitio plurium hominum, donec abstrahatur ratio simplex hominis, in qua homines conueniunt: infigitur animo cognitio plurium animalium, donec abstrahatur ratio simplex animalis: idemque dic de alijs rationibus; ergo patet, quod cognitiones vniuersalium, & principia scientiarum acquiruntur per inductionem ex singularibus sensibilibus.

10 *Quoniam vero habituum, qui circa discursum sunt, quibus verificamus, aliqui semper veri sunt, alij vero suscipiunt falsum, vt opinio, & ratiocinatio: vera autem semper sunt scientia, & intellectus: & nullum scientia genus aliud certius est, quam intellectus: principia vero demonstrationum notiora sunt, scientia autem omnis cum ratione est: principiorum quidem scientia vtique non erit. Quoniam vero nihil contingit esse verius scientia, quam intellectum, intellectus vtique erit principiorum, & ex his considerantibus.*

11 *Et quoniam demonstrationis principium non est demonstratio: quare neque scientiæ est scientia. Si igitur nullum aliud præter scientiam genus habemus verum, intellectus vtique erit scientiæ principium, & principium quidem principij vtique erit: si autem omnis, consimiliter se habent ad omnem rem.*

10 Soluta tertia quæstione, soluit Aristoteles primam, & secundam, in quibus quærebatur, vtrum omnia principia immediata cognoscamus per cognitionem eiusdem generis, & vtrum quædam principia cognoscamus per habitum scientiæ, quædam per aliud genus cognitionis?

Respondet, quod omnia principia immediata cognoscimus cognitione eiusdem generis, & non per habitum scientiæ. Probat dupliciter. Prima ratio est: ex habitibus alij sunt, quibus semper verum anima dicit, vt intellectus, & scientia; alij, quibus aliquando solum anima verum dicit, vt opinio immediata, & ratiocinatio dialectica; sed habitus principiorum, cum semper verum dicat, non comprehenditur in opinione, neque in ratiocinatione dialectica, & cum sit certior scientia, omnibusque habitibus versantibus circà conclusiones, non comprehenditur scientia, neque vllo habitu versante circa conclusiones; ergo habitus principiorum est habitus intellectus, qui solus est certior scientia, & omnibus habitibus discursiuis.

11 Secunda ratio est: scientia solum habetur per demonstrationem; sed prima principia demonstrationis non sunt demonstrabilia, alioquin procederetur in infinitum in demonstrationibus; ergo de primis principijs demonstrationis non datur scientia; sed præter scientiam, & habitus discursiuos, nullus alius habitus datur, quo semper verum dicamus, nisi intellectus; ergo habitus principiorum est intellectus. Et quia habitus est principium actuum; actus autem intellectus sunt principia; ideo intellectus est principium principij: quia rursus hic habitus eodē pacto se habet ad omne genus principiorum, ideo est vnicus circa omnia principia. Et per hæc Aristoteles concludit duos libros de posteriori resolutione.




IN

IN OCTO LIBROS TOPICORVM.

PROOEMIVM.

Quid sit Dialectica, quod sit eius subiectum, & quid sit locus.

1 VIA hi libri inscribũtur Topicorum, hoc est de locis, à voce græca τόπος, quæ significat locum, in ijs verò Aristoteles agit de syllogismo probabili, seu dialectico, ac tradit dialecticam, ideo explicandum est primo, quid sit dialectica, quod sit eius subiectum, & in quo dialectica conueniat, ac differat ab alijs facultatibus, & præsertim à metaphysica, & rhetorica, cum quibus habet affinitatem: secundo explicandum est, quid sit locus, à quo isti libri dicuntur topici: tertio demum per breuem synopsim ponenda est ob oculos doctrina horum librorum.

2 Quoad primum: Dialectica dicitur à διαλέγεσθαι, quod latinè idem significat, ac differere, seu disputare, adeoque est ars disputandi; sed ars disputandi consistit in eo, vt per ipsam possimus de quocunque proposito problemate syllogizare in vtramque partem, & vtramlibet partem defendere; ergo dialectica est ars syllogizandi de quocunque proposito problemate in vtramque partem, & vtramlibet partem defendendi; sed ex duabus partibus problematis, vtpote contradictoriè oppositis, altera est falsa, falsum verò non potest probari, neque defendi ex veris, sed solum ex probabilibus; ergo Dialectica est ars syllogizandi de quocunque proposito problemate in vtramque partem, atque vtramlibet partem defendendi, non quidem ex veris, sed solum ex probabilibus.

3 Ex hac definitione infertur primo, dialecticam, & rhetoricam non esse scientias, sed quasdam facultates, & potentias. Ratio est, quia scientia non est de vtraque parte contradictionis, sed solum de ea parte, quæ est vera, adeoque demonstrabilis: ex. gr. Geometria non æquè se habet ad syllogizandum demonstratiuè, quod diameter quadrati est incommensurabilis, ac quod est commensurabilis, sed determinatè syllogizat illam partem, quæ est vera, quod nimirum diameter est incommensurabilis, alteram verò partem falsam demonstratiuè syllogizare non potest; sed dialectica, & rhetorica sunt de vtraque parte contradictionis, & vtramque probabiliter syllogizant; ergo dialectica, & rhetorica non sunt scientiæ, sed sunt facultates, & potentiæ quædam probabiliter syllogizandi vtramque partem contradictionis: potentiæ enim propriè dicuntur, quæ æquè se habent ad opposita.

4 Infertur secundo, quodnam sit subiectum dialecticæ. Dico, quod subiectum dialecticæ est syllogismus probabilis, siue ens vt probabiliter syllogizabile. Ratio est, quia vt dictum est in proœmio ad Porphyrij introductionem, logica diuiditur sicut diuiduntur operationes intellectus; ergo sicut tres sunt operationes intellectus, sic tres sunt partes logicæ. Prima pars est, in qua agitur de simplici apprehensione, seu de rebus, vt simpliciter apprehensis, quæ continetur in Porphyrij introductione, & in libro prædicamentorum. Secunda pars est, in qua agitur de secunda operatione, & de rebus vt enunciabilibus, quæ continetur in libris perihermenias. Tertia est, in qua agitur de tertia operatione, seu de rebus vt syllogizabilibus, quæ continetur in cæteris Aristotelis libris. Hæc porrò tertia pars subdiuiditur in alias quatuor. Prima est, in qua agitur de syllogismo in genere, seu de rebus vt syllogizabilibus, quæ continetur in libris priorum. Secunda est, in qua agitur de syllogismo demonstratiuo, seu de rebus vt demonstrabilibus,

quæ continetur in libris posteriorum. Tertia est, in qua agitur de syllogismo probabili, seu de rebus vt probabiliter syllogizabilibus, quæ continetur in libris topicorum. Quarta demum est, in qua agitur de syllogismo sophistico, quæ continetur in libris Elenchorum. Dialectica igitur, hoc est illa pars logicæ, quæ continetur in libris topicorum, habet pro subiecto syllogismum probabilem, seu res vt probabiliter syllogizabiles. Aliquando tamen tota logica vocatur dialectica, & in hoc sensu subiectum dialecticæ assignandum est illud idem, quod assignatur vt subiectum totius logicæ.

5 Infertur tertio, in quo dialectica conueniat, ac disconueniat cum alijs partibus logicæ, ac præsertim cum demonstratiua. Dialectica conuenit proportionaliter cum parte demonstratiua in hoc, quod sicut demonstratiua docet modum syllogizandi demonstratiuè, sic dialectica docet modum syllogizandi probabiliter: at differunt, quia licet logica demonstratiua doceat modum demonstrandi, non tamen ipsa demonstrat in omni materia, sed solum in propria materia, hoc est circa demonstrationem, syllogismum &c. aliæ verò scientiæ vtuntur præceptis logicis ad demonstrandum in proprijs materijs: ex. gr. geometria vtitur præceptis logicis ad demonstrandum in materia geometrica; physica vtitur ijsdem præceptis ad demonstrandum in materia physica. E conuerso dialectica non solum docet modum probabiliter syllogizandi, sed etiam probabiliter syllogizat, non solum in propria materia, sed in materia omnium scientiarum. Tradit enim loca communia ad probabiliter syllogizandum de problematibus omnium scientiarum, & ex ijs probabiliter syllogizat de omni materia, & de omni problemate. Ratio est, quia sicut præter principia propria dantur etiam principia communia, sic præter scientias particulares, quæ considerant principia propria, & ex ijs syllogizant de proprijs subiectis, debet etiam dari aliqua facultas communis, quæ consideret principia communia, & syllogizet ex communibus; sed hæc facultas est dialectica; ergo dialectica ex principijs communibus probabiliter syllogizat de omni materia.

6 Infertur quarto, in quo nam dialectica conueniat, ac disconueniat cum scientijs particularibus, hoc est cum physica, mathematica &c. Conuenit in hoc, quod de materia scientiarum particularium syllogizant tum ipsæ scientiæ particulares, tum dialectica. At differunt, quod scientiæ particulares syllogizant de proprijs materijs demonstratiuè, & ex principijs proprijs; dialectica de ijsdem syllogizat solum probabiliter, & ex communibus: ex. gr. de hoc problemate physico, *vtrum corpora constent ex materia, & forma*, syllogizat tum physica, tum dialectica, sed physica syllogizat ex proprijs, dialectica ex communibus.

7 Infertur quinto, in quo dialectica conueniat, ac disconueniat cum metaphysica. Conueniunt in hoc, quod vtraque syllogizat de omni ente, adeoque vtraque est facultas quodammodo vniuersalis. At differunt primo, quia metaphysica syllogizat solum de omni ente in genere, non autem de omni ente in specie, adeoque non descendit ad syllogizandum de problematibus proprijs scientiarum particularium; dialectica è conuerso syllogizat probabiliter, & ex communibus etiam de problematibus proprijs scientiarum particularium, ex. gr. de hoc problemate physico, *vtrum elementa sint quatuor*. Secundo differunt, quia metaphysica syllogizat solum pro vna parte contradictionis, quæ est vera, de eaque syllogizat demonstratiuè, & ex proprijs; dialectica syllogizat pro vtraque parte contradictionis probabiliter, & ex communibus.

8 Infertur sexto, in quo dialectica conueniat, & disconueniat cum rhetorica. Conueniunt in hoc, quod vtraque est facultas, seu potentia syllogizans pro vtraque parte problematis ex probabilibus, & ex communibus, & vtraque tradit loca quædam communia. Differunt primo in hoc, quod dialectica syllogizat de omnibus, & præsertim de problematibus vniuersalibus abstrahentibus à circumstantijs singularibus personarum, locorum, temporum &c; rhetorica è conuerso syllogizat præsertim de materia morali, & politica, & de problematibus restrictis ad singulares personas, loca, tempora &c. Secundo differunt, quod dialectica vtitur forma argumentandi stricta, & contracta; rhetorica vtitur forma argumentandi ampliori, & dilatata, ideoque Zeno dixit dialecticam, & rhetoricam differre, sicut manus in

in pugnum contracta differt à manu expansa. Tertio differunt, quod rhetorica ad finem persuadendi excitat etiam affectus; dialectica vtitur solis rationibus. Sed hæc magis explicabuntur initio rhetoricorum.

9 Quoad secundum: locus aliter videtur sumi à Rhetoribus cum Tullio in sua topica, aliter ab Alexandro, & à dialecticis cum Aristotele in his libris topicorum. Locus à rhetoribus sumitur pro sede, in qua latent, & à quærentibus inueniuntur quædam propositiones vniuersales, quibus vti possumus tamquam principijs syllogismi dialectici, & rhetorici, ideoque locus definitur à Cicerone *sedes argumenti*, & à Quintiliano libro quinto institutionum cap. 10. *sedes argumentorum, in quibus latent, & ex quibus sunt petenda.* Ex. gr. quia considerando contraria, coniugata &c. possumus inuenire propositiones vniuersales ad argumentandum, ideo contraria, coniugata, & alia huiusmodi vocantur loca. E conuerso locus ab Alexandro, & dialecticis sumitur pro ipsis propositionibus vniuersalibus, quæ latent in quibusdam sedibus, & quæ possunt assumi vt principia syllogismi dialectici. Ex. gr. quia considerando contraria, inuenio hanc propositionem vniuersalem, *quotiescunque vnum contrariorum dicitur multipliciter, etiam aliud dicitur multipliciter*, & hac propositione possum vti ad probandum, quod acutum dicitur multipliciter, ex eo, quod graue dicitur multipliciter, in alio enim sensu pondus dicitur graue, in alio vox dicitur grauis, ideo hæc propositio vniuersalis, *cum vnum contrariorum dicitur multipliciter, etiā aliud dicitur multipliciter*, à dialecticis dicitur locus. Locus igitur in hoc sensu ab Alexandro definitur *principium, & occasio syllogismi dialectici*.

10 Porro tales propositiones, quæ sunt principia syllogismi dialectici vocari solent maximæ, siue axiomata, & dignitates dialecticæ. Ex. gr. hæc propositio vniuersalis, *si vnum contrariorum dicitur multipliciter, etiam aliud dicitur multipliciter*, vocatur maxima, & dignitas dialectica. Sicut verò Rhetores differre videntur ab Aristotele in acceptione loci, sic videntur differre in doctrina de locis. Rhetores enim toti sunt in assignandis, & explicandis sedibus, in quibus latent argumenta, & maximæ, at non assignant, neque explicant maximas; Aristoteles è conuerso totus est in assignandis, atque explicandis maximis, seu principijs syllogismorum probabilium. Et quia multo facilius est assignatis maximis, ex ipsis conficere syllogismos probabiles, quā assignatis sedibus, in ipsis inuenire maximas, ideo multo conuenientius doctrinam de locis tradit Aristoteles in his libris topicorum, & in libris rhetoricorum, quam talem doctrinam tradiderint rhetores.

11 Ex his infertur, cur Aristoteles hos libros, in quibus tradit dialecticam, inscripserit *libros topicorum*, hoc est eorum, quæ sedent in locis. Ratio est, quia cum dialectica sit ars probabiliter syllogizandi de omni materia, non possimus autem syllogizare de omni materia, nisi sciamus quædam loca, & quasdam maximas, quæ sunt principia probabiliter syllogizandi, dialectica præcipuè debet versari in tradendis, & explicandis his locis, & maximis, atque adeo à præcipua sui parte dialectica dicitur topica, & hi libri, in quibus traditur dialectica, inscribuntur *libri Topicorum*.

12 Quoad tertium: hi libri, in quibus Aristoteles tradit dialecticam, siue artem disputandi, diuidi possunt in quatuor partes. In prima parte, quæ continetur duobus primis capitibus libri primi, ponit proœmium, in quo agit de scopo, vtilitatibus, & perfectione dialecticæ.

13 In secunda parte, quæ continetur capite 3. & sequentibus vsque ad decimum inclusiuè, agit de rationibus dialecticis, & earum partibus, ac materia. Et quia rationes dialecticæ sunt syllogismus, & inductio; syllogismus autem, & inductio constant ex propositionibus, & versantur circà problemata; propositiones, & problemata versantur circà quædam prædicata, tanquam circa propriam materiam; idcirco Aristoteles procedens ordine compositiuo, hoc est à partibus ad totum, cap. 3. docet materiam, seu prædicata, circà quæ versantur propositiones, & problemata dialectica esse genus, proprium, definitionem, & accidens; cap. 4. describit singula ex his, ac docet problema differentiæ reduci ad problema generis; problemata comparationum reduci ad problema accidentis; problemata, in quibus quæritur, *vtrum aliquid sit idem, an diuersum*, reduci ad problema definitionis; cap. 5. ostendit genus, accidens, & proprium quodammodo reduci ad definitionem, atque in definitione contineri; cap. 6. quia mentionem fecit *eiusdem*, &

Dd 2 di-

diuersi, explicat varios modos, quibus dicitur idem, & diuersum; cap. 7. probat omnem disputationem dialecticam versari circà aliquod, ex his quatuor prædicatis. Explicata materia, circà quam versantur propositiones, & problemata dialectica, cap. 8, & 9. explicat, quid sit propositio dialectica, & quid problema dialecticum, & quomodo differat à thesi; cap. demum 10. agit de duabus speciebus rationum dialecticarum, quæ sunt syllogismus, & inductio.

14 In tertia parte, quæ incipit à capite 11. libri primi, & protenditur vsque ad totum librum septimum inclusiuè, agit Aristoteles de inuentione rationum dialecticarum, ac tradit artem inueniendi tales rationes. Et primo quidem à cap. 11. libri primi, vsque ad decimum quartum, & vltimum eiusdem libri, tradit quatuor instrumenta generalia deseruientia ad rationes probabiles promiscuè pro omnibus quatuor generibus problematum, quæ instrumenta sunt, sumptio propositionum, ex quibus conficiuntur rationes; distinctio, qua explicatur, quot modis res dicatur; inuentio differentiarum, per quas res differunt inter se; & inuentio similitudinum, per quas res conueniunt: explicatis verò his quatuor instrumentis, & eorum vtilitatibus, concludit librum primum.


15 Libro secundo, & sequentibus vsque ad septimum inclusiuè tradit loca specialia, & speciales maximas ad conficiendas rationes constructiuas, ac destructiuas quatuor assignatorum problematum in particulari. Libro igitur secundo tradit maximas pro problematibus accidentis: libro tertio tradit loca, & maximas pro problematibus comparationum, quæ reducuntur ad problema accidentis, vt dictum est num. 13: libro quarto tradit maximas pro problematibus generis, ac differentiæ: libro quinto tradit maximas pro problematibus proprij: libro sexto tradit maximas pro problematibus definitionis: libro septimo tradit loca, & maximas pro problematibus eiusdem, ac diuersi, quæ reducuntur ad problema definitionis vt dictum est num. 13.

16 In quarta demum parte, quæ continetur libro 8. agit Aristoteles de dispositione disputationum dialecticarum: & quia disputatio dialectica fit interrogando, & respondendo, ideo tradit præcepta interrogandi, & respondendi, & per hæc concludit hos libros.

ARISTOTELIS TOPICORVM.

LIBER PRIMVS.

Quæ facultas sit tradenda; quid & quotuplex sit syllogismus. Caput Primum.

1  *ROPOSITVM quidem negotij, est methodum inuenire, per quam poterimus syllogizare de omni proposito problemate ex probabilibus, & ipsi disputationem sustinentes, nihil dicemus repugnans.*

2 *Primum igitur dicendum, quid est syllogismus, & quæ eius differentiæ: quomodo sumatur dialecticus syllogismus: hunc enim quærimus secundum propositũ negotiũ.*

3 *Est itaque syllogismus oratio, in qua positis quibusdam, aliquid aliud à positis ex necessitate accidit, per ea, quæ posita sunt. Demonstratio vero est, quando ex veris, & primis syllogismus erit, aut ex talibus, quæ per aliqua prima, & vera, eius, quæ circa ipsa est, cognitionis principium sumpserunt.*

4 *Dialecticus autem syllogismus est, qui ex probabilibus est collectus. Sunt autem vera, & prima, quæ non per alia, sed per*

seipsa fidem habent.

5 *Non enim oportet in disciplinaribus principijs inquirere propter quid, sed secundum vnumquodque principiorum ipsam per se esse fidem.*

6 *Probabilia autem sunt, quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus: & his vel omnibus, vel plurimis, vel maximè familiaribus, & probatis.*



VI tradit aliquam facultatem, ipso statim initio debet explicare, quam facultatem tradere intendat, quod sit eius subiectum, quæ vtilitates, & in quo consistat talis facultatis perfectio. Aristoteles igitur per duo prima capita procemialia hæc quatuor exponit, & capite primo explicat, quam facultatem tradere intendat, & quod sit eius subiectum.

1 Initio docet propositum sibi in hoc opere esse inuenire, & tradere methodum, siue artem, per quam possimus probabiliter argumentari de quocunque problemate, seu quæstione proposita, ac possimus ipsi defendendo probabiliter sustinere id, quod propugnandum susceperimus, nihil repugnans dicendo; sed hæc methodus, & ars est dialectica; ergo propositum Aristotelis in hoc opere est inuenire, ac tradere dialecticam.

2 Subiectum dialecticæ est id, circa quod versatur; sed dialectica versatur circa argumentationes probabiles, omnis autem argumentatio reducitur ad syllogismum, vt dictum est 2. Prior. cap. 29. & seq; ergo subiectum dialecticæ est syllogismus probabilis; sed initio artis debet explicari eius subiectum; ergo debet præmitti, quid & quotuplex sit syllogismus, vt syllogismus probabilis, qui est subiectum dialecticæ, distingui possit ab alijs syllogismis.

3 Syllogismus, vt dictum est libro primo Priorum, cap. 1. est *oratio, in qua quibusdam positis, aliud quid ab ijs, quæ posita fuerunt, necessario accidit, ob ea, quæ posita sunt.* Diuiditur in demonstratiuum, dialecticum, contentiosum, & paralogismum scientiarum proprium, qui solet etiam vocari syllogismus pseudographus. Demonstratio, quæ spectat ad scientias est *syllogismus constans ex præmissis veris, & primis, vel ex præmissis, quæ sint probatæ per vera, & prima*, vt dictum est libro primo posteriorum cap. 2.

4 Syllogismus dialecticus, qui est proprius huius facultatis, est, *qui concludit propositam conclusionem ex propositionibus, seu præmissis probabilibus.*

5 Vera, & prima, ex quibus constat demonstratio sunt, *quæ non per aliud, sed per se ipsa sunt manifesta, & credibilia*; siquidem de principijs scientiarum non debet quæri, quomodo probetur, quod sint vera, sed debent esse manifesta, & credibilia per se ipsa.

6 Probabilia, ex quibus constat syllogismus dialecticus, sunt, *quæ videntur vel omnibus, vel plerisque, vel sapientibus, atque his vel omnibus, vel plerisque, vel maximè notis, ac claris.*

7 *Litigiosus autem est syllogismus ex ijs, quæ videntur probabilia, non sunt autem. Et qui ex probabilibus quidem, aut ex ijs, quæ videntur probabilia, est apparens. Non enim omne, quod videtur probabile, est probabile. Nihil enim eorum, quæ dicuntur probabilia in superficie, habet omnino phantasiam, velut circa litigiosarum disputationum principia accidit se habere: statim enim, sæpius etiam eis, qui parua videre possunt, manifesta est in his falsitatis natura. Ergo prior quidem eorum, qui dicti sunt litigiosi syllogismi, etiam syllogismus dicatur: reliquus vero litigiosus quidem syllogismus, syllogismus autem non, eò quod videtur quidem ratiocinari, ratiocinatur autem minime.*

8 *Amplius autem præter omnes, qui dicti sunt, syllogismos, ex ijs, quæ sunt circa aliquas disciplinas peculiaria, fiunt paralogismi: quemadmodum in Geometria, & huic cognatis accidit se habere. Videtur autem hic modus differre à dictis syllogismis. Nam neque ex veris, & primis colligit falsigraphus, neque ex probabilibus: nam sub definitionem non cadit. Neque enim quæ omnibus videntur sumit, neque quæ pluribus, neque sapientibus, & his, neque omnibus, neque plurimis, neque probatissimis, sed ex peculiaribus quidem disciplinæ sumptis, non veris autem, syllogismum facit. Nam eò, quòd aut semicirculos describit, non vt oportet, aut lineas aliquas ducit, non vt ducendæ sunt, paralogismum facit falso scribens.*

9 *Species igitur syllogismorum, vt figuraliter sit complecti, sint quæ dictæ sunt. Summa-*

matim autem dicendo de omnibus prædictis, & de his, quæ postea sunt dicenda, intantum nobis determinatum sit: eò quòd de nullo eorum exactam rationem assignare deligimus, sed aliquantulum figuraliter de his volumus pertransire: omnino sufficient arbitrantes esse secundum propositam methodum, posse cognoscere, quomodo vnumquodque illorum se habet.

7 Syllogismus contentiosus, qui spectat ad sophisticam est, *qui constat ex præmissis, quæ videntur probabiles, nec tamen sunt probabiles, vel qui videtur syllogismus constans ex probabilibus, vel ex ijs, quæ videntur probabilia, nec tamen est syllogismus.* Ex hac definitione patet duplicem esse syllogismum contentiosum, seu sophisticum. Primus est, qui peccat non in forma, sed in sola materia, eo quod assumat præmissas, quæ videntur probabiles, cum verè non sint probabiles. Notat autem Aristoteles non quidquid videtur probabile verè esse probabile. Non enim sufficit ad probabilitatem, vt propositio habeat quandam speciem, & imaginem probabilitatis, sed requiritur vlterius, vt videatur vera plerisque, vel sapientibus, vt explicatum est; ideoque propositiones, quæ habent talem speciem probabilitatis, vt facile aduertatur earum falsitas, non videntur plerisque, nec sapientibus veræ, ac proinde non sunt probabiles. Propositiones igitur, quæ cum probabiles non sint, habent quandam speciem probabilitatis, sunt principia syllogismorum contentiosorum peccantium in materia. Secundus syllogismus contentiosus est, qui peccat in forma, adeoque videtur concludere, cum verè non concludat. Syllogismus contentiosus peccans in sola materia verè est syllogismus, cum conueniat illi definitio syllogismi, quæ est, vt sit *oratio, in qua ex præmissis sequitur necessario conclusio:* at syllogismus contentiosus peccans in forma verè non est syllogismus, siquidem ex præmissis conclusio non sequitur necessario.

8 Paralogismus scientiarum proprius, seu syllogismus pseudographus est, *qui constat ex præmissis scientiarum proprijs, nec veris, nec probabilibus,* eo quod propositiones, quas assumit, licet habeant quandam speciem probabilitatis, adhuc non videntur veræ plerisque, neque sapientibus, adeoque non conuenit illis definitio probabilis tradita num. 6. Ex. gr. si quis assumat, quod si diameter vnius circuli est dupla diametri alterius, etiam circulus est duplus circuli, & ex hoc principio argumentetur, construet syllogismum pseudographum in materia geometrica, quia procedit ex proprijs geometriæ. & assumit propositionem nec veram, nec probabilem, sed solum habentem quandam speciem probabilitatis. Dicuntur autem hi syllogismi *pseudographi*, quia accidit illos fieri præsertim in geometricis ex eo, quod semicirculi, lineæ, & figuræ malè describantur.

9 Concludit Aristoteles, quod sufficiat hæc dixisse de speciebus syllogismorum. Neque enim in dialectica debet de his, atque alijs similibus exactè disputari, sed sufficit de ijs superficialiter, ac typo, id est pingui, ac rudi Minerua agere.

De vtilitatibus, ac de perfectione Dialecticæ. Cap. II.

1 *Consequens autem est ex ijs, quæ dicta sunt, dicere ad quot, & quæ vtile sit hoc negotium. Est autem ad tria. Ad exercitationes, ad colloquia, ad eas, quæ secundum Philosophiam sunt, disciplinas.*

2 *Quòd igitur ad exercitationem sit vtile, ex his perspicuum est: methodum enim habentes, facile de proposito argumentari poterimus. Ad colloquia vero, eò quòd multorum annumerantes opiniones, non ex extraneis, sed ex proprijs doctrinis sermocinabimur ad eos transmutantes, quicquid non bene videntur nobis dicere. Ad secundum philosophiam autem disciplinas, quòd potentes ad vtraque dubitare, facile in singulis intuebimur verum & falsum. Præterea autem ad prima eorum, quæ in vnaquaque disciplina sunt principia. Nam ex proprijs secundum propositam disciplinam principijs, impossibile est dicere aliquid de ipsis, eo quòd prima principia sunt omnium: per ea verò, quæ sunt circa singula probabilia, necesse est de illis transigere. Id autem proprium, maximèue peculiare Dialecticæ est. Nam cùm sit inquisitiua, ad omnium methodorum principia viam habet.*

3 *Habebimus autem perfecte methodum, quando perinde habebimus ac in Rhetorica, & medicina, & huiusmodi facultatibus*

hoc autem ex ijs, quæ contingunt facere, quæ eligimus. Nam neque Rhetor omni ex modo persuadebit, neque Medicus sanabit: sed si ex ijs, quæ contingunt nihil omiserit, sufficienter eum disciplinam habere dicemus.

ARistoteles cap. 1. explicauit, quam facultatem tradere intendat, & quid sit syllogismus dialecticus, qui est subiectum talis facultatis: cap. 2. proponit dialecticæ vtilitates, & declarat, in quo consistat eius perfectio.

1 Dialectica est vtilis præsertim ad tria. Primo est vtilis ad exercitationem, hoc est ad disputationes, quæ exercitationis gratia fieri solent. Secundo est vtilis ad congressus, & colloquia, quæ in communi vita habentur. Tertio est vtilis ad scientias philosophicas.

2 Est quidem vtilis ad disputationes, quæ exercitationis gratia fieri solent, quia per ipsam habebimus methodum, & artem argumentandi de quocunque problemate proposito. Est vtilis ad congressus, & colloquia, quia cum per dialecticam sciamus, quæ opiniones receptæ sint à varijs sectis, poterimus ex proprijs, & admissis à qualibet secta, agere cum professoribus talium sectarum, ipsosque ex eorum principijs redarguere in ijs, quæ videbuntur non rectè dicere. Demum est vtilis ad scientias philosophicas ex duplici capite: primo, quia disputatio in vtramque partem disponit ad inueniendam, ac determinandam veritatem; sed per dialecticam habemus facultatem disputandi in vtramque partem; ergo per dialecticam disponimur ad inueniendam veritatem, ac demonstrationem, quæ causet scientiam quæstionis propositæ: secundo, quia prima principia scientiarum non possunt probari ex principijs talis scientiæ, cum sint prima, adeoque non dentur in scientia principia priora ipsis; ergo solum possunt ostendi probabiliter ex principijs dialecticis. Hoc autem munus probandi principia scientiarum est præcipuum, & maximè proprium Dialecticæ, quia cum sit indagatrix, & tradat artem inuentiuam, docet modum inueniendi, & venandi principia scientiarum philosophicarum.

3 Posset aliquis putare, quod ad hoc, vt aliquis perfectè fungatur munere dialectici, requiritur, vt persuadeat opinionem, quam intendit persuadere. Reijcit Aristoteles hunc errorem, ac docet, quod sicut ad hoc, vt quis perfectè fungatur munere medici, non requiritur, vt sanet ægrotum, sed sufficit si nihil omittat eorum, quæ possunt fieri ad sanandum ægrotum; sicut ad hoc, vt orator sit perfectus, & perfectè fungatur munere suo, non requiritur, vt persuadeat, sed sufficit, vt dicat aptè ad persuadendum, nihil omittens eorum, quæ possunt ad persuadendum conducere; sic vt quis sit perfectus dialecticus, & perfectè fungatur munere dialectici, non requiritur, vt persuadeat opinionem, pro qua disputat, sed sufficit, vt nihil omittat eorum, quæ conducere possunt ad reddendam illam probabilem, & persuasibilem.

Quot, & quæ sint prædicata, circa quæ versantur rationes, propositiones, & problemata dialectica. Cap. III.

1 *PRimum igitur considerandum ex quibus est methodus: si quidem sumpserimus ad quot, & quæ, & ex quibus orationes, & de quibus syllogismi, & quomodo his abundemus, habebimus sufficienter propositum.*

2 *Sunt autem numero æqualia, & eadem ea, ex quibus orationes, & de quibus syllogismi. Fiunt enim orationes ex propositionibus: de quibus autem syllogismi fiunt problemata sunt. Omnis autem propositio, & omne problema, aut proprium, aut genus, aut accidens indicat: etenim differentia, cùm sit generalis, cum genere ordinanda est. Quoniam autem proprium hoc quidem quid est esse significat, illud autem non significat, diuidatur proprium in vtrasque prædictas partes, & vocetur illud, quod quid erat esse significat, terminus: reliquum vero, secundum communem de ipsis assignatam nominationem, nuncupetur proprium. Manifestum igitur ex ijs, quæ dicta sunt, quod secundum præsentem diuisionem quatuor nomina accidit fieri, aut proprium, aut terminum, aut genus, aut accidens.*

3 *Nemo autem nos opinetur dicere, quòd vnumquodque horum secundum se dictum propositio, vel problema est, sed quòd ex his, & problemata, & propositiones fiunt.*

4 *Differunt autem problema, & propositio modo. Nam, cùm sic dicitur, putasne animal*

nial gressibile bipes, definitio est hominis, & iurasne animal genus est hominis? propositio fit. Si autem, vtrum animal gressibile bipes definitio est hominis, an non? problema fit. Similiter autem, & in alijs. Quare merito aqualia numero problemata, & propositiones sunt: nam ab omni propositione problema efficies mutans modum.

1 PRæmissa prima parte procemiali huius operis, per tres alias partes Aristoteles dialecticam tradit. Præmittit, quod quia vt dictum est cap. 1. dialectica est facultas probabiliter ratiocinandi, vt illam tradamus primò debemus agere de ipsis rationibus probabilibus, explicando ex quot, & quibus propositionibus constent; circa quot, & quæ problemata versentur; & quot, ac quæ sint prædicata, circa quæ, tanquam circa materiam, versantur propositiones, & problemata, adeoque rationes dialecticæ: secundo debemus tradere artem inueniendi rationes dialecticas, easque disponendi; his enim expeditis sufficienter erit tradita dialectica.

2 Rationes dialecticæ constant ex propositionibus, & versantur circa problemata. Propositiones, & problemata quærunt, vel declarant de subiecto aliquod prædicatum, adeoque versantur circa prædicata, tanquam circa propriam materiam, & diuersificantur secundum diuersitatem prædicatorum; ergo totidem sunt, & eadem sunt genera propositionum, & problematum desumpta ex generibus prædicatorum. Iam totidem sunt genera prædicatorum, quot sunt genera eorum, quæ per propositiones, & problemata quæruntur, aut declarantur de subiectis. Omnis autem propositio, & omne problema de subiecto declarat, aut genus, aut proprium, aut accidens. Nomine generis comprehendimus omnia prædicata quidditatiua vniuersaliora re; & quia differentiæ subalternæ sunt vniuersaliores re; ideo nomine generis comprehendimus etiam differentias subalternas, (de differentia infima Aristoteles hic non facit mentionem, quia cum sit ignota, non spectat ad dialecticam, sed ad metaphysicam). Proprium complectitur omnia prædicata conuertibilia cum subiecto: & quia ex prædicatis conuertibilibus quædam sunt quidditatiua, & declarant ipsam essentiam rei, quædam sunt extrà essentiam rei, ideo proprium complectitur definitionem, & id, quod simpliciter dicitur proprium, cum sit extrà essentiam rei. Accidens complectitur omnia prædicata, quæ neque sunt essentialia, neque conuertibilia. Quatuor igitur sunt genera prædicatorum, circa quæ versantur propositiones, & problemata, nimirum definitio, proprium, genus, & accidens, vt magis explicabitur, & probabitur cap. 7; ergo quatuor etiam sunt genera propositionum, ac problematum, quæ declarant hæc quatuor genera prædicatorum.

3 Addit Aristoteles, quod licet problemata, & propositiones constituantur ex dictis prædicatis, non tamen consistunt solum in talibus prædicatis, sed addunt subiectum: ex. gr. hoc problema, *vtrum homo sit animal rationale?* habet pro prædicatò definitionem, sed suprà definitionem addit ipsum subiectum definitum: hæc propositio, *homo est risibilis*, habet pro prædicato proprium, sed vltrà proprium addit hominem, qui est subiectum proprij. Supponit autem Aristoteles dialecticam versari circà res omnes, tanquam circa subiectum, ac solum explicat prædicata, quæ de rebus declarat per propositiones, & problemata.

4 Demum quia Aristoteles mentionem fecit propositionis, & problematis, explicat discrimen inter propositionem, & problema, ex eoque discrimine probat id, quod dictum est num. 2, quod totidem numero, & eadem sunt genera propositionum, & problematum. Propositio, ac problema conueniunt in prædicato, ac subiecto, ac differunt solum in forma, ac modo proferendi. Propositio enim interrogando sumit vnam solam partem contradictionis; problema interrogat de vtraque: ex. gr. propositiones sunt, per quas interrogatur, *nonne animal rationale est definitio hominis? nonne animal est genus hominis?* At problemata sunt, per quæ interrogatur, *animal rationale est ne definitio hominis, an non? animal est ne genus hominis, an non?* Cum igitur problema, ac propositio differant solum ex modo, ac forma proferendi, ac conueniant in materia, mutata forma, omnis propositio mutari potest in problema, & è conuerso, adeoque totidem numero, atque eadem sunt genera propositionum, ac problematum.

Quid

Quid sit definitio, proprium, genus, & accidens. Cap. IV.

1 *Dicendum autem, quid Terminus, quid Proprium, quid Genus, quid Accidens.*

2 *Est autem terminus quidem oratio quid erat esse significans. Assignatur autem aut oratio pro nomine, aut oratio pro oratione: possibile est enim, & eorum, quæ sub oratione significantur, quædam definiri. Quicunque autem quolibet modo nomine assignationem faciunt, manifestum, quoniam non assignant ij rei definitionem, eo quòd omnis definitio oratio quædam est.*

3 *Accommodatum tamen termino & huiusmodi ponendum est: vt quod honestum est decens. Similiter autem, & vtrum idem sensus, & disciplina, an diuersum? etenim circa definitiones, vtrum idem, an diuersum, plurima fit immoratio. Simpliciter autem accommodata termino omnia dicantur, quæ sub eadem disciplina cum definitionibus continentur. Quòd autem omnia quæ nunc dicta sunt, huiusmodi sunt, manifestum ex his. Potentes enim, quòd idem, & quòd diuersum disputare, eodem*
4 *modo, & * ad definitiones argumentari facile poterimus. Nam ostendentes, quòd non idem est, interimentes erimus definitionem. Non tamen conuertitur, quod nunc dictum est. Non enim sufficiens est ad astruendum definitionem ostendere idem esse: attamen ad destruendum, sufficiens est ostendere, quòd non idem est.*

1 Assignatis quatuor generibus prædicatorum, descendit Aristoteles ad singula explicanda, ac definienda.

2 Terminus, seu definitio est *oratio significans, quid res sit, siue explicans quidditatem, & essentiam rei*. Inter definitionem, ac definitum hæc est differentia, quod definitum & potest esse aliquid explicatum simplici nomine, & potest esse aliquid explicatum oratione: ex. gr. cum dicitur, quod *homo est animal rationale*, definitum est *homo*, qui explicatur simplici nomine; cum verò dicitur, quod *non moueri fortuitis est res aduersas fortis, & constanti animo, secundas vero æquo, & moderato animo ferre*, definitur aliquid explicatum hac oratione, quæ est, *non moueri casibus fortuitis*: definitio è conuerso non potest esse vnicum nomen, sed debet esse oratio composita ex pluribus nominibus explicantibus genus, & differentiam rei. Hinc infertur, quod qui explicant vnum nomen per aliud nomen clarius, ac notius, non definiunt: ex. gr. qui dicit, quod honestum est decens, adhuc non definit honestum.

3 Licet explicationes, per quas vnum nomen declaratur per aliud, non sint definitiones, adhuc reducuntur ad problema definitionis. Ad problema etiam definitionis reducuntur omnes quæstiones, quibus quæritur, *vtrum aliquid sit idem, an diuersum ab alio*? qualis ex. gr. est quæstio, qua quæritur, *vtrum sensus, & scientia sint idem, an diuersa*? Ratio est, quia ad problema definitionis reducuntur omnes quæstiones, quæ sunt examinandæ, vt statuatur, an aliqua sit definitio rei, vel non; sed inter alia, quæ debent examinari ad statuendum, an aliqua sit definitio rei, est, an sit idem, vel diuersum; definitio enim obiectiua debet esse idem cum definito; ergo quæstiones de eodem, ac diuerso reducuntur ad problema definitionis. Confirmatur, quia qui abundat argumentis ad probandum, quod aliquid sit idem, vel diuersum, abundat etiam argumentis ad probandum, quod aliquid sit definitio, vel non sit definitio: ergo quæstiones de eodem, ac diuerso reducuntur ad problema definitionis.

4 Aduertit Aristoteles, quod licet qui probat aliquid non esse idem, sed diuersum à re, eo ipso probet illud non esse definitionem rei, adeoque definitionem euertat, tamen non eo ipso, quod probat aliquid esse idem cum re, probat illud esse definitionem rei. Ratio est, quia ad definitionem non sufficit, vt sit idem cum re: nam gladius est idem cum ense, & tamen non est definitio ensis.

5 *Proprium autem est, quod non indicat quid est esse, soli autem inest, & conuersim prædicatur de re: vt proprium est hominis Grammatices esse susceptiuum. Nam si homo est, & Grammatices susceptibilis est: & si Grammatices susceptiuum est, & homo est. Nemo enim proprium dicit, quod contingit alij inesse, vt homini dormire, neque si forsitan per aliquod tempus inest soli. Si autem forte dicatur aliquid talium proprium non simpliciter, aliquando, vel ad aliquid dicetur: nam ex dextris quidem esse,*

esse, aliquando proprium est: bipes autem ad aliquid proprium est dictum, vt homini ad equum, & canem. Quod autem eorum, quæ contingunt alij inesse, nullum conuersim prædicatur, manifestum est: non enim necessarium est si quid dormit, hominem esse.

5 Proprium est, quod *non explicat quidditatem rei, sed soli inest, ac conuersim dicitur*: ex.gr. proprium hominis est *esse grammaticæ susceptiuum*, quia ex vna parte essentia hominis non est *esse susceptiuum grammaticæ*, sed *esse animal rationale*, ex alia parte *esse susceptiuum grammaticæ* conuenit soli homini, ac de homine dicitur conuertibiliter. Porrò quod ad proprium simpliciter requiratur, vt soli conueniat, patet, quia non dicitur esse proprium alicuius, quod est commune alijs, & potest alijs conuenire, etiamsi de facto non conueniat: ex. gr. quia dormire est commune omnibus animalibus, non dicitur hominis proprium, etiamsi contingat, vt de facto solus homo dormiat. Possunt tamen ea, quæ de possibili conueniunt etiam alijs, dici propria, non simpliciter, sed aliquando, vel relatè ad alia, quibus non possunt conuenire: ex. gr. potest dici, quod *dormire aliquando* est proprium hominis, quia aliquando solus homo dormit, & quod esse bipedem est proprium hominis relatè ad equum, qui non est bipes. Cæterum manifestum est, quod quæ possunt etiam alijs conuenire, non dicuntur ad conuertentiam. Licet enim valeat, *est homo; ergo aliquando dormit*; non valet *aliquando dormit; ergo est homo*.

6 *Genus autem est, quod de pluribus, & differentibus specie in eo, quod quid est prædicatur. In eo quòd quid prædicari ea dicuntur, quæcunque conuenit eum, qui interrogatus est, reddere quid est, quod propositum est: quemadmodum de homine conuenit eum, qui interrogatus est, quid id est, quod propositum est, dicere, quod animal.*

7 *Generi autem accommodatum est, vtrum in eodem genere aliud alij, an in altero sit? Nam & huiusmodi sub eandem methodum cadit cum genere. Disputantes enim, quod animal genus hominis, similiter & bouis, disputantes erimus, quoniam hæc in eodem sunt genere: si autem alterius quidem ostendamus, quod genus est, alterius autem, quod non est, disputantes erimus, quoniam non in eodem genere hæc sunt.*

6 Genus est, quod *prædicatur de pluribus differentibus specie in eo, quod quid est*. Dicuntur prædicari *in eo, quod quid est* ea, per quæ aptè respondetur ad quæstionem, qua quæritur *quid res sit?* ex. gr. quia ad quæstionem, qua quæritur, *quid est homo?* bene respondetur, *est animal*, dicitur *animal* prædicari de homine *in eo, quod quid est*.

7 Ad problema generis reducuntur etiam quæstiones, quibus quæritur, vtrum aliquid sit in eodem, vel in diuerso genere? Ratio est, quia ad problema generis reducuntur quæstiones, quæ soluuntur ijsdem argumentis, quibus soluitur quæstio generis; sed qui probat animal esse genus hominis, & bouis, probat etiam, quod homo, & bos sunt eiusdem generis; qui ostendit aliud esse genus hominis, aliud genus Angeli, ostendit hominem, & Angelum non esse eiusdem generis; ergo &c.

8 *Accidens autem est, quod nihil horum est, neque definitio, neque proprium, neque genus, inest autem rei. Et quod contingit inesse cuiuis vni, & eidem, & non inesse: vt sedere contingit inesse alicui eidem, & non inesse: similiter autem, & album: nam & idem nihil prohibet quandoque album, quandoque non album esse. Est autem accidentis definitionum secunda melior. Nam cùm dicitur prima, necessarium est, si debet quis intelligere, præscire quid est terminus, & genus, & proprium: secunda autem perfecta est ad cognoscendum, quid est, quod dicitur, per se.*

9 *Annectantur autem accidenti, & quæ ad se inuicem sunt comparationes quolibet modo ab accidente dictæ: vt vtrum honestum, an quod confert, expetibilius? & vtrum, quæ est secundum virtutem, an quæ secundum voluptatem suauior vita? & si quid aliud similiter his est dictum. In omnibus enim talibus vtri magis prædicatum accidit, quæstio fit.*

10 *Manifestum est autem ex his, quoniam accidens nihil prohibet, & quando, & ad aliquid proprium fieri: vt sedere cum sit accidens, quando quis solus sedet, tunc aliquando proprium erit: solo vero sedente, ad non sedentes proprium: quare & ad aliquid, & aliquando nihil prohibet accidens pro-*

proprium fieri, simpliciter autem proprium non erit.

8 Accidens est, *quod neque est definitio, neque proprium, neque genus, inest autem rei.* Potest etiam accidens definiri, *quod conuenit rei, & eidem potest inesse, & non inesse:* ex. gr. *sedere* est accidens, quia qui sedet, potest, non sedere; *esse album* est accidens, quia potest idem modo esse album, modo non esse album. Addit Aristoteles, quod hæc secunda definitio est melior, quam prima. Ratio est, quia cum prima definitio definiat accidens per hoc, quod neque sit definitio, neque proprium, neque genus, non potest intelligi, nisi sciatur, quid sint hæc: at secunda definitio est absoluta, adeoque per se sufficiens ad explicandum definitum.

9 Ad problema accidentis reducuntur etiam quæstiones, quibus fiunt comparationes ab accidente ductæ: ex. gr. quibus quæritur, *vtrum honestum, an vtile sit magis eligendum? vtrum iucundior sit vita secundum virtutem, an secundum voluptatem?* & aliæ similes. Ratio est, quia per has quæstiones quæritur, vtri magis accidat prædicatum?

10 Addit Aristoteles accidens simpliciter posse aliquando, & relatè esse proprium: ex. gr. licet *sedere* simpliciter sit accidens sedentis, tamen cum quis solus sedet, tum *sedere* est proprium illius. Rursus *sedere* est proprium sedentis relatè ad non sedentes. Non tamen potest accidens simpliciter esse simpliciter proprium.

Ostenditur cætera prædicata reduci ad definitionem. Cap. V.

1 NOn lateat autem nos, quoniam, quæ ad proprium, & genus, & accidens omnia dicuntur, & ad definitiones conueniet dici. Ostendentes enim, quoniam non ei soli inest, quod est sub definitione (quemadmodum & in proprio) aut quoniam non genus, quod assignatum est in definitione, aut quoniam non inest aliquid eorum, quæ in definitione dicta sunt, quod quidem, & in accidente dici potest, interimentes erimus definitionem. Quare secundum prius assignatam rationem omnia erunt quodam modo definitioni accommodanda, quæ numerata sunt.*

2 *Sed non propter hoc vnam in omnibus*
3 *vniuersalem methodum quærendum.* * *Neque enim facile inuenire hanc est: & si inueniatur, omnino obscura, & insuauis plane fuerit ad propositum negotium. Propria vero in vnoquoque terminatorum generum assignata methodo, facile ex ijs, quæ circa vnumquodque propria sunt, decursus propositi fieri possit. Quare vniuersaliter figura quidem, quemadmodum dictum est prius, diuidendum est: reliquorum autem ea, quæ maxime sunt singulis peculiaria, annectendum, definitioni, & generi accommodata ea nuncupantes. Penè autem adiuncta sunt, quæ dicta sunt ad singula.*

1 EXplicatis prædicatis, circa quæ versantur propositiones, & problemata, ostendit Aristoteles argumenta, quibus vtimur ad cætera problemata de genere, proprio, & accidente, posse etiam applicari problemati definitionis. Probatur: nam primo argumentis ad euertendum proprium desumptis ex eo, quod prædicatum non conueniat soli, possumus etiam vti ad euertendam definitionem, cum etiam definitio debeat conuenire soli. Secundo argumentis generis, quibus probamus aliquod prædicatum non esse genus, euertimus etiam definitionem, quæ debet constare ex genere, & differentia. Tertio argumentis accidentis, quibus probamus aliquod prædicatum non conuenire subiecto, adeoque euertimus accidens, possumus etiam euertere definitionem, quæ debet conuenire subiecto; ergo vniuersim omnia argumenta, quibus vtimur ad cætera problemata, possunt etiam referri ad definitionem; sed ex dictis capite 4, num. 3. omnia, quæ possunt ad definitionem referri aliquo pacto sunt definitiua; ergo omnia problemata aliquo pacto sunt definitiua.

2 Hinc posset aliquis vlterius inferre, quod quandoquidem cætera problemata referri possunt ad definitionem, sufficeret tradere artem communem inueniendi argumenta, adeoque non oportet diuidere quatuor genera problematum, ac singillatim tradere artem inueniendi rationes vnicuique generi accommodatas.

3 Respondet Aristoteles, quod hæc ars communis non est facilis inuentu, & inuenta esset obscura, ac parum vtilis. E conuerso

uerso si distinguantur problemata, & tradatur ars inueniendi rationes vnicuique problematum generi accommodatas, facile erit ex ijs, quæ sunt propria vniuscuiusque generis, de re proposita disputare, ac facile etiam erit argumenta aliorum generum ad definitionem transferre. Sunt igitur diuidenda problemata diuisione quadam non omninò exacta, ac tradenda est ars inueniendi argumenta pro singulis generibus; quæ verò sunt vnicuique generi affinia, reducenda sunt ad illud genus: ex. gr. quæstiones de eodem, ac diuerso, reducendæ sunt ad problema definitionis, ac dicendæ sunt definitiuæ; quæstiones, an aliqua sint in eodem, vel in diuerso genere, reducendæ sunt ad genus, ac dicendæ sunt genericæ; idemque dic de alijs.

De modis, quibus dicitur idem. Cap. VI.

1 *PRimum autem omnium de eodem de-*
2 *terminandum, quoties dicitur.* * *Videbitur autem idem, vt figuraliter sit sumere, tripliciter diuidi. Numero enim, aut specie, aut genere idem solemus appellare. Numero quidem, quorum nomina plura, res autem vna: vt indumentum, & vestis. Specie autem, quæ cum sint plura, indifferentia sunt secundum speciem: vt homo homini, equus equo: nam huiusmodi specie dicuntur eadem, quæcunque sub eadem specie sunt. Similiter autem, & genere eadem, quæcunque sub eodem genere sunt: vt equus homini.*

3 *Videbitur autem ab eodem fonte aqua, quæ eadem dicitur, habere aliquam differentiam præter dictos modos. Non tamen, sed & huiusmodi in eodem ordinetur ijs, quæ secundum vnam speciem quoquomodo dicta sunt. Omnia enim talia cognata, & affinia sibi inuicem videntur esse. Nam omnis aqua omni aquæ eadem specie dicitur, eo quòd habeat quandam similitudinem: ab eodem autem fonte aqua, quæ eadem dicitur, nullo alio differt, quam eo, quòd vehementior sit similitudo. Quare non separamus idem ab ijs, quæ secundum vnam speciem quoquomodo dicuntur.*

1 QVia Aristoteles cap. 4. num. 3. docuit ad problema de definitione reduci quæstionem, an aliquid sit idem, vel diuersum, explicat, quot modis dicatur idem. Primo igitur distinguit, atque explicat tres modos, quibus aliquid dicitur idem numero, vel specie, vel genere: secundo proponit, ac soluit quandam dubitationem, per quam videtur, quod aliqua sint idem quarto genere identitatis: tertio demum comparans inter se modos, quibus dicitur idem, ostendit, quod idem numero maximè est idem, ac subdistinguit tres modos, quibus dicitur idem numero.

2 Quoad primum: considerando idem non omninò exactè, sed quantum spectat ad dialecticam, videtur, quod dicatur tripliciter, hoc est idem numero, specie, ac genere. Idem numero est, *cum nomina sunt plura, res autem vna*: ex. gr. indumentum, & vestimentum sunt idem numero, quia sunt vna omninò res significata duobus nominibus. Specie idem sunt, *quæ cum sint plura, non differunt specie*: ex. gr. duo homines sunt vnum in specie, quia continentur in eadem specie hominis; duo equi sunt vnum in specie, quia continentur in eadem specie equi. Eadem genere sunt, quæ *sub eodem sunt genere*: ex. gr. equus, & homo, quia continentur in genere animalis sunt idem genere.

3 Quoad secundum: videtur, quod aqua ex eodem fonte sit eadem, & tamen non sit eadem vllo ex tribus modis allatis, adeoque detur quartus modus eiusdem. Dicendum tamen, quod aqua ex eodem fonte est eadem secundo modo, adeoque est eadem specie. Ea enim dicuntur eadem specie, quæ habent quandam congeneitatem, & similitudinem in natura; & quia omnes aquæ habent quandam congeneitatem, & similitudinem in natura, ideo omnes aquæ sunt eiusdem speciei; sed aqua ex eodem fonte nihil aliud addit supra cæteras aquas, quam maiorem quandam congeneitatem, ac similitudinem in natura; ergo aqua ex eodem fonte dicitur eadem, non alia identitate, quam specifica.

4 *Maxime autem indubitanter, quod vnũ est numero, idem ab omnibus videtur dici. Solet autem & hoc assignari multipliciter. Propriissime autem, & primo, quando nomine, vel termino idem assignatum fuerit: vt vestis indumento, & animal gressibile bipes, homini. Secundum autem, quando proprio: vt disciplinæ susceptibile, homini, & quod natura sursum fertur, igni.*

Ter-

Tertium vero, quando ab accidente: vt sedens, vel musicum Socrati: omnia enim hæc vnum numero volunt significare. Quod autem verum sit, quod nunc dictum est, ex transumentibus nuncupationes maximè quis discat. Sæpe enim præcipientes nomine vocare aliquem sedentium, transumimus, quando fortè is non intelligit, cui præceptum facimus, tanquam ab accidente ipso magis intelligente, & iubemus sedentem, vel disputantem vocare ad nos, manifestum, quòd vt eundem opinantes, & secundum nomen, et secundum accidens significare. Ergo idem quemadmodum dictum est, tripliciter diuidatur.

4 Quoad tertium: quod est idem numero maximè ab omnibus censetur idem. Verum idem numero dicitur tripliciter. Primo, & proprijssimè dicitur idem numero, *cum eadem res significatur diuersis nominibus, vel nomine, ac definitione*: ex. gr. indumentum, & vestimentum dicitur idem numero, quia sunt eadem res significata duobus nominibus; similiter homo, & animal rationale sunt idem numero, quia sunt eadem res significata nomine, & definitione. Secundo idem numero sunt res, & propriũ rei: ex. gr. idem numero est homo, ac disciplinæ susceptiuum, quod est proprium hominis, idem numero est ignis, & *quod fertur sursum*, quod est proprium ignis. Tertio idem numero sunt res, & accidens rei: ex. gr. Socrates, qui est sedens, & musicus sunt idem numero. Quod autem nomen accidentis, ac nomen rei habeant vim significandi idem numero, patet: nam sæpe cum quis non percipit nomen rei, ad hoc, vt percipiat, subrogatur nomen accidentis: ex. gr. si Socrates sedeat cum pluribus alijs, & quis dicat seruo, *voca Socratem*, si seruus non percipiat, dicitur, *voca sedentem, vel disputantem tali loco, & ordine*.

Ostenditur omnem disputationem dialecticam versari circa illa quatuor prædicata, & explicatur diuisio prædicamentorum. Cap. VII.

1 *QVoniam autem ex prius dictis sunt orationes, & per hæc, & ad hæc, vna*

2 *quidem fides est per inductionem. * Si enim quis consideret vnamquanque propositionum, & problematum, apparebit aut à termino, aut à proprio, aut à genere, aut ab accidente facta.*

3 *Alia autem fides per syllogismum. Necesse est enim omne, quod de aliquo prædicatur, aut conuersim de re prædicari, aut non: & si conuersim prædicatur, terminus erit, vel proprium. Nam si significat quid est esse, est terminus: si autem non significet, proprium: hoc enim erat proprium, quod conuersim prædicatur, non significans quid est esse. Si autem non conuersim prædicatur de re, aut ex ijs, quæ in definitione subiecti dicuntur, est, aut non: & si est ex ijs, quæ in definitione dicuntur, genus, aut differentia erit, eo quòd definitio ex genere, & differentijs est: si vero ex ijs non est, quæ in definitione dicuntur, palam est, quoniam accidens erit: nam accidens dicebatur, quod neque terminus, neque genus, neque proprium, inest autem rei.*

1 QVia Aristoteles docuit quidem cap. 3. materiam, circà quam versantur disputationes dialecticæ esse definitionem, genus, proprium, & accidens, sed id satis non probauit, ideo id ipsum hoc loco confirmat inductione, & ratione, siue syllogismo.

2 Probat igitur primo inductione. Si quis enim consideret singulas propositiones, ex quibus conficiuntur syllogismi dialectici, & singula problemata, circà quæ versantur, videbit, quod prædicatum ipsorum, vel reducitur ad definitionem, vel ad proprium, vel ad genus, vel ad accidens.

3 Secundo probat id ipsum syllogismo. Omne enim prædicatum, vel conuertitur cum subiecto, vel non conuertitur: si conuertitur, vel significat quidditatem, & est definitio; vel non significat quidditatem, & est proprium. Si non conuertitur, vel spectat ad definitionem subiecti, & est vel genus, vel differentia, siquidem definitio constat solum ex genere, ac differentia; vel non spectat ad definitionem subiecti, & est accidens, siquidem accidens est, quod *neque est definitio, neque proprium, neque genus, inest autem rei*.

4 *Post hæc autem oportet determinare genera prædicamentorum, in quibus sunt dictæ*

dictæ quatuor differentiæ. Sunt hæc autem numero decem: quid est, quantum, quale, ad aliquid, vbi, quando, situm esse, habere, agere, pati. Semper enim accidens, & genus, & proprium, & definitio in vno prædicamentorum horum erit: nam omnes ab his propositiones, aut quid est, aut quale est, aut quantum, aut aliorum aliquod prædicamentorum significant.

5 *Manifestum est autem ex eisdem, quoniam quòd quid est significans quandoque quidem substantiam significat, quandoque autem quale, quandoque vero aliquod aliorum prædicamentorum. Nam quando posito homine dixerit, quòd positum est hominem esse, vel animal, & quid est dicit, & significat substantiam. Quando colore albo posito dixerit, quòd positum est album esse vel colorem, quid est dicit, & quale significat. Similiter autem, & si cubitali magnitudine posita dixerit, quòd positum est cubitalem esse magnitudinem, & quid est dicit, & quantum significat. Similiter autem, & in alijs. Vnumquodque enim talium, siue idem de eodem dicatur, siue genus de hoc, quid est significat: quando autem de alio, non quid est significat, sed quantum, aut quale, aut aliquod aliorum prædicamentorum.*

6 *Quare de quibus sunt disputationes, & ex quibus, hæc, & tot sunt. Quo modo autem sumemus, & per quæ copiosi erimus, post hæc dicendum.*

4 Quia quatuor prædicata, circà quæ versantur disputationes dialecticæ, semper sunt in aliqua categoria, explicat Aristoteles genera categoriarum, seu prædicamentorum. Sunt igitur decem prædicamenta, seu categoriæ; *quid est*; *quantum*; *quale*; *ad aliquid*; *vbi*, *quando*; *situm esse*; *habere*; *agere*; *pati*. Omnes igitur propositiones, & omnia problemata sumunt prædicatum ex aliqua categoria, & significant vel *quid* res sit, vel *quanta* sit, vel *qualis* sit &c.

5 Porro *quid est*, definitio nimirum, & omnia prædicata essentialia, non solum dicuntur de substantia, sed etiam de qualitate, quantitate, & alijs prædicamentis. Patet: si enim quis de homine dicat, quod est animal, & explicat quid sit homo, & significat substantiam: si verò de albedine dicat, quod est color, & explicat, quid sit albedo, & explicat quale: si dicat, quod cubitus est magnitudo, & explicat, quid sit cubitus, & significat quantum, idemque dic de alijs prædicamentis; ergo vniuersim, quid sit res, dici potest de rebus omnium prædicamentorum. Cum enim prædicata desumpta ex qualibet categoria dicuntur de se ipsis, vt de subiecto, ex. gr. cum definitio dicitur de definito in hac propositione, *albedo est color disgregans visum*, vel cum de ipsis dicitur genus, vt in hac propositione, *albedo est color*, significatur de subiecto *quid sit*. Cum verò prædicatum vnius prædicamenti dicitur de subiecto alterius prædicamenti, tum non significatur, *quid subiectum sit*, sed *quale*, vel *quantum sit*. Ex. gr. cum album dicitur de homine, significatur qualis sit homo; cum de homine dicitur tricubitus, significatur quantus sit homo, idemque dic de reliquis.

6 Concludit Aristoteles, quod cum hactenus sit explicatum circa quæ prædicata versentur rationes, ac syllogismi dialectici, explicandum est, quo pacto possimus inuenire talia prædicata, & ex ipsis conficere rationes dialecticas: sed præmittendum est, quid sit propositio dialectica, & problema dialecticum.

Quid sit propositio dialectica. Caput VIII.

1 *PRimum igitur determinetur, quid est propositio dialectica, & quid problema dialecticum. Non enim omnem propositionem, nec omne problema, dialecticum ponendum. Nullus enim offeret, qui mentem habeat, quod nulli videtur: nec proponet, quod omnibus est manifestum, vel plurimis: nam hæc quidem non habent dubitationem: illa autem nemo ponet. Est autem propositio dialectica, interrogatio probabilis, aut omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, & his vel omnibus, vel plurimis, vel maxime familiaribus, non inopinabilis. Ponet enim aliquis, quod videtur sapientibus, nisi id contrarium sit multorum opinionibus.*

1 HActenus Aristoteles egit de prædicatis, ex quibus componuntur, & circa quæ versantur propositiones, & problemata dialectica: descendit iam ad agendum de ipsa propositione, ac problemate dialectico. Præmittit non omnem propositionem, nec omne problema esse dialecticum.

eum. Nemo enim sanæ mentis sumet vt principium, & propositionem probabilem aliquid, quod nemini videtur verum, ex. gr. quod astra sunt paria: nemo rursus proponet vt quæstionem disputabilem in vtramque partem aliquid, quod omnibus videtur verum; siquidem quæ omnibus videntur vera non sunt dubia, adeoque non debent proponi vt quæstiones; quæ autem nemini videntur vera nō admittuntur, adeoque non debent proponi vt propositiones, & principia. Est igitur propositio dialectica, *interrogatio probabilis, aut omnibus, aut plerisque, aut sapientibus, atque his aut omnibus, aut plerisque, aut clarissimis, à communi opinione non abhorrens.* Ratio est, quia propositio dialectica est propositio, quæ est apta, vt ex concessione eius, cum quo disputatur, sumatur tanquam principium; sed quod videtur sapientibus, & non abhorret à communi opinione, facile conceditur ab eo, cum quo disputatur, adeoque assumi potest vt principium; ergo quod videtur sapientibus, & non abhorret à communi opinione est propositio dialectica. Si verò aliquid videatur multis sapientibus, sed abhorreat à communi opinione, non facile concedetur, ideoque non est propositio dialectica: ex. gr. licet Pythagoricis, qui erant sapientissimi, videretur vera transmigratio animarum, quia tamen talis transmigratio abhorret à communi opinione, non potest sumi vt propositio dialectica.

2 *Sunt autem propositiones dialecticæ, & ea, quæ probabilibus sunt similia, & contraria ijs, quæ videntur esse probabilia secundum contradictionem protensa, & quæcunque opiniones sunt secundum artes inuentas.*

3 *Si enim probabile est eamdem esse contrariorum disciplinam, & sensum eundem esse contrariorum probabile apparebit: & si vnam numero Grammaticem esse, & Tibicinariam vnam: si autem plures Grammaticas, & plures Tibicinarias. Omnia enim similia, & cognata hæc videntur esse.*

4 *Similiter autem & ea, quæ probabilibus sunt contraria secundum contradictionem protensa, probabilia videntur. Si enim probabile est, quod oportet amicis benefacere, & quòd non oportet amicis malefacere, probabile est: est autem contrarium quidem, quòd oportet malefacere amicis, secundum contradictionem autem, quòd non oportet amicis malefacere. Similiter autem, & si oportet amicis benefacere, inimicis non oportet: est autem, & hoc secundum contradictionem contrarium: nam contrarium est, quod oportet inimicis benefacere. Similiter autem & in alijs. Probabile autem & in similitudine apparet etiam contrarium de contrario: vt si oportet amicis benefacere, & inimicis oportet male: apparebit & contrarium hoc, quod est amicis benefacere, ei quod inimicis male. Vtrum autem secundum veritatem se habeat, an non, in ijs, quæ de contrario dicentur, ostendetur.*

5 *Palam autem, quoniam & quæcunque opiniones secundum artes sunt, dialecticæ propositiones sunt. Ponet enim aliquis ea, quæ videntur ijs, qui in eis probati sunt: vt de his quidem, quæ in geometria, vt Geometer, de illis autem, quæ in Medicina, vt Medicus.*

2 Proponit deinde Aristoteles, atque explicat alia tria genera propositionum dialecticarum. Primum genus complectitur propositiones, per quas enunciatur aliquid simile ei, quod iudicatur probabile. Secundum genus continet propositiones, per quas per contradictionem enunciatur aliquid contrarium ei, quod iudicatur probabile. Tertium genus continet propositiones, per quas aliquid enunciatur secundum opinionem peritorum in arte.

3 Explicatur: primo enim si probabile est eamdem esse contrariorum disciplinam, probabile etiam videtur, quod idem sit sensus contrariorum: hoc enim videtur simile illi. Rursus si probabile est grammaticam esse artem vnam, probabile est etiam, tibicinariam esse artem vnam; si autem probabile est grammaticas esse plures, probabile est etiam esse plures tibicinarias.

4 Secundo si probabile est oportere de amicis benemereri; huic autem est contrarium, *de amicis malè mereri*, proposita contradictione, probabile erit *non oportere de amicis malè mereri*. Rursus quia huic, quod est, *benemereri de amicis*, videtur contrarium, *benemereri de inimicis*, videtur probabile, quod non oportet de inimicis benemereri. Idem dic de alijs. Videtur item probabile contrarium comparatione contrarij: ex. gr. amicis contrarij sunt inimici, & *benemereri* contrarium est *malemereri*; ergo videtur, quod si oportet de amicis

amicis benemereri, oporteat etiam de inimicis malè mereri. Vtrum autem hæc vera sint, explicabitur inferius, cum agetur de locis contrariorum.

5 Tertio sicut est probabile, quod videtur sapientibus, ita est probabile, quod videtur peritis in vnaquaque arte. Vnusquisque enim facile concedet, quod standum est peritis in arte, adeoque quod circa medicinalia sentiendum est, sicut medici sentiunt, circa geometrica sentiendum est cum geometris, idemque dic de alijs.

Quid sit problema dialecticum, & Thesis. Cap. IX.

1 *Problema autem dialecticum est speculatio intendens vel ad electionem, & fugam, vel ad veritatem & scientiam, aut per se, aut vt adminiculans ad aliquid aliud talium, de quo aut neutro modo opinantur, aut contrarie plerique sapientibus, aut sapientes plerisque, aut vtrisque ijdem eisdem.*

2 *Quædam enim problematum vtile est scire tantum ad eligendum, vel fugiendum, vt vtrum voluptas sit eligenda, an non? Quædam autem ad sciendum tantum, vt vtrum mundus æternus sit, an non? Quædam verò ipsa per se quidem ad neutrum horum, adminiculantia autem sunt ad aliqua talium. Pleraque enim ipsa quidem per se non volumus cognoscere, sed aliorum gratia, vt per illa aliud quippiam cognoscamus.*

3 *Sunt autem problemata & de quibus*
4 *contrarij sunt syllogismi.* * *Dubitationem enim habent vtrum sic se habent, an non sic, eò quòd de vtrisque sunt rationes suasibiles. Et de quibus rationem non habemus, cùm sint magna, difficile arbitrantes esse propter quid assignare: vt vtrum mundus sit æternus, an non: nam huiusmodi quæret aliquis. Problemata ergo, & propositiones (vt dictum est) determinata sint.*

Sicut Aristoteles egit de propositione dialectica, sic agit de problemate dialectico, ac de thesi, quæ est quædam species problematis.

1 Definit Aristoteles problema definitione diuisiua, qua simul explicat varias problematum species. Problema est *aliquid contemplationi, & disquisitioni propositum, spectans vel ad electionem, & fugam; vel ad veritatem, & cognitionem, vel per se, vel quia adiumentum affert ad aliquid aliud, de quo aut nulla est opinio, aut contraria est opinio vulgi, ac sapientum, aut contrariæ sunt opiniones vulgi, aut contrariæ sunt opiniones sapientum.*

2 In hac definitione continentur duæ diuisiones problematis. Primo diuiditur problema in speculatiuum, & practicum. Practicum est, *cuius cognitio est vtilis ad electionem, vel fugam*: ex. gr. hoc problema, quo quæritur, *vtrum voluptas sit bonum?* est practicum, quia eius cognitio conducit ad electionem, vel fugam voluptatis. Speculatiuum est, *cuius cognitio est solum expetibilis gratia scientiæ*: ex. gr. hoc problema, *an mundus fuerit ab æterno?* est speculatiuum, quia eius cognitio est expetibilis gratia solius scientiæ. Problema tum speculatiuum, tum practicum potest subdiuidi in problema, quod per se expetimus scire, cuiusmodi sunt duo iam proposita, & quod expetimus scire non propter se, sed quia ordinatur ad sciendum aliquid aliud, quod per se expetimus scire.

3 Secunda diuisio problematis est: aliqua sunt problemata, de quibus nulla est opinio; aliqua, de quibus contrariæ sunt opiniones vulgi, ac sapientum; aliqua, de quibus contrariæ sunt opiniones vulgi; aliqua, de quibus contrariæ sunt opiniones sapientum.

4 Subijcit Aristoteles tertiam diuisionem: aliqua enim sunt problemata vtrinque dubitabilia, quia sunt rationes, ac syllogismi contrarij in vtramque partem; aliqua sunt problemata magna, & ardua, de quibus difficile affertur ratio in alterutram partem, quale est problema, *an mundus fuerit ab æterno?* Quod autem hæc omnia enumerata sint problemata, probat Aristoteles ex alia definitione problematis. Problema enim est, *quod potest proponi ad quærendum*; sed hæc omnia possunt *proponi ad quærendum*; ergo &c.

5 *Positio est opinio admirabilis alicuius familiarium secundum philosophiam: vt quòd non est contradicere, quemadmodum dixit Antisthenes: & quòd omnia mouentur secundum Heraclitum: aut quòd vnum est ens, quemadmodum Melissus dixit (nam de quouis contraria opinionibus proferen-*
6 *te, curam habere stultum est),* * *aut de*

quibus

quibus orationem habemus contrariam opinionibus: vt quoniam non omne, quod est, vel factum est, vel æternum, quemadmodum sophistæ dicunt. Nam musicum grammaticum esse neque factum, neque esse æternum. Hoc enim, & si alicui non videatur, videbitur vtique, eo quòd rationem habeat suasibilem.

7 *Est igitur, & positio quidem problema, non autem omne problema positio, eo quòd quædam problematum talia sunt, de quibus neutro modo opinamur. Quod autem est & positio problema, manifestum est. Necesse est enim ex ijs, quæ dicta sunt aut plures sapientibus circa positionem dubitare, aut vtroslibet sibimet, eo quòd opinio quædam admiranda positio est.*

8 *Penè autem nunc omnia dialectica problemata positiones vocantur. Differat autem nihil quomodolibet dictum: non enim nomen effingere volentes diuisimus sic ea, sed vt non lateant nos, cum quædam eorum sunt differentiæ.*

5 Thesis est *sententia communi opinioni contraria, innixa vel auctoritate, alicuius nobilis Philosophi, vel ratione.* Duplex ergo est thesis. Prima est *sententia paradoxica innixa auctoritate alicuius nobilis Philosophi:* ex. gr. quod non possit contradici, vt dicebat Antisthenes, vel quod omnia mouentur, vt dicebat Heraclitus, vel quod omnia sunt vnum, vt dicebat Melissus. Requiritur ad thesim, vt nitatur auctoritate alicuius clari Philosophi. Nam thesis debet posse in disputationem vocari; est autem dementia in disputationem vocare sententias cuiusque contrarias opinionibus communibus; ergo non sufficit ad thesim vt sit sententia cuiusque, sed debet esse sententia alicuius clari philosophi.

6 Secunda thesis est *sententia contraria opinioni communi nixa ratione apparenti:* ex. gr. communis opinio est, quod quodlibet vel fuit ab æterno, vel est factum. Sophistæ probant aliqua dari, quæ neque sint ab æterno, neque sint facta tali ratione. Musicus est grammaticus; sed musicus neque ab æterno fuit grammaticus, neque factus est grammaticus; ergo &c. probant minorem: nam si musicus factus esset grammaticus, musicus esset subiectum grammatici; sed musicum non est subiectum grammatici, nam vnum accidens non est subiectum alterius; ergo &c. Quod igitur detur aliquid, quod neque fuerit ab æterno, neque sit factum, potest esse thesis, quia licet nullius sit opinio, suadetur tamen ratione allata.

7 Ex dictis infertur thesim esse speciem problematis. Probatur: omnis thesis est problema, non omne problema est thesis; ergo &c. Probatur secunda pars antecedentis, quod nimirum non omne problema sit thesis: dantur enim problemata, de quibus in neutram partem opinamur; sed hæc non sunt theses, quæ debent esse opiniones paradoxæ; ergo &c. Probatur prima pars antecedentis, quod omnis thesis, seu positio sit problema: vt enim dictum est num. 2. *problema est aliquid contemplationi propositum, circa quod aut nulla est opinio, aut contrariæ sunt opiniones vulgi, & sapientum &c;* sed thesis eo ipso, quod est opinio paradoxica, est talis, vt circa illam contrariæ sint opiniones; ergo thesis, seu positio comprehenditur in problemate.

8 Aduertit tamen Aristoteles, quod licet thesis, ac problema differant modo explicato, adhuc iam ex vsu loquentium confunditur thesis cum problemate, adeoque omnia problemata dialectica vocantur theses. Adhuc tamen placuit notare discrimen inter thesim, & problema, non vt nouas nominum significationes effingentes, à communi loquendi modo recedamus, sed ne lateat tale discrimen.

9 *Non oportet autem omne problema, nec omnem positionem considerare, sed quam dubitabit aliquis eorum, qui ratione egent, & non pœna, vel sensu. Nam qui dubitant vtrum oporteat Deos honorare, & parentes diligere, an non, pœna indigent: qui vero vtrum nix alba, an non, sensu. Neque vero quorum propinqua est demonstratio, neque quorum valde longe: nam illa quidem non habent dubitationem, hæc autem magis quam secundum facultatem exercitatiuam.*

9 Non quodlibet problema, neque quælibet thesis vocanda est in disputationem dialecticam, sed illæ solæ, de quibus dubitantes indigent ratione, per quam de veritate instruantur, non autem illæ, de quibus dubitantes indigent pœna, vel sensu: ex. gr. non est disputandum, *vtrum oporteat Deos honorare, vel parentes diligere?* quia de his dubitantes, quæ sunt omnibus à natu-

& natura insita, pœna sunt coercendi: rursus non est disputandum, *an nix sit alba?* quia de hoc dubitantes indigent sensu, cum videantur cæci. Rursus non sunt vocanda in disputationem dialecticam ea, quorum propinqua, & obuia est demonstratio, neque quorum probatio est longissimè petita, sed quæ medio modo se habent. Ratio est, quia quæ vocantur in disputationem dialecticam debent esse dubitabilia in vtramque partem, ac debent posse probari ratione dialectica; sed ea, quorum propinqua, & obuia est demonstratio, non sunt dubitabilia in vtramque partem; ea verò, quæ non possunt probari, nisi per rationes longissimè petitas, cum tales rationes non sint dialecticæ, non possunt probari ratione dialectica; ergo &c.

De duabus speciebus differendi, quæ sunt inductio, & syllogismus. Cap. X.

1 *DEterminatis autem his oportet diuidere, quot dialecticarum disputationum sunt species.*

2 *Est autem inductio quidem hæc, illa autem syllogismus. Et syllogismus quidem quid est, dictum est prius. Inductio verò est à singularibus ad vniuersalia accessio: vt si est gubernator eruditus, optimus, & auriga: & omnis, qui est eruditus in vnoquoque, optimus.*

3 *Est autem inductio verisimilior, & clarior, & secundum sensum notior, & pluribus communis: syllogismus autem valentior, et ad contradicentes efficacior. Ergo genera, de quibus disputationes, & ex quibus, quemadmodum ante dictum est, determinata sint.*

1 EXplicatis propositionibus, ex quibus fiunt, ac problematibus, circa quæ versantur rationes dialecticæ, explicat Aristoteles species ipsas rationum dialecticarum, easque comparat inter se.

2 Duæ sunt species dialecticarum ratiocinationum, inductio nimirum, & syllogismus. Quid sit syllogismus, explicatum est cap. 2. ideoque nihil est addendum. Inductio est *argumentatio, per quam à singularibus procedimus ad vniuersale*. Ex. gr. inductio est, quia sic argumentamur: qui est eruditus in arte gubernandi nauim, est optimus gubernator nauis; qui est eruditus in arte regendi currum, est optimus auriga &c. ergo vniuersim qui in vnoquoque genere est eruditus, est optimus in eo genere.

3 Inductio, & syllogismus se habent sicut excedens, & excessum. Inductio enim est facilior, clarior, & secundum sensum notior, ideoque pluribus communis, atque accommodatior multitudini: at syllogismus est validior, & efficacior ad redarguendos eos, qui contradicunt.

De quatuor instrumentis, quæ suppeditant copiam rationum dialecticarum. Cap. XI.

1 *INstrumenta autem, per quæ abundemus syllogismis, sunt quatuor. Vnum quidem, propositiones sumere. Secundum autem, quotupliciter vnumquodque dicitur, posse distinguere. Tertium, differentias inuenire. Quartum autem similitudinis consideratio.*

2 *Sunt autem & modo quodam tria horum propositiones. Est enim vnumquodque eorum propositionem facere, vt quod eligendum est honestum, vel delectabile, vel vtile: & quod differt sensus à disciplina, eo quòd amittenti eam possibile est rursum sumere, illum autem impossibile: et quoniam similiter se habet salubre ad sanitatem, & habile ad bonam habitudinem. Est autem prima propositio ab ijs, quæ multipliciter dicuntur, secunda à differentijs, tertia verò à similibus.*

ARistoteles in prima parte huius operis, ac primi libri egit de rationibus dialecticis: in secunda parte vsque ad librum septimum inclusiuè tradit artem inueniendi tales rationes: & primo quidem vsque ad finem libri primi explicat instrumenta generalia inueniendi rationes pro omnibus quatuor generibus problematum: secundo sex libris sequentibus tradit loca specialia ad inueniendas rationes vnicuique generi problematum accommodatas.

1 Quatuor sunt instrumenta generalia, quæ possunt suppeditare copiam syllogismorum, & inductionum in quocunque problematum genere. Primum est sumptio propo-

propositionum, ex quibus tanquam ex præmissis, & principijs, possint confici rationes. Secundum est distinctio, per quam explicatur, quot modis res dicantur. Tertium est consideratio, & inuentio differentiarum, per quas res differunt inter se. Quartum est consideratio, & inuentio similitudinum, conuenentiarum, & proportionum, per quas res inuicem conueniunt.

2 Addit Aristoteles, quod ex his quatuor instrumentis, tria reliqua reduci possunt ad primum, hoc est ad sumptionem propositionum. Probatur, & explicatur: nam ex secundo instrumento, hoc est ex distinctione, per quam explicatur ex. gr. quod bonum dicitur tripliciter, honestum, iucundum, atque vtile, sumitur propositio, quod eligendum est id, quod vel est honestum, vel iucundum, vel vtile: ex tertio instrumento, ex. gr. ex inuentione differentiæ, per quam sensus differt à scientia, sumi potest hæc propositio, quod sensus in hoc differt à scientia, quod sensus amissus non potest recuperari, at scientia amissa potest recuperari: ex quarto instrumento, hoc est ex inuentione similitudinum desumi potest hæc propositio, quod sicut salubre se habet ad sanitatem, sic id, quod efficit firmam corporis constitutionem, se habet ad firmam corporis constitutionem; ergo cum alia instrumenta ad id tandem conducant, vt sumantur propositiones, cætera instrumenta reducuntur ad primum, hoc est ad sumptionem propositionum.

De primo instrumento, hoc est de sumptione propositionum. Cap. XII.

1 *ERgo propositiones quidem eligendum quotquot modis determinatum est in propositione: aut omnium opiniones proponentis, aut plurium aut sapientum, & horum vel omnium, vel plurimorum vel notissimorum, aut etiam contrarias apparentibus, & quæcunque opiniones secundum artem sunt. At oportet protendere contrarias apparentibus probabilibus secundum contradictionem, quemadmodum dictum est prius. Vtile autem & facere eas in eligendo non solum, quæ sunt probabiles, sed & similes eis, vt quòd contrariorum idem est sensus: nam & scientia contrariorum est eadem: et quòd videmus suscipientes aliquid, non emittentes: nam & in alijs sensibus sic est: nam & audimus suscipientes aliquid, non emittentes, & olfacimus eodem modo, similiter autem, & in alijs. Amplius quæcunque in omnibus, vel plurimis videntur, sumendum vt principium, & apparentem positionem: nam ponunt qui non conspiciunt, in aliquo non sic. Eligere autem oportet, & ex scriptis disceptationibus.*

DEscendit Aristoteles ad agendum de singulis instrumentis, ac primo agit de sumptione propositionum. Primo igitur explicat, quæ propositiones sint sumendæ: secundo explicat, vnde sint sumendæ, & quo pacto sint colligendæ, & ordinandæ per loca communia, vt Dialecticus habeat quoddam veluti promptuarium, ex quo propositiones iuxta opportunitatem desumat: tertio innuit, ac soluit quandam obiectionem: quarto demum explicat, quo pacto propositiones per diuisionem sint multiplicandæ.

1 Quoad primum: sumendæ sunt propositiones probabiles; & quia vt dictum est cap. 8. propositiones probabiles sunt, quæ videntur veræ omnibus, aut pluribus, aut sapientibus; & quæ videntur veræ vel omnibus sapientibus, vel plurimis, vel clarissimis; & quæ videntur veræ peritis in qualibet arte, etiamsi primo aspectu videantur falsæ, ideo sumendæ sunt tales propositiones. Quia rursus, vt eodem capite est explicatum, probabiles sunt propositiones contrariæ probabilibus per contradictionem explicatæ, ideo sumendæ sunt etiam tales propositiones. Præterea sumendæ sunt propositiones similes probabilibus, cum etiam ipsæ sint probabiles, vt dictum est loco citato. Ex. gr. quia probabile est, quod contrariorum est eadem scientia, sumendum est etiam, quod contrariorum idem est sensus: rursus, quia in alijs sensibus sensationes causantur per introsusceptionem, non per extramissionem, eo pacto, quo auditus audit per introsusceptionem soni, odoratus odoratur per introsusceptionem odoris, sumendum, quod etiam visus videt non per extramissionem, sed per introsusceptionem. Denum quando aliqua propositio plerunque est vera, sumenda est vniuersaliter: ex. gr. quia ma-

tres plerumque amant filios, sumendum est vniuersaliter, quod matres amant filios. Propositiones enim plerumque verasad uersarius admittit, cum non occurrit instantia in contrarium.

2 *Descriptiones autem facere in vnoquoque genere supponentes seorsum, vt de bono, aut de animali, & de bono omni, incipientem à quid est. Annotare autem, & singulorum opiniones, vt quòd Empedocles quatuor dixit elementa corporum esse. Ponet enim aliquis, quod ab aliquo probato dictum est.*

3 *Sunt autem (vt figuraliter sit complecti) propositionum, & problematum partes tres. Nam aliæ sunt morales propositiones, aliæ naturales, aliæ rationales. Morales quidem huiusmodi, vt vtrum oporteat parentibus magis, an legibus obedire, si dissentiant? Rationales vero, vt vtrum contrariorum eadem disciplina, an non? Naturales autem, vt vtrum mundus sit æternus, nec ne? Similiter autem & problemata. At vero quales sint singula earum, quæ dictæ sunt, definitione quidem non facile assignare est de ipsis. Est autem ea, quæ per inductionem est, assuetudine tentandum cognoscere, vnamquanque earum secundum prædicta exempla considerantis.*

2 Quoad secundum: propositiones probabiles sumendæ sunt ex disputationibus, etiam scriptis. Rursus describendæ sunt per quædam genera, & capita, siue loca communia: ex. gr. sub genere, & sub titulo boni, ponendæ sunt omnes propositiones de bono; sub genere, & sub titulo animalis, ponendæ sunt propositiones, quæ spectant ad animalia. Debet autem incipi à genere, seu prædicamento substantiæ, seu *quid est*, deinde verò procedendum per alia prædicamenta, & sic sub vnoquoque prædicamento ordinandæ sunt propositiones ad ipsum pertinentes. Debent rursus adnotari singulorum opiniones: ex. gr. debet adnotari opinio Empedoclis, quod elementa sunt quatuor. Facile enim ij, cum quibus disputatur, admittunt ea, quæ dicta sunt ab aliquo probato auctore.

3 Vt autem rudi Minerua proponantur classes, ad quas reducuntur propositiones, & problemata, videntur reduci ad tres classes. Quædam enim problemata sunt moralia; quædam naturalia; quædam rationalia. Exemplum problematum moralium est, *vtrum parentibus sit potius obediendum, an legibus, si parentes discordent à legibus?* Exemplum rationalium est, *vtrum contrariorum sit eadem disciplina?* Exemplum naturalium est, *vtrum mundus fuerit ab æterno?* Porro difficile est definitione vniuersim explicare, quæ sint problemata moralia, quæ rationalia, quæ naturalia, ideoque debet quis conari, vt respiciens ad exempla allata assuescat aduertere, an problemata, quæ in medium afferuntur, sint moralia, rationalia, vel naturalia.

4 *Ad philosophiam igitur, secundum veritatem de his negotiandum: dialectico autem modo, ad opinionem.*

5 *Sumendæ autem quàm maxime vniuersales propositiones omnes, & vna facienda multæ: vt quòd oppositorum eadem disciplina, deinde quòd ad aliquid. Eodem modo, & ipsæ rursum diuidendæ, quousque contingere potest diuisio: vt quòd boni, & mali, & albi, & nigri, & frigidi, & calidi: similiter autem, & in alijs. De propositionibus igitur sufficiant prædicta.*

4 Quoad tertium: ex eo, quod dialectica consideret problemata tum moralia, tum rationalia, tum naturalia, videtur, quod confundatur cum philosophia, in quantum diuiditur in naturalem, moralem, & rationalem, adeoque complectitur omnes scientias. Respondet Aristoteles dialecticam distingui à philosophia per hoc, quod licet dialecticus versetur circa res omnes, & circa omnia problemata, sicut philosophus scientificus, adhuc differunt in modo considerandi. Philosophus enim non est contentus apparentia, sed examinat omnia secundum veritatem, ac quærit propria principia, & proprias caussas rerum: dialecticus è conuerso contentus est quadam apparentia veri, & procedit ex communibus, & probabilibus, quæ causant solam opinionem.

5 Quoad quartum: vt multas habeamus propositiones, sumendæ sunt propositiones maximè vniuersales, ac deinde per diuisiones, ac subdiuisiones sunt multiplicandæ. Ex. gr. sumendum est, quod oppositorum est eadem disciplina: deinde diuidendo opposita in contraria, relatiua, priuatiua, & contradictoria, sumendum est, quod eadem est disciplina contrariorum,

rum, relatiuorum &c. subdiuidendo contraria relatiua &c. sumendum est, quod eadem est disciplina boni, & mali, albi, & nigri, calidi, & frigidi &c. Idem dic de alijs. Et hæc de primo instrumento dicta sufficiant.

De secundo instrumento, quod est distinctio, per quam explicatur, quot modis res dicatur. Cap.XIII.

1 *Ipsum autem quotupliciter negotiandum est, non solùm quæcunque dicuntur secundum alium modum, sed & rationes eorum tentandum assignare: vt non solum, quòd bonum alio quidem modo dicitur iustitia, & fortitudo habile autem & salubre, sed quòd, & illa quidem eo, quòd ipsa qualia quædam sunt, hæc autem eo, quod effectiua alicuius, & non eo, quòd qualia quædam sunt. Similiter autem & in alijs.*

EXplicato primo instrumento, explicat Aristoteles secundum instrumentum, quod est *distinctio multiplicis*. Primo ergo explicat, quo pacto debeamus distinguere, quæ dicuntur multipliciter: secundo affert tredecim loca, seu maximas, ex quibus possumus dignoscere, an aliquod nomen dicatur multipliciter, nec ne?

1 Quoad primum: si occurrat nomen, quod dicatur multipliciter, non sufficit aduertere, quod tale nomen dicitur multipliciter, sed etiam conandum est, vt assignemus diuersas rationes, & significationes talis nominis: ex gr. non sufficit dicere, quod nomen *bonum* in diuersa significatione dicitur de iustitia, ac fortitudine ex vna parte, & de habili, ac salubri ex alia parte, sed vlterius est addendum, quod iustitia, & fortitudo dicuntur bona, quia per se ipsa sunt talia, at habile, & salubre dicuntur bona, non quia sunt talia per se ipsa, sed quia sunt effectiua sanitatis, ac bonæ habitudinis, quæ sunt bona per se ipsa. Idem dic de alijs.

2 *Vtrum autem multipliciter, aut vno modo specie dicatur, per hæc considerandum. Primum quidem in contrario perspiciendũ, si multipliciter dicitur, siue specie, siue nomine dissonet.*

3 *Quædam enim statim & nominibus absona sunt: vt acuto in voce contrarium est graue. in magnitudine autem obtusum: patet igitur, quòd contrarium acuto multipliciter dicitur: si autem hoc, & acutum. Nam secundum vtrunque horum aliud erat contrarium. Non enim idem acutum erit obtuso, & graui contrarium, vtrique autem acutum contrarium. Rursum graui voce quidem contrarium acutum, magnitudine autem leue: quare multipliciter graue dicitur, eo quòd & contrarium. Similiter autem & pulchro: & quidem, quod in animali turpe, ei vero, quod est in domo, perniciosum: quare æquiuocum pulchrum.*

4 *In quibusdam autem nominibus quidem nullo modo dissonat, specie autem manifesta in eis statim differentia est: vt in claro, & obscuro. Vox enim clara, & obscura dicitur; similiter autem, & color. Ergo nominibus quidem nihil dissonant, specie autem manifesta in eis statim differentia est. Non enim similiter, & color clarus dicitur, & vox clara. Manifestum autem id est, & per sensum. Nam eorum, quæ eadem sunt specie, idem sensus: at clarum, quod est in voce, & in colore, non eodem sensu iudicamus, sed hoc quidem visu, illud autem auditu. Similiter autem & acutum, & obtusum in humoribus, & in magnitudinibus, sed hoc quidem tactu, illud autem gustu. Nam neque hæc dissonant nominibus, neque in seipsis, neque in contrarijs. Obtusum enim est contrarium vtrique.*

2 Quoad secundum: affert Aristoteles tredecim loca, ex quibus possumus dignoscere, & arguere, an aliquod nomen dicatur multipliciter nec ne? Primus locus, seu prima maxima desumitur ex contrario, & est: cum aliquid habet contrarium, quod dicitur multipliciter, etiam ipsum dicitur multipliciter. Porrò dupliciter potest contingere, vt contrarium alicuius dicatur multipliciter: primo nomine, & significatione; secundo sola significatione, non autem nomine.

3 Explicatur exemplis. Acutum dicitur de voce, ac de magnitudine. Quæritur vtrum dicatur multipliciter, & in diuersa significatione, an potius in eadem significatione? Considerandum est contrarium: & quia inuenimus, quod contrarium acuto in voce est graue, contrarium acuto in magnitudine est obtusum, graue au-

autem, & obtusum differunt non solum significatione, sed etiam voce, possumus inferre, quod acutum dicitur multipliciter, & in diuersa significatione dicitur de voce, ac dicatur de magnitudine. Similiter graue dicitur & de voce, & de corpore: ostenditur, quod multipliciter, & in diuersa significatione dicitur de voce, ac de corpore ex eo, quod contrarium voci graui est vox acuta, contrarium corpori graui, est corpus leue; sed acutum, & leue differunt non solum significatione, sed etiam voce; ergo graue multipliciter, & in diuersa significatione dicitur de corpore, ac de voce. Similiter & animal dicitur pulchrum, & domus dicitur pulchra; sed animali pulchro opponitur animal turpe, domui pulchræ opponitur domus vitiosa; ergo arguitur, quod pulchrum dicatur multipliciter.

4 Aliquando tamen contrarium alicuius videtur differre sola significatione, non autem nomine. Ex.gr. clarum dicitur de colore, & de voce: nam & vox dicitur clara, & color dicitur clarus. Contrarium claro tum in voce, tum in colore vocatur eodem nomine, & dicitur obscurum: contraria enim voci claræ est vox obscura; contrarius colori claro est color obscurus; adhuc tamen clarum, & obsurum in voce differunt à claro, & obscuro in colore. Eorum enim, quæ sunt eadem specie, est idem sensus; sed non ab eodem sensu percipitur clarum, & obscurum in voce, ac clarum, & obscurum in colore, sed clarum, & obscurum in voce percipitur auditu, clarum, & obscurum in colore percipitur visu; ergo clarum, & obscurum in voce, & clarum, atque obscurum in colore, licet conueniant nomine, differunt specie, & significatione nominis. Similiter acutum, & obtusum sunt contraria, & dicuntur tum de saporibus, tum de magnitudinibus; sapori enim acuto contrarius est sapor obtusus, magnitudini acutæ contraria est magnitudo obtusa: adhuc tamen differunt specie, & significatione, quia discernuntur diuersis sensibus. Nam sapor acutus, & obtusus discernuntur gustu; magnitudo acuta, & obtusa discernuntur tactu.

5 *Amplius si huic quidem est aliquid contrarium, illi autem simpliciter nihil: vt ei, quæ est a potu delectationi, ea, quæ est à siti tristitia, contrarium, ei autem quæ est ab eo, quod est considerare, quòd diameter est costæ incommensurabilis, nihil: quare multipliciter delectatio dicitur. Et ei quidem, quæ est secundum mentem amare, odisse contrarium est, ei autem, quæ est secundum corporalem actum, nihil: manifestum ergo quoniam amare æquiuocum.*

6 *Præterea in medijs. Si huic quidem est aliquid medium, illi autem nihil, aut si vtrisque quidem est, non idem autem: vt clari, & obscuri in coloribus quidem aliquid est medium, fuscum, in voce autem nihil, aut si forte raucum, quemadmodum quidam dicunt raucam vocem, medium esse: quare æquiuocum clarum: similiter & obscurum. Insuper si horum quidem plura media, illorum autem vnum, vt in claro, & obscuro. Nam in coloribus plura media, in voce autem vnum, raucum.*

5 Secundus locus similiter ex contrarijs est: id, quod in quantum dicitur de vno, habet contrarium, in quantum dicitur de altero, non habet contrarium, dicitur multiplicitur: ex. gr. & qui bibit, delectatur, & qui speculatur, quod diameter est incommensurabilis costæ, delectatur; at delectationi ex potu contrarius est dolor ex siti, delectationi verò, quæ capitur ex cognitione, quod diameter est incommensurabilis, nihil est contrarium; ergo delectari dicitur multipliciter. Similiter φιλεῖν, quod est *amare*, in quantum significat actum animi, habet contrarium, quod est *odisse*, in quantum refertur ad actionem corporis, non habet contrarium; ergo φιλεῖν dicitur multipliciter.

6 Tertius locus ex contrarijs, & medijs est: si duo contraria, in quantum dicuntur de aliquibus, habent medium, in quantum dicuntur de alijs, vel non habent medium, vel non habent idem medium, dicuntur multipliciter. Ex. gr. clarum, & fuscum dicuntur & de coloribus, & de vocibus; at inter clarum, & fuscum, in quantum dicuntur de coloribus, datur medium, quod est pallidum, in quantum dicuntur de vocibus, vel non datur medium, vel medium ipsorum non est pallidum, sed raucum; ergo clarum, & fuscum, in quantum dicuntur de coloribus, & de vocibus, dicuntur multipliciter. Similiter si inter contraria, in quantum dicuntur de aliquibus, dantur plura media, in quantum dicuntur

cuntur de alijs datur vnicum medium, dicuntur multipliciter: ex. gr. inter colorem clarum, & fuscum dantur plures colores medij; at inter vocem claram, & fuscam datur vnicum medium, quod est raucum; ergo &c.

7 *Rursum in eo quod secundum contradictionem opponitur considerandum, si multipliciter dicitur. Nam si hoc multipliciter dicitur, & quod huic opponitur multipliciter dicetur. Vt non videre multipliciter dicitur, vnum quidem non habere visum, alterum autem non operari visu: si autem hoc multipliciter dicitur, necessarium est & videre multipliciter dici. Vtrique enim non videre opponitur: vt ei quidem, quod est non habere visum, habere: illi autem, quod est non operari visu, operari.*

8 *Amplius, in his, quæ secundum priuationem, & habitum dicuntur, perspiciendum. Si enim alterum multipliciter dicitur, & reliquum: vt si sensibile multipliciter dicitur, & secundum animam, & corpus, & insensibile multipliciter dicetur, & secundum animam, & corpus. Quod autem secundum priuationem, & habitum opponuntur, quæ dicta sunt, manifestum, eo quod nata sint vtrunque sensum habere animalia, & secundum animum, & secundum corpus.*

7 Quartus locus ex contradictorijs est. si quod opponitur contradictoriè, dicitur multipliciter, etiam id, cui opponitur contradictoriè, dicitur multipliciter: ex. gr *videre*, & *non videre* opponuntur contradictoriè; sed dupliciter dicitur quis non videns, & ex eo, quod non habeat visum, seu potentiam visiuam, & ex eo, quod licet habeat visum, non actu exerceat actum videndi; ergo etiam dupliciter dicitur quis videns, & ex eo, quod habeat visum, & ex eo, quod exerceat actum videndi.

8 Quintus locus ex oppositis priuatiuè est: si vnum ex ijs, quæ opponuntur vt habitus, & priuatio dicitur multipliciter, etiam aliud dicitur multipliciter: ex. gr. sensatus, & insensatus opponuntur priuatiuè; sed dicitur quis sensatus dupliciter, vel ex eo, quod vigeat aliquo sensu externo corporis, vel ex eo, quod vigeat aliquo sensu interiori animi; ergo etiam dupliciter dicitur quis insensatus, vel ex eo, quod careat sensibus corporis, vel ex eo, quod careat sensu animi, ideoque amentes dicuntur insensati.

9 *Amplius autem in casibus considerandum. Nam si iuste multipliciter dicitur, & iustum multipliciter dicetur: secundum vtrunque enim iustorum est iustum: vt si iuste dicitur, & secundum sui cognitionem iudicare, & vt oportet: similiter & iustum. Eodem autem modo, & si salubre multipliciter dicitur, & salubriter multipliciter dicetur: vt si salubre dicitur hoc quidem sanitatis effectiuum, illud autem conseruatiuum, quoddam vero significatiuum: & salubriter, vel effectiue, vel conseruatiue, vel significatiue dicetur. Similiter autem & in alijs, quando ipsum multipliciter dictum fuerit, & casus ab eo multipliciter dicetur: & si casus, & ipsum.*

9 Sextus locus ex casibus est: si vnum ex ijs, quæ ab eodem denominantur, & cadunt, dicitur multipliciter, etiam aliud dicitur multipliciter: ex. gr. *iustè*, & *iustus* dicuntur denominatiuè ab eadem iustitia; sed iustè dicitur dupliciter; dicitur enim quis iustè iudicare, vel ex eo, quod iudicet ex propria sententia, vel ex eo, quod iudicet quod re ipsa est rectum; ergo etiam dicitur quis dupliciter iustus, vel ex eo, quod iudicet secundum id, quod sentit, vel ex eo, quod iudicet id, quod re ipsa est iustum. Proportionaliter salubre, & salubriter dicuntur ab eadem sanitate; sed aliquid dicitur salubre, vel ex eo, quod sit effectiuum sanitatis, vel ex eo, quod sit conseruatiuum sanitatis, vel ex eo quod sit significatiuum sanitatis; ergo etiam salubriter dicitur totidem modis. Idem dic de alijs. Vniuersim enim, si quod dicitur secundum vnum casum, dicitur multipliciter, & distinguitur in varia genera; etiam quod dicitur secundum alium casum dicitur multipliciter, ac distinguitur in totidem genera.

10 *Consideranda autem, & genera secundum nomen prædicationum, si eadem sint omnibus. Nam si non eadem, manifestum est quoniam æquiuocum est quod dicitur. Vt bonum in cibis quidem effectiuum est voluptatis, in medicina autem effectiuum sanitatis, in anima vero qualem esse, vt castam vel fortem, vel iustam: similiter autem, & in homine: aliquoties autem, & quan-*

& quando, vt in tempore bonum (bonum enim dicitur in tempore): plerunque autem quantum in mediocri:(dicitur enim,& mediocre bonum) : quare æquiuocum bonum. Similiter autem & candidum : in corpore equidem color, in voce autem bene audibile. Similiter autem & acutum : non enim similiter idem in omnibus dicitur. Nam vox acuta quidem velox (sicut dicunt,qui secundum numeros armonici sunt): angulus autem acutus, qui minor est recto: gladius vero, qui est anguli acuti.

10 Septimus locus ex genere generalissimo est : id, quod in quantum dicitur de pluribus, est in diuerso prædicamento, dicitur multipliciter: ex. gr. quia bonum, in quantum dicitur de varijs bonis,spectat ad diuersa prædicamenta , dicitur multipliciter. Quod autem bonum spectet ad plura prædicamenta, probatur : nam cibi dicuntur boni, eo quod efficiant voluptatem ; pharmaca dicuntur bona , eo quod efficiant sanitatem ; ergo bonum,in quantum dicitur de cibis , & pharmacis est in prædicamento actionis. Anima dicitur bona , & homo dicitur bonus , eo quod sit qualis, hoc est iustus , castus &c; ergo bonum in quantum dicitur de anima , & de homine est in prædicamento qualitatis . Dicitur, quod operari tempore opportuno bonum est ; ergo bonum spectat etiam ad tempus . Dicitur bonum esse id, quod secundum quantitatem est mediocre ; ergo bonum mediocris significat quantitatem . Cum igitur bonum significet diuersa prædicamenta dicitur multipliciter . Candidum etiam , prout dicitur de corpore , & de voce , significat diuersa prædicamenta. Nam corpus dicitur candidum propter colorem , adeoque candidum prout dicitur de corpore,significat qualitatem; vox dicitur candida , eo quod bene audiatur , & efficiat bonam auditionem , adeoque candidum , in quantum dicitur de voce,significat actionem ; ergo candidum dicitur multipliciter. Rursus acutum in quantum dicitur de voce , angulo, & gladio significat diuersa prædicamenta : nam vox dicitur acuta , ex eo , quod sit velox, adeoque cito secet , ac diuidat , vt asserunt qui agunt de numeris harmonicis , ac profitentur musicam, vt Pythagorici ; ergo acutum in quantum dicitur de voce significat actionem : angulus dicitur acutus , eo quod sit minor recto , adeoque acutum , in quantum dicitur de angulo significat relationem : gladius dicitur acutus propter figuram desinentem in angulum acutum , adeoque cum figura spectet ad prædicamentum qualitatis , acutum in quantum dicitur de gladio significat prædicamentum qualitatis ; ergo acutum dicitur multipliciter .

11 *Considerada etiam & genera eorum , quæ sunt sub eodem nomine , si diuersa, & non subalterna sunt . Vt equus , hoc autem animal , & hoc vas . Diuersa enim,quæ secundum nomen est hor m ratio: nam hoc quidem animal, quid significat, illud vero vas, quale quid . Si autem subalterna sint genera, non necessarium diuersas esse rationes . Vt coruus animal , et auis genus est : quando autem coruum dicimus auem esse , et animal quid dicimus eundem esse : quare vtraque genera de eodem prædicantur. Similiter autem et quando animal volatile bipes coruum dicimus, auem dicimus eundem esse : & sic ergo vtraque genera de coruo prædicantur , & ratio eorum . In non subalternis generibus non accidit hoc. Neque enim quando vas dicimus, animal dicimus : neque quando animal, vas . Considerandum autem non solum si in proposito diuersa sunt genera, & non subalterna : sed & in contrario . Si enim contrarium multipliciter dicitur, manifestum, quoniam & propositum .*

11 Octauus locus ex genere non generalissimo est : id quod in quantum dicitur de pluribus , est sub diuersis generibus , quorum vnum continetur in alio , dicitur multipliciter : ex. gr. ὄνος græce significat & asinum , qui est sub genere animalis , & quoddam vas , quod est sub genere vasis , ideoque dicitur multipliciter , cum diuersa sit definitio . Definitio enim τῦ ὄνυ, in quantum significat asinum est , vt sit *animal rudibile* ; definitio ὄνυ , in quantum significat vas , est vt sit *vas tale* . Si tamen aliquid sit sub diuersis generibus , quorum vnum contineatur in alio , non est necesse, vt dicatur multipliciter , neque est necesse, vt eius duplex sit ratio, ac definitio : ex. gr. coruus licet sit sub genere auis, & sub genere animalis , adhuc non dicitur multipliciter , quia genus auis continetur in genere animalis , ideoque vna definitio explicat vtrumque genus . Si enim definiamus

mus coruum per genus auis, ac dicamus, quod coruus est talis auis, cum auis sit animal, explicamus etiam genus animalis: si rursus definiamus coruum per genus animalis, dicentes coruum esse animal pennigerum, bipes, cum animal pennigerum sit auis, explicamus etiam genus auis; ergo vna est definitio corui, licet coruus sit sub duobus generibus, quorum vnum continetur in altero. At verò eo ipso, quod aliquid contineatur sub diuersis generibus, quorum neutrum continetur in altero, non potest definiri vna definitione, eo pacto, quo quia genus animalis, ac genus vasis, sunt contradistincta, definitio dicens, quod ὄνος est animal rudibile, non explicat genus vasis, quod contradistinguitur ab animali; & ex eadem ratione definitio dicens, quod ὄνος est vas tale, non explicat genus animalis, quod contradistinguitur à vase. Addit Aristoteles, quod non solum potest ostendi aliquid dici multipliciter ex eo, quod ipsum sit sub diuersis generibus, sed etiam ex eo, quod eius contrarium sit sub diuersis generibus, quorum neutrum continetur in altero. Si enim vnum contrarium dicitur multipliciter, etiam aliud dicitur multipliciter; sed si vnum contrarium sit sub diuersis generibus, quorum neutrum continetur in altero, dicitur multipliciter; ergo etiam aliud contrarium dicitur multipliciter.

12 *Vtile autem ad definitionem inspicere, quæ de composito fit, vt candidi corporis, & can. 'e vocis: nam sublato proprio, eandem rationem oportet relinqui. Hoc autem non accidit in æquiuocis, vt in ijs quæ nunc dicta sunt. Nam hoc quidem erit corpus habens talem colorem, illud autem vox bene audibilis: sublato igitur corpore, & voce, non idem in vtraque relinquitur: at oportet si vniuocum esset candidum, quod in vtraque dicitur esse idem.*

13 *Sæpe autem & in ipsis definitionibus latet assequens æquiuocum. Quapropter & in definitione considerandum. Vt si quis significatiuum, vel effectiuum sanitatis, quòd moderate se habet ad sanitatem, dicat esse, non refutandum, sed inspiciendum quid moderate quidem secundum vtrumque dixit: vt si hoc quidem tale significat, vt facere sanitatem, illud autem tale, vt significare, qualis quidem sit habitus.*

12 Nonus locus ex definitione compositi est: cum dubitatur, vtrum aliquod nomen, in quantum dicitur de pluribus, dicatur multipliciter, an non, definienda sunt composita. Si enim ablatis differentijs, per quas differunt ea composita, remaneat eadem definitio, tale nomen non dicitur multipliciter: si remaneat diuersa definitio, nomen dicitur multipliciter. Explicatur exemplis. Dubitatur, vtrum candidum, in quantum dicitur de corpore, & de voce, dicatur multipliciter. Definienda sunt composita, quæ sunt *corpus candidum*, & *vox candida*. Corpus candidum definietur, *corpus habens colorem disgregatiuum visus*: vox candida definietur, *vox bene audibilis*. Si auferantur differentiæ, quæ sunt, *corpus*, & *vox*, definitio candidi in quantum dicitur de corpore erit, *habens colorem disgregatiuum visus*: definitio candidi, in quantum dicitur de voce erit, *bene audibile*; sed istæ sunt diuersæ definitiones; ergo candidum, in quantum dicitur de voce, & de corpore, dicitur multipliciter. Similiter si dubitetur, vtrum homo, in quantum dicitur de mare, & de fæmina, dicatur multipliciter, definiendus est homo mas, & homo fæmina. Homo mas definitur *animal rationale habens potentiam generandi in alio*: homo fæmina definitur *animal rationale habens potentiam, vt in eo aliud generet*; sed ablatis differentijs maris, & fæminæ, quæ sunt, *habens potentiam generandi in alio*, *habens potentiam, vt in eo aliud generet*, remanet eadem definitio, qua homo definitur, *animal rationale*; ergo homo, in quantum dicitur de mare, ac de fæmina, non dicitur multipliciter.

13 Addit Aristoteles, quod quia aliquando ipsa definitio, in quantum per eadem nomina dicitur de pluribus, dici potest multipliciter, & in diuersa significatione, examinandum est, an definitio de pluribus dicatur in eadem, vel in diuersa significatione? ex. gr. sanum dicitur tum de sano effectiuè, tum de sano indicatiuè. Sanum effectiuè definitur, quod est commensuratum ad sanitatem efficiendam: sanum indicatiuè definitur, quod est commensuratum ad sanitatem indicandam. Si ex his definitionibus auferantur propria, remanet definitio communis sani, quæ definitio est, *quod est commensuratum ad sanitatem*, adeoque ex regula tradita videtur,

tur, quod sanum non dicatur multipliciter. Examinandum igitur est, quid significet ly *commensuratum ad sanitatem*, inquantum dicitur de effectiuo, & de indicatiuo: & quia inueniemus, quod in quantum dicitur de effectiuo, significat commensuratum secundum quantitatem, in quantum dicitur de indicatiuo significat commensuratum secundum qualitatem, ideo dicendum, quod sanum, prout dicitur de effectiuo, & indicatiuo, dicitur multipliciter.

14 *Adhuc si non comparabilia sunt secundum magis, & minus, vel similiter; vt clara vox, clara vestis: & acutus humor, & acuta vox: hæc enim neque similiter dicuntur clara, vel acuta, neque magis alterum: quare æquiuocum clarum, & acutum. Nam vniuocum omne, comparabile: aut enim similiter dicetur, aut magis alterum.*

15 *Quoniam autem diuersorum generum, & non subalternatim positorū diuersæ species sunt, & differentiæ, vt animalis, & scientiæ (diuersæ enim horum differentiæ) considerandum, si quæ sub eodem sunt nomine diuersorum generum, & non subalternorum differentiæ sint. Vt acutum vocis, & magnitudinis: differt enim vox à voce, eo quod acuta sit: similiter & magnitudo à magnitudine: quare æquiuocum acutum. Diuersorum enim generum & non subalternorum, diuersæ differentiæ sunt.*

14 Decimus locus est: quando aliquid vnum ita dicitur de pluribus, vt illa non sint comparabilia in eo, quod per tale nomen significatur, tum tale nomen dicitur multipliciter. Ex. gr. clarum dicitur de voce, & de veste, sed ita, vt vox, & vestis non sint comparabiles in ratione clari: ineptè enim diceretur, quod vox est æquè clara, ac vestis; ideo clarum, in quantum dicitur de voce, & de veste, dicitur multipliciter. Proportionaliter acutum dicitur de sapore, & de voce, sed ita, vt sapor, & vox non possint inuicem comparari in ratione acuti; ideoque acutum, in quantum dicitur de sapore, ac de voce, dicitur multipliciter. Ratio est, quia quod vno modo dicitur de pluribus, ita dicitur de illis, vt possint inuicem comparari in significatione talis nominis: ex. gr. quia candidum eodem modo dicitur de corporibus, ideo omnia corpora, vel sunt æquè candida, vel vnum est magis candidum, quam aliud; ergo cum aliqua non sunt inuicem comparabilia in significatione alicuius nominis, signum est, quod tale nomen dicitur de illis multipliciter, & in diuersa significatione.

15 Vndecimus locus est: quando aliquod nomen, in quantum dicitur de pluribus, significat differentias diuersorum generum, ac non subalternatim positorum, tum tale nomen dicitur multipliciter. Ex. gr. quia acutum, in quantum dicitur de voce, significat differentiam, per quam vox acuta differt à graui, in quantum dicitur de magnitudine, significat differentiam, per quam magnitudo acuta differt ab obtusa; vox autem, & magnitudo sunt diuersa genera non subalternatim posita; ideo acutum, in quantum dicitur de voce, ac de magnitudine, dicitur multipliciter. Ratio regulæ est, quia vt dictum est in anteprædicamentis cap. 3. diuersorum generum, ac non subalternatim positorum, diuersæ sunt differentiæ; ergo eo ipso, quod nomen significat differentias diuersorum generum non subalternatim positorum, significat diuersas differentias, adeoque dicitur multipliciter.

16 *Rursum si eorundem, quæ sunt sub eodem nomine, diuersæ differentiæ sunt: vt coloris qui est in corporibus & in melodijs. Nam eius, qui est in corporibus, congregatiuum, & disgregatiuum visus: eius vero, qui in melodijs, non eædem differentiæ: quare æquiuocum color. Nam eorundem, eædem differentiæ.*

17 *Amplius, quoniam species nullius est differentia; inspicere oportet, si eorum, quæ sub eodem sunt nomine, hoc quidem species est, illud autem differentia. Vt clarum, quod in corpore quidem species coloris quod autem in voce, differentia: differt enim vox à voce, eo quòd clara sit. De eo igitur, quod multipliciter dicitur, per hæc, & huiusmodi perspiciendum.*

16 Duodecimus locus est: quando aliquod nomen significat diuersa genera, quorum diuersæ sint differentiæ, tum tale nomen dicitur multipliciter. Ex. gr. χρῶμα, latinè color, significat & colorem, qui datur in corporibus, & quoddam genus melodiæ: color autem, qui est in corporibus, habet differentias congregatiui, ac disgrega-

gatiui visus; χρῶμα, quod est in melodijs, non habet has differentias; ergo χρῶμα dicitur multipliciter. Ratio regulæ est, quia eorumdem eædem sunt differentiæ.

17 Tertius decimus, & vltimus locus est: quando aliquod nomen significat speciem simul, & differentiam, dicitur multipliciter: ex. gr. candor significat speciem coloris, ac differentiam vocis, ideoque candor, in quantum dicitur de colore, ac de voce, dicitur multipliciter. Ratio regulæ est, quia species non potest esse differentia vllius rei, ex. gr. quia bos est species animalis, non potest esse differentia vllius generis; ergo cum idem non possit esse species, ac differentia, eo ipso, quod nomen significat speciem, & differentiam, significat diuersa, adeoque dicitur multipliciter. Concludit Aristoteles, quod ex his, & ex similibus, examinandum est, vtrum aliquid dicatur multipliciter, an non?

De tertio, & quarto instrumento, & de vtilitatibus instrumentorum. Cap. XIV. & vltimum.

1 *Differentias autem in ipsis generibus ad se inuicem perspiciendum: ut quo differt iustitia a fortitudine, & prudentia a temperantia: hæc enim omnia ex eodem genere sunt ex virtute. Et ex alio ad aliud, vt in ijs, quæ non nimium differunt: vt in quo differt sensus à scientia. Nam in ijs, quæ multum differunt, manifestæ sunt omnino differentiæ.*

2 *Similitudinem autem considerandum in ijs, quæ sunt in diuersis generibus. Vt sicut alterum ad alterum quidem, sic aliud ad aliud: vt sicut scientia ad scibile, sic sensus ad sensibile: & vt alterum in altero aliquo, sic aliud in alio: vt quemadmodum visus in oculo, mens in anima: & vt tranquillitas in mari, serenitas in aere: vtrunque enim quies. Maxime autem in ijs, quæ multum distant, exerceri oportet: facile enim in reliquis poterimus similia inspicere. Considerandum autem & ea, quæ sub eodem sunt genere, si quid inest omnibus idem: vt homini, & equo, & cani. Nam si inest aliquid eis idem, in eo sunt similia.*

Agit demum Aristoteles de tertio, & quarto instrumento, quæ sunt inuentio differentiarum, & consideratio similitudinum, atque explicat, in quibus quærendæ sint differentiæ, ac similitudines.

1 Differentiæ quærendæ sunt, tum in ijs rebus, quæ conueniunt in eodem genere proximo, tum in ijs, quæ sunt in diuersis generibus, sed ita, vt non multum differant inter se. Non autem est laborandum in inueniendis differentijs rerum valde diuersarum, quia tales differentiæ sunt ex se manifestæ. Ex. gr. cum iustitia, fortitudo, prudentia, & temperantia sint in eodem genere virtutis, quærendum est, per quid differant inter se. Similiter, quia sensus, & scientia, licet non sint in eodem genere, habent quandam affinitatem inter se, quærendum est, in quo differant?

2 Similitudo quærenda est primo in ijs, quæ licet sint in diuersis generibus, adhuc conueniunt analogicè, & proportionaliter in hoc, quod sicut alterum se habet ad alterum, sic aliud ad aliud. Ex. gr. sensus, & scientia differunt genere, at conueniunt analogicè, & proportionaliter, quia sicut scientia se habet ad scibile, sic sensus se habet ad sensibile. Similiter visus, & mens differunt genere, & tamen conueniũt in hoc, quod sicut visus est in oculo, sic mens est in anima. Serenitas, & tranquillitas conueniunt in hoc, quod sicut tranquillitas se habet ad mare, sic serenitas se habet ad aerem: nam & tranquillitas est quies in mari, & serenitas est quies in aere. Sicut autem dictum est, quod præcipuè est laborandum in quærendis differentijs eorum, quæ valde conueniunt inter se, sic præcipue est laborandum in inueniendis conuenientijs eorum, quæ valde differunt inter se. Secundo quærendum est, quid idem sit in ijs, quæ sunt in eodem genere: ex. gr. quærendum, quid idem sit in homine, equo, & cane: eo enim ipso, quod aliquid idem sit in omnibus his, hæc omnia similia sunt inter se.

3 *Vtile autem ipsum quidem, quod quotupliciter dicitur, considerasse, ad dilucidiatatem. Maxime autem quis sciet quid ponatur, manifesto facto, quotupliciter dicitur. Et ad fieri secundum rem eandem, & non ad nomen syllogismos. Si enim immanifestum sit quotupliciter dicitur, contingit non ad idem etiam qui respondet, et qui interrogat,*

rogat, ferre intellectum: manifesto autem quotupliciter dicitur et ad quid ferens ponat, ridiculus videbitur interrogans esse, si non ad hoc sermonem faciat. Vtile etiam, et vt non falsa ratione decipiamur, sed decipiamus potius. Nam scientes quotupliciter dicitur, non allucinabimur, sed sciemus si non ad idem sermonem faciat is, qui interrogat, et ipsi interrogantes poterimus apparenti ratiocinatione fallere, nisi is, qui respondet, agnoscat quotupliciter dicitur. Hoc non in omnibus semper possibile, sed quando fuerint eorum, quæ multipliciter dicuntur, alia quidem vera, alia autem falsa. Est autem proprie non conueniens modus hic dialectica. Quare omnino vitanda dialecticis huiusmodi ad nomen disputatio, nisi quis aliter non possit de proposito disserere.

Explicatis quatuor instrumentis inuentionis, agit Aristoteles de eorum vtilitatibus ad disputationes dialecticas: & quia ex se manifesta est vtilitas primi instrumenti, quod est sumptio propositionum, cum rationes dialecticæ debeant confici ex propositionibus, ideo explicat vtilitates aliorum trium instrumentorum.

3 Tres sunt præcipuæ vtilitates secundi instrumenti, quod est distinctio multiplicis. Primo distinctio multiplicis est vtilis ad perspicuitatem. Si enim quis distinxerit quotupliciter aliquid dicatur, & in quo sensu sumatur, perspicuum, ac dilucidum erit, quid dicatur. Secundo est vtilis ad hoc, vt fiat quæstio, ac disputatio de re ipsa, ac non de nomine. Nam si nomen dicatur multipliciter, & disputans non explicauerit, in quo sensu illud sumat, poterit accidere, vt interrogans, ac respondens non idem intelligant per tale nomen, adeoque non discrepent in re ipsa, sed in acceptione nominis: at si explicatum fuerit, in quo sensu sumatur nomen, ridiculus videbitur interrogans, vel respondens, si non sumat nomen in eo sensu. Tertio distinctio multiplicis est vtilis ad hoc, vt nos non decipiamur falsa ratione, sed potius decipiamus aduersarium. Scientes enim quotupliciter nomen possit sumi, si interrogans sumat id in diuerso sensu, ac nos sumamus, id aduertemus, adeoque non sinemus nos falsa ratione decipi, imo poterimus aduersarium falsa, & æquiuoca ratione decipere, nisi is sciat quotupliciter nomen sumatur. Non tamen semper possumus ex nomine multiplici falsam rationem construere, sed tum solum, cum sumendo nomen in vno sensu, propositio est vera, sumendo in alio sensu, est falsa. Addit Aristoteles hunc modum disputandi ex æquiuocatione, non spectare ad dialecticum, sed ad sophistam, ideoque vitandum esse in disputationibus dialecticis, nisi tamen quis eo sit redactus, vt non possit aliter disputationem prosequi.

4 *Differentias autem inuenire vtile, et ad syllogismos de eodem, et diuerso, et ad cognoscendum, quid est vnumquodque. Quod autem ad syllogismos de eodem, et diuerso vtile, manifestum: inuenientes enim differentiam propositorum quamlibet, ostendentes erimus, quoniam non idem. Ad cognoscendum autem, quid est vnumquodque, eo quòd propriam substantiæ cuiusque rationem, ijs, quæ circa vnumquodque sunt, accommodatis differentijs separare solemus.*

4 Inuentio differentiarũ est vtilis præsertim ad duo: primo ad conficiendos syllogismos, & rationes de eodem, & diuerso; secundo ad inueniendam definitionem explicantem, quid sit res? Quod inuentio differentiarum sit vtilis ad cõficiendos syllogismos de eodem, & diuerso, patet: nam eo ipso, quod inueniamus, in quo res differant, possumus ex tali differentia probare, quod tales res non sunt idem, sed sunt diuersæ. Quod sit vtilis ad inueniendam definitionem explicantem, quid sit res, patet: nam definitiones explicantes, quid sint res, construuntur ex differentijs additis generi, in quo conueniunt.

5 *Similitudinis autem consideratio vtilis est ad inductiuas rationes, et ad syllogismos ex suppositione, et ad assignationem definitionum. Ad inductiuas quidem rationes, eo quòd circa singula in similibus inductione, vniuersale existimamus inducere: non enim facile est inducere ignorantes similia. Ad syllogismos ex suppositione, eo quòd probabile est quemadmodum in vno similium se habet, sic et in reliquis. Quare ad quodcunque eorum facultatem habebimus disputandi, profitebimur quemadmodum in his se habet, sic et in proposito habere. Id enim ostendentes, et propositum ex suppositione ostendentes erimus. Supponentes*

enim

enim quomodo in his se habet, sic et in proposito se habere demonstrationem faciemus.

6 *Ad definitionum autem assignationem, eo quod potentes conspicere, quid in vnoquoque idem non dubitabimus ad quid oporteat genus, cùm definiemus propositum, collocare: nam communium, quod maxime in eo, quod quid prædicatum, genus erit. Similiter autem, & in multum distantibus vtilis ad definitiones similitudinis consideratio: vt quod idem tranquillitas in mari, & serenitas in aere: vtrunque enim quies: & quoniam punctum in linea, & vnitas in numero: vtrunque enim principium: quare commune in omnibus genus assignantes, arbitrabimur non extranee definire. Penè autem & definientes sic solent assignare. Nam & vnitatem principium numeri dicunt esse, & punctum principium lineæ: manifestum igitur, quoniam ad commune vtrorumque genus collocant. Instrumenta itaque, per quæ sunt syllogismi, hæc sunt: loci autem, ad quos vtilia sunt prædicta, ij sunt, qui dicendi sunt.*

5 Consideratio similitudinum est vtilis præsertim ad tria. Primo ad conficiendas rationes ex inductione: secundo ad conficiendos syllogismos ex suppositione: tertio ad construendas inductiones rerum. Quod sit vtilis ad inductiones, probatur. Inductio enim fit ex singularibus similibus, & conuenientibus in aliquo prædicato communi; ergo si non possumus discernere illud, in quo singularia conueniunt, ac sunt similia, non possumus facere inductionem. Quod sit vtilis ad syllogismum ex suppositione, probatur; nam syllogismus ex suppositione fit, supponendo probabile esse, quod sicut se habet in vno similium, sic se habet in alijs; ergo eo ipso, quod probauerimus, quod in vno sic se habet, & quod hoc est simile illi, concludemus, quod etiam in alio sic se habet; sed ad hoc vtilis est consideratio similium; ergo consideratio similium vtilis est ad argumentum ex suppositione. Demum, quod consideratio similitudinum sit vtilis ad definitiones construendas, probatur: nam ad definitiones debet inueniri genus; sed genus est prædicatum commune, in quo plura conueniunt, & sunt similia, ita vt de illis prædicetur *in quid*; ergo consideratio prædicatorum, in quibus plura conueniunt, & sunt similia, est vtilis ad assignandum genus, adeoque ad conficiendam definitionem.

6 Neque solum consideratio similium est vtilis ad inueniendas definitiones eorũ, quæ sunt in eodem genere, sed etiam ad inueniendas definitiones eorum, quæ sunt in diuersis generibus, & plurimũ differunt: ex. gr. inuenientes, quod tranquillitas, & serenitas conueniunt in hoc, quod sint quies, habemus genus non extraneum ad ipsa definienda; & inuenientes, quod vnitas, & punctum conueniunt in hoc, quod sunt principium, habemus aliquod genus ad ipsa definienda; siquidem tranquillitas definiri solet *quies in mari*; serenitas *quies in aere*: vnitas definiri solet *principium numeri*; punctum *principium lineæ*. Concludit Aristoteles hæc esse instrumenta, per quæ fiunt syllogismi dialectici, & quod hæc instrumenta sunt vtilia ad dicta, & per hæc absoluit librum primum Topicorum.



ARIS-

ARISTOTELIS TOPICORVM.

LIBER SECVNDVS.

SYNOPSIS LIBRI.

1 DISTINCTIS libro primo quatuor generibus problematum, & explicatis instrumentis generalibus ad inueniendas rationes pro singulis generibus, lib. 2. & sequētibus Aristoteles proponit loca, per quæ possint inueniri rationes vnicuique generi problematum accommodatæ. Libro igitur secundo agit de locis accidentis; & quia ad problemata accidentis reducuntur etiam comparationes, vt dictum est libro primo cap 4. num. 9. ideo libro 3. agit etiam de locis comparationum: libro 4. agit de locis generis: lib. 5. de locis proprij: lib. 6. de locis definitionis: & quia ad problema definitionis reducuntur etiam problemata de eodem, & de diuerso, vt dictum est eodem cap. 4. num. 3. ideo lib. 7. agit etiam de locis eiusdem, ac diuersi. Ratio, cur Aristoteles primo agat de locis accidentis, secundo de locis generis, tertio de locis proprij, quarto de locis definitionis est, quia accidens est, quod solum inest, non autem prædicatur in quid, neque conuersim; genus non solum inest, sed prædicatur in quid; proprium non solum inest, sed prædicatur conuersim; definitio non solum inest, sed prædicatur in quid, & conuersim; ergo prius fuit agendum de locis, quibus ostenditur prædicatum merè inesse; secundo de locis, quibus ostenditur prædicatum non solum inesse, sed prædicari in quid; tertio de locis, quibus ostenditur prædicatum non solum inesse, sed prædicari conuersim; quarto demum de locis, quibus ostenditur prædicatum non solum inesse, sed prædicari in quid, & conuersim; ergo prius agendum fuit de locis accidentis, secundo de locis generis, tertio de locis proprij, quarto de locis definitionis.

Quotuplex sit problema accidentis; de speciali difficultate illud probandi; & de peccatis, quæ in problematibus committuntur. Cap. I.

1 *SVnt autem problematum hæc quidem vniuersalia, illa vero particularia: vniuersalia quidem vt omnis voluptas bonum est, & nulla voluptas bonum: particularia vero, vt aliqua voluptas bonum, & aliqua voluptas non bonum.*

2 *Sunt autem ad vtraque genera problematum communia vniuersalia & constructiua, & destructiua. Ostendentes enim, quod omni inest, & quod alicui inest ostendentes erimus: similiter autem, & si quod nulli inest ostenderimus, & quod non omni inest ostendentes erimus. Primum ergo de vniuersalibus destructiuis dicendum, eo quod communia sint huiusmodi ad vniuersalia, & particularia, & quia magis positiones afferant in eo, quod inest, quàm non: disputantes autem destruant.*

1 PRopositurus Aristoteles loca accidentis, præmittit primo quædam problemata accidentis esse vniuersalia, quædam particularia. Exempla vniuersalium sunt, *omnis voluptas est bonum; nulla voluptas est bonum*: exempla particularium sunt, *aliqua voluptas est bonum; aliqua voluptas non est bonum*.

2 Præmittit secundo loca, quibus probantur, vel impugnantur, construuntur, vel destruuntur problemata vniuersalia, esse communia etiam ad probanda, atque impugnanda problemata particularia: ex. gr. ex locis, ex quibus probatur, quod omnis

nis voluptas est bona, probatur etiam, quod *aliqua voluptas est bona*; ex locis, ex quibus ostenditur, quod *nulla voluptas est bona*, ostenditur etiam, quod *aliqua voluptas non est bona*. Hinc patet non esse assignanda specialia loca pro problematibus particularibus, si quidem sufficiunt loca pro vniuersalibus. Patet rursus primo assignanda esse loca pro problematibus vniuersalibus destructiuis. Ratio est, quia proprium dialectici est disputando impugnare quod ponitur; sed plerumque poni solent problemata, & conclusiones affirmatiuæ, ex. gr. quod *omnis voluptas est bona*; ergo docendus est dialecticus primo de modo destruendi, ac impugnandi, ostendendo quod accidens non inest.

3 *Est autem difficillimum conuerti ab accidente propriam nominationem: nam aliquo modo, & non vniuersaliter in solis contingit accidentibus. A definitione enim, & proprio, & genere necessarium est conuerti: vt si inest alicui animal gressibile bipes esse, conuertentem verum erit dicere, quoniam illud animal gressibile bipes est. Similiter autem à genere. Nam si animal inest alicui, animal est. Eodem autem modo, & in proprio est. Si enim alicui inest grammatices susceptiuum esse, grammatices susceptiuum erit. Nam nihil horum contingit secundum quid inesse, vel non esse: sed simpliciter vel inesse, vel non inesse. In accidentibus autem nihil prohibet secundum quid inesse, vt albedinem, vel iustitiam. Quare non sufficit ostendere, quoniam inest albedo, vel iustitia, ad ostendendum, quòd albus, vel iustus est: nam habet dubitationem, quoniam secundum quid albus, vel iustus est. Quapropter non necessarium est in accidentibus conuerti.*

4 *Determinare autem oportet, & peccata, quæ sunt in problematibus. Nam sunt duo: vel in eo, quod falsum dicunt; vel in eo, quod transgrediuntur positam locutionem. Falsum etenim dicentes, & qui quod non inest, inesse alicui dicunt, peccant: & qui extraneis nominibus res appellant (vt platanum hominem) transgrediuntur positam nominationem.*

3 Præmittit tertio esse specialem difficultatem ad probandum, quod subiectum denominatur ab accidente, ex. gr. quod *homo est albus*. Ratio est, quia licet in alijs prædicatis valeat conuersio, qua arguitur, *prædicatum inest tali subiecto; ergo subiectum denominatur à tali prædicato*, tamen talis conuersio non valet in accidente, quia licet accidens insit subiecto, adhuc potest subiectum non denominari à tali accidente. Ratio est, quia cætera prædicata non possunt inesse *secundum quid*, accidens autem potest inesse secundum quid; sed si accidens insit subiecto *secundum quid*, subiectum non denominatur à tali accidente: ex gr. si albedo insit homini solum secundum dentes, homo non denominatur albus, & si iustitia insit alicui *secundum quid*, ille non denominatur iustus; ergo in accidente non valet, *accidens inest subiecto; ergo subiectum denominatur ab accidente*, in alijs prædicatis valet: ex. gr. valet *animal inest homini; ergo homo est animal; grammaticæ susceptiuum inest homini; ergo homo est grammaticæ susceptiuus*; ergo licet ad probandum, quod subiectum denominatur a cæteris prædicatis, sufficiat ostendere, quod talia prædicata insunt subiecto, cum in ijs valeat conuersio, adhuc ad probandum, quod subiectum denominatur ab accidente, non sufficit ostendere, quod accidens inest subiecto, quia in accidente non valet conuersio, vt explicatum est.

4 Præmittit quarto duo præsertim peccata posse committi in problematibus construendis. Primum consistit in eo, vt dicatur falsum: secundum consistit in eo, vt licet dicatur verum, dicatur locutione inusitata, atque id non significante. Ex. gr. si quis dicat hominem esse arborem, vel platanum inuersam, si sumat arborem in propria significatione, falsum dicit; si verò sumat arborem in alio sensu vero, adhuc peccat, quia vtitur locutione inusitata. Primum est peccatum quoad rem: secundum est peccatum quoad modum loquendi. Dialecticus igitur ostendendo, quod committitur alterutrum ex his peccatis, potest problema destruere, & impugnare.

De vno, & viginti locis accidentis. Cap. II.

1 *Vnus autem locus est inspicere, si quod secundum aliquem alium modum inest, vt accidens assignauit. Peccatur autem maxime id circa genera. Vt si quis albo dicat accidere colorem esse: non enim*

albo colorem esse accidit, sed genus eius color est.

2 *Contingit autem, & secundum nominationem determinare eum, qui ponit: vt quod*
3 *accidit iustitiæ virtutem esse.* * *Sæpe autem, & cùm non determinet, manifestum, quod genus vt accidens assignauit: vt si quis albedinem colorari dixerit, vel ambulationem moueri. A nullo enim genere denominatiue prædicatio de specie dicitur, sed omnia uniuoce genera de speciebus prædicantur: nam & nomen, & rationem generum suscipiunt species. Qui igitur coloratum dixit album, neque genus assignauit, quoniam denominatiue dixit, neque vt proprium, vel vt definitionem: nam definitio, & proprium nulli alij inest, sunt autem colorata, & pleraque aliorum, vt lignum, lapis, homo, equus: manifestum igitur quoniam, vt accidens assignauit.*

His præmissis, proponit, atque explicat Aristoteles quadraginta duos locos deseruientes problematibus accidentis, ex quibus vnus, & viginti explicantur hoc capite; alij sexdecim capite tertio; capite demum quarto, & vltimo adduntur alij quinque.

1 Primus locus ad destruendum problema accidentis est: qui assignauit vt accidens aliquod aliud prædicatum, puta genus, proprium, vel definitionem, peccauit, ac malè assignauit accidens. Cum enim quod inest subiecto vt genus, vel vt proprium, vel vt definitio, non sit accidens subiecti, eo ipso, quod probatur aliquid esse genus, proprium, aut definitionem, infertur illud non esse accidens subiecti. Peccatur autem frequentius assignando vt accidens subiecti, quod est genus ipsius. Ex. gr. si quis dicat esse accidens albedinis, vt sit color, peccat, quia dicit colorem, qui est genus albedinis, esse accidens albedinis.

2 Addit Aristoteles dupliciter posse aliquem peccare, assignando genus vt accidens. Primo si nominatim dicat genus esse accidens subiecti, vel accidere subiecto, vt si dicat accidere iustitiæ, vt sit virtus, cum virtus non sit accidens, sed genus iustitiæ.

3 Secundo si licet non expressè dicat accidere subiecto id, quod est genus subiecti, adhuc prædicet genus de subiecto tali prædicatione, qua non potest prædicari nisi accidens: ex. gr. si prædicet genus denominatiuè, ac loco dicendi albedinem esse colorem, dicat albedinem esse coloratam, loco dicendi ambulationem esse motum, dicat ambulationem moueri. Cum enim genus non possit de specie prædicari denominatiue, sed debeat prædicari vniuocè secundum nomen, & definitionem, eo ipso, quod dicit quis albedinem esse coloratam, indicat colorem non esse genus albedinis; sed patet, quod coloratum neque est proprium, neque definitio albedinis, cum conueniat etiam alijs ab albedine, puta ligno, lapidi &c. de quibus dicitur coloratum; ergo eo ipso assignauit colorem vt accidens albedinis, adeoque peccauit assignando genus vt accidens.

4 *Alius locus est inspicere ea, quibus inesse, aut omnibus, aut nulli dictum est:* * *&*
5 *considerare secundum species, & non in infinitis. Nam transitus magis, & in paucioribus consideratio. Oportet autem considerare, et incipere à primis, deinde consequenter vsque ad indiuidua. Vt si oppositorum eandem disciplinam quis dixerit esse, perspiciendum si eorum, quæ sunt ad aliquid, et contrariorum, et quæ secundum priuationem, et habitum, et quæ secundum contradictionem dicuntur eadem sit disciplina: et si in his nondum manifestum est, rursum ea diuidendum vsque ad indiuidua: vt si iusti vel iniusti, vel dupli, vel dimidij: vel cæcitatis, vel visus: vel esse, vel non esse. Nam si in aliquo ostendatur, quòd non eadem, interimentes erimus problema: similiter autem, & si nulli insit. Iste autem locus conuertitur ad construendum, & destruendum. Si enim in omnibus videatur cum diuisionem proferimus, vel in pluribus, postulandum est aut vniuersaliter ponere, aut instantiam ferre in aliquo non sic esse: nam si neutrum horum faciat, absurdus apparebit, qui non ponit.*

4 Secundus locus est: proposito problemate vniuersali, ex. gr. quod omnium, vel nullorum oppositorum est eadem disciplina, ad illud construendum, vel destruendum, consideranda sunt inferiora, de quibus prædicatum vniuersaliter affirmatur, aut negatur: ex. gr. consideranda sunt opposita, quorum affirmatur, aut negatur esse eadem disciplina. Si enim inueniantur aliqua opposita, quorum non est eadem disci-

disciplina, euersum erit problema vniuersale affirmatiuum asserens, quod omnium est eadem disciplina; si inueniantur aliqua opposita, quorum sit eadem disciplina; euersum erit problema negatiuum asserens, quod nullorum oppositorum est eadem disciplina.

5 Explicat deinde Aristoteles, quæ nam inferiora, & quo ordine, ac modo sint consideranda. Ex inferioribus non sunt consideranda singularia, quæ sunt infinita, sed species, quæ sunt finitæ. Ratio est, tum quia certior est ratio, & via considerandi species, quam considerandi singularia; tum quia considerando species, procedimus per pauciora, considerando singularia procedimus per plura. Iam species ita sunt considerandæ, vt incipiamus à primis, vniuersalioribus, & propinquioribus generi diuiso, ac deinde descendamus ad posteriores minus vniuersales, ac remotiores à genere diuiso, donec perueniamus ad species specialissimas, atque indiuisibiles in alias species. Ex. gr. proposito problemate, an oppositorum sit eadem disciplina? debemus primo diuidere genus oppositi in primas species, quæ sunt relatiua, contraria, priuatiua, & contradictoria, & debemus considerare, vtrum eadem sit disciplina relatiuorum, contrariorum &c. & si in his non occurrat instantia, debemus rursus subdiuidere contraria &c, donec perueniamus ad species vltimas, ac debemus considerare vtrum iusti, & iniusti, quæ sunt contraria, sit eadem disciplina? an sit eadem disciplina dupli, & dimidij, quæ sunt relatiua? visus, & cæcitatis, quæ opponuntur priuatiuè? entis, & non entis, quæ opponuntur contradictoriè? & siquidem de aliqua specie oppositorum ostenderimus, quod eorum non sit eadem disciplina, euertemus problema vniuersale affirmatiuum; si verò per diuisionem ostenderimus nulla posse assignari opposita, quorum non sit eadem disciplina, construemus, ac probabimus problema vniuersale affirmatiuum asserens omnium oppositorum esse eamdem disciplinam. Si enim ostendamus, quod plurium, & plurium oppositorum enumeratorum eadem est disciplina, iure possumus postulare ab aduersario, vt vel concedat omnium oppositorum esse eamdem disciplinam, vel afferat instantiam in contrarium, quam si non afferat, absurdè videbitur negare omnium oppositorum esse eamdem disciplinam. Patet igitur hunc locum esse vtilem ad problema tum destruendum, tum construendum.

6 *Alius est, definitiones facere accidentis, & eius cui accidit, aut vtriusque de vtroque aut alterius: deinde considerare si quid non verum in definitionibus, perinde ac verum sumptum sit. Vt si est Deum iniustitiam facere quid iniustitiam facere: si enim nocere sponte, manifestum, quoniam non est Deum iniustitiam facere: non enim contingit nocere Deum: et si inuidus sit studiosus, quis inuidus, et quæ inuidia: nam si inuidia est tristitia in apparenti prosperitate alicuius proborum, manifestum est, quòd studiosus non est inuidus, prauus enim esset: et si indignans inuidus, quis vterque eorum: sic enim manifestum erit vtrum verum, an falsum sit, quod dictum est. Vt si inuidus quidem sit, qui tristatur in bonorum prosperitatibus, indignans autem, qui in malorum prosperitatibus tristatur, manifestum, quòd non erit inuidus indignans. Sumere autem et pro ijs, quæ in definitionibus sunt nominibus definitiones, et non desistere, donec ad notum deuentum sit. Nam sæpe cum tota quidem definitio assignata sit, non manifestum est, quod quæritur: pro aliquo autem eorum, quæ in definitione sunt, nominum, definitione dicta manifestum sit.*

6 Tertius locus est: cum subiecto attribuitur aliquod accidens, definiendum est subiectum, vel accidens, vel vtrumque, atque ex definitione examinandum, vtrum aliquid falsum loco veri attributum sit subiecto. Ex. gr. si quis dixerit Deum iniuriam facere, definiendum est, quid sit iniuriam facere. Si enim iniuriam facere est, sponte nocere, patet Deum, qui nemini nocere potest, non posse iniuriam facere. Rursus, si quis dixerit virum probum aliquando esse inuidum, definiendum, quid sit inuidere. Cum enim inuidere sit tristari ex prosperitatibus apparentibus alicuius viri probi, patet virum probum non inuidere, alioquin eo ipso esset improbus. Si quis autem dixerit indignantem inuidere, definiendum est, quid sit indignari, & quid inuidere. Cum igitur indignari sit tristari ex prosperitatibus malorum, inuidere sit tristari ex prosperitatibus bonorum, pa-

tet, quod indignari non est inuidere. Quod si allata definitione accidentis, ac subiecti, adhuc non satis appareat quod quærimus, subdefinienda sunt nomina, ex quibus constant tales definitiones, nec desistendum, donec ad manifesta fuerit peruentum. Sæpe enim accidit, vt cum ex definitione accidentis, ac subiecti non sit manifestum quod quærimus, subdefiniendo aliquod nomen positum in talibus definitionibus, reddatur manifestum.

7 *Amplius, problema propositionem sibi facientem instare: nam instantia erit argumentum ad positionem. Est autem locus hic pene idem ei, quo considerare, quibus inesse, vel omnibus, vel nullis dictum est, differt autem modo.*

8 *Amplius, determinare, quæ oportet dicere, vt plures, et quæ non. Vtile enim, et ad construendum, et ad destruendum. Vt quod nominationibus quidem res nuncupandum, vt plures: quæ autem sunt talia ne, an non talia, non amplius attendendum ad plures. Vt salubre quidem dicendum effectiuum sanitatis, ceu plures dicunt: vtrum autem propositum effectiuum sit sanitatis, an non, non amplius vt plures dicendum, sed vt Medicus.*

7 Quartus locus est: proposito problemate, debemus illud in propositionem mutare, ac deinde quærere instantiam contra talem propositionem. Ex. gr. proposito problemate, *vtrum omnis virtus sit scientia?* debemus illud mutare in hanc propositionem; *nonne omnis virtus est scientia?* & debemus quærere instantiam ex aliqua virtute, quæ non sit scientia; & quia inuenimus, quod virtutes morales, vtpote quæ sunt in parte appetitiua animæ, non sunt scientiæ, ideo habemus instantiam, ex qua possumus sic argumentari: virtutes morales non sunt scientiæ; ergo non omnis virtus est scientia. Addit Aristoteles hunc quartum locum fere coincidere cum secundo, ac solum ab illo differre ratione, ac modo. Nam iuxta secundum locum, problema non mutatur in propositionem, sed nulla facta mutatione, per diuisionem quæritur instantia in subiectis speciebus: at iuxta quartum locum problema mutatur in propositionem, ac deinde quæritur instantia.

8 Quintus locus est, vt determinemus, in quibus debeamus sequi multitudinem, & vulgus, & in quibus debeamus sequi sapientes. In significatione nominum debemus sequi multitudinem, & vulgus; in statuendo verò, vtrum res tales sint, vel non sint? non debemus sequi vulgus, sed sapientes, ideoque communiter dicitur *loquendum cum multis, sentiendum cum paucis*. Ex. gr. dicendum, quod salubre est effectiuum sanitatis, quia vulgus id intelligit nomine salubris; at dum quæritur, vtrum hoc, vel illud sit salubre, & effectiuum sanitatis, an non? non est standum iudicio vulgi, sed iudicio medicorum. Addit Aristoteles hunc locum esse vtilem tum ad problemata destruenda, tum ad construenda. Ex. gr. ad destruendam sententiam Stoicorum, quod omnis sapiens sit diues, possumus argumentari, quia communiter homines nomine diuitis intelligunt eum, qui multas possidet opes; sed non omnis sapiens multas possidet opes; ergo &c. Si quis autem dicat felicitatem consistere in diuitijs, eo quod vulgus sic existimet, instandum, quia in quæstione, in qua quæritur, in quo consistat felicitas? non debemus sequi iudicium vulgi, sed sapientum. Possumus ex eodem loco construere problema, quod felicitas consistat in actione secundum virtutem, ex eo, quod sic sentiant sapientes; & quod diues sit, qui multas habet opes, ex eo, quod id vulgus intelligat nomine diuitis.

9 *Amplius, si multipliciter dicatur, positum autem sit, quoniam inest, aut quoniam non inest: alterum monstrare eorum, quæ multipliciter dicuntur, si non vtraque contingat. Vtendum autem in ijs, quæ latent. Nam si non lateat multipliciter dictum, instabit, quoniam non monstratum est id, quod ipse dubitabat, sed alterum.*

10 *Hic autem locus conuertitur, et ad construendum, et ad destruendum. Nam construere volentes ostendemus, quoniam alterum inest, si non ambo poterimus: destruentes autem, quoniam non inest alterum ostendemus, si ambo non poterimus. Veruntamen destruenti quidem nihil oportet ex concessione disputare, neque si omni, neque si nulli dictum sit inesse. Nam si ostenderimus, quoniam non inest quodcunque id sit, interimentes erimus omni inesse: similiter autem, et si vni ostenderimus inesse, interimentes nulli inesse. Construentibus autem*

tem praeconfitendum, quod cuiuis inest, omni inest, si verisimile sit postulatum. Non sufficit enim ad ostendendum, quòd omni inest, in vno disputasse. Vt si hominis anima immortalis est, propter hoc, anima omnis immortalis: quare praeconfitendum, quòd si quaecunque anima immortalis, omnis immortalis. Hoc autem non semper faciendum, sed quando non facile possumus communem in omnibus vnam rationem dicere, quemadmodum Geometer, quòd triangulus duobus rectis aequos habet tres angulos.

9 Sextus locus est: si aliquid multipliciter dicatur, assumptum autem sit sine distinctione, quod inest, vel non inest, si non possumus id in omnibus sensibus, & significationibus probare, conandum est, vt in aliquo saltem sensu probemus. Ex. gr. si dicatur; *oportet virum probum in negotijs reipublicae versari*, ly *oportet* significat tum *esse honestum*, tum *esse necessarium*. Si ergo non possumus ostendere, quod honestum sit, ac necessarium, vt vir probus in Republica versetur, debemus conari, vt saltem alterutrum ostendamus. Addit Aristoteles, quod tum solum sufficit probare propositum in altero sensu, cum latet ambiguitas sensuum. Si enim ambiguitas sit manifesta, aduersarius instabit, propositum non esse probatum in eo sensu, in quo procedit quaestio, sed in alio.

10 Est autem hic locus vtilis tum ad destruendum, tum ad construendum problema. Nam cum debemus probare, quod praedicatum inest, si non possumus ostendere, quod inest in vtroque sensu, debemus probare, quod inest in altero; & cum debemus probare, quod praedicatum non inest, si non possumus probare, quod in neutro sensu inest, sufficit vt probemus, quod saltem non inest in altero. Attamen si aduersarius dixerit, quod praedicatum omni, vel nulli inest, nos autem debeamus impugnare, ac destruere quod dictum est, non indigemus vlla suppositione, vel praeconcessione, sed sufficit, vt probemus, quod alicui non inest: per hoc enim destruimus positionem vniuersalem, quod omni inest: vel vt probemus, quod alicui inest: eo enim ipso destruimus positionem vniuersalem, quod nulli inest. E conuerso si debeamus probare positionem vniuersalem, quod omni inest, non sufficit ostendere, quod alicui inest, nisi praeconcessum fuerit, quod si alicui inest, omnibus inest, eo quod de omnibus sit eadem ratio. Ex. gr. si praeconcessum fuit, quod si aliqua anima est immortalis, omnis anima est immortalis, ad ostendendum, quod omnis anima est immortalis, sufficit ostendere, quod aliqua anima est immortalis; at si non fuerit id praeconcessum, non sufficit. Non semper tamen debemus postulare talem praeconcessionem, sed tum solum, cum non habemus rationem vniuersalem ad demonstrandum vniuersaliter propositum; cum autem habemus rationem vniuersalem ad propositum demonstrandum, non debemus postulare talem praeconcessionem. Ex. gr. quia geometra habet rationem vniuersalem ad demonstrandum, quod *cuiuscunque trianguli tres anguli sunt aequales duobus rectis*, non debet postulare, vt praeconcedatur, quod si alicuius trianguli tres anguli sunt aequales duobus rectis, cuiuscunque trianguli tres anguli sunt aequales duobus rectis.

11 *Si autem non lateat, quòd multipliciter dicitur, diuisum quotupliciter dicitur et interimendum, et construendum. Vt si decens est vtile, aut honestum, tentandum ambo construere, vel interimere de proposito: vt quod honestum, & quod vtile, vel quod neque honestum, neque vtile. Si autem non contingat vtraque, alterum ostendendum, annotato, quòd hoc quidem est, illud autem non. Eadem autem ratio, etiam si plura sint, in quae diuiditur.*

11 Septimus locus est: cum manifesta est multiplicitas nominis, explicandum, quotupliciter nomen dicatur, & conandum, vt propositum in omni sensu probetur, vel euertatur. Ex. gr. propositum sit, quod *decens est virum probum in publicis negotijs versari*, explicandum, quod decens est tum vtile, tum honestum, & si problema sit costruendum, probandum, quod & vtile, & honestum est virum probum in publicis negotijs versari; si problema sit destruendum, probandum, quod neque honestum, neque vtile est virum probum in publicis negotijs versari. Si autem non possimus vtrumque construere, vel destruere, debemus saltem construere, vel destruere alterum, aduertendo tamen, quod propositum in altero sensu est admittendum vt verum, in altero est reijciendum vt falsum.

sum. Idem dic, si propositum habeat plures sensus, quam duos.

12 *Rursum quæcunque non secundum æquiuccationem dicuntur multipliciter, sed alio modo. Vt disciplina vna plurium, vt finis, aut vt eius, quod ad finem: vt medicina eius, quod sanitatem facit, et quod cibat: aut vt amborum finium, velut contrariorum eadem disciplina (nihil enim magis finis alterum altero:) aut vt eius, quod per se est, et eius, quod per accidens: vt per se quidem, quod triangulus duobus rectis æquales habet tres angulos, per accidens autem, quòd æquilaterus: quoniam enim accidit triangulo æquilaterum triangulum esse, per hoc cognoscimus, quod duobus rectis æquales habet.*

13 *Si ergo nullo modo contingit eamdem esse plurium disciplinam, manifestum, quoniam omnino non contingit esse, aut si aliquo modo contingit, manifestum, quod contingit. Diuidere autem quotupliciter, vtile: vt si voluerimus construere, talia præstatuenda sunt, quæcunque contingunt, et diuidendum in ea tantum, quæcunque vtilia sunt ad construendum: si autem destruere, quæcunque non contingunt, reliqua vero omittenda. Id autem faciendum in ijs, cùm latuerit quotupliciter dicuntur. Et esse hoc quidem huius, aut non esse ex eisdem locis astruendum: vt disciplinam, huius quidem, aut vt finis, aut vt eorum, quæ sunt ad finem, aut vt eorum, quæ sunt secundum accidens, vel rursum non esse aliquid secundum aliquem dictorum modorũ. Eadem autem ratio, et in desiderio, et quæcunque alia dicuntur plurium. Est enim desiderium huius, aut vt finis, vt sanitatis, aut vt eorum, quæ sunt ad finem, vt medicinæ conficiendæ, aut vt eorum, quæ sunt secundum accidens, vt in vino amicum dulce, non quia vinum, sed quia dulce est: nam per se dulce desiderat, vinum autem per accidens: si enim austerum fit, non amplius desiderat: per accidens ergo desiderabat. Vtilis autem locus hic, & in ijs, quæ sunt ad aliquid: pene enim talia ea, quæ ad aliquid sunt.*

12 Vt proponatur, & explicetur octauus locus, notandum, quod aliquando multiplicitas significandi conuenit nomini seorsim, & dicitur æquiuocatio, aliquando conuenit orationi, & dicitur amphibologia, vel ambiguitas. Exemplum orationis ambiguæ, & habentis plures sensus est, *vna disciplina est plurium*. In triplici enim sensu potest vna disciplina esse plurium. Primo potest vna disciplina esse vnius vt finis, aliorum vt mediorum conducentium ad finem. In hoc sensu medicina est scientia sanitatis, victus, & medicamentorum; sanitatis quidem, vt finis; victus, & medicamentorum, vt mediorum conducentium ad sanitatem. Secundo potest vna disciplina esse plurium vt finium, eo pacto, quo scientia de coloribus considerat vt finem tum album, tum nigrum. Neque enim est ratio, cur vnum contrarium consideretur vt finis potius, quam aliud. Tertio potest vna disciplina esse vnius per se, alterius per accidens: ex. gr. geometria per se demonstrat, quod triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis, per accidens autem ostendit, quod triangulum æquilaterũ habet tres angulos æquales duobus rectis, eo quod accidit triangulum esse æquilaterum.

13 Octauus igitur locus est, vt quando problema est ambiguum, aduertamus, an in aliquo sensu verificetur, vel in nullo. Si in nullo, possumus illud destruere. Si enim in nullo sensu verificatur ex. gr. quod vna disciplina est plurium, proculdubio falsum est, quod vna disciplina est plurium. Si autem in aliquo sensu verificatur, quod vna disciplina est plurium, verum est, quod vna disciplina est plurium. Addit Aristoteles, quod ad construendum problema, debemus solum distinguere sensus, in quibus verificatur, omittendo sensus, in quibus falsificatur; ad problema autem destruendum, debemus distinguere solos sensus, in quibus falsificatur, alios omittendo; id verò est faciendum, cum latet multiplicitas sensuum. Possumus autem hoc loco vti, tum ad construendum, tum ad destruendum. Ex. gr. ad probandum, quod vna disciplina est plurium, debemus distinguere sensus problematis, & ostendere, quod vna disciplina & potest esse plurium alterius vt finis, aliorum vt mediorum; & potest esse plurium vt finium; & potest esse plurium, aliorum per se, aliorum per accidens. Si verò velimus destruere, quod vna disciplina sit plurium, distinctis ijsdem sensibus problematis, debemus ostendere, quod in nullo eorum est plurium. Idem dic etiam de hoc problemate, *desiderium est plurium*, ac de alijs similibus.

Desi-

Desiderium enim potest esse plurium, alterius vt finis, alterius vt medij, eo pacto, quo ægrotus desiderat sanitatem vt finem, medicamenta vt media; vel alterius per se, alterius per accidens, eo pacto, quo qui desiderat vinum, quia est dulce, desiderat dulce per se, vinum per accidens, ideoque vinum austerum non desiderat, dulce verò desiderat, etiam si non sit vinum. Concludit Aristoteles hunc locum esse etiam vtilem ad problemata de relatiuis: nam relatiua solent esse ambigua.

14 *Amplius transferre ad euidentius nomen. Vt pro exacto in opinione, clarum, & pro curiositate, cupiditas superfluarum rerum: euidentiori enim facto, quod dictum est, bene argumentabilis est positio. Est autem hic locus ad vtrunque communis, ad construendum, & ad destruendum.*

15 *Ad ostendendum autem contraria circa idem inesse, considerandum in genere. Vt si volumus ostendere, quòd est circa sensum rectitudo, & peccatum: sentire quidem iudicare est, iudicare autem est rectè, & non rectè, & circa sensum erit rectitudo, & peccatum. Nunc ergo ex genere circa speciem demonstratio fit. Nam iudicare est genus sentire: qui nanque sentit, aliquo modo iudicat.*

14 Nonus locus est: cum problema propositum est per nomina obscuriora, proponere illud debemus per nomina clariora; tum enim facilius construetur, ac destruetur. Ex. gr. si propositum sit, *vtrum exactum in opinione sit facile cognitu?* mutandum est nomen exacti, ac proponendum *vtrum clarum sit facile cognitu?* & tunc problema facilius soluetur. Similiter si propositum sit, *vtrum curiositas sit laudabilis?* mutando nomen curiositatis in nomina clariora, ac proponendo, *vtrum cupiditas superfluarum rerum sit laudabilis?* problema facilius soluetur. Addit Aristoteles hunc locum esse vtilem tum ad construendum, tum ad destruendum.

15 Decimus locus est: si ostendendum sit, quod contraria accidentia possint inesse speciei, considerandum est, an contraria accidentia possint inesse generi? Cum enim quotiescunque contraria accidentia possunt inesse generi, possint etiam inesse speciebus contentis sub tali genere, habemus argumentum ad probandum contraria accidentia posse inesse speciebus. Ex. gr. ad ostendendum, quod sensus sit capax rectitudinis, & peccati, debemus considerare, an potentia iudicatiua, quæ est genus, sub quo continetur sensus, seu potentia sensitiua, sit capax rectitudinis, & peccati. Possumus igitur sic argumentari: potentia iudicatiua est capax rectitudinis, ac peccati, cum possimus iudicare rectè, & non rectè; sed sensus est quædam potentia iudicatiua; ergo etiam sensus est capax rectitudinis, ac peccati, & possumus sentire rectè, & non rectè.

16 *Rursum ex specie generi: quæcunque enim speciei insunt, & generi. Vt si disciplina praua est, & studiosa, & dispositio praua, & studiosa: nam dispositio, disciplinæ genus.*

17 *Primus autem locus falsus est ad construendum, secundus autem verus. Non enim necessarium quæcunque generi insunt, & speciei inesse: nam animal est volatile, & quadrupes, homo autem non. Quæcunque vero speciei insunt necessario, & generi: si enim homo studiosus, & animal studiosum est. Ad destruendum autem, & primus quidem verus, secundus autem falsus. Quæcunque enim generi non insunt, neque speciei: quæcunque vero speciei non insunt, non necesse est generi non inesse.*

16 Vndecimus locus est: ad probandum aliquid de genere, debemus considerare, an illud conueniat speciei. Ex. gr. ad probandum, quod dispositio potest esse tum bona, tum praua, debemus considerare, an disciplina, quæ est species dispositionis, possit esse tum bona, tum praua, sic arguendo: disciplina potest esse tum bona, tum praua; sed dispositio est genus disciplinæ; ergo etiam dispositio potest esse tum bona, tum praua. Quæ enim conueniunt speciei, possunt etiam conuenire generi.

17 Addit Aristoteles, quod à genere ad speciem valet argumentum destructiuū, non autem constructiuum: è conuerso à specie ad genus valet argumentum constructiuum, non autem destructiuum. Ratio est, quia licet quæ non conueniunt generi, non conueniant speciei, adeoque ex eo, quod aliquod prædicatum non conueniat generi, possit inferri, quod neque conuenit speciei, tamen non est necesse, vt

quod conuenit generi, conueniat etiam speciei, adeoque ex eo, quod aliquod prædicatum conueniat generi, non potest inferri, quod conueniat etiam speciei: ex. gr. animal potest esse tum volatile, tum quadrupes, & tamen homo, qui est species animalis nec potest esse volatilis, neque quadrupes. E conuerso quæ conueniunt speciei conueniunt etiam generi. Si enim homo potest esse albus, etiam animal potest esse album; at quæ non conueniunt speciei, possunt conuenire generi: ex. gr. licet homo non possit esse quadrupes, adhuc animal potest esse quadrupes; ergo à genere ad speciem valet argumentum destructiuum, non constructiuum: e conuerso à specie ad genus valet solum argumentum constructiuum, non destructiuum.

18 *Quoniam autem necessarium de quibus genus prædicatur, & specierum aliquam prædicari: & quæcunque habent genus, vel denominatiuè dicuntur à genere, & specierum aliquam habere necesse est, vel denominatiuè ab aliqua specierum dici. Vt si de aliquo disciplina prædicatur, & Grammatica, vel musica, vel aliqua disciplinarum aliarum prædicabitur: & si aliquis habet disciplinam, vel denominatiuè à disciplina dicitur, & grammaticam habebit, aut musicam, aut aliquam aliarum disciplinarum, vel denominatiuè ab aliqua earum dicetur, vt grammaticus, vel musicus.*

19 *Si igitur aliquid dictum à genere quoquomodo, vt animam moueri, considerandum est, si secundum aliquam specierum motus contingit animam moueri, vt augeri, vel minui, vel corrumpi, vel generari, aut quæcunque aliæ motus species sunt: nam si secundum nullam, manifestum est, quod non mouetur. Hic autem locus communis ad vtrunque, & ad construendum, & ad destruendum. Si enim secundum aliquam speciem mouetur, perspicuum est, quoniam mouetur: & si secundum nullam specierum mouetur, manifestum, quòd non mouetur.*

20 *Cum autem facultas non adsit argumentationis ad positionem, intendendum ex definitionibus, aut quæ sunt proposita rei, vel quæ videantur, & si non ab vna, etiam à pluribus. Facile enim definientibus argumentari erit: nam ad definitiones facilis argumentatio.*

18 Vt proponat duodecimum locum, præmittit, atque explicat Aristoteles quoddam axioma, quod est: necesse est, vt si genus prædicatur essentialiter de aliquo subiecto, aliqua species talis generis prædicetur de eodem subiecto: rursus necesse est, vt quod habet genus, vel denominatur à genere, habeat aliquam speciem talis generis, aut ab aliqua specie denominetur. Ex. gr. si de aliquo subiecto prædicatur essentialiter disciplina, de eo prædicabitur etiam aliqua species disciplinæ, ac proinde tale subiectum erit vel grammatica, vel musica, vel aliqua alia disciplina. Similiter si verum est de aliquo, quod habet disciplinam, verum est, quod habet aliquam disciplinæ speciem, ac proinde vel habet grammaticam, vel musicam &c. & si quis à disciplina denominatur disciplinatus, denominatur etiam ab aliqua specie disciplinæ, & vel est grammaticus, vel musicus &c. Ratio est, quia genus non potest subsistere separatum ab omnibus speciebus.

19 Hoc posito: si de aliquo prædicatur genus vel essentialiter, vel denominatiuè, vel quomodocumque, puta si dicatur, quod anima mouetur, duodecimus locus ad tale problema probandum, vel improbandum est videre, an de eo dicatur vlla species talis generis? Si enim ostendatur, quod anima non mouetur vlla specie motus, eo quod neque generetur, neque corrumpatur, neque augeatur, neque minuatur, manifestum est, quod non mouetur; si verò ostendatur, quod anima mouetur aliqua specie motus, manifestum est, quod mouetur. Hinc autem patet hunc locum esse vtilem tum ad problema construendum, tum ad destruendum.

20 Tertius decimus locus est: si quis non abundet argumentis ad probandum, quod de aliquo subiecto dicantur species alicuius generis, debet definire, ac describere tales species, afferendo plures descriptiones non solum veras, sed etiam verisimiles: nam facile deinde occurrent argumenta ad probandam de subiecto aliquam ex dictis speciebus.

21 *Considerandum autem in proposito, quonam existente, necesse est positum esse, aut quid est ex necessitate, si propositum est. Construere quidem volenti, quo existente propositum erit ex necessitate: nam si illud ostendatur esse, & propositum ostensum erit.*

Destrue-

Destruere autem volenti, quid est, si propositum est: nam si ostenderimus consequens propositum non esse, interimentes erimus propositum.

22 *Amplius ad tempus inspiciendum, si alicubi dissonat. Vt si quod nutritur, dixerit quis ex necessitate augeri: nutriuntur enim semper animalia, augentur autem non semper. Similiter autem & si scire dixerit quis reminisci: hoc enim præteriti temporis est, illud autem præsentis, & futuri: scire enim dicimur præsentia, & futura, vt quoniam erit Solis defectus; reminisci autem non contingit aliud, quam præteritum.*

21 Decimus quartus locus est ex antecedentibus, & consequentibus. Proposito problemate, consideranda sunt tum antecedentia, quibus positis necessario sequitur problema, tum consequentia, quæ necessario sequuntur posito problemate. Si enim demonstrauerimus aliquod ex antecedentibus, eo ipso demonstrabimus problema positum, quandoquidem posito antecedenti, necessario sequitur consequens: si autem demonstrauerimus non dari aliquod ex consequentibus, eo ipso destruemus problema, quandoquidem ablato consequente, necessario aufertur antecedens. Constructio igitur antecedentium est vtilis ad problema construendum; destructio cõsequentium est vtilis ad problema destruendum. Ex. gr. posito problemate, *vtrum voluptas sit bonum*? ad illud construendum debemus inuenire aliquod antecedens, ex quo necessario sequatur voluptatem esse bonam, quod antecedens sit, quod *voluptas est secundum naturam*. Si enim ostenderimus, quod omnis voluptas est secundum naturam, eo ipso ostendemus, quod *omnis voluptas est bona*. Ad idem problema destruendum debemus inuenire aliquid, quod necessario sequatur ex eo, quod omnis voluptas sit bonum, quod consequens sit, quod nulla voluptas sit vituperabilis. Si enim ostenderimus falsum esse, quod nulla voluptas sit vituperabilis, eo ipso ostendemus falsum esse antecedens, quod omnis voluptas sit bonum, adeoque destruemus problema propositum.

22 Decimus quintus locus est, vt consideremus an tempus discrepet. Ex. gr. si quis dixerit omne, quod nutritur ex necessitate augeri, ex discrepantia temporis possumus arguere, quia animalia, & plantæ semper nutriuntur; sed non semper augentur; ergo non est necessarium, vt quod nutritur augeatur. Similiter si quis dixerit, quod scire est reminisci, possumus arguere, quia solius præteriti possumus reminisci; sed scire possumus etiam præsentia, & futura, ex. gr. scire possumus, quod erit eclypsis; ergo scire non est reminisci.

23 *Amplius sophisticus modus ducere ad id, ad quod plurimam habemus argumentorum facultatem. Hoc autem erit quandoque quidem necessarium, quandoque autem apparens necessarium, quandoque autem neque apparens, neque necessarium. Necessarium quidem, quando negante eo, qui respondet aliquid vtilium ad positionem, ad illud rationes facit: contingit autem id talium esse, ad quæ copiosam argumentorum facultatem habemus. Similiter autem, & quando inductionem ad aliquid per positum faciens, interimere conatur: hoc enim interempto, & propositum interimitur. Apparens autem necessarium est, quando videtur quidem vtile, & accommodum positioni, non est autem ad id ad quod fiunt disputationes, siue negante eo, qui disputationem sustinet, siue ab inductione probabili, per positionem ad idem factam interimere conetur idipsum. Reliquum vero, quando nec necessarium est, nec apparens ad id, ad quod fiunt disputationes, & sine causa accidit redarguere respondentem. Oportet autem deuitare postremum dictorum modum: omnino enim semotus, & extraneus videtur esse à dialectica. Quare oportet & respondentem non grauiter ferre, sed ponendo quæ non vtilia sunt ad positionem, significare quæcunque non videntur, ponit tamen. Nam magis perplexos esse vt plurimum contingit eos, qui interrogant, quando omnia huiusmodi ab eis posita fuerint, si non concludunt.*

23 Decimus sextus locus est, vt disputationem transferamus ad id, circa quod habemus copiam argumentorum. Hunc locum Aristoteles vocat sophisticum, quia Sophistæ solent digredi ab eo, quod est propositum, ad alia, circa quæ abundant argumentis. Porrò hæc digressio aliquando est necessaria, aliquando licet non sit necessaria videtur necessaria, aliquando neque est, neque videtur necessaria. Primo hæc digressio est necessaria, cum respondens negat aliquam propositionem vtilem

ad probandum intentum, immo etiam affert argumenta ad probandam falsitatem talis propositionis. Tum enim necesse est, vt disputans digrediatur ad probandam propositionem negatam, ad quam probandam contingit aliquando, vt habeat magnam copiam argumentorum. Similiter si disputans proponat aliquam inductionem ad probandum propositum, respondens verò per instantias conetur destruere talem inductionem, necesse est, vt disputans digrediatur ad eam inductionem confirmandam. Ex. gr. si quis ad ostendendum, quod omnis voluptas est bona, assumat, quod omne id, quod est secundum naturam est bonum, & probet id inductione; respondens verò neget assumptum, atque inductionem infirmare conetur instantijs, quia nimirum mors est secundum naturam, & tamen non est bona, necesse est, vt disputans digrediatur ad probandum, quod id, quod est secundum naturam est bonum, circa quod fortasse habebit copiam argumentorum. Secundo, hæc digressio videtur necessaria, cum disputans ponit aliquam propositionem, quæ licet non sit vtilis ad probandum intentum, adhuc videtur vtilis, respondens verò negat propositionem positam, vel etiam per inductionem, atque instantias conatur illam euertere. Tum enim videtur necessarium, vt disputans digrediatur ad probandam propositionem negatam. Tertio demum digressio nec est, neque videtur necessaria, cum disputans ponit propositionem, quæ neque est, neque videtur vtilis ad probandum intentum, eaque negata, digreditur ad illam probandam, vt videatur redarguere respondentem. Addit Aristoteles hunc postremum modum digrediendi, vt pote sophisticum, omnino vitandum esse à Dialectico. Respondens præterea ne fiat talis digressio, cum ponuntur propositiones inutiles ad probandum intentum, debet illas transmittere, significando se non ideo illas transmittere, quia putet veras, sed quia putat inutiles ad propositum euincendum. Solent enim magis confundi argumentantes, cum licet omnia huiusmodi fuerint transmissa, adhuc nihil possunt concludere.

24 *Amplius omnis, qui dixit vnum quoduis, quodam modo multa dixit, eo quòd plura vnicuique ex necessitate consequentia sunt, vt qui hominem dixit esse, & quòd animal est dixit, & quòd animatum, & quòd bipes, quodque mentis, & disciplinæ susceptiuum): quare quouis vno consequentium interempto, interimitur & quod in principio est. Cauere autem oportet in huiusmodi, difficilioris assumptionem facere. Nam quandoque facile est consequens interimere, quandoque idipsum propositum.*

25 *Quibuscunque autem necesse est alterum tantum inesse, vel non inesse, vt homini ægritudinem, vel sanitatem: si ad alterum facile poterimus disputare, quod inest, vel non inest, & ad reliquum facile poterimus. Hoc autem conuertitur ad vtrunque. Ostendentes enim, quod inest alterum, quod non inest reliquum ostendentes erimus: si autem quod non inest ostendamus, reliquum inesse ostendentes erimus. Manifestum igitur, quod ad vtrunque vtilis hic locus est.*

26 *Amplius argumentari transferendo nomen in orationem: cum longe magis consentaneum visum fuerit transumere, quam vt ponitur nomen. Vt magnanimum non fortem (vt ponitur) sed magnum animum habentem: quemadmodum fidentem, bona sperantem. Similiter autem, & ingeniosum, cuius fuerit genius studiosus. Quemadmodum Xenocrates inquit, ingeniosum eum esse, qui animam fortius est studiosam: ipsam enim vnicuique esse genium.*

24 Decimus septimus locus est: quia qui dicit vnum, dicit quodammodo multa, in quantum dicit omnia, quæ consequuntur ad illud vnum, eo pacto, quo qui dicit aliquem esse hominem, dicit illum esse animal, esse viuens, esse bipedem, esse artis, ac disciplinæ susceptiuum, idcirco ad euertendum positum, sufficit euertere quodlibet ex consequentibus: ex. gr. eo ipso, quod ostendamus aliquem non esse disciplinæ susceptiuum, quod sequitur ad hominem, ostendimus illum non esse hominem. Antequam autem ad euertendum antecedens digrediamur ad euertendum consequens, considerandum est, an possimus facilius euertere consequens, quam antecedens: nisi enim facilius sit euertere consequens, inutilis est talis digressio.

25 Decimus octauus locus est: cum duo ita se habent, vt necesse sit alterum subiecto conuenire, alterum non conuenire, eo pacto, quo necesse est hominem vel esse sanum, vel esse ægrotum, si possumus facile de altero ostendere, quod inest, vel non inest, eo ipso possumus concludere de

de reliquo, quod inest, vel non inest. Addit Aristoteles hunc locum esse vtilem ad problema tum construendum, tum destruendum. Ex. gr. quia necesse est, vt homo vel sit sanus, vel ægrotus, si ostendamus, quod non est ægrotus, concludimus, quod est sanus; si ostendamus, quod est ægrotus, concludimus quod non est sanus.

26 Decimus nonus locus est ex nominis etymologia. Cum ad propositum probandum aptior est oratio explicans etymologiam nominis, quam ipsum nomen, debemus nomen mutare in orationem, ex eaque arguere. Ex.gr. si quis velit ostendere, non solum fortem, sed omnem virtute præditũ esse ἔυψυχον, debet arguere, quia sicut ἔυελπις est, qui bene sperat, sic ἔυψυχος est, qui bene animo est affectus; sed non solum fortis, sed etiam iustus, temperans, & vniuersim quilibet virtute præditus bene animo est affectus; ergo &c. Similiter si quis velit ostendere, quod sapiens est felix, siue ἔυδαίμων debet argumentari quia, ἔυδαίμων est, qui habet bonum dæmonem, seu bonum genium; sed vt Xenocrates dicit, anima est genius, ac dæmon vniuscuiusque; ergo felix est, qui habet bonam animam; sed sapiens, & virtute præditus, bonam habet animam; ergo sapiens, & virtute præditus est felix, atque ἔυδαίμων.

27 *Quoniam autem rerum alia quidem sunt ex necessitate, alia autem vt in pluribus,*
28 *alia vero vtrumlibet, * si quod ex necessitate est, vt in pluribus ponatur, aut quod vt in pluribus, ex necessitate: aut ipsum, aut contrarium ei, quod est in pluribus, semper dat locum argumentationis. Nam si quod ex necessitate est, vt in pluribus ponatur, manifestum quoniam non omni dicit inesse, cum insit omni: quare peccauit. Si vero, quod vt in pluribus dicitur, ex necessitate dixit, omni dixit inesse, cùm non insit omni. Similiter autem, & si contrarium ei, quod in pluribus est, ex necessitate dixit: semper enim in paucioribus dicitur contrarium ei, quod est vt in pluribus: vt si vt in pluribus praui homines, boni in paucioribus: quare multo magis peccauit, si bonos ex necessitate dixit esse. Similiter autem, & si quod vtrunlibet est, ex necessitate dixit, vel vt in pluribus: neque enim ex necessitate vtrunlibet, neque vt in pluribus. Continget autem, & si non determinans dixerit, vtrum vt in pluribus, an ex necessitate dixit, sit autem res, vt in pluribus, disputare vt si ex necessitate is dixerit: vt si prauos exhæredandos dixit esse, non determinans, tanquam ex necessitate is dixerit, disputare.*

29 *Amplius & si idem sibi accidens posuerit vt alterum, eò quòd alterum sit nomen. Quemadmodum Prodicus diuidebat voluptates, in gaudium, & iucunditatem, & lætitiam: hæc enim omnia eiusdem (id est voluptatis) nomina sunt: si ergo aliquis gaudere, ei quod est lætari, ponat accidere, idem vtique sibiipsi dicet accidere.*

27 Vt proponat vigesimum locum, præmittit Aristoteles quandam diuisionem. Eorum, quæ sunt, quædam sunt semper, & ex necessitate; quædam sunt plerunque; quædam sunt contingentia ad vtrumlibet, ita vt æquè se habeant ad essendum, vel non essendum. Ex. gr. semper, & ex necessitate homo est risibilis; at non semper, sed plerunque homo in senectute canescit; homini verò cuilibet contingens est, vt sedeat, vel non sedeat.

28 Hoc posito, videndum est, vtrum is, cum quo disputamus, confundat istos modos essendi, asserens ex. gr. id, quod est ex necessitate, accidere plerunque, vt si dicat hominem plerumque esse risibilem; vel asserens id, quod accidit plerunque, ex necessitate euenire, vt si dicat hominem ex necessitate in senectute canescere; vel asserens id, quod accidit rarò, euenire plerunque, & ex necessitate. Quomodocunque enim confundat hos modos essendi, dat locum arguendi contrà se. Si enim dicat id, quod accidit ex necessitate, accidere solum plerumque, manifestè dixit id, quod conuenit omni, & semper, non conuenire omni, & semper, adeoque peccauit. Si verò, quod est plerunque, dixit esse ex necessitate, manifestè dixit omni cõuenire, quod non conuenit omni, adeoque etiam peccauit, ac multo magis peccauit, si quod conuenit raro, dixit conuenire plerunque, vel ex necessitate. Addit Aristoteles, quod quando quis profert aliquid simpliciter, nec determinat, an in pluribus, vel ex necessitate, possumus contra ipsum arguere, ac si determinauerit, quod semper, & ex necessitate. Ex. gr. si quis dixerit prauos esse exhæredandos, nec vllam apposuerit limitationem, possumus contra ipsum arguere, ac si dixisset prauos semper, & ex ne-

necessitate esse exhæredandos.

29 Vigesimus primus locus est: si quis deceptus multitudine nominum idem significantium, affirmet idem accidere sibi ipsi, potest redargui ex eo, quod nihil potest esse accidens sui. Ex. gr. quia Prodicus Stoicus diuidebat voluptatem in gaudium, iucunditatem, & lætitiam, quæ tria nomina significant eamdem voluptatem, posset quis dicere gaudio accidere lætitiam, & tum deberet redargui ex eo, quia cum lætitia, & gaudium sint idem omninò, asserit idem accidere sibi ipsi.

De alijs sexdecim locis accidentis, Cap. III.

1 *QVoniam autem contraria connectuntur quidem sibi inuicem sex modis, contrarietatem autem faciunt quadrupliciter complexa: oportet accipere contraria quocunque modo vtile fuerit, & destruenti, & construenti. Quòd autem sex modis complectuntur, manifestum. Nam vtrunque contrariorum vtrique contrariorum connectitur, hoc autem dupliciter, vt amicis benefacere, & inimicis male: vel econuerso, amicis male, & inimicis bene: aut quando vtraque de vno: dupliciter autem & hoc, vt amicis benefacere, & amicis male, vel inimicis benefacere, & inimicis male: aut vnum de vtrisque, & hoc quoque dupliciter, vt amicis bene, & inimicis bene: vel amicis male, & inimicis male.*

2 *Primæ autem duæ dictæ complexiones non faciunt contrarietatem. Nam id, quod est amicis benefacere, ei quod est inimicis male facere, non est contrarium: vtraque enim eligenda sunt, vel eiusdem moris: neque id, quod est amicis male, ei quod est inimicis bene: nam & hæc vtraque fugienda, & eiusdem moris: non videtur autem fugiendum fugiendo contrarium esse, nisi hoc quidem secundum superabundantiam, illud autem secundum defectum dictum sit: nam superabundantia fugiendorum videtur esse: similiter autem, & defectus. Reliqua vero quatuor omnia faciunt contrarietatem. Nam id, quod est amicis benefacere, ei quod est amicis male, contrarium: nam à contrario more sunt, & illud quidem eligendum, hoc autem spernendum. Similiter autem, & in alijs. Nam in vnaquaque coniugatione vnum eligendum, & alterum fugiendum; illud quidem boni moris, hoc autem praui.*

3 *Manifestum igitur ex ijs, quæ dicta sunt, quòd eidem plura contraria accidunt fieri. Nam ei, quod est amicis benefacere, id quod est inimicis benefacere, & id, quod est amicis male, contrarium est. Similiter autem, & aliorum singulis quibusque eodem modo considerantibus, duo contraria apparebunt.*

4 ** Accipere igitur contrariorum quodcunque, erit ad positionem vtile.*

1 VT proponat Aristoteles vigesimum secundum locum, qui est ex coniugationibus contrariorum, tria præmittit. Primum est: prædicata contraria possunt cum subiectis contrarijs sex modis coniugari. Explicatur: sint prædicata contraria *benefacere*, & *malefacere*; subiecta contraria sint *amici*, ac *inimici*: dico quod hæc prædicata possunt sex modis coniugari cũ positis subiectis. Vel enim vnum prædicatum connectitur cum vno subiecto, alterum cum altero: vel vtrumque prædicatum connectitur cum vno subiecto: vel vnũ prædicatum connectitur cum vtroque subiecto. Iuxtà primum modum, quo vnum prædicatum connectitur cum vno subiecto, alterum cum altero, possibiles sunt duæ coniugationes. Prima est, *amicis benefacere, inimicis malefacere*: secunda opposita est, *amicis malefacere, inimicis benefacere*. Iuxtà secundum modum, quo vtrumque prædicatum connectitur cum vno subiecto, possibiles sunt aliæ duæ coniugationes. Prima est, *amicis benefacere, amicis malefacere*: secunda est, *inimicis benefacere, inimicis malefacere*. Iuxtà tertium denique modum, quo vnum prædicatum connectitur cum vtroque subiecto, possibiles sunt aliæ duæ combinationes. Prima est, *amicis benefacere, inimicis benefacere*: secunda est, *amicis malefacere, inimicis malefacere*. Has autem combinationes sequens tabula exhibebit.

Vnum de vno, alterũ de altero.	Prima.	Amicis benefacit, inimicis malefacit.
	2.	Amicis malefacit, inimicis benefacit.
Vtrumque de vno.	3.	Amicis benefacit, amicis malefacit.
	4.	Inimicis malefacit, inimicis benefacit.
Vnum de vtroque.	5.	Amicis benefacit, inimicis benefacit.
	6.	Amicis malefacit, inimicis malefacit.

Secun-

2 Secundum, quod Aristoteles præmittit est: ex sex allatis coniugationibus contrariorum, duæ primæ non continent contrarietatem, aliæ quatuor combinationes continent contrarietatem. Probatur: nam prima coniugatio est, *amicis benefacit, inimicis malefacit*; sed hoc, quod est *amicis benefacere*, non est contrarium huic, quod est, *inimicis malefacere*, cum vtrumque sit honestum, & eligendum, adeoque vtrumque spectet ad virtutem, quæ autem spectant ad virtutem non sunt contraria; ergo &c. Rursus secunda coniugatio est, *amicis malefacit, inimicis benefacit*; sed hoc, quod est, *amicis malefacere*, non est contrarium huic, quod est, *inimicis benefacere*, cum vtrumque sit inhonestum, & fugiendum; vnum autem fugiendum non sit contrarium alteri fugiendo, nisi vnum consistat in defectu, alterum in excessu, vt contingit in auaritia, & prodigalitate; ergo primæ duæ coniugationes non continent contrarietatem. At quatuor aliæ coniugationes continent contrarietatem, quia continent vnũ eligendum, & honestum, alterum fugiendum, & inhonestum. Nam in tertia coniugatione hoc, quod est *amicis benefacere*, est honestum, & eligendum; hoc quod est *amicis malefacere* est inhonestum, ac fugiendum. Idem dic de tribus alijs coniugationibus.

3 Tertium, quod Aristoteles præmittit, atque ex dictis infert est, quod eidem plura possunt esse contraria. Patet: nam huic, quod est, *amicis benefacere*, non solum contrarium est hoc, quod est, *amicis malefacere*, sed etiam hoc, quod est, *inimicis benefacere*.

4 Vigesimus secundus igitur locus est: quandoquidem plura possunt esse eidem contraria, assumendum est illud, quod videbitur vtile ad probandum propositum: ex. gr. si probandum sit, quod bonum sit amicis benefacere, possumus ex contrarijs sic argumentari: ex ijs, quæ opponuntur per excessum, & defectum, alterum est bonum, alterum est malum; sed *amicis malefacere* est malum; ergo *amicis benefacere* est bonum.

5 *Amplius si est aliquid contrarium accidenti, considerandum est, si inest ei, cui dictum est accidens inesse. Nam si hoc inest, illud non inerit: impossibile enim simul contraria eidem inesse.*

6 *Aut si quid tale dictum est de aliquo, quod cùm sit, necesse est contraria inesse: vt si ideas in nobis quis dixerit esse. Nam & moueri, & quiescere easdem accidet, & etiam sensibiles, & insensibiles esse. Nam videntur ideæ quiescere, & immobiles, & intelligibiles esse ijs, qui ponunt ideas esse: attamen, cùm sint in nobis, impossibile est immobiles esse. Nam motis nobis, necessarium est & quæ in nobis sunt omnia simul moueri. Manifestum autem, quoniam & sensibiles, si in nobis sunt: nam per sensum, qui circa visum est, eam quæ in vnoquoque est formam cognoscimus.*

7 *Rursum si positum est accidens, cui est aliquid contrarium, considerandum, si, & contrarij susceptiuum, quod accidentis est: nam idem contrariorum susceptiuum. Vt si odium hærere iræ quis dixerit, erit odium in furoris specie, illic enim ira: inspiciendum igitur, si & contrarium in furoris specie, an in concupiscentia: nam si non, sed in concupiscibili est, non cohæret odium iræ. Similiter autem & si concupiscibile ignorare dixerit: nam erit, & disciplinæ susceptiuum, siquidem & ignorantiæ: quod quidem non videtur concupiscibile susceptiuum esse disciplinæ. Destruenti ergo, quemadmodum dictum est vtendum: astruenti vero, quod inest quidem accidens, non vtilis locus, quod autem contingit inesse, vtilis. Ostendentes enim, quod non susceptiuum est contrarij, ostendentes erimus, quod neque inest accidens, neque contingit inesse: si autem ostenderimus, quod inest contrarium, aut quod susceptiuum est contrarij, nondum ostendentes erimus, quod & accidens inest, sed quod contingit inesse in tantum solum ostensum erit.*

5 Vigesimus tertius locus est: si positum sit aliquod accidens inesse subiecto, considerandum est, vtrum tale accidens habeat contrarium, & vtrum contrarium insit eidem subiecto. Cum enim impossibile sit contraria eidem inesse, si subiecto insit vnum contrarium, impossibile est aliud inesse. Ex gr. si quis dixerit aliquando iniustitiam esse vtilem iniusto, possumus sic argumentari: impossibile est aliquid eidem esse simul vtile, & perniciosum; sed iniustitia cum sit quædam ægritudo est perniciosa subiecto; ergo iniustitia non est vtilis subiecto.

6 Vigesimus quartus locus est: considerandeceran-

derandum est, vtrum ex positione aduersarij sequatur eidem inesse contraria. Ex. gr. ad destruendam positionem Platonis, quod dentur Ideæ, possumus arguere ex eo, quod sequitur ideas simul moueri, & quiescere, atque esse immobiles; sub sensum cadere, ac solo intellectu percipi. Quod quiescant, sint immobiles, ac solo intellectu percipiantur, admittitur à Platonicis: quod moueantur, probatur, quia cum nos mouemur, nobiscum mouentur omnia, quæ sunt in nobis; sed ideæ sunt in nobis; ergo &c. Quod sensu percipiantur, probatur, quia per visum, quo aliquid videmus, percipimus formam ipsius, saltem per accidens; sed ideæ sunt formæ sensibilium; ergo per sensum visus percipimus ideas.

7 Vigesimus quintus locus est: si quis attribuerit alicui subiecto aliquod accidens habens contrarium, considerandum est, vtrum tale subiectum sit susceptiuum contrarij. Cum enim idem sit contrariorum susceptiuum, si ostendatur, quod tale subiectum non est susceptiuum contrarij, sequitur, quod neque sit susceptiuum accidentis. Ex. gr. si quis dixerit, odium sequi iram, ita vt odium sit passio eius animæ partis, cuius passio est ira, sequitur, quod sicut ira est passio irascibilis, sic odium sit passio irascibilis, adeoque irascibilis sit subiectum odij; sed amor est passio contraria odio, idem autem est subiectum susceptiuum contrariorum; ergo sequitur, quod etiam amor sit passio irascibilis; sed amor non est passio irascibilis, sed concupiscibilis; ergo neque odium est passio irascibilis, adeoque malè irascibilis fuit assignata vt subiectum odij. Similiter si quis dixerit ignorantiam prauæ dispositionis esse in appetitiua animæ parte, sequitur, quod etiam scientia sit in appetitiua animæ parte; sed scientia non est in parte appetitiua, sed in intellectiua; ergo &c. Addit Aristoteles, quod ex eo, quod subiectum non est susceptiuum vnius contrarij, ostenditur, quod aliud contrarium nec inest, nec potest inesse tali subiecto; at ex eo, quod subiectum est susceptiuum vnius contrarij, non arguitur, quod aliud contrarium inest tali subiecto, sed solum arguitur, quod potest inesse: ex. gr. ex eo, quod concupiscibilis sit susceptiua amoris, non sequitur, quod illi insit odium, sed solum, quod potest inesse. Aduertunt etiam Interpretes hunc locum valere solum de contrarijs, quorum neutrum est connaturale subiecto. Si enim alterum contrariorum sit connaturale subiecto, non valet; *subiectum non est susceptiuum vnius contrarij; ergo nec alterum ipsi inest*: ex. gr. non valet; *nix non est susceptiua nigredinis; ergo nec albedo inest niui.*

8 *Quoniam autem oppositiones sunt quatuor, considerandum ex contradictionibus, e conuerso ex consequentia, & interimenti, & construenti: sumere autem est inductione. Vt si homo, animal non animal, non homo: similiter autem, & in alijs. Hic enim econuerso consequentia: nam hominem, animal sequitur, non hominem autem, non animal, nequaquam, sed e conuerso, non animal, non homo.*

9 *In omnibus igitur tale est existimandum. Vt si bonum, suaue: & non suaue, non bonum: si autem non hoc, nec illud. Similiter autem, & si non suaue, non bonum: bonum, suaue. Manifestum igitur, quòd vtrunque conuertitur, quæ secundum contradictionem est consequentia econuerso facta.*

8 Vt proponatur vigesimus sextus locus, præmittendum est, quid sit consequentia è conuerso in contradictorijs. Consequentia è conuerso consistit in hoc, vt ex contradictorio prædicati, inferatur contradictorium subiecti. Constat autem inductione hanc consequentiam esse infallibilem, ita vt quandocunque aliquod prædicatum verè affirmatur de subiecto, de contradictorio prædicati verè negetur subiectum, ac de illo verè affirmetur contradictorium subiecti: ex. gr. valet: *homo est animal; ergo quod non est animal non est homo*; valet rursus: *bonum est suaue; ergo quod non est suaue non est bonum*. At ex contradictorio subiecti non valet consequentia ad contradictorium prædicati, nisi in conuertibilibus: ex. gr. non valet: *homo est animal; ergo quod non est homo, non est animal*, siquidem equus non est homo, & tamen est animal. Porrò hæc regula ferè coincidit cum illa alia regula, quod ex contradictorio, seu ex destructione consequentis sequatur contradictorium, seu destructio antecedentis, non autem ex destructione antecedentis sequatur destructio consequentis.

9 Hoc præmisso: ex contradictoriè oppositis habemus locum vigesimum sextum

ad

ad construendum, vel destruendum problema. Ex.gr. si quis ponat, quod omne bonum est suaue, possumus sic argumentari: si omne bonum esset suaue, omne, quod non est suaue, nec esset bonum; sed hoc est falsum, si quidem multa, quæ non sunt suauia, adhuc sunt bona, & eligenda; ergo &c. Ad idem problema construendum, possumus sic arguere: omne, quod non est suaue, non est bonum; ergo omne, quod est bonum, est suaue.

10 *In contrarijs autem considerandum, si contrarium contrarium sequatur, an contra seipsa consequentia, an e conuerso, & interimenti, & construenti. Sumere autem & talia est ex inductione quantum vtile est, contra ipsum consequentia est, vt in fortitudine, & timiditate. Nam illam quidem sequitur virtus, hanc autem vitium: & illam quidem sequitur eligendum, hanc autem fugiendum: igitur contra seipsa, & horum consequentia: contrarium enim eligendum fugiendo. Similiter autem, & in alijs. E conuerso autem consequentia, vt bonam quidem habitudinem sanitas sequitur, malam autem habitudinem ægritudo nequaquam, sed ægritudinem mala habitudo: manifestum igitur quoniam e conuerso in his consequentia fit. Raro autem e conuerso accidit in contrarijs, sed in pluribus in seipsa consequentia.*

11 *Si ergo neque contra seipsa contrarium sequitur contrarium, neque e conuerso, manifestum, quoniam neque eorum, quæ dicta sunt alterum sequitur alterum: si autem in contrarijs, & in ijs, quæ dicta sunt, necesse alterum sequi alterum.*

10 Vt proponat vigesimorum sextum locum ex contrarijs, præmittit Aristoteles quamdam regulam, quæ est: si ad vnum contrarium sequitur vnum contrarium, ad aliud contrarium sequitur aliud contrarium, vel eodem ordine, vel ordine commutato. Patet inductione: quia enim fortitudo, & timiditas sunt contraria, ad fortitudinem autem sequitur, vt sit virtus, ad timiditatem sequetur, vt sit vitium, quod est contrarium virtuti. Aliquando tamen contraria sequuntur, non eodem ordine, sed ordine commutato. Ex. gr. bona habitudo, & mala habitudo sunt contraria; ad bonam habitudinem sequitur sanitas; qui enim habet bonam habitudinem est sanus; ad malam habitudinem non sequitur ægrotatio; multi enim licet habeant malam habitudinem, adhuc non ægrotant: sed è conuerso ad ægritudinem sequitur mala habitudo; qui enim ægrotat, malam habet habitudinem; ergo licet bona, & mala habitudo sint contraria, adhuc ad illa non sequuntur sanitas, & ægritudo eodem ordine, sed ordine commutato, vt explicatum est. Addit Aristoteles plerunque contraria sequi eodem ordine. Vt autem regula procedat, debet intelligi, cum vnum contrarium sequitur ex altero tantum, non autem ex vtroque. Ideo licet timiditas, & audacia sint contraria, & ex timiditate sequatur, quod sit vitium, non tamen ex audacia sequitur, quod sit virtus, quia vitium sequitur ex vtroque contrario.

11 Hoc posito, vigesimus septimus locus ad problema, construendum, ac destruendum est: si ad vnum contrarium non sequitur contrarium, neque eodem ordine, neque ordine commutato, neque ad alterum contrarium sequitur aliud, & sic euertitur problema ponens, quod ad vnum contrarium sequatur alterum: si verò ad vnum contrarium sequitur contrarium, etiam ad aliud sequetur, & sic construitur problema.

12 *Similiter autem contrarijs, & in priuationibus, & habitibus respiciendum. Veruntamen non est in priuationibus e conuerso, sed contra seipsa consequentiam necessarium est semper fieri: veluti visum sequi sensum, cæcitatem autem insensibilitatem. Opponitur enim sensus insensibilitati, vt habitus, & priuatio. Nam illud horum quidem habitus, hoc autem priuatio est.*

13 *Similiter autem habitui, & priuationi, & in ijs, quæ sunt ad aliquid, vtendum: contra seipsa enim, & horum consequentia. Vt si triplum, multiplum, & subtriplum submultiplum dicitur: dicitur enim triplum quidem ad subtriplum, multiplum autem ad submultiplum. Rursus si scientia, opinio, & scibile opinabile: & si visus sensus, & visibile sensibile. Instantia, quòd non necesse est in ijs, quæ sunt ad aliquid, consequentiam fieri, quemadmodum dictum est: nam sensibile scibile est, sensus autem non est scientia. Non tamen vera instantia videtur esse: multi enim non dicunt sensibilium esse scientiam. Insuper autem ad contrarium non minus vtile, quod dictum est:*

est: vt quod sensibile non est scibile: neque enim sensus scientia:

12 Vt proponat locum vigesimum octauum ex priuatiuis, præmittit Aristoteles quamdam regulam de priuatiuis, quæ est: si duo opponuntur vt habitus, & priuatio, si ad habitum sequitur habitus, ad priuationem sequitur priuatio, & semper eodem ordine, non autem diuerso. Ex. gr. visus, & cæcitas opponuntur vt habitus, & priuatio; visus autem, est sensus; ergo cæcitas est quædam insensibilitas, seu quædam priuatio sensus. Locus igitur vigesimus octauus est, vt ex eo, quod ex vno opposito priuatiuè sequatur vnum ex oppositis priuatiuè, inferamus, quod ex altero sequitur alterum, & sic construamus problema: ex eo autem, quod ex vno priuatiuè opposito non sequatur vnum priuatiuè oppositum, inferamus, quod neque ex altero sequitur alterum, & sic destruamus problema.

13 Proportionalis est regula, & proportionalis locus de oppositis relatiuè. Si ènim de vno oppositorum relatiuè dicitur vnum ex oppositis relatiuè, de altero dicetur alterum. Ex. gr. duplum, & subduplum opponuntur relatiuè; sed duplum est multiplex; ergo subduplum est submultiplex. Rursus scientia, & scibile opponuntur relatiuè, ac similiter relatiuè opponuntur opinio, & opinabile; ergo si scientia est opinio, scibile est opinabile: opponuntur etiam relatiuè visus, & visibile, sensus, & sensibile; ergo si visus est sensus, visibile est sensibile. Possumus hoc eodem loco vti ad destruendum. Valet enim: sensus non est scientia; ergo sensibile non est scibile. Hinc verò soluitur instantia, qua probatur hanc regulam in relatiuis non semper valere. Non enim valet: sensibile est scibile; ergo sensus est scientia: negandum est enim antecedens, cum sensibile non sit scibile, saltem formaliter.

14 *Rursus in coniugatis, & in casibus, & interimenti, & construenti. Dicuntur autem coniugata huiusmodi, vt iusta, & iustus iustitiæ: & fortia, & fortis fortitudini. Similiter autem effectiua, & conseruatiua, coniugata illi, cuius sunt effectiua, & conseruatiua: vt sanatiua sanitatis, habituatiua habitudinis: eodem autem modo, & in alijs. Coniugata igitur talia solent dici. Casus autem, vt iuste, & fortiter, & sanatiue, habituatiue, & quæcunque eodem modo dicuntur. Videntur autem, & quæ sunt secundum casus, coniugata esse, vt iuste iustitiæ, & fortiter fortitudini. Coniugata autem dicuntur secundum eandem coniugationem omnia, vt iustitia, iustus, iustum, iuste.*

15 *Manifestum igitur, quoniam vno quouis ostenso eorum, quæ secundum eandem coniugationem dicuntur, vt bono, vel laudabili, & reliqua omnia ostensa sunt. Vt si iustitia est laudabilium, & iuste, iustus, iustum laudabilium. Dicetur autem iuste, & laudabiliter secundum eundem casum: nam à laudabili, quemadmodum iuste à iustitia.*

14 Vt proponat Aristoteles locum vigesimum nonum ex coniugatis, ac casibus, præmittit, quid sint coniugata, & casus. Coniugata sunt nomina, quæ dicuntur ab eodem, eo pacto, quo à iustitia dicuntur iustus, iustum &c. à fortitudine dicuntur fortis, forte &c. Coniugata etiam sunt, quæ dicuntur ab aliquo, vt illius effectiua, vel conseruatiua: ex. gr. sanatiuum est coniugatum à sanitate; habituatiuum est coniugatum à bona habitudine. Casus sunt, qui dicuntur ab aliquo, eo pacto, quo iuste dicitur à iustitia, fortiter à fortitudine, sanatiuè à sanitate. Coniugata igitur strictè sumpta, sunt nomina, & significant res: casus strictè sumpti sunt aduerbia, & significant modos actionum. Latius tamen sumendo nomen coniugati, etiam casus sunt coniugata, adeoque id, à quo aliqua dicuntur, & omnia, quæ ab eo dicuntur, sunt inter se coniugata: ex. gr. iustè, iustus, iustum &c. sunt coniugata tum inter se, tum cum iustitia &c.

15 Locus igitur vigesimus nonus est, vt ex vno eorum, quæ ex eadem sunt coniugatione, arguamus ad reliqua, dicendo ex. gr. iustitia est laudabilis; ergo quod iuste sit, laudabiliter sit; qui iustus est, laudabilis est.

16 *Considerandum autem non solum in eo, quod dictum est, sed & in contrario contrarium. Vt quòd bonum non ex necessitate suaue, neque enim malum triste: aut si hoc, & illud: & si iustitia scientia, & iniustitia ignorantia: & si quod iuste est, scienter, & experienter est, quod iniuste est, igno-*

ignoranter, & inexperienter est: si autem hæc non, nec illa, velut in hoc, quod nunc dictum: nam magis vtique apparebit, quòd iniuste experienter, quàm inexperienter. Hic autem locus dictus est prius in contrariorum consequentijs. Nihil enim aliud nunc ostendimus, quàm contrarium sequi contrarium.

17 *Amplius in generationibus, & corruptionibus, & effectiuis & corruptiuis, & interimenti, & astruenti. Quorum enim generationes bonæ sunt, & ipsa bona sunt: & si ipsa bona sunt, & generationes bonæ: si autem generationes malæ, & ipsa mala. In corruptionibus autem e contrario. Nam, si corruptiones bonæ, ipsa mala: si autem corruptiones malæ, ipsa sunt bona. Eadem ratio & in effectiuis, & corruptiuis. Quorum enim effectiua bona, & ipsa bona: quorum vero corruptiua bona, ipsa mala.*

16 Trigesimus locus, qui est veluti ampliatio præcedentis est, vt quia, vt dictum est loco vigesimo septimo, quando vni contrario inest aliud contrarium, etiam alteri inest alterum, vel eodem ordine, vel ordine commutato, consideremus etiam coniugata contrarij, ex ijsque argumentemur, dicendo ex. gr: non omne malum est triste; ergo non omne bonum est suaue; vel, si iustitia esset scientia, iniustitia esset ignorantia; sed iniustitia non est ignorantia, alioquin, quod iniustè fit, ignoranter fieret, quod est falsum, quia ille est præcipuè iniustus, qui scienter facit iniuriam; ergo neque iustitia est scientia.

17 Trigesimus primus locus est ex generationibus, & corruptionibus, ex effectiuis, & corruptiuis. Est autem hic locus vtilis ad construendum, & destruendum. Ex generationibus quidem possumus argumentari: quia enim ea, quorum bona est generatio, etiam ipsa sunt bona, ea quorum mala est generatio, etiam ipsa sunt mala; ex eo, quod bona sit alicuius generatio, possumus probare, quod ipsum sit bonum, & sic problema construere; ex eo, quod generatio non sit bona, possumus probare, quod nec ipsum sit bonum, & sic problema destruere. Eodem pacto possumus argumentari ex effectiuis. Nam ea, quorum effectiua sunt bona, etiam ipsa sunt bona, ea, quorum effectiua non sunt bona, nec ipsa sunt bona. Opposito modo arguendum est ex corruptione, & ex corruptiuis. Nam ea, quorum corruptio, & quorum corruptiua sunt mala, ipsa sunt bona; ea, quorum corruptio, & quorum corruptiua sunt bona, ipsa sunt mala. Ex eo igitur, quod aliquorum corruptio sit mala, possumus arguere, quod ipsa sunt bona, & sic problema construere: ex eo, quod aliquorum corruptio non sit mala, possumus arguere, quod ipsa non sint bona, & sic problema destruere.

De sex alijs locis ex simili, & appositione; magis, & minus; simpliciter, & secundũ quid. Caput IV. & vltimum.

1 *Rvrsum in similibus si similiter se habent. Vt si disciplina vna plurium, & opinio & si visum habere est videre, & auditum habere est audire. Similiter autem, & in alijs, & in his, quæ sunt, & in ijs, quæ videntur. Vtilis autem hic locus ad vtrunque. Nam si in aliquo similium sic se habet, & in alijs similibus: si autem in aliquo non, nec in alijs similibus.*

2 *Considerandum autem, & in vno, & in pluribus, si similiter se habet. Aliquoties enim dissonat. Vt si scire est cogitare, & multa scire est multa cogitare: hoc autem non verum: contingit enim plura scire, cogitare autem non: si autem non hoc, nec illud, quod in vno, quod scire est cogitare.*

1 Trigesimus secundus locus à simili est: quæ similia sunt, eodem pacto se habent. Ex hoc loco possumus sic argumentari: ita se habet opinio ad opinabile, sicut scientia ad scibile; sed vna scientia potest esse multorum scibilium; ergo vna opinio potest esse multorum opinabilium. Rursus sicut se habet visio ad videre, ita se habet auditio ad audire; sed habere visionem est videre; ergo habere auditionem est audire. Idem dic de reliquis. Neque verò solum argumentum potest sumi ab ijs, quæ verè sunt similia, & eodem pacto se habent, sed etiam ex ijs, quæ videntur similia, & videntur eodem pacto se habere. Sicut enim à verè similibus, sumitur argumentum verum, sic ab ijs, quæ videntur similia, sumitur argumentum probabile, ac dialecticum. Hic autem locus valet non solum ad construendum, sed etiam

etiam ad destruendum. Ex. gr. valet: sicut se habet sensus ad sensibile, sic se habet scientia ad scibile; sed ablato sensibili, non potest remanere sensus; ergo ablato scibili, non potest remanere scientia, & vniuersim quod non valet de vno simili, neque valet de alio simili.

2 Trigesimus tertius locus pariter à simili est: si similia eodem pacto se habent ad vnum, etiam eodem pacto se habent ad multa, vel si non eodem pacto se habent ad multa, neque eodem pacto se habent ad vnum. Ex. gr. si scire est cogitare, plura scire est plura cogitare; sed non possumus plura simul cogitare, licet possimus plura simul scire; ergo scire non est cogitare.

3 *Amplius ex minus & magis. Sunt autem eius, quod est magis, loci quatuor. Vnus quidem, si magis sequitur magis: vt si voluptas bonum, & magis voluptas, magis bonum: & si iniuriam facere, malum, & magis iniuriam facere, magis malum. Vtilis autem ad vtrunque hic locus. Nam si sequatur ad subiecti incrementum, accidentis incrementum, quemadmodum dictum est, manifestum, quod accidit: si autem non sequatur, non accidit. Hoc autem inductione sumendum.*

4 *Alius, vno de duobus dicto, si cui magis videtur inesse non inest, nec cui minus: & si cui minus videtur inesse inest, & cui magis.*

5 *Rursum, duobus de vno dictis, si quod magis videtur alij inesse, non inest, neque quod minus: aut si quod minus videtur inesse, inest, & quod magis.*

6 *Amplius, duobus de duobus dictis, si quod alteri magis videtur inesse, non inest, nec reliquum reliquo: aut si quod minus videtur alteri inesse, inest, & reliquum reliquo.*

3 Sequuntur quatuor loci à magis & minus. Trigesimus quartus igitur locus est: si ex tali sequitur tale, ex magis tali sequitur magis tale: ex. gr. si ex voluptate sequitur bonum, ex eo, quod voluptas sit maior, sequitur, vt sit maius bonum. Est autem hic locus vtilis tum ad construendum, tum ad destruendum. Ex. gr. possumus sic ostendere, quod ad voluptatem sequatur bonum: si ad voluptatem non sequeretur bonum, esset impossibile, vt semper maior voluptas esset maius bonum; sed maior voluptas semper est maius bonum; ergo &c. Rursus possumus idem problema sic destruere: si ad voluptatem sequeretur bonum, semper maior voluptas esset maius bonum; sed non semper maior voluptas est maius bonum; ergo &c.

4 Trigesimus quintus locus est: si accidens non inest illi, cui magis videtur inesse, nec inest illi, cui minus videtur inesse; & si inest illi, cui minus videtur inesse, inest etiam illi, cui magis videtur inesse. Ex. gr. felicitas magis videtur consistere in voluptate, quæ est finis, quam in diuitijs, quæ sunt media; sed non consistit in voluptate; ergo multo minus consistit in diuitijs. Rursus improbus, cum prospera fortuna vtitur, videtur minus miser, quam cum non vtitur prospera fortuna; sed improbus, cum vtitur prospera fortuna, est miser; ergo multo magis est miser, cum non vtitur prospera fortuna.

5 Trigesimus sextus locus est: cum subiecto non inest id, quod magis videtur inesse, nec inest id, quod minus videtur inesse: & è conuerso, si quod minus videtur inesse, inest, multo magis inest, quod magis videtur inesse. Ex.gr. audax videtur magis esse fortis, quam esse prudens; sed audax non est fortis; ergo neque est prudens. Rursus studium grammaticæ videtur esse magis vtile, quam iucundum; sed est iucundum; ergo multo magis est vtile.

6 Trigesimus septimus locus est: quando duo dicuntur de duobus, si quod minus videtur inesse, inest, etiam quod magis videtur inesse, inest. Ex. gr. magis videtur, quod pauper sit miser, quam quod diues sit felix; sed pauper non est miser; ergo diues non est felix. Rursus minus videtur peccare contra liberalitatem qui dat plus, quam oportet, quam qui dat minus; sed qui dat plus, peccat; ergo etiam qui dat minus peccat.

7 *Amplius ex eo, quod similiter inest, vel videtur inesse, tripliciter, quemadmodum in eo, quod magis, vt in posterioribus tribus dictis locis dicebatur. Siue enim vnum quoddam duobus similiter inest, aut videtur inesse, si alteri non insit, nec alteri: si autem alteri inest, & reliquo.*

8 *Siue duo eidem similiter, si alterum non insit, nec reliquum: si autem alterum, & reliquum.*

9 *Eodem autem modo, & si duobus duo si-*

militer

militer insunt: nam si alterum alteri non inest, nec reliquum reliquo: si autem inest alterum alteri, & reliquum reliquo. Ex eo igitur, quod est magis, & minus, & quod est similiter, tot modis contingit argumentari.

7 Ex simili sunt tria alia loca proportionalia. Trigesimus octauus igitur locus est: quando vnum accidens videtur similiter inesse duobus subiectis, si inest vni, etiam alteri inest; & si vni non inest, nec alteri. Ex. gr. similiter obtemperandum est parentibus, ac legibus; sed legibus est obtemperandum; ergo etiam parentibus. Rursus similiter videtur felicitas consistere in honoribus, ac in diuitijs; sed non consistit in honoribus; ergo neque in diuitijs.

8 Trigesimus nonus locus est: quando duo accidentia videntur similiter inesse eidem subiecto si vnum non inest, nec alterum inest; & si vnum inest, etiam alterum inest. Ex. gr. similiter spectat ad virtutem, non attolli in secundis, ac non deprimi in aduersis; sed ad virtutem spectat non deprimi in aduersis; ergo ad virtutem spectat etiam, non attolli in secundis. Rursus fortis sicut confidit, quando oportet, sic timet, quando oportet; sed audax non timet, quando oportet; ergo audax nec confidit, quando oportet.

9 Quadragesimus locus est: quando duo accidentia similiter videntur inesse duobus subiectis, si vnum vni non inest, nec alterum inest alteri; & si vnum inest vni, etiam alterum inest alteri. Ex. gr. similiter virtus est prosequenda, ac vitium est fugiendum; sed virtus est prosequenda; ergo vitium est fugiendum. Rursus similiter videtur diues esse felix, ac pauper esse infelix; sed pauper non est infelix; ergo neque diues est felix.

10 *Amplius autem ex appositione, si alterum ad alterum appositum faciat bonum, vel album, cùm non fuerit prius album, vel bonum, quod appositum est erit album, vel bonum, quale re vera & totum facit.*

11 *Amplius autem, si id, ad quod est appositum aliquid, facit magis tale, quale erat, & ipsum erit eiusmodi. Similiter autem, & in alijs.*

12 *Vtilis autem non in omnibus hic locus, sed in quibus ipsius magis crementum accidit fieri. Iste vero locus non conuertitur ad destruendum. Nam si non facit, quod appositum est, bonum, nondum manifestum, si ipsum non bonum. Nam bonum malo appositum, non ex necessitate bonum totum facit, nec album nigro, nec dulce amaro.*

13 *Rursum si quid magis, & minus dicitur, & simpliciter inest. Quod enim bonum, vel album non est, neque magis, & minus bonum, vel album dicetur: nam malum de nullo magis, vel minus bonum, sed magis malum, vel minus dicetur. Non conuertitur autem hic locus ad destruendum. Multa enim eorum, quæ non dicuntur magis, simpliciter insunt. Nam homo non dicitur magis, & minus, sed non propter hoc non est homo.*

10 Sequuntur duo loca ex appositione. Quadragesimus igitur primus locus est: quod additum alteri efficit illud tale, cum non esset tale, etiam ipsum est tale: ex. gr. quod additum alteri, quod non erat album, neque bonum, efficit illud album, vel bonum, etiam ipsum est album, aut bonum. Ex hoc loco probat Plato animam viuere. Quod enim additum non viuenti facit illud viuens, est viuens; sed anima addita corpori non viuenti efficit illud viuens; ergo anima est viuens.

11 Quadragesimus secundus locus est: quod additum alteri, quod erat tale, efficit illud magis tale, etiam illud est tale: ex. gr. quod additum albo facit illud magis album, etiam ipsum est album; & quod additum bono facit illud magis bonum, etiam ipsum est bonum.

12 Duo Aristoteles aduertit spectantia ad hos locos. Primum est, quod hic locus quadragesimus secundus non valet in omnibus prædicamentis, sed solum in qualibus, quæ possunt fieri magis talia. Secundum est, quod locus quadragesimus primus ex appositione valet solum ad construendum, non autem ad destruendum. Licet enim id, quod additum non tali, efficit tale, sit tale, non tamen id, quod additum non tali, non efficit illud tale, non est tale. Bonum enim additum malo non efficit illud bonum; album additum nigro non facit illud album; & tamen neque sequitur, quod bonum non sit bonum, neque quod album non sit album.

13 Quadragesimus tertius locus est: quod est magis, aut minus tale, etiam simpli-

pliciter est tale: ex. gr. quod est magis, aut minus album, simpliciter est album. Ratio est, quia quod non est album, non est magis, aut minus album; quod non est bonum, non est magis, aut minus bonum. Malum enim licet possit esse magis, aut minus malum, adhuc non potest esse magis, aut minus bonum. Non tamen hic locus valet ad destruendum. Neque enim sicut quod est magis, aut minus tale, simpliciter est tale, sic quod non est magis, aut minus tale, simpliciter non est tale. Multa enim, quæ non suscipiunt magis, ac minus, adhuc sunt talia: ex. gr. licet homo non dicatur magis, aut minus homo, adhuc est homo.

14 *Eodem autem modo considerandum & in ijs, quæ secundum quid, & quando, & vbi. Nam si secundum quid contingit, & simpliciter contingit. Similiter autem, & quando, & vbi. Nam quod simpliciter est impossibile, neque secundum quid, neque secundum vbi, neque secundum quando contingit.*

15 *Instantia: quoniam secundum quid quidem sunt natura studiosi, vt liberales, vel casti, simpliciter autem non sunt natura studiosi: nam nullus natura prudens. Similiter autem & quando contingit corruptibilium aliquid non corrumpi, simpliciter autem non contingit non corrumpi. Eodem autem modo, & vbi expedit quidem tali obseruantia victus vti, vt in morbosis locis, simpliciter autem non expedit. Adhuc autem, alicubi quidem vnum tantum possibile est esse, simpliciter autem non possibile vnum tantum esse. Eodem autem modo & alicubi bonum est quidem patrem sacrificare, vt in Tribalis, simpliciter autem non bonum. An in hoc quidem non vbi significat, sed quibusdam? nihil enim refert vbicunque sint: vbique enim erit eis bonum in Tribalis. Rursus quidem expedit medicari, vt quando ægrotat, simpliciter autem non. An neque hoc quando significat, sed in eo, quòd afficitur aliquo modo? nihil enim refert quandocunque, dummodo sic affectus sit.*

16 *Simpliciter autem est, quòd nullo addito dicis, quòd bonum est, aut contrarium: vt patrem sacrificare non dicis bonum esse, sed quibusdam bonum esse: non ergo simpliciter bonum: sed Deos honorare bonum dicis nihil addens: simpliciter enim bonum est. Quare quod nullo addito videtur esse honestum, vel turpe, vel aliquid talium, simpliciter dicetur.*

14 Quadragesimus quartus locus solum probabilis est: sicut quod est magis tale, est tale simpliciter, sic quod est tale secundum quid, puta in aliquo tempore, vel loco, est tale simpliciter: ex. gr. si Hippocentaurus est in aliquo loco, vel tempore, simpliciter est; si verò non est in vllo loco, vel tempore, simpliciter non est; cum repugnet, vt id, quod est, non sit in vllo loco, vel tempore.

15 Contra hunc locum opponit Aristoteles aliquas instantias: nam aliqui naturaliter sunt virtuosi *secundum quid*, puta liberales, & tamen non sunt virtuosi simpliciter, quandoquidem nemo naturaliter est virtuosus. Rursus contingit corruptibile aliquando non corrumpi; at non contingit corruptibile non corrumpi simpliciter: expedit alicubi vti tali regula victus, puta in locis morbosis; simpliciter non expedit vti tali regula victus: alicubi possibile est esse vnum tantum hominem; simpliciter non est possibile esse vnum tantum hominem: alicubi, vt in Triballis apud Thraces, laudabile existimatur patrem sacrificare; simpliciter non existimatur laudabile patrem sacrificare. Quanquam in hac vltima instantia ly *alicubi* non significat locum, sed populos: nam apud Triballos, vbicunque fuerint, laudabile ducitur patrem sacrificare. Demum aliquando expedit sumere medicamenta, nimirum cum quis ægrotat; simpliciter non expedit sumere medicamenta. Porro etiam in hac instantia, ly *aliquando* non significat tempus, sed dispositionem. Quocunque enim tempore expedit, vt ægrotans sumat medicamenta.

16 Propositis his instantijs, docet Aristoteles, quod tum solum valet argumentum à *secundum quid* ad *simpliciter*, quando ly *secundum quid* non limitat propositionem, sed solum designat partem, vel locum, vel tempus, quo est vera. Ex. gr. valet: *videt quis per oculos; ergo simpliciter videt*, quia ly *per oculos* non limitat propositionem, sed solum designat partem, per quam quis videt: valet rursus *Phœnix alicubi est; ergo simpliciter est*. At quando ly *secundum quid* limitat propositionem, tum non valet consequentia ad *simpliciter*. Quia

ergo

ergo dum dicitur, quod aliqui ex naturali dispositione sunt liberales *secundum quid*, limitatur propositio, ideo non valet; *ergo sunt liberales simpliciter*. Similiter dum dicitur, *patrem sacrificare bonum est apud Triballos*, limitatur propositio, & sensus est, quod apud Triballos honestum iudicatur patrem sacrificare, ideo non valet; ergo simpliciter honestum est patrem sacrificare. Et per hæc Aristoteles concludit librum secundum Topicorum.

ARISTOTELIS TOPICORVM.

LIBER TERTIVS.

De primis nouemdecim locis comparationum. Cap. Primum.

1 *VTRVM autem eligibilius, aut melius duorum, plurium ve ex his perspiciendum. Primũ autem determinetur, quod considerationem facimus non de plurimum distantibus, & magnam adinuicem differentiam habentibus (nullus enim dubitat, vtrum felicitas, an diuitiæ expetibiliores) sed de ijs, quæ propinqua sunt, & de quibus dubitamus, vtrum oporteat apponere magis, eo quod nullam videmus alterius ad alterum præeminentiam. Manifestum autem in his, quod ostensa vna præeminentia, vel pluribus, constituetur intelligentia, quod id eligibilius est, quod eorum est præeminens.*

2 *Primum igitur, quod diuturnius stabiliusue, eligibilius eo, quod minus huiusmodi.*

3 *Et quod magis eligit prudens, vel bonus vir, vel lex recta, vel studiosi circa singula delecti quatenus tales sunt, vel in vnoquoque genere periti, vel quæcunque plures, vel omnes, vt in medicina, vel ædificatoria, quæ plures medicorum, vel omnes, vel quæcunque omnino plures, vel omnes, vel omnia, vt bonum: omnia enim bonum appetunt. Oportet autem ducere ad id, quod fuerit vtile, quod dicendum est.*

1 POSTQVAM Aristoteles lib. 2. egit de locis accidentis absolutè, lib. 3. agit de locis accidentis comparatiuè: & quia præcipua comparatio est, qua vnum comparatur cum alio in ratione boni, atque eligibilis, ideo præcipuè tradit loca, ex quibus potest diudicari, vtrum ex duobus sit melius, & eligibilius. Antequam autem tradat locos comparationum, præmittit, circa quas comparationes soleant versari problemata dialectica. Per problemata dialectica non solent comparari ea, quæ valde distant inter se, habentque manifestam differentiam, sed ea solum, quæ sunt propinqua, ac de quibus dubitatur, vtrum eorum alteri præemineat, eo quod non sit manifesta eorum differentia. Ex. gr. nemo vocat in quæstionem, vtrum felicitas sit melior, quam diuitiæ, quia manifestum est felicitatem præeminere diuitijs: è conuerso vocamus in quæstionem, vtrum eligibilior sit sensus visus, an sensus auditus, quia non est manifesta differentia, propter quam alter horum sensuum præstat alteri, ideoque potest de tali præeminentia dubitari. Si igitur quando dubitatur, vtrum sit eligibilius, inueniat quis vnam, aut plures præeminentias, propter quas vnum alteri præstat, potest ex talibus præeminentijs ostendere vnum esse eligibilius altero. Hoc præmisso, descendit Aristoteles ad loca sigillatim tradenda.

2 Primus locus, seu prima maxima est: quod est diuturnius, ac firmius, cæteris paribus est eligibilius: ex. gr. quia bona virtutis sunt diuturniora, ac firmiora bonis fortunæ, sunt etiam eligibiliora. Si tamen cætera non sint paria, ex eo præcise, quod aliquid sit diuturnius, ac firmius, non sequitur, quod sit eligibilius.

3 Secundus locus ex auctoritate est: quod eligitur à meliori est eligibilius: & quia prudentes sunt meliores imprudentibus, probi sunt meliores improbis, recta lex est melior lege non recta, ideo quæ præferuntur à prudentibus, probis, & à recta lege sunt eligibiliora, quam quæ præferuntur ab imprudentibus, improbis, & à lege non recta. Rursus eligibilius est quod præfertur à doctis, & studiosis circa singula, quatenus talibus, & quod à peritis in artibus, quatenus talibus, & quod censent eligibilius plures, vel omnes periti. Ex. gr. illa medicamenta sunt eligibiliora, quæ censentur eligibiliora ab omnibus, vel pluribus medicis; ille modus ædificandi est eligibilior, quem censent eligendum omnes, vel plures ædificandi periti. Demum eligibilius est quod eligunt plures, vel omnes, vel omnia: ex. gr. bonum est maximè eligibile, quia bonum omnia appetunt. Ex his locis ab auctoritate illa sunt eligenda, quæ sunt vtilia ad propositum demonstrandum: ex. gr. quod voluptas sit eligibilior diuitijs, probandum est ex electione vulgi: plerique enim ex vulgo eligunt voluptates. Quod verò virtus sit eligibilior voluptate, probandum est ex electione proborum: probi enim virtutem præferunt voluptati. Idem dic de reliquis.

4 *Est autem simpliciter quidem melius, ac eligibilius, quod secundum meliorem disciplinam: alicui autem, quod secundum propriam.*

5 *Deinde, quod idipsum, quod est eo quod non in genere est: vt iustitia iusto. Nam illa quidem in genere bono, hoc autem non, & illa idipsum, quod est, bonum est, hoc autem non. Nam mihi dicitur idipsum, quod genus est, quod non est in genere: vt albus homo non est id, quod color. Similiter autem, & in alijs.*

6 *Et quod propter se eligendum, eo eligendo, quod propter aliud, eligibilius, vt sanum esse, quàm exercitari: illud enim propter se eligendum, hoc autem propter aliud.*

7 *Et quod per se, eo quod per accidens, vt amicos iustos esse, eo quòd inimicos: illud enim per se eligendum, hoc autem per accidens eligimus. Nam inimicos iustos esse secundum accidens eligimus, vt nihil nobis noceant. Est autem hoc idem ei, quod ante hoc, differt autem modo. Nam amicos quidem iustos esse, propter se eligimus, & si nihil nobis debeat fore, quamuis apud Indos sint: inimicos autem propter alterum, vt nihil nobis noceant.*

4 Tertius locus, seu tertia maxima desumitur ex comparatione disciplinarum. Simpliciter est melius, & eligibilius, quod est secundum meliorem disciplinam, & artem, quam quod est secundum deteriorem: respectu verò vniuscuiusque eligibilius est, quod est secundum disciplinam propriam. Ex. gr. quia simpliciter melior est philosophia, quam ædificatoria, simpliciter melius est philosophari, quam ædificare. At ædificatori melius est ædificare, quam philosophari: vnicuique enim melius est exercere illam artem, in qua est peritus, quam aliam, in qua non est peritus.

5 Quartus locus est: positis duobus bonis, quorum alterum sit in genere boni, alterum non, sed dicatur bonum, quia bonum habet, quod est in genere boni est melius, atque eligibilius: ex. gr. quia iustitia est in genere boni honesti, iustus autem non est in genere boni honesti, sed dicitur iustus, in quantum habet iustitiam, ideo melior est iustitia, quam iustus. Iustitia enim ita est bonum honestum, vt sit species boni honesti; iustus non est species boni honesti, sed dicitur bonus, quia habet iustitiam. Porrò iustitia dicitur melior iusto, quia iustus melior est propter iustitiam, quam propter reliqua, quæ non sunt bona honesta.

6 Quintus locus est: quod est eligendum propter se, & in ratione finis, est melius eo, quod est eligendum propter aliud, & in ratione medij: ex. gr. sanitas, quæ est eligibilis propter se, & vt finis, melior est exercitio, quod est eligibile propter sanitatem.

7 Sextus locus est: quod est per se eligibile, est melius eo, quod est eligibile per accidens: ex. gr. vnicuique magis est eligibile, vt eius amici sint iusti, quam vt eius inimici sint iusti. Nam vt amici sint iusti, est eligibile per se etiam seclusa omni nostra vtilitate, ideoque debemus optare, vt amici sint iusti, etiam si sint apud Indos, adeoque nihil ex ipsis sperare possimus; at vt inimici sint iusti, eligendum est, ne nobis noceant. Addit Aristoteles, quod hic locus coincidit cum superiore, ac differt solum modo. Nam idem est *esse* eligi-

eligibile propter se, ac esse eligibile per se; idem est *esse eligibile propter aliud*, ac *esse eligibile per accidens*.

8 *Et quod causa boni per se, eo quòd per accidens causa, quemadmodum virtus fortuna: nam illa quidem per se, hæc autem per accidens est causa bonorum, & si quid aliud huiusmodi.*

9 *Similiter autem, & in contrario. Nam quod per se est causa mali, fugibilius est eo, quod per accidens, vt vitium, quàm fortuna: nam illud quidem per se malum, fortuna autem per accidens.*

10 *Et quod simpliciter bonum, eo quod alicui, eligibilius, vt sanum fieri, quam incidi: nam hoc quidem simpliciter bonum, illud autem alicui indigentium incisione.*

11 *Et quod natura est, eo quod non natura, vt iustitia, iusto: illud enim natura, hoc autem acquisitiuum.*

8 Septimus locus est: quod est causa boni per se, eligibilius est eo, quod est causa boni per accidens: ex. gr. eligibilior est virtus, quam fortuna, quia virtus est per se causa boni, fortuna est causa boni solum per accidens.

9 Octauus locus est: quod est causa mali per se, fugibilius est eo, quod est causa mali solum per accidens: ex. gr. vitium fugibilius est fortuna, nam vitium est causa mali per se, fortuna solum per accidens.

10 Nonus locus est: quod simpliciter est bonum, eligibilius est eo, quod est bonum solum relatè ad subiectum sic dispositum: ex. gr. *sanum esse* eligibilius est, quam incidi, quia sanitas est bona simpliciter, incisio est bona ægrotanti, qui indiget incisione venæ.

11 Decimus locus est: quod est bonum ex sua natura, melius est eo, quod est bonum ex eo, quod bonum acquisierit: ex. gr. iustitia melior est iusto, quia iustitia est bona ex sua natura, at iustus non est bonus ex sua natura, sed ex eo, quod iustitiam acquisiuerit.

12 *Et quod meliori, & honorabiliori inest, eligibilius: vt Deo, quàm homini: animæ, quàm corpori.*

13 *Et quod melioris proprium, melius quam quod peioris, vt quod Dei, quàm quod hominis: nam secundum communia vtriusque nihil differunt ab inuicem, proprijs autem alterum alteri differentijs superemi net.*

14 *Et quod in melioribus, vel prioribus, vel honorabilioribus est melius, vt sanitas robore & pulchritudine: nam illa quidem in humidis, & siccis, & (vt simpliciter dicatur) ex quibus prius constitutum est animal, hæc verò in posterioribus: nam robur in neruis, & ossibus: pulchritudo autem membrorum quædam commensuratio videtur esse.*

15 *Et finis ijs, quæ sunt ad finem, eligibilior videtur esse. Et duorum quod propinquius est fini.*

16 *Et omnino, quod ad vitæ finem, expetibilius, quam quod ad aliud aliquid: vt quod ad felicitatem contendit, quam quod ad prudentiam: nam quod ad felicitatem contendit, eligibilius.*

12 Vndecimus locus est: bona, quæ insunt meliori, & honorabiliori, sunt meliora, & eligibiliora: ex. gr. bona Dei sunt meliora, quam bona hominum; bona animi sunt meliora bonis corporis. Hinc probatur virtutem, & sapientiam esse meliores sanitate: virtus enim, & sapientia sunt bona animi, sanitas est bonum corporis.

13 Duodecimus locus est: bona propria rei melioris eligibiliora sunt, quam bona propria rei deterioris: ex. gr. bona propria Dei meliora sunt bonis proprijs hominum. Ratio est, quia cum meliora, & deteriora conueniant in communibus, differunt in proprijs; sed melius differt à deteriori, eo quod propria melioris præemineant proprijs deterioris; ergo bona propria melioris eligibiliora sunt, quam bona propria deterioris.

14 Decimus tertius locus est: quod est in melioribus, vel prioribus, vel honorabilioribus, est eligibilius: ex. gr. sanitas est eligibilior robore, & pulchritudine, quia sanitas est in primis qualitatibus, humidis nimirum, ac siccis, calidis, ac frigidis, ex quibus primo corpora constituuntur; at robur est in neruis, & ossibus; pulchritudo consistit in quadam commensuratione membrorum, quæ sunt posteriora primis qualitatibus.

15 Decimus quartus locus est: finis est eligibilior ijs, quæ conducunt ad finem; ex ijs autem, quæ conducunt ad finem, illud est eligibilius, quod est propinquius fini: ex. gr. felicitas, quæ est vltimus finis, est melior virtute, quæ conducit ad feli-

felicitatem; ex ijs autem, quæ conducunt ad felicitatem, illa sunt meliora, quæ sunt propinquiora felicitati.

16 Decimus quintus locus est: quæ conducunt ad finem totius vitæ, eligibiliora sunt, quam quæ conducunt ad aliquem finem particularem: ex. gr. quæ conducunt ad acquirendam felicitatem, quæ est finis totius vitæ, eligibiliora sunt, quam quæ conducunt ad comparandam quamdam prudentiam, quæ non est finis totius vitæ.

17 18 *Et possibile impossibili. * Amplius, cùm duo sint effectiua, cuius finis melior, & ipsum melius.*

19 *Cùm autem sit effectiuum, & finis, ex proportione, quando pluri superat finis finem, quam ille proprium effectiuum. Vt felicitas pluri superat sanitatem, quam sanitas salubre: quare effectiuum felicitatis melius sanitate. Nam quantum felicitas superat sanitatem, tantum & effectiuum felicitatis, salubre superat: sanitas autem salubre minus superabat: quare plus superat effectiuum felicitatis salubre, quàm sanitas salubre: quapropter effectiuum felicitatis melius sanitate: manifestum igitur, quòd eligibilius effectiuum felicitatis, quàm sanitas: nam idem plus superat.*

20 *Amplius melius est, quod propter se, & honorabilius, & laudabilius: vt amicitia diuitijs, & iustitia sanitate, & robore: nam illa quidem propter se honorabilium, hæc vero non propter se, sed propter aliud: nullus enim honorat diuitias propter se, sed propter aliud: amicitiam vero propter se, & si nihil nobis debeat aliud ab ea esse.*

17 Decimus sextus locus est: possibile est eligibilius impossibili: ex. gr. vnicuique eligibiliora sunt illa bona, quæ potest moraliter consequi, quam illa, quæ moraliter consequi non potest.

18 Decimus septimus locus est: quæ sunt effectiua finis melioris sunt meliora: ex. gr. studia, & exercitia animi meliora sunt studijs, atque exercitijs corporis, quia studia animi effectiua sunt bonorum animi, puta sapientiæ, & virtutis; studia verò corporis effectiua sunt bonorum corporis, puta sanitatis, bonæ habitudinis &c.

19 Decimus octauus locus est: sint duo fines, puta felicitas, & sanitas, & sint duo ipsorum effectiua, puta salubre, quod est effectiuum sanitatis, & virtus, quæ est effectiua felicitatis; dico, quod si finis melior magis excedat finem minus bonum, quam finis deterior excedat medium effectiuum ipsius, etiam medium effectiuum finis melioris excedit finem minus bonum: ex. gr. si felicitas magis excedit sanitatem, quam sanitas excedat salubre, etiam virtus, quæ est effectiua felicitatis, excedit sanitatem, & est eligibilior sanitate. Probatur: nam quantum felicitas excedit sanitatem, tantum effectiuum felicitatis excedit salubre; sed ex posita suppositione felicitas magis excedit sanitatem, quam sanitas salubre; ergo effectiuum felicitatis magis excedit salubre, quam sanitas salubre; ergo effectiuum felicitatis magis excedit salubre, quam sanitas excedat ipsum salubre; ergo effectiuum felicitatis est melius sanitate, cum magis excedat idem, hoc est salubre; ex duobus verò excedentibus idem bonum, illud est melius, quod magis excedit.

20 Decimus nonus locus est: quod propter se est laudabilius, & honorabilius, est etiam melius, & eligibilius: ex.gr. amicitia est eligibilior diuitijs, iustitia est eligibilior sanitate, & robore. Ratio est, quia amicitia est honorabilis propter se, etiam si nullum aliud bonum debeat nobis ab ea existere: at diuitiæ non sunt honorabiles propter se, sed propter virtutem.

De alijs vigintiquinque locis. Cap. II.

1 *Amplius, quando duo aliqua fuerint valde sibimetipsis similia, & non poterimus præeminentiam aliquam conspicere alterius ad alterum, videndum ex ijs, quæ sequuntur. Nam cum consequens est maius bonum, hoc eligibilius.*

2 *Si autem sint consequentia mala, cui consequens minus malum, hoc eligibilius. Nam cum vtraque sint eligenda, nihil prohibet molestum aliquid sequi. Dupliciter autem ab eo, quod sequitur, consideratio. Nam & prius, & posterius sequitur: vt addiscentem ignorare prius, scire autem posterius: melius autem vt plurimum, quod posterius sequitur. Sumendum igitur eorum, quæ sequuntur, quodcunque fuerit vtile.*

3 *Amplius plura bona paucioribus, vel sim-*

simpliciter, vel quando altera alteris insunt, vt pauciora in pluribus.

4 *Instantia, si alicubi alterum alterius gratia: nihil enim eligibiliora vtraque quam vnum: vt sanum fieri, & sanitas, quam sanias, eo quòd sanum fieri propter sanitatem eligimus.*

5 *Et non bona bonis nihil prohibet eligibiliora esse, vt felicitatem, & aliud aliquid quod non est bonum, iustitia & fortitudine.*

1 Vigesimus locus ex consequentibus est: quando duo ita sunt inter se similia, vt non possimus determinare, vtrum sit eligibilius, debemus considerare, quæ consequuntur ad ipsa; illud enim, ex quo consequitur maius bonus, est eligibilius, ac melius: ex. gr. si quis dubitet, vtrum melius sit discere, an sanari, debet considerare quæ consequuntur ad ipsa; & quia ad discere sequitur scire, ad sanari sequitur sanitas, scire autem est melius, quam *sanum esse*, ideo discere est melius, & eligibilius, quam sanari.

2 Vigesimus primus locus est: ex bonis id, ad quod sequitur minus malum, est eligibilius: ex. gr. si dubitetur, vtra ex duabus disciplinis sit melior, considerandum est, ad quam sequatur minor labor, & molestia; illa enim est melior. Aduertit Aristoteles, quod ad aliquid sequitur tum prius, tum posterius: ex. gr. ad *discere* sequitur ignorasse, vt quid prius, & scire, vt quid posterius; qui enim discit, ante ignorabat, & postea scit. Plerumque autem quod sequitur posterius est melius eo, quod sequitur prius, eo pacto, quo *scire* est melius, quam ignorare. Cum igitur aliquid sequitur prius, aliquid posterius, desumendum est argumentum, vel ex eo, quod sequitur prius, vel ex eo quod sequitur posterius, prout videbitur magis vtile ad propositum concludendum.

3 Vigesimus secundus locus desumitur ex multitudine bonorum. Plura bona sunt eligibiliora paucioribus, seu sint plura simpliciter, ita vt contradistinguantur à paucioribus, seu sint plura, ita vt comprehendant pauciora: ex. gr. fortitudo, iustitia, & temperantia sunt eligibiliores, quam fortitudo, & temperantia sola, quia hæc duo comprehenduntur in illis tribus. Similiter fortitudo, iustitia, & prudentia, eligibiliora sunt, quam temperantia, & mansuetudo, quæ sunt pauciora bona, & non comprehenduntur in illis tribus.

4 Verumtamen contra vtramque partem loci sunt aliquæ instantiæ. Contra primam partem loci, quod plura bona sunt eligibiliora paucioribus, quæ comprehenduntur in pluribus est, quia licet *sanari*, & sanitas sint plura bona, quam sola sanitas, adhuc non est expetibilius *esse sanum*, & *sanari*, quam solum *esse sanum*. Propter hanc instantiam limitandus est locus, ac dicendum, quod tum plura bona non sunt eligibiliora paucioribus, quando alterum ex pluribus est solum eligibile gratia alterius, eo pacto, quo in posito exemplo *sanari* est solum eligibile gratia sanitatis.

5 Secunda instantia contra secundam partem regulæ est: felicitas, & aliud quoddam non bonum est eligibilior, quam iustitia, temperantia, & fortitudo; ergo non semper plura bona contradistincta sunt eligibiliora paucioribus. Dicendum, quod vt regula sit vera, limitanda est, ita vt tum plura bona sint eligibiliora paucioribus, cum inter pauciora non comprehenditur aliquod maximum bonum, qualis est felicitas, quæ est summum bonum.

6 *Et eadem cum voluptate magis, quàm sine voluptate: & eadem cum indolentia, quàm cum tristitia.*

7 *Et vnumquodque in quo tempore magis valet, in hoc etiam eligibilius: vt carentia tristitiæ in senectute magis, quàm in iuuentute: magis enim in senectute valet. Secundum hæc autem, & prudentia in senectute eligibilior. Nemo enim iuuenes eligit duces, eo quod non constat eos prudentes esse. Fortitudo autem è contrario. In iuuentute enim magis necessaria secundum fortitudinem operatio: similiter autem & in temperantia: magis enim iuuenes, quam senes, concupiscentijs molestantur.*

8 *Et quod in omni tempore, vel in pluribus vtilius, vt iustitia, & temperantia, fortitudine: nam illæ semper, hæc autem aliquando vtilis.*

9 *Et quod, cùm omnes haberemus, nihil altero indigeremus, quam quòd cùm haberemus, indigeremus reliquo, vt in iustitia & fortitudine: nam si omnes essent iusti, nihil vtilis fortitudo, si vero omnes essent fortes, vtilis iustitia.*

10 *Amplius ex corruptionibus, & abiectionibus, & generationibus, & sumptionibus, & con-*

& contrarijs. Quorum enim corruptiones malae, ipsa eligibiliora. Similiter autem & in abiectionibus, & in contrarijs. Nam si abiectio, vel contrarium fugibilius est, ipsum eligibilius. In generationibus autem, & sumptionibus è contrario. Quorum enim sumptiones, & generationes eligibiliores, ipsa quoque eligibiliora.

6 Vigesimus tertius locus est: eadem cum voluptate sunt eligibiliora, quam sine voluptate & eadem cum indolentia sunt eligibiliora, quam sine indolentia: ex. gr. virtus cum voluptate, ac sine dolore, eligibilior est, quam eadem virtus sine voluptate, & cum dolore.

7 Vigesimus quartus locus est: vnumquodque bonum eo tempore est eligibilius, quo plus potest, eo quod maior sit vsus ipsius: ex. gr. indolentia est magis eligibilis pro tempore senectutis, quam pro tempore iuuentutis, quia cum iuuenibus innata sit hilaritas, non adeo indigent indolentia, sicut senes, quibus innata est quædam tristitia. Similiter prudentia eligibilior est pro tempore senectutis, quam pro tempore iuuentutis, quia cum magistratus, imperia, & alia munera, quæ indigent prudentia, non soleant demandari iuuenibus, qui plerunque non vigent prudentia, sed senibus, qui solent esse prudentes, maior est vsus prudentiæ tempore senectutis, quam iuuentutis. E conuerso fortitudo, & temperantia sunt magis necessariæ, adeoque magis eligibiles pro tempore iuuentutis, quam senectutis, quia cum labores bellici, & alij similes spectent ad iuuenes, iuuenes magis indigent fortitudine, & robore, quam senes; & cum iuuenes soleant concupiscentijs vehementibus concuti, magis indigent temperantia ad illas refrenandas, quam senes.

8 Vigesimus quintus locus est: quod est semper, vel sæpius vtile, eligibilius est eo, quod non semper, vel raro est vtile: ex. gr. iustitia, & temperantia sunt eligibiliores fortitudine, quia iustitia, & temperantia semper sunt vtiles, fortitudo non semper, sed solum tempore belli.

9 Vigesimus sextus locus est: id, quod si omnes haberemus, non indigeremus alio, est eligibilius eo, quod etiamsi omnes haberemus, adhuc indigeremus alio: ex. gr. iustitia est eligibilior fortitudine, quia si omnes essemus iusti, non indigeremus fortitudine, vt pote qua indigemus solum ad arcendas iniurias; at si omnes essemus fortes, adhuc indigeremus iustitia.

10 Vigesimus septimus locus ex corruptionibus, atque abiectionibus, ex generationibus, & sumptionibus, nec non ex contrarijs est: ea sunt eligibiliora, quorum corruptiones, abiectiones, & contraria sunt fugibiliora: ex. gr. quia peior est corruptio, & abiectio virtutis, quam corruptio, & abiectio sanitatis, & quia vitium, quod est contrarium virtuti, peius est ægritudine, quæ est contraria sanitati; ideo virtus est eligibilior sanitate. E conuerso ea sunt meliora, & eligibiliora, quorum generatio, & assumptio est melior: ex. gr. quia melior est generatio, & assumptio virtutis, quam sanitatis, ideo virtus est melior sanitate.

11 *Alius autem locus est. Quod propinquius*
12 *bono, melius, atque eligibilius.* * *Et quod*
13 *similius est bono, vt iustitia, iusto.* * *Et quod meliori eorum est similius: quemadmodum Aiacem Vlysse dicunt aliqui meliorem esse, eo quòd similior est Achilli. Instantia huius est, quòd non verum sit. Nihil enim prohibet non qua ratione optimus est Achilles, eadem similiorem esse Aiacem, cùm erit alter quidem bonus, non similiter autem. Considerandum autem, si & in ridiculosioribus sit simile, vt simia homini, quàm equo, cùm non sit similis: non enim est simia melior, similior tamen est homini.*
14 *Rursum in duobus, si hoc quidem meliori, illud autem peiori est similius, erit melius, quod meliori est similius. Habet autem, & hoc instantiam. Nihil enim prohibet hoc quidem meliori parum simile esse, illud autem peiori valde: vt sit Aiax quidem Achilli parum, Vlysses autem Nestori valde: vt si hoc quidem meliori in peioribus, illud autem peiori in melioribus: vt equus, asino; & simia homini.*

11 Vigesimus octauus locus est: quod est propinquius summo bono est eligibilius: ex. gr. virtus est eligibilior diuitijs, quia virtus est propinquior felicitati, quæ est summum bonum.

12 Vigesimus nonus locus, qui vel coincidit cum præcedente, vel parum ab ipso differt est: quod est similius summo bono, est eligibilius: ex. gr. quia qui benefacit similior est Deo, quam qui accipit bene-

neficia, ideo eligibilius est beneficia facere quam accipere.

13 Trigesimus locus est: quod est similius meliori est melius: ex. gr. supponendo, quod Achilles sit melior Aiace, & Vlysse, quia Aiax similior est Achilli, quam Vlysses, Aiax videtur esse melior Vlysse. Debet autem hic locus intelligi, quod tum qui similior est meliori sit melior, cum est similis in eo, in quo est melior; & quia fortasse Aiax fuit similior Achilli, non in eo, in quo Achilles erat melior, sed in iracundia, ideo non sequitur, quod Aiax sit melior Vlysse. Confirmatur, quia si quid similius sit meliori in ridiculis non est melius, eo pacto, quo licet simia sit similior homini, quam equus, adhuc simia non est melior equo, quia similior est solum in ridiculis.

14 Trigesimus primus locus est: quod est similius meliori est melius, quam quod est similius deteriori: ex. gr. supponendo, quod Achilles sit melior Nestore, quia Aiax similior est Achilli, quam Vlysses Nestori, sequitur, quod Aiax sit melior Vlysse. Verum contra hunc locum duplex est instantia. Prima est, quia si vnum sit parum simile meliori, alterum sit multum simile minus bono, potest quod est simile minus bono esse melius. ex. gr. quia Aiax fuit parum similis Achilli meliori, Vlysses fuit valde similis Nestori minus bono, potuit Vlysses esse melior Aiace. Secunda instantia est: quod est simile meliori in deterioribus potest esse deterius, quam quod est simile peiori in melioribus: ex. gr. quia Aiax fuit similis Achilli in iracundia, quæ est deterior, Vlysses fuit similis Nestori in prudentia, quæ est melior, Aiax fuit deterior Vlysse. Rursus equus est similior asino in melioribus, simia est similior homini in deterioribus, ideo equus est melior, quam simia.

15 *. Et quod maxime insigne, eo quod minus*
16 *tale. * Et quod difficilius: magis enim amamus, cùm habemus, quod non est fa-*
17 *cile adipisci. * Et quod magis proprium,*
18 *eo quod communius. * Et quod malis incommunius: nam magis eligendum, quod nulla molestia sequitur, quàm quod sequitur.*

19 *Amplius si hoc illo melius, & omnino optimum eorum, quæ in hoc, melius eo, quod in altero optimum: vt si melior est homo, quàm equus, & optimus homo equo melior.*
20 ** Et si optimum optimo melius, & simpliciter hoc illo melius: vt si optimus homo optimo equo melior, & simpliciter homo, simpliciter equo melior.*

21 *Amplius ea, quæ volumus amicos parti-*
22 *cipare, eligibiliora, quàm quæ non. * Et quæ ad amicum agere malumus, quàm quæ ad quemlibet, illa eligibiliora: vt iuste agere, & benefacere, magis quàm videri: nam amicis benefacere volumus magis, quàm videri: quibuslibet autem è conuerso.*

15 Trigesimus secundus locus est: quod est nobilius est eligibilius; & quia nobilius est seruire Principi, quam priuato, ideo est eligibilius.

16 Trigesimus tertius locus est: quod est difficilius est eligibilius. Quod enim difficilius obtinetur, magis amatur obtentum.

17 Trigesimus quartus locus est: quod est magis proprium, eligibilius est eo, quod est communius: ex. gr. quia sapientia est hominis propria, sanitas est communis belluis, sapientia est eligibilior, quam sanitas.

18 Trigesimus quintus locus est: quæ minus afferunt molestiæ sunt eligibiliora: ex. gr. quia vita priuata minus affert molestiæ, est eligibilior, quam publica.

19 Trigesimus sextus locus est: cum genus est melius genere, optimum generis melioris est melius optimo generis deterioris: ex. gr. quia homo est melior equo, optimus homo est melior optimo equo.

20 Trigesimus septimus locus, qui conuertit præcedentem est: cum optimum vnius generis est melius optimo alterius generis, etiam genus est melius genere: ex. gr. quia optimus homo est melior optimo equo, etiam homo est melior equo.

21 Trigesimus octauus locus est: quod est amicis communicabile est melius eo, quod non est communicabile: ex. gr. quia sapientia est communicabilis amicis, sanitas non, ideo sapientia melior est sanitate.

22 Trigesimus nonus locus est: quæ quis vult facere amicis meliora sunt, quam quæ vult facere non amicis: ex. gr. quia amicis volumus benefacere, alijs volumus videri benefacientes, ideo benefacere melius est, quam videri benefacere.

23 *Et quæ sunt ex circumstantia necessarijs meliora, aliquando autem, & eligibiliora.*

liora. Melius enim, quàm viuere bene viuere: bene autem viuere est ex circumstantia: ipsum autem viuere necessarium. Aliquando autem meliora non etiam eligibiliora. Non enim si meliora, necessario, quòd eligibiliora: philosophari siquidem melius, quàm lucrari, sed non magis eligendum indigenti necessarijs. Ex circumstantia autem est, quando existentibus necessarijs, alia quædam adijciuntur bonorum. Fere autem fortasse eligibilius quod necessarium est, melius autem, quod ex circumstantia.

24 *Et quod non est ab alio exquirere, quàm quod est, & ab alio, quale sustinet iustitia ad fortitudinem.*

25 *Et si hoc quidem sine illo eligendum, illud autem sine hoc non; vt potestas sine prudentia non eligenda, prudentia vero sine potestate eligenda.*

26 *Et duorum, si alterum negamus, vt reliquum videatur nobis inesse, illud eligibilius, quod volumus nobis videri inesse: vt laborem diligere nos negamus, vt ingeniosi esse videamur.*

27 *Amplius pro cuius absentia minus increpandi sunt moleste ferentes, hoc magis eligendum. Et pro cuius absentia non moleste ferentem magis increpandum, id eligibilius.*

23 Quadragesimus locus est: non necessaria sunt meliora necessarijs, & aliquando eligibiliora: ex. gr. *bene viuere* non est necessarium, *viuere* est necessarium, ideoque bene viuere est melius, & eligibilius, quam viuere. Aliquando tamen non necessaria, licet sint meliora, sunt minus eligibilia. Ex. gr. philosophari melius est, quam lucrari; & tamen indigenti necessarijs, eligibilius est lucrari, quam philosophari. Plerunque igitur necessarium est eligibilius, non necessarium est melius.

24 Quadragesimus primus locus est: quæ non possunt suppleri ab alijs meliora sunt, quam quæ possunt suppleri: ex. gr. iustitia est melior fortitudine, quia si quis non sit iustus, nemo potest supplere pro illo; at si quis non sit fortis, potest alter supplere defendens illum.

25 Quadragesimus secundus locus est: cum duo ita se habent, vt vnum sit eligendum sine altero, non e conuerso, illud, quod est eligendum sine altero, est melius: ex. gr. quia potestas, & prudentia ita se habent, vt potestas sine prudentia non sit eligibilis, prudentia sine potestate sit eligibilis, ideo prudentia est melior potestate.

26 Quadragesimus tertius locus est: cum duo ita se habent, vt dissimulemus nobis inesse vnum, ad hoc, vt appareat inesse alterum, hoc secundum est eligibilius: ex. gr. quia homines sæpe negant se esse laboriosos, vt appareant ingeniosi, esse ingeniosum est melius, quam esse laboriosum.

27 Quadragesimus quartus locus est: bona, quorum defectus est minus vituperabilis in ijs, qui molestè ferunt se illis carere, sunt eligibiliora, quam bona, quorum defectus est vituperabilior in ijs, qui molestè ferunt se illis carere: ex. gr. quia qui caret virtute minus est vituperabilis, si molestè ferat talem carentiam; qui caret diuitijs magis est vituperabilis, si molestè ferat talem carentiam, ideo virtus est eligibilior diuitijs.

De alijs nouemdecim locis. Caput III.

1 *AMplius eorum, quæ sunt sub eadem specie, quod habet propriam virtutem,*
2 *eo quod non habet: * vtrisque autem habentibus, quod magis habet, eligibilius.*

3 *Amplius si hoc quidem facit bonum illud, cui adest, illud autem non facit, quod facit, eligibilius: quemadmodum & calidius,*
4 *quod calefacit, eo quod non. * Si autem vtrunque facit, quod magis facit, aut quod melius, & principalius facit bonum: vt si hoc quidem animam, illud autem corpus.*

5 *Amplius autem à casibus, & vsibus, & actionibus, & operibus, & hæc ab illis. Sequuntur enim sese inuicem: vt si quod iuste est eligibilius, quam quod fortiter, & iustitia fortitudine eligibilior: & si iustitia, quàm fortitudo eligibilior, & quòd iuste, quam quòd fortiter. Similiter autem, & in alijs.*

6 *Amplius si aliquo eodem hoc quidem maius bonum est, illud autem minus, magis eligendum maius, aut si maiore maius fuerit alterum.*

1 QVadragesimus quintus locus est: quod habet propriam virtutem, & perfectionem, eligibilius est eo, quod non habet: est autem propria virtus, & perfectio vniuscuiusque aptitudo ad finem. Ex. gr. ex duobus gladijs ille, qui est aptus ad finem

nem gladij, qui est *pugnare*, est melior, & eligibilior eo, qui est ineptus ad talem finē.

2 Quadragesimus sextus locus est: ex duobus eiusdem speciei, quorum vtrumque habeat propriam virtutem, illud est eligibilius, quod magis habet. ex. gr. ex duobus gladijs, quorum vterque est aptus ad pugnandum, ille est eligibilior, qui est magis aptus.

3 Quadragesimus septimus locus est: ex duobus, quorum alterum faciat bonum habentem, alterum non, illud est eligibilius, quod facit bonum. Sicut enim quod calefacit est calidius, quam quod non calefacit, ita quod facit bonum habentem est melius, quam quod non facit: & quia virtus facit bonum habentem, voluptas non facit, ideo virtus est melior voluptate.

4 Quadragesimus octauus locus est: ex duobus, quorum vtrumque facit bonum habentem, illud est melius, quod magis facit, vel quod bonum facit subiectum melius: ex. gr. quia virtus animæ facit bonam animam, virtus corporis facit bonum corpus, ideo virtus animæ est melior, quam virtus corporis.

5 Quadragesimus nonus locus ex casibus, vsibus, actionibus, & operibus est: si quod iustè fit, eligibilius est, quam quod fortiter fit, iustus est eligibilior forti, & iustitia est eligibilior fortitudine, & è conuerso, idemque dic de alijs casibus. Rursus si vsus iustitiæ est melior vsu fortitudinis, & actio, atque opus iustitiæ est melius, quam actio, atque opus fortitudinis, etiam iustitia est melior fortitudine.

6 Quinquagesimus locus est: si duo ita comparantur cum tertio, vt alterum sit melius tertio, alterum minus bonum, quod est melius tertio, est magis eligendum. Potest idem clarius explicari: quod est meliore melius, etiam est melius deteriore: ex. gr. si sapientia est melior honoribus, honores meliores sunt diuitijs, multo magis sapientia est melior diuitijs.

7 *Sed & si duo quædam vno aliquo sint eligibiliora, quod longe eligibilius, eo quod minus est eligendum, eligibilius.*

8 *Amplius, cuius est superabundantia eligibilior, & ipsum eligibilius: vt amicitia pecunijs: nam eligibilior superabundantia amicitiæ, quam pecuniarum.*

9 *Et id, cuius magis eliget quis, vt ipse sibi causa sit, quàm cuius alter: vt amicos pecunijs.*

10 *Amplius ex appositione, si eidem appositum aliquid, quod totum eligibilius facit. Cauere autem oportet extendere ad ea, in quibus altero quidem appositorum vtitur commune, vel alio quolibet modo cooperatiuum est, reliquo autem non vtitur, neque cooperatiuum est: vt serra, & falce cum arte fabrili: nam eligibilior serra consociata, simpliciter autem non eligibilior.*

11 *Rursum si minori appositum aliquid, quod totum maius facit.*

12 *Similiter autem, & ex ablatione. Quo enim ablato ab eodem, quod restat est minus, illud maius erit, quod ablatum, reliquum minus facit.*

7 Quinquagesimus primus locus est: si duo sint eligibiliora tertio, quod magis excedit tale tertium in eligibilitate, illud est melius: ex. gr. tum virtus, tum honor sunt eligibiliores diuitijs, sed virtus magis excedit diuitias, quam honor, ideoque virtus est eligibilior honore.

8 Quinquagesimus secundus locus est: Id, cuius excellentia anteponitur excellentiæ alterius, etiam ipsum est anteponendum alteri: ex. gr. quia excellentia amicitiæ præponitur excellentiæ diuitiarum, etiam amicitia præponenda est diuitijs.

9 Quinquagesimus tertius locus est: ea, quorum quis mauult esse sibi causa, meliora sunt illis, quæ mauult ab alijs accipere: ex. gr. quia vnusquisque mauult eligere sibi amicos, quam accipere ab alijs; e conuerso mauult diuitias accipere ab alijs, quam ipse acquirere, ideo amici sunt eligibiliores.

10 Quinquagesimus quartus locus ex appositione est: ex duobus, id, quod additum eidem tertio facit ipsum eligibilius, est melius, quam id, quod additum eidem tertio facit id minus eligibile: ex. gr. si sanitati addantur diuitiæ, & virtus, eligibilior est sanitas cum virtute, quam cum diuitijs, ideoque virtus est eligibilior diuitijs. Aduertit Aristoteles, quod quando id, quod additur tertio, facit ipsum melius, quia tertium ipso vtitur, tum non concluditur illud esse melius altero, quo tertium non vtitur. Ex. gr. si arti fabrili addatur serra, vel falx, melior est ars fabrilis cum serra, quam cum falce, quia potest vti serra, non autem falce; & tamen non concluditur, quod serra sit melior falce; alioquin cum ars messoria sit melior cum falce, quam

cum

cum ferra, posset inferri, quod ferra,& falx sint mutuo meliores, quod implicat.

11 Quinquagesimus quintus locus affinis est: quod additum minori bono, facit melius, eligibilius est eo, quod additum maiori bono facit id minus bonum: ex.gr. bonus habitus corporis est melior sanitate; & tamen si sanitati, quæ est minus bonum, addatur virtus, fit aliquid melius, quam si bono habitui addantur diuitiæ: sanitas enim cum virtute est melior, quam bonus habitus cum diuitijs; ergo virtus est melior diuitijs.

12 Quinquagesimus sextus locus ex detractione est: id est maius,cuius detractione totum, quod remanet, fit minus: ex.gr. quia si auferantur ex numero denario quinque, vel tria, quod remanet ablatis quinque est minus, quam quod remanet ablatis tribus, ideo numerus quinarius est maior ternario. Proportionaliter in eligibilibus, quia ex toto conflato ex sanitate,pulchritudine, & virtute, si auferatur virtus, quod remanet est minus bonum, quam si auferatur sanitas, ideo virtus est melior sanitate.

13 *Et si hoc quidem propter se, illud autem propter gloriam eligendum: vt sanitas pulchritudine. Terminus autem eius,quod est ad gloriam, quod nullo conscio, non studeret inesse.*

14 *Et si hoc quidem propter se, & propter gloriam eligendum, illud autem propter*
15 *alterum tantum. * Et vtrunuis magis propter se honorandum, hoc & melius, & eligibilius. Honorabilius vtique fuerit secundum se, quod cùm nihil aliud debeat esse, propter se eligimus magis.*

16 *Amplius diuidendum quoties quod eligendum est dicitur, & quorum gratia, vtilis, vel honesti, vel delectabilis. Nam quod ad omnia, vel ad plura est vtile, eligibilius fuerit eo, quod non sic.*

17 *Si autem eadem vtrisque insunt,vtri magis insint considerandum: vt vtrum delectabile, an honestum, an vtile magis.*

18 *Rursum, quod propter melius eligibilius. Vt quod propter virtutem,quàm quod propter delectationem.*

19 *Similiter autem, & in fugiendis. Nam magis est fugiendum, quod magis impedit virtutes, vt ægritudo turpitudine: nam & voluptatis, & eius, quod est studiosum esse, prohibentior est ægritudo.*

20 *Amplius ex similitudine monstrari potest fugiendum, & eligendum quod propositum est. Nam minus eligendum huiusmodi, quod æque & eligeret aliquis, & fugeret, altero, quod eligendum est tantum. Ad se inuicem igitur comparationes (quemadmodum dictum est) faciendum.*

13 Quinquagesimus septimus locus est: quod est eligendum propter se, melius est eo, quod est eligendum propter gloriam: ex.gr. sanitas, quæ est eligibilis propter se, est melior pulchritudine, quæ eligibilis est propter gloriam. Eligibile verò propter gloriam definitur; id, de quo si nullus deberet esse conscius, nemo multum curaret; & quia nemo multum curaret de pulchritudine, si nullus deberet esse conscius, ideo pulchritudo est eligibilis propter gloriam.

14 Quinquagesimus octauus locus est: quod est eligibile & propter se, & propter gloriam, magis est eligibile, quam quod solum propter alterutrum horum duorum: ex. g. quia sapientia est eligibilis tum propter se, tum propter gloriam, est melior sanitate, quæ solum est eligibilis propter se, & etiam est melior pulchritudine, quæ solum est eligibilis propter gloriam.

15 Quinquagesimus nonus locus est: id, quod propter se est magis honorandum, est eligibilius eo, quod propter se est minus honorandum: & quia contemplatio propter se est magis honoranda, quam actio, ideo contemplatio est eligibilior actione. Ex se autem honorabilius est, quod etiam secluso emolumento magis eligimus: ex. gr. quia seclusa vtilitate magis eligimus contemplationem, quam actionem, ideo contemplatio est honorabilior actione.

16 Sexagesimus locus desumitur ex diuisione boni in honestum, vtile, & delectabile: quod enim habet vel omnia hæc, vel plura ex his, illud est melius: ex. gr. quod est simul honestum, vtile, & delectabile est melius, quam quod solum est honestum &c.

17 Sexagesimus primus locus est: ex duobus,quorum vtrumque participat eamdem rationem boni, illud est melius, quod magis participat: ex. gr. iustitia est melior modestia,quia iustitia magis participat rationem boni honesti, quam modestia.

18 Sexagesimus secundus locus est: quod est eligibile gratia melioris, est eligibilius:

bilius: ex. gr. ſtudium eſt eligibilius exercitatione corporea, quia ſtudium eſt eligibile gratia ſapientiæ, exercitatio eſt eligibilis gratia ſanitatis, & gratia bonæ habitudinis corporalis; ſapientia autem eſt melior ſanitate, & bona habitudine corporali.

19 Addit Ariſtoteles eamdem eſſe de fugibilibus rationem. Quod enim magis impedit virtutem, & alia bona per ſe expetenda, eſt fugibilius: ex. gr. ægritudo eſt fugibilior turpitudine, quia ægritudo magis impedit virtutem, & voluptatem, quæ ſunt bona per ſe expetenda, quam turpitudo.

20 Sexageſimus tertius locus eſt: quod eſt ſolum eligibile, eſt magis eligendum, quam id, quod eſt ſimul eligibile, & fugibile: ex. gr. ſapientia eſt eligibilior magiſtratibus, quia ſapientia eſt ſolum eligibilis; at magiſtratus ſunt eligibiles, & etiam fugibiles propter moleſtias, quas afferunt.

Oſtenditur locos aſſignatos valere etiam ad probandum aliquid eſſe abſolutè eligendum,& fugiendum,& ad probandum aliquid vniuerſim eſſe magis, aut minus tale. Cap. IV. Articulus Primus.

1 *Idem autem loci vtiles, & ad demonſtrandum quoduis eligendum, & fugiendum. Nam auferre ſolum eam oportet, quæ ad alterum eſt, præeminentiam. Si enim quod honorabilius, eligibilius, & honorabile eligendum: & ſi quod vtilius, eligibilius, & vtile eligendum. Similiter autem,& in alijs quæcunque huiuſmodi habent comparationem. In aliquibus autem ſtatim ſecundum eam, quæ ad alterum eſt comparationem & quod eligendum vtrunque, vel alterum dicimus: vt quando hoc quidem natura bonum,illud autem non natura bonum dicimus: nam quod natura bonum, manifeſtum quoniam eligendum eſt.*

Propoſitis locis, quibus oſtendi poteſt aliquid eſſe eligibilius, vel fugibilius altero, explicat Ariſtoteles primo, quo pacto ex ijſdem locis poteſt oſtendi,aliquid eſſe abſolutè eligendum,vel fugiendum: ſecundo explicat, quo pacto loca propoſita poſſint ampliari ad probandum aliquid vniuerſim eſſe magis tale, quam aliud.

1 Quoad primum: ex ijſdem ergo locis, ex quibus probatur vnum eſſe eligibilius altero, mutando comparatiuum in poſitiuum, poteſt probari, quod illud idem eſt abſolutè eligibile. Ex. gr. ſicut probatur aliquid eſſe eligibilius ex eo, quod ſit honorabilius, ita ex eo, quod ſit honorabile, poteſt probari, quod abſolutè ſit eligibile. Porrò in aliquibus manifeſtè includitur ratio eligibilis. Ex. gr. in loco,in quo dicitur, quod id, quod ex natura ſua eſt bonum, eligibilius eſt eo, quod non eſt bonum ex natura ſua, manifeſtè includitur, quod ſit eligibile. Ex ſe enim patet id,quod ex natura ſua eſt bonum, eſſe eligibile.

2 *Sumendum autem quàm maxime vniuerſales locos de eo, quod eſt magis, & minus: nam ſic ſumpti ad plura vtiles erunt. Fieri autem poteſt,vt eorum,qui dicti ſunt, quoſdam vniuerſales magis quis faciat parum tranſmutans ſecundum appellationem. Vt quod natura tale, eo quod non natura tale, magis tale. Et ſi hoc quidem facit, illud autem non facit, quod habet tale cuicunque inſit, magis tale,quod interdum facit tale, quàm quod non facit. Si autem vtrunque facit,quod magis facit tale. Amplius ſi eodem aliquo, hoc quidem magis, illud autem minus tale. Et ſi hoc tali magis tale, illud vero non tali tale, manifeſtum quoniam primum magis tale. Amplius ex additione: ſi eidem additum,aliquod totum magis tale facit. Aut ſi ei, quod minus eſt tale additum, totum magis tale facit. Similiter autem, & ex ablatione: nam quo ablato reliquis reliquum minus tale, ipſum magis tale. Et quæ contrarijs ſunt impermixtiora, magis talia: vt albius quidem nigro impermixtius. Amplius præter ea, quæ dicta ſunt prius, quod magis ſuſcipit propriam propoſiti rationem: vt ſi albi eſt ratio color diſgregatiuus viſus, albioris eſt, color magis diſgregatiuus viſus.*

2 Quoad ſecundum: loci propoſiti parum illos mutando,& loco terminorum minus vniuerſalium, ponendo terminos vniuerſaliores, poſſunt adaptari ad ſoluenda omnia problemata comparatiua. Explicatur exemplis. Locus quadrageſimus ſeptimus fuit: quod facit ſubiectum bonum eſt melius, & eligibilius eo,quod non facit ſubiectum

biectum bonum. Hic locus, si parum mutetur, & sic proponatur: quod facit subiectum tale, est magis tale, quam id, quod non facit subiectum tale, ampliabitur ad resoluenda plura alia problemata comparatiua. Similiter hic locus: quod aliquando facit bonum, est melius eo, quod nunquam facit bonum, potest ita proponi: quod aliquando facit tale est magis tale, quam id, quod nunquam facit tale. Hic locus: quando vtrumque facit bonum, id quod facit magis bonum est melius, & eligibilius; potest sic proponi: quando vtrumque facit tale, id quod facit magis tale, est magis tale. Hic locus: si ex duobus bonis alterum sit melius tertio, alterum minus bonum, quod est melius tertio, est eligibilius; seu quod est meliore melius, est etiam melius, & eligibilius deteriore; potest sic proponi: si ex duobus alterum sit magis tale, alterum minus tale eodem tertio, illud primum est magis tale. Hic locus: ex duobus, quorum alterum sit melius tertio, alterum non sit melius, illud, quod est melius tertio, eligibilius est illo, quod non est melius: potest sic proponi: ex duobus illud, quod est magis tale aliquo tertio, est magis tale, quam aliud, quod non est magis tale eodem tertio. Hic locus ex additione: ex duobus id, quod additum eidem facit melius, est melius: potest sic proponi: ex duobus, quod additum eidem facit totum magis tale, est magis tale, quam aliud, quod facit totum minus tale. Hic locus: ex duobus, quorum alterum additum minori bono, facit totum melius, quam aliud additum maiori bono, illud est melius: potest sic proponi: ex duobus, id quod additum minus tali, facit magis tale, quam alterum additum magis tali, illud est magis tale. Hic locus ex ablatione: ex duobus id est melius, quo ablato totum remanet minus bonum: potest sic proponi: ex duobus, illud est magis tale, quo ablato totum remanens est minus tale. Hic locus ex contrarijs: bonum minus mixtum malo, est melius, potest sic proponi: id quod est minus mixtum cum contrario, est magis tale: ex. gr. quod est minus mixtum cum nigro est magis album. Addit demum Aristoteles alium locum: quod magis suscipit definitionem est magis tale: ex. gr. supponendo, quod album sit disgregatiuum visus, quod magis est disgregatiuum visus, est magis album.

De vsu locorum explicatorum circa problemata particularia accidentis. Capitis IV. Art. II.

3 *SI autem particulariter, & non vniuersaliter problema ponatur, primum quidem dicti vniuersaliter constructiui, vel destructiui loci omnes vtiles. Vniuersaliter enim interimentes, vel construentes, & particulariter monstramus. Nam si omni inest, & alicui: & si nulli inest, nec alicui.*

4 *Maxime autem opportuni, & communes loci, qui sunt ex oppositis, & coniugatis, & casibus. Nam similiter probabile est existimare, si omnis voluptas bonum, & tristitiam omnem malum esse: & si aliqua voluptas bonum, & tristitiam aliquam esse malum.*

5 *Item, si aliquis sensus non est potestas, & insensibilitas quædam non est impotentia: & si quoddam opinatum disciplinatum, opinio quædam disciplina. Rursum si aliquod iniustorum bonum, & iustorum aliquod malum: & si aliquod eorum, quæ iniustè, malum, & aliquid eorum, quæ iustè bonum.*

6 *Et si quoddam delectabile fugiendum, & delectatio quædam fugienda. Secundum hæc autem & si aliquod delectabile vtile, delectatio quædam vtilis.*

EXplicatis locis deseruientibus ad vniuersalia problemata accidentis tum absoluta, tum comparatiua, Aristoteles primo declarat, quo pacto possimus vti dictis locis etiam ad problemata particularia construenda, & destruenda: secundo explicat, quo pacto possint construi, vel destrui problemata particularia tum definita, tum indefinita: tertio demum explicat, quo pacto problemata particularia possint construi, vel destrui ex locis a diuisione.

3 Quoad primum, præmittit Aristoteles, quod si proponantur problemata particularia, ex. gr. *vtrum aliqua voluptas sit bonum?* omnes loci vtiles ad construenda, vel destruenda problemata vniuersalia, sunt etiam vtiles ad construenda, vel destruenda problemata particularia: ex. gr. per

per omnes locos, quibus construitur, & probatur problema vniuersale, quod omnis voluptas est bonum, construitur etiam, & probatur problema particulare, quod aliqua voluptas est bonum; & per omnes locos, quibus idem problema vniuersaliter destruitur, ostendendo, quod nulla voluptas est bonum, destruitur etiam problema particulare, ostendendo, quod aliqua voluptas non est bonum. Verum quia aliquando debemus probare, vel destruere problema particulare, non probando, neque destruendo vniuersale, ex. gr. debemus probare, quod aliqua voluptas est bonum, non probando, quod omnis voluptas est bonum, explicat Aristoteles, quinam ex locis allatis pro problematibus vniuersalibus sint etiam vtiles pro particularibus.

4 Primo ergo docet locos ex oppositis, coniugatis, & casibus esse maxime vtiles, & opportunos ad problemata particularia construenda, vel destruenda. Explicatur exemplis, primo in loco ex contrarijs, secundo in loco ex priuatiuis, tertio in loco ex relatiuis, quarto in loco ex coniugatis, quinto in loco ex casibus. Locus, seu maxima ex contrarijs erat: si ad vnum contrarium sequitur vnum contrarium, ad aliud contrarium sequitur aliud contrarium: ex. gr. si omnis voluptas est bonum, omnis tristitia est malum. Proportionaliter, si ad vnum contrarium sequitur particulariter vnum contrarium, etiam ad aliud contrarium, sequitur particulariter aliud contrarium, adeoque ex hoc loco possumus probare, quod aliqua tristitia est mala sic: aliqua voluptas est bona; ergo aliqua tristitia est mala: possumus etiam probare, quod aliqua voluptas non sit bona sic: aliqua tristitia non est mala; ergo aliqua voluptas non est bona.

5 Locus ex priuatiuis erat: si ad habitum sequitur habitus, ad priuationem sequitur priuatio. Proportionaliter, si ad habitum sequitur particulariter habitus, ad priuationem sequitur particulariter priuatio. Ex hoc loco possumus probare, quod aliqua insensibilitas sit impotentia, sic: aliquis sensus est potentia; ergo aliqua insensibilitas est impotentia: vel aliquis sensus non est potentia; ergo aliqua insensibilitas non est impotentia. Locus ex relatiuis erat: si relatiuum inest relatiuo, correlatiuum inest correlatiuo. Sicut ex hoc loco potest probari problema vniuersale, sic: omne existimabile est scibile; ergo omnis existimatio est scientia; sic potest probari problema particulare sic: aliquod existimabile est scibile; ergo aliqua existimatio est scientia.

6 Loci ex coniugatis, & casibus erant duo: si alicui ex coniugatis inest aliquod accidens, alijs quoque coniugatis subiecti inerunt coniugata eiusdem accidentis. Sicut ex hoc loco potest probari problema vniuersale sic: omne delectabile est bonum; ergo omnis delectatio est bona; sic potest probari problema particulare sic: aliquod delectabile est bonum; ergo aliqua delectatio est bona. Secundus locus erat: si aliquod accidens alicui inest, coniugatis contrarij subiecti insunt coniugata contrarij accidentis. Ex hoc loco potest probari problema particulare sic: aliquod iustum est bonum; ergo aliquid, quod iustè fit, bene fit; ergo aliquid, quod iniuste fit, malè fit.

7 *Et in corruptiuis autem, & generationibus, & corruptionibus similiter. Nam si aliquod corruptiuum delectationis, vel disciplinæ bonum est, erit quædam delectatio, vel disciplina malorum: similiter autem & si corruptio quædam disciplinæ bonorum, vel generatio malorum, erit quædam disciplina malorum: vt si obliuisci quæ quis turpia egit bonorum est, vel reminisci malorum, erit scire quæ quis turpia egit, malorum. Similiter autem & in alijs: in omnibus enim similiter probabile.*

7 Secundo docet Aristoteles etiam loca ex corruptiuis, & effectiuis, ex generationibus, & corruptionibus, posse applicari problematibus particularibus. Locus ex corruptionibus, & corruptiuis erat: cum corruptio, & corruptiuum est bonum, corruptum est malum, & è conuerso. Ex hoc loco sic possumus problemata particularia construere: aliquod corruptiuum, & aliqua corruptio delectationis, ac scientiæ est bona; ergo aliqua delectatio, & aliqua scientia est mala. Aliqua corruptio delectationis est mala; ergo aliqua delectatio est bona. Locus ex generatiuis, & generationibus erat: cum aliqua generatio est mala, id quod generatur est malum. Hic etiam locus potest applicari ad problemata particularia, sic: aliqua generatio scientiæ

tiæ est mala, aliqua eiusdem corruptio est bona; ergo aliqua scientia, seu cognitio est mala: ex. gr. mala est generatio scientiæ, qua quis recordatur malorum, quæ egit, bona est obliuio, seu corruptio talis scientiæ; ergo mala est scientia, qua quis recordatur malorum, quæ egit.

8 *Amplius ex eo, quod est magis, & minus, & similiter. Si enim magis quidem eorum, quæ sunt ex alio genere, aliquid tale, illorum autem nihil est, neque quod dictum est erit tale: vt si magis quidem disciplina quædam bonum, quàm voluptas: nulla autem disciplina bonum: nec voluptas bonum erit. Et ex eo, quod est similiter quidem, & minus, eodem modo. Nam erit & interimere, & construere. Verumtamen ex eo, quod est similiter, vtraque: ex minus autem, construere solum, destruere autem non. Si enim similiter potestas quædam bonum, & disciplina: est autem quædam potestas bonum: & disciplina: si autem nulla potestas bonum, nec disciplina. Si autem minus quædam potestas bonum, quàm disciplina: est autem quædam potestas bonum: & disciplina: at vero, si nulla potestas bonum, non necesse est & disciplinam nullam esse bonum. Manifestum igitur, quoniam construere solum ex eo, quod minus, est. Non solum autem ex alio genere est destruere, verum & ex eodem, dum sumit quis quod maxime tale est. Vt si positum est disciplina quædam bonum: ostendatur autem quoniam prudentia non bonum, nec alia vlla erit, quia nec quæ maxime videtur.*

8 Tertio docet, quod etiam loci ex *magis*, & *minus*, & ex *similibus*, sunt vtiles ad problemata particularia. Ex *magis* sic potest destrui problema particulare: magis videtur tale aliquid alterius generis, quam aliquid huius generis; sed nullum alterius generis est tale; ergo neque vllum huius generis est tale: ex. gr. magis videtur, quod aliqua disciplina sit bona, quam quod aliqua voluptas sit bona; sed falsum est, quod aliqua disciplina sit bona; ergo falsum est etiam, quod aliqua voluptas sit bona. Ex *minus*, vel similibus possumus sic arguere: minus, vel similiter videtur, quod aliqua voluptas sit honesta, quam quod aliqua scientia sit honesta; sed aliqua voluptas est honesta; ergo etiam aliqua scientia est honesta. Addit Aristoteles, quod ex *magis* possumus solum destruere; ex *minus* solum construere; ex *similibus* possumus tum construere, tum destruere. Quod ex similibus possumus construere, ac destruere patet. Si enim assumamus: *similiter aliqua facultas est bona, ac aliqua scientia*; valet ad construendum; possumus enim subsumere; *sed aliqua facultas est bona; ergo etiam aliqua scientia*: valet etiam ad destruendum; possumus enim subsumere, *sed nulla facultas est bona; ergo nulla scientia est bona*. Quod ex *minus* possimus solum construere, & non destruere, patet: si enim assumamus: *minus aliqua facultas est bona, quam aliqua scientia*; valet; *sed aliqua facultas est bona; ergo etiam aliqua scientia est bona*; at non valet ad destruendum; *sed aliqua facultas non est bona; ergo etiam aliqua scientia non est bona*. Demum quod locus ex *magis*, valeat solum ad destruendum, patet; si enim assumamus: *magis prudentia videtur scientia, quam vlla alia virtus*; valet ad destruendum, *sed prudentia non est scientia; ergo nulla alia virtus est scientia*: at non valet ad construendum; *sed prudentia est scientia; ergo etiam aliqua alia virtus est scientia*. Addit Aristoteles, quod non solum hæc argumenta à *maiori, minori, & simili* valent in his, quæ sunt diuersi generis, sed etiam in his, quæ sunt eiusdem generis: ex. gr. valet: *ex disciplinis prudentia maxime videtur bona; sed prudentia non est bona; ergo nec vlla alia scientia est bona*.

9 *Amplius ex suppositione similiter postulantem si vni, & omni inesse, vel non inesse: vt si hominis anima immortalis, & alias: si autem hæc non, nec alias. Si igitur inesse alicui positum est, ostendendum, quoniam alicui non inest: nam consequetur per hypothesin nulli inesse. Si autem alicui non inesse positum est, ostendendum, quoniam inest alicui: nam & sic consequetur omnibus inesse. Manifestum igitur est, quòd qui hypothesi vtitur, facit problema vniuersale particulariter positum. Nam particulariter confitentem vniuersaliter postulabit confiteri, eo quòd vni, & omni similiter postulauerit inesse.*

9 Quarto docet Aristoteles problemata particularia posse etiam construi, vel destrui per loca ex suppositione. Si enim supponamus, quod omnes animæ, vel similiter

liter sunt mortales, vel similiter sunt immortales, probando, quod vna anima est immortalis, probatur, quod omnes aliæ sunt immortales, & ostendendo, quod aliqua anima est mortalis, ostenditur, quod omnes sunt mortales. Igitur si quis ponat problema particulare affirmatiuum, quod accidens alicui inest, ad id destruendum sufficit, vt ostendatur, quod alicui non inest; supponitur enim, quod si alicui non inest, nulli inest. Si verò ponat quis, quod accidens alicui non inest, sufficit probare, quod alicui inest, siquidem supponitur, quod si alicui inest, omni inest. Patet ergo, quod qui facit tales suppositiones, proponit problema vniuersale probandum solum particulariter; siquidem eo ipso, quod probet particulare, petit, vt ex vi suppositionis concedatur sibi vniuersale.

10 *Cùm autem indefinitum est problema, vno modo destruere contingit, vt si dixerit voluptatem bonum esse, vel non bonum, & nihil aliud quicquam determinauerit. Nam si aliquam voluptatem dixerit bonum esse, ostendendum vniuersaliter, quòd nulla, si debeat interimi propositum: similiter autem & si aliquam dixerit voluptatem non esse bonum, ostendendum vniuersaliter, quòd omnis. Aliter vero non contingit interimere. Nam si ostenderimus, quoniam est quædam voluptas bonum, vel non bonum, nondum interimitur propositum. Manifestum igitur, quoniam interimere quidem vno modo dicitur, construere autem dupliciter. Siue enim vniuersaliter ostenderimus, quòd omnis voluptas bonum, siue quod est quædam voluptas bonum, ostensum erit quod propositum est. Similiter autem & si oporteat differere, quòd est quædam voluptas non bonum, si ostenderimus quòd nulla bonum, vel quòd quædam non bonum, ostendentes erimus vtrunque & vniuersaliter, & particulariter, quòd est quædam voluptas non bonum.*

Quoad secundum: explicat Aristoteles, quot modis possint construi, vel destrui problemata particularia, tum definita, tum indefinita. Nomina particularium indefinitorum intelligit problemata, in quibus ita affirmatur veritas propositionis particularis, vt abstrahatur ab hoc, vtrum etiam vniuersalis sit vera, vel non sit vera: ex. gr. problema indefinitum est, quo ponitur, quod aliqua voluptas sit bona, abstrahendo ab hoc, quod aliqua solum, vel etiam omnis voluptas sit bona. Nomine problematum definitorum intelligit ea, per quæ affirmatur veritas solius particularis, vt cum ponitur, *quod aliqua solum voluptas sit bona*.

10 Prima ergo conclusio est: problemata particularia indefinita possunt destrui vnico modo, at possunt construi duobus modis. Probatur, quia si proponatur hoc problema, *aliqua voluptas est bona*, vt destruatur, debet ostendi propositio contradictoria ipsius; sed contradictoria est, quod nulla voluptas est bona; ergo debet probari, quod nulla voluptas est bona, non autem sufficit ostendere, quod aliqua voluptas non est bona; ergo problema positum vnico modo potest destrui, ostendendo, quod nulla voluptas est bona. Similiter hoc problema, *aliqua voluptas non est bona*, potest solum destrui, ostendendo contradictorium, quod omnis voluptas est bona. At verò problema affirmatiuum, quod aliqua voluptas est bona, construitur tum concludendo, quod aliqua voluptas est bona, tum concludendo, quod omnis voluptas est bona: problema etiam negatiuum, quod aliqua voluptas non est bona, construitur, tum concludendo, quod aliqua voluptas non est bona, tum concludendo, quod nulla voluptas est bona. Similiter hoc problema de prædicato infinito, *aliqua voluptas est non bona*, construitur tum concludendo, quod aliqua voluptas est non bona, tum concludendo, quod omnis voluptas est non bona.

11 *Cum autem determinata fuerit positio, dupliciter interimere erit, vt si ponatur alicui quidem inesse voluptati bonum esse, alicui autem non inesse. Nam siue omnis ostendatur voluptas bonum, siue nulla, interemptum erit propositum.*

12 *Si autem vnam solam voluptatem posuerit bonum esse, tripliciter contingit interimere. Nam ostendentes, quòd omnis, vel nulla, vel quòd plures, quàm vna bonum, interimentes erimus quod propositum est.*

13 *In pluribus vero positione determinata (vt quod prudentia sola est virtutum scientia) quadrupliciter est interimere. Nam ostenso, quòd omnis virtus scientia, vel quòd nulla, vel quòd & alia aliqua, vt iustitia, vel quòd eadem prudentia non*

tiæ est mala, aliqua eiusdem corruptio est bona; ergo aliqua scientia, seu cognitio est mala: ex. gr. mala est generatio scientiæ, qua quis recordatur malorum, quæ egit, bona est obliuio, seu corruptio talis scientiæ; ergo mala est scientia, qua quis recordatur malorum, quæ egit.

8 *Amplius ex eo, quod est magis, & minus, & similiter. Si enim magis quidem eorum, quæ sunt ex alio genere, aliquid tale, illorum autem nihil est, neque quod dictum est erit tale: vt si magis quidem disciplina quædam bonum, quàm voluptas: nulla autem disciplina bonum: nec voluptas bonum erit. Et ex eo, quod est similiter quidem, & minus, eodem modo. Nam erit & interimere, & construere. Verumtamen ex eo, quod est similiter, vtraque: ex minus autem, construere solum, destruere autem non. Si enim similiter potestas quædam bonum, & disciplina: est autem quædam potestas bonum: & disciplina: si autem nulla potestas bonum, nec disciplina. Si autem minus quædam potestas bonum, quàm disciplina: est autem quædam potestas bonum: & disciplina: at vero, si nulla potestas bonum, non necesse est & disciplinam nullam esse bonum. Manifestum igitur, quoniam construere solum ex eo, quod minus, est. Non solum autem ex alio genere est destruere, verum & ex eodem, dum sumit quis quod maxime tale est. Vt si positum est disciplina quædam bonum, ostendatur autem quoniam prudentia non bonum, nec alia vlla erit, quia nec quæ maxime videtur.*

8 Tertio docet, quod etiam loci ex *magis*, & *minus*, & ex *similibus* sunt vtiles ad problemata particularia. Ex *magis* sic potest destrui problema particulare: magis videtur tale aliquid alterius generis, quam aliquid huius generis; sed nullum alterius generis est tale; ergo neque vllum huius generis est tale: ex. gr. magis videtur, quod aliqua disciplina sit bona, quam quod aliqua voluptas sit bona; sed falsum est, quod aliqua disciplina sit bona; ergo falsum est etiam, quod aliqua voluptas sit bona. Ex *minus*, vel similibus possumus sic arguere: minus, vel similiter videtur, quod aliqua voluptas sit honesta, quam quod aliqua scientia sit honesta; sed aliqua voluptas est honesta; ergo etiam aliqua scientia est honesta. Addit Aristoteles, quod ex *magis* possumus solum destruere; ex *minus* solum construere; ex *similibus* possumus tum construere, tum destruere. Quod ex similibus possumus construere, ac destruere patet. Si enim assumamus: *similiter aliqua facultas est bona, ac aliqua scientia*; valet ad construendum; possumus enim subsumere; *sed aliqua facultas est bona*; *ergo etiam aliqua scientia*: valet etiam ad destruendum; possumus enim subsumere, *sed nulla facultas est bona; ergo nulla scientia est bona.* Quod ex *minus* possimus solum construere, & non destruere, patet: si enim assumamus: *minus aliqua facultas est bona, quam aliqua scientia*; valet; *sed aliqua facultas est bona*; *ergo etiam aliqua scientia est bona*; at non valet ad destruendum; *sed aliqua facultas non est bona*; *ergo etiam aliqua scientia non est bona*. Demum quod locus ex *magis*, valeat solum ad destruendum, patet; si enim assumamus: *magis prudentia videtur scientia, quam vlla alia virtus*; valet ad destruendum, *sed prudentia non est scientia*; *ergo nulla alia virtus est scientia*: at non valet ad construendum; *sed prudentia est scientia*; *ergo etiam aliqua alia virtus est scientia*. Addit Aristoteles, quod non solum hæc argumenta à *maiori, minori, & simili* valent in his, quæ sunt diuersi generis, sed etiam in his, quæ sunt eiusdem generis: ex. gr. valet: *ex disciplinis prudentia maxime videtur bona; sed prudentia non est bona; ergo nec vlla alia scientia est bona*.

9 *Amplius ex suppositione similiter postulantem si vni, & omni inesse, vel non inesse: vt si hominis anima immortalis, & alias: si autem hæc non, nec alias. Si igitur inesse alicui positum est, ostendendum, quoniam alicui non inest: nam consequetur per hypothesin nulli inesse. Si autem alicui non inesse positum est, ostendendum, quoniam inest alicui: nam & sic consequetur omnibus inesse. Manifestum igitur est, quòd qui hypothesi vtitur, facit problema vniuersale particulariter positum. Nam particulariter confitentem vniuersaliter postulabit confiteri, eo quòd vni, & omni similiter postulauerit inesse.*

9 Quarto docet Aristoteles problemata particularia posse etiam construi, vel destrui per loca ex suppositione. Si enim supponamus, quod omnes animæ, vel similiter

liter sunt mortales, vel similiter sunt immortales, probando, quod vna anima est immortalis, probatur, quod omnes aliæ sunt immortales, & ostendendo, quod aliqua anima est mortalis, ostenditur, quod omnes sunt mortales. Igitur si quis ponat problema particulare affirmatiuum, quod accidens alicui inest, ad id destruendum sufficit, vt ostendatur, quod alicui non inest; supponitur enim, quod si alicui non inest, nulli inest. Si verò ponat quis, quod accidens alicui non inest, sufficit probare, quod alicui inest, siquidem supponitur, quod si alicui inest, omni inest. Patet ergo, quod qui facit tales suppositiones, proponit problema vniuersale probandum solum particulariter; siquidem eo ipso, quod probet particulare, petit, vt ex vi suppositionis concedatur sibi vniuersale.

10 *Cùm autem indefinitum est problema, vno modo destruere contingit, vt si dixerit voluptatem bonum esse, vel non bonum, & nihil aliud quicquam determinauerit. Nam si aliquam voluptatem dixerit bonum esse, ostendendum vniuersaliter, quòd nulla, si debeat interimi propositum: similiter autem & si aliquam dixerit voluptatem non esse bonum, ostendendum vniuersaliter, quòd omnis. Aliter vero non contingit interimere. Nam si ostenderimus, quoniam est quædam voluptas bonum, vel non bonum, nondum interimitur propositum. Manifestum igitur, quoniam interimere quidem vno modo dicitur, construere autem dupliciter. Siue enim vniuersaliter ostenderimus, quòd omnis voluptas bonum, siue quod est quædam voluptas bonum, ostensum erit quod propositum est. Similiter autem & si oporteat differere, quòd est quædam voluptas non bonum, si ostenderimus quòd nulla bonum, vel quòd quædam non bonum, ostendentes erimus vtrunque & vniuersaliter, & particulariter, quòd est quædam voluptas non bonum.*

Quoad secundum: explicat Aristoteles, quot modis possint construi, vel destrui problemata particularia, tum definita, tum indefinita. Nomina particularium indefinitorum intelligit problemata, in quibus ita affirmatur veritas propositionis particularis, vt abstrahatur ab hoc, vtrum etiam vniuersalis sit vera, vel non sit vera: ex. gr. problema indefinitum est, quo ponitur, quod aliqua voluptas sit bona, abstrahendo ab hoc, quod aliqua solum, vel etiam omnis voluptas sit bona. Nomine problematum definitorum intelligit ea, per quæ affirmatur veritas solius particularis, vt cum ponitur, *quod aliqua solum voluptas sit bona*.

10 Prima ergo conclusio est: problemata particularia indefinita possunt destrui vnico modo, at possunt construi duobus modis. Probatur, quia si proponatur hoc problema, *aliqua voluptas est bona*, vt destruatur, debet ostendi propositio contradictoria ipsius; sed contradictoria est, quod nulla voluptas est bona; ergo debet probari, quod nulla voluptas est bona, non autem sufficit ostendere, quod aliqua voluptas non est bona; ergo problema positum vnico modo potest destrui, ostendendo, quod nulla voluptas est bona. Similiter hoc problema, *aliqua voluptas non est bona*, potest solum destrui, ostendendo contradictorium, quod omnis voluptas est bona. At verò problema affirmatiuum, quod aliqua voluptas est bona, construitur tum concludendo, quod aliqua voluptas est bona, tum concludendo, quod omnis voluptas est bona: problema etiam negatiuum, quod aliqua voluptas non est bona, construitur, tum concludendo, quod aliqua voluptas non est bona, tum concludendo, quod nulla voluptas est bona. Similiter hoc problema de prædicato infinito, *aliqua voluptas est non bona*, construitur tum concludendo, quod aliqua voluptas est non bona, tum concludendo, quod omnis voluptas est non bona.

11 *Cum autem determinata fuerit positio, dupliciter interimere erit, vt si ponatur alicui quidem inesse voluptati bonum esse, alicui autem non inesse. Nam siue omnis ostendatur voluptas bonum, siue nulla, interemptum erit propositum.*

12 *Si autem vnam solam voluptatem posuerit bonum esse, tripliciter contingit interimere. Nam ostendentes, quòd omnis, vel nulla, vel quòd plures, quàm vna bonum, interimentes erimus quod propositum est.*

13 *In pluribus vero positione determinata (vt quod prudentia sola est virtutum scientia) quadrupliciter est interimere. Nam ostenso, quòd omnis virtus scientia, vel quòd nulla, vel quòd & alia aliqua, vt iustitia, vel quòd eadem prudentia non scien-*

scientia, interemptum erit propositum.

11 Secunda conclusio est: problemata particularia definita possunt destrui duobus modis: ex. gr. hoc problema, *aliqua voluptas est bona, aliqua non est bona*. potest destrui ostendendo, vel quod nulla voluptas est bona, vel quod omnis voluptas est bona.

12 Tertia conclusio est: problema determinatum asserens ex. g. quod vna solum voluptas est bona, potest destrui tripliciter; primo ostendendo, quod omnis est bona; secundo ostendendo, quod nulla est bona; tertio ostendendo, quod plures, quam vna est bona.

13 Quarta conclusio est: problema adhuc magis determinatum, ex. gr. asserens, quod ex virtutibus sola prudentia est scientia, potest destrui quatuor modis; primo ostendendo, quod omnis virtus est scientia; secundo ostendendo, quod nulla virtus est scientia; tertio ostendendo, quod quædam alia virtus, puta iustitia est scientia; quarto ostendendo, quod prudentia non est scientia.

14 *Vtile autem & inspicere in singularibus, in quibus inesse aliquid, vel non, dictum est, quemadmodum in vniuersalibus problematibus. Amplius autem & in generibus inspiciendum, diuidenti secundum species vsque ad indiuidua, sicut prius dictum est. Nam si omni appareat inesse, siue nulli multa proferenti, postulandum vniuersaliter confiteri, aut ferre instantiam in aliquo non sic. Amplius in quibus possibile est, aut specie, aut numero determinare accidens, inspiciendum si nullum horum inest, vt quòd tempus non mouetur, nec est motus, annumeranti quot sunt species motus. Nam si nulla earum inest tempori, manifestum quoniam non mouetur, nec est motus. Similiter autem & quod anima non est numerus, diuidenti quoniam omnis numerus aut impar aut par: nam si anima neque impar, neque par, manifestum, quòd non est numerus. Ad accidens igitur per talia, & hoc modo argumentandum.*


14 Quoad tertium: in hac demum postrema parte libri tertij, docet Aristoteles, quo pacto possimus vti ad problemata particularia locis à diuisione traditis lib. 2. c. 2. num. 4. Dictum est, quod ad problemata vniuersalia construenda, vel destruenda, debent considerari singularia, quæ sunt sub subiecto: ex.gr. ad construendum hoc problema, *omnis voluptas est bonum*, debent considerari singulares voluptates. Si enim inueniamus, quod multæ sunt bonæ, concludemus, quod omnes sunt bonæ. Respondens enim vel debet concedere consequentiam, vel debet afferre in contrarium instantiam alicuius voluptatis, quæ non sit bona. Proportionaliter ad ostendendum, quod nulla voluptas sit bona, debent afferri plures voluptates, quæ non sint bonæ, & concludi, quod nulla est bona. Eadem via debemus vti ad problemata particularia. Si enim probandum sit, quod aliqua voluptas sit bona, debemus considerare voluptates singulares: inuenta enim aliqua voluptate, quæ sit bona, statim possumus concludere, quod aliqua voluptas sit bona. Si vero debeamus destruere tale problema, quod *aliqua voluptas sit bona*, debemus inuenire plures voluptates non bonas, & sic cogere aduersarium, vel ad admittendum, quod nulla voluptas est bona, vel ad afferendam instantiam in contrarium. Rursus sicut ad problemata vniuersalia, non solum debemus discurrere per singularia contenta sub subiecto, sed etiam per species, in quas immediatè diuiditur subiectum, & sic procedere vsque ad species specialissimas, sic eadem diuisione debemus vti ad problemata particularia: ex. gr. debemus diuidere voluptates insensibiles, atque intelligibiles &c, & sic discurrere. Demum non solum debemus per diuisionem discurrere per species subiecti, sed etiam per species, & per singularia prædicati, seu accidentis, quod dicitur de subiecto. Ex.gr. si quis ponat problema, quod tempus vel mouetur, vel est motus, debemus argumentari, quia si tempus esset motus, vel esset generatio, vel corruptio, vel alteratio, vel augmentatio, vel diminutio, vel latio; sed tempus nullo ex his motibus mouetur, nec est vllus ex dictis motibus; ergo tempus non est motus. Similiter si quis ponat problema, quod anima est numerus, possumus illud sic destruere: si anima esset numerus, vel esset par, vel impar; neque est par, neque impar; ergo &c. Rursus si anima esset numerus par, vel esset binarius, vel quaternarius &c; non est binarius, neque quaternarius &c; ergo

ergo non est numerus par. Concludit Aristoteles ex his locis esse argumentandum ad problemata de accidente tum absolutè, tum comparatiuè considerato. Et per hæc concludit librum tertium.

ARISTOTELIS TOPICORVM,

LIBER QVARTVS.

De decem primis locis generis. Caput Primum.



1 *OST hæc autem de ijs, quæ ad genus, & proprium, inspiciendum. Sunt autem hæc elementa eorum, quæ sunt ad terminos, & his ipsis raro considerationes fiunt disputantibus.*

2 *Si ergo ponatur genus alicuius existentium, primum quidem inspiciendum ad omnia, quæ cognata sunt ei, quod dicitur, si de alio non prædicatur, quemadmodum est in accidente: vt si voluptatis bonum ponatur genus, si aliqua voluptas non bonum. Nam si hoc, manifestum est, quoniam non genus bonum voluptatis. Nam genus de omnibus, quæ sunt sub ipso speciebus prædicatur.*



1 XPLICATIS libro 2. & 3. locis accidentis, lib. 4. agit Aristoteles de locis generis, lib. 5. de locis proprij, lib. 6. & 7. de locis definitionis. Præmittit autem rationem, cur prius debeat agi de problematibus generis, ac proprij, quam de problematibus definitionis esse, quia cum definitio debeat constare ex genere, & differentia, & debeat esse propria definiti, genus, & proprium sunt elementa, ac principia definitionis, ideoque de ijs prius est agendum, quam de definitione. Addit disputationes dialecticas frequentius versari circa problemata de accidente, rarius circa problemata de genere, proprio, ac definitione.

2 His præmissis, accedit ad loca tradenda. Primus locus est: proposito genere, videndum est, an dicatur de omni: si enim non dicatur de omni, sed de aliquo tantum, vt solet euenire in accidentibus, non est genus. Ex. gr. si quis genus voluptatis assignet bonum, examinandum est, an bonum dicatur de omni voluptate? si enim aliqua voluptas est bona, aliqua non est bona, bonum non est genus voluptatis, cum genus debeat prædicari de omnibus speciebus, & indiuiduis ipsi subiectis.

3 *Deinde si non in eo, quod quid est prædicatur, sed vt accidens: quemadmodum album de niue, de anima à se ipso agitatum. Neque enim nix idipsum quod est, album: quapropter non est genus album niuis: neque anima idipsum quod est, agitatum: nam accidit ei moueri, quemadmodum & animali frequenter, & ambulare, & ambulans esse. Amplius, agitatum non quid est, sed quid faciens, vel patiens significare videtur. Similiter autem & album. Non enim quid est nix, sed quale quid est indicat. Quare neutrum horum in eo quod quid est prædicatur.*

4 *Maxime autem in accidentis definitione inspiciendum, si aptatur ad dictum genus, vt ad quæ nunc dicta sunt. Contingit enim quippiam mouere seipsum, & non: similiter autem & album esse, & non: quare neutrum horum genus, sed accidens, eo quòd accidens dicimus, quod contingit idem inesse alicui, & non.*

3 Secundus locus est: considerandum, an

scientia, interemptum erit propositum.

11 Secunda conclusio est: problemata particularia definita possunt destrui duobus modis: ex. gr. hoc problema, *aliqua voluptas est bona, aliqua non est bona*. potest destrui ostendendo, vel quod nulla voluptas est bona, vel quod omnis voluptas est bona.

12 Tertia conclusio est: problema determinatum asserens ex. g. quod vna solum voluptas est bona, potest destrui tripliciter; primo ostendendo, quod omnis est bona; secundo ostendendo, quod nulla est bona; tertio ostendendo, quod plures, quam vna est bona.

13 Quarta conclusio est: problema adhuc magis determinatum, ex. gr. asserens, quod ex virtutibus sola prudentia est scientia, potest destrui quatuor modis; primo ostendendo, quod omnis virtus est scientia; secundo ostendendo, quod nulla virtus est scientia; tertio ostendendo, quod quædam alia virtus, puta iustitia est scientia; quarto ostendendo, quod prudentia non est scientia.

14 *Vtile autem & inspicere in singularibus, in quibus inesse aliquid, vel non, dictum est, quemadmodum in vniuersalibus problematibus. Amplius autem & in generibus inspiciendum, diuidenti secundum species vsque ad indiuidua, sicut prius dictum est. Nam si omni appareat inesse, siue nulli multa proferenti, postulandum vniuersaliter confiteri, aut ferre instantiam in aliquo non sic. Amplius in quibus possibile est, aut specie, aut numero determinare accidens, inspiciendum si nullum horum inest, vt quòd tempus non mouetur, nec est motus, annumeranti quot sunt species motus. Nam si nulla earum inest tempori, manifestum quoniam non mouetur, nec est motus. Similiter autem & quod anima non est numerus, diuidenti quoniam omnis numerus aut impar aut par: nam si anima neque impar, neque par, manifestum, quòd non est numerus. Ad accidens igitur per talia, & hoc modo argumentandum.*

14 Quoad tertium: in hac demum postrema parte libri tertij, docet Aristoteles, quo pacto possimus vti ad problemata particularia locis à diuisione traditis lib. 2. c. 2. num. 4. Dictum est, quod ad problemata vniuersalia construenda, vel destruenda, debent considerari singularia, quæ sunt sub subiecto: ex. gr. ad construendum hoc problema, *omnis voluptas est bonum*, debent considerari singulares voluptates. Si enim inueniamus, quod multæ sunt bonæ, concludemus, quod omnes sunt bonæ. Respondens enim vel debet concedere consequentiam, vel debet afferre in contrarium instantiam alicuius voluptatis, quæ non sit bona. Proportionaliter ad ostendendum, quod nulla voluptas sit bona, debent afferri plures voluptates, quæ non sint bonæ, & concludi, quod nulla est bona. Eadem via debemus vti ad problemata particularia. Si enim probandum sit, quod aliqua voluptas sit bona, debemus considerare voluptates singulares: inuenta enim aliqua voluptate, quæ sit bona, statim possumus concludere, quod aliqua voluptas sit bona. Si vero debeamus destruere tale problema, quod *aliqua voluptas sit bona*, debemus inuenire plures voluptates non bonas, & sic cogere aduersarium, vel ad admittendum, quod nulla voluptas est bona, vel ad afferendam instantiam in contrarium. Rursus sicut ad problemata vniuersalia, non solum debemus discurrere per singularia contenta sub subiecto, sed etiam per species, in quas immediatè diuiditur subiectum, & sic procedere vsque ad species specialissimas, sic eadem diuisione debemus vti ad problemata particularia: ex. gr. debemus diuidere voluptates insensibiles, atque intelligibiles &c, & sic discurrere. Demum non solum debemus per diuisionem discurrere per species subiecti, sed etiam per species, & per singularia prædicati, seu accidentis, quod dicitur de subiecto. Ex. gr. si quis ponat problema, quod tempus vel mouetur, vel est motus, debemus argumentari, quia si tempus esset motus, vel esset generatio, vel corruptio, vel alteratio, vel augmentatio, vel diminutio, vel latio; sed tempus nullo ex his motibus mouetur, nec est vllus ex dictis motibus; ergo tempus non est motus. Similiter si quis ponat problema, quod anima est numerus, possumus illud sic destruere: si anima esset numerus, vel esset par, vel impar; neque est par, neque impar; ergo &c. Rursus si anima esset numerus par, vel esset binarius, vel quaternarius &c; non est binarius, neque quaternarius &c; ergo

ergo non est numerus par. Concludit Aristoteles ex his locis esse argumentandum ad problemata de accidente tum absolutè, tum comparatiuè considerato. Et per hæc concludit librum tertium.

ARISTOTELIS TOPICORVM.

LIBER QVARTVS.

De decem primis locis generis. Caput Primum.

1 *POST hæc autem de ijs, quæ ad genus, & proprium, inspiciendum. Sunt autem hæc elementa eorum, quæ sunt ad terminos, & his ipsis raro considerationes fiunt disputantibus.*

2 *Si ergo ponatur genus alicuius existentium, primum quidem inspiciendum ad omnia, quæ cognata sunt ei, quod dicitur, si de alio non prædicatur, quemadmodum est in accidente: vt si voluptatis bonum ponatur genus, si aliqua voluptas non bonum. Nam si hoc, manifestum est, quoniam non genus bonum voluptatis. Nam genus de omnibus, quæ sunt sub ipso speciebus prædicatur.*

1 EXPLICATIS libro 2. & 3. locis accidentis, lib. 4. agit Aristoteles de locis generis, lib. 5. de locis proprij, lib. 6. & 7. de locis definitionis. Præmittit autem rationem, cur prius debeat agi de problematibus generis, ac proprij, quam de problematibus definitionis esse, quia cum definitio debeat constare ex genere, & differentia, & debeat esse propria definiti, genus, & proprium sunt elementa, ac principia definitionis, ideoque de ijs prius est agendum, quam de definitione. Addit disputationes dialecticas frequentius versari circa problemata de accidente, rarius circa problemata de genere, proprio, ac definitione.

2 His præmissis, accedit ad loca tradenda. Primus locus est: proposito genere, videndum est, an dicatur de omni: si enim non dicatur de omni, sed de aliquo tantum, vt solet euenire in accidentibus, non est genus. Ex. gr. si quis genus voluptatis assignet bonum, examinandum est, an bonum dicatur de omni voluptate? si enim aliqua voluptas est bona, aliqua non est bona, bonum non est genus voluptatis, cum genus debeat prædicari de omnibus speciebus, & indiuiduis ipsi subiectis.

3 *Deinde si non in eo, quod quid est prædicatur, sed vt accidens: quemadmodum album de niue, de anima à se ipso agitatum. Neque enim nix idipsum quod est, album: quapropter non est genus album niuis: neque anima idipsum quod est, agitatum: nam accidit ei moueri, quemadmodum & animali frequenter, & ambulare, & ambulans esse. Amplius, agitatum non quid est, sed quid faciens, vel patiens significare videtur. Similiter autem & album. Non enim quid est nix, sed quale quid est indicat. Quare neutrum horum in eo quod quid est prædicatur.*

4 *Maxime autem in accidentis definitione inspiciendum, si aptatur ad dictum genus, vt ad quæ nunc dicta sunt. Contingit enim quippiam mouere seipsum, & non: similiter autem & album esse, & non: quare neutrum horum genus, sed accidens, eo quòd accidens dicimus, quod contingit idem inesse alicui, & non.*

3 Secundus locus est: considerandum,

an prædicetur in eo, quod quid est, vel solum vt accidens: si enim non prædicatur in quid, non est genus. Ex. gr. *esse album* non est genus niuis, quia non prædicatur de niue *in quid*, cum *esse niuem* non sit *esse albam*. Ex eadem ratione, *moueri à seipso*, non est genus animæ, quia anima non est idem, ac *moueri à seipsa*: immo sicut animali accidit ambulare, & *ambulans esse*, sic animæ accidit *moueri*, & mouens esse. Confirmatur, quia genus debet explicare, quid sit res; sed hoc, quod est, *mouere se ipsam*, non explicat, quid sit anima, sed quid anima agat, vel patiatur; hoc, quod est *esse albam*, non explicat, quid sit nix, sed qualis sit; ergo &c.

4 Tertius locus est: considerandum, vtrum ei, quod assignatur vt genus, conueniat definitio accidentis allata lib. 1. cap. 4. num. 7, quæ est, accidens est, quod eidem contingit inesse, & non inesse. Ex. gr. contingit, vt idem seipsum moueat, vel non moueat; contingit vt idem sit album, & non sit album; ergo huic, quod est *seipsum mouere*, vel *esse album*, conuenit definitio accidentis; sed id, cui conuenit definitio accidentis, non est genus; ergo genus animæ non est *mouere seipsam*, nec *esse albam*, est genus niuis.

5 Amplius si non in eadem diuisione est genus, & species, sed hæc quidem substantia, illud autem quale: aut hoc quidem ad aliquid, illud autem quale: vt nix quidem, & cygnus substantia, album autem non substantia, sed quale: quare non est genus album niuis, neque cygni. Rursum disciplina quidem ad aliquid, bonum autem, & pulchrum quale: quare non est genus pulchrum, vel bonum disciplinæ: nam genera eorum, quæ sunt ad aliquid, & ipsa ad aliquid oportet esse, vt in duplici. Etenim multiplex est genus duplicis, & ipsum eorum, quæ sunt ad aliquid est. Vt vniuersaliter autem dicatur, in eadem diuisione oportet genus esse speciei. Nam si species substantia, & genus: & si quale quippiam species est, & genus quale quippiam: vt si album quale quippiam, & color. Similiter autem & in alijs.

6 Rursum si necesse fuerit, vel si contigerit genus participare quod positum est in genere. Terminus autem eius, quod participare, est suscipere participati rationem. Manifestum igitur, quoniam species quidem participant genera, genera autem species non. Nam species suscipit generis rationem, genus autem speciei non. Considerandum igitur, si participat, vel contingit assignatum genus participare speciem: vt si quis entis, vel vnius, genus quippiam assignauerit. Accidet enim genus participare speciem. Nam de omnibus, quæ sunt, ens, & vnum prædicantur: quare & ratio eorum.

5 Quartus locus est: considerandum, vtrum genus assignatum sit in eadem categoria, seu prædicamento cum eo, cuius dicitur genus. Genus enim, & species debent esse in eodem prædicamento; ergo si non sint in eodem prædicamento, malè fuit assignatum genus: ex. gr. malè album assignatur vt genus niuis, ac cygni, quia cygnus, ac nix sunt in prædicamento substantiæ, album est in prædicamento qualitatis. Rursum malè bonum, ac pulchrum assignantur vt genera disciplinæ: nam disciplina est in prædicamento relationis, cum alicuius sit disciplina; bonum, ac pulchrum sunt in prædicamento qualitatis: genus autem relatiuorum est relatiuum, eo pacto, quo genus duplicis est multiplex; & vniuersim genus, ac species debent esse in eadem categoria, seu prædicamento.

6 Vt proponatur quintus locus, explicandum est, quid sit participare. Participare est suscipere definitionem alicuius: ex. gr. homo participat de animali, quia definitio animalis, quæ est, *viuens sensitiuum*, dicitur de homine. Quintus igitur locus est: considerandum, vtrum genus participet de eo, cuius dicitur genus, ita vt eius definitio dicatur de genere: eo enim ipso malè erit assignatum, quia definitio generis dicitur quidem de specie, at definitio speciei non dicitur de genere, eo pacto, quo de homine dicitur definitio animalis, at de animali non dicitur definitio hominis. Si ergo genus suscipit rationem, ac definitionem eius, cuius dicitur genus, malè fuit assignatum. Ex. gr. si quis aliquid assignauerit vt genus entis, vel vnius, malè assignauit. Cum enim ens, & vnum dicantur de omnibus, quæ sunt, etiam definitio entis, & vnius dicitur de omnibus, quæ sunt; ergo genus participabit definitionem speciei, quod est absurdum.

7 Amplius si de aliquo assignata species vera est, genus autem non: vt si ens, aut scibile opinabilis genus ponatur. Nam de-

non ente opinabile prædicabitur: multa enim non entia opinabilia sunt: at quod ens vel scibile non prædicatur de non ente, manifestum: quare non est genus ens, neque scibile, opinabilis: nam de quibus species prædicatur, & genus oportet prædicari.

8 *Rursum, si nullam specierum contingit participare, quod positum est in genere. Nam impossibile est participare genus, quod nullam specierum participat, nisi aliqua secundum primam diuisionem specierum sit, illæ autem genus solum participanti. Si igitur motus genus voluptatis ponatur, considerandum, si neque corruptio, neque alteratio voluptas, neque vllus reliquorum, qui assignari solent, motuum. Manifestum enim, quoniam nullam specierum participabit: quare neque genus, eo quòd necessarium est, quod genus participat, & specierum aliquam participare: quare non erit species motus voluptas, neque indiuiduorum, neque eorum quicquam, quæ sub specie motus sunt: nam & indiuidua participant speciem, & genus: vt quidam homo, & hominem participat, & animal.*

7 Sextus locus est: considerandum est, vtrum species dicatur de aliquo, de quo genus non dicitur: eo enim ipso genus erit malè assignatum, quia genus dicitur de omnibus, de quibus dicitur species. Ex. gr. si quis ens, aut scibile assignet vt genus opinabilis, malè assignat. Nam opinabile dicitur etiam de non ente; ens, ac scibile dicitur de solis entibus; ergo opinabile, quod ponitur vt species, dicitur de aliquo, de quo non dicitur genus.

8 Septimus locus est: considerandum, an id, quod ponitur sub genere, participet de vlla specie talis generis. Impossibile enim est, vt sit sub genere, quod non participat de vlla specie talis generis: ex. gr. impossibile est, vt sit animal, quod non participat de vlla specie animalis, & neque est homo, neque equus &c. Si igitur quis assignet motum vt genus voluptatis, videndum est, vtrum voluptas sit generatio, vel corruptio, vel augmentatio, vel diminutio, vel alteratio, vel latio? Si enim nihil horum sit, non participabit vllam speciem motus, adeoque non erit in genere motus. Indiuidua enim alicuius speciei participant & speciem, & genus, eo pacto, quo Socrates participat & hominem, & animal.

9 *Amplius si de pluribus dicitur, quam genus, quod in genere positum est, vt opinabile, quam ens: nam & ens, & non ens, opinabile: quare non erit opinabile species entis: de pluribus enim semper genus, quam species prædicatur.*

10 *Rursus, si de æqualibus genus, & species dicuntur, vt si eorum, quæ omnia consequuntur, hoc quidem species, illud autem genus ponatur, quemadmodum ens, & vnũ: omne enim ens, et vnum: quare neutrum neutrius genus, eo quod de æqualibus dicuntur. Similiter autem et si primum, et principium ad se inuicem ponantur: nam et principium, primum, et primum, principium: quare aut vtraque, quæ dicta sunt, idem sunt, aut neutrum neutrius genus. Elementum autem est ad omnia huiusmodi, quod de pluribus genus, quam species, et differentia dicitur: de paucioribus enim etiam differentia dicitur, quam genus.*

11 *Videtur autem et si alicuius indifferentium specie non sit genus, quod dictum est genus, vel non videatur: construenti autem si est alicuius. Idem enim omnium indifferentium specie genus. Si igitur vnius monstretur, manifestum quoniam omnium: et si vnius non, manifestum quoniam nullius. Vt si quis insecabiles ponens lineas, indiuisibile genus earum dicat esse. Nam linearum habentium diuisionem non est, quod dictum est, genus, cum sint indifferentes secundum speciem: indifferentes enim subinuicem secundum speciem, rectæ lineæ omnes.*

9 Octauus locus est: considerandum est, an quod ponitur sub genere, dicatur de pluribus, quam genus. Genus enim debet dici de pluribus, quam species; ergo si dicitur de paucioribus, malè fuit assignatum: ex. gr. ens malè assignatur vt genus opinabilis, quia opinabile dicitur de ente, & non ente, adeoque de pluribus, quam ens.

10 Nonus locus est: considerandum, vtrum id, quod assignatur vt genus, & id, quod assignatur vt species, dicantur de æqualibus. Ex. gr. si quis vnum ex prædicatis transcendentibus assignet vt genus, alterum, vt speciem, dicens, *ens esse genus vnius*, peccat. Cum enim sicut omne vnum est ens, sic omne ens sit vnum, ens, & vnum sunt prædicata æqualia, adeoque non se habent vt genus, & species. Ex eadem ratione peccaret, qui diceret, *primum* esse genus

principij, vel è conuerso, quia cum omne principium sit primum, & omne primum sit principium, primum, & principium non se habent sicut genus, & species. Maxima autem, in qua fundantur omnia hæc vltima loca est, quod genus dicitur de pluribus, quam species, & differentia.

11 Decimus locus est: considerandum est, vtrum quod assignatur vt genus alicuius, sit, vel non sit genus alterius ex illis, quæ non differunt specie ab illo. Cum enim, quod est genus alicuius, sit genus omnium, quæ non differunt specie ab illo, habemus hinc locum ad construendum, vel destruendum. Ex. gr. si quis dicat genus Æthyopis esse *nigrum*, potest destrui hoc problema, quia Æthyopes, & Itali sunt eiusdem speciei; sed nigrum non est genus Itali; ergo neque Æthyopis. Si vero ponatur, quod aliquid est genus alicuius specie non differentis, potest eo ipso concludi, quod est genus omnium. Ex. gr. si quis ponens aliquas lineas rectas indiuisibiles, dicat, earum genus esse *indiuisibile*, potest redargui, quia omnes lineæ rectæ tum diuisibiles, tum indiuisibiles sunt eiusdem speciei; sed indiuisibile non est genus linearum diuisibilium; ergo neque indiuisibilium.

De alijs quindecim locis. Caput II.

1 *Considerandum autem & si quod aliud genus est assignatæ speciei, quod neque continet assignatum genus, neque sub illo est. Vt si quis iustitiæ scientiam ponat genus: est enim virtus genus, & neutrum generum reliquum continet: quare non erit scientia genus iustitiæ. Videtur enim, quando species vna sub duobus generibus est, alterum ab altero contineri.*

2 *Habet autem dubitationem in quibusdam, quod huiusmodi est. Nam videtur quibusdam prudentia, & virtus, & scientia esse, & neutrum genus à neutro contineri.*

3 *Non tamen ab omnibus conceditur prudentiam scientiam esse. Si igitur quis admittat, quod dictum est verum esse, attamen subalterna, vel sub eodem ambo fieri, quæ eiusdem sunt genera, necessarium videbitur esse, quemadmodum & in virtute, & in scientia accidit. Vtraque enim sub eodem genere sunt: nam vtrunque eorum habitus, & dispositio est. Considerandum igitur, si neutrum est in assignato genere. Si enim neque subalterna sunt genera, neque sub eodem ambo, non erit, quod assignatum est genus.*

1 Vndecimus locus est: considerandum, an aliquid aliud sit genus speciei assignatæ, quod neque contineat genus assignatum, neque in illo contineatur. Est enim impossibile, vt species sit sub duplici genere, quorum neutrum contineatur in altero; sed si bene assignatum esset genus, species contineretur sub duplici genere, quorum neutrum contineretur in altero; ergo &c. Ex hoc loco possumus argumentari contrà ponentem, quod genus iustitiæ sit scientia. Genus enim iustitiæ est virtus moralis; sed virtus moralis neque continetur sub scientia, neque continet scientiam; ergo scientia non est genus iustitiæ, alioquin iustitia esset sub duplici genere, quorum neutrum continet aliud.

2 Contra hunc locum potest opponi, quia aliqui cum Socrate docent prudentiam esse simul in genere virtutis, ac scientiæ, licet neque scientia contineat virtutem, neque virtus scientiam; ergo falsum est, quod non possit idem esse in duplici genere, quorum neutrum contineatur in altero.

3 Respondet primo Aristoteles, alios negare prudentiam esse in genere scientiæ; ergo contrà hos nō procedit argumentum. Respondet secundo, quod in ea sententia limitandum est principium, ita vt dicatur, tum esse impossibile, vt idem sit in duplici genere, quorum neutrum continetur in alio, cum illa duo genera, neque continentur in genere superiori; & quia scientia, & virtus continentur in generibus superioribus habitus, ac dispositionis, ideo non repugnat, vt prudentia contineatur in duplici genere, virtutis, ac scientiæ, quorum neutrum continetur in alio. Considerandum igitur est, vtrum species contineatur in alio genere, quod neque contineat genus positum, nec contineatur in illo, ita vt neque illa duo contineantur in genere cōmuni, & ex hoc est argumentandum.

4 *Considerandum autem & genus assignati generis, & sic semper superius genus, si omnia prædicantur de specie, & si in eo, quod quid est, prædicantur. Nam omne superius genus prædicari oportet de specie*

in

in eo, quod quid est: si ergo alicubi dissonet, manifestum, quoniam non est genus, quod assignatum est.

5 *Rursum si genus participat speciem, vel ipsum, vel aliquod superiorum generum. Nam nullum superiorum participat, quod inferius est. Destruenti igitur, quemadmodum dictum est, vtendum: astruenti autem si confiteatur quidem inesse speciei, quod dictũ est genus, at an vt genus insit dubitetur, sufficit ostendere aliquid superiorum generum in eo, quod quid est, de specie prædicari. Vno enim in eo, quod quid est prædicato, omnia, & superiora illius, & inferiora si prædicantur, de specie in eo, quod quid est prædicabuntur: quare & assignatum genus in eo quod quid est prædicabitur. Quod autem vno in eo, quod quid est prædicato, omnia etiam reliqua (si prædicantur) in eo, quod quid est prædicabuntur, per inductionem sumendum. Si autem simpliciter inesse dubitetur assignatum genus, nec sufficit ostendere aliquod superiorum generum in eo, quod quid est de specie prædicari. Vt si ambulationis genus quispiam assignauit lationem non sufficit ostendere, quòd motus est ambulatio, ad ostendendum, quòd latio est, eo quòd & alij motus sunt; sed ostendendum quòd nullum participat ambulatio eorum, quæ sunt secundum eandem diuisionem, nisi lationem. Nam necesse est, quod genus participat, & specierum aliquam participare secundum primam diuisionem. Si enim ambulatio, neque augmentationem, neque diminutionem, neque alios motus participet, manifestum quoniam lationem participabit: quare erit genus latio ambulationis.*

4 Duodecimus locus est: considerandum est, vtrum genus generis assignati, & alij gradus superiores, prædicentur de specie *in quid*. Cum enim aliquid est genus respectu alicuius speciei, necesse est, vt omnia superiora genera prædicentur *in quid* de tali specie. Nam omnia superiora prædicantur *in quid* de eo, de quo inferius prædicatur *in quid*; ergo si aliquid ex superioribus non prædicatur *in quid*, malè erit assignatum genus. Ex hoc loco potest ostendi, quod verecundia non est sub genere virtutis. Cum enim genus virtutis sit habitus, de verecundia deberet *in quid* prædicari habitus; sed verecundia non est habitus, sed quædam passio; ergo genus verecundiæ non est virtus.

5 Decimus tertius locus est: considerandum est, vtrum genus generis assignati, vel aliquod aliud prædicatum superius genere assignato, participet speciem. Sicut enim impossibile est, vt genus participet speciem, sic impossibile est, vt genus generis, vel prædicata superiora genere, participent speciem, ita vt de ipsis prædicetur *in quid* definitio speciei. Superiora enim non participant de inferioribus; ergo si aliquid superius participat speciem, malè assignatum est genus. Ex hoc loco potest ostendi, quod auis malè assignatur, vt genus animalis. Genus enim, & ea, quæ sunt superiora genere, non possunt participare de specie, ita vt de illo superiore species prædicetur in quid; sed animal, quod ponitur vt species auis, prædicatur in quid de aue, ac de volatili, quod est superius aue; ergo auis malè assignatur vt genus animalis. Addit Aristoteles, quod hoc loco non solum possumus vti ad destruendum, ostendendo malè fuisse assignatum genus, sed etiam ad construendum, & ad probandum, quod genus bene fuit assignatum. Et quidem vel aduersarius concedit genus proprium prædicari de specie, ac solum negat id bene assignatum fuisse, quia non prædicatur *in quid*; vel negat id prædicari de specie. Si concedit genus positum prædicari de specie, ac solum negat prædicari *in quid*, possumus ostendere, quod prædicatur *in quid*, quia cum prædicatur in quid superius, etiã inferius, si prædicatur, prædicatur *in quid*, vt patet inductione; eo enim ipso, quod viuens est superius animali, si viuens prædicatur in quid de homine, & equo, etiã animal, si prædicatur de homine, & equo, prædicatur *in quid*; sed prædicatur *in quid* aliquid superius, & ex concessis inferius prædicatur; ergo etiam genus positum prædicatur in quid. Ex hoc loco possumus probare, quod dispositio est genus virtutis. Cum enim omnis virtus sit dispositio, dispositio prædicatur de virtute; sed etiam prædicatur in quid; ergo &c. Minor probatur, quia qualitas, quæ est genus dispositionis, prædicatur *in quid* de dispositione; sed cum de specie prædicatur *in quid* superius, etiã inferius, dummodo de tali specie prædicetur, prædicatur *in quid*; ergo etiam dispositio prædicatur *in quid* de virtute, adeoque est genus virtutis. Si verò aduersarius neget assignatum genus prædicari de specie, non sufficit ostendere, quod aliquid superius

prædicatur *in quid* de specie, sed debet ostendi, quod species non participat de vllo alio membro ex ijs, in quæ diuiditur illud superius. Ex. gr. si quis neget lationem esse genus ambulationis, asserens lationem non prædicari de ambulatione, ad probandum, quod latio sit genus ambulationis, non sufficit ostendere, quod motus, qui est genus lationis, prædicetur in quid de ambulatione, sed debet vlterius ostendi, quod nulla alia species, in quas diuiditur motus, prædicetur de ambulatione, sic arguendo: motus prædicatur *in quid* de ambulatione; sed est impossibile, vt ambulatio sit in genere motus, nisi aliqua species motus prædicetur *in quid* de ambulatione; quod enim participat genus, participat de aliqua specie talis generis; ergo aliqua species motus prædicatur *in quid* de ambulatione; sed species motus sunt generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & latio, aliæ verò quinque species motus non prædicantur de ambulatione; ergo latio prædicatur *in quid* de ambulatione, adeoque latio est genus ambulationis.

6 *Rursum, de quibus species, quæ posita est, vt genus prædicatur, considerandum, si & assignatum genus in eo, quod quid est de ipsis eisdem prædicatur, de quibus & species. Similiter autem, & si omnia, quæ supra genus sunt. Nam si alicubi dissonat, manifestum, quoniam non est genus, quod assignatum est. Si enim esset genus, omnia & superiora illius, & ipsum, in eo quod quid est prædicarentur de ijs, de quibus & species in eo, quod quid est, prædicatur. Destruenti igitur vtile, si non prædicetur genus in eo, quod quid est de quibus, & species prædicatur: astruenti autem si prædicetur in eo, quod quid est, vtile. Accidet enim genus & speciem de eodem in eo, quod quid est prædicari: quare & idem sub duobus generibus fit: necesse est igitur subalterna genera esse. Si igitur ostendatur, quod volumus genus astruere, non esse sub specie, manifestum, quoniam species sub hoc erit: quare ostensum erit, quoniam genus hoc.*

7 *Considerandæ autem & rationes generum, si aptantur ad assignatam speciem & ad participantia speciem. Necesse est enim generum rationes prædicari de specie, & de ijs, quæ participant speciem. Si igitur in aliquo dissonet, dilucidum, quoniam non est genus, quod assignatum est.*

6 Decimus quartus locus est: considerandum, an genus assignatum, & superiora tali genere, prædicentur *in quid* de inferioribus, de quibus species assignata prædicatur. Si enim non prædicatur, malè fuit assignatum. Ratio est, quia genus, & superiora generis, prædicantur *in quid* non solum de specie, sed etiam de omnibus inferioribus, de quibus species prædicatur *in quid*; ergo si vel assignatum genus, vel aliquid superius ipso, non prædicatur *in quid* de aliquo inferiori speciei assignatæ, malè fuit assignatum. Hic locus est vtilis ad destruendum, & construendum. Ex.gr. possumus sic destruere problema ponens scientiam esse genus virtutis. Si scientia esset genus virtutis, scientia, & superiora scientia, puta *habitus intellectus*, deberent prædicari de omnibus inferioribus virtutibus, hoc est de temperantia, iustitia &c; sed non prædicantur, cum temperantia, iustitia &c. non sint scientiæ, neque habitus intellectus; ergo &c. Ad construendum verò problema ponens, quod volatile sit genus auis, possumus sic argumentari: volatile prædicatur *in quid* de omnibus inferioribus speciebus auis, puta de Aquila, Cygno &c; ergo est genus ipsarum; sed non possunt hæc esse sub duplici genere non subalterno; ergo auis, & volatile sunt genera subalterna; sed auis non est genus volatilis, cum minus latè pateat, quam volatile; ergo volatile est genus auis.

7 Decimus quintus locus est: considerandum est, vtrum definitiones generum conueniant speciei, & inferioribus, quæ participant speciem. Cum enim definitiones generum debeant conuenire speciebus, & inferioribus, quæ participant species, si aliqua definitio non conuenit, malè fuit assignatum genus. Ex hoc loco potest ostendi, quod genus animæ non est numerus. Definitio enim numeri est *multitudo ex vnitatibus composita*; sed hæc definitio non conuenit animæ; ergo anima non est numerus.

8 *Rursus, si differentiam vt genus assignauit, vt si immortale, genus Dei. Nam differentia est animalis immortale, eo quòd animalium alia mortalia, alia immortalia: manifestum igitur quoniam peccant: nullius enim differentia est genus. Quod autem*

tem

tem hoc verum, manifestum. Nulla enim differentia significat quid est, sed magis quale quid, vt gressibile, & bipes.

9 *Et si differentiam in genere posuit tanquam speciem, vt imparem quidem numerum. Differentia enim numeri impar & non species est. Neque videtur participare differentia genus: nam omne, quod participat genus, vel species, vel indiuiduum est: differentia autem neque indiuiduum, neque species: manifestum igitur, quoniam non participat genus differentia: quare neque impar species erit, sed differentia, quoniam non participat genus.*

8 Decimus sextus locus est: considerandum est, an quod assignatur vt genus, sit differentia. Ex hoc loco posset redargui, qui diceret, genus hominis esse *mortale*, genus Dei, siue Angeli esse *immortale*, iuxtà Platonicos, qui putabant hominem esse animal rationale mortale; Angelos esse animalia rationalia immortalia. Ratio est, quia mortale, & immortale sunt differentiæ animalis; sed differentiæ non possunt esse genus; ergo &c. Probatur minor: nam differentia non tam prædicatur *in quid*, quam in quale; genus prædicatur *in quid*; ergo differentia non potest esse genus.

9 Decimus septimus locus est: debet considerari, an quod assignatur vt species alicuius generis, sit differentia. Ex. gr. si quis assignaret par, & impar, vt species numeri, peccaret, quia par, & impar sunt differentiæ; sed quod est differentia non est species; ergo &c. Probatur minor: nam species debet participare genus, ita vt suscipiat definitionem generis; sed genus non prædicatur de differentijs, ita vt differentiæ suscipiant definitionē generis; ergo &c.

10 *Amplius si genus in specie posuit, vt contiguitatem idipsum, quod est continuitatem: aut mixturam idipsum, quod est temperamentum: aut (vt Plato definiuit) lationem, secundum locum mutationem. Non enim necessarium contiguitatem continuitatem esse, sed è conuerso continuitatem contiguitatem. Non enim omne contiguum continuatur, sed quod continuatur contiguum est. Similiter autem & in alijs. Nam neque mixtura omnis temperamentum: nam siccorum mixtura non est temperamentum: neque secundum locum mutatio omnis, latio: nam ambulatio non videtur latio esse: penè enim in ijs, quæ inuoluntarie locum ex loco permutant, dicitur latio, quemadmodum inanimatis accidit. Manifestum autem, quoniam & de pluribus species dicitur, quam genus in assignatis, cum oporteat è contrario fieri.*

10 Decimus octauus locus est: considerandum est, vtrum loco generis assignata fuerit species. Ex. gr. qui diceret contiguum esse speciem continui, peccaret, quia contiguum est genus continui, non species; omnia enim continua sunt contigua; at non omnia contigua sunt continua. In idem vitium incideret, qui assignaret mistionem vt speciem temperamenti. Cum enim omne temperamentum sit mistio, non omnis mistio sit temperamentum, mistio non est species, sed genus temperamenti. Quod autem non omnis mistio sit temperamentum, patet, quia mistio siccorum non est temperamentum, sed sola mistio liquidorum. Demum videtur etiam, quod peccaret, qui diceret mutationem secundum locum esse speciem lationis. Neque enim est species, sed genus lationis: siquidem licet omnis latio sit mutatio secundum locum, non omnis mutatio secundum locum est latio; nam ambulatio cum sit mutatio secundum locum, non videtur latio, quia nomen lationis videtur significare motum non immediatè spontaneum, quo quis defertur.

11 *Rursum si differentiam in specie posuit, vt immortale idipsum quod est Deum. Nam accidit de æqualibus, aut pluribus, quam speciem dici: differentia autem semper de æqualibus, aut pluribus, quam species dicitur.*

12 *Amplius si in differentia genus posuit, vt colorem idipsum, quod est congregatiuum, aut numerum quod impar.*

13 *Et si genus, vt differentiam dixit. Possibile est enim aliquem talem suscipere positionem, vt temperantiæ, mixturam differentiam: aut lationis, secundum locum mutationem. Inspiciendum autem omnia, quæ sunt huiusmodi, per eadem: communicant enim loci: de pluribus enim genus, quam differentiam oportet dici, & non participare differentiam. Sic autem assignato, neutrum eorum, quæ dicta sunt, possibile est accidere. Nam & de paucioribus dicetur, & participabit genus differentiam.*

Deci-

11 Decimus nonus locus est: si quis ponat differentiam in specie, seu sub specie, ita vt assignet speciem vt genus differentiæ, peccat. Ex. gr. qui dicit Deum esse genus immortalis, aut hominem esse genus rationalis, peccat; cum immortale sit differentia constitutiua Dei; rationale sit differentia constitutiua hominis. Est autem impossibile, vt differentia constitutiua sit sub specie. Ratio est, quia differentia constitutiua prædicatur de æqualibus, aut de pluribus, quam species: de æqualibus quidem, si sit differentia propria; de pluribus, si sit differentia subalterna; sed quod est sub aliquo genere, non potest prædicari de æqualibus, neque de pluribus, quam illud; ergo differentia non potest poni sub specie, assignando speciem vt genus illius.

12 Vigesimus locus est: si quis ponat genus in differentia, seu sub differentia, peccat. Ex. gr. si quis ponat numerum sub pari, vel impari, quæ sunt differentiæ diuisiuæ numeri, peccat; & similiter peccat, qui ponit colorem sub congregatiuo visus, quæ est differentia coloris.

13 Vigesimus primus locus est: si quis ponat genus loco differentiæ, peccat. Ex. gr. peccaret qui diceret mistionem esse differentiam temperamenti, vel mutationem secundum locum esse differentiam lationis; nam & mistio est genus temperamenti, & mutatio secundum locum est genus lationis. Addit Aristoteles rationem communem pro his tribus vltimis locis esse, quia genus dicitur de pluribus, quam differentia, & non participat differentiam; sed iuxta factas assignationes sequitur, quod genus non dicatur de pluribus, sed de paucioribus, quam differentia, & quod participet differentiam; ergo &c. Probatur minor: nam iuxta 19. locum, species assignatur vt genus differentiæ; sed species non prædicatur de pluribus, quam differentia; ergo assignatur vt genus, quod non prædicatur de pluribus, quam differentia: iuxta 20. locum genus ponitur sub differentia; sed inferius participat de superiore, & prædicatur de paucioribus; ergo genus participat differentiam, & prædicatur de paucioribus: iuxta 21. locum genus ponitur vt differentia; ergo non prædicatur de pluribus, quam differentia.

14 *Rursum, si nulla differentia generis prædicatur de assignata specie, nec genus prædicabitur: vt de anima neque impar, neque par prædicatur: quare nec numerus.*

15 *Amplius, si prius est natura species, & simul interimit genus. Videtur enim contrarium.*

16 *Amplius, si contingit relinquere dictum genus, vel differentiam (vt animam, moueri; opinionem, verum, & falsum) neutrum erit dictorum genus, vel differentia. Videtur enim genus & differentia sequi quandiu fuerit species.*

14 Vigesimus secundus locus est: quando nulla differentia diuisiua generis prædicatur de specie, nec genus prædicatur de tali specie, adeoque illud genus malè assignatur. Ex hoc loco potest ostendi, quod numerus non est genus animæ. Si enim numerus esset genus animæ, aliqua differentia numeri prædicaretur de anima; sed hoc est falsum; ergo &c. Probatur minor: differentiæ enim numeri sunt par, & impar; sed de anima neque prædicatur par, neque impar; ergo &c.

15 Vigesimus tertius locus est: si quod assignatur vt species sit prius natura assignato genere, ita vt specie interempta, interimatur genus, malè fuit assignatum tale genus, cum potius genus debeat esse prius natura, seu à subsistendi consequentia, quam species, ita vt genere interempto interimatur species, non è contra. Ex hoc loco potest ostendi, quod malè contiguum assignatur vt species continui. Interempto enim contiguo, interimitur continuum, non è conuerso, cum valeat, *non sunt propinqua; ergo neque continua;* at non valeat; *non sunt continua; ergo neque propinqua, seu contigua.*

16 Vigesimusquartus locus est: si quod assignatur vt genus, vel differentia, sit tale, vt species possit esse sine illo, malè fuit assignatum. Ex. gr. peccaret qui diceret *moueri* esse genus, aut differentiam animæ. Nam species non potest esse sine genere, nec sine differentia; sed anima potest esse, quin moueatur, vt cum quiescit; ergo &c. Similiter peccaret qui diceret differentiam opinionis esse, vt vel sit vera, vel falsa. Nam opiniones de futuris contingentibus videntur nec esse determinatè veræ, nec determinatè falsæ.

De

De alijs locis generis. Cap.III.

1 *INspiciendum autem & si quod in genere positum est, participat aliquid contrarium generi, aut si contingit participare. Nam idem contraria simul participabit, eo quòd ipsum genus quidem nunquam relinquit: participat autem & contrarium, aut contingit participare.*

2 *Amplius si quippiam communicat species, quod impossibile est omnino inesse ijs, quæ sunt sub genere. Vt si anima vitæ communicat, numerorum autem nullum possibile est viuere, non erit species numeri anima.*

3 *Considerandum autem & si æquiuoca sit species generi elementis vtenti ijs, quæ dicta sunt ad æquiuocum. Vniuocum enim genus, & species.*

4 *Quoniam inspiciendum autem omnis generis plures species, inspiciendum si non contingit alteram speciem esse dicti generis. Nam si non est, manifestum, quoniam non erit genus omnino, quod dictum est.*

5 *Considerandum etiam est, si quod translatitiè dictum est, vt genus assignauit, vt temperantiam consonantiam. Nam omne genus proprie de speciebus prædicatur: consonantia vero de temperantia non proprie, sed translatitiè. Omnis enim consonantia in sonis.*

1 VIgesimus quintus locus est: si species potest habere prædicatum contrarium generi, malè illud fuit assignatum vt genus. Ratio est, quia species non potest esse, quin participet genus; ergo si potest etiam participare prædicatum contrarium generi, poterit simul participare contraria. Ex hoc loco potest ostendi, quod verum non est genus opinionis. Potest enim opinio esse falsa; sed si verum est genus opinionis, non potest esse opinio, quin sit vera; ergo potest opinio esse simul vera, & falsa, adeoque habere prædicata contraria, quod est absurdum.

2 Vigesimus sextus locus est: si species potest habere aliquod prædicatum, quod non potest conuenire vlli ex ijs, quæ continentur sub genere, malè fuit assignatum genus. Ex hoc loco potest ostendi numerum non esse genus animæ. Nam anima potest viuere; sed nullus numerus potest viuere; ergo &c.

3 Vigesimus septimus locus est: si genus æquiuocè dicatur de specie, malè fuit assignatum Ratio est, quia genus debet vniuocè prædicari de suis inferioribus. Ex hoc loco potest ostendi, quod clarum non est genus commune voci claræ, & colori claro. Nam clarum æquiuocè dicitur de voce clara, & de colore claro. Ad videndum autem, vtrum genus prædicetur æquiuocè, vtendum est locis traditis lib. 1. cap. 13.

4 Vigesimus octauus locus est: si quod assignatur vt genus, non potest prædicari de alia specie, quam de assignata, malè fuit assignatum. Ratio est, quia genus debet esse prædicabile de pluribus speciebus. Ex hoc loco posset redargui, qui diceret *animal rationale* esse genus hominis. Animal enim rationale non prædicatur nisi de homine (falsa enim est sententia Platonicorum, quod Angeli sint animalia rationalia;) ergo animal rationale non est genus hominis.

5 Vigesimus nonus locus est: si genus assignatum dicitur metaphoricè de specie, malè fuit assignatum, quia genus debet dici propriè. Ex hoc loco posset redargui qui diceret consonantiam esse genus temperantiæ: nam temperantia solum metaphoricè dicitur consonantia.

6 *Amplius si sit contrarium speciei aliquid considerandum. Est autem multipliciter consideratio. Primum quidem si in eodem genere contrarium speciei, cùm non sit contrarium generi. Oportet enim contraria in eodem genere esse, si nihil sit contrarium generi.*

7 *Cùm autem est contrarium generi, considerandum, si contrarium in contrario. Necesse est enim contrarium in contrario esse, si sit contrarium quidem generi. Manifestum autem est vnumquodque eorum per inductionem.*

8 *Rursum si omnino in nullo genere, quod speciei est contrarium, sed idipsum genus, vt bonum. Nam ipsi hoc non in genere, nec contrarium huius in genere erit, sed ipsum genus, quemadmodum in bono, & malo accidit. Neutrum enim horum in genere; sed vtrunque eorum genus.*

9 *Deinde considerandum, si contrarium est alicui & genus, & species: & horum quidem est aliquid medium, illorum autem non.*

non. Nam si generum est aliquid medium, & specierum: & si specierum & generum. Vt in virtute, & vitio: & iustitia, & iniustitia: vtrorumque enim est aliquid medium. Instantia huius, quoniam sanitatis & ægritudinis nihil est medium: mali autem, & boni aliquod medium.

10 *Amplius si est quidem aliquid vtrisque medium & speciebus, & generibus: non similiter autem, sed horum quidem secundum negationem, illorum vero vt subiectum. Probabile enim similiter & in vtrisque. Vt in virtute & in vitio, iustitia & iniustitia: vtrisque enim secundum negationem medium.*

6 Sequuntur alij loci ex contrarijs. Trigesimus igitur locus est: si species habet contrarium, genus autem non habet contrarium, considerandum est, an contrarium speciei sit in eodem genere: si enim contrarium speciei non est in eodem genere, malè fuit assignatum tale genus. Ratio est, quia vt dictum est in prædicamentis, contraria vel sunt in eodem genere, vel sunt sub generibus contrarijs, vel ipsa sunt prima genera; sed supponitur, quod species assignata habeat genus, adeoque non sit primum genus; rursus supponitur, quod genus habeat contrarium, adeoque species, & contrarium speciei non sint in contrarijs generibus; ergo genus, & contrarium speciei debent esse in eodem genere; ergo malè fuit assignatum genus speciei, si sub ipso non est contrarium talis speciei. Ex hoc loco potest probari, quod numerus non est genus viuentis. Mortuum enim est contrarium viuenti; sed numerus non habet contrarium, & non est genus mortui; ergo numerus nec est genus viuentis.

7 Trigesimus primus locus est: cum & species, & genus habent contrarium, species, & eius contrarium debent esse in contrarijs generibus, adeoque si contrarium speciei non est sub contrario generis, malè fuit assignatum genus. Ex hoc loco potest probari inclinationem naturalem ad bonum non esse in genere virtutis. Virtuti enim est contrarium vitium; ergo si inclinatio naturalis ad bonum esset in genere virtutis, inclinatio naturalis ad malum esset in genere vitij; sed inclinatio naturalis ad malum non est in genere vitij: vitium siquidem non potest esse naturale; ergo neque inclinatio naturalis ad bonum est in genere virtutis.

8 Trigesimus secundus locus est: si contrarium speciei, cuius genus assignatur, non sit sub genere, sed sit primum genus, etiam talis species non est sub genere, sed est primum genus, adeoque malè assignatum fuit genus, sub quo sit talis species. Ex gr. si quis assignauerit habitum vt genus mali, potest redargui, quia cum vnum contrarium sub nullo est genere, sed est primum genus, etiam aliud contrarium sub nullo est genere, sed est primum genus; sed bonum, quod est contrarium malo, est primum genus, adeoque sub nullo est genere; ergo etiam malum sub nullo est genere, sed est primum genus; ergo malè habitus fuit assignatus vt genus mali.

9 Trigesimus tertius locus ex medio contrariorum est: cum & species, & genus habent contrarium, si datur medium inter contrarias species, datur etiam inter contraria genera; & si datur inter contraria genera, datur inter contrarias species. Ex. gr. quia virtus, & vitium sunt contraria genera, iustitia verò, & iniustitia sunt contrariæ species talium generum, sicut inter virtutem, & vitium datur medium, quod neque est virtus, neque vitium, sic inter iustitiam, & iniustitiam datur medium, quod neque est iustitia, neque iniustitia. Est tamen instantia, propter quam hic locus non necessario concludit. Nam malum, & bonum sunt contraria genera; sanitas, & ægritudo sunt contrariæ species talium generum, & tamen licet inter malum, & bonum detur medium, inter sanitatem, & ægritudinem non datur medium.

10 Trigesimus quartus locus est: si medium inter genera contraria est affirmatiuum, etiam medium inter species contrarias est affirmatiuum; si medium inter genera est negatiuum, etiam medium inter species est negatiuum. Ex. gr. quia medium inter virtutem, & vitium designatur negatione, dicendo, quod est id, quod neque est virtus, neque vitium, etiam medium inter iustitiam, & iniustitiam debet esse designabile negatione, dicendo, quod est id, quod neque est iustitia, neque iniustitia.

11 *Amplius; quando non est contrarium generi, considerandum non solum si contrarium in eodem genere, sed & medium. In quo enim extrema, & medium, vt in albo*

albo & nigro. Nam color genus & horum, & mediorum colorum omnium. Instantia, quoniam defectus quidem & superabundantia in eodem genere (in malo enim ambo) mediocre autem, cum sit medium horum, non in malo, sed in bono est.

11 *Considerandum etiam, si genus quidem contrarium est alicui, species autem nulli. Nam si genus est contrarium alicui, & species: quemadmodum virtus & vitium, & iustitia & iniustitia. Similiter autem & in alijs consideranti, manifestum videtur esse. Instantia in sanitate & ægritudine. Simpliciter enim sanitas ægritudini contraria: aliqua autem ægritudo, cum sit species ægritudinis, nulli contrarium: vt febris & ophthalmia, & vnumquodque aliorum. Interimenti igitur tot modis inspiciendum. Si enim non insint quæ dicta sunt, manifestum non esse genus quod assignatum est.*

13 *Construenti vero tripliciter. Primum quidem si contrarium speciei sit in dicto genere, cum non sit contrarium generi. Nam si contrarium in hoc, manifestum, quoniam & quod propositum est.*

14 *Amplius, si medium in dicto genere.*

15 *Nam in quo medium, & extrema. * Rursum si sit & contrarium quidem generi, considerandum est, & si contrarium in contrario. Nam si sit, manifestum, quod & propositum in proposito.*

11 Trigesimus quintus locus est: quando species habet contrarium, genus autem non habet contrarium, considerandum est, an non solum contrarium speciei, sed etiam media sint in eodem genere. Nam non solum contrariæ species, sed etiam media debent esse in eodem genere, eo pacto, quo non solum albedo, & nigredo, qui sunt colores contrarij, sed etiam rubedo, & alij colores medij sunt in eodem genere coloris. Verum hic locus non necessario concludit. Est enim instantia in contrarium: nam defectus, & excessus sunt in eodem genere vitij, mediocre autem, quod est medium inter excessum, & defectum, non est in genere vitij, sed in contrario genere virtutis. Adhuc tamen posset dici, quod vitium est genus habens contrarium; in loco autem posito dictum est, quod tum contraria, & medium sunt in eodem genere, cum genus eorum non habet contrarium.

12 Trigesimus sextus locus est: si genus habet contrarium, etiam species habet contrarium: ex. gr. sicut virtus, quæ est genus iustitiæ, habet contrarium vitium, sic iustitia habet contrariam iniustitiam. Si igitur genus habet contrarium, species non habet, malè fuit assignatum tale genus. Verum etiam hic locus videtur habere instantiam. Nam ægritudo, quæ est genus, habet pro contrario sanitatem, & tamen species ægritudinis, vt *febris*, *ophthalmia*, nullum habent contrarium. Adhuc tamen posset dici, quod assignatæ species ægritudinis habent contrarium, sed innominatum. Addit Aristoteles hæc loca ex contrarijs non solum valere ad destruendum, sed etiam aliqua illorum valere ad construendum.

13 Trigesimus igitur septimus locus ad construendum est: cum genus non habet contrarium, species contrariæ debent esse in eodem genere, vt est explicatum. Ex eo igitur, quod aliquid non habens contrarium sit genus vnius contrarij, potest probari, quod sit genus alterius: ex. gr. ex eo, quod color, qui non habet contrarium, sit genus albedinis, potest probari, quod sit genus nigredinis.

14 Trigesimus octauus locus est: cum genus non habet contrarium, id quod est genus medij, est etiam genus contrariorum. Ex hoc loco potest probari colorem esse genus albedinis, & nigredinis. Color enim non habet contrarium, & est genus rubedinis, quæ est medium inter albedinem, & nigredinem; ergo color est etiam genus albedinis, & nigredinis.

15 Trigesimus nonus locus est: cum genus habet contrarium, contrariæ species debent esse sub contrario genere. Ex hoc loco potest probari genus iniustitiæ esse vitium. Sicut enim iniustitia est contraria iustitiæ, sic vitium est contrarium virtuti; sed virtus est genus iustitiæ; ergo vitium est genus iniustitiæ. Cum enim genera habent contrarium, contrariæ species debent esse sub contrarijs generibus.

De alijs locis generis. Cap. IV.

1 *RVrsum in casibus, & coniugatis, si similiter sequuntur, & interimenti, & construenti. Simul enim vni, & omnibus insunt, vel non insunt. Vt si iustitia scientia*

tia quadam, & iuste scienter, & iustus sciens: si autem horum aliquid non inest, nec reliquorum vllum.

2 *Rursum, in ijs quæ similiter se habent ad inuicem. Vt delectabile similiter se habet ad voluptatem, & vtile ad bonum: vtrunque enim vtriusque effectiuum: si igitur voluptas quiddam bonum, & delectabile quiddam vtile erit: manifestum enim quoniam boni erit effectiuum, eo quòd voluptas bonum.*

3 *Similiter autem, & in generationibus, & corruptionibus. Vt si ædificare est operari, ædificasse, operatum esse: & si discere est reminisci, & didicisse, recordatum esse: & si dissolui est corrumpi, & dissolutum esse, corruptum esse, & dissolutio, corruptio quædam.*

4 *Et in generatiuis vero, & in corruptiuis, similiter & in potentijs, & vsibus, & omnino secundum quamlibet similitudinem, & interimenti, & construenti inspiciendum, quemadmodum in generatione, & corruptione diximus. Nam si corruptiuum dissolutiuum, & corrumpi dissolui: & si generatiuum est effectiuum, & generari fieri, & generatio factio. Similiter & in potentijs, & vsibus, & omnino, si potentia dispositio, et posse, disponi: et si alicuius vsus est actus, et vti agere, et vsum esse, egisse.*

1 SEquuntur loci ex coniugatis, ex casibus, ex similibus, ex generationibus, & ex corruptionibus. Quadragesimus igitur locus ex coniugatis, & casibus est: si in vno coniugatorum genus est benè assignatum, etiam in reliquis est benè assignatum; si in vno est malè assignatum, etiam in reliquis est malè assignatum. Ex. gr. si genus *iustitiæ* est *scientia*, genus *iusti* est *sciens*, genus *iustè* est *scienter*; aut si alterum horum generum malè assignatur, etiam reliqua malè assignantur.

2 Quadragesimus primus locus ex ijs, quæ habent ad inuicem similitudinem proportionis est: ab vno similium valet argumentum ad aliud. Ex.gr. valet: sicut se habet delectabile ad voluptatē, sic vtile se habet ad bonum; nam sicut delectabile est effectiuum voluptatis, sic vtile est effectiuum boni; ergo si voluptas est quoddam bonum, delectabile erit quoddam vtile: delectabile enim eo ipso, quod erit effectiuum voluptatis, erit effectiuum boni.

3 Quadragesimus secundus locus ex generationibus, & corruptionibus est: si *ædificare* est quoddam *operari*, ita vt genus huius, quod est *ædificare* sit operari, etiam *ædificasse* est *operatum esse*, ac genus huius, quod est *ædificasse* est *operatum esse*. Rursus si *discere* est *reminisci*, *didicisse* erit *recordatum esse*; si *dissolui* est *corrumpi*, *dissolutum esse* est *corruptum esse*, *dissolutio* est quædam *corruptio*, ita vt genus *dissolutionis* sit *corruptio*.

4 Quadragesimus tertius locus est: idem dicendum proportionaliter est de corruptiuis, generatiuis, potentijs, & vsibus. Ex.gr. si corruptiuum est dissolutiuum, *corrumpi* est *dissolui*: si generatiuum est effectiuum, *generare* est *facere*, *generatio* est *factio*: si potentia est dispositio, *posse* est *disponi*: si vsus est actus, *vti* est *agere*, *vsum esse* est *egisse*.

5 *Si autem sit priuatio id, quod opponitur speciei, duobus modis est interimere. Primum quidem si in assignato genere est oppositum. Aut enim simpliciter in nullo genere eodem priuatio, aut non in vltimo: vt si visus in vltimo genere est, sensu: cæcitas non erit sensus. Secundo autem si et generi, et speciei opponitur priuatio: non est autem oppositum in opposito: nec quod assignatum est, in assignato erit. Interimenti igitur, quemadmodum dictum est, vtendum. Construenti autem vno modo. Nam si oppositum in opposito, et propositum in proposito erit: vt si cæcitas insensibilitas quædam, et visus sensus.*

6 *Rursum in negationibus considerandum è conuerso, quemadmodum in accidente dicebatur. Vt si delectabile quod bonum, quod non bonum non delectabile. Nam si non ita se habet, erit contra non bonum delectabile: at impossibile est, si bonum genus est delectabilis, esse quicquam non bonum delectabile: nam de quibus genus non prædicatur, nec specierum vlla. Et construenti etiam similiter inspiciendum. Nam si non bonum non delectabile, delectabile bonum: quare genus bonum delectabilis.*

5 Traditis locis ex contrarijs, proponit Aristoteles loca ex alijs oppositis, ac primo ex priuatiuis. Est igitur quadragesimus quartus locus: ex priuatiuis dupliciter possumus destruere problema de ge-

nere. Primus modus est: si alterum ex priuatiuis est in aliquo genere, alterum non est in tali genere: priuatiuè enim opposita, vel simpliciter non possunt esse in eodem genere, vel saltem non possunt esse in eodem genere proximo. Ex hoc loco potest ostendi, quod cæcitas non est in genere sensus. Visus enim est in genere sensus; ergo cæcitas, quæ est priuatio visus, non est in genere sensus. Secundus modus est: si generi, & speciei opponitur priuatio, priuatio verò speciei non est sub priuatione generis, nec species est sub genere assignato. Ex hoc loco potest probari, quod visus non est in genere scientiæ. Sicut enim visui opponitur priuatiuè cæcitas, sic scientiæ opponitur priuatiuè ignorantia; sed cæcitas non est in genere ignorantiæ, cum non sit ignorantia; ergo nec visus est in genere scientiæ, adeoque non est scientia. Hic secundus modus valet etiam proportionaliter ad construendum. Si enim priuatio est sub priuatione generis, habitus est sub genere: ex. gr. si cæcitas est insensibilitas, visus est sensus, adeoque genus visus est sensus.

6 Quadragesimus quintus locus ex cõtradictorijs est: si assignatum genus conuenit assignatæ speciei, contradictorium speciei conueniet contradictorio generis. Hic locus traditus est etiam libro 2. cap. 3. n. 8. pro problemate de accidente, & eius vsus est per consequentiam è conuerso. Ex. gr. si bonum est genus delectabilis, omne delectabile est bonum; ergo nullum non bonum est delectabile, alioquin aliquod non bonum esset delectabile; sed si bonum est genus delectabilis, impossibile est aliquod non bonum esse delectabile; nam necesse est, vt de eo, de quo negatur genus, negentur omnes species, eo pacto, quo de eo, de quo negatur *animal*, negatur *homo*; ergo necesse est, vt de eo, de quo negatur bonum, negetur delectabile; ergo impossibile est, vt non bonum sit delectabile, sicut impossibile est, vt non animal sit homo. Hoc loco possumus vti proportionaliter ad construẽdum. Nam si non bonum est non delectabile, delectabile est bonum, adeoque bonum est genus delectabilis proportionaliter ad ea, quæ dicta sunt de accidente.

7 *Si autem sit ad aliquid species, considerandum, si & genus ad aliquid. Nam si species ad aliquid, & genus, vt in duplici, & multiplici: vtrunque enim ad aliquid. Si autem genus ad aliquid, non necessario & species. Nam disciplina ad aliquid, grammatica autem non. An nec quod prius dictum est verum videbitur? Nam virtus ipsum, quod bonum, & ipsum, quod honestum: & virtus quidem ad aliquid, bonum vero, & honestum non ad aliquid, sed qualia. Rursum, si non ad idem dicitur species, & secundum se, & secundum genus. Vt si duplum dimidij dicitur duplum, & multiplum dimidij oportet dici: si autem non, non erit multiplum genus dupli.*

8 *Amplius si non ad idem & secundum genus dicitur, & secundum omnia genera. Nam si duplum dimidij multiplum est, & abundans dimidij dicetur, & simpliciter secundum omnia superiora genera ad dimidium dicetur. Instantia: quod non necesse est secundum se, & secundum genus ad idem dici. Nam scientia scibilis dicitur, habitus autem, et dispositio non scibilis, sed animæ.*

7 Sequuntur loci ex oppositis relatiuè. Quadragesimus sextus locus est: quando species est ad aliquid, etiam genus debet esse ad aliquid. Ex. gr. quia duplex, quod est species multiplicis, alicuius est duplex, multiplex, quod est genus, alicuius est multiplex. At licet genus sit ad aliquid, non necesse est, vt species sit ad aliquid. Disciplina enim, quæ est genus, est *ad aliquid*, cum disciplina sit alicuius disciplina; & tamen grammatica, quæ est species disciplinæ non est ad aliquid: neque enim grãmatica est alicuius grammatica. Immo videtur neque esse vniuersaliter verum, quod cum species est ad aliquid, etiam genus sit ad aliquid. Licet enim virtus sit *ad aliquid*, ac sit in genere boni, adhuc bonum non videtur esse ad aliquid, sed videtur esse qualitas.

8 Quadragesimus septimus locus est: cum species secundum se dicitur ad aliquid, etiam secundum genus proximum, imo secundum genera superiora debet dici ad illud idem. Si igitur secundum genus proximum, vel secundum aliquod ex superioribus generibus non dicatur ad aliquid, malè est assignatum tale genus. Ex. gr. quia duplum est dimidij duplum, genus autem dupli est multiplex, genus multiplicis est excedens, duplum est dimidij multiplex, ac dimidij excedens; & si duplum non esset di-

dimidij multiplex, malè multiplex fuisset assignatum vt genus dupli. Contrà hunc locum est instantia. Nam scientia est sub genere habitus, ac dispositionis, & tamen scientia dicitur scibilis scientia, habitus autem, ac dispositio non dicuntur scibilis habitus, ac dispositio, sed solum dicuntur habitus, ac dispositio animæ; ergo non est necesse, vt id, quod dicitur ad aliquid secundum speciem, ad idem dicatur secundum genus proximum, & secundum genera superiora, adeoque hic locus est tantum probabilis.

9 *Rursum si similiter dicitur genus, et species secundum casus: vt si alicui, aut alicuius, aut quolibet modo aliter dicitur. Nam vt species, et genus, velut in duplo, et in superioribus: alicuius enim, et duplum, et multiplum: similiter autem, et in scientia: alicuius enim, et hæc, et genera, vt dispositio, et habitus. Instantia autem quòd aliquoties non sit. Nam differens, et contrarium alicui, diuersum autem, cùm sit genus horum, non alicui, sed ab aliquo: diuersum enim dicitur ab aliquo.*

10 *Rursum si similiter ad aliquid secundum casus dicta, non similiter conuertuntur, quemadmodum in duplo, et multiplo. Vtrunque enim horum alicuius, et idem etiam secundum conuersionem dicitur: alicuius enim, et dimidium, et submultiplum. Similiter autem, et in disciplina, et opinione. Nam et hæc alicuius, et conuertitur. Similiter et disciplinatum, et opinabile alicuius. Si igitur in aliquo non similiter conuertitur, manifestum est non esse genus alterum alterius.*

11 *Rursum, si non ad æqualia species, et genus dicitur. Similiter enim, et æqualiter vtrunque videtur dici, quemadmodum in dono, et donatione. Nam et donum alicuius alicui dicitur, et datio alicuius, et alicui dicitur. Est autem datio genus doni: nam donum, datio est irreddibilis. In aliquibus autem non accidit ad æqualia dici. Nam duplum alicuius duplum, abundans autem, et maius alicuius, et aliquo. Omne enim abundans, et maius, aliquo abundat, et alicuius abundat. Quare non sunt genera quæ dicta sunt dupli, eo quòd non ad æqualia dicuntur speciei, aut non vniuersaliter verum, ad æqualia speciem, et genus dici.*

9 Quadragesimus octauus locus est: species, ac genus debent dici ad aliquid eodem pacto, & secundum eosdem casus. Ex. gr. quia duplum est alicuius duplum, multiplex, quod est genus dupli, est alicuius multiplex; excedens est alicuius excedens: quia scientia est alicuius scientia, habitus, ac dispositio est alicuius habitus, ac dispositio. Si ergo non similiter, neque in eodem casu dicantur ad aliquid species, & genus, signum est, quod malè fuit assignatum tale genus. Verum etiam contrà hunc locum est instantia. Nam *differens* dicitur *alicui differens*, contrarium dicitur alicui contrarium, & tamen *diuersum* quod est genus horum, non dicitur alicui diuersum, sed ab aliquo diuersum.

10 Quadragesimus nonus locus est: eodem casu debent cum suis correlatiuis conuerti species, & genus. Ex. gr. quia existimatio est genus scientiæ, sicut existimatio est existimabilis existimatio, existimabile verò est existimatione existimabile, sic scientia est scibilis scientia, scibile est scientia scibile. Si igitur non in eodem casu conuertuntur genus, & species, signum est, quod malè fuit assignatum genus.

11 Quinquagesimus locus est: species, & genus debent dici ad æqualia numero. Ex. gr. quia donum est species dationis, est enim *datio irreddibilis*; donum verò dicitur alicuius donum, & alicui donum; etiam datio dicitur alicuius datio, & alicui datio. Si ergo species, & genus non æqualiter dicantur, signum est, quod malè fuit assignatum genus. Sed contrà hunc locum est instantia. Nam duplum est alicuius duplum, excedens autem non solum est alicuius excedens, sed etiam aliquo excedens; ergo vel excedens non est genus dupli, vel non est vniuersaliter verum, quod genus, & species ad æqualia dicantur.

12 *Videndum autem et si oppositi est oppositum genus, vt si dupli multiplum, et dimidij submultiplum. Oportet enim oppositum oppositi genus esse. Si igitur ponat aliquis scientiam idipsum quod est, sensum, oportebit et scibile id quod est sensibile esse: sed non est: non enim omne scibile sensibile: nam intelligibilium quædam scibilia: quare non est genus sensibile scibilis: si autem hoc non, neque sensus scientiæ.*

13 *Quoniam autem eorum, quæ ad aliquid dicuntur, alia quidem ex necessitate in eis, aut circa ea sunt, ad quæ dicuntur, vt dispositi-*

ſpoſitio, et habitus, et commenſuratio (in alio enim nullo poſſibile eſt eſſe quæ dicta ſunt, quàm in eis ad quæ dicuntur.) alia autem non neceſſe eſt quidem in eis eſſe, ad quæ dicuntur, contingit autem, quemadmodum ſcibile eſt in anima (nihil enim prohibet ſui ſcientiam habere animam, non neceſſarium autem: poſſibile eſt enim et in alio eſſe hanc eandem) alia vero ſimpliciter non contingit in eis eſſe, ad quæ dicuntur (vt contrarium in contrario: neque ſcientiam ſcibili, niſi ſit ſcibile anima, vel homo.)

14 *Conſiderare igitur oportet, ſi quis in genere ponat, quod tale eſt in non tali, vt ſi memoriam immanſionem ſcientiæ dicat: nam omnis immanſio in mente, & circa illud: quare & ſcientiæ immanſio in ſcientia: memoria igitur in ſcientia, eo quòd immanſio ſcientiæ eſt: hoc autem non contingit: memoria enim omnis in anima. Eſt autem qui dictus eſt locus, & ad accidens communis: nihil enim refert, memoriæ genus immanſionem dicere, aut accidere dicere illi hoc: nam ſi quouis modo eſt memoriæ immanſio ſcientiæ, eadem aptabitur de ipſa ratio.*

12 Quinquageſimus primus locus eſt: oppoſita relatiuè debent eſſe in generibus oppoſitis relatiuè. Ex. gr. quia duplici opponitur relatiuè dimidium, duplum autem eſt in genere multiplicis, dimidium debet eſſe in oppoſito genere ſubmultiplicis. Si igitur oppoſitum relatiuè non eſt in genere relatiuè oppoſito, malè fuit aſſignatum tale genus. Ex hoc loco poſſet deſtrui problema ponens ſenſum eſſe genus ſcientiæ, ſic arguendo: ſi ſenſus eſſet genus ſcientiæ, ſenſibile eſſet genus ſcibilis; ſed ſenſibile non eſt genus ſcibilis, ſiquidem multa ſunt ſcibilia, quæ non ſunt ſenſibilia; ergo neque ſenſus eſt genus ſcientiæ.

13 Vt proponat quinquageſimum ſecundum locum, præmittit Ariſtoteles quãdam diuiſionem relatiuorum, ſiue eorum, quæ dicuntur *ad aliquid*. Quæ dicuntur ad aliquid ſunt in triplici genere. Primum genus comprehendit ea, quæ ita dicuntur ad aliquid, vt neceſſario ſint in eo, de quo dicuntur, cuiuſmodi ſunt habitus, diſpoſitio, & commenſuratio: diſpoſitio enim eſt diſpoſiti diſpoſitio, & neceſſario eſt in diſpoſito; habitus eſt habituati habitus, & neceſſario eſt in habituato; commenſuratio eſt commenſurati commenſuratio, ac neceſſario eſt in ipſo commenſurato. Secundum genus comprehendit ea, quæ licet poſſint eſſe in ijs, ad quæ dicuntur, non tamen neceſſario ſunt in ipſis, ſed poſſunt eſſe etiam in alijs. Ex. gr. ſcientia eſt ſcibilis ſcientia, & poteſt eſſe in ipſo ſcibili, eo pacto, quo ſcientia de anima eſt in ipſa anima, quæ ſcitur tali ſcientia; poteſt etiam ſcientia non eſſe in ſcibili, eo pacto, quo ſcientia de Cælo, non eſt in Cælo, quod eſt ſcibile talis ſcientia. Tertium genus comprehendit ea, quæ ita dicuntur ad aliquid, vt non poſſint eſſe in eo, ad quod dicuntur: vt contrarium, quod dicitur alicui contrarium, & tamen non poteſt eſſe in eo, cui eſt contrarium.

14 Poſita hac diuiſione, quinquageſimus ſecundus locus eſt: neceſſe eſt, vt genus eorum, quæ neceſſario ſunt in eo, ad quod dicuntur, etiam neceſſario ſit in eo, ad quod dicitur: vt genus eorum, quæ poſſunt eſſe tum in eo, ad quod dicuntur, tum in alio, poſſit eſſe tum in eo, ad quod dicitur, tum in alio: demum vt genus eorum, quæ non poſſunt eſſe in eo, ad quod dicuntur, nec ipſum poſſit eſſe in eo, ad quod dicitur. Si igitur quoad hoc genus non ità ſe habeat, ſicut ſpecies, malè eſt aſſignatum. Ex hoc loco poteſt deſtrui problema ponens memoriam eſſe manſionem ſcientiæ, adeoque manſionem eſſe genus memoriæ: manſio enim eſt in eo, quod manet; ergo ſi memoria eſt manſio ſcientiæ, memoria eſt in ſcientia; ſed memoria non eſt in ſcientia, ſed in anima; ergo &c. Addit Ariſtoteles hunc locum non ſolum valere ad deſtruendum problema generis, ſed etiam accidentis. Si enim quis ponat memoriam eſſe manſionem ſcientiæ, non explicans, quod manſio ſit genus memoriæ, poteſt oſtendi, quod memoria non eſt manſio ſcientiæ, ex eo, quia memoria non eſt in ſcientia, ſed in anima.

De alijs 12. locis generis. Caput V.

1 *RVrſum ſi habitum in actu poſuit, aut actum in habitu non eſt genus quod tale eſt, vt ſi ſenſum, motum per corpus: nam ſenſus habitus, motus autem actus. Similiter autem & ſi memoriam habitum contentiuum opinionis dixerit: nam nulla*

memoria habitus, sed magis actus.

2 *Peccant autem & qui habitum in consequentem potentiam ordinant, vt mansuetudinem, continentiam iræ, & fortitudinem, & iustitiam, timorum, & lucrorum continentiam: nam fortis, & mansuetus, perturbatione vacans dicitur, continens autem, qui perturbatur, sed non ducitur. Fortasse igitur talis potentia sequitur vtrunque, vt si perturbetur, non ducatur; verum continere non hoc est, hunc quidem fortem, illum autem mansuetum esse, sed omnino perturbari ab huiusmodi nihil.*

3 *Aliquoties autem & quod sequitur, quouis modo, vt genus ponunt, vt tristitiam, iræ, & opinionem, fidei: vtraque enim prædicta sequuntur quidem quodam modo assignatas species, neutrum autem eorum genus est: nam qui irascitur, contristatur, priore in eo tristitia facta. Non enim ira tristitiæ, sed tristitia iræ causa est: quare simpliciter ira non est tristitia. Secundum autem hæc, neque fides opinio. Contingit enim eandem opinionem etiam non credentem habere: non contingeret autem hoc, si fides esset species opinionis: non enim contingit idem amplius permanere, si ex specie omnino permutatum sit: quemadmodum nec idem animal quandoque hominem esse, & quandoque non. Si quis autem dicat ex necessitate opinantem etiam fidem habere, de æqualibus opinio, & fides dicetur: quare neque sic erit genus: de pluribus enim oportet dici genus.*

1 QVinquagesimus tertius locus est: habitus non potest esse genus actus, nec actus potest esse genus habitus. Ex hoc loco posset redargui qui diceret sensum esse motum per corpus, adeoque poneret motum vt genus sensus. Sensus enim est aliquid per modum habitus permanentis; motus est aliquid per modum actus transeuntis; ergo motus non potest esse genus sensus. Similiter posset redargui qui diceret memoriam esse habitum contentiuum opinionum. Memoria enim est actus recordationis, adeoque non est sub genere habitus.

2 Quinquagesimus quartus locus est: ad habitum sequuntur necessario aliquæ potentiæ, quæ non sunt de essentia talium habituum, ideoque peccant qui tales potentias assignant vt genera talium habituũ, & possunt ex hoc loco redargui. Ex. gr. ad mansuetudinem sequitur, vt qui illam habet, possit etiam iram continere, si forte exurgat; ad fortitudinem sequitur, vt possit quis continere timores; ad iustitiam, vt possit quis continere cupiditatem lucri iniusti: non tamen essentia mansuetudinis consistit in continentia iræ, sed potius in carentia iræ immoderatæ, ideoque mansuetus est, qui non perturbatur ira, continens est, qui perturbatur, sed non ducitur. Similiter fortitudo consistit in carentia timoris immoderati, ideoque fortis est qui non perturbatur timore, continens qui perturbatur, sed non vincitur. Iustitia consistit in carentia cupiditatum lucri iniusti, ideoque iustus est qui non perturbatur talibus cupiditatibus lucri iniusti, continens qui perturbatur, sed non vincitur. Si igitur tales potentias assignet quis vt genus virtutum, potest ex hoc loco redargui.

3 Quinquagesimus quintus locus est: aliqui peccant assignando vt genus habitus id, quod sequitur quidem habitum, sed non sequitur vt genus, sed alio modo. Ex. gr. quia ad iram sequitur tristitia de contemptu; qui enim irascitur tristatur de contemptu; ideo quidam dicunt tristitiam esse genus iræ, & tamen tristitia non est genus iræ; neque enim ira est tristitia, sed causatur à tristitia, & est effectus tristitiæ: prius enim tristatur quis de contemptu, deinde irascitur. Similiter quia credens opinatur esse verum id, quod credit, quidam dicunt genus fidei esse opinionem, & tamen genus fidei non est opinio. Est enim impossibile, vt remaneat idem, quod mutat speciem, ex. gr. est impossibile vt idem animal aliquando sit homo, aliquando non sit homo; sed potest quis retinens eamdem opinionem aliquando credere, aliquando non credere; ergo opinio non est genus fidei. Si verò dicat quis necessarium esse, vt qui opinatur, credat, adhuc sequitur, quod opinio non sit genus fidei. Species enim & genus non possunt esse æqualia; sed si omnis credens opinatur, & omnis opinans credit, opinio, & fides sunt æqualia; ergo &c.

4 *Videndum autem & si in aliquo eorum nata sint vtraque fieri. In quo enim species, & genus, vt in quo album, & color, & in quo Grammatica & disciplina. Si igitur verecundiam timorem dixit, aut iram tristitiam, non accidit in eodem speciem, & genus esse: nam verecundia quidem in ratio-*

tionali, timor in irascibili, at tristitia in concupiscibili: nam in hoc, & voluptas, ira autem in irascibili: quare non sunt genera, quæ assignata sunt, eo quòd non in eodem cum speciebus nata sunt fieri. Similiter autem & si amicitia in concupiscibili, non erit voluntas quædam: omnis enim voluntas in rationali. Vtilis autem hic locus, & ad accidens, & id cui accidit. In eodem enim accidens, & cui accidit: quare ni in eodem videatur, manifestum, quoniam non accidit.

5 *Rursum si secundum quid species dictum genus participat: non enim videtur secundum quid participari genus. Nam non est homo secundum quid animal, neque grammatica secundum quid disciplina: similiter autem & in aliis. Considerandum igitur, si in aliquibus secundum quid participatur genus, ut si animal, quod sensibile, vel visibile dicitur. Nam secundum quid sensibile, vel visibile animal: secundum corpus enim sensibile, & visibile, secundum animam autem non: quare non erit genus corpus visibile, & sensibile animalis.*

6 *Latent autem quandoque & totum in parte ponentes, vt animal, corpus animatum: nullo enim modo pars de toto prædicatur: quare non erit genus corpus animalis, eo quod pars est.*

4 Quinquagesimus sextus locus est: cum species debet esse in aliquo subiecto, etiam genus debet esse in eodem subiecto. Ex. gr. quia albedo, quæ est species coloris, debet esse in superficie tanquam in subiecto, etiam color debet esse in superficie tanquam in subiecto, & quia grammatica debet esse in anima, etiam disciplina, quæ est genus grammaticæ, debet esse in anima. Ex hoc loco posset redargui qui diceret, verecundiam esse sub genere timoris, vel iram sub genere tristitiæ. Nam species, & genus debent esse in eodem subiecto; sed verecundia est in rationali parte animæ, timor in irascibili; ergo timor non est genus verecundiæ. Rursus tristitia est in concupiscibili, siquidem in concupiscibili est voluptas contraria tristitiæ; contraria verò debent esse in eodem subiecto; sed ira non est in concupiscibili, sed in irascibili; ergo &c. Rursus si amor est in concupiscibili, genus amoris non est voluntas, quæ non est in concupiscibili, sed in rationali animæ parte. Addit Aristoteles hunc locum esse etiam vtilem ad problema accidentis. Cum enim quando & accidens, & id, cui accidens accidit, est in subiecto, debeat esse in eodem subiecto, ex eo, quod non sint in eodem subiecto, infertur accidens non fuisse bene assignatum.

5 Quinquagesimus septimus locus est: licet accidens possit participari *secundum quid*, genus non potest participari *secundum quid*, eo pacto, quo homo non potest esse animal *secundum quid*. Ex hoc loco posset refelli qui diceret genus animalis esse sensibile, vel visibile: animal enim est sensibile, & visibile solum secundum corpus, non secundum animam; sed genus non potest participari solum secundum quid, vel secundum partem; ergo &c.

6 Quinquagesimus octauus locus est: pars physica non potest esse genus totius: genus enim est prædicabile de specie; sed pars physica non est prædicabilis de toto; ergo &c. Hinc posset redargui, qui diceret corpus in quantum est pars animalis, esse genus animalis.

7 *Videndum autem, si quid vituperandorum, aut fugiendorum in potestate, aut potente posuit, vt Sophistam, vel calumniatorem, vel furem eum, qui possit aliena latenter surripere. Nemo enim prædictorum in eo, quod possit aliquid horum talis dicitur: potest enim & Deus, & studiosus praua agere: non sunt autem huiusmodi: nam omnes praui secundum electionem dicuntur. Amplius omnes potestates eorum sunt, quæ sunt eligendæ: nam prauorum potestates eligendæ, eo quòd Deum, & studiosum habere dicimus eas: potentes enim dicimus eos esse praua agere: quare nullius vituperabilis erit genus potestas. Si autem non, accidet vituperandorum quiddam eligendum esse: nam erit quædam potestas vituperabilis.*

8 *Et si quid propter se honorabilium, vel eligibilium, in potestate, vel potente, vel effectiuo posuit. Nam omnis potestas, & omne potens, aut effectiuum, propter aliud eligendum.*

9 *Aut si quid eorum, quæ sunt in duobus generibus, vel pluribus, in altero posuit. Quædam enim non est in vno genere ponere, vt fraudulentum, aut calumniatorem. Neque enim qui eligit impotens autem, neque qui potest, at non eligens, calumniator,*

aut fraudulentus, sed qui vtraque hæc habet: quare non ponenda sunt in vno genere, sed in vtroque eorum, quæ dicta sunt.

7 Quinquagesimus nonus locus est: omnis potestas est eligenda, ideoque potestas non est genus fugiendorum, & vituperandorum. Hinc posset redargui qui diceret sophistam esse eum, qui potest sophismatibus decipere, seductorem, qui potest seducere, furem, qui potest furari. Nam sophista, & fur non dicuntur, quia possunt hæc facere, sed quia eligunt, ideoque Angelus, & vir probus potest decipere, seducere, & furari, & tamen non est sophista, neque seductor, neque fur, quia hæc non eligit. Potestas ergo non est genus vllius vituperandi; alioquin cum omnis potestas sit eligenda, aliquid vituperandum esset eligendum.

8 Sexagesimus locus est: omnis potestas, omne potens, & omne effectiuum est eligendum propter aliud, hoc est propter id, cuius est. Ex hoc loco posset redargui qui poneret sub genere potestatis aliquid propter se honorabile, & eligendum, ex. gr. qui diceret potentiam esse genus felicitatis: felicitas enim est maximè propter se eligibilis, & honorabilis; sed potestas non est propter se eligibilis, & honorabilis; ergo &c.

9 Sexagesimus primus locus est: quædam sunt in duobus, vel pluribus generibus. Ex. gr. fraudulentus, & seductor non est, qui solum potest fraudare, & seducere, sed non eligit; neque qui solum eligit, sed non potest; sed qui potest simul, & eligit. Si quis igitur poneret genus seductoris, ac fraudulenti esse solum, *qui potest*, vel solum, *qui eligit*, peccaret, & posset ex hoc loco redargui.

10 *Amplius aliquoties è conuerso genus quidem vt differentiam, differentiam autem vt genus assignant, vt stuporem, superabundantiam admirationis, & fidem vehementiam opinionis. Nam neque superabundantia, neque vehementia genus, sed differentia. Videtur enim stupor, admiratio esse superabundans: & fides, opinio vehemens: quare genus admiratio, & opinio est, superabundantia autem, & vehementia differentia. Amplius si quis superabundantiam, & vehementiam vt genera assignet, inanimata fidem facient, & stupefacient. Nam cuiusque vehementia, & superabundantia illi adest, cuius est superabundantia, & vehementia: si ergo stupor superabundantia est admirationis, aderit admirationi: quare admiratio stupefaciet: similiter autem, & fides aderit opinioni, si vehementia quidem opinionis est: quare opinio fidem faciet. Amplius accidet sic assignanti vehementiam vehementem dicere, & superabundantiam superabundantem. Est enim quædam fides vehemens: si ergo fides vehementia est, vehementia erit vehemens. Similiter autem, & stupor quidam, & superabundans: si ergo stupor est superabundantia, superabundantia erit superabundans. Videtur autem neutrum horum, quemadmodum nec disciplina disciplinatum, nec motus motum.*

10 Sexagesimus secundus locus est: potest quis peccare assignando differentiam vt genus, vel genus vt differentiam. In hunc errorem incidunt qui stuporem definiunt excessum admirationis, & fidem definiunt vehementiam opinionis. Excessus enim non est genus, sed differentia stuporis; vehementia non est genus, sed differentia opinionis: nam stupor videtur esse admiratio excedens, fides opinio vehemens; ita vt genus stuporis sit admiratio, differentia sit excessus; genus fidei sit opinio, differentia sit vehementia. Quod autem neque excessus sit genus admirationis, neque vehementia sit genus fidei, probat Aristoteles duabus rationibus. Prima ratio est, quia si excessus est genus admirationis, & vehementia est genus fidei, sequitur, quod admiratio stupebit, & fides fidem habebit, quod est absurdum. Probatur sequela: nam excessus, & vehementia insunt illis, quorum sunt, atque illa denominant, ex. gr. excessus admirationis inest admirationi, vehementia inest opinioni; ergo si stupor, & fides sunt excessus, & vehementia admirationis, & opinionis, admiratio denominatur stupens, & opinio denominatur fidem habens. Secunda ratio est: sequitur, quod excessus sit excedens, & vehementia vehemens. Probatur sequela: nam datur stupor excedens, & fides vehemens; sed stupor est excessus, fides est vehementia; ergo datur excessus excedens, & vehementia vehemens, quod est impossibile. Sicut enim motus non potest moueri, & disciplina non potest disciplinari, sic excessus non potest esse excedens,

cedens, & vehementia non potest esse vehemens.

11 *Quandoque autem peccant & passionem in genere eius, quod passum est ponentes, vt immortalitatem vitam sempiternam dicentes esse: passio enim vitæ, & accidens immortalitas videtur esse. Quòd autem verum sit, quod dicitur, manifestum sit, si quis admittat aliquem ex mortali fieri immortalem: nullus enim dicit aliam vitam eum sumere, sed accidens aliquod, vel passionem huic eidem aduenire: quare non genus vitæ immortalitatis.*

12 *Rursum si passionem, cuius est passio, illius genus dicit esse, vt spiritum aerem motum: magis enim motus aeris, spiritus: nam aer idem permanet, & quando mouetur, & quando stat: quare non est omnino aer spiritus: esset enim & non moto aere spiritus, siquidem idem aer permanet, qui quidem erat spiritus. Similiter autem, & in alijs huiusmodi. Si igitur & in hoc oportet admittere, quòd aer motus est spiritus, non tamen de omnibus huiusmodi est assignandum, de quibus non verificatur genus, sed de quibuscunque vere prædicatur assignatum genus. Nam in quibusdam non videtur verificari, vt in luto, & niue. Nam niuem dicunt esse aquam coagulatam, lutum autem terram humido temperatam: est autem neque nix aqua, neque lutum terra: quare neutrum assignatorum generum erit genus: oportet enim genus verificari semper de omnibus speciebus. Similiter autem neque vinum est aqua putrefacta (sicut Empedocles dicit, in ligno putruit vnda) nam simpliciter non est aqua.*

11 Sexagesimus tertius locus est: potest etiam quis peccare assignando vt genus passionis subiectum, quod per talem passionem patitur. In hoc vitium videntur incidere qui definiunt immortalitatem *vitam sempiternam*. Immortalitas enim est passio vitæ; ergo vita non est genus, sed subiectum immortalitatis. Quod autem vita non sit genus, sed passio immortalitatis, probatur: si enim admittamus aliquem ex mortali fieri immortalem, putamus illum non mutare vitam, sed eidem vitæ, quæ erat mortalis, aduenire passionem immortalitatis.

12 Sexagesimus quartus locus est: potest etiam quis peccare assignando vt genus passionis subiectum talis passionis, aduertens illud esse subiectum talis passionis: & per hoc locus iste differt à præcedente, quod in eo ignoratur id, quod assignatur vt genus, esse subiectum passionis, in hoc non ignoratur. In hoc vitium incidunt, qui ventum definiunt *aerem motum*. Potius enim ventus videtur motus aeris, ita vt aer sit subiectum, non genus venti. Quod autem aer non sit genus venti, probatur, quia cum corrumpitur species, genus non remanet idem, ex. gr. cum corrumpitur homo, non remanet idem animal; sed cum corrumpitur ventus, remanet idem aer; ergo aer non est genus venti, neque ventus est aer; alioquin remanente eodem aere remaneret ventus, sicut remanente eodem animali remanet homo. Confirmatur, quia etiamsi posset admitti, quod aliquando materia, & subiectum esset genus, cum ex vsu loquentium prædicatur de specie, eo pacto, quo de vento dicitur, quod est aer motus, adhuc non potest admitti, cum non simpliciter prædicatur; sed aer motus non simpliciter prædicatur de vento; ergo &c. Probatur minor: si enim ventus esset aer motus, nix esset aqua congelata; lutum esset terra compacta humore; vinum esset aqua putrefacta, iuxta Empedoclem, qui cecinit *in ligno putruit vnda*; sed hæc sunt falsa, vinum enim simpliciter non est aqua, lutum simpliciter non est terra &c; ergo neque ventus simpliciter est aer; ergo genus venti non est aer; ergo subiectum, & materia non bene assignatur vt genus.

De alijs vltimis locis generis. Cap. VI. & vltimum.

1 *AMplius si omnino quod assignatum est, nullius est genus: manifestum enim, quoniam neque eius, quod dictum est. Considerandum autem ex eo, quod nihil eorum differt specie, quæ participant assignatum genus. Vt nihil alba differunt specie, ipsa à se inuicem: omnes autem generis sunt species differentes, quare nullius erit album genus.*

2 *Rursum si quod omnia sequitur, genus, vel differentiam dixit. Plura enim sunt, quæ omnia sequuntur: vt ens, & vnum eorum sunt, quæ omnia sequuntur. Si igitur ens genus assignauerimus, manifestum,*

quoniam omnium erit genus, eo quòd prædicatur de eis: de nullo enim genus, quàm de speciebus prædicatur: quare & vnum species erit entis: accidit ergo de omnibus, de quibus genus prædicatur, & speciem prædicari, eo quòd ens, & vnum de omnibus simpliciter prædicantur: oportet autem de paucioribus speciem prædicari. Si autem quod omnia sequitur differentiam dixit, perspicuum, quoniam de æqualibus, vel de pluribus differentia, quàm genus dicetur. Nam si & genus omnia sequitur, de æqualibus: si vero non omnia sequatur genus, de pluribus differentia dicetur, quàm ipsum genus.

1 Sexagesimus quintus locus est: si quis assignet vt genus alicuius quod nullius est genus, peccat. Locus autem ad ostendendum id, quod assignatur, nullius esse genus est, quia ea, de quibus dicitur, ita vt de ipso participent, non differunt specie. Ex. gr. si quis assignauerit album vt genus niuis, potest redargui, quia album nullius est genus, cum alba in ratione albi non differant specie; genus autem debet prædicari de differentibus specie.

2 Sexagesimus sextus locus est: si quis transcendentia, quæ ad omnia sequuntur, & de omnibus dicuntur, ex. gr. *ens, & vnũ* assignauerit vt genus, aut differentiam alicuius, peccat: ex. gr. si quis dixerit ens esse genus, peccat. Sequitur enim, quod ens sit genus omnium, de quibus prædicatur *in quid*; genus enim non prædicatur *in quid*, nisi de speciebus, & earum indiuiduis; sed ens prædicatur *in quid* de omnibus, & etiam de vno; ergo ens est genus omnium, & etiam vnius; sed etiam vnum prædicatur de omnibus; ergo genus, & species prædicantur de æqualibus, quod est absurdum, cum species prædicetur de paucioribus, quam genus. Si autem quis aliquid transcendentium dicat esse differentiam, sequitur, quod differentia dicatur de æqualibus, vel de pluribus, quam genus. Nam cum differentia dicatur de omnibus, si etiam genus dicitur de omnibus, dicuntur de æqualibus; si genus non dicitur de omnibus, differentia dicitur de pluribus, cum debeat dici de paucioribus, quam genus.

3 *Amplius si in subiecta specie est, quod assignatum genus dicitur, vt album in niue: quare manifestum quoniam non erit genus: de subiecta enim specie solum genus dicitur.*

4 *Considerandum autem etiam est, si non vniuocum sit genus speciei. Nam de omnibus speciebus vniuoce genus prædicatur.*

5 *Amplius quando existente & speciei, et generi contrario, si quod melius contrariorum est, in peiori genere ponit: nam accidet reliquum in reliquo esse, eo quod contraria in contrarijs generibus: quare quod deterius est, in meliori erit: at videtur melioris & genus melius esse.*

6 *Et si eodem similiter ad vtraque se habente, in peiore, & non in meliore genere ponit, vt animam ipsum quod est agitationem, aut agitatum: nam pari modo eadem statiua, & agitatiua esse videtur: quare si melius statio, in hoc oportet genere ponere.*

3 Sexagesimus séptimus locus est: si quis assignat vt genus quod est in specie, tanquam in subiecto priori, potest redargui, quia genus solum prædicatur de specie, non autem est in specie, tanquam in subiecto. Ex hoc loco posset redargui qui diceret *album* esse genus niuis: albedo enim est in niue tanquam in subiecto; sed genus non est in specie, tanquam in subiecto; ergo &c.

4 Sexagesimus octauus locus est: quod non dicitur vniuocè de speciebus, non est genus. Ex hoc loco possunt redargui qui dicunt *ens*, & *vnum* esse genus decem prædicamentorum. Ens enim, & vnum non dicuntur vniuocè de decem prædicamentis; sed genus debet dici vniuocè de speciebus; ergo &c.

5 Sexagesimus nonus locus est: cum tam genus, quam species habent contrarium, considerandum est, an species melior ponatur sub peiori genere. Cum enim quando species habent contrarium, species contrariæ debeant esse in contrarijs generibus, sequitur, quod si melior species est in peiori genere, species peior sit in meliori genere: hoc autem est inconueniens.

6 Septuagesimus locus est: considerandum, vtrum cum species possunt æquè poni in vtroque ex duobus generibus contrarijs, ponantur in deteriori. Ex. gr. anima cum non solum sit principium se mouendi, sed etiam consistendi, æquè potest poni

poni in genere se mouentis, ac in genere consistentis. Si ergo quis dicat genus animæ esse id, quod se mouet, potest redargui, quia cum aliquid æquè potest poni in duobus generibus contrarijs, potius debet poni in meliori, quam in deteriori; sed est melius genus consistentis, quam se mouentis; ergo &c.

7 *Amplius ex magis, & minus, destruenti quidem, si genus suscipit magis, species autem non suscipit, neque ipsa, neque quod ab ipsa dicitur: vt si virtus suscipit magis, & iustitia, & iustus: dicitur enim iustus magis alter altero: si igitur assignatum quidem genus magis suscipit, species autem non suscipit, neque ipsa, neque quod ab ipsa dicitur, non erit quidem assignatum genus.*

8 *Rursum quod magis videtur, vel similiter, non est genus, manifestum, quoniam nec quod assignatum est. Vtilis autem hic locus in talibus maxime, in quibus plura videntur de specie in eo quod quid est prædicata, cùm non determinatum est, neque promptum nobis est dicere, quodnam eorum genus. Vt de ira, tristitia, & opinio paruipendentiæ, in eo quod quid est prædicari videtur: contristatur enim iratus, & opinatur paruipendij. Eadem autem consideratio, & in specie ad aliud aliquid comparanti. Nam, si quod magis, aut similiter videtur esse in assignato genere, non est in genere, manifestum, quòd neque assignata omnino species erit in genere. Interimenti igitur, quemadmodum dictum est, vtendum.*

9 *Astruenti vero, siquidem suscipit magis, quod assignatum est genus, & species, non vtilis locus. Nihil enim prohibet vtrorumque suscipientium non esse alterum alterius genus: nam bonum, & album suscipit magis, & neutrum neutrius genus. Generum autem, & specierum ad seinuicem comparatio, vtilis. Vt si similiter hoc, & hoc genus: si alterum genus, & alterum. Similiter autem & si quod minus, & quod magis: vt si continentiæ magis potestas, quàm virtus genus, virtus autem genus, & potestas. Eadem autem & de specie conuenit dici. Nam si similiter hoc, & hoc propositi species, si alterum species, & reliquum: & si quod minus videtur, species est, & quod magis.*

7 Sequuntur aliqui loci ex magis, & minus, & ex similibus, tum ad destruendum, tum ad construendum. Septuagesimus igitur primus locus est: si genus suscipit magis, & minus, etiam species, & quæ denominatiuè dicuntur à specie, suscipiunt magis, & minus: ex. gr. quia virtus suscipit magis, & minus, etiam iustitia, & iustus suscipiunt magis, & minus, adeoque potest aliquis esse magis, vel minus iustus. Ex hoc loco posset sic redargui qui diceret genus niuis esse album: cum genus suscipit magis, & minus, etiam species suscipit magis, & minus; sed album suscipit magis, & minus, nix non suscipit magis, & minus; ergo album non est genus niuis.

8 Septuagesimus secundus locus est: si quod magis, vel similiter videtur genus, non est genus, nec quod assignatur est genus. Rursus si quod magis, vel similiter videtur esse in assignato genere, non est sub tali genere, nec aliud est sub tali genere. Vtilis autem est hic locus, præsertim cum plura videntur genera, nec possumus discernere, quodnam verè sit genus. Ex. gr. genus iræ videtur tum tristitia, tum opinio, qua quis existimat se paruipendi, siquidem vtrunque sequitur ad iram. Si quis igitur posuerit genus iræ esse opinionem, qua quis existimat se paruipendi, posset sic redargui: magis, vel similiter genus iræ videtur tristitia, quam opinio de paruipensione; sed tristitia non est genus iræ; ergo nec opinio de paruipensione.

9 Addit Aristoteles locum septuagesimum primum ex *magis*, & *minus* non valere ad construendum. Nec enim valet: sicut id, quod assignatur vt genus, suscipit magis, & minus, sic id quod assignatur vt species; ergo bene fuit assignatum genus: ex. gr. non valet: sicut virtus suscipit magis, & minus, sic iniustitia suscipit magis, & minus; ergo virtus est genus iniustitiæ. At vero locus septuagesimus secundus est vtilis etiam ad construendum. Valet enim; magis, vel similiter hoc videtur genus, quam illud; sed id, quod minus, vel similiter videtur genus, verè est genus; ergo etiam aliud est genus. Ex.gr. valet: magis, vel similiter potestas videtur genus continentiæ, quam virtus; sed virtus est genus continentiæ; ergo etiam potestas. Rursus valet: minus videtur esse sub genere virtutis continentia, quam constantia;

sed continentia est sub genere virtutis; ergo etiam constantia.

10 *Amplius ad construendum perspiciendum si de quibus assignatum est genus, in eo quod quid est prædicatur, cùm non sit vna assignata species. sed plures, & differentes: nam manifestum quoniam erit genus. Si autem in assignato species est, considerandum & si de alijs speciebus genus in eo quod quid est prædicatur: nam, rursus accidet de pluribus, & differentibus idem prædicari. Quoniam autem videtur in quibusdam & differentia in eo quod quid est de speciebus prædicari, separandum est genus, & differentia vtenti ijs, quæ dicentur, elementis. Primum quidem, quoniam genus de pluribus dicitur, quàm differentia. Deinde, quoniam secundum eius (quod quid est) assignationem, magis conuenit genus, quam differentiam dicere. Nam, qui animal dicit hominem, magis indicat quid est homo, quàm qui gressibile. Et quoniam differentia quidem qualitatem generis semper significat, genus autem, differentia non. Nam qui dicit gressibile, quiddam animal dicit: qui vero animal dicit, nòn dicit quale quiddam gressibile: differentia igitur à genere sit separanda.*

11 *Quoniam autem videtur musicum, qua musicum est, sciens esse: & musica scientia quædam est: & si ambulans eo quòd ambulat mouetur, ambulatio motus quidam est: considerandum in quo genere vult quippiam construere secundum dictum modum. Vt si scientiam ipsum quod est fidem: si sciens quatenus scit, fidit: manifestum enim quoniam scientia fides quædam erit. Eodem autem modo, & in alijs huiusmodi.*

12 *Amplius quoniam quod sequitur aliquid semper, & non conuertitur, difficile est separare, quòd non sit genus, si hoc quidem illud sequitur omne, illud vero hoc non omne. Vt tranquillitatem quies, & numerum diuisibile, è conuerso autem non: nam diuisibile non omne, numerus, neque quies omnis, tranquillitas: ipso quidem est vtendum vt genere, quod est semper consequens, cùm non conuertatur alterum: cùm autem alterum se extendit non in omnibus, obsequendum. Instantia autem huius: quoniam non ens sequitur omne, quod fit (nam quod fit, non est) non conuertitur (non enim omne quod non est fit) attamen non est genus non ens eius, quod sit: simpliciter enim non sunt non entis species. De genere igitur quemadmodum dictum est, transeundum.*

10 Septuagesimus tertius locus ad probandum, quod aliquid sit genus, est: si constat id prædicari de pluribus specie differentibus, examinandum, an prædicetur *in quid*; si enim prædicatur *in quid*, est genus, cum illi conueniat tota definitio generis. Si verò constat illud prædicari *in quid* de vna specie, examinandum, an etiam prædicetur *in quid* de alijs specie differentibus; si enim prædicatur, erit genus. Verumtamen, quia aliqui censent etiam differentiam prædicari *in quid* de speciebus, addit Aristoteles aliquos locos ad distinguendum genus à differentia. Primus locus est: genus de pluribus prædicatur, quam differentia. Secundus est: genus magis prædicatur *in quid*, quam differentia: ex. gr. melius respondetur interroganti *quid est homo?* dicendo, quod homo est animal, quam dicendo, quod homo est rationalis. Tertius est: differentia qualificat genus, & significat qualitatem generis, non è conuerso: ex. gr. differentia *gressibilis* significat *quale quid* sit animal; animal non significat *quale quid* sit gressibile.

11 Septuagesimus quartus locus ex coniugatis est: videtur, quod si musicus, quatenus musicus est sciens, musica sit sciētia; si ambulans, quatenus ambulans mouetur ambulatio sit motus. Hinc habetur locus probabilis ad construendum problema de genere. Ex. gr. sic possumus probare, quod genus scientiæ sit fides: sciens vt sciens fidit; ergo scientia est fides, ac fides est genus scientiæ.

12 Septuagesimus quintus locus est: quia quod sequitur ad aliquid, & non è conuerso, vel est genus, vel difficile distinguitur à genere, cum duo ita se habent, vnum eorum potest sumi vt genus, alterum vt species, non determinando vtrum verè, & rigorosè sit genus, an non. Ex. gr. quia omnis tranquillitas est quies, non omnis quies est tranquillitas, potest sumi quies vt genus tranquillitatis: quia omnis numerus est diuisibilis, non omne diuisibile est numerus, potest diuisibile sumi, vt genus numeri. Quod verò non semper id, quod hoc pacto se habet, sit genus, probat Aristoteles per instantiam: nam *non ens* sequitur omne, quod fit, siquidem quod fit non est:

est: at non è conuerso quod fit sequitur ad *non ens*. multa enim, quæ sunt non entia, non fiunt; & tamen *non ens* non est genus eius, quod fit, quia *non ens* non habet species proprias. Et per hæc Aristoteles concludit hunc quartum librum de locis generis.

ARISTOTELIS TOPICORVM.

LIBER QVINTVS.

Quot modis dicatur proprium, & quæ problemata circa proprium sint maximè Logica. Caput Primum.

1 *VTRVM autem proprium, an non proprium est quod dictum est, per hæc considerandum.*

2 *Assignatur autem proprium aut per se, & semper, aut ad aliud, aut aliquando. Per se quidem, vt hominis, animal mansuetum natura: ad aliud autem, vt animæ ad corpus, quoniam illa quidem imperare nata, hoc autem parere: semper autem, vt Dei, animal immortale: aliquando vero, vt alicuius hominis ambulare in gymnasio.*

3 *Sunt autem proprij, quod ad alterum assignatum est, aut duo problemata aut quatuor. Nam si de hoc quidem assignatum quippiam fuerit, de illo vero negatum idipsum, duo dumtaxat problemata fiunt. Quemadmodum hominis ad equum propriū est, quod bipes est: nam & quod homo non bipes est, argumentabitur quispiam, & quòd equus bipes: vtrinque autem remouetur proprium. Si autem de vtroque vtrunque assignatum fuerit, & de vtroque negatum, quatuor problemata erunt. Vt hominis proprium ad equum, quòd ille quidem bipes, hic autem quadrupes est. Nam & quòd homo non bipes est, e. quòd esse quadrupes natus est, argumentari est: et quòd equus bipes, et quòd non quadrupes, possibile est argumentari: quolibet igitur modo ostenso, interimitur quod propositum est.*

1 POSTQVAM Aristoteles lib. 2. 3. & 4. egit de locis accidentis, & generis, lib. 5. agit de locis proprij. Antequam autem proponat locos, primo describit plures modos, quibus dicitur proprium: secundo exponit, quæ species proprij sint maximè logicæ, ac de quibus agendum sit hoc loco.

2 Quoad primum: proprium assignatur quatuor modis. Primo assignatur proprium *per se*; secundo proprium ad aliud, seu respectu alicuius; tertio proprium semper; quarto proprium aliquando. Exemplis res illustrabitur. Cum dicitur, quod homo est animal mansuetum natura, assignatur aliquid, quod est per se proprium hominis. Cum dicitur, quod proprium est animæ imperare corpori, assignatur aliquid, quod non est per se proprium animæ, sed comparatiuè ad corpus. Cum dicitur, quod proprium est Dei, vt sit immortalis, assignatur aliquid, quod proprium est semper: Deus enim semper est immortalis. Cum dicitur proprium esse Socratis ambulare in gymnasio, quia solus Socrates ambulat in gymnasio, assignatur aliquid, quod est proprium Socratis, non semper, sed aliquando.

3 Quando assignantur alia propria, videtur constitui vnicum problema: at cum assignantur propria comparatiuè ad aliud, vel constituuntur duo problemata, vel quatuor.

tuor. Quando id, quod de vno affirmatur, de altero negatur, constituuntur duo solum problemata. Ex. gr. cum dicitur proprium esse hominis respectu equi, quod homo est bipes, equus non est bipes, constituuntur duo problemata; alterum affirmatiuum, per quod ponitur hominem esse bipedem; alterum negatiuum, per quod ponitur equum non esse bipedem; ideoque possumus talem assignationem proprij dupliciter destruere, hoc est vel ostendendo, quod homo non est bipes, vel ostendendo, quod etiam equus est bipes. Quando non solum id, quod de vno affirmatur, negatur de altero, sed de illo altero affirmatur aliquid, quod negatur de primo, constituuntur quatuor problemata. Ex. gr. cum dicitur proprium esse hominis respectu equi, quod homo est bipes, equus est quadrupes, constituuntur quatuor problemata. Primum est, quod homo est bipes: secundum, quod homo non est quadrupes: tertium, quod equus est quadrupes: quartum, quod equus non est bipes, ideoque possumus talem assignationem proprij quatuor modis destruere; primo ostendendo, quod homo non est bipes; secundo probando, quod homo est quadrupes; tertio ostendendo, quod equus est bipes; quarto ostendendo, quod equus non est quadrupes.

4 *Est autem per se quidem proprium, quod ad omnia assignatur, et ab omni separat: quemadmodum hominis animal mortale disciplinæ susceptiuum.*

5 *Ad aliquod autem, quod non ab omni, sed ab aliquo statuto determinat: vt virtutis ad disciplinam, quoniam illa quidem in pluribus, hæc in rationali solo, et in habentibus rationem nata est fieri.*

6 *Semper autem, quod secundum omne tempus verificatur, et nunquam relinquitur: quemadmodum animalis ex anima, et corpore compositum esse.*

7 *Aliquando vero, quod secundum aliquod tempus verificatur, et non ex necessitate semper consequitur: vt alicuius hominis, ambulare in foro.*

8 *Est autem ad alterum proprium assignare, differentiam dicere, aut in omnibus, et semper, aut vt multum, et in plurimis. Et in omnibus quidem, et semper, quemadmodum hominis proprium ad equum quoniam bipes: nam homo quidem et omnis, et semper est bipes: equus autem nullus est bipes, et nunquam. Vt multum autem, et in plurimis, quemadmodum rationalis proprium principare ad concupiscibile, et irascibile, eo quòd illud quidem imperat, hæc autem parent. Nam neque rationale semper imperat, sed quandoque illi imperatur: neque concupiscibili, et irascibili semper imperatur, sed imperant quandoque, cùm fuerit hominis anima flagitiosa.*

4 Proprium *per se* est, quod ab omnibus alijs distinguit, ac separat id, cuius est proprium, eo quod illi soli conueniat. Ex. gr. *esse animal mortale disciplinæ susceptiuum* per se proprium est hominis, quia solus homo est animal mortale, disciplinæ susceptiuum, ideoque homo per hoc distinguitur ab omnibus alijs.

5 Proprium *ad aliud*, seu respectu alterius est, quod non conuenit soli, ideoque non distinguit ab omnibus alijs, sed solum ab aliquo determinato. Ex. gr. dum dicitur, quod proprium est virtutis respectu disciplinæ, quod virtus potest esse in pluribus, disciplina in solis rationalibus, assignantur propria, per quæ virtus, & disciplina distinguuntur solum ad inuicem, non ab alijs. Nam neque hoc, quod est, *esse commune pluribus*, conuenit soli virtuti; neque hoc, quod est, *esse in solis rationalibus*, conuenit soli disciplinæ.

6 Proprium semper est, quod omni tempore verificatur de re. Ex. gr. hoc, quod est *constare ex anima, & corpore*, semper proprium est hominis, quia omni tempore homo constat ex anima, & corpore.

7 Proprium aliquando est, quod non omni tempore verificatur de re, neque ex necessitate sequitur ad rem: ex. gr. *ambulare in foro* proprium est hominis aliquando, quia non omni tempore homo ambulat in foro, neque ad hominem sequitur ex necessitate hoc, quod est, *ambulare in foro*.

8 Proprium ad aliquid duplex est: nam quoddam conuenit omni, & semper: quoddam conuenit plurimis, & plerunque. Ex. gr. cum dicitur proprium hominis respectu equi esse, quod homo est bipes, assignatur aliquid, quod conuenit omni homini, ac ipsum discriminat semper ab equo: nam omnis homo semper ex sua natura est bipes; nullus equus, & nunquam ex sua natura est bipes. At cum dicitur, rationis respectu concupiscibilis, & irascibilis propriũ esse, quod ratio imperat, concupiscibilis,

atque

atque irascibilis paret, assignatur aliquid, quod conuenit solum plerunque, & plurimis. Nam non semper ratio imperat, nec semper concupiscibilis, & irascibilis paret: in flagitiosis enim aliquando concupiscibilis, & irascibilis imperat, ratio paret.

9 *Propriorum autem ea maxime logica sunt, quæ per se, et semper, et quæ ad aliud. Nam eius, quod ad aliud est proprium, plura problemata sunt, quemadmodum diximus et prius. Nam aut duo, aut quatuor ex necessitate fiunt problemata: plures autem orationes fiunt ad hæc. Quod autem per se est, & semper, ad multa est argumentari, & ad plura tempora obseruare. Quod per se quidem ad multa: nam ad vnumquodque eorum, quæ sunt, vtpote cui oportet inesse proprium: quare si non ab omni separat, non erit bene assignatum proprium. Quod autem semper, ad plura tempora est obseruare, & siue non inest, siue non infuerit, siue non inerit, non erit proprium. Quòd vero aliquando, ad illud (quod nunc dicitur) tempus, consideramus: non igitur sunt rationes ad ipsum plures. Logicum autem est problema, ad quod rationes fiunt & crebræ quidem, & bonæ.*

10 *Ad aliud igitur proprium dictum, ex ijs, quæ sunt de accidente locis inspiciendum, si huic quidem accidit, illi vero non. De ijs autem, quæ semper, et quæ per se, per hæc considerandum.*

9 Quoad secundum: explicatis generibus proprij, explicat Aristoteles circà quæ propria versentur præcipuè problemata logica, seu dialectica, ac de quibus hoc loco est agendum. Problema logicum, seu dialecticum est, circa quod suppetunt plures rationes, & bonæ, ita vt sit bene disputabile; sed multæ rationes suppetunt circà propria *per se*, & semper, & circà propria respectu alterius; ergo propria maximè dialectica sunt propria *per se*, & semper, & propria respectu alterius. Probatur minor, & primo, quod circà propria respectu alterius dentur multæ rationes, probatur, quia cum proprium ad aliud contineat duo, vel quatuor problemata, quodcunque impugnetur, euertitur; ergo circa illud suppetunt plures rationes, & plures viæ disputandi. Quod circà proprium *per se*, & semper suppetant plures rationes, probatur: nam proprium per se debet conuenire omni, & soli, ac debet discriminare ab omnibus; ergo potest discurri per multa subiecta, quibus debet conuenire, & per multa, quibus debet non conuenire, ostendendo, quod vel non omnibus his conuenit, vel non ab omnibus his discriminat. Similiter ad euertendum proprium de *semper*, potest discurri per omnia tempora: si enim aliquo tempore non conueniat, non erit proprium. E conuerso circà proprium aliquando, cum debeat solum conuenire certo tempore, non multæ suppetunt rationes.

10 Verum de proprio ad aliud actum est libro 2, cum ageremus de accidente. Proprium enim ad aliud est accidens, quod alicui inest, alicui non inest; sed ibi traditi sunt loci ad probandum, quod inest, vel non inest; ergo traditi sunt loci de proprio ad aliud. Superest igitur, vt agamus de proprio per se, & semper: hoc autem coincidit cum proprio quarto modo, quod nimirum conuenit omni, soli, & semper.

De locis spectantibus ad problema, vtrum proprium sit bene assignatum? Caput II. Articulus Primus.

1 *PRimum quidem an non bene assignatum est proprium, an bene.* 2 ** Eius autem, quod est non bene, aut bene, est vnũ quidem, si non per notiora, aut per notiora positum est proprium: destruenti quidem, si non per notiora: at construenti, si per notiora. Eius autem, quod non per notiora est, hoc quidem si omnino ignotius positum est proprium, quod assignauit, illo cuius proprium dixit. Non enim erit bene positum proprium. Nam propter notitiam proprium facimus: discendi enim causa, & proprium, & definitiones facimus: per notiora igitur accipiendum: sic enim magis erit sufficienter cognoscere. Vt puta qui ponit ignis proprium esse simillimum animæ, ignotiore, quàm ignis vtitur anima: magis enim scimus quid est ignis, quàm quid anima: non igitur erit bene positum proprium ignis, simillimum animæ. Aliud autem, si non notius est hoc huic inesse. Oportet enim non solum notius esse re, sed & huic inesse, notius esse. Nam qui non scit si huic inest, neque si illi soli notius inest cognoscit: quare cum*

cum quoduis horum acciderit, obscurum sit proprium. Vt quia qui ponit ignis proprium, in quo primo anima nata est esse, ignotiore vtitur, quàm sit ignis, eo quòd ignotius est, si in hoc est anima, & si in hoc primo est: non erit itaque bene positum proprium ignis, in quo primo anima nata est esse.

3 *Construenti autem, si per notiora positum est proprium, et si per notiora secundum vtrunque modum. Erit enim bene secundum hoc positum proprium. Nam constructiuorum locorum eius, quod bene, alij quidem secundum hoc solum, alij autem simpliciter monstrabunt, quod bene. Vt quia qui dixit animalis proprium sensum habere, per notiora, et notius, assignauit proprium secundum vtrunque modum: quare erit bene assignatum secundum hoc animalis propriũ, sensum habere.*

1 Dupliciter potest proponi problema de proprio: primo quærendo, an proprium sit bene assignatũ; secundo quærendo, an id, quod assignatum est, verè sit proprium rei, ac conuertibile cum re. Primo igitur Aristoteles proponit loca pro problemate, an proprium sit bene assignatum? Præmittit, quod vt proprium, ac definitio bene assignentur, debent esse notiora re. Ratio est, quia assignatio proprij, ac definitionis ordinantur ad rem manifestandam; non possunt autem manifestare, nisi sint notiora re.

2 Primus igitur locus est: considerandum est, an proprium assignetur per notiora: si enim non est per notiora, destruitur problema; si per notiora quodammodo construitur. Dupliciter autem potest proprium non assignari per notiora: primo, si quod assignatur sit ignotius; secundo si quod assignatur sit quidem notius, sed non sit notius, quod inest: ex. gr. qui diceret, proprium ignis esse, vt sit simillimũ animæ, non benè assignat proprium, quia ignotior est anima, quam ignis; ergo explicat notius per ignotius. Qui verò diceret proprium ignis, seu caloris natiui esse, vt in eo primo sit anima, non bene assignat proprium, quia hoc ipsum, quod primo in igne sit anima, est ignotius, quam ignis.

3 Potest ex hoc loco etiam construi problema de proprio, non quidem simpliciter, sed *secundum quid*. Construitur autem simpliciter problema, cum simpliciter probatur hoc esse proprium rei, & bene assignari, eo quod habeat omnes conditiones proprij: at construitur *secundum quid*, quando probatur proprium bene fuisse assignatum quoad hoc, quia habet has conditiones. Ad construendum igitur *secundum quid* problema proprij, debet ostendi illud esse notius secundum vtrumque modum, eo quod & est notius, & est notius, quod inest. Ex. gr. proposito problemate, quod animalis proprium est *habere sensum*, potest hoc problema probari ex eo, quia hoc, quod est *sensum habere*, est vtroque modo notius animali: nam & notius est sensum habere, quam *animal*; & notius est, quod animali conuenit *habere sensum*.

4 *Deinde destruenti quidem, si quod nominum, quæ in proprio sunt assignata, multipliciter dicitur, vel etiam tota oratio plura significat: non enim erit bene positum proprium. Vt quoniam sentire multa significat, vnum quidem sensum habere, alterum autem sensu vti, non erit animalis proprium bene positum, quod natum est sentire. Quapropter non vtendum est, neque nomine, quod multipliciter dicitur, neque oratione, quæ plura significet: quia quod multipliciter dicitur, obscurum facit quod dictum est, dubitante eo, qui debet argumentari, quodnam dicit eorum, quæ multipliciter dicuntur: nam proprium discendi gratia assignatur. Amplius autem ad hoc necessarium est redargutionem aliquam fieri, cùm sic assignant proprium, quando in diffidente quispiam conficiet syllogismum de eo, quod multipliciter dicitur. Construenti autem, si non plura significat, neque nominum quippiam, neque tota oratio: erit enim secundum hoc bene positum proprium. Vt quia neque corpus plura significat, neque mobilissimum in superiorem locum, neque totum quod ex his compositum est, erit bene positum secundum hoc ignis proprium corpus mobilissimum in superiorem locum.*

4 Secundus locus est: proprium sicut & definitio non debet assignari per nomina, quæ dicantur multipliciter, neque per orationem ambiguam, & quæ possit plura significare. Ratio est, quia proprium debet rem declarare; sed nomen, vel oratio plura significans obscurant rem, cum disputans reddatur ambiguus de sensu, in quo nomen, vel oratio sumitur; ergo &c. Ex hoc loco possumus problema de proprio de-

destruere simpliciter, & construere secundum quid. Ex. gr. si quis dicat proprium animalis esse sentire, possumus hoc problema destruere, quia sentire dicitur multipliciter: significat enim sensum habere, & sensu vti; sed proprium non debet assignari per nomina, quæ dicantur multipliciter; ergo &c. Minor & iam probata est, & etiam confirmatur, quia proprium debet ita assignari, vt assignans non possit facile redargui; sed qui assignat proprium per nomina multiplicia, vel per orationem ambiguam, potest facile redargui saltem apparenter, si aduersarius probet, quod in vno sensu malè est assignatum; ergo &c. Ex eodem loco potest problema proprij construi secundum quid, ostendendo, quod neque est assignatum per nomina multiplicia, neque per orationem ambiguam, adeoque quod saltem ex hac parte bene est assignatum. Ex. gr. si quis ponat hoc problema, quod ignis est mobilissimum corporum in locum superiorem, potest ipsum sic cōstruere: hoc proprium neque assignatur per nomina multiplicia, neque per orationem ambiguam; ergo &c. Probatur antecedens: nam neque nomen corpus, neque nomen mobilissimi in superiorem locum dicuntur multipliciter, neque hæc tota oratio *corpus mobilissimum in superiorem locum est* ambigua; ergo &c.

5 *Deinde destruenti quidem, si multipliciter dicitur illud cuius proprium assignatur, non determinatur autem, cuius eorum ponatur proprium: non enim bene erit assignatum proprium. Ob quas autem causas non immanifestum est ex ijs, quæ prius dicta sunt. Nam eadem accidere necessarium est. Vt quia scire hoc plura significat: vnum enim scientiam habere hoc, alterum autem scientia vti hoc, aliud vero scientiam esse huius, aliud autem scientia vti huius: non erit eius, quod est scire hoc, bene assignatum proprium nullum, non determinato, cuius horum ponitur proprium. Construenti vero, si non dicitur multipliciter hoc, cuius proprium ponitur, sed est vnum, & simplex: erit enim bene positum secundum hoc proprium. Vt quia homo simpliciter dicitur erit bene positum secundum hoc hominis proprium, animal mansuetum natura.*

5 Tertius locus est: si subiectum, cui assignatur proprium, dicatur multipliciter, debet explicari, in qua significatione sumatur: ex proportionalibus enim rationibus, ex quibus dictum est, quod proprium non debet assignari per nomina multiplicia, etiam subiectum proprij non debet assignari per nomina multiplicia. Ex hoc loco potest destrui problema simpliciter, & construi secundum quid. Ex. gr. quia *scire hoc* dicitur multipliciter: primo enim significat hoc subiectum habere scientiam: secundo significat hoc subiectum vti scientia, ac scire in actu secundo: tertio significat habere scientiam huius: quarto significat vti scientia huius obiecti: ideo si quis assignet aliquid vt proprium huius, quod est scire hoc, non explicans, in quo sensu id sumatur, poterit ex hoc loco refelli. At si quis dicat proprium hominis esse, vt sit animal mansuetum natura, poterit hoc problema construi secundum quid, quia homo, qui est subiectum huius problematis, non dicitur multipliciter; ergo quoad hoc bene est assignatum proprium hominis.

6 *Deinde destruenti quidem, si frequenter dictum est idem in proprio (sæpe enim latent hoc facientes, & in proprijs, quemadmodum, & in terminis) non erit bene positum, quod hoc sustinet, proprium. Conturbat enim audientem, quod frequenter dicitur: obscurum igitur necessarium est fieri, & præter id nugari videntur. Eueniet autem frequenter idem dicere duobus modis: vno quidem, quando nominauerit frequenter idem, vt si quis proprium assignet ignis, corpus tenuissimum corporū: hic enim frequenter dixit corpus. Secundo autem, si quis assumat orationes pro nominibus: vt si quis reddat terræ proprium, substantiam, quæ maxime corporum secundum naturam fertur in inferiorem locum: deinde assumat pro corporibus, huiusmodi substantias: vnū enim, & idem est corpus, & huiusmodi substantia: erit ergo hoc modo substantia frequenter dicta: quare neutrum erit bene positum proprium. Construenti vero, si nullo vtitur frequenter nomine eodem. Erit enim secundum hoc bene assignatum proprium. Vt quia qui dixit hominis proprium, animal disciplinæ susceptiuum, non vsus est frequenter eodem nomine, erit vtique secundum hoc bene assignatum hominis proprium.*

6 Quartus locus est: in assignatione proprij, ac definitionis non debet sæpius repeti idem nomen: nam talis repetitio perturbat

turbat audientem, reddit orationem obscuram, & videtur quædam nugatio. Dupliciter autem potest fieri hæc repetitio. Primo formaliter, si sæpius ponatur idem nomen, vt si quis dicat proprium ignis esse, vt sit corpus tenuissimum corporum: secundo virtualiter, si ponatur nomen, in cuius definitione repetatur aliud nomen, vt si quis dicat proprium terræ esse, vt sit substantia, quæ maximè corporum ex sua natura feratur in locum inferiorem. Cum enim corpus definiatur *substantia materialis*, si loco corporis ponatur definitio ipsius, dicetur proprium terræ esse, vt sit substantia, quæ maximè inter substantias materiales feratur in locum inferiorem, adeoque repetetur nomen substantiæ. Ex hoc igitur loco poterit destrui problema proprij, vt patet in exemplo posito. Ex eodem loco poterit secundum quid construi problema proprij, ostendendo, quod neque formaliter, neque virtualiter facta est repetitio vllius nominis. Ex. gr. problema ponens, quod homo est animal disciplinæ susceptiuum, potest sic construi: in hac assignatione proprij nulla facta est nominum repetitio; ergo quoad hoc proprium bene fuit assignatum.

7 *Deinde destruenti quidem, si tale aliquid assignauit in proprio nomen, quod omnibus insit. Inutile enim erit, quod non separat ab aliquo: quod autem in proprijs dicitur, separare oportet, quemadmodum & quæ in terminis: non igitur erit bene positum proprium. Vt quia qui posuit scientiæ proprium opinionem indissuasibilem à ratione, vnum existens, tali aliquo vsus est proprio (vno inquam) quod omnibus inest: non erit vtique bene positum scientiæ proprium. Astruenti autem, si nullo vsus est communi, sed quod ab aliquo separat, erit bene positum secundum hoc proprium. Vt quia qui dixit animalis proprium animam habere, nullo vsus est communi, erit secundum hoc bene positum proprium animalis, animam habere.*

8 *Deinde destruenti quidem, si plura propria assignat eiusdem, non determinans, quòd plura ponit: non enim erit bene positum proprium. Nam quemadmodum nec in terminis oportet præter eam quæ indicat substantiam orationem, adiungere quicquam aliud, sic nec in proprijs præter eam, quæ facit proprium, quod dictum est, orationem, quicquam coassignandum: inutile enim fit eiusmodi. Vt quia qui dixit proprium ignis, tenuissimum, & leuissimum, plura assignauit propria (vtrunque enim de solo igne verum est dicere) non erit bene positum proprium ignis, corpus subtilissimum, & leuissimum. Astruenti verò, si non plura eiusdem propria assignauit, sed vnum: erit enim secundum hoc bene positum proprium. Vt quia qui dixit humidi proprium, corpus, quod in omnem figuram diducitur, vnum assignauit proprium, & non plura, erit secundum hoc bene positum humidi proprium.*

7 Quintus locus est: assignando proprium nihil debet addi ex transcendentibus. Ratio est, quia proprium, sicut & definitio, assignatur ad hoc, vt per ipsa res distinguatur ab alijs rebus; sed per transcendentia res non distinguitur ab alijs rebus, sed conuenit cum omnibus; ergo assignando proprium nihil debet poni transcendens. Ex hoc loco posset destrui problema, quo quis poneret, proprium scientiæ esse, vt cum sit vna, rationibus contrarijs dimoueri non possit. Cum enim prædicatum *vnius* sit transcendens, & commune omnibus rebus, frustrà additur assignando proprium scientiæ, cum per illud scientia non differat ab vlla re. Ex eodem loco potest secundum quid construi problema proprij. Ex. gr. si quis ponat animalis proprium esse habere animam sensitiuam, potest probari quoad hoc bene assignatum proprium, quia nihil est positum transcendens, & quod de omnibus dicatur.

8 Sextus locus est: assignando proprium, vnum tantum est assignandum, & non plura, nisi explicetur, quod sunt plura propria. Sicut enim in definitione nihil debet addi ad ea, quæ satis explicant *quid sit res*, sic in assignatione proprij, nihil debet addi ad ea, quæ sufficiunt ad rem distinguendam à qualibet alia re; talis enim additio esset inutilis. Ex hoc loco posset destrui problema ponens proprium ignis esse, vt sit corpus subtilissimum, & leuissimum. Alterutrum enim sufficit ad ignem distinguendum ab omni alia re; ergo frustra assignantur duo propria. Ex eodem loco potest *secundum quid* construi problema. Ex. gr. si quis dicat proprium humidi esse, vt sit corpus ductile in omnem figuram, possimus sic probare proprium fuisse bene assignatũ:

fuit

fuit assignatum vnicum proprium, & non plura; ergo quoad hoc proprium bene fuit assignatum.

9 *Deinde destruenti quidem, si eodem vsus est, cuius proprium assignauit, aut eorum, quæ sunt illius aliquo: non enim erit bene positum proprium. Nam discendi gratia assignatur proprium: idem autem eidem similiter ignotum est: id autem, quod aliquid eorum est, quæ sunt eius, posterius: non igitur est notius: quare non fit, vt per hoc quisquam magis quippiam discat. Vt quia qui dixit animalis proprium, substantiam, cuius species est homo, aliquo vsus est eorum, quæ sunt animalis, non erit bene positum proprium. Construenti autem, si neque eodem, neque eorum, quæ sunt ipsius, aliquo vtitur: erit enim bene secundum hoc positum proprium. Vt quia qui posuit animalis proprium ex anima, & corpore compositum esse, neque eorum, quæ sunt ipsius aliquo vsus est, erit vtique bene secundum hoc assignatum animalis proprium. Eodem autem modo & in alijs considerandum est, quæ nam non faciunt, aut faciunt notius.*

10 *Destruenti quidem si aliquo vsus est, aut opposito, aut omnino simul natura, aut posteriore aliquo: non enim erit bene positum proprium. Nam oppositum simul natura, quod autem simul natura, & posterius, non efficit notius. Vt quia qui dixit boni proprium, quod malo maxime opponitur, opposito est vsus boni, non erit profecto bene assignatum boni proprium. Construenti autem, si nullo vsus est, neque opposito, neque omnino simul natura, neque posteriore: erit enim secundum hoc bene assignatum proprium. Vt quia qui posuit disciplinæ proprium, opinionem maxime facientem fidem, nullo vsus est, neque opposito, neque omnino simul natura, neque posteriore, erit secundum hoc bene positum disciplinæ proprium.*

9 Septimus locus est: assignando proprium, non debet poni ipsum subiectum, cuius proprium assignatur, neque aliquid, quod includat subiectum in suo conceptu, & definitione. Ratio est, quia proprium assignatur ad declarandum subiectum, ideoque debet esse notius subiecto; sed idem non potest esse notius se ipso; ergo in assignatione proprij non debet exprimi subiectum; & ex eadem ratione non debet exprimi aliquid, quod in suo conceptu includat subiectum, quia quod in suo conceptu includit subiectum, non potest esse notius subiecto, adeoque nec potest esse aptum ad declarandum subiectum. Ex hoc loco potest destrui problema ponens proprium animalis esse, vt sit substantia, cuius species est homo: homo enim includit animal in suo conceptu, & definitione, adeoque non est quid notius animali. Ex eodem loco potest construi problema secundum quid. Ex. gr. qui ponit proprium animalis esse *constare ex corpore, & anima*, neque exprimit animal, neque aliquid, quod ita sit animal, vt includat animal in suo conceptu, & definitione; ergo quoad hoc bene assignauit proprium.

10 Octauus locus est: vniuersim proprium debet esse notius subiecto, quia debet id notificare. Et quia quod est simul natura cum subiecto, vel est posterius subiecto, non est notius subiecto, ideo proprium non debet esse simul natura, neque posterius eo, cuius est proprium; sed oppositum est simul natura cum subiecto; ergo oppositum non bene assignatur vt proprium. Ex hoc loco potest destrui problema ponens proprium boni esse, vt maximè opponatur malo; nam vtitur malo, quod non est notius bono. Ex eodem loco potest construi problema secundum quid. Ex. gr. quia asserens proprium scientiæ esse, vt sit opinio maximè fidem faciens, non vtitur vllo opposito, neque simul natura, neque posteriore, quoad hoc bene assignauit proprium.

11 *Deinde destruenti quidem, si non quod semper sequitur proprium assignauit, sed id, quod fit quandoque non proprium: non enim erit bene pronunciatum proprium. Nam neque in quo deprehendimus inesse ipsum, de hoc & nomen ex necessitate verificatur, neque in quo deprehenditur non inesse, de hoc ex necessitate non dicetur nomen: quare non erit bene positum proprium. Amplius autem ad hæc neque quando quisquam assignauerit proprium, erit manifestum si inest, siquidem tale est, vt quod ipsum relinquere possit: non igitur erit clarum esse proprium. Vt quia qui posuit animalis proprium moueri quandoque, vel stare, tale assignauerit proprium, quod fit quandoque non proprium, nequaquam erit bene posi-*

positum proprium.

Astruenti vero, si quod ex necessitate semper est proprium assignauerit: erit enim bene positum secundum hoc proprium. Vt quia qui posuit virtutis proprium, quod habentem facit studiosum, quod semper sequitur, proprium assignauit, erit vtique secundum hoc bene assignatum virtutis proprium.

11 Nonus locus est: proprium debet semper sequi subiectum, cuius est proprium, ac semper de illo dici, non autem debet esse tale, vt aliquando dicatur de subiecto, aliquando non dicatur. Ratio est primo, quia proprium debet esse tale, vt cum prædicatur de aliquo, debeat illi conuenire nomen rei, cuius est proprium, & cum non prædicatur, debeat nomen non conuenire; sed si aliquando conuenit rei, aliquando non conuenit, prædicabitur de re, cui non conuenit nomen illius, cuius est proprium, siquidem & de alijs dicetur; & non prædicabitur de re, & tamen illi conueniet nomen, siquidem potest rei non conuenire; ergo id, quod aliquando conuenit, aliquando non conuenit, non est proprium, sed est accidens commune. Secunda ratio est, quia de proprio debet esse manifestum, quod inest rei; sed si aliquando inest, aliquando non inest, non est manifestum, quod inest, cum possit non inesse; ergo non erit manifestum, quod sit proprium. Ex hoc loco posset destrui problema ponens proprium animalis esse aliquando moueri, vel stare: nam assignatur proprium, quod aliquando animali conuenit, aliquando non conuenit. Ex eodem loco potest construi *secundum quid* problema ponens proprium virtutis esse, vt faciat bonum habentem: nam in hoc problemate assignatur vt proprium virtutis aliquid, quod semper, & ex necessitate sequitur virtutem; ergo quoad hoc bene assignatur proprium.

12 *Deinde destruenti quidem, si quod nunc proprium est assignans, non determinauerit, quod non proprium assignat: non enim erit bene positum proprium. Primum quidem quia quod præter consuetudinem fit omne semper determinatione indiget: solent autem vt plurimum omnes, quod semper sequitur proprium assignare. Secundo autem, quia immanifestus est, qui non determinauerit, si quod nunc est proprium voluerit ponere: non igitur danda est obiurgationis occasio. Vt quia qui posuit alicuius hominis proprium sedere cum aliquo homine, quod nunc proprium est posuit, non bene proprium assignabit, si non determinans dixerit, quod nunc. Construenti autem, si nunc proprium assignans, determinando posuit quod nunc proprium posuerit: erit enim bene positum secundum hoc proprium. Vt quia qui dixit cuiusdam hominis proprium ambulare nunc, alicubi distinguens posuit hoc, bene erit positum proprium.*

13 *Deinde destruenti quidem, si tale assignauit proprium, quod manifestum non est aliter inesse, quam sensu, non enim erit bene positum proprium. Nam omne sensibile extra sensum factum, immanifestum est: latens enim est, si adhuc inest, eo quod sensu solum cognoscitur. Erit autem verum hoc in ijs, quæ non ex necessitate semper consequuntur. Vt quia qui posuit Solis proprium, astrum, quod fertur super terram lucidissimum, talis vsus est in proprio (super terram inquam ferri) quod sensu cognoscitur, non vtique erit bene Solis assignatum proprium. Immanifestum enim erit cum occidet Sol, si adhuc feratur super terram, eo quod nos tunc deserimus sensum. Construenti vero, si tale assignauit proprium, quod non sensu est manifestum: aut cum sit sensibile, ex necessitate inesse manifestum est: erit enim secundum hoc bene positum proprium. Vt quia qui posuit superficiei proprium, quod primum coloratum est, sensibili quidem aliquo vsus est (coloratum esse inquam) tali quidem, quod manifestum est inesse semper, erit secundum hoc bene assignatum superficiei proprium.*

12 Decimus locus est: cum assignatur aliquid, quod est proprium solum aliquando, debet id exprimi. Ratio est primo, quia communiter nomine proprij simpliciter dicti intelligimus, quod semper conuenit; ergo cum assignamus proprium præter communem consuetudinem, debemus determinare, quod assignamus proprium aliquando. Secundo cum non sit manifestum, quod solum assignauerit proprium *nunc*, assignans dabit aduersario ansam ipsum redarguendi, ac reprehendendi. Ex hoc loco potest destrui problema ponens proprium alicuius hominis esse *sedere cum alio homine*: cum enim non determinet, quod

quod proprium est pro *nunc*, malè assignat proprium. Ex eodem loco potest construi problema ponens *nunc* esse proprium alicuius hominis *ambulare in tali loco*. Cum enim explicauerit, quod est proprium pro *nunc*, quoad hoc bene assignauit proprium.

13 Vndecimus locus est: cum assignatur vt proprium aliquid, de quo sensu solum est manifestum, quod conueniat subiecto, debet sensu esse manifestum, quod semper conueniat subiecto; alioquin non est simpliciter manifestum, an semper conueniat. Ex hoc loco posset destrui problema ponens proprium solis esse, vt sit astrum lucidissimum, quod fertur super terram. Cum enim hoc, quod est, *solem ferri super terram*, supponatur sensu solum esse manifestum, per sensum autem non pateat, an post quam sol occidit, super terram feratur, non est manifestum, an sol semper feratur, adeoque an ferri sit proprium solis. Ex eodem loco potest *secundum quid* construi problema ex eo, quod proprium non sit sensu manifestum, sed aliunde, vel si manifestum est sensu, patet quod semper conueniat. Ex. gr. si quis ponat proprium superficiei esse, vt sit id, quod primo est coloratum, potest probari bene esse assignatum proprium, quia fuit assignatum sensibile, de quo sensu est manifestum, quod semper conueniat subiecto.

14 *Deinde destruenti quidem, si terminum vt proprium assignauit: non enim erit bene positum proprium: nam non oportet indicare, quod quid est esse, proprium. Vt quia qui dixit hominis proprium animal gressibile bipes, quod quid esse significans, assignauit hominis proprium, non vtique erit hoc hominis proprium bene assignatum. Construenti autem, si quod conuersim quidem prædicatur, assignauit proprium, non autem, quod quid est esse indicans: erit enim secundum hoc bene assignatum proprium. Vt quia qui posuit hominis proprium, animal mansuetum natura, quod conuersim quidem prædicatur, assignauit proprium, non quod quid est quidem indicans, erit secundum hoc bene assignatum proprium hominis.*

15 *Deinde destruenti quidem, si non quippiam in quid est ponens, assignauit proprium. Oportet enim in proprijs, quemadmodum in terminis, primum assignari genus, deinde sic iam addere reliqua, & separare: quare quod non hoc modo positum est proprium, non erit bene assignatum. Vt quia, qui dixit animalis proprium animam habere, non posuit quicquam, in quo vt in quid, est animal, non erit bene positum animalis proprium. Construenti vero, si quis quippiam, quod in quid est ponēs, eius, cuius proprium assignauit, reliqua adiungit: erit enim secundum hoc bene assignatum proprium. Vt quia qui posuit hominis proprium animal disciplinæ susceptibile, quippiam, quod in quid est ponens, assignauit proprium, erit secundum hoc bene positum proprium hominis. Vtrum igitur bene, an non bene assignetur proprium, per hæc inspiciendum.*

14 Duodecimus locus est: proprium distinguitur à definitione. Definitio enim explicat, quid sit res; proprium autem est extra essentiam rei. Ex hoc loco posset destrui problema ponens proprium hominis esse, vt *sit animal gressibile bipes*. Hoc enim (vt supponitur) est definitio hominis; ergo non est proprium hominis. Per eumdem locum potest construi problema ex eo, quod assignauerit aliquid, quod conuersim dicitur de re, & non explicat, quid res sit. Ex. gr. qui dicit, proprium hominis esse, vt sit animal mansuetum natura, explicat aliquid, quod conuersim dicitur de homine, & non explicat, quid sit homo; ergo quoad hoc bene assignauit proprium hominis.

15 Decimus tertius locus est: sicut in definitione debet vltrà differentiam poni genus, ita in assignatione proprij debet assignari genus rei, ac deinde addendum est proprium, per quod res distinguitur, ac separatur ab alijs rebus. Ex hoc loco potest redargui qui assignans proprium non exprimit genus. Ex. gr. si quis ponat, quod proprium animalis est, habere animam sensitiuam, non exprimit genus commune, quod de animali prædicetur in quid; ergo non bene assignauit proprium animalis. Ex eodem loco potest construi secundum quid problema ita assignans proprium, vt posito genere, addat alia, per quæ res distinguatur ab alijs rebus: nam quoad hoc bene assignauit proprium. Ex. gr. qui dicit proprium hominis esse, vt sit animal disciplinæ susceptiuum, assignauit genus de homine prædicabile *in quid* ac deinde addidit prædicata, per quæ homo differt à reliquis animalibus; ergo quoad hoc bene assigna-

assignauit proprium. Concludit Aristoteles per hæc loca esse examinandum, an proprium assignetur bene, vel non bene.

De locis spectantibus ad problema, in quo quæritur, vtrum id, quod assignatum est, verè sit proprium rei? Cap. II. Art. II.

16 *Vtrum vero proprium est omnino, quod dictum est, an non proprium, ex ijs considerandum. Nam simpliciter construentes proprium, quod bene positum est, loci ijdem erunt ijs, qui proprium omnino faciũt: in illis igitur dicentur.*

17 *Primum ergo destruenti quidem inspiciendum ad vnumquodque eorũ, cuius proprium assignauit: vt si nulli inest, aut si non de hoc quidem verificatur, aut si non est proprium cuiusque eorum secundum illud, cuius proprium assignauit: non enim erit proprium, quod positum est esse proprium. Vt quia de Geometra non verificatur indeceptibilem esse ab oratione (nam decipitur Geometer cùm pseudographiam facit) non erit hoc scientis proprium, non decipi ab oratione. Construenti autem, si de omni verificatur, & qua de hoc verificatur: erit enim proprium, quod positum est esse proprium. Vt quia animal disciplinæ susceptiuum de omni homine verificatur, & qua homo, erit hominis proprium animal disciplinæ susceptiuum. Est autem locus hic destruenti quidem, si non de quo nomen, & oratio verificatur, & si non de quo oratio, & nomen verificatur: construenti autem, si de quo nomen, & oratio, & si de quo oratio, & nomen prædicatur.*

16 Propositis locis, ex quibus potest ostendi proprium non esse bene assignatum, vel esse bene assignatum *secundum quid*, proponit Aristoteles locos, ex quibus probatur id, quod assignatur, verè esse proprium, vel non esse proprium. Et quia idem est ostendere aliquid verè esse tale, ac simpliciter esse tale, ideo Aristoteles aduertit, quod per eosdem locos probari potest proprium bene assignari non solum secundum quid, sed simpliciter.

17 Primus locus est: proprium debet dici de subiecto quatenus tali, ac de omni, quod continetur sub subiecto. Destruitur igitur proprium ostendendo, quod vel de nullo dicitur, vel de aliquo non dicitur, vel non dicitur de subiecto quatenus tali. Ex. gr. problema, quo quis ponat proprium scientis esse, non posse decipi falsa ratione, potest destrui, quia hoc non conuenit omni scienti: geometra enim est sciens, & tamen potest decipi falsa ratione, vt cum proponitur syllogismus pseudographus ex principijs geometricis male assumptis. Ad construendum vero problema debet ostendi, quod id, quod assignatur, conuenit omni subiecto in quantum est tale. Ex. gr. quia omnis homo in quantum homo est animal disciplinæ susceptiuum, esse animal disciplinæ susceptiuum est proprium hominis.

18 *Deinde destruenti quidem, si non de quo oratio, & nomen verificatur, & si non de quo nomen, & oratio verificatur: non enim erit proprium, quod positum est esse propriũ. Vt quia animal quidem disciplinæ susceptiuum verificatur de Deo, homo autem non prædicatur, non erit hominis proprium, animal disciplinæ susceptiuum. Construenti autem, si de quo oratio, & nomen prædicatur, & si de quo nomen, & oratio prædicatur: erit enim proprium, quod positum est esse proprium. Vt quia de quo animam habere verificatur animal, & de quo animal animam habere, erit animam habere animalis proprium.*

19 *Deinde destruenti quidem, si subiectum, proprium assignauit eius, quod in subiecto esse dicitur: non enim erit proprium, quod positum est esse proprium. Vt quia qui posuit proprium subtilissimi corporis, ignem, subiectum assignauit prædicati proprium, non erit ignis corporis subtilissimi propriũ. Propter hoc autem non erit subiectum eius, quod in subiecto esse dicitur, proprium, eò quòd idem esset plurium, & differentium specie proprium: nam eidem plura quædam discrepantia specie insunt, de solo dicta, quorum erit omnium proprium, quod subiectum est, si quis hunc in modum ponat proprium. Construenti vero, si quod in subiecto est assignauit proprium subiecti: erit enim proprium, quod positum est non esse proprium, siquidem de solo prædicatur (vt dictum est) proprium. Vt quia qui dixit terræ proprium corpus grauissimum specie, subie-*

subiecti assignauit proprium, quòd de sola dicitur re, & vt proprium prædicatur, erit terræ proprium rectè positum.

18 Secundus locus est: proprium debet dici ad conuertentiam de subiecto, ita vt de omni, de quo dicitur nomen subiecti, dicatur oratio significans proprium; ac de omni, de quo dicitur oratio significans proprium, dicatur nomen subiecti. Ex hoc loco potest destrui problema, ostendendo, quod de aliquo dicitur oratio significans proprium, de quo non dicitur nomen subiecti, vel de aliquo dicitur nomen subiecti, de quo non dicitur oratio significans proprium. Ex. gr. si quis dicat proprium hominis esse, vt sit animal disciplinæ susceptiuum, possumus arguere, quia etiam Angeli iuxta Platonicos sunt animalia disciplinæ susceptiua, & tamen de ijs non dicitur homo; ergo &c. Ex eodem loco potest construi problema, ostendendo, quod de omni de quo dicitur oratio significans proprium, dicitur nomen subiecti. Ex. gr. potest construi problema ponens, quod animalis proprium est habere animam sensitiuam, quia de omni, de quo dicitur animal, dicitur, quod habeat animam sensitiuam, & de omni, de quo dicitur, quod habeat animam sensitiuam dicitur animal; ergo &c.

19 Tertius locus est: subiectum non debet assignari vt proprium rei, quæ inest tali subiecto. Ex hoc loco posset destrui problema ponens, quod proprium subtilissimi corporis est esse ignem: nam ignis est subiectum, de quo prædicatur corpus subtilissimum; ergo ignis non est proprium corporis subtilissimi. Confirmatur, quia eidem subiecto possunt conuenire plura prædicata specie diuersa, eo pacto, quo igni conuenit esse subtilissimum, esse rarissimum, & esse calidissimum; ergo si subiectum esset proprium prædicatorum, quæ conueniunt subiecto, idem esset proprium plurium specie diuersorum, quod est inconueniens. Ex eodem loco potest construi problema proprij, ostendendo, quod assignatur vt proprium id, quod verè est in subiecto: hoc enim dummodo habeat alias conditiones verè est proprium, licet aduersarius neget id esse proprium. Ex. gr. quia dicendo, quod proprium terræ est, esse corpus rarissimum, assignamus proprium subiecti, in quo inest, & de quo solo prædicatur, & de quo prædicatur non vt definitio, sed vt proprium, rectè assignamus proprium.

20 *Deinde destruenti quidem, si secundum participationem assignauit proprium: non enim erit proprium, quod positum est esse proprium: nam quod secundum participationem inest, ad quod quid est esse conducit: erit autem huiusmodi differentia quædam de aliqua specie dicta. Vt quia qui dixit hominis proprium gressibile bipes, secundum participationem assignauit proprium, non erit vtique proprium hominis gressibile bipes. Construenti autem, si non secundum participationem assignauit proprium, nec quod quid est esse indicans, conuersim prædicata re: erit enim proprium, quod positum est esse proprium. Vt quia qui posuit animalis proprium, quod natum est sentire, neque secundum participationem assignauit proprium, neque quod quid esse indicans conuersim re prædicata, erit vtique, quod sentire natum est, animalis proprium.*

21 *Deinde destruenti quidem, si non contingit simul inesse proprium, sed vel posterius, vel prius, quam idipsum nomen: non enim erit proprium, quod positum est esse proprium, aut nunquam, aut non semper. Vt quoniam contingit alicui prius fore, & posterius ambulare per forum, quàm quòd homo, non erit ambulare per forum hominis proprium, aut nunquam, aut non semper. Construenti autem si simul ex necessitate semper inest, cùm neque terminus, neque differentia sit: erit enim proprium, quod positum est forsitan non esse proprium. Vt quia animal disciplinæ susceptiuum simul ex necessitate semper est, & id, quod est homo, cum neque differentia sit, nec terminus, erit animal disciplinæ susceptiuum hominis proprium.*

20 Quartus locus est: proprium non debet inesse subiecto secundum participationem, hoc est ita, vt ingrediatur definitionem subiecti; eo enim ipso esset differentia essentialis subiecti, adeoque non esset proprium. Ex hoc loco posset destrui problema ponens proprium hominis esse, vt sit animal gressibile bipes: gressibile enim bipes dicitur de homine secundum participationem, & ingreditur definitionem hominis; ergo non est proprium, sed est differentia essentialis hominis. Ex eodem loco potest construi problema proprij, osten-

 den-

dendo, quod id, quod assignatur non conuenit subiecto secundum participationem, neque explicat essentiam subiecti, ac conuersim dicitur de subiecto. Ex. gr. quia hoc, quod est, esse aptum sentire, dicitur ad conuertentiam de animali, & non spectat ad essentiam animalis, ideo est proprium animalis.

21 Quartus locus est: proprium debet esse simul tempore cum subiecto, non autem prius, neque posterius; alioquin vel simpliciter non erit proprium, vel non erit proprium semper, sed solum aliquando. Ex hoc loco potest destrui problema ponens proprium hominis esse ambulare in foro. Nam potest dari ambulans in foro prius, & posterius, quam detur homo; ergo ambulare in foro non est proprium hominis, saltem semper, sed ad summum aliquando. Ex eodem loco potest construi problema. Si enim quod assignatur ex necessitate semper inest, & neque est definitio, neque differentia, est proprium. Ex. gr. quia esse animal disciplinæ susceptiuum ex necessitate semper conuenit homini, & neque est definitio, neque differentia hominis, est proprium hominis.

22 *Deinde destruenti quidem, si eorundem, quæ eadem sunt, non est idem proprium: non enim erit proprium, quod positum est esse proprium. Vt quia non est proprium prosequendi, apparere quibusdam bonum, neque eligendi fuerit utique proprium apparere quibusdam bonum: idem enim est prosequendum, & eligendum. Construenti, si eiusdem quatenus idem proprium: erit enim proprium quod positum est non esse propriũ. Vt quoniam hominis, qua homo, dicitur proprium tripartitam animam habere, & terrigenæ quatenus terrigena est erit proprium tripartitam animam habere. Vtilis autem locus hic & in accidente. Nam ijsdem in eo, quòd eadem sunt, eadem oportet inesse, vel non inesse.*

23 *Deinde destruenti quidem, si eorum, quæ sunt eadem specie, non idem semper specie proprium est: neque enim eius, quod dictum, erit proprium, quod positum est esse proprium. Vt quia idem est specie homo, & equus: non semper autem equi est proprium stare à se: nec hominis erit proprium moueri à se. Idem enim est specie moueri, & stare à se, quatenus vtrique eorum vt animal est accidit. Construenti vero, si eorum, quæ sunt eadem specie, idem semper specie sit proprium. Erit enim proprium, quod positum est non esse proprium. Vt quia hominis est proprium, esse gressibile bipes, & auis erit proprium, esse volatile bipes: vtrunque enim horum est idem, quatenus illa quidem sub eodem sunt genere species, cùm sint sub animali, hæc autem vt generis differentiæ animalis. Hic autem locus falsus est, quando alterum quidem eorum, quæ dicuntur, vni alicui soli inest speciei, alterum vero inest pluribus, quemadmodum gressibile quadrupes.*

22 Quintus locus est: quod est proprium rei est etiam proprium omnium eorum, quæ sunt idem cum re, in quantum sunt idem cum re: si ergo non sit proprium omnium, quæ sunt idem cum re, nec est proprium rei. Hinc potest destrui problema ponens proprium esse prosequendi apparere quibusdam bonum: prosequendum enim, & eligendum idem sunt; sed hoc, quod est, apparere quibusdam bonum, non est proprium eligendi; eligendum enim non est id, quod quibusdam apparet bonum, sed quod verè est bonum; ergo nec est proprium prosequendi. Ex eodem loco potest construi problema: quia enim idem est homo, ac vir; proprium autem est hominis habere animam tripartitam, hoc est constantem ex tribus partibus, cognoscitiua nimirum, concupiscibili, & irascibili; erit etiam proprium viri habere animam tripartitam. Addit Aristoteles hunc locum valere etiam in accidente. Nam sicut ijsdem, in quantum sunt eadem, eadem conueniunt propria, sic ijsdem, in quantum sunt eadem, conueniunt eadem accidentia.

23 Sextus locus, qui traditur ab Aristotele satis obscurè est: specierum contradistinctarum eiusdem generis proportionaliter contradistincta sunt propria. Ex hoc loco posset destrui problema ponens, quod proprium hominis est moueri à se. Homo enim, & equus sunt species contradistinctæ in eodem genere animalis; sed non est proprium equi *stare à se*; ergo neque est proprium hominis *moueri à se*. Ex eodem loco posset construi problema ponens proprium auis esse, vt sit volatile bipes. Homo enim, & auis sunt in genere animalis bipedis, & distinguuntur per differen-

ferentias gressibilis, & volatilis; sed proprium hominis est, esse gressibile bipes; ergo proprium auis est, esse volatile bipes. Addit Aristoteles hunc locum non semper valere. Contingit enim aliquando, vt altera ex oppositis differentijs conueniat vni tantum speciei, altera pluribus: ex. gr. non valet; proprium hominis est, esse gressibile bipes; ergo proprium equi est esse gressibile quadrupes: nam hoc, quod est, esse gressibile quadrupes, non est proprium equi, sed commune multis speciebus animalium gressibilium, licet hoc, quod est *gressibile bipes*, sit proprium solius hominis.

24 *Quoniam autem idem & diuersum multipliciter dicitur, labor est sophisticè assumenti vnius assignare, & solius alicuius proprium. Nam quod inest alicui, cui accidit aliquid, & accidenti inerit sumpto cum eo, cui accidit: vt quod inest homini, & albo homini inerit, si fuerit albus homo, & quod albo homini inest, inerit & homini. Calumniabitur autem aliquis multa propriorum, quòd subiectum id aliud est, quod secundum se facit, aliud autem cum accidente: vt aliud quidem hominem esse dicet, aliud vero album hominem. Amplius autem diuersum faciens habitum, & quod secundum habitum dicitur. Nam quod habitui inest, & ei, quod secundum habitum dicitur, inerit, & quod ei, quod secundum habitum dicitur inest, & habitui inerit: vt quoniam sciens secundum scientiam dicitur affici, non inerit scientiæ proprium indissuasibile à ratione: nam & sciens indissuasibilis erit à ratione. Construenti autem dicendum, quoniam non est diuersum simpliciter id, cui accidit, & accidens cum eo, cui accidit sumptum, sed aliud dicitur, eo quod diuersum sit ipsius esse: non enim idem est homini esse, quòd sit homo, & albo homini esse quòd sit albus homo. Præterea autem considerandum est ad casus dicenti, quod neque sciens est indissuasibile à ratione, sed indissuasibilis a ratione, neque scientia indissuasibile, sed indissuasibilis à ratione. Nam ei, qui omnino instat, omnino est aduersandum.*

24 Septimus locus sophisticus est: quod inest subiecto, cui conuenit aliquod accidens, inest etiam accidenti sumpto cum tali subiecto; & è conuerso quod inest accidenti, inest subiecto, cui conuenit accidens. Ex. gr. quia hominis proprium est, *esse risibile*, accidit autem, vt homo sit albus, albi hominis proprium est, *esse risibile*; & quia proprium albi est, *esse disgregatiuum visus*, accidit autem, vt homo sit albus, proprium albi hominis erit, *esse disgregatiuum visus*. Propter hunc locum, & quia idem, ac diuersum dicuntur multipliciter, difficilè est contra sophistas defendere, quo pacto aliquid sit vnius tantum, ac solius proprium. Sophista enim, quia diuersum dicitur multipliciter, calumniabitur plures assignationes proprij, arguens, quia aliud est subiectum *secundum se*, aliud est subiectum cum accidente: ex. gr. aliud est *homo*, aliud *albus homo*; sed hoc, quod est *esse risibilem*, non solum dicitur de homine, sed etiam de albo homine; ergo non dicitur de solo homine; ergo non est proprium hominis, cum proprium debeat conuenire soli. Rursus aliud est habitus, aliud subiectum habens habitum; sed quod dicitur de habitu, dicitur etiam de subiecto habente habitum, ex. gr. sicut de scientia dicitur, quod sit imperturbabilis propter rationes contrarias, sic de sciente dicitur, quod sit imperturbabilis propter rationes contrarias; ergo hoc, quod est, *esse imperturbabilem propter rationes contrarias*, non est proprium scientiæ, cum conueniat etiam scienti. Eodem pacto calumniantur sophistæ alias similes assignationes proprij. Construens igitur problema proprij, ad similes instantias sophistarum respondere debet, accidens, & id, cui accidit, non esse diuersa simpliciter, cũ sint idem numero, ac subiecto, sed solum differre secundum esse, ac definitionem, quatenus non est idem, *esse hominem*, ac *esse hominem album*; ergo licet quod dicitur de homine, dicatur etiam de albo homine, adhuc non dicitur de diuersis, adeoque non destruitur ratio proprij. Rursus quia sophistæ solent argumentari non solum ex re, sed ex casibus, respondendum est non solum ex re, sed ex casibus, ac dicendum, quod non idem est proprium scientis, ac scientiæ. Cum enim dicitur scientem esse imperturbabilem, ly *imperturbabilis* est generis masculini, at cum dicitur scientiam esse imperturbabilem, ly *imperturbabilis* est generis fæminini; ergo non idem est proprium scientis, ac scientiæ, cum differant secundum casus, seu terminationes, vel saltem secundum genera. Sophistis igitur, qui om-

omnibus modis instant, omnibus modis est occurrendum, & cum sophisticè argumentantur, afferenda est etiam solutio sophistica.

25 *Deinde destruenti quidem, si quod natura inest volens assignare, hoc modo ponit secundum locutionem vt quod semper inest significet: videbitur enim moueri posse quod positum est proprium esse. Vt quia qui dixit hominis proprium bipes, vult quidem, quod natura inest, assignare, significat autem locutionem, quod semper inest, non erit hominis proprium bipes: non enim omnis homo est duos pedes habens. Construenti autem, si vult quod natura inest proprium assignare, & locutione hoc modo significat: non enim mouebitur secundum hoc propriũ. Vt quia qui hominis proprium assignauit, animal disciplinæ susceptiuum, & vult, & dictione significat, quòd natura inest proprium non mouebitur, secundum hoc, quòd non sit proprium hominis, animal disciplinæ susceptiuum.*

26 *Amplius quæcunque dicuntur secundum aliud aliquod primum, aut vt primum ipsum, labor est assignare talium proprium. Nam si eius, quod est secundum aliud aliquid, proprium assignauit, & de primo verificabitur: si autem primi posuerit, & de eo, quod est secundum aliud prædicabitur. Vt si quis assignet superficiei proprium coloratum esse, & de corpore verificatur coloratum esse: si autem corporis, & de superficie prædicabitur: quare non de quo oratio, & nomen verificabitur.*

25 Octauus locus est: cum quis vult dicere proprium esse subiecti, vt ex sua natura sit tale, non debet vti locutione significante subiectum semper esse tale. Ex hoc loco potest destrui problema ponens proprium hominis esse, *vt sit bipes*. Licet enim qui id ponit, velit significare, quod proprium hominis est, vt ex sua natura sit bipes, tamen vtitur locutione significante, quod homo semper est bipes; & quia non omnis homo semper habet duos pedes, videtur euerti problema positum. Ex eodem loco construi potest problema, ostendendo, quod locutio significat proprium natura inesse. Ex. gr. quia qui dicit, proprium hominis esse, vt sit animal disciplinæ susceptiuum, vtitur vocibus significantibus, non quidem, quod omnis homo suscipit disciplinam, sed quod omnis homo ex sua natura est aptus ad suscipiendam disciplinam, bene ponit problema.

26 Nonus locus est: assignando proprium debet explicari, quomodo, & quorum id dicatur proprium; ex defectu autem huius explicationis multipliciter peccatur, ac possunt desumi plures loci ad redarguendum, & ad destruenda posita problemata. Explicatur: potest aliquid conuenire subiecto, vel primo, & ratione sui, vel ratione alterius: ex. gr. *esse coloratum*, conuenit superficiei primo, & ratione sui, corpori autem conuenit ratione superficiei. Si quis igitur dixerit proprium superficiei esse, vt sit colorata, redarguetur, quia etiam corpus est coloratum. Si dixerit proprium corporis esse, vt sit coloratum, redarguetur, quia etiam superficies est colorata; ergo non de omni, de quo dicitur coloratum, dicitur corpus; ergo coloratum non est proprium corporis. At si quis dixerit proprium superficiei esse, vt sit colorata primo, & ratione sui, proprium corporis esse, vt sit coloratum secundum suam superficiem, aufertur occasio redarguendi.

27 *Accidit autem in quibusdam proprijs plerunque fieri aliquod peccatum, propter hoc, quod non determinetur, quomodo, & quorum ponit quis proprium.*

28 *Omnes enim conantur assignare proprium, aut quod natura inest, vt hominis bipes, aut quod nunc inest, vt hominis alicuius quatuor digitos habere; aut specie, vt ignis subtilissimum, aut simpliciter, vt animalis viuere; aut secundum aliud, vt animæ prudens, aut vt primum, quemadmodum rationalis prudens; aut in eo, quod habet, vt scientis indissuasibile a ratione (nihil enim aliud, quam habendo aliquid erit indissuasibile a ratione) aut in eo, quòd habeatur, vt scientiæ indissuasibile à ratione, aut in eo, quod participatur, vt animalis sentire (sentit enim, & aliud quid, vt homo, sed participans iam hoc, sentit) aut in eo, quod participat, vt alicuius animalis viuere.*

27 Iam quia Aristoteles dixit debere explicari modos, quibus dicitur proprium, proponit decem modos proprij, & peccata, quæ committuntur ex omissione talium modorum, & loca, ex quibus possunt destrui problemata non explicantia modos proprij.

Primo

28 Primo dicitur proprium, quod ex sua natura inest. Hoc pacto dicitur hominis proprium *esse bipedem*, quia homo ex sua natura est bipes, licet possit contingere, vt aliquis homo hic & nunc non sit bipes. Secundo dicitur proprium, quod hic & nunc conuenit subiecto: ex. gr. dicitur proprium alicuius hominis, *habere solum quatuor digitos*, quia licet secundum suam naturam debeat habere quinque digitos, tamen hic, & nunc habet solum quatuor digitos. Tertio dicitur proprium alicuius, quod conuenit illi secundum speciem: ex. gr. dicitur proprium ignis, *vt sit corpus subtilissimum*, quia ignis secundum speciem est subtilissimus, licet aliquis ignis particularis non sit subtilissimus. Quarto dicitur proprium, quod simpliciter, & sine vlla additone est proprium: ex. gr. simpliciter, & sine additione proprium animalis est *viuere*, quia omne animal debet viuere. Quinto dicitur proprium, quod conuenit rei ratione alterius. Sexto dicitur proprium, quod conuenit primo, & ratione sui: ex. gr. dicitur propria animæ prudentia, quia prudentia conuenit animæ ratione partis ratiocinatiuæ: at eadem prudentia dicitur propria partis ratiocinatiuæ, quia conuenit illi primo, & ratione sui. Septimo dicitur aliquid esse proprium alterius vt habentis. Octauo dicitur esse proprium vt habiti: ex. gr. *esse immobilem per rationes contrarias*, dicitur esse proprium scientis, in quantum habet scientiam, & dicitur esse proprium scientiæ, in quantum habetur à sciente. Nono dicitur aliquid conuenire alteri, vt ei, quod participatur. Decimo dicitur conuenire alteri, vt ei, quod participat: ex. gr. animal sentit, in quantum participatur à speciebus, & indiuiduis animalium; at homo, & aliæ species, atque indiuidua animalium sentiunt, in quantum participant animal, ipsum includendo in sua definitione.

29 *Qui non addit igitur natura, peccat, eo quòd contingit quod natura inest, non esse illi, cui natura inest, vt homini duos pedes habere.*

30 *Qui vero non determinat, quoniam quod inest assignat, quòd non erit tale, quale nunc inest id, ceu quatuor digitos habere hominem.*

31 *Non indicans quoque, quod vt primum, aut vt secundum aliud ponit, quòd non de quo oratio, & nomen verificabitur, vt coloratum esse, siue superficiei, siue corporis assignauerit proprium.*

32 *Non prædicens etiam, quòd aut in eo quod est habere, aut in eo, quod haberi, proprium assignauit, ideo non erit proprium, quod assignatum est: nam inerit (si in eo, quod habetur assignauit proprium) etiam habenti: si autem habenti, & ei, quod habetur, vt indissuasibile à ratione, scientiæ vel scientis positum proprium.*

33 *Non præsignificans etiam in eo, quod participat, vel participatur, eo quòd & in alijs quibusdam inerit proprium. Si enim in eo quidem, quod participatur, assignauit, participantibus inerit: si vero in eo, quod participat, ijs quæ participantur, vt si alicuius animalis posuerit viuere proprium.*

34 *Non diuidens etiam specie, quod vni soli inerit eorum, quæ sub eo sunt, cuius proprium ponit: nam quod est secundum superabundantiam, vni soli inest, vt igni leuissimum.*

29 Multipliciter igitur peccatur assignando proprium, & non explicando dictos modos, ac non addendo particulas necessarias ad illos explicandos, ac possunt ex istis peccatis desumi plures loci ad redarguendum. Primo qui assignat proprium ex natura, & non explicat, quod inest natura, peccat: ex. gr. peccat qui dicit proprium hominis esse, vt sit bipes, & non addit, vt sit bipes natura. Locus autem ad redarguendum est, quia contingit hominem non habere duos pedes; ergo non est proprium hominis esse bipedem.

30 Secundo peccat qui assignat proprium nunc, & non explicat, quod est proprium pro nunc: ex. gr. qui dicit proprium huius esse, *habere quatuor digitos*, & non explicat, quod est proprium nunc. Locus ad redarguendum est, quia non est simpliciter proprium huius *habere quatuor digitos*; ergo malè assignatur vt proprium.

31 Tertio peccat qui non explicat, vtrum proprium conueniat subiecto primo, & ratione sui, an ratione alterius: ex. gr. peccat, qui dicit coloratum esse proprium superficiei, vel corporis, non explicans, an sit proprium primo, & ratione sui, an secundario, & ratione alterius. Locus ad redarguendum est, quia proprium non debet vlli conuenire, cui non conueniat nomen rei, cuius dicitur proprium; sed colo-

ratum dicitur de ſuperficie, de qua non dicitur corpus, & dicitur de corpore, de quo non dicitur ſuperficies; ergo coloratum neque eſt proprium ſuperficiei, neque corporis.

32 Quarto peccat qui aſſignat proprium, non explicans, an conueniat vt habenti, vel vt habito. Locus ad redarguendum eſt, quia poterit de aliquo prædicari proprium, cui non conueniat nomen rei, cuius dicitur proprium: ex. gr. ſi quis dixerit proprium ſcientis eſſe, vt ſit imperturbabilis contrarijs rationibus, poteſt redargui, quia hoc, quod eſt *eſſe imperturbabilem contrarijs rationibus*, conuenit etiam ſcientiæ; ergo non eſt proprium ſcientis.

33 Quinto peccat qui aſſignat proprium, non explicans, an conueniat rei vt participatæ, vel vt participanti. Locus ad redarguendum eſt, quia ſi tribuitur participanti, conuenit etiam participato, ſi tribuitur participato conuenit participanti: ex. gr. qui dicit proprium animalis eſſe, vt ſit viuens, redarguitur, quia eſſe viuens conuenit etiam homini, & equo, qui participant animal; qui verò dicit proprium hominis eſſe, vt ſit viuens, redarguitur, quia conuenit etiam animali, quod participatur ab homine.

34 Sexto peccat qui aſſignans proprium ſecundum ſpeciem non explicat, quod eſt proprium ſecundum ſpeciem: ex. gr. peccat qui dicit proprium ignis eſſe, vt ſit leuiſſimus, & non explicat, quod hoc eſt proprium ignis ſecundum ſpeciem. Locus ad redarguendum eſt, quia quod eſt proprium ſimpliciter, conuenit omnibus; ſed quod eſt proprium ſecundum ſpeciem, non conuenit omnibus, ſed vni tantum, eo pacto, quo non omnis ignis eſt leuiſſimus, ſed ſolum aliquis ignis eſt leuiſſimus, puta ignis flammæ, cum ignis carbonum non ſit leuiſſimus; ergo &c.

35 *Aliquoties autem & ſpecie addens peccat. Nam oportebit vnam ſpeciem eſſe eorum, quæ dicuntur, quando ſpecie addiderit. Hoc autem in quibuſdam non acciderit, vt nec in igne: non enim eſt vna ſpecies ignis. Nam diuerſum eſt carbo, & flamma, & lux ſpecie, cum vnumquodque horum ſit ignis. Propter hoc autem non oportet, quãdo ſpecie additur, diuerſam eſſe ſpeciem eius, quod dicitur: quoniam his quidem magis, illis autem minus inerit, quod dictum eſt proprium, vt in igne ſubtiliſſimum: ſubtilior enim eſt lux carbone, & flamma. Hoc autem non oportet fieri, quando non & nomen magis prædicatur, de quo oratio magis verificatur. Si autem non, non erit de quo oratio magis, & nomen magis. Amplius autem ad hæc idem eſſe accidit proprium eius, quod ſimpliciter, & eius, quod maxime in ſimpliciter tali, vt in igne ſe habet ſubtiliſſimum: nam & ſimpliciter, & ignis, & lucis erit hoc ipſum proprium: ſubtiliſſima enim lux. Cùm igitur alius ſic aſſignat proprium, argumentandum. Sibi autem non danda hæc inſtantia, ſed ſtatim cùm ponit proprium, determinandum eſt, quomodo ponit proprium.*

35 Addit Ariſtoteles, quod aliquando peccat etiam qui dicit quiddam eſſe proprium alicuius ſecundum ſpeciem, ſi id, cui proprium, aſſignatur non eſt vnica ſpecies, ſed plures: ex gr. peccat, qui dicit proprium ignis in ſpecie eſſe, vt ſit ſubtiliſſimum corporum. Ratio eſt, quia non eſt vna ſpecies ignis, ſed plures; carbo enim, flamma, & lux ſpecie differunt, & tamen ſunt ignis. Duplex autem eſt ratio, propter quam non debeat aſſignari proprium alicuius in ſpecie, quando plures ſunt ſpecies. Prima ratio eſt, quia proprium non debet dici magis, niſi forte de eo, de quo magis dicitur nomen ſubiecti, cui proprium aſſignatur: alioquin oratio explicans proprium diceretur magis, nomen non diceretur magis; ſed ſi id, cuius dicitur aliquid eſſe proprium in ſpecie, non ſit vna ſpecies, proprium dicetur magis de vno, minus de alio, & non dicetur magis de eo, de quo magis dicitur nomen; ergo &c. Probatur, & explicatur minor in poſito exemplo ignis, cuius proprium dicitur *eſſe ſubtiliſſimum*: nam flamma eſt ſubtilior carbone, lux eſt ſubtilior flamma; ergo ſubtiliſſimum magis dicitur de luce, quam de flamma, & carbone; ſed ignis minus dicitur de luce, quam de flamma, & carbone: carbo enim propriiſſimè eſt ignis, lux non ita propriè eſt ignis; ergo ſubtiliſſimum, quod eſt proprium ignis, de eo magis dicitur, quod minus propriè eſt ignis, quod eſt inconueniens: nam cui magis conuenit proprium, magis debet conuenire nomen ſubiecti, cuius dicitur proprium. Secunda ratio eſt, quia ſequitur idem eſſe proprium, & eius, cui ſim-

ſimpliciter cōuenit nomen ſubiecti,& eius, cui maximè conuenit proprium; ergo idem erit proprium duarum ſpecierum, quod eſt inconueniens: eo enim ipſo neutrius erit proprium. Ex. gr. eſſe ſubtiliſſimum erit proprium ignis ſimpliciter dicti, qui eſt ignis carbonum, & erit proprium lucis,quæ ſimpliciter eſt ſubtiliſſima; ſed lux,& ignis ſimpliciter dictus differunt ſpecie;ergo &c. Concludit Ariſtoteles,quod quando aliquis aſſignans proprium,non explicat,quo pacto ſit proprium, contrà ipſum poteſt argui ex his. Ne igitur detur locus his argumentis, cum quis aſſignat proprium, debet explicate, quo pacto ſit proprium.

36 *Deinde deſtruenti quidem, ſi idem eiuſdem proprium poſuit: non enim erit proprium quod poſitum eſt eſſe proprium. Nam idem eidem omne, quid eſt eſſe indicat: quod autem eſſe indicat, non proprium, ſed terminus eſt. Vt quia qui dixit honeſti proprium decens eſſe, idem eiuſdem proprium aſſignauit (idem enim eſt honeſtum,& decens) non vtique erit decens honeſti proprium. Conſtruenti autem, ſi non eiuſdem proprium aſſignauit, cùm conuerſim prædicatum poſuit: nam erit proprium, quod poſitum eſt non eſſe proprium. Vt quia qui poſuit animalis proprium id, quod ſubſtantia animata, non idem quidem eiuſdem proprium poſuit, & conuerſim prædicatum aſſignauit, erit animalis proprium ſubſtantia animata.*

37 *Deinde etiam in ijs, quæ ſimilium partium ſunt, conſiderandum eſt: deſtruenti quidem, ſi quod totius eſt proprium,non verificatur de parte, aut quod partis, non dicitur de toto: non enim erit proprium, quod poſitum eſt eſſe proprium. Accidit autem in aliquibus hoc fieri. Aſſignabit enim aliquis in ijs, quæ ſimilium partium ſunt,proprium, aliquoties quidem in toto reſpiciens, aliquoties autem in eo,quod ſecundum partem dicitur ipſe ſeipſum intelligens: at erit neutrum rectè aſſignatum. Vt in toto quidem, quia qui dixit maris proprium, plurima aqua ſalſa, alicuius ſimilium partium poſuit proprium,& tale aſſignauit,quod non verificatur de parte (non enim erit quiddam maris plurima aqua ſalſa) non vtique erit maris proprium, plurima aqua ſalſa. In parte autem, vt quia qui poſuit aeris proprium, reſpirabile, ſimilium quidem partium alicuius dixit proprium; tale autem aſſignauit, quod de quo aere verum eſt, de toto autem non dicitur (non enim erit vniuerſus aer reſpirabilis) non erit vtique aeris proprium reſpirabile. Aſtruenti autem, ſi verificatur de vnaquaque ſimilium partium,quod eſt proprium earum ſecundum totum: erit enim proprium, quod poſitum eſt non eſſe proprium. Vt quia verificatur de omni terra deorſum ferri ſecundum naturam: eſt autem & non proprium alicuius terræ ſecundum totum (nam ſecundum terram, & id,quod eſt terram eſſe) erit terræ proprium deorſum ferri ſecundum naturam.*

36 Decimus locus eſt: proprium non debet eſſe idem cum re,cuius eſt proprium. Ratio eſt, quia quod eſt idem cum re, ſpectat ad definitionem rei; ergo non eſt proprium, ſed definitio. Ex hoc loco poſſet deſtrui problema ponens proprium honeſti eſſe, vt ſit decens. Cum enim idem ſit *eſſe honeſtum*, ac *eſſe decens*, decens non eſt proprium honeſti, ſed ſpectat ad definitionem honeſti. Ex eodem loco poteſt conſtrui problema. Si enim quod aſſignatur, prædicatur de re ad conuertentiam, & non eſt idem cum re, eſt proprium rei: ex. gr. quia hoc, quod eſt *eſſe ſubſtantiam conſtantem anima ſenſitiua*, dicitur de animali ad conuertentiam, & non eſt idem cum animali,eſt proprium animalis.

37 Vndecimus locus eſt: in ſimilaribus, ſiue homogeneis,quod eſt proprium totius, eſt proprium partis; & è conuerſo quod eſt proprium partis,eſt etiam proprium totius. Ratio eſt, quia in ſimilaribus totum, & pars ſunt eiuſdem ſpeciei, eiuſdemque naturæ; ergo eaſdem habent proprietates: ex. gr. ſicut eadem eſt natura totius aquæ, ac omnium partium aquæ, ſic eædem ſunt proprietatus totius aquæ, ac omnium partium aquæ. Ex hoc loco poteſt deſtrui problema ponens aliquid vt proprium totius, quod non conuenit parti, vel vt proprium partis, quod non conuenit toti, quod accidit, quia quis dum aſſignat proprium, vel cogitat ſolum de toto, vel ſolum de parte, cum deberet conſiderare ea, quæ & parti, & toti conueniunt. Ex. gr. aliquis reſpiciens ad totum, dicet proprium maris eſſe, vt ſit plurima aqua ſalſa, quod fortaſſe alicui mari non conuenit: rurſus reſpiciens ad partem, dicet proprium aeris eſſe, vt ſit reſpirabilis, quod non conuenit toti aeri, cum

cum totus aer non sit respirabilis; ergo neutro modo bene assignat proprium. Ex eodem loco potest construi problema, sumendo proprium assignatum conuenire toti, ac parti: ex. gr. problema ponens proprium terræ esse, vt feratur deorsum, construitur, quia ferri deorsum conuenit & toti terræ, & omnibus partibus terræ.

De locis ex oppositis, ex diuisione, & ex casibus. Cap. III. Art. I.

1 *Deinde ex oppositis considerandum est,*
2 *primum quidem ex contrarijs: * destruenti quidem, si contrarij non est contrarium: neque enim contrarij erit contrarium proprium. Vt quia contrarium est iustitiæ quidem iniustitia, optimo autem pessimum: non est autem iustitiæ proprium, optimum: non erit iniustitiæ proprium pessimum. Construenti autem, si contrarij contrarium proprium est, & contrarij contrarium proprium erit. Vt quia contrarium est bono quidem malum, eligendo autem fugiendum: est autem boni proprium eligendum: erit mali proprium fugiendum.*

1 Traditis locis specialibus proprij, explicat Aristoteles, quo pacto possint problemati proprij applicari loca ex oppositis, ex diuisione, ex casibus, & coniugatis, ex simili, ex magis, & minus &c, quæ loca deseruiunt etiam problemati accidentis, ac generis.

2 Duodecimus igitur locus ex oppositis contrariè est: cum vnum contrarium est proprium vnius contrarij, aliud contrarium est proprium alterius contrarij. Ex hoc loco potest destrui problema ponens proprium iniustitiæ esse, vt sit pessima. Iniustitiæ est contraria iustitia, & pessimum est contrarium optimo; sed non est proprium iustitiæ, vt sit optima; ergo neque iniustitiæ est proprium, vt sit pessima. Ex eodem loco posset construi problema ponens proprium mali esse, vt sit fugiendum. Bonum enim est contrarium malo, & eligendum est contrarium fugiendo; sed est proprium boni, vt sit eligendum; ergo etiam est proprium mali vt sit fugiendum.

3 *Secundum autem ex ijs, quæ ad aliquid sunt: destruenti quidem, si hoc, quod ad aliquid est, eius, quod est ad aliquid non est proprium: neque enim hoc, quod ad aliquid est, eius, quod ad aliquid est, erit proprium. Vt quia dicitur duplum quidem ad dimidium, superans autem ad superatum: non est autem dupli proprium superans: non erit dimidij proprium superatum. Construenti autem, si eius, quod est aliquid, hoc quod ad aliquid est proprium, & eius quod est aliquid, id quod est ad aliquid erit proprium. Vt quia dicitur duplum quidem ad dimidium id esse, quod duo ad vnum: est autem dupli proprium, vt duo ad vnum: erit dimidij proprium, vt vnum ad duo.*

3 Decimus tertius locus ex oppositis relatiuè est: cum vnum relatiuum est proprium relatiui, correlatiuum est proprium correlatiui. Ex hoc loco potest destrui problema ponens proprium dimidij esse, vt excedatur. Correlatiuum enim dupli est dimidium, & correlatiuum excedentis est excessum; sed non est proprium dupli, vt sit excedens; ergo neque est proprium dimidij, vt excedatur. Ex eodem loco potest construi problema ponens propriũ dimidij esse, vt se habeat, sicut vnum ad duo. Sicut enim duplum est relatiuum ad dimidium, sic hoc quod est, *se habere sicut duo ad vnum*, est relatiuum ad hoc, quod est, *se habere sicut vnum ad duo*; sed est proprium dupli se habere sicut duo ad vnum; ergo est proprium dimidij se habere sicut vnum ad duo.

4 *Tertium autem, destruenti quidem, si habitus, id quod secundum habitum dicitur, non est proprium, neque profecto priuationis, id quod secundum priuationem dicitur, erit proprium: & si priuationis, id quod secundum priuationem dicitur non est proprium, neque habitus, id quod secundum habitum dicitur, erit proprium. Vt quia non dicitur surditatis proprium insensibilitatem esse, neque auditus erit proprium sensum esse. Construenti vero, si quod secundum habitum dicitur, est habitus proprium, & priuationis, id quod secundum priuationem dicitur, erit proprium: & si priuationis, id quod secundum priuationem dicitur, est proprium, & habitus, quod secundum habitum dicitur erit proprium. Vt quia visus est proprium videre, secundum quod habemus visum: erit cæcitatis proprium non videre, secun-*

secundum quod non habemus visum, nati habere.

4 Decimus quartus locus ex oppositis priuatiuè est: si habitus est proprium habitus, priuatio est proprium priuationis, & è conuerso. Rursus si priuatio non est propria priuationis, nec habitus est proprium habitus. Ex hoc loco potest destrui problema ponens proprium auditus esse, vt sit sensus. Auditus enim significat habitum, surditas priuationem; sed non est proprium surditatis, vt sit insensibilitas, seu priuatio sensus, cum hoc sit commune cæcitati; ergo neque est proprium auditus, vt sit sensus. Ex eodem loco potest construi problema ponens proprium cæcitatis esse, vt per ipsam impediamur à videndo. Visus enim, & cæcitas opponuntur priuatiuè; sed proprium visus est, vt per ipsum videamus; ergo proprium cæcitatis est, vt per ipsam impediamur à videndo.

5 *Deinde ex affirmationibus, & negationibus: primum quidem ex ipsis, quæ prædicantur. Est autem locus hic vtilis destruenti tantum. Vt si affirmatio, vel quod secundum affirmationem dicitur, eius est proprium, non erit profectò eius negatio, neque quod secundum negationem dicitur propriũ: si autem sit negatio, aut quod secundum negationem dicitur, proprium, eiusdem non erit affirmatio, neque quod secundum affirmationem dicitur, proprium. Vt quia proprium animalis est animatum, non erit animalis proprium non animatum. Secundum autem ex prædicatis, vel etiam non prædicatis, & de quibus prædicatur, vel non prædicatur: destruenti quidem, si affirmationis affirmatio non est proprium, neque enim negatio negationis erit proprium: & si negatio negationis non est proprium, neque affirmationis affirmatio erit proprium. Vt quia non est proprium hominis animal, neque non hominis non animal: si autem non hominis non videtur proprium non animal, neque hominis erit proprium animal. Construenti autem, si affirmationis affirmatio est proprium, nam & negatio negationis erit proprium: si autem negationis negatio est proprium, & affirmatio affirmationis erit proprium. Vt quia non animalis est proprium non viuere, erit animalis proprium viuere: & si animalis proprium videtur viuere, & non animalis proprium videbitur non viuere. Tertium autem ex ipsis subiectis, destruenti quidem, si quod assignatum est proprium, affirmationis est proprium, non erit enim idem, & negationis propriam: si autem negationis est proprium, quod assignatum est, non erit affirmationis proprium. Vt quia animalis proprium est animatum, non animalis non erit proprium animatum. Construenti vero, si assignatum proprium non est affirmationis proprium, erit negationis. At hic locus deficit. Nam affirmatio negationis, & negatio affirmationis non est proprium, quandoquidem affirmatio negationi omnino non inest: negatio autem affirmationi inest quidem, at non vt proprium inest.*

5 Decimus quintus locus ex contradictoriè oppositis est triplex. Primus desumitur ex comparatione duorum prædicatorum contradictoriorum ad idem subiectum, & est: si est proprium subiecti vnum ex prædicatis contradictorijs, alterum non est proprium eiusdem subiecti. Ex hoc loco non possumus problema construere, sed possumus destruere, sic: animatum, & non animatum sunt prædicata contradictoria; sed proprium animalis est esse animatum; ergo non animatum non est proprium animalis. Secundus desumitur ex comparatione duorum prædicatorum contradictoriorum cum duobus subiectis contradictorijs, & est: si vnum contradictorium est proprium vnius contradictorij, aliud contradictorium est proprium alterius contradictorij; & è conuerso si vnum non est proprium vnius, nec alterum est proprium alterius. Ex. gr. *homo*, & *non homo*, *animal*, & *non animal* opponuntur contradictoriè; sed non est proprium hominis *esse animal*; ergo neque est proprium non hominis *esse non animal*. Ex eodem loco potest construi problema, sic: non animalis proprium est *non viuere vitam sensitiuam*; ergo animalis proprium est *viuere vitam sensitiuam*. Tertius locus desumitur ex comparatione vnius prædicati cum duobus subiectis contradictorijs, & est: quod est proprium vnius contradictorij, non est proprium alterius; ex. gr. animalis proprium est esse animatum anima sensitiua; ergo non animalis non est proprium esse animatum anima sensitiua. Proportionalis locus est: quod non est proprium vnius contradictorij, est proprium alte-

alterius. At hic locus non est vniuersaliter verus. Non enim valet, sentire non est proprium hominis; ergo est proprium non hominis.

6 *Deinde ex ijs, quæ ex opposito diuiduntur: destruenti quidem, si eorum, quæ ex opposito diuiduntur, nullum vllius reliquorum ex opposito diuersorum est proprium: neque enim, quod oppositum est, erit proprium eius, cuius positum est proprium. Vt quia animal sensibile nullum aliorum mortalium animalium est proprium, non erit animal intelligibile Dei proprium. Construenti autem, si cæterorum, quæ ex opposito diuiduntur, quoduis est proprium talium quorumcunque eorum, quæ ex opposito diuiduntur: nam reliquum erit eius proprium, cuius positum est non esse proprium: vt quia prudentiæ est proprium, per se natum esse rationalis virtutem esse, & aliarum virtutum sic vniuscuiusque sumptæ, erit temperantiæ proprium per se natum esse concupiscibilis virtutem esse.*

7 *Deinde ex casibus: destruenti quidem, si casus non est casus proprium: neque enim casus erit proprium casus. Vt quia non est eius, quod est iustè, proprium id, quod bene, neque iusti proprium erit bonum. Construenti autem, si casus est proprium casus: nam & casus erit casus proprium. Vt quia hominis est proprium gressibile bipes, & homini erit proprium gressibili bipedi dici. Non solum autem in eo quod dictum est secundum casus est considerandum, sed & in oppositis, quemadmodum & in prioribus locis dictum est: destruenti quidem, si oppositi casus non est proprium oppositi casus: neque enim oppositi casus erit proprium oppositi casus: vt quia non est eius, quod est iuste proprium quod bene, neque iniuste erit proprium, quod male. Construenti vero, si oppositi casus est proprium oppositi casus: nam & oppositi casus, erit proprium oppositi casus. Vt quia honesti est proprium optimum, & inhonesti erit proprium pessimum.*

6 Decimus sextus locus ex ijs, quæ ex opposito diuiduntur est: quando ex opposito diuiduntur adæquate tum subiecta, tum propria, si nullum reliquorum est proprium vllius ex reliquis subiectis, nec quod assignatur est proprium subiecti, cui assignatur vt proprium; & è conuerso si reliqua sunt propria reliquorum, etiam quod assignatur est proprium subiecti, cui assignatur. Hoc loco possumus vti ad destruendum problema sic: iuxta Platonicos sicut animal diuiditur in mortale, & immortale, sic diuiditur in sensibile, & intelligibile; sed esse animal sensibile non est proprium vllius animalis mortalis; ergo esse animal intelligibile non est proprium vllius animalis immortalis. Eodem loco possumus vti ad construendum sic: sicut partes animæ, quæ sunt subiecta virtutum, diuiduntur in rationalem, concupiscibilem, & irascibilem, ita virtus diuiditur in prudentiam, temperantiam, & fortitudinem; sed prudentia est virtus propria partis rationalis, fortitudo est virtus propria partis irascibilis; ergo temperantia est virtus propria partis concupiscibilis, ita vt sit apta inesse in concupiscibili tanquam in subiecto.

7 Decimus septimus locus ex casibus, & coniugatis est: si vnus casus est proprius vnius casus, etiam alter casus est proprius alterius casus; & è conuerso, si vnus casus non est proprius vnius casus, nec alter casus est proprius alterius casus. Ex. gr. si hoc, quod est *bene* non est proprium huius, quod est *iustè*, nec bonum est proprium iusti: rursus si de homine in nominatiuo dicitur, quod est gressibile bipes, homini in datiuo potest attribui *gressibili bipedi*. Præterea si vnius oppositi casus non est proprius vnus oppositus casus, nec alterius oppositi casus erit proprius alter oppositus casus. Ex. gr. quia huic, quod est *iustè*, non est proprium hoc, quod est *bene*, nec huic, quod est *iniustè*, erit proprium hoc quod est *malè*. E conuerso si vnius oppositi casus est proprius vnus oppositus casus, etiam alterius oppositi casus, erit proprius alter oppositus casus. Ex. gr. quia honesti est proprium optimum, inhonesti est proprium pessimum.

De locis ex simili, ex generatione, & corruptione, ex magis, & minus. Cap. III. Art. II.

8 *Deinde ex ijs, quæ similiter se habent, destruenti quidem, si quod similiter se habet, eius, quod similiter se habet, non est proprium: neque enim quod similiter se habet, eius, quod similiter se habet erit pro-*

proprium. Vt quia similiter se habet ad extruendum ædificium ædificator, & medicus ad efficiendum sanitatem: non est autem proprium medici efficere sanitatem: neque ædificatoris erit proprium, extruere ædificium. Construenti autem, si quod similiter se habet erit proprium eius, quod similiter se habet: nam & quod similiter se habet, eius, quod similiter se habet, erit proprium. Vt quoniam similiter se habet medicus ad id, quod est esse effectiuum sanitatis, & ludi magister ad id, quod est esse effectiuum bonæ habitudinis: est autem proprium magistri ludi, esse effectiuum bonæ habitudinis: erit proprium, & medici effectiuum esse sanitatis.

9 *Deinde ex ijs, quæ sic se habent: destruenti quidem, si quod sic se habet, eius, quod sic se habet, non est proprium: neque enim, quod sic se habet eius, quod sic se habet, erit proprium: si autem eius, quod sic se habet, id quod sic se habet est proprium, eius non erit proprium, cuius positum est esse proprium. Vt quia sic se habet prudentia ad honestum, & turpe, eo quòd disciplina vtriusque eorum est: non est autem prudentiæ proprium disciplinam esse honesti: non vtique erit proprium prudentiæ disciplinam esse turpis. si vero est proprium prudentiæ disciplinam esse honesti, non erit proprium eiusdem disciplinam esse turpis: impossibile est enim eiusdem plura esse propria. Construenti vero nihil locus iste vtilis. Nam quod sic se habet, vnum ad plura comparantur.*

8 DEcimus octauus locus ex simili est: si vnum simile non est proprium vnius similis, nec aliud simile est proprium alterius similis; & è conuerso si vnum simile est proprium vnius similis, etiam aliud simile est proprium alterius similis. Prima parte huius loci possumus vti ad destruendum, sic: ita se habet ædificator ad extruendum ædificium, sicut medicus ad efficiendam sanitatem; sed non est proprium medici efficere sanitatem; ergo nec est proprium ædificatoris construere ædificiũ. Secunda parte loci possumus vti ad construendum sic: ita se habet medicus ad efficiendam sanitatem, sicut gymnasij præfectus ad efficiendam firmam corporis constitutionem; sed efficere firmam corporis constitutionem est proprium præfecti gymnasij; ergo efficere sanitatem est proprium medici.

9 Decimus nonus locus ex ijs, quæ eodem modo se habent, est: si id, quod eodem modo se habet, ac aliud, non est proprium subiecti, nec aliud est proprium subiecti; & si id, quod eodem modo se habet, est proprium, etiam aliud est proprium eiusdem subiecti. Ex. gr. eodem modo se habet ad prudentiam honestum, ac turpe, cum prudentia sit disciplina vtriusque; sed non est proprium prudentiæ esse disciplinam honesti; ergo nec est proprium prudentiæ esse disciplinam turpis. Si verò ponatur esse proprium prudentiæ, vt sit disciplina honesti, adhuc sequitur non esse proprium prudentiæ, vt sit disciplina inhonesti, ac turpis, si quidem eiusdem non possunt esse plura propria eodem modo. Hinc patet primo hunc locum non valere ad construendum, sed solum ad destruendum problema proprij. Siue enim quod eodem pacto se habet sit proprium subiecti, siue non, semper sequitur, quod aliud non possit esse proprium talis subiecti. Si enim vnum est proprium, aliud non est proprium, cum non possint eiusdem esse plura propria; si vnum non est proprium, nec aliud est proprium ex paritate rationis. Patet secundo, quo pacto hic locus ex eo, quod eodem modo se habet, differat à loco ex simili. Nam in loco ex simili duo similia comparantur cum duobus similibus; in hoc loco duo comparantur cum vno subiecto, ad quod eodem modo se habent.

10 *Deinde destruenti quidem, si quod secundum esse dicitur, non est eius, quod secundum esse dicitur proprium: nam neque corrumpi eius, quod est secundum corrumpi, neque generari eius, quod secundum generari dicitur, erit proprium. Vt quia non est hominis propriũ esse animal, neque eius, quod est hominem generari, erit proprium generari animal, neque eius, quod est hominem corrumpi, erit proprium corrumpi animal. Eodem autem modo accipiendum est, & ex generari ad esse, & corrumpi, & ex corrumpi ad esse, & generari, quemadmodum dictum est nunc ex esse ad generari, & corrumpi. Construenti autem, si eius, quod est secundum esse ordinatum est. Est autem per se ordinatum proprium. Nam & eius, quod secundum generari dicitur, erit hoc, quod secundum generari dicitur pro-*

proprium, & eius, quod secundum corrumpi, hoc quod secundum corrumpi est assignatum. Vt quia hominis est proprium esse mortalem, & eius, quod est generari hominem, erit proprium generari mortalem, & eius, quod est corrumpi hominem, corrumpi mortalem. Eodem autem modo accipiendum est & ex generari, & corrumpi, & ad esse, & ad ipsa ex ipsis fieri, quemadmodum & in destruenti dictum est.

11 *Deinde inspiciendum ad idem suppositi: destruenti quidem, si ideæ non inest, aut si non qua id dicitur, cuius est proprium assignatum: non enim erit proprium, quod positum est esse proprium. Vt quoniam ipsi homini non inest quiescere qua homo est, sed qua idea, non erit hominis proprium quiescere. Construenti autem, si ideæ inest, & secundum hoc inest qua dicitur de illo ipso, cuius positum est non esse proprium: erit enim proprium, quod positum est non inesse proprium. Vt quoniam inest ipsi animali ex anima, & corpore compositum esse, & qua animal est, ipsi inest id, erit proprium animalis ex corpore, & anima compositum esse.*

10 Vigesimus locus est ex proportione inter esse, generari, & corrumpi: si aliquid secundum esse non est proprium rei in esse, nec secundum generari est proprium eiusdem in generari, nec secundum corrumpi est proprium rei in corrumpi; & è conuerso quod non est proprium rei in generari, & in corrumpi, nec est proprium eiusdem in esse. Ex. gr. quia non est proprium hominis *esse animal*, nec est propriũ generationis hominis, vt sit generatio animalis, neque est proprium corruptionis hominis, vt sit corruptio animalis. Proportionaliter si non est proprium generationis hominis, vt sit generatio animalis, neque est proprium corruptionis hominis, vt sit corruptio animalis, neque est proprium hominis, vt sit animal. Hic locus valet etiam proportionaliter ad construendum. Si enim aliquid in esse est proprium rei in esse, in generari, est proprium rei in generari, & in corrumpi, est proprium eiusdem in corrumpi; & è conuerso si est proprium rei in generari, & in corrumpi, proportionaliter est proprium rei in esse. Ex. gr. si hominis proprium est *esse mortalem*, generationis hominis est proprium, vt sit generatio mortalis, corruptionis hominis est proprium, vt sit corruptio mortalis. E conuerso si est proprium generationis hominis, vt sit generatio mortalis, & corruptionis est proprium, vt sit corruptio mortalis, etiam hominis est proprium, vt sit mortalis.

11 Vigesimus primus locus ex idea iuxta principia Platonica est: quod non conuenit ideæ, vel illi non conuenit, in quantum est idea talis rei, nec conuenit rei. Ex. gr. quia ideæ hominis, vel non conuenit immobilitas, vel si conuenit, non conuenit ideæ hominis, in quantum est idea hominis, sed solum in quantum est idea *vt sic*, siquidem omnes ideæ debent esse immobiles, & immutabiles, ideo esse immobilem non est proprium hominis. Proportionalis locus ad construendum est: quod conuenit ideæ, in quantum est idea talis rei, ac dicitur de re, est proprium rei. Ex. gr. quia animali *vt sic* conuenit *componi ex anima, & corpore*, & illi conuenit, in quantum animal est, ideo componi ex anima, & corpore est proprium animalis.

12 *Deinde ex magis, & minus. Primum quidem destruenti, si quod magis est, eius, quod magis non est proprium: neque enim, quod minus est, eius, quod minus erit proprium: neque quod minime eius, quod minime: neque quod maxime eius, quod maxime: neque quod simpliciter eius, quod simpliciter. Vt quia non est magis colorari magis corporis proprium, neque minus colorari minus corporis proprium erit, neque colorari corporis omnino. Construenti autem, si quod magis est, eius, quod magis est, est proprium: nam quod minus est, eius, quod minus est erit proprium: & quod minime eius, quod minime, & quod maxime, eius, quod maxime: & quod simpliciter, eius quod simpliciter. Vt quia magis viuentis magis sentire est proprium: & minus viuentis minus sentire erit proprium & eius, quod maxime, id quod maxime, & eius, quod minime, id quod minime, & eius, quod simpliciter, id quoque, quod simpliciter. Et ex eo autem, quod simpliciter, ad eadem considerandum: destruenti quidem, si quod simpliciter non est proprium: neque enim quod magis est, eius, quod magis, neque quod minus, eius, quod minus, neque quod maxime, eius, quod maxime, neque quod minime eius, quod minime erit proprium. Vt quia non est hominis proprium studiosum,*

neque

neque magis hominis, magis studiosum erit proprium. Construenti autem, si quod simpliciter est, eius, quod simpliciter est proprium: nam & hoc, quod magis eius, quod magis, & quod minus eius, quod minus, & quod minime eius, quod minime, & quod maxime eius, quod maxime erit proprium. Vt quia est ignis proprium sursum ferri secundum naturam, & magis ignis erit magis proprium sursum ferri secundum naturam. Eodem modo considerandum est & ex alijs huiusmodi.

12 Vigesimus secundus locus ex magis, ac minus, potest subdiuidi in quatuor loca. Primus est, in quo vnum dicitur de vno. Secundus, in quo duo dicuntur de duobus. Tertius, in quo vnum dicitur de duobus. Quartus, in quo duo dicuntur de vno. Primus, in quo vnum dicitur de vno, est: si quod magis dicitur, non est proprium eius, quod magis dicitur, neque id, quod minus dicitur, est proprium eius, quod minus dicitur; neque id, quod minimè dicitur, est proprium eius, quod minimè dicitur; neque id, quod maximè dicitur, est proprium eius, quod maximè dicitur; neque quod simpliciter dicitur, est proprium eius, quod simpliciter dicitur. Ex. gr. quia *esse magis coloratum* non est proprium eius, quod est magis corpus, neque *esse minus coloratum* est proprium eius, quod est minus corpus, neque esse minimè coloratum est proprium eius, quod est minimè corpus, neque esse maximè coloratum est propriũ eius, quod est maximè corpus, neque esse simpliciter coloratum, est proprium corpoporis simpliciter. Rursus, & fortasse est exemplum aptius, si maioris voluptatis non est proprium, vt sit maius bonum, neque minoris voluptatis est proprium, vt sit minus bonum; neque minimæ voluptatis est proprium, vt sit minimum bonum; neque maximæ voluptatis est proprium, vt sit maximum bonum; neque voluptatis simpliciter est proprium, vt sit bonum simpliciter. Hic locus valet proportionaliter ad construendum. Si enim quod dicitur magis est proprium eius, quod dicitur magis, etiam quod dicitur minus, est proprium eius, quod dicitur minus; & quod dicitur minimè est proprium eius, quod dicitur minimè; quod dicitur maximè est proprium eius, quod dicitur maximè; quod dicitur simpliciter est proprium eius, quod dicitur simpliciter. Ex. gr. quia magis viuentis est proprium *magis sentire*, minus viuentis est proprium *minus sentire*, maximè viuentis est proprium *maximè sentire*, minime viuentis est proprium *minime sentire*, simpliciter viuentis est proprium *simpliciter sentire*. Proportionaliter si quod simpliciter dicitur, non est proprium eius, de quo simpliciter dicitur, neque quod magis, aut minus dicitur, est proprium eius, de quo magis, aut minus dicitur, neque quod maximè, aut minimè dicitur, est proprium eius, de quo maximè, aut minimè dicitur. Ex. gr. quia non est hominis proprium *esse virtute præditum*, nec magis hominis est proprium *esse magis virtute præditum &c.* Rursus si quod simpliciter dicitur, est proprium eius, de quo simpliciter dicitur, etiam quod magis, aut minus, maximè, aut minimè dicitur, est proprium eius, de quo magis, aut minus, maximè, aut minimè dicitur. Ex. gr. quia proprium ignis est *ex sua natura sursum ferri*, magis ignis magis est proprium *ex sua natura sursum ferri &c.* Addit Aristoteles valere etiam argumentum à quolibet aliorum modorum ad cæteros. Si enim quod minus dicitur est proprium eius, quod minus dicitur, etiam quod simpliciter dicitur est proprium eius, quod simpliciter dicitur &c.

13 *Secundum autem, destruenti quidem, si quod magis est, non est eius quod magis est proprium: neque enim, quod minus est eius, quod minus erit proprium. Vt quoniam magis est proprium animalis sentire, quàm hominis scire: non est autem animalis proprium sentire: quare non erit hominis proprium scire. Construenti autem, si quod minus, eius, quod minus est proprium: nam & quod magis, eius, quod magis erit proprium. Vt quia minus est proprium hominis mansuetum natura, quàm animalis viuere: est autem hominis proprium mansuetum natura: erit proprium animalis viuere.*

14 *Tertium vero destruenti quidem, si cuius magis est, proprium non est: neque enim cuius est minus proprium, erit eius propriũ: si autem illius est proprium, non erit huius proprium. Vt quia colorari magis superficiei, quam corporis est proprium: non est autem superficiei proprium: non erit corporis proprium colorari. Si vero est superficiei pro-*

proprium, non erit corporis proprium. Construenti autem hic locus non est vtilis. Nam impossibile est idem plurium proprium esse.

15 *Quartum destruenti quidem, si quod magis est eius proprium, non est proprium, neque profecto quod minus est eius proprium, erit proprium. Vt quia magis est proprium animalis sensibile, quàm partibile: non est autem animalis sensibile proprium: quare non erit animalis partibile proprium. Construenti autem, si quod minus est eius proprium, est proprium: nam & quod magis est eius proprium, erit proprium. Vt quoniam minus est proprium animalis sentire, quàm viuere: est autem animalis proprium sentire: erit animalis proprium viuere.*

13 Secundus locus ex comparatione duorum cum duobus ad destruendum est: si quod magis videtur proprium, adhuc non est proprium eius, cuius videtur proprium, nec quod minus videtur proprium est proprium eius, cuius minus videtur proprium. Ex. gr. magis videtur proprium animalis *sentire*, quam hominis *scire*; sed *sentire* non est proprium animalis; ergo nec *scire* est proprium hominis. Ad construendum verò proceditur ex comparatione minoris cum maiori. Si enim quod minus videtur proprium est proprium eius, cuius minus videtur proprium, etiam id, quod magis videtur proprium, est proprium eius, cuius magis videtur proprium. Ex. gr. minus videtur proprium hominis, vt sit animal mansuetum natura, quam animalis, vt viuat; sed *esse animal mansuetum natura* est proprium hominis; ergo etiam *viuere* est proprium animalis.

14 Tertius locus ex comparatione vnius cum duobus est: quod non est proprium subiecti, cuius magis videtur proprium, nec est proprium subiecti, cuius minus videtur proprium; & quod est proprium subiecti, cuius magis videtur proprium, non est proprium subiecti, cuius minus videtur proprium, cum non possit idem esse proprium plurium subiectorum. Ex. gr. *colorari* magis videtur proprium superficiei, quam corporis, siquidem superficiei conuenit primo, & ratione sui, corpori autem conuenit solum ratione alterius; sed *colorari* non est proprium superficiei; ergo neque est proprium corporis. Si verò colorari est proprium superficiei, non est proprium corporis, cum non possit idem esse proprium plurium. Hinc patet hunc locum valere solum ad destruendum, non autem ad construendum.

15 Quartus locus est ex comparatione plurium cum vno; & ad destruendum quidem procedit solum à maiori ad minus, ad construendum verò à minori ad maius. Locus ad destruendum est: si quod magis videtur proprium alicuius subiecti, non est proprium talis subiecti, neque quod minus videtur proprium, est proprium eiusdem subiecti. Ex. gr. animalis magis videtur proprium *sensibile*, quam *partibile*; sed non est proprium animalis, vt sit sensibile; ergo neque est proprium animalis, vt sit partibile. Locus ad construendum est: si quod minus videtur proprium subiecti, est proprium illius, etiam quod magis videtur proprium, est proprium eiusdem subiecti. Ex. gr. minus videtur proprium animalis *sentire*, quam *viuere*; sed sentire est proprium animalis; ergo etiam viuere est proprium animalis.

16 *Deinde ex his, quæ similiter insunt, primum quidem destruenti, si quod similiter est proprium, non est proprium eius, cui similiter est proprium: neque enim quod similiter est proprium, erit proprium eius, cuius similiter est proprium. Vt quia similiter est proprium concupiscibilis concupiscere, & rationalis ratiocinari: non est autem proprium concupiscibilis concupiscere: non erit rationalis proprium ratiocinari. Construenti verò, si quod similiter est proprium, eius est proprium, cuius est similiter proprium: nam & quod similiter est proprium, erit eius proprium, cuius similiter est proprium. Vt quia similiter est rationalis proprium primum prudens, & concupiscibilis proprium primum temperans: est autem rationalis primum prudens: erit igitur concupiscibilis proprium primum temperans.*

17 *Secundum autem, destruenti quidem, si quod similiter est proprium non est proprium eius: nam neque quod similiter est proprium, erit proprium eius. Vt quia similiter est proprium hominis videre, & audire: non est hominis proprium videre: non vtique hominis proprium audire. Construenti vero, si quod similiter est eius proprium, est proprium: nam quod similiter est eius proprium, proprium erit. Vt quia similiter est proprium animæ aliquid partium eius*

primo

primo esse concupiscibile, & rationale primo: est autem proprium animæ, quid partium eius esse concupiscibile primo: erit vtique proprium animæ, quidpiam partium eius esse rationale primo.

18 *Tertium vero, destruenti quidem, si cuius similiter est proprium non est proprium: neque enim cuius similiter proprium erit proprium: si autem illius est proprium, non erit alterius proprium. Vt quia vrere similiter est proprium flammæ, & carbonis: non est autem flammæ proprium vrere: non erit carbonis proprium vrere: si autem est flammæ proprium, non erit carbonis proprium vrere. Construenti autem hic locus non est vtilis. Differt autem, quod est ex similiter se habentibus, ab eo, quod ex ijs est, quæ similiter insunt, quoniam illud quidem secundum proportionem sumitur, non in eo, quod inest aliquid comparatum, hoc autem ex eo, quod inest, alicui comparatur.*

16 Vigesimus tertius locus ex similibus, seu paribus, potest subdiuidi in tres. Primus procedit ex comparatione duorum cum duobus: secundus ex comparatione duorum cum vno: tertius ex comparatione vnius cum duobus. Primus ex comparatione duorum cum duobus subiectis valet ad destruendum, & construendum. Locus ad destruendum est: si quod similiter videtur proprium non est proprium eius, cuius videtur proprium, nec quod similiter videtur proprium alterius subiecti, erit proprium talis subiecti: ex. gr. similiter videtur proprium concupiscibilis, *concupiscere*, ac rationalis, *ratiocinari*; sed non est proprium concupiscibilis *concupiscere*; ergo neque est proprium rationalis *ratiocinari*. Locus ad construendum est: si quod similiter videtur proprium alicuius subiecti, est proprium illius, etiam quod similiter videtur proprium alterius subiecti, est proprium illius: ex. gr. similiter videtur proprium partis ratiocinatiuæ, vt sit primum subiectum prudentiæ, ac partis concupiscibilis, vt sit primum subiectum temperantiæ; sed est proprium partis ratiocinatiuæ, vt sit primum subiectum prudentiæ; ergo etiam est proprium partis concupiscibilis, vt sit primum subiectum temperantiæ.

17 Secundus locus ex comparatione duorum cum vno valet etiam ad construendum, & destruendum. Locus ad destruendum est: si quod similiter videtur proprium non est proprium subiecti, neque quod similiter videtur proprium est proprium eiusdem subiecti: ex. gr. similiter videtur proprium hominis *videre*, & *audire*; sed *videre* non est proprium hominis; ergo nec audire est proprium hominis. Locus ad construendum est: si quod similiter videtur proprium subiecti est proprium talis subiecti, etiam quod similiter videtur proprium erit proprium eiusdem subiecti: ex. gr. similiter videtur proprium animæ, vt secundum aliquam sui partem sit ratiocinatiua, ac quod secundum aliquam partem sit concupiscibilis; sed est proprium animæ, vt secundum aliquam partem sui sit ratiocinatiua; ergo etiam est proprium animæ, vt secundum aliquam partem sui sit concupiscibilis.

18 Tertius locus ex comparatione vnius cum duobus, qui valet solum ad destruendum est: quod non est proprium eius, cuius similiter videtur proprium, nec est propriũ alterius, cuius similiter videtur proprium; si verò est proprium eius, cuius similiter videtur proprium, adhuc non est proprium alterius, cum non possit idem esse proprium duorum. Ex. gr. vrere similiter videtur proprium carbonis, ac flammæ; sed non est proprium flammæ; ergo neque est propriũ carbonis; si verò est proprium flammæ, adhuc non est proprium carbonis, cum non possit idem esse proprium plurium subiectorum. Hinc patet hunc locum esse inutilem ad construendum. Iam quia locus ex ijs, quæ similiter insunt, videtur coincidere cum loco decimonono ex ijs, quæ eodem modo se habent, ideo Aristoteles explicat eorum differentiam, quæ consistit in hoc, quod in loco decimonono, quæ eodem modo se habent comparantur secundum proportionem, in hoc loco comparantur secundum hoc, quod subiecto insunt, vel non insunt.

19 *Deinde destruenti quidem si potentia proprium assignans, & non ad ens assignauit proprium potentia, cùm non contingat ei potentia inesse cum ens non est: non enim erit proprium quod positum est esse proprium. Vt quia qui dixit aeris proprium respirabile, potentia quidem assignauit proprium (nam tale proprium vt respirari possit, respirabile est:) assignauit autem & ad non esse proprium: nam & cum non est animal, quod spirare natum ex aere, contingit*

tingit aerem esse, non tamen cùm non est animal, possibile est spirare: quare neque aeris erit proprium huiusmodi possibile respirari tunc, quia animal non erit quod tale est, vt respirare possit: non ergo erit aeris proprium respirabile. Construenti autem, si potentia assignans proprium tam ad ens assignauit proprium, quam ad non ens, cùm contingat potentia non enti inesse: erit enim proprium, quod positum est non esse proprium. Vt quia qui assignauit proprium, entis possibile pati, aut facere, potentia assignans proprium, ad ens assignauit proprium (nam cùm ens est, & possibile pati quid, aut facere erit): quare proprium erit entis possibile pati quid, aut facere.

20 *Deinde destruenti quidem, si per superabundantiam posuit proprium: non erit enim proprium, quod positum est esse proprium. Accidit enim sic assignantibus proprium, non de quo orationem & nomen verificari: nam corrupta re, nihil minus erit oratio: nam eorum, quæ sunt, alicui maxime inest. Vt si quis assignet ignis propriũ, corpus leuissimum: corrupto enim igne, erit aliquod corporum, quod leuissimum erit: quare non erit ignis proprium, corpus leuissimum. Construenti autem, si non per superabundantiam posuit proprium: erit enim secundum hoc bene positum proprium. Vt quia qui posuit hominis proprium animal mansuetum natura, non superabundantia assignauit proprium, erit vtique secundum hoc bene positum proprium.*

19 Vigesimus quartus locus ad destruendum est: cum assignatur vt proprium aliqua potentia, si talis potentia referatur ad ens, quo non existente, non possit dari talis potentia, hæc potentia non est proprium. Ex. gr. si quis dicat proprium aeris esse, vt sit respirabilis, assignat vt proprium aeris *posse respirari*, quod significat potentiam; sed posse respirari refertur ad animal potens respirare, & non existente animali, aer non potest respirari; ergo *posse proximè respirari* non est proprium aeris, si quidem potest aer esse, quin sit potens respirari, non potest autem esse sine suo proprio. Locus ad construendum est: si assignatur vt proprium potentia, quæ non dependet ab existentia entis determinati, quod assignatur est verè proprium, seu assignetur vt proprium entis, seu vt proprium non entis, hoc est materiæ primæ. Ex. gr. qui dicit proprium entis esse, *possibile agere, ac pati*, assignat vt proprium potentiam agendi, & patiendi, quæ non pendet ab vllo termino determinato, ideo bene assignat: qui dicit proprium materiæ esse, vt sit susceptiua formarum, assignat proprium non entis (materia enim à Platone dicebatur non ens,) & adhuc bene assignat ex eadem ratione.

20 Vigesimus quintus, & vltimus locus ad destruendum est: quod dicitur secundum excessum ad reliqua, non est verè proprium rei. Ratio est, quia proprium est conuertibile cum subiecto, adeoque ablato subiecto non potest remanere proprium; sed quod dicitur per excessum potest remanere ablato subiecto; ergo quod dicitur per excessum non est verè propriũ. Ex. gr. non est proprium ignis *esse leuissimum corporum*: ablato enim igne, adhuc de aliquo corpore, puta de aere, verificaretur, quod tum esset leuissimum corporum; ergo quod assignatur vt proprium ignis, conueniret alicui, quod non esset ignis. Eodem loco possumus vti ad construendum. Si enim quod assignatur non significat excessum, verè potest esse proprium. Ex. gr. quia *esse animal mansuetum natura* non significat excessum, verè est proprium hominis. Et per hæc Aristoteles concludit librum quintum Topicorum.



ARISTOTELIS TOPICORVM.

LIBER SEXTVS.

Quot modis possit euerti definitio, & pro quibus sint assignanda loca. Caput Primum. Articulus Primus.

1 *EIVS autem, quod est circa*
2 *terminos negotij, partes sunt quinque. Nam, aut quod omnino non verum est dicere, de quo nomen, & orationem (oportet enim hominis definitionem de omni homine verificari:) aut quod, cùm sit genus, non posuit in genere, vel non in accomodato genere posuit (oportet enim eum, qui definit, in genere ponentem differentias adiungere: nam maxime eorum, quæ sunt in definitione, genus videtur definiti substantiam significare:) aut quod non propria est definitio (oportèt enim definitionem propriam esse, quemadmodum prius dictum est:) aut si omnia, quæ dicta sunt is qui fecit, non definiuit, neque dixit, quid est esse rei definitæ.*

3 *Reliquum autem præter ea, quæ dicta sunt, si definiuit quidem, at non bene definiuit. Si igitur non verificatur, de quo nomen, & oratio, ex ijs, quæ dicta sunt in accidente locis, considerandum. Nam & illic vtrum verum, vel non verum, omnis consideratio fit. Quando enim, quod inest accidens disputamus, quod verum est dicimus: quando autem, quod non est, quod non verum. Si vero non in accommodato genere posuit, aut si non propria est assignata oratio, ex ijs qui sunt ad genus, & proprium dictis locis, prospiciendum. Reliquum vero si non definiuit, aut si non bene definiuit aliquo modo aggrediendum dicere. Primum igitur inspiciendum, si non bene definiuit. Nam facilius est quodlibet fecisse, quam bene fecisse: manifestum igitur, quoniam peccatum circa hoc plusculum, eo quòd laboriosius: quare argumentatio facilior, quæ circa hoc, quàm quæ circa illud fit.*

4 *Sunt autem eius, quod non est bene, partes duæ. Vna quidem, obscura interpretatione vti. Oportet enim definientem, vt contingit, quam clarissima interpretatione vti, eo quòd cognoscendi gratia assignatur definitio. Secunda autem, si amplius dixit in definitione, quam par sit: nam omne, quod superadiectum est in definitione, superfluum est.*

1 POSTQVAM Aristoteles lib. 2. 3. 4. & 5. tradidit loca accidentis, generis, & proprij, lib. 6. tradit loca definitionis. Præmittit, quot modis possit euerti definitio, & pro quibus loci sint hic assignandi.

2 Quinque modis, ac vijs potest euerti definitio. Primus modus est, vt ostendatur definitionem non dici de omnibus, de quibus dicitur definitum: eo enim ipso mala est definitio, cum definitio debeat conuenire omni definito. Secundus modus est, vt ostendatur, quod cum definitum sit in genere, non est positum in genere, vel non est positum in genere proprio, sed alieno. Cum enim ad definitionem requiratur, vt definiens ponat definitum in proprio genere, ac deinde addat differentias, eo ipso, quod non explicat genus, quod videtur maximè declarare *quid sit res*, malè definit rem. Tertius modus est, vt ostendatur definitionem non esse propriam rei, hoc est non esse conuertibilem cum re, cum definitio debeat esse conuertibilis cum definito. Quartus locus est, vt ostendatur, quod licet definitio conueniat definito, explicet genus, & sit conuertibilis,

bilis, adhuc non explicat quidditatem, & essentiam definiti; eo enim ipso non erit definitio, cum definitio debeat esse oratio explicans essentiam definiti. Quintus modus est, vt ostendatur, quod licet allata definitio sit definitio, eo quod explicet essentiam rei, adhuc non est bene assignata.

3 Loci ad euertendam definitionem tribus primis modis iam sunt explicati libris superioribus. Loci enim ad ostendendum, quod definitio conueniat, vel non conueniat omni definito, traditi sunt libro secundo, agendo de problemate accidentis. Ibi enim traditi sunt loci ad examinandum, vtrum prædicatum conueniat, vel non conueniat subiecto, adeoque ex ijs locis poterit examinari, an definitio conueniat, vel non conueniat omni definito. Loci ad ostendendum, quod non explicatum est genus proprium, assignati sunt libro quarto, agendo de problemate generis. Ibi enim traditi sunt loci ad examinandum, vtrum aliquid sit proprium genus rei, an non. Loci ad examinandum, an definitio sit propria, & conuertibilis cum definito, traditi sunt lib. 5. de problemate proprij. Ibi enim traditi sunt loci ad examinandum, vtrum aliqua oratio sit propria rei, vel non. Reliquum igitur est, vt hoc libro agatur de locis, ex quibus examinari potest, an per allatam orationem res definiatur, & an bene definiatur. Et quia incipiendum est à facilioribus, facilius autem est ostendere, quod res non sit bene definita, quam quod nullo pacto sit definita, prius agendum de locis, ex quibus ostendi potest rem non bene definiri, deinde de locis, ex quibus ostendi potest rem nullo pacto definiri. Quod autem facilius ostendatur rem non bene definiri, quam nullo pacto definiri, probatur, quia facilius est rem definire, quam bene definire, siquidem vniuersim facilius est rem facere vtcumque, quam bene facere; ergo sæpius peccatur non bene definiendo, quam non definiendo, siquidem sæpius peccatur in eo, quod est difficilius; ergo facilius est argumentari, ostendendo, quod res non est bene definita, quam ostendendo rem non esse definitam.

4 Iam ex duobus capitibus possumus peccare non bene definiendo: primo ex eo, quod definitio sit obscura; secundo ex eo, quod definitio sit redundans, & contineat aliquid superfluum. Aliqui igitur loci eo tendunt, vt probent definitionem esse obscuram; aliqui eo tendunt, vt ostendant definitionem esse redundantem, & continere aliquid superfluum.

De locis ad probandum definitionem esse obscuram, vel redundantem. Cap. I. Art. II.

5 *Rursum autem vtrunque, quod dictum*
6 *est, in plures partes diuiditur.* * *Vnus autem locus eius, quod obscure est, si sit æquiuocum alicui, quod dictum est. Vt quòd generatio est ductio ad substantiam, et quòd sanitas commensuratio calidorum, & frigidorum: nam æquiuoca est ductio, & commensuratio: immanifestum igitur, vtrum vult dicere eorum, quæ significantur ab eo, quod multipliciter dicitur.*

7 *Similiter autem & si cùm definitum multipliciter dicitur, diuidens non dixit. Nam immanifestum vtrius definitionem assignauit, contingitque calumniari, velut non conueniente oratione ad omnia, quorum definitionem assignauit. Maxime autem contingit tale quippiam facere, cum latet æquiuocatio. Contingit etiam & eum, qui diuidit, quoties dicitur id, quod in definitione assignatum est, syllogismum facere. Nam, si secundum nullum modorum sufficienter dictum est, manifestum, quòd non definierit illo modo.*

8 *Alius, si secundum metaphoram dixit, vt scientiam indeciduam, terram autem nutricem, aut temperantiam consonantiam. Nam omne obscurum, quod secundum metaphoram dicitur. Contingit etiam metaphora loquentem calumniari, tanquam non proprie dicentem. Non enim congruet dicta definitio, vt in temperantia: nam omnis consonantia in sonis. Amplius si est genus consonantia temperantiæ, in duobus generibus erit idem non continentibus se inuicem: nam neque consonantia virtutem, neque virtus continet consonantiam.*

5 Plures sunt loci ad probandum definitionem esse obscuram; & plures etiam ad ostendendum definitionem esse redundantem.

6 Primus locus ad probandum definitionem esse obscuram desumitur ex eo, quod continet aliquid, quod dicitur multipli-

tipliciter. Ex. gr. definitio, qua generatio definitur, *ductio ad substantiam*, & qua sanitas definitur, *commensuratio calidorum, & frigidorum*, sunt obscuræ, quia cum ductio, & commensuratio dicantur multipliciter, obscurum est, in qua significatione sumantur.

7 Secundus locus desumitur ex eo, quia cum definitum sumatur multipliciter, non explicatur, in quo sensu sumatur. Rursus potest contra talem definitionem opponi, quod non conuenit omni definito: hoc autem præcipuè potest opponi, cum definiens non aduertit definitum dici multipliciter. Possumus etiam contra talem definitionem vti argumento ex diuisione. Explicando enim, quot modis dicitur definitum, & ostendendo, quod in nullo ex talibus modis bene definitur, possumus concludere, quod absolutè definitio non est bona.

8 Tertius locus desumitur ex eo, quod definitio sit metaphorica. Cum enim omne, quod dicitur metaphoricè, sit obscurum, eo ipso definitio est obscura. Ex hoc loco possunt reijci definitiones, per quas quis diceret scientiam esse *opinionem indeciduam*, terram esse *altricem viuentium*, temperantiam esse *quamdam consonantiam*. Nam omnes istæ definitiones sunt metaphoricæ, adeoque obscuræ. Possumus etiam contra sic definientes argumentari, quia tales definitiones propriè non conueniunt definitis, ex. gr. temperantia non est propriè consonantia, cum omnis consonantia sit in sonis. Rursus possumus argumentari, quia sequitur, quod definitum sit in duobus generibus, quorum neutrum continetur in altero: ex. gr. si temperantia est in genere consonantiæ, cum sit etiam in genere virtutis, est in duobus generibus, quorum neutrum continetur in altero; nam neque virtus continetur in genere consonantiæ, neque consonantia in genere virtutis.

9 *Amplius si non positis nominibus vtitur, vt Plato ciliumbræ oculum, aut araneum putrimordax, aut medullam ossigenium dixit: nam omne obscurum, quod insuetum est.*

10 *Quædam autem neque secundum æquiuocationem, neque secundum metaphoram, neque proprie dicuntur, vt lex, mensura, vel imago eorum, quæ natura iusta sunt. Sunt autem huiusmodi deteriora, metaphora. Nam metaphora facit quodammodo notum, quod designatum est per similitudinem (omnes enim metaphora vtentes, secundum aliquam similitudinem ea vtuntur:) at quod tale est non facit notum. Nam neque similitudo est, secundum quam mensura, vel imago lex est, neque dici solet proprie: quapropter, si proprie mensuram, vel imaginem legem dicit esse, veritatis est expers: nam imago idest, cuius generatio per imitationem est: hoc autem non inest legi: si autem non proprie, manifestum, quod obscure dixit, atque deterius quolibet eorum, quæ secundum metaphoram dicuntur.*

11 *Amplius si non manifesta est contrarij oratio ex hoc, quod dicitur. Nam quæ bene assignantur, contrarias commanifestant.*

12 *Aut si per se dicta non sit manifestum cuius est definitio, sed quemadmodum ea, quæ sunt antiquorum scriptorum, nisi quis superscripsisset non cognoscebatur quid vnumquodque. Si igitur non clare, ex huiusmodi est inspiciendum.*

9 Quartus locus est: definitio non debet vti nominibus insuetis. Ex hoc loco possunt reijci definitiones, in quibus Plato in definitione oculi vsus est nomine *ciliumbris*, eo quod obumbretur a Cilio; & in definitione aranei vsus est nomine, *putrimordacis*, eo quod mordeat putria; & in definitione medullæ vocauit illam *ossigeneam*, eo quod ex medulla generentur ossa. Omnes istæ definitiones sunt obscuræ, quia omne insuetum est obscurum.

10 Quintus locus est: in definitione neque etiam debemus vti modo dicendi insueto. Explicatur. Aliquando qui definit non vtitur nominibus insuetis, & tamen dicit aliquid insuetum, quod neque dicitur metaphoricè, neque æquiuocè, neque propriè. Ex. gr. Plato dum legem definiens dixit, quod lex est *mensura, & imago eorum, quæ ex sua natura sunt iusta*, non vsus est nominibus insuetis, & tamen dixit aliquid insuetum. Non enim solet dici, quod lex sit mensura, vel imago. Porrò hi modi dicendi insueti sunt deteriores metaphora, cum minus rem declarent, quam metaphoræ. Ratio est, quia cum omnis metaphora fundetur in similitudine, vnum autem simile sit aptum ad manifestandum aliud simile, metaphora aliquo pacto declarat rem: ex. gr. cum dicitur, quod scientia est

opinio indecidua, ly *indecidua* explicat firmitatem scientiæ. At cum dicitur, quod lex est *mensura, & imago*, nullo pacto notificatur lex. Non enim explicatur aliquid simile legi, cum lex non sit similis imagini; neque explicatur, quid propriè lex sit, nam lex propriè non est imago: imago enim propriè est, cuius generatio per imitationem fit; sed lex non est huiusmodi; ergo lex propriè non est imago; ergo qui definit legem per hoc, quod sit imago, si propriè loquitur, falsum dicit; ergo cum neque explicet, quid propriè sit res, neque explicet aliquid simile rei, talis definitio est obscura, ac deterior definitionibus metaphoricis, quæ licet non explicent, quid propriè res sit, saltem explicant aliquid simile rei.

11 Sextus locus est: definitio explicans *quid res sit*, si res habet contrarium, explicat etiam aliqualiter, quid sit contrariũ. Cum enim contraria sint eiusdem generis, & contrahantur oppositis differentijs, explicat genus contrarium, & facile etiam potest intelligi differentia contraria. Ex. gr. definitio, qua albedo definitur, *color disgregatiuus visus*, explicat etiam aliqualiter, quid sit nigredo, quæ nimirum est *color congregatiuus visus*. Si igitur ex definitione vnius contrarij non potest colligi definitio alterius contrarij, patet definitionem esse obscuram, ac non satis declarare definitum.

12 Septimus locus est: definitio per se dicta debet manifestare, cuius rei sit definitio: si igitur ex definitione per se non patet, cuius rei sit definitio, talis definitio est obscura, & mala. Nam se habet sicut imagines veterum Pictorum, quibus visis non poterat percipi, cuius rei essent imagines, nisi subscriberetur nomen illius rei. Ex his igitur septem locis potest probari definitionem esse obscuram, adeoque non esse bene assignatam.

13 *Si igitur superfluum in termino dixit, primum quidem considerandum, si aliquo vsus est, quod omnibus insit, vel simpliciter ijs, quæ sunt, vel ijs, quæ sub eodem genere sunt definitorum. Nam superfluum dici necessarium id est. Oportet enim genus ab alijs separare, differentiam autem ab aliquo eorum, quæ sunt in eodem genere: atqui quod omnibus quidem inest simpliciter, à nullo separat, quod autem omnibus, quæ sub eodem sunt genere inest, non separat ab ijs, quæ sunt in eodem genere: quare superuacaneum huiusmodi appositum.*

14 *Aut si est quidem proprium, quod appositum est, ablato autem illo, & reliqua definitio propria est, & indicat substantiam. Vt in hominis oratione scientiæ susceptiuum appositum, superfluum: nam & eo ablato, reliqua oratio propria est, & indicat substantiam. Simpliciter autem dicendo, omne superfluum, quo ablato, reliquum manifestum facit id, quod definitur.*

15 *Talis autem est & animæ terminus, si est numerus ipse seipsum mouens: nam quod seipsum mouet est anima, ceu Plato definiuit. An proprium quidem, quod dicitur, non indicat autem substantiam interempto numero? Vtrouis igitur modo se habeat, difficile est vt explicet. Vtendum ergo in omnibus talibus ad id, quod expedit. Vt est phlegmatis terminus, humidum primum à cibo indigestum: vnum enim primum non multa: quare superfluum, indigestum appositum: nam hoc ablato, reliqua erit propria definitio: non enim contingit à cibo & aliud quiddam primum esse. An non simpliciter à cibo phlegma, sed indigestorum primum? quare addendum est indigestum. Nam illo quidem modo dicta non vera erit definitio, siquidem non omnium primum est.*

13 Tradit iam Aristoteles alios quinque locos ad ostendendum definitionem non esse bonam, quia est redundans, & continet aliquid superfluum. Primus locus est: definitio suprà genus, & differentiam nihil debet addere, quod vel sit commune omnibus simpliciter, vel saltem sit commune omnibus eiusdem generis; eo enim ipso hoc erit superfluum. Ratio est, quia definitio debet ponere genus, per quod res separetur, ac distinguatur ab alijs rebus diuersi generis, & debet addere differentiam, per quam separetur, ac distinguatur à rebus eiusdem generis; sed quod est commune omnibus simpliciter à nullo separat, ac distinguit; quod est commune omnibus eiusdem generis non separat ab vllo eiusdem generis, à rebus verò diuersi generis sufficienter res separatur per genus; ergo eo ipso, quod definitio addat aliquid commune omnibus simpliciter, vel omnibus eiusdem generis, est mala, & redundans. Exemplum definitionis malæ, quia addit aliquid omnibus

nibus commune est, qua homo definitur *animal rationale vnum existens: esse enim vnum* est commune omnibus entibus; ergo homo per hoc, quod sit vnus, à nullo ente distinguitur. Exemplum definitionis malæ, quia addit aliquid commune omnibus eiusdem generis est, qua homo definitur *animal sensibile, rationale: esse enim sensibile*, est commune omnibus animalibus; ergo non separat animal, cui additur, ab vllo animali; ergo frustrà additur.

14 Secundus locus est: vniuersim superfluum in definitione est omne id, quo ablato, quod remanet explicat *quid sit definitum*; & quia quando in definitione additur aliquid proprium rei, eo ablato adhuc quod remanet est oratio propria, & cōuertibilis cum definito, & explicans quid illud sit, ideo superflua est definitio, in qua additur proprium. Ex. gr. superflua est definitio, qua homo definitur *animal rationale, disciplinæ susceptiuum*: nam hoc, quod est, *esse disciplinæ susceptiuum est*, proprium hominis, eoque ablato remanet integra definitio hominis.

15 Quia verò Aristoteles dixit nullum superfluum debere poni in definitione, ideo ex hoc loco disputat, an duæ definitiones, altera animæ, altera phlegmatis sint redundantes, ac malæ. Anima definiebatur à quibusdam antiquis *numerus se ipsum mouens*. Videtur, quod illa particula *numerus* sit superflua. Si enim illa ablata dicatur cum Platone, quod anima est *id, quod mouet se ipsum*, habetur integra definitio animæ. Ex alia parte potest dici, quod licet hæc oratio *id, quod mouet sè ipsum*, sit animæ propria, & cum illa conuertibilis, adhuc non explicat genus animæ; sed ad explicandam rem vltra differentiam debet explicari genus; ergo illa particula *numerus* non est superflua; ergo quæstio, an proposita definitio animæ sit bona, est difficilis explicatu, neq; debet hic decidi. Aliquando igitur cum res postulat, licet per differentiam res satis ab omnibus distinguatur, adhuc est addenda aliqua particula loco generis, eo pacto, quo numerus additur in definitione animæ. Phlegma definiebatur ab antiquis, *humidum primum à cibo indigestum*. Videtur, quod illa particula *indigestum* sit superflua. Nam ex humidis, quæ oriuntur à cibo, solum phlegma est, quod primo oritur à cibo; ergo frustrà additur illa particula *indigestum*: ea enim ablata sufficienter phlegma distinguitur ab omnibus alijs humidis, quæ oriūtur à cibo per hoc, quod sit primum. Ex alia parte dici potest, quod alia humida oriantur à cibo via indigestionis, alia via digestionis; ergo phlegma per hoc, quod sit *humidum primo ortum à cibo*, non distinguitur sufficienter ab alio humido primo, quod oritur à cibo via digestionis; ergo addenda fuit illa particula *indigestum*, tanquam vltima differentia, qua ablata non remanet integra definitio phlegmatis. Verum hanc etiam quæstionem relinquit Aristoteles indecisam, vtpote non spectantem ad hunc locum.

16 *Amplius si quippiam eorum, quæ sunt in oratione, non omnibus inest, quæ sunt sub eadem specie: nam talis peius definiuit, quam qui vsi sunt eo, quod inest omnibus, quæ sunt. Nam illic, si reliqua propria definitio, & tota propria erit: simpliciter enim ad proprium quolibet addito vero tota oratio propria fit. At vero si aliquid eorum, quæ sunt in oratione, non omnibus insit, quæ sunt sub eadem specie, impossibile est totam orationem propriam esse: non enim conuersim prædicabitur de re. Vt animal gressibile bipes quadricubitale: nam huiusmodi oratio non conuersim prædicabitur de re, eo quòd non omnibus inest (quæ sub eadem specie sunt) quadricubitale.*

16 Tertius locus est: non debet in definitione addi aliquid, quod non conueniat omnibus contentis sub definito; eo enim ipso definitio non erit propria, & conuertibilis cum definito. Ex. gr. si homo definiatur *animal gressibile bipes, quadricubitale*, definitio non est conuertibilis cum homine: neque enim omnis homo est quadricubitalis. Hinc Aristoteles infert magis peccari, cum definitioni additur particula non solum superflua, sed etiam non conueniens omnibus definitis. Ratio est, quia si particula superflua conueniat omnibus, definitio est quidem redundans, sed adhuc conuertitur cum re: at si particula superflua non conueniat omnibus, resultat oratio nō conuertibilis cum re. Ex. gr. si quis hominem definiat, *animal rationale vnum* licet ly *vnum* sit superfluum, adhuc hæc oratio est conuertibilis cum homine: at si quis definiat hominem *animal rationale quadricubitum*, eo ipso fit oratio non conuertibilis cum homine, adeoque dupliciter peccans.

17 *Rursum si idem frequenter dixit, vt qui concupiscentiam appetitum delectationis dixit. Nam omnis concupiscentia delectationis est: quare & eidem concupiscentiæ delectationis erit: sit igitur terminus concupiscentiæ appetitus delectationis (nihil enim differt concupiscentiam dicere, aut appetitum delectationis) quare vtrunque eorum delectationis erit. An hoc quidem nihil absurdum? nam & homo bipes est: quare & idem homini, bipes erit: est autem idem homini, animal gressibile bipes: quare animal gressibile bipes, bipes est. Sed non propter hoc absurdum aliquid accipit. Non enim de animali solum gressibile bis bipes prædicatur: sic enim de eodem bis bipes prædicatur, si de animali bipede gressibile bipes dicitur: quare semel tantum bipes prædicatur. Similiter autem, & in concupiscentia. Non enim de appetitu id, quod est delectationis esse prædicatur, sed de toto: quare semel & hic prædicatio fit. Non est autem bis dicere idem nomen, aliquid absurdum, sed frequenter de aliquo idem prædicari, sicut Xenocrates prudentiam definitiuam, & contemplatiuam eorum, quæ sunt, dicit esse: nam definitiua, contemplatiua quæ iam est: quare bis idem dicit, addens rursum & contemplatiuam. Similiter autem & quicunque refrigerationem, priuationem eius quidem caloris, qui secundum naturam est, dicunt esse: nam omnis priuatio eius est, quod secundum naturam est: quare superfluum est addere secundum naturam, sed sufficit fortasse dicere, priuationem caloris, eo quòd ipsa priuatio notum facit, quòd eius sit, quod secundum naturam dicitur.*

17 Quartus locus est: in definitione non debet idem nomen sæpius repeti. Exéplum, in quo videtur contra hunc locum peccari, sed verè non peccatur, est definitio, qua concupiscentia definitur *appetitus delectationis*. Concupiscentia enim delectationis est; ergo idem est dicere, concupiscentia est appetitus delectationis, ac dicere concupiscentia delectationis est appetitus delectationis; ergo ly *delectationis* bis dicitur, semel ex parte definiti, semel ex parte definitionis: Verum non est absurdum, quod idem bis dicatur, semel implicitè ex parte definiti, semel explicitè ex parte definitionis, imo necesse est, vt hoc accidat in omni definitione. Ex. gr. in definitione, qua homo definitur, *animal gressibile bipes*, cum homo sit essentialiter bipes, bipes bis ponitur, semel implicitè ex parte hominis, semel explicitè ex parte definitionis. Iam in exemplo posito, cum dicitur, *concupiscentia est appetitus delectationis* delectatio non includitur in appetitu; ergo delectatio non bis ponitur ex parte prædicati, seu definitionis; ergo non peccatur. Exemplum igitur, in quo verè peccatur idem bis ponendo ex parte prædicati, ac definitionis, est definitio, qua Xenocrates prudentiam definiuit, *definitiuam, & contemplatiuam eorum, quæ sunt*. Cum enim *definire* sit *contemplari*, *definitiuum* in suo conceptu includit *contemplatiuum*, adeoque *contemplatiuum* bis ponitur. Peccant etiam qui refrigerationem definiunt *priuationem caloris, qui secundum naturam est*. Priuatio enim includit in suo conceptu, vt sit eius, quod est secundum naturam; ergo dum dicitur, quod refrigeratio est priuatio eius, quod est secundum naturam, bis ponitur ly *secundum naturam*, adeoque definitio est redundans, & superflua; sufficienter enim definiretur *refrigeratio* dicendo, quod est *priuatio caloris*.

18 *Rursum si vniuersali dicto addidit & particulare, vt si clementiam imminutionem, expedientium & iustorum. Nam iustum expediens quippiam est: quare continetur in expediente: superfluum igitur iustum: nam qui dixit vniuersale, addidit & particulare. Et si medicinam disciplinam sanatiuorum animali, & homini: aut legem imaginem eorum quæ natura sunt bona, & iusta: nam iustum bonum quippiam: quare frequenter idem dicit. Vtrum igitur bene an non bene definiuit, per hæc, & huiusmodi perspiciendum.*

18 Quintus, & vltimus locus est: in definitione non debet simul poni vniuersale, & particulare, in quo continetur illud vniuersale. Ex. gr. qui definit Epijcheiam, siue æquitatem, *imminutionem expedientium, et iustorum*, peccat. Cum enim omne iustum contineatur in expediente, frustrà additur ly *iustorum*; sufficeret enim dicere, quod æquitas est *imminutio expedientium*. Similiter peccat, qui definit medicinam, *disciplinam sanatiuam animalium, & hominis*, quia homo continetur in animali. Peccat etiam qui definit legem *imaginem eorum*, quæ

quæ bona, & iusta sunt, quia iusta continentur in bonis.

De locis ad probandum, orationem allatam non esse definitionem. Cap. I. Art. III.

19 *VTrum vero definiuit, & dixit, quid est esse an non, ex his. Primum ergo si non, per priora, & notiora confecit definitionem. Nam terminus assignatur eius cognoscendi gratia, quod dicitur. Cognoscimus autem non ex quibuslibet, sed ex prioribus, notioribusque, quemadmodum in demonstrationibus: sic enim omnis doctrina, & omnis disciplina se habet: manifestum igitur, quòd qui non per huiusmodi definiuit, non definiuit. Si enim definiuit, plures erunt eiusdem definitiones. Nam manifestum, quòd & qui per priora, ac notiora, iterum melius definiuit: quare vtræque erunt definitiones eiusdem: tale autem non videtur. Nam vnicuique eorum, quæ sunt, vnum est esse id ipsum, quod est: quare si plures erunt eiusdem definitiones, idem erit definitio esse, quod quidem secundum vtranque definitionem significatur: hæc autem non eadem sunt, eo quòd definitiones diuersæ: manifestum igitur, quoniam non definiuit qui non per priora, atque notiora definiuit.*

20 *Igitur per non notiora quidem terminum dici, dupliciter est accipere. Aut enim si simpliciter ex ignotioribus, aut si nobis ignotioribus: contingit enim vtroque modo. Simpliciter igitur notius, quod prius est, posteriore, vt punctum linea, & linea superficie, & superficies solido, quemadmodum & vnitas numero: prius enim, & principium omnis numeri: similiter autem, & elementum syllaba. Nobis autem è conuerso quandoque accidit. Nam maximè solidum magis sub sensu cadit, quam superficies: superficies autem magis, quam linea: linea autem signo magis: quare multitudo magis huiusmodi cognoscit: nam illa quidem quomodolibet, hæc autem subtili, & fæcundo intellectu comprehendere oportet. Simpliciter igitur melius per priora, posteriora tentare cognoscere: nam magis scientificum tale est. Verum ad eos, qui impotentes sunt cognoscere per talia, necessarium fortè per ea, quæ illis cognita sunt, facere orationem. Sunt autem talium definitiones, quæ & puncti, & lineæ, & superficiei. Omnes enim per posteriora, priora indicant. Nam illud quidem lineæ, istam autem superficiei, hanc vero solidi fines dicunt esse.*

19 TRaditis locis, ex quibus probari potest rem non bene definiri, proponit Aristoteles locos, ex quibus ostenditur rem non definiri. Primus locus est: definitio debet esse per priora, & notiora. Probatur primo, quia definitio assignatur ad hoc, vt per ipsam cognoscatur definitum; sed vnumquodque cognoscitur, non ex quibuslibet, sed ex prioribus, & notioribus, sicut demonstratur, non ex quibuslibet, sed ex prioribus, & notioribus, vt patet inductione in omnibus scientijs, ac disciplinis; ergo definitio debet esse per priora, & notiora; ergo si non est per priora, & notiora, non est definitio. Confirmatur, quia si oratio non per priora, & notiora, esset definitio, plures possent esse eiusdem rei definitiones, quod est inconueniens. Probatur sequela, quia si oratio non per priora, & notiora verè est definitio, multo magis oratio, quæ est per priora, & notiora est definitio; ergo vtraque est definitio; ergo duæ sunt eiusdem rei definitiones. Quod verò sit inconueniens, vt plures sint eiusdem rei definitiones, probatur, quia vnumquodque ens habet vnam essentiam, & quidditatem; ergo si plures sunt eiusdem definitiones, plures sunt eiusdem quidditates; ergo non possunt esse eiusdem plures definitiones; sed quæ est per notiora, & priora verè est definitio; ergo quæ est per posteriora, & minus nota, non est definitio.

20 Iam quia Aristoteles dixit orationem, quæ est per ignotiora, non esse definitionem, explicat quotupliciter dicatur tum notius, tum ignotius, atque in quo sensu definitio debeat esse per notiora. Ignotius dicitur dupliciter. Primo ignotius simpliciter, secundo ignotius nobis; ergo dupliciter possumus definire ex ignotioribus; primo ex ignotioribus simpliciter; secundo ex ignotioribus quoad nos. Porrò sæpe contingit, vt quod est ignotius nobis, sit notius simpliciter. Nam prius dicitur simpliciter notius posteriore. Ex. gr. quia punctum est prius linea, est simpliciter notius linea; & ex eadem ratione

tione linea est notior superficie, superficies est notior corpore, vnitas est notior numero, elementum est notius syllaba, & vniuersim pars est notior toto, quod componitur ex partibus. At respectu nostri aliquando posterius est notius priori. Corpus enim, cum sit sensibilius superficie, est notius superficie; & ex eadem ratione superficies est notior linea, linea est notior puncto, seu signo. Simpliciter igitur ad perfectè cognoscendas res, debemus conari, vt posteriora cognoscamus per priora, cum hoc sit magis scientificum; verum qui propter debilitatem mentis non possunt cognoscere posteriora per priora, necesse est, vt explicent res per ea, quæ sunt notiora ipsis. Tales autem sunt definitiones, seu descriptiones communes puncti, lineæ, & superficiei. Punctum enim definitur *terminus lineæ*, adeoque definitur per lineam, quæ est posterior puncto: linea definitur *terminus superficiei*, superficies definitur *terminus corporis*; ergo etiam linea, & superficies definiuntur per posteriora.

21 *Non oportet autem latere, quoniam sic definientes non contingit, quod quid est esse definito, indicare, nisi contingat idem nobis notius esse, & simpliciter notius. Siquidem oportet per genus, & differentias definire eum, qui bene definit: hæc autem simpliciter notiora, & priora sunt specie: interimit enim genus, & differentia speciem: quare priora hæc specie. Sunt autem notiora. Nam specie quidem nota, necesse est genus, & differentias cognosci: qui hominem enim cognoscit, & animal gressibile cognoscit: at genere, & differentia notis, non necesse est & speciem cognosci: quare ignotior species. Amplius illis (qui secundum veritatem huiusmodi definitiones dicunt esse, quæ sunt ex ijs, quæ vnicuique sunt nota) plures eiusdem accidit dicere definitiones esse. Nam alia alijs, & non omnibus eadem contingit notiora esse: quare ad vnumquenque erit definitio assignanda, si quidem ex ijs, quæ singulis quibusque sunt notiora, definitionem oportet facere. Amplius eisdem alia, interdum alia magis nota: nam à principio quidem sensibilia, insti-uctioribus autem factis contra: quare neque ad eundem semper ad eadem definitio assignanda ijs qui per ea, quæ singulis quibusque sunt notiora definitionem fatentur assignandam esse. Manifestum igitur, quòd non definiendum per ea, quæ huiusmodi sunt, sed per simpliciter notiora: nam solo modo sic vna, & eadem definitio semper fiet. Fortasse autem & quod simpliciter notum, non est id, quod omnibus notum, sed quod bene dispositis intellectu, quemadmodum & simpliciter salubre ijs, qui bene affectum habent corpus.*

22 *Oportet ergo vnumquodque talium diligenter peruestigare, vti autem disputantes ad id, quod expedit. Maxime autem sine dissensione interimere contingit definitionem, si neque ex simpliciter notioribus, neque ex ijs, quæ nobis, contingit definitionem fieri. Vnus igitur locus est eius, quod non per notiora, quod per posteriora, priora indicat, quemadmodum prius diximus.*

21 Verum debet aduerti, quod tales descriptiones per notiora nobis, quæ non sunt simpliciter priora, & notiora, simpliciter non explicant *quid sint res*, adeoque non sunt veræ definitiones. Ratio est, quia definitio explicans essentiam rei, debet esse per genus, & differentiam; sed genus, & differentia sunt simpliciter priora, & notiora specie, quæ constat ex genere, & differentia; ergo definitio explicans essentiam rei, debet esse per priora, & notiora simpliciter. Probatur minor: nam id, quo ablato aufertur aliud, non è conuerso, est prius; sed ablato genere, ac differentia aufertur species non è conuerso; ergo genus, & differentia sunt priora specie. Rursus illud, quo cognito, non necesse est cognosci aliud, cum cognito alio necesse sit ipsum cognosci, est notius; sed cognito genere, vel cognita differentia, non est necesse cognosci speciem, at cognita specie, necesse est cognosci genus, & differentiam; ergo genus, & differentia sunt notiora specie. Confirmatur, quia si descriptiones explicantes rem per ea, quæ sunt nota vnicuique, essent veræ definitiones, sequeretur, quod plures possent esse eiusdem rei definitiones; consequens est inconueniens; ergo &c. Probatur minor: non enim omnibus eadem sunt magis nota, sed alia alijs sunt notiora; ergo respectu diuersorum diuersæ essent definitiones: immo quia respectu eiusdem, diuerso tempore diuersa sunt notiora; ab initio enim sunt notiora sensibilia, procedente tempore notiora solent esse intelligibilia,

lia, respectu eiusdem diuersis temporibus diuersæ essent definitiones. Cum igitur hæc sint inconuenientia, vera definitio erit solum, quæ est per priora, ac notiora simpliciter: hac enim solummodo via saluatur, quod definitio sit vna, & semper eadem. Quia verò potest quæri, quæ nam sint notiora simpliciter, num ea, quæ sunt nota omnibus, an ea quæ sunt nota aliquibus; respondet Aristoteles, quod sicut salubre simpliciter est, non quod omnibus est salubre, sed quod est salubre corporibus bene affectis, sic nota simpliciter sunt, non quæ sunt nota omnibus, sed quæ sunt nota intellectibus bene dispositis.

22 Sicut igitur explicauimus, quot modis dicatur notum, sic oportet disputantes diligenter inquirere, quot modis dicatur vnumquodque eorum, quæ dicuntur multipliciter, & vti varijs significationibus nominum, prout expedit propositæ disputationi. Verum quod spectat ad locum præsentem, possumus sine controuersia definitionem euertere, si ostendamus illam neque procedere ex notioribus simpliciter, neque ex notioribus quoad nos; eo enim ipso in omnium sententia non est definitio. Et hic est primus locus ad euertendam definitionem.

23 *Alius autem, si eius, quod est in quiete, & definitione, per indefinitum, & quod in motu est, assignata est oratio nobis. Prius enim est, & notius, quod manens est, & definitum, eo quod indefinitum, & in motu est.*

24 *Eius autem, quod est non ex prioribus, tres sunt loci. Primus quidem si per oppositum, oppositum definiuit, vt si per malum, bonum. Simul enim natura opposita, & nonnullis etiam eadem disciplina vtrunque videtur esse: quare non notius alterum altero. Oportet autem non latere quædam fortasse aliter definiri non posse, vt duplum sine dimidio & quæcunque per se ad aliquid dicuntur. Nam omnibus huiusmodi est idem esse, et quod est ad aliquid quodammodo se habere: quare non est possibile sine altero alterum cognoscere, eo quòd necessarium est alterius oratione coassumi & alterum. Ergo cognoscere quidem oportet huiusmodi omnia, vti autem eis in his, vt videbitur expedire.*

25 *Alius si eodem vsus est ei, quod definitur. Latet autem, cùm non eodem definiti nomine vtitur: vt si Solem stellam in die apparentem definiuit: nam qui die vtitur, Sole vtitur. Et par est ad deprehendenda talia sumere pro nomine orationem, vt quòd dies est solis latio super terram: nam tunc manifestum, quòd qui Solis lationem super terram dixit, solem dixit: quare vtitur sole qui die vtitur.*

26 *Rursum si eo, quod è diuerso diuiditur, id quod è diuerso diuiditur, definiuit, vt impar est, qui vnitate maior est pare. Simul enim natura, quæ ex eodem genere è diuerso diuiduntur: impar autem, & par è diuerso diuiduntur: nam ambo, numeri differentiæ.*

27 *Similiter autem & si per inferiora superiora definiuit, vt parem numerum, qui bipartite secatur: aut bonum, habitum virtutis. Nam & bipartite sumptum est à duobus, quæ paria sunt; & virtus, bonum quoddam est: quare inferiora hæc, quàm illa sunt. Est autem necesse eum, qui inferioribus vtitur, & illis vti. Nam, & qui virtute vtitur, bono vtitur, eo quòd bonum quoddam virtus: similiter autem, & qui bipartite vtitur, & pare vtitur, eo quòd in duo secari significat bipartite secari: duo autem paria sunt. Vniuersaliter igitur dicendo vnus est locus non per priora, & notiora fecisse orationem, partes autem eius, ea quæ dicta sunt.*

23 Secundus locus est: res, quæ in suo conceptu abstrahunt à motu, adeoque habent esse quietum, ac determinatum, non debent definiri per res, quæ non abstrahunt à motu, & mutabilitate, adeoque habent esse quodammodo indeterminatum: & quia quidditates mathematicæ abstrahunt à motu, non debent definiri per motum. Ratio est, quia prius non debet definiri per posterius; sed quæ abstrahunt à motu sunt priora; ergo &c. Ex hoc loco posset euerti definitio, qua linea definitur *fluxus puncti*. Cum enim linea abstrahat à motu, non debet definiri per fluxum, seu motum puncti.

24 Tertius locus est: tribus modis potest ostendi definitionem non esse per priora, adeoque non esse veram definitionem. Primus modus est: si vnum oppositum definiatur per aliud, definitio non est per priora. Ratio est, quia opposita sunt simul natura, & cognitione, ideoque quidam opinantur eamdem esse disciplinam contrariorum; ergo vnum oppositum non est

est notius altero; ergo qui definit vnum oppositum per aliud, non definit per notiora. Ex. gr. quia malum, & bonum sunt opposita, adeoque simul natura, definitio definiens bonum per malum non est per notiora, adeoque non est definitio. Aduertit tamen Aristoteles quædam oppositorum, vt relatiua, non posse definiri sine suo opposito: ex. gr. duplum non potest definiri sine dimidio, & vniuersim omnia, quæ per se ad aliquid dicuntur, non possunt definiri sine eo, ad quod dicuntur. Ratio est, quia relatiua *per se* sunt, quorum esse est ad aliquid quodammodo se habere; ergo non potest cognosci, quid sint, nisi cognoscatur illud aliud; ergo necesse est, vt in alterius definitione ponatur aliud. Hæc igitur omnia scire oportet, vti verò ijs principijs, quæ sunt vtilia disputationi propositæ.

25 Secundus modus est: si in definitione rei ponatur ipsa res, definitio non est per notiora, cum idem non sit notius se ipso. Porrò aliquando non est manifestum, quod in definitione rei ponitur ipsa res, eo quod non ponitur nomen rei: ex. gr. non est manifestum, quod in definitione, qua sol definitur *astrum in die apparens*, ponitur ipse sol, quia non ponitur nomen solis. Ad hoc igitur, vt manifestetur, quod res definitur per se ipsam, loco nominis positi in definitione, poni debet definitio talis nominis: ex. gr. vt manifestetur, quod in allata definitione solis ponitur sol, oportet loco diei ponere definitionem diei. Dies enim est *solis latio super terram*; ergo idem est dicere, quod sol est *astrum apparens in die*, ac dicere, quod sol est *astrum apparens, cum sol fertur super terram*; ergo in definitione solis ponitur ipse sol.

26 Tertius modus est: si res definitur per aliquid ex opposito diuidens idem genus, non definitur per priora. Ratio est, quia quæ diuidunt vnum genus sunt simul natura; ergo neutrum est prius altero; ergo si vnum definitur per aliud, non definitur per prius. Ex. gr. quia numerus ex opposito diuiditur in parem, & imparem, par & impar sunt simul natura; ergo si par definiatur per impar, vel impar per par, definitio non est per priora. Hinc reijci potest definitio, qua impar definitur *numerus, qui per vnitatem est maior pari*.

27 Ex proportionali ratione definitio, qua superius definitur per inferius, non est per priora, adeoque non est definitio. Talis est definitio, qua par definitur, *quod bifariam diuiditur*, & qua bonum definitur *habitus virtutis*. Bifariam enim diuidi est diuidi in duo æqualia; sed duo sunt numerus par, adeoque sunt inferius pari; ergo par definitur per aliquid inferius pari; sed superius includitur in definitione inferioris, ex. gr. virtus est quoddam bonum, adeoque includit in sua definitione bonum, duo sunt numerus par, adeoque includunt in sua definitione par; ergo qui definit superius per inferius, definit superius per se ipsum, adeoque non definit. Omnes igitur tres dicti loci reducuntur ad vnum, & sunt quædam veluti partes vnius, qui locus est definitionem debere procedere ex prioribus, & notioribus.

28 *Secundus autem, si res cùm sit, non ponitur in genere. Nam in omnibus huiusmodi peccatum est, in quibus non prius ponitur in oratione, quid est: vt corporis definitio, quod habet tres dimensiones: aut si quis hominem definiuit, quod est sciens numerare. Non enim dictum est, quid est, habere tres dimensiones, vel quid est, scit numerare: genus autem vult quid est significare, & primum apponitur eorum, quæ in definitione dicuntur.*

29 *Amplius si ad plura cum dicatur id, quod definitur, non ad omnia assignauit, vt si Grammaticem, scientiam scribendi, quod profertur: nam indiget, & quod legendi. Nihilo enim magis scribendi, quàm legendi assignat, qui definit: quare non alius, sed qui vtraque hæc dicit, eo quòd plures non contingit eiusdem definitiones esse. In quibusdam profectò secundum veritatem se habet, vt dictum est, in quibusdam autem non, vt in quibuscunque non per se dicitur ad vtrunque: vt medicinam, scientiam, sanitatem, & ægritudinem efficiendi: nam de illa quidem per se dicitur, de hac autem per accidens: simpliciter enim alienum à medicina, ægritudinem efficere: quare nihil magis definiuit, qui ad vtrunque assignauit, quàm qui ad alterum, verum fortasse & deterius, eo quòd & reliquorum quilibet potest ægritudinem efficere.*

28 Quartus locus est: si definitum sit sub aliquo genere, definitio debet explicare genus definiti, adeoque si non explicat genus,

genus, non erit definitio, nec explicat, quid sit res. Nam ad quæstionem *quid est* præcipuè debet responderi per genus. Ex hoc loco potest reijci definitio, qua corpus definitur, *id quod habet tres dimensiones*. Cum enim non ponatur genus corporis, quod est *substantia*, non explicatur, quid sit id, quod habet tres dimensiones. Ex eodem loco potest reijci definitio, qua homo definitur, *id quod potest numerare*: non enim explicatur, quid sit id, quod potest numerare. Cum igitur genus præcipuè explicet, quid sit res, primo debet poni in definitione, tanquam id, quod supponitur differentijs, quæ adduntur ad qualificandum genus.

29 Quintus locus est: cum aliquid æquè dicitur ad plura, debent exprimi omnia, ad quæ æquè dicitur, si autem vnum tantum explicetur omisso altero, non est definitio. Ex. gr. quia grammatica æquè est ars scribendi, ac legendi, nisi vtrumque explicetur, non definitur, adeoque neque descriptio, qua grammatica solum dicitur *ars legendi*, neque qua solum dicitur *ars scribendi* est definitio grammaticæ, sed definitio grammaticæ est, per quam dicitur *ars scribendi, & legendi*. Si tamen definitum non æquè dicatur ad plura, sed ad vnum per se, ad alterum per accidens, tum etiamsi omittatur id, ad quod dicitur per accidens, adhuc est definitio. Ex. gr. quia medicina per se est scientia efficiendi sanitatem, per accidens est scientia efficiendi etiam ægritudinem, non minus bene, imo fortasse melius definitur dicendo solum, quod est *ars efficiendi sanitatem*, quam dicendo, quod est *ars efficiendi sanitatem, & ægritudinem*; nam hoc, quod est *posse efficere ægritudinem*, non est proprium medici, cum etiam qui non est medicus facile possit efficere ægritudinem.

30 *Amplius si non ad melius, sed ad peius assignauit, cum sint plura, ad quæ dicitur quod definitur. Nam omnis disciplina, & potestas, optimi videtur esse.*

31 *Rursum, si non positum est in proprio genere, quod dictum est, considerandum ex ijs, quæ ad genera sunt, elementis, quemadmodum est dictum prius.*

32 *Rursum, si transiliens dicit genera. Vt qui iustitiam æqualitatis habitum effectiuum, vel distributiuum æqui: nam transilit qui sic definit virtutem. Relinquens igitur iustitiæ genus non dicit, quid est esse (nam substantia vnicuique est in genere) est autem hoc idem et, quod est non in proximo genere ponere. Nam qui in proximo posuit, omnia superiora dixit, eo quod omnia superiora genera de inferioribus prædicantur. Quare aut in proximo genere ponendum, aut omnes differentias superiori generi addendum, per quas definitur proximum genus: sic enim erit nihil prætermissum, sed pro nomine, in oratione dictum erit inferius genus. Qui vero ipsum superius genus dicit, non dicit & inferius genus: nam qui plantam dicit, non dicit arborem.*

30 Quintus locus est: cum aliquid dicitur ad plura, potius debet exprimi melius, quam deterius. Ratio est, quia omnis disciplina, potestas, & vniuersim omne id, quod dicitur ad plura, maximè videtur esse optimi; ergo eius essentia consistit in hoc, quod sit ad optimum; ergo si non definiatur per ordinem ad optimum, non explicatur eius essentia, adeoque non definitur.

31 Sextus locus est: vnumquodque debet definiri per proprium genus. An verò res definiatur per proprium genus, examinandum est ex locis de genere traditis libro 4. Ex hoc igitur loco potest ostendi orationem allatam non esse definitionem, quia non definit rem per proprium genus.

32 Septimus locus est: vnumquodque debet definiri per genus proximum, vel si definitur per genus remotum, debent enumerari ordinatim omnes differentiæ diuidentes ipsum. Si quis igitur describat rem solum per genus remotum, non enumerans omnes differentias, verè non definit, ac potest ex hoc loco probari, quod oratio allata non sit definitio. Ratio, cur verè non definiat est, quia non explicat quidditatem rei, quæ quidditas includit genus proximum. Ex. gr. qui describit iustitiam *habitum effectiuum æqualitatis, vel æqui*, verè iustitiam non definit, quia omittens genus proximum *virtutis*, exprimit solum genus remotum *habitus*, & non enumerat differentias ipsius. Debet igitur vel exprimi genus proximum, vel si loco generis proximi ponatur genus superius, & remotum, debent addi omnes differentiæ; tum enim loco generis proximi ponitur definitio ipsius, quæ constat ex genere superiori, atque

atque ex differentijs illi adiunctis. Qui verò solum ponit genus remotum, & non adiungit differentias, nullo pacto exprimit genus proximum: ex. gr. qui definiens ficum exprimit genus plantæ, & non addit differentiam arboris, nullo pacto exprimit genus proximum ficus.

De alijs locis petitis præsertim ex differentia. Cap. II.

1 *Rursum in differentijs similiter considerandum, si & differentias dixit generis. Nam si rei non specialibus definiuit differentijs, aut si etiam omnino aliquid huiusmodi dixit, quod nullius contingit differentiam esse (vt animal, aut substantiam) manifestum, quoniam non definiuit. Nullius enim differentiæ, quæ dicta sunt.*

2 *Videndum autem, & si est aliquid quod è diuerso diuiditur dictæ differentiæ. Nam, si non est, perspicuum, quoniam non erit quæ dicta est generis differentia: nam omne genus ijs, quæ e diuerso diuiduntur differentijs diuiditur, vt animal gressibili, & volatili, & aquatili, & bipedi. Aut si est quidem e diuerso diuisa differentia, non verificatur autem de genere. Nam si non, manifestum, quoniam neutra erit generis differentia. Omnes enim, quæ è diuerso diuiduntur differentiæ, verificantur de proprio genere. Similiter autem & si verificatur quidem, at non facit apposita generi, speciem. Nam manifestum, quòd non erit hæc specifica differentia generis. Nam omnis specifica differentia cum genere speciem facit. Si autem hæc non est differentia, nec quæ dicta est: quia hæc è diuerso diuiditur.*

1 PRima classis locorum hactenus enumeratorum fuit ex priori, ac notiori; secunda ex genere; tertia desumitur ex differentia. Octauus igitur locus est: in definitione vltra genus debet poni differentia, & non qualiscunque, sed specifica constitutiua rei definitæ. Si igitur quis definiens, vel differentiam omittat, vel ponat quidem differentiam, sed non specificam, ac constitutiuam rei definitæ, vel ponat loco differentiæ aliquid, quod nullius rei est differentia, oratio allata non est vera definitio. Sed afferenda sunt quædam loca, ex quibus potest examinari, an quod additur sit differentia positi generis, & vtrum sit specifica.

2 Primus locus ad examinandum, an quod additur sit differentia est: omne genus diuiditur differentijs oppositis; ergo si assignatæ differentiæ nulla correspondeat differentia ex opposito diuidens genus, id quod assignatur verè non est differentia. Secundus locus est: omnes differentiæ generis conueniunt generi, ac de illo verificantur; ergo si quod ponitur vt differentia generis habet quidem oppositam differentiam, sed quæ non possit generi conuenire, nec possit de illo verificari, non est verè differentia. Tertius locus ad examinandum, an quod ponitur loco differentiæ sit differentia specifica talis generis est: omnis differentia specifica ita conuenit generi, vt cum genere constituat speciem; & rursus sicut differentia constituit speciem, sic etiam differentia opposita constituit aliam oppositam speciem; si igitur differentia opposita non constituat speciem, nec id, quod ponitur loco differentiæ, constituit speciem, adeoque non est differentia specifica.

3 *Amplius, si negatione diuidat genus, vt qui lineam definiunt, longitudinem sine latitudine esse: nam nihil aliud significat, sine latitudine, quam quòd non habet latitudinem. Accidet igitur genus participare speciem. Nam omnis longitudo, aut sine latitudine aut latitudinem habens est, quia de omni affirmatio, vel negatio vera fit: quare genus lineæ, cùm longitudo sit, aut sine latitudine, aut latitudinem habens erit: at longitudo sine latitudine speciei est ratio: similiter autem, & longitudo latitudinem habens: nam sine latitudine, & latitudinem habens, differentiæ sunt: ex differentia autem, & genere est speciei oratio: quare genus suscipiet speciei orationem, similiter autem, & differentiæ, eo quòd altera dictarum differentiarum ex necessitate prædicatur de genere.*

4 *Est autem dictus locus vtilis ad eos, qui ponunt ideas esse. Nam si non est ipsa longitudo, quodam modo prædicabitur de genere, quod latitudinem habet, aut sine latitudine est. Oportet enim de omni longitudine alterum eorum verificari, siquidem de genere verificari debeat: hoc autem non accidit. Sunt autem & sine latitudine, & latitudinem habentes longitudines: quare*

ad

ad illos solos vtilis hic locus quicunque genus vnum numero dicunt esse. Hoc autem faciunt, qui ideas ponunt. Nam ipsam longitudinem, & ipsum animal, genus dicunt esse.

5 *Fortasse autem in quibusdam etiam necessarium est negatione vti definientem, vt in priuationibus. Nam cæcum est quod non habet visum, quando natum est habere. Differt autem nihil negatione diuidere genus, aut huiusmodi affirmatione, quam negatione necesse est è diuerso diuidi. Vt si longitudinem habens latitudinem definiuit, eam habente latitudinem è diuerso diuiditur, non habens latitudinem, neque aliud quicquam: quare negatione rursum diuiditur genus.*

3 Nonus locus est: in definitione non debet poni differentia, quæ consistat in negatione, ideoque videntur peccare, qui definiunt lineam *longitudinem sine latitudine*, quia eo ipso linea definitur per negationem, tanquam per differentiam. Ratio est, quia sequeretur, quod genus participaret speciem, ita vt de genere prædicaretur tota definitio speciei; sed hoc est inconueniens; ergo &c. Probatur maior, quia de quolibet vel verificatur affirmatio, vel negatio; sed *habere latitudinem*, & *non habere latitudinem*, sunt affirmatio, & negatio; ergo de omni longitudine verificatur, quod vel habet latitudinem, vel non habet latitudinem; sed genus lineæ est longitudo; ergo de genere lineæ verificatur, quod vel habet latitudinem, vel non habet; sed esse *longitudinem sine latitudine* est definitio ipsius lineæ, quæ est vna species talis generis, *esse longitudinem cum latitudine* est definitio alterius speciei eiusdem generis; ergo de genere lineæ verificatur definitio alicuius suæ speciei; ergo genus lineæ participat speciem, quod est absurdum. Confirmatur, quia non solum genus participaret speciem, sed etiam differentiam, qua diuiditur. Genus enim lineæ, quod est *longitudo*, vel habet latitudinem, vel non habet; sed hæ sunt differentiæ diuisiuæ talis generis; ergo &c.

4 Verum vt Aristoteles aduertit, hic locus valet solum contra ponentes ideas. Per ipsos enim genus lineæ est *per se longitudo*, adeoque est vnum numero; sed de omni vno numero verificatur altera pars contradictionis; ergo de *per se longitudine* verificatur, vel quod habeat latitudinem, vel quod non habeat latitudinem, adeoque *per se longitudo* participat aliquam suã speciem. At si non dantur ideæ, genus lineæ non est *per se longitudo*, neque est longitudo vna numero; ergo ad hoc, vt de longitudine, quæ est genus lineæ, verificetur, quod vel habet latitudinem, vel non habet, debet alterutra ex his differentijs verificari de omni longitudine; sed neutra verificatur de omni longitudine; nam aliquæ longitudines habent latitudinem, aliquæ non habent; ergo genus lineæ non participat vllam suam speciem, sed diuiditur in suas species. Cum enim aliqua longitudo habeat latitudinem, constituitur in specie superficiei, quæ est *longitudo habens latitudinem*; & cum aliqua longitudo non habeat latitudinem, constituitur in specie lineæ, quæ est *longitudo non habens latitudinem*.

5 Addit Aristoteles duo. Primum est: non solum non est vniuersaliter absurdum, vt definitio sit per negationem, tanquam per differentiam, sed id est necessarium in definitionibus, præsertim priuationum in concreto: cæcum enim definitur, *animal non habens visum, cum debeat habere*, ideoque negatio visus poni debet vt differentia addita animali, quod ponitur vt genus. Secundum est: non solum genus diuiditur per negationem, cum exprimitur differentia negatiua, ex. gr. cum dicitur, quod *linea est longitudo non habens latitudinem*, sed etiam cum exprimitur differentia affirmatiua, cui non opponitur alia differentia ex opposito diuidens genus, quam negatiua. Ex. gr. quia huic differentiæ, quæ est, *habere latitudinem*, non opponitur alia differentia, quam *non habentis latitudinem*, ideo cum exprimitur vt differentia longitudinis, hoc quod est, *habere latitudinem*, virtualiter diuiditur genus etiam per differentiam negatiuam *non habentis latitudinem*.

6 *Rursum, si speciem vt differentiam assignauit, vt qui conuitium, iniuriam cum irrisione definiuit. Nam irrisio iniuria quædam est: quare non differentia, sed species est irrisio.*

7 *Amplius si genus vt differentiam dixit, vt virtutem habitum bonum, vel studiosum. Nam bonum est genus virtutis. An non genus est bonum, sed differentia? si-*

qui-

quidem verum est, quòd non contingat idem in duobus generibus esse non continentibus se inuicem (nam neque bonum continet habitum, neque habitus bonum: non enim omnis habitus bonus, neque omne bonum habitus) non erunt profecto genera ambo. Si igitur habitus genus est virtutis, perspicuum bonum non genus, sed magis differentiam esse. Amplius habitus quidem, quid est virtus significat, bonum autem non quid est, sed quale quid est: videtur autem differentia quale quid significare. Videndum autem, & si non quale quid, sed ipsum quid significat assignata differentia. Nam videtur quale quid omnis differentia significare.

8 *Considerandum autem & si secundum accidens inest definito differentia. Nam nulla differentia est eorum, quæ secundum accidens insunt, sicut neque genus: non enim contingit differentiam inesse alicui, & non inesse.*

9 *Amplius si prædicatur de genere differentia, vel species, aut inferiorum aliquid speciei, non erit definiens. Nam nullum eorum, quæ dicta sunt, contingit de genere prædicari, eo quod genus de quam plurimis omnium dicitur.*

6 Decimus locus est: in definitione non debet poni vt differentia aliquid, quod sit species generis. Ex. gr. qui definiret conuicium *iniuriam cum irrisione*, peccaret, quia irrisio est species iniuriæ; ergo malè ponitur tanquam differentia iniuriæ.

7 Vndecimus locus est: neque etiam in definitione debet poni genus vt differentia. Ex. gr. qui definiret virtutem *habitum bonum*, peccaret, quia bonum est genus virtutis. Potest tamen probabiliter sustineri, quod bonum non sit genus, sed differentia virtutis; primo quia non potest idem esse sub duplici genere, quorum neutrum contineatur in altero; sed si bonum esset genus virtutis, virtus contineretur sub duplici genere, habitus nimirum, & boni, quorum neutrum continetur in altero, cum neque omnis habitus sit bonus, neque omne bonum sit habitus; ergo bonum non est genus, sed differentia virtutis. Confirmatur, quia genus significat *quid sit res*; sed bonum non significat, *quid virtus sit*, sed quale quid sit; ergo bonum non est genus, sed differentia virtutis.

8 Duodecimus locus est: differentia non debet esse accidens rei, sed debet de re dici essentialiter. Accidens enim contingit subiecto inesse, vel non inesse; at non contingit differentiam, vel genus definito inesse, vel non inesse, cum vtrumque sit de essentia definiti: qui igitur assignaret vt differentiam aliquid, quod de definito prædicatur accidentaliter, peccaret, & posset ex hoc loco redargui.

9 Decimustertius locus est: genus prædicatur de pluribus, quam species, ac differentia. Si igitur quis ita rem definiat, vt species definita, vel differentia constitutiua speciei prædicetur de genere vniuersaliter, peccat, ac verè non definit rem. Ex. gr. qui definiret Zoophytum, *animal viuens terræ affixum* peccaret, quia viuens, quod ponitur loco differentiæ, prædicatur vniuersaliter de animali, quod ponitur loco generis.

10 *Rursum si prædicatur genus de differentia. Nam non de differentia sed de quibus differentia, genus videtur prædicari: vt animal de homine, & boue, & de alijs gressibilibus animalibus, non autem de ea differentia, quæ de specie dicitur: nam si de vnaquaque differentiarum animal prædicabitur, multa animalia de specie prædicabuntur: nam differentiæ de specie prædicantur. Amplius differentiæ omnes, aut species, aut indiuidua erunt, siquidem sunt animalia: nam vnumquodque animalium, aut species, aut indiuiduum est.*

11 *Similiter autem inspiciendum & si species, aut inferiorum speciei aliquid de differentia prædicatur. Impossibile enim eo, quòd de pluribus differentia, quam species dicitur. Item accidet differentiam speciem esse, siquidem prædicabitur de ea aliqua specierum: nam, si de differentia prædicatur homo, manifestum quoniam differentia est homo.*

12 *Rursum si non prior est differentia specie. Nam genere quidem posterior est, specie autem priorem differentiam esse oportet.*

10 Decimus quartus locus est: genus non potest prædicari de differentijs, ita vt includatur in conceptu, & definitione differentiarum. Si igitur quis definiat rem per differentiam, in cuius conceptu, ac definitione includatur genus, peccat, ac

potest

potest ex hoc loco redargui. Genus enim non prædicatur de differentijs, ita vt includatur in conceptu differentiarum, sed prædicatur de speciebus, & indiuiduis, de quibus dicitur differentia: ex. gr. animal prædicatur quidem de homine, & boue, alijsque animalibus gressibilibus, ita vt includatur in eorum conceptu, & definitione, sed non prædicatur de gressibili, & bipede, quæ sunt differentiæ animalium, ita vt includatur in definitione gressibilis, & bipedis. Quod autem genus non debeat prædicari de differentijs modo explicato, probat Aristoteles dupliciter. Primo si genus, puta animal, prædicatur de gressibili, & bipede, animal multoties prædicabitur de specie, ex. gr. de homine: dicendo enim, quod *homo est animal gressibile bipes*, si etiam gressibile, ac bipes ex suo conceptu sunt animal, dicitur, quod *homo est animal, animal*. Secundo probat, quia omne, de quo dicitur genus, tanquam inclusum in eius definitione, vel est species, vel est indiuiduum talis generis: ex. gr. omne, de quo dicitur animal, vel est species, vel est indiuiduum animalis; ergo si animal dicitur de differentia, vel erit species, vel indiuiduum generis, quod est absurdum. Non tamen negat Aristoteles posse genus prædicari de differentia denominatiuè, ita vt non includatur in definitione differentiæ: potest enim dici, quod omne rationale est animal, ita vt sensus sit, quod omne id, quod est rationale, est animal.

11 Decimus quintus locus est: differentia non debet esse talis, vt de ipsa prædicetur vniuersaliter species, vel aliquid inferius specie. Probatur dupliciter: primo, quia differentia de pluribus dicitur, quam species; ergo impossibile est, vt species, aut aliquid inferius specie, prædicetur vniuersaliter de differentia. Secundo probatur, quia differentia erit species: ex gr. si gressibile, quod est differentia hominis, est homo, differentia hominis est homo, quod est absurdum. Ex hoc igitur loco posset redargui, qui definiret rem per differentiam, de qua prædicetur vniuersaliter species: eo enim ipso talis differentia non esset differentia, ac talis definitio verè non esset definitio.

12 Decimus sextus locus est: differentia sicut debet esse posterior genere, sic debet esse prior specie, adeoque si non est prior specie, verè non est differentia, ac proinde definitio verè non est definitio.

13 *Considerandum autem & si alterius generis est dicta differentia, neque contenti, neque continentis. Nam non videtur eadem differentia duorum generum esse non continentium se inuicem: si autem non, accidet & speciem eandem in duobus generibus esse non continentibus se inuicem. Infert enim vnaquæque differentiarum proprium genus, vt gressibile, & bipes animal coinferunt: quare, si de quo differentia, & generum vtrunque, manifestum vtique quoniam species in duobus erat generibus non continentibus se inuicem. An non impossibile eandem differentiam duorum generum esse non continentium se inuicem, sed addendum neque vtroque sub eodem existente? Nam gressibile animal, & volatile animal, genera sunt non continentia se inuicem, & vtriusque eorum bipes differentia: quare addendum est, neque sub eodem vtroque existente: nam hæc ambo sub animali sunt. Manifestum etiam, quoniam non necesse est differentiam omnem proprium genus inferre, eo quòd contingit eandem duorum generum esse non continentium se inuicem. sed alterum tantum necesse est inferre. & superiora omnia, vt bipes, gressibile, vel volatile infert animal.*

14 *Videndum autem & si in aliquo differentiam assignauit substantiæ: nam non videtur differre substantia à substantia in eo, quod alicubi est. Quare & eos, qui gressibili, & aquatili diuidunt animal, increpant, tanquam gressibile, & aquatile alicubi significet. An in ijs quidem non rectè increpant? non enim in aliquo, neque alicubi significat aquatile, & terrestre, sed quale quid. Nam & si in sicco sit, similiter aquatile: similiter autem & terrestre, & si in humido sit, similiter terrestre, sed non aquatile erit. Attamen si quandoque significat in aliquo differentia, manifestum quoniam peccabit.*

13 Decimus septimus locus est: non potest eadem esse differentia duorum generum, quorum neutrum contineatur in altero. Probatur, quia alioquin species erit in duobus generibus, quorum neutrum contineatur in altero, quod est inconueniens. Probatur sequela: nam differentia semper infert suum genus; valet enim, *si est gressibile, est animal*; ergo si eadem est diffe-

quidem verum est, quòd non contingat idem in duobus generibus esse non continentibus se inuicem (nam neque bonum continet habitum, neque habitus bonum: non enim omnis habitus bonus, neque omne bonum habitus) non erunt profectò genera ambo. Si igitur habitus genus est virtutis, perspicuum bonum non genus, sed magis differentiam esse. Amplius habitus quidem, quid est virtus significat, bonum autem non quid est, sed quale quid est: videtur autem differentia quale quid significare. Videndum autem, & si non quale quid, sed ipsum quid significat assignata differentia. Nam videtur quale quid omnis differentia significare.

8 *Considerandum autem & si secundum accidens inest definito differentia. Nam nulla differentia est eorum, quæ secundum accidens insunt, sicut neque genus: non enim contingit differentiam inesse alicui, & non inesse.*

9 *Amplius si prædicatur de genere differentia, vel species, aut inferiorum aliquid speciei, non erit definiens. Nam nullum eorum, quæ dicta sunt, contingit de genere prædicari, eo quòd genus de quam plurimis omnium dicitur.*

6 Decimus locus est: in definitione non debet poni vt differentia aliquid, quod sit species generis. Ex. gr. qui definiret conuicium *iniuriam cum irrisione*, peccaret, quia irrisio est species iniuriæ; ergo malè ponitur tanquam differentia iniuriæ.

7 Vndecimus locus est: neque etiam in definitione debet poni genus vt differentia. Ex. gr. qui definiret virtutem *habitum bonum*, peccaret, quia bonum est genus virtutis. Potest tamen probabiliter sustineri, quod bonum non sit genus, sed differentia virtutis; primo quia non potest idem esse sub duplici genere, quorum neutrum contineatur in altero; sed si bonum esset genus virtutis, virtus contineretur sub duplici genere, habitus nimirum, & boni, quorum neutrum continetur in altero, cum neque omnis habitus sit bonus, neque omne bonum sit habitus; ergo bonum non est genus, sed differentia virtutis. Confirmatur, quia genus significat *quid sit res*; sed bonum non significat, *quid virtus sit*, sed quale quid sit; ergo bonum non est genus, sed differentia virtutis.

8 Duodecimus locus est: differentia non debet esse accidens rei, sed debet de re dici essentialiter. Accidens enim contingit subiecto inesse, vel non inesse; at non contingit differentiam, vel genus definito inesse, vel non inesse, cum vtrumque sit de essentia definiti: qui igitur assignaret vt differentiam aliquid, quod de definito prædicatur accidentaliter, peccaret, & posset ex hoc loco redargui.

9 Decimustertius locus est: genus prædicatur de pluribus, quam species, ac differentia. Si igitur quis ita rem definiat, vt species definita, vel differentia constitutiua speciei prædicetur de genere vniuersaliter, peccat, ac verè non definit rem. Ex. gr. qui definiret Zoophytum, *animal viuens terræ affixum* peccaret, quia viuens, quod ponitur loco differentiæ, prædicatur vniuersaliter de animali, quod ponitur loco generis.

10 *Rursum si prædicatur genus de differentia. Nam non de differentia sed de quibus differentia, genus videtur prædicari: vt animal de homine, & boue, & de alijs gressibilibus animalibus, non autem de ea differentia, quæ de specie dicitur: nam si de vnaquaque differentiarum animal prædicabitur, multa animalia de specie prædicabuntur: nam differentiæ de specie prædicantur. Amplius differentiæ omnes, aut species, aut indiuidua erunt, siquidem sunt animalia: nam vnumquodque animalium, aut species, aut indiuiduum est.*

11 *Similiter autem inspiciendum & si species, aut inferiorum speciei aliquid de differentia prædicatur. Impossibile enim eo, quòd de pluribus differentia, quam species dicitur. Item accidet differentiam speciem esse, siquidem prædicabitur de ea aliqua specierum: nam, si de differentia prædicatur homo, manifestum quoniam differentia est homo.*

12 *Rursum si non prior est differentia specie. Nam genere quidem posterior est, specie autem priorem differentiam esse oportet.*

10 Decimus quartus locus est: genus non potest prædicari de differentijs, ita vt includatur in conceptu, & definitione differentiarum. Si igitur quis definiat rem per differentiam, in cuius conceptu ac definitione includatur genus, peccat, ac potest

potest ex hoc loco redargui. Genus enim non prædicatur de differentijs, ita vt includatur in conceptu differentiarum, sed prædicatur de speciebus, & indiuiduis, de quibus dicitur differentia: ex. gr. animal prædicatur quidem de homine, & boue, alijsque animalibus gressibilibus, ita vt includatur in eorum conceptu, & definitione, sed non prædicatur de gressibili, & bipede, quæ sunt differentiæ animalium, ita vt includatur in definitione gressibilis, & bipedis. Quod autem genus non debeat prædicari de differentijs modo explicato, probat Aristoteles dupliciter. Primo si genus, puta animal, prædicatur de gressibili, & bipede, animal multoties prædicabitur de specie, ex.gr. de homine: dicendo enim, quod *homo est animal gressibile bipes*, si etiam gressibile, ac bipes ex suo conceptu sunt animal, dicitur, quod *homo est animal, animal*. Secundo probat, quia omne, de quo dicitur genus, tanquam inclusum in eius definitione, vel est species, vel est indiuiduum talis generis: ex. gr. omne, de quo dicitur animal, vel est species, vel est indiuiduum animalis; ergo si animal dicitur de differentia, vel erit species, vel indiuiduum generis, quod est absurdum. Non tamen negat Aristoteles posse genus prædicari de differentia denominatiuè, ita vt non includatur in definitione differentiæ: potest enim dici, quod omne rationale est animal, ita vt sensus sit, quod omne id, quod est rationale, est animal.

11 Decimus quintus locus est: differentia non debet esse talis, vt de ipsa prædicetur vniuersaliter species, vel aliquid inferius specie. Probatur dupliciter: primo, quia differentia de pluribus dicitur, quam species; ergo impossibile est, vt species, aut aliquid inferius specie, prædicetur vniuersaliter de differentia. Secundo probatur, quia differentia erit species: ex gr. si gressibile, quod est differentia hominis, est homo, differentia hominis est homo, quod est absurdum. Ex hoc igitur loco posset redargui, qui definiret rem per differentiam, de qua prædicetur vniuersaliter species: eo enim ipso talis differentia non esset differentia, ac talis definitio verè non esset definitio.

12 Decimus sextus locus est: differentia sicut debet esse posterior genere, sic debet esse prior specie, adeoque si non est prior specie, verè non est differentia, ac proinde definitio verè non est definitio.

13 *Considerandum autem & si alterius generis est dicta differentia, neque contenti, neque continentis. Nam non videtur eadem differentia duorum generum esse non continentium se inuicem: si autem non, accidet & speciem eandem in duobus generibus esse non continentibus se inuicem. Infert enim vnaquæque differentiarum proprium genus, vt gressibile, & bipes animal coinferunt: quare, si de quo differentia, & generum vtrunque, manifestum vtique quoniam species in duobus erat generibus non continentibus se inuicem. An non impossibile eandem differentiam duorum generum esse non continentium se inuicem, sed addendum neque vtroque sub eodem existente? Nam gressibile animal, & volatile animal, genera sunt non continentia se inuicem, & vtriusque eorum bipes differentia: quare addendum est, neque sub eodem vtroque existente: nam hæc ambo sub animali sunt. Manifestum etiam, quoniam non necesse est differentiam omnem proprium genus inferre, eo quòd contingit eandem duorum generum esse non continentium se inuicem. sed alterum tantum necesse est inferre. & superiora omnia, vt bipes, gressibile, vel volatile infert animal.*

14 *Videndum autem & si in aliquo differentiam assignauit substantiæ: nam non videtur differre substantia à substantia in eo, quod alicubi est. Quare & eos, qui gressibili, & aquatili diuidunt animal, increpant, tanquam gressibile, & aquatile alicubi significet. An in ijs quidem non rectè increpant? non enim in aliquo, neque alicubi significat aquatile, & terrestre, sed quale quid. Nam & si in sicco sit, similiter aquatile: similiter autem & terrestre, & si in humido sit, similiter terrestre, sed non aquatile erit. Attamen si quandoque significat in aliquo differentia, manifestum quoniam peccabit.*

13 Decimus septimus locus est: non potest eadem esse differentia duorum generum, quorum neutrum contineatur in altero. Probatur, quia alioquin species erit in duobus generibus, quorum neutrum contineatur in altero, quod est inconueniens. Probatur sequela: nam differentia semper infert suum genus; valet enim, *si est gressibile, est animal*; ergo si eadem est

differentia duorum generum, quorum neutrum contineatur in altero, etiam species constituta per talem differentiam erit sub duobus generibus, quorum neutrum contineatur in altero. Attamen videtur posse aliqua differentia esse duorum generum, quorum neutrum contineatur in altero, dummodo vtrumque genus contineatur sub tertio genere communi: ex. gr. bipes est differentia tum gressibilis, tum volatilis, quia gressibile, & volatile continentur sub genere communi animalis, licet neque gressibile contineatur in volatili, neque volatile contineatur in gressibili. Ex eodem verò exemplo patet differentiam non inferre copulatiuè omne genus ipsius, sed solum alterutrum disiunctiuè: ex. gr. bipes neque infert determinatè volatile, neque gressibile, sed alterutrum, & omnia superiora ipso. Limitandum est igitur illud principium: *non potest eadem differentia esse plurium generum, quorum neutrum contineatur in altero*, addendo, *nisi vtrumque contineatur sub genere communi*.

14 Decimus octauus locus est: substantia non differt à substantia per hoc, quod sit alicubi, vel in aliquo tanquam in loco, ideoque si definitio assignet vt differentiam substantiæ *esse alicubi*, verè non est definitio, cum non exprimat differentiam. Ex hoc loco quidam redarguunt eos, qui diuidunt animal per gressibile, & aquatile, tanquam per differentias, quia gressibile, & aquatile videntur significare *esse in loco*. Verum non rectè redarguunt. Neque enim gressibile, & aquatile significant *esse in loco*, sed *quale quid animalis*. Nam etiamsi aquatile poneretur in terra, adhuc esset aquatile; & etiamsi animal terrestre poneretur in humido, & in aqua, adhuc esset terrestre. Si tamen quis ponat vt differentiam animalium ipsum *esse in loco*, peccabit, & poterit ex hoc loco redargui.

15 *Rursum si affectum differentiam assignauit. Nam omnis affectus cùm magis fit, detrahit à substantia, differentia autem non huiusmodi est: nam magis videtur saluare differentia id, cuius est differentia. Et simpliciter impossibile est singulum quodque esse sine propria differentia: nam, cum non est gressibile, non erit homo: & (vt simpliciter dicamus) secundum quæcunque alteratur habens, nihil eorum differentia illius est: nam omnia huiusmodi cum magis fiunt, detrahunt à substantia. Quare si aliquam huiusmodi differentiam quispiam assignauit, peccauit. Simpliciter enim non alteramur secundum differentias.*

16 *Et si alicuius eorum, quæ sunt ad aliquid, non aliud quid differentiam assignauit. Nam eorum, quæ sunt ad aliquid, & differentiæ ad aliquid, vt & in disciplina: contemplatiua enim & actiua, & effectiua dicitur: vnumquodque autem horum ad aliquid significat: contemplatiua enim alicuius, & actiua alicuius, & effectiua alicuius.*

17 *Considerandum autem & si ad quod natum est vnumquodque eorum, quæ sunt ad aliquid, assignauit definiens. Nam in quibusdam quidem ad quod natum est singulum quodque eorum, quæ sunt ad aliquid, solum est vti, ad aliud autem nihil, vt visu ad videndum solum: quibusdam autem & ad aliquid aliud, vt dolio sanè hauriat aliquis. Attamen si quis definiuit dolium, instrumentum ad hauriendum, peccauit. Non enim ad hoc natum est: terminus autem est, ad quod natum est, ad quod sanè vtitur prudens qua prudens, & qua circa singulum quodque propria disciplina.*

15 Decimus nonus locus est: passiones, & vniuersim omnia, secundum quæ subiectum alteratur, non possunt esse differentiæ rerum. Probatur dupliciter, primo quia differentia non potest rem dimouere à suo statu naturali, sed potius rem conseruat in suo statu naturali; sed passiones, præsertim cum excedunt, dimouent rem à suo statu naturali; ergo &c. Secundo quia non potest res esse sine propria differentia, ex gr. non potest homo esse, quin sit gressibilis; sed potest res esse sine passione; ergo &c. Ex ijsdem rationibus vniuersim omnia, per quæ res alteratur, non possunt esse differentiæ rei, cum dimoueant res à sua naturali constitutione. Si igitur quis assignet vt differentiam rei aliquam passionem, vel aliquid, per quod res alteretur, peccat, ac potest ex hoc loco redargui.

16 Vigesimus locus est: differentiæ rerum, quæ dicuntur ad aliud, etiam ipsæ dicuntur ad aliud: ex. gr. quia scientia dicitur ad aliquid, hoc est ad obiectum, etiam differentiæ, per quas scientia diuiditur in contemplatiuam, actiuam, & factiuam, dicuntur ad aliquid, hoc est ad contem-

tem-

templabile, agibile, & factibile. Si igitur quis definiat id, quod dicitur *ad aliquid*, per differentias, quæ non dicuntur *ad aliquid*, peccat, ac potest ex hoc loco redargui.

17 Vigesimus primus locus est: quod est natum factum ad aliquem vsum, definiri debet per illum vsum, qui verò definit id per alium vsum, peccat, ac non definit. Iam licet quibusdam possimus vti solum ad id, ad quod sunt nata facta, eo pacto, quo visu possumus vti solum ad videndum, adhuc dantur quædam, quibus vti possumus etiam ad alios vsus: ex. gr. strigili, quod erat apud antiquos instrumentum factum ad abstergendas in balneis sordes corporis, possumus etiam vti ad aquam hauriendam. Si ergo quis strigilem definiat per hoc, quod sit *instrumentum ad hauriendam aquam*, peccat, ac non definit, cum non explicet eius essentiam, quæ non est *esse instrumentum ad hauriendam aquam*, *sed esse instrumentum ad sordes abstergendas*. Definitio verò eius, ad quod aliquid est natum factum, est hæc: *ad illud vnumquodque est natum factum, ad quod illo vtitur prudens, quatenus prudens, & disciplina propria eius instrumenti.*

18 *Amplius si non primum assignauit, quando contingit ad plura dictum esse: vt prudentiam virtutem hominis, aut animæ, & non rationalis. Primum enim rationalis virtus prudentia: nam secundum hoc, & anima, & homo dicitur prudens.*

19 *Amplius si non susceptiuum est eius, cuius dicitur affectus, vel dispositio, vel quoduis aliud, peccauit. Nam omnis dispositio, vel affectus in illo natus est fieri, cuius est dispositio, vel affectus, vt & scientia in anima, dispositio existens animæ. Aliquando autem peccant in talibus, vt quicunque dicunt, quòd somnus est impotentia sensus, & dubitatio æqualitas contrariarum ratiocinationum, & dolor separatio naturalium partium cum violentia. Nam neque somnus inest sensui: oporteret autem inesse, si impotentia sensus est. Similiter autem neque dubitatio contrarijs ratiocinationibus inest neque dolor naturalibus partibus: dolebunt enim inanimata, si dolor eis inest. Talis autem & sanitatis definitio, siquidem commensuratio calidorum, & frigidorum est: necesse est enim sana esse, calida, & frigida. Nam cuiusque commensuratio illis inest, quorum est commensuratio: quare sanitas inerit vtique ipsis. Item id, quod fit, in effectiuum, aut è conuerso accidit ponere, sic definientibus. Non enim est dolor separatio naturalium partium, sed effectiuum doloris, nec somnus impotentia sensus sed effectiuum alterum alterius: aut enim propter impotentiam dormimus, aut propter somnum impotentes sumus. Similiter autem & dubitationis videbitur effectiuum esse contrariarum æqualitas ratiocinationum. Quandocunque enim ad vtraque ratiocinantibus nobis similiter videntur omnia secundum vtrunque fieri, dubitabimus vtrum agamus.*

18 Vigesimus secundus locus est: cum aliquid refertur ad plura subiecta, debet definiri in ordine ad primum subiectum: si ergo quis definiat in ordine ad subiectum non primum, peccat, ac potest ex hoc loco redargui. Ex. gr. prudentia est virtus primo existens in parte rationali animæ, ac per illam existens etiam in anima, & in homine, tanquam in subiectis non primis, neque immediatis. Si quis ergo definiat prudentiam, non per hoc, quod sit virtus partis ratiocinatiuæ, sed per hoc, quod sit virtus hominis, vel animæ, peccat, ac potest ex hoc loco redargui.

19 Vigesimus tertius locus est: passio, vel dispositio, & vniuersim quod est alicuius subiecti, in quo sit, debet definiri vt subiecti, quod est susceptiuum ipsius: si verò quis definiat illud vt alterius, in quo non recipitur, peccat, ac potest ex hoc loco redargui. Contrà hoc præceptum peccant qui somnum definiunt *impotentiam sensus*; definiunt dubitationẽ *contrariarum rationum æqualitatem*; definiunt dolorem *naturalium partiũ violentam separationem*. Nam somnus non inest sensibus; si autem esset impotentia sensus, deberet inesse sensui, ac recipi in sensu: dubitatio non inest contrarijs rationibus; neque dolor inest naturalibus partibus: nam etiam inanimata habent partes naturales, quæ possunt violenter separari; ergo si dolor est violenta separatio naturalium partium, poterit etiam rebus inanimatis inesse, quod est absurdum. Eodem vitio laborat definitio, qua sanitas definitur *commensuratio calidorum, & frigidorum*. Commensuratio enim inest rebus, quarum est commensuratio; ergo si sanitas est commensuratio calidorum, & frigidorum, inest calidis, & frigidis; sed necesse est ea, quibus sanitas inest, constitui sana per sanita-

tem; ergo sequeretur, quod calida, & frigida constituerentur sana per sanitatem, quod est absurdum. Confirmatur, quia per has definitiones confunditur causa cum effectu, effectiuum cum eo, quod efficitur. Explicatur: separatio enim partium materialium non est dolor, sed est causa doloris; ergo dum dolor definitur *separatio partium naturalium*, dolor confunditur cum causa effectiua doloris. Similiter somnus non est impotentia sensus, sed est causa, vel effectus talis impotentiæ: vel enim dormimus propter impotentiam sentiendi, vel somnus causat impotentiam sentiendi; ergo dum somnus definitur *impotentia sentiendi* confunditur causa cum effectu. Rursus causa dubitandi est contrariarum rationum æqualitas; cum enim ratiocinantibus nobis videntur eadem sequi, siue agamus, siue non agamus, dubitamus, an agamus; ergo cum dubitatio definitur *contrariarum rationum æqualitas*, causa confunditur cum effectu.

20 *Amplius secundum tempora omnia considerandum sicubi dissonet: vt si immortale definiuit, animal nunc incorruptibile esse. Nam nunc incorruptibile animal, nunc immortale erit. An in hoc quidem non accidit? nam anceps secundum amphibologiam est nunc incorruptibile esse. Aut enim quoniam non corrumpitur nunc, significat, aut quoniam non possibile corrumpi nunc, aut quoniam huiusmodi est nunc, ut nunquam possit corrumpi. Quando igitur dicimus, quòd incorruptibile nunc animal, non dicimus, quòd nunc tale est animal, sed vt nunquam possit corrumpi: hoc autem immortali idem erat: quare non accidit, nunc idem immortale esse. Sed tamen sicubi accidit, quod secundum definitionem quidem assignatum est inesse nunc, vel prius, quod vero secundum nomen non inest, non erit idem. Vtendum ergo hoc loco, quemadmodum dictum est.*

21 *Inspiciendum autem & si secundum aliud quippiam magis dicitur, quod definitur, quàm secundum assignatam orationem. Vt si iustitia potestas æqui distributiua est: iustus enim magis est, qui eligit æquum distribuere, eo, qui potest: quare non erit iustitia potestas æqui distributiua: nam & iustus esset maxime, qui posset æquum distribuere.*

22 *Amplius si res quidem suscipit magis, quod autem secundum orationem assignatur non suscipit, aut contra quod secundum orationem ei assignatur suscipit, res autem non. Oportet enim aut vtraque suscipere, aut neutrum, siquidem est rei, quod secundum orationem assignatur.*

20 Vigesimus quartus locus est: definitio, & definitum debent omninò conuenire in tempore: si ergo non conueniant, mala erit definitio. Ex hoc loco potest reijci definitio, qua immortale definitur, *quod nunc est incorruptibile*: immortale enim nunquam potest non esse, incorruptibile verò limitatur ad *nunc*; ergo cum ad aliquod tempus limitetur definitio, ad quod non limitatur definitum, mala est definitio. Addit tamen Aristoteles posse allatam definitionem defendi. Ly enim *incorruptibile nunc* est ambiguum, ac potest in triplici sensu explicari; primo *incorruptibile nunc* potest dici, quod hactenus non est corruptum: secundo *incorruptibile nunc est*, quod nunc non potest corrumpi: tertio *incorruptibile nunc est*, quod nunc est tale, vt nunquam possit corrumpi; sed cum dicimus, quod *immortale nunc est incorruptibile*, intelligimus nunc esse tale, vt nunquã possit corrumpi; ergo potest defendi allata definitio immortalis. Si verò aliquis concedat definitionem, ac definitum discrepare in tempore, tum ex hoc loco poterit ostendi allatam orationem verè non esse definitionem.

21 Vigesimus quintus locus est: definitum non potest esse magis aliquid aliud, quam id, quod dicitur esse per definitionẽ: si ergo magis sit aliquid aliud, quæ assignatur verè non est definitio. Ex hoc loco potest reijci definitio, qua iustitia distributiua definitur *potestas distributiua æqui*: iustus enim magis est, qui eligit æquum distribuere, quam qui potest: alioquin qui posset maximè æquum distribuere, maximè esset iustus; ergo iustitia magis est virtus eligens æquum distribuere, quam potestas æqui distributiua; ergo oratio, qua iustitia dicitur, *potestas distributiua æqui*, non est definitio iustitiæ.

22 Vigesimus sextus locus est: si definitum suscipit magis, & minus, etiam definitio debet suscipere magis, & minus, & è conuerso: si ergo alterum suscipit, alterum non suscipit, quæ assignatur verè non est definitio. Ex hoc loco posset reijci definitio, qua Cygnus definitur *animal volatile*

latile album; nam *album* suscipit magis, & minus, *cygnus* non suscipit magis, & minus.

23 *Amplius si suscipiunt vtraque quidem magis, non simul autem vtraque augmentum sumunt. Vt si amor concupiscentia conuentionis est: nam magis concupiscit conuentionem: quare non simul vtraque suscipiunt magis: at oporteret, si idem essent.*

24 *Amplius si duobus quibusdam propositis, de quo res magis dicitur, id quod est secundum orationem minus dicitur. Vt si ignis est corpus subtilissimum: ignis enim magis flamma, quàm lux: corpus autem subtilissimum minus flamma, quam lux. Oportet autem vtraque magis inesse eidem, siquidem eadem sint.*

25 *Rursum si hoc quidem similiter vtrisque inest propositis, aliud autem non similiter vtrisque, sed alteri magis.*

26 *Amplius si ad duo definitionem assignauerit secundum vtrunque. Vt bonum, quod per visum, aut per auditum delectabile, & ens, quod possibile est, pati, aut facere: simul enim idem, & bonum, & non bonum est: similiter autem, & ens, & non ens. Nam per auditum delectabile, idem bono erit: quare quod non delectabile est per auditum, non bono idem: nam eisdem, & opposita eadem erunt: opponitur autem bono quidem non bonum, per auditum autem delectabili, per auditum non delectabile: manifestum igitur, quoniam idem non delectabile per auditum, non bono: si igitur aliquid est per visum quidem delectabile, per auditum autem non, & bonum, & non bonum erit. Similiter autem ostendemus, quoniam idem ens, & non ens est.*

27 *Amplius & generibus, & differentijs, & alijs omnibus, quæ in definitionibus sunt assignatis, eis, qui orationes pro nominibus faciunt, considerandum, si quicquam dissonet.*

23 Vigesimus septimus locus est: si definitio, & definitum suscipiunt magis, & minus, simul debent intendi, si verò non simul intenduntur, quæ affertur non est definitio. Ex hoc loco potest reijci definitio, qua amor definitur, *concupiscentia concubitus*; sequeretur enim, quod magis amans, magis concupisceret concubitum, quod est falsum.

24 Vigesimus octauus locus est: necesse est, vt de omnibus, de quibus magis dicitur definitum, magis dicatur definitio, & è conuerso, si verò hoc non accidat, quæ affertur, non est definitio. Ex hoc loco potest reijci definitio, qua ignis definitur, *corpus subtilissimum*. Si enim hæc esset definitio ignis, de eo, de quo magis dicitur ignis, magis deberet dici *corpus subtilissimum*; sed contrarium accidit; nam ignis magis dicitur de flamma, quam de luce, corpus subtilissimum magis dicitur de luce, quam de flamma; ergo &c. Debet autem aduerti, quod hæc, & alia quædam exempla afferuntur ab Aristotele, non vt vera, sed ex famosis opinionibus antiquorum.

25 Vigesimus nonus locus est: necesse est, vt omnibus, quibus similiter inest definitum, similiter insit definitio. Si igitur aliquibus definitum insit similiter, definitio ijsdem non insit similiter, sed alteri magis, alteri minus, quæ affertur verè non est definitio. Ex hoc loco posset reijci definitio, qua ignis definiretur *corpus combustiuum*. Carbo enim, & flamma sunt æquè ignis; sed carbo, & flamma non æquè sunt combustiua; ergo non est idem *esse ignem*, ac *esse combustiuum*; ergo definitio ignis non est, vt sit *corpus combustiuum*.

26 Trigesimus locus est: definitio rei non debet assignari per disiunctionem duorum: ex. gr. bonum non debet definiri, *quod est delectabile per visum, vel auditum*; ens non debet definiri, *quod potest agere, vel pati*. Probatur: nam si tales definitiones essent bonæ, sequeretur, quod idem esset bonum, & non bonum, ens, & non ens; consequens est absurdum; ergo &c. Probatur sequela: si enim bonum est id, quod est delectabile per visum, vel auditum; ergo quod est delectabile per visum, est bonum, immo hoc ipsum, quod est, *esse delectabile per visum*, est *esse bonum*; & similiter, quod est delectabile per auditum est bonum, immo hoc ipsum, quod est, *esse delectabile per auditum* est *esse bonum*; ergo quod non est delectabile per visum, non est bonum: si enim definitio hominis est *animal rationale*, quod non est animal rationale, non est homo; ergo pariter si definitio hominis est *delectabile per visum*, quod non est delectabile per visum non est bonum; sed potest, quod est delectabile per auditum, adeoque est bonum, non esse delectabile per visum, ex quo sequitur, quod non sit bonum; ergo potest idem esse bonum, & non esse bonum, & ex eadem ratione potest idem esse ens, & non esse ens; ergo definitio rei non debet

debet aſſignari per diſiunctionem duorum, modo explicato.

27 Trigeſimus primus locus eſt: cum definitio eſt per genus, & differentiam, ſicut de re prædicatur genus, & differentia, ſic debent prædicari definitiones generis, ac differentiæ: ex.gr. ſicut de homine dicitur, quod ſit animal, & quod ſit rationalis, ſic debet dici, quod ſit viuens ſenſitiuum, quæ eſt definitio animalis, & quod poſſit diſcurrere, quæ eſt definitio rationalis. Si igitur definitiones eorum, quæ ponuntur in oratione, non dicantur proportionaliter de definito, oratio poſita non erit definitio.

28 *SI autem ſit ad aliquid, quod definitur, aut per ſe, aut ſecundum genus, conſiderandum, ſi non dictum eſt in definitione ad quod dicitur, aut ſecundum ipſum, aut ſecundum genus: vt ſi ſcientiam definiuit, opinionem indiſſuaſibilem, aut etiam voluntatem, appetitum ſine triſtitia. Omnis enim eius, quod eſt ad aliquid, ſubſtantia ad alterum, eo quod idem ſit vnicuique eorum, quæ ſunt ad aliquid, eſſe idipſum, quod eſt ad aliquid quodammodo ſe habere: oportebat igitur ſcientiam dicere opinionem ſcibilis, & voluntatem appetitum boni. Similiter autem, & ſi grammaticen definiuit ſcientiam literarum: oportebat enim aut ad quod ipſum dicitur, aut ad quod forte genus dicitur, in definitione aſſignari.*

29 *Aut ſi cum quippiam ad aliquid dicitur, non aſſignauit ad finem. Finis autem in vnoquoque eſt, quod optimum eſt aut cuius gratia alia ſunt: dicendum igitur, aut optimum, aut vltimum: vt concupiſcentiam non delectabilis, ſed delectationis: nam propter hanc, & delectabile eligimus.*

30 *Conſiderandum & ſi generatio eſt ad quod aſſignauit, vel actus: nihil enim talium finis. Nam magis, quod eſt egiſſe, & generaſſe finis, quam fieri, & agere. An non in omnibus verum huiuſmodi? Pene enim plurimi delectari magis volunt, quam deſtitiſſe delectari: quare agere magis finem quis ſtatuat, quam egiſſe.*

28 Trigeſimus ſecundus locus pro definitione relatiuorum eſt: in definitione illorum, quæ ſunt ad aliquid, vel ſecundum ſe, vel ſecundum genus, debet poni id, ad quod dicuntur, vel ſecundum ſe, vel ſecundum genus. Ratio eſt, quia eſſentia eorum, quæ ſunt ad aliquid, conſiſtit in hoc, vt ſint ad illud; ergo vt per definitionem explicetur eorum eſſentia, debet explicari illud, ad quod dicuntur. Ex hoc loco poſſent reijci definitiones, quibus quis ſcientiam definiret, *exiſtimationem immobilem*, vel definiret voluntatem *appetitum ſine triſtitia*. Cum enim ſcientia ſit ſcibilis ſcientia, debebat addi ſcibile, dicendo, quod ſcientia eſt *exiſtimatio immobilis obiecti ſcibilis*; & cum voluntas ſit boni voluntas, debebat addi, quod voluntas eſt *appetitus boni ſine triſtitia*. Ex eodem loco poteſt reijci definitio, qua grammatica definitur *ſcientia litterarum*. Grammatica enim ſecundum genus ſcientiæ refertur ad ſcibile, ſecundum ſe verò refertur, non ad litteras, ſed ad legendum, & ſcribendum; ergo debebat potius dici, quod grammatica eſt *ſcientia legendi, vel ſcribendi*, vel quod eſt *ſcientia ſcibilium circa legendum, & ſcribendum*.

29 Trigeſimus tertius locus eſt: in definitione eorum, quæ ſunt ad aliquid, exprimi debet finis: eſt enim finis optimum, vel id cuius gratia cætera fiunt; ſi ergo non exprimatur finis, ſed medium, oratio allata non eſt definitio. Ex hoc loco poteſt redargui definitio, qua concupiſcentia dicitur *appetitus delectabilis*. Concupiſcentia enim delectationem appetit vt finem, delectabile verò appetit vt medium effectiuum delectationis; ergo debet definiri per delectationem, & non per delectabile.

30 Trigeſimus quartus locus eſt: res non debet definiri per generationem, vel actionem. Ratio eſt, quia res debet definiri per finem; ſed generatio, & actio non ſolent eſſe finis rei; ergo res non bene definitur per generationem, & actionem. Addit Ariſtoteles, quod non eſt vniuerſim verum, quod generatio, & actio non ſint finis. In multis enim videntur eſſe finis, eo pacto, quo *delectari* videtur magis finis, quam *delectatum eſſe*. Solutio eſt, quod in actionibus, quæ relinquunt opus poſt ſe, ipſæ actiones non ſunt finis, ſed opus; in actionibus verò, quæ nullum relinquunt opus poſt ſe, ipſæ ſunt finis, vt Ariſtoteles docet primo Ethic. cap. 1.

31 *Rurſum in quibuſdam ſi non determinauit quanti, vel qualis, vel vbi, vel ſecundum alias differentias. Vt ambitioſus, & qualis, & quanti appetens eſt honoris:*

u.m

nam omnes appetunt honorem: quare non sufficit ambitiosum dicere, qui appetit honorem, sed addere oportet dictas differentias. Similiter autem & auarus quantas appetit pecunias, aut intemperans, circa quales voluptates: non enim qui d qualibet voluptate tenetur, intemperans dicitur, sed qui ab aliqua. Aut rursum, qui definiuit noctem, vmbram terræ, aut succussionem, motum terræ, aut nubem, densitatem aeris, aut ventum, motum aeris: addendum enim quanti, & qualis, vbi, & à quo. Similiter autem, & in cæteris huiusmodi: nam omittens differentiam quamlibet non dicit quid est esse. Oportet autem semper ad id, quo indiget, argumentari. Non enim quolibet modo terra mota, neque quantacunque succussio erit: similiter autem neque aere quolibet modo, neque quantocunque moto, ventus erit.

32 *Amplius in appetitibus, si non apponitur, quod apparet, & in quibuslibet alijs congruit. Vt quoniam voluntas appetitus boni, concupiscentia autem appetitus delectationis, sed non apparentis boni, vel delectationis. Plerunque enim latet appetentes, quoniam bonum, aut delectabile est: quare non necessarium bonum, vel delectabile esse, sed apparens solum: oportebat ergo sic & assignationem facere. Si autem & assignauit, quod dictum est, in ipsas species ducendum eum, qui ponit ideas esse: non enim est idea illius apparentis: ipsa autem species ad ipsam speciem videtur dici, vt ipsa concupiscentia ipsius delectationis, & ipsa voluntas ipsius boni: apparentis igitur boni non erit ipsa voluntas, neque apparentis delectationis ipsa concupiscentia: absurdum enim est esse ipsum apparens bonum, vel delectabile.*

31 Trigesimus quintus locus est: definitio quorumdam, quæ dicuntur ad aliquid, debet etiam determinare, *quantum*, aut *quale* sit illud aliud, adeoque si tales differentiæ omittantur, oratio allata non est definitio. Ex. gr. ambitiosus non sufficienter definitur dicendo, quod est *appetens honoris*, nam etiam non ambitiosi appetunt honorem, sed debent addi differentiæ, per quas constituitur ambitiosus. Est enim ambitiosus, *qui appetit honorem maiorem, quam sibi conueniat, & talem, qualis sibi non conuenit, & vbi sibi non conuenit.* Similiter non bene definitur auarus, dicendo, quod est, *qui appetit pecunias*, sed debet explicari quantas appetat &c: nec bene definitur intemperans, qui *appetit voluptates* nisi dicatur quales appetat: nec bene definitur nox dicendo, quod est *vmbra terræ*; debet enim explicari, qualis vmbra terræ sit nox. Ex eadem ratione non bene definitur terræmotus, *concussio terræ*, nubes, *densitudo aeris*, ventus *motus aeris*, nisi addatur, quantum, quale, vbi, & à quo. Ex his igitur locis possumus contra tales definitiones argumentari, dicendo, quod non quilibet motus aeris, est ventus; ergo ventus non bene definitur motus aeris, &c.

32 Trigesimus sextus locus est: cum definitur appetitus, & eius species, debet addi particula *apparens*, ideoque si hæc particula omittatur, oratio allata non est definitio. Ex hoc loco possunt reijci definitiones, quibus voluntas definitur *appetitus boni*, concupiscentia *appetitus delectationis*. Sæpe enim quod volumus, verè non est bonum, sed apparet bonum, & quod concupiscimus, non est delectabile, sed nobis apparet delectabile; ergo in his definitionibus debuit addi particula *apparens*, ac debuit dici, quod voluntas est *appetitus boni apparentis*, concupiscentia est *appetitus delectationis apparentis*. Si verò quis ponat talem particulam, adhuc possumus arguere iuxta principia eorum, qui ponunt ideas. Nam per se voluntas non est appetitus boni apparentis, sed est appetitus per se boni, per se concupiscentia non est appetitus delectationis apparentis, sed est appetitus per se delectationis; ergo malè in definitione ponitur particula *apparens*. Si verò dicatur, quod *per se voluntas* est appetitus per se apparentis boni, contra est, quia est absurdum dari *per se apparens bonum, per se apparens delectabile*; sed solum datur *per se verum bonum, per se verum delectabile.*

33 *Amplius si sit quidem habitus definitio, considerandum in habente, siquidem habentis, in habitu: similiter autem, & in cæteris talibus. Vt si delectatio est iuuantia, & delectabile iuuabile. Vniuersaliter autem dicendo in huiusmodi definitionibus, quodammodo vno plura accidit eum qui definit definire. Nam qui scientiam definiuit, quodammodo & ignorantiam definiuit: similiter autem, & scium, & inscium,*

scium, & scire & ignorare: nam, primo dilucido facto, & reliqua quodammodo dilucida fiunt. Inspiciendum igitur in omnibus talibus, ne quicquam dissonet, vtendo elementis ex contrarijs, & coniugatis.

34 *Amplius in his, quæ ad aliquid sunt, considerandum, si ad quod genus assignatur, & species ad illud quoddam assignatur. Vt si opinio ad opinatum, & quædam opinio ad quoddam opinatum: & si multiplex ad submultiplex, & quoddam multiplex ad quoddam submultiplex: si autem non sic assignatur, manifestum, quoniam peccatur.*

35 *Videndum autem & si oppositi opposita definitio. Vt si dimidij ea sit, quæ opposita est ei, quæ est duplicis: nam, si duplex est quod in æquali superat dimidium, & dimidium, quod in æquali superatur.*

36 *In contrarijs autem similiter. Nam contraria contrarij oratio erit, secundum vnam quandam complexionem contrariorum. Vt si adiutiuum quidem effectiuum boni est, nociuum effectiuum mali, aut corruptiuum boni: alterum enim horum necessarium est contrarium esse ei, quod ex principio dictum est: si igitur neutrum contrarium est ei, quod ex principio dictum est, manifestum, quoniam neutra erit earum (quæ posterius assignatæ) contrarij oratio: quare neque quæ ex principio assignata est definitio recte assignata est.*

33 Trigesimus septimus locus est: definitio habitus debet examinari ex definitione habentis, ac definitio habentis ex definitione habitus, idemque dic de alijs coniugatis: debent enim proportionales esse definitiones coniugatorum. Qui ergo definit vnum ex coniugatis, vel oppositis, definit virtualiter plura: ex. gr. qui definit scientiam, definit ignorantiam oppositam scientiæ; qui definit scientem, definit virtualiter ignorantem; qui definit *scire*, definit quodammodo *ignorare*: primo enim manifestato, reliqua etiam virtualiter manifestantur. Examinandum igitur ex traditis locis est, vtrum quidquam dissonet. Si enim dissonat, possumus definitionem traditam euertere, ac probare illam non esse definitionem.

34 Trigesimus octauus locus est: si genus refertur ad aliquid, species refertur ad aliquid sub illo. Ex. gr. quia opinio est opinabilis opinio, quædam opinio est cuiusdam opinabilis opinio; quia multiplex est submultiplicis multiplex, quoddam multiplex est cuiusdam submultiplicis multiplex: si verò definitiones specierum ita assignentur, vt in definitione generis explicetur genus, ad quod refertur, at in definitionibus specierum non explicetur aliquid sub genere, ad quod species referantur, malæ sunt tales definitiones.

35 Trigesimus nonus locus est: oppositorum opposita debet esse definitio. Ex. gr. quia dimidium opponitur duplici, definitio dimidij debet esse opposita definitioni duplicis, ideoque cum duplex definiatur, *id, quod in æquali superat dimidium*, dimidium definiri debet, *id quod in æquali superatur à duplici*. Si igitur assignatur definitio oppositi, quæ non sit opposita definitioni alterius oppositi, peccatur, ac potest ex hoc loco reijci definitio allata.

36 Quadragesimus locus est: sicut definitiones oppositorum relatiuè sunt oppositæ relatiuè, sic definitiones contrariorum sunt contrariæ secundum aliquam complexionem contrariorum, quæ complexiones assignatæ sunt lib. 2. cap. 3. nu. 1. Ex. gr. quia vtile, & nociuum sunt contraria; vtile verò definitur, quod est *effectiuum boni*: huic autem orationi, quæ est, *esse effectiuum boni*, contraria est duplex oratio, nimirum tum ea, quæ dicit *effectiuum mali*, tum ea, quæ dicit *corruptiuum boni*, sequitur, quod definitio nociui sit altera ex his duabus orationibus, adeoque quod nociuum sit, vel quod est effectiuum mali, vel quod est corruptiuum boni; si verò neutra ex his definitionibus nociui sit contraria vtili, neutra erit definitio nociui, ac proinde nec oratio his contraria, qua vtile definiebatur *effectiuum boni* est definitio vtilis. Si enim hæc esset definitio vtilis, aliqua ex contrarijs esset definitio nociui; ergo si nulla ex contrarijs est definitio nociui, nec ipsa est definitio vtilis.

37 *Quoniam autem quædam contrariorum priuatione alterius dicuntur, vt inæqualitas priuatio æqualitatis videtur esse: inæqualia enim quæ non æqualia sunt dicuntur: perspicuum, quoniam quod secundum priuationem quidem dicitur contrarium, necessarium est definire per alterum, reliquum vero non iam oportet per id, quod secun-*

secundum priuationem dicitur: non enim accidit alterutrum per alterutrum cognosci. Considerandum igitur in contrarijs huiusmodi peccatum. Vt si quis definiuit æqualitatem contrarium inæqualitati: nam per hoc, quod secundum priuationem dicitur, definiuit. Amplius sic definientem necesse est eo, quod definitur vti. Patet autem hoc, si accipiatur pro nomine oratio. Nam quia nil refert dicere inæqualitatem priuationem æqualitatis, erit æqualitas contrarium priuationi æqualitatis: quare eodem erit vsus.

38 *Si autem neutrum contrariorum secundum priuationem dicatur, assignetur autem oratio similiter, vt bonum contrarium malo, manifestum, quoniam malum contrarium bono erit: nam sic contrariorum similiter oratio assignanda: quare rursum eo, quod definitur accidit vti: inest enim in mali oratione bonum. Quocirca quoniam bonum est malo contrarium, malum autem nihil differt, vel quod est bono contrarium, erit bonum contrarium boni contrario: perspicuum igitur quoniam eodem vsus est.*

37 Quadragesimus primus locus est: ex contrarijs, quæ opponuntur vt priuatio, & habitus, quod dicitur vt priuatio, debet definiri per illud, quod dicitur vt habitus, non autem è conuerso. Ex. gr. quia æqualitas, & inæqualitas opponuntur vt habitus, & priuatio, inæqualitas quidem debet definiri *priuatio æqualitatis*, at æqualitas non debet definiri per inæqualitatem. Ratio est, quia licet priuatio cognoscatur per habitum, non tamen habitus cognoscitur per priuationem; ergo &c. Confirmatur, quia si habitus definiretur per priuationem, in definitione habitus poneretur ipse habitus. Patet: nam loco nominis potest poni definitio; ergo cum dicitur, quod æqualitas est, quæ est *contraria inæqualitati*, loco *inæqualitatis* potest poni definitio inæqualitatis, quæ est *priuatio æqualitatis*; ergo æqualitas definitur, quæ est *contraria priuationi æqualitatis*, ac proinde in definitione æqualitatis ponitur ipsa æqualitas.

38 Quadragesimus secundus locus est: ex contrarijs, quæ non opponuntur vt habitus, & priuatio, cuiusmodi sunt ex. gr. *bonum*, & *malum*, neutrum debet definiri per alterum. Probatur: si enim bonum definitur, *quod est contrarium malo*, cum contraria debeant similiter definiri, malum definietur, *quod est contrarium bono*; sed loco mali potest poni definitio mali, quæ est idem cum malo; ergo idem est dicere, quod bonum est *id, quod est contrarium malo*, ac dicere, quod *bonum est id, quod est contrarium contrario boni*; ergo bonum definitur per se ipsum.

39 *Amplius si quod secundum priuationem dicitur assignans, non assignauit, cuius est priuatio, vt habitus, aut contrarij, aut cuiuscunque est priuatio. Et si non in quo natum est fieri addidit, vel simpliciter, vel in quod primo natum est fieri: vt si ignorantiam dicens priuationem, non scientiæ priuationem dixit: aut si non addidit in quo natum est fieri: aut addens non in quo primo assignauit, vt quod non in rationali, sed in homine, vel in anima: nam, si quodlibet horum omittat, peccauit. Similiter autem & si cæcitatem non visus priuationem in oculo dixit. Oportet autem bene assignantem, quid est, & cuius est priuatio assignare, & quidnam est, quod priuatum est.*

40 *Videndum autem & si non secundum priuationem dictum, priuatione definiuit: vt & in ignorantia videbitur esse huiusmodi peccatum ijs, qui non secundum negationem ignorantiam dicunt. Nam quod non habet scientiam, non videtur ignorare, sed magis, quod deceptum est: propter quod neque inanimata, neque pueros dicimus ignorare: quare non secundum priuationem scientiæ ignorantia dicitur.*

41 *Amplius si similibus nominis casibus similes orationis casus aptantur. Vt si adiutiuum est effectiuum sanitatis, adiutiua est sanitatis effectiua, & adiuuans efficiens sanitatem.*

4 *Considerandum & in idea, si aptabitur dictus terminus: nam in quibusdam non accidit. Vt quemadmodum Plato definiuit, mortale addens in animalium definitionibus: idea enim non erit mortalis, vt ipse homo: quare non aptabitur ad ideam definitio. Simpliciter autem in quibus apponitur effectiuum, aut passiuum, necesse est dissonare in idea terminum: nam impassibiles, & immobiles videntur esse ideæ ijs, qui dicunt ideas esse. Aduersum hos autem, & tales orationes vtiles sunt.*

Qua-

39 Quadrageſimus tertius locus eſt: cum definitur priuatio, debet exprimi id, cuius eſt priuatio, hoc eſt vel habitus, vel contrarium, & præterea debet exprimi ſubiectum, in quo primo eſt priuatio, ita vt primo aptum ſit recipere habitum: ſi verò aliquid ex his non explicetur, peccatur. Ex. gr. qui definiens ignorantiam dicit quidem illam eſſe priuationem, ſed non explicat, cuius ſit priuatio, peccat. Rurſus ſi dixerit ignorantiam eſſe priuationem ſcientiæ, ſed non addiderit, in quo ſubiecto ſcientia apta ſit ineſſe, adhuc peccat. Si etiam dixerit ignorantiam eſſe priuationem ſcientiæ in homine, vel anima, ſed non explicauerit, quod eſt priuatio ſcientiæ in parte ratiocinatiua animæ, quæ eſt primum ſubiectum ſcientiæ, adhuc peccauit, quia non expreſſit ſubiectum, in quo primo ſcientia apta eſt ineſſe. Similiter qui definiens cæcitatem dicit quidem illam eſſe priuationem viſus, ſed non exprimit, quod eſt *priuatio viſus in oculo*, peccauit ex eadem ratione.

40 Quadrageſimus quartus locus eſt: id, quod non conſiſtit in priuatione, non debet definiri vt priuatio. Contra hanc regulam videntur peccare qui dicunt ignorantiam eſſe *negationem ſcientiæ*. Non enim videntur ignorare, qui non habent ſcientiam, ſed qui decipiuntur, & errant, ideoque inanimata, & pueri non dicuntur ignorare, quia non fuerunt decepti.

41 Quadrageſimus quintus locus eſt: iis, quæ differunt ſolo caſu, aptandæ ſunt definitiones ſolo caſu differentes: ex. gr. ſi adiuuatiuum eſt effectiuum ſanitatis, adiuuans eſt efficiens ſanitatem &c. Si igitur differentibus ſecundum ſolum caſum non aptantur proportionales definitiones differentes ſecundum ſolum caſum, mala eſt allata definitio.

42 Quadrageſimus ſextus locus eſt: definitiones ſecundum Platonicos debent maximè conuenire ideis, quæ ſunt inuentæ, vt eſſent præcipua obiecta definitionum, & ſcientiarum. Si ergo non conueniunt ideis, oratio, quæ affertur vt definitio, verè non eſt definitio. Ex hoc loco ad hominem poſſunt euerti definitiones, quibus Plato definiens animalia, addit particulam *mortale*. Ideæ enim non ſunt mortales; ergo tales definitiones non conueniunt ideis animalium, ex. gr. *per ſe homini, per ſe equo &c.* Vniuerſim verò definitiones, in quibus additur *effectiuum, & paſſiuum*, non poſſunt conuenire ideis, quæ iuxta Platonicos ſunt immobiles, & impaſſibiles.

43 *Amplius ſi eorum, quæ ſecundum æquiuocationem dicuntur, vnam definitionem omnium communem aſſignauit. Vniuoca enim, quorum vna eſt ſecundum nomen oratio: quare nullius eorum, quæ ſub nomine ſunt, aſſignatus eſt terminus, eo quòd ſimiliter ad omne æquiuocum adaptatur. Paſſus autem hoc eſt & Dionyſij vitæ terminus, ſiquidem ea motus eſt generi nutriendi naturaliter inſeruiens: nihil enim hoc magis animalibus, quam plantis ineſt: vita autem non ſecundum vnam ſpeciem videtur dici, ſed altera quidem animalibus, altera plantis ineſt. Contingit igitur & ſecundum electionem ſic aſſignare terminum, ac ſi vniuoca, & ſecundum vnam ſpeciem omnis vita diceretur. Nihil autem prohibet & eum, qui conſpicit æquiuocationem, & alterius vult definitionem aſſignare, latere non propriam, ſed communem vtriſque orationem aſſignare. Sed nihil minus ſi vtrouis modo fecerit, peccauit.*

44 *Poſtquam autem quædam latent æquiuocorum, interroganti quidem vt vniuocis vtendum. Nam non adaptabitur alterius terminus ad alterum: quare videbitur non diſtinguendum hoc pacto: oportet enim in omne, vniuocum adaptari. Eidem autem reſpondenti, diſtinguendum eſt.*

43 Quadrageſimus ſeptimus locus eſt: quæ dicuntur æquiuocè, definiri non debent vna definitione, quæ omnibus conueniat. Ratio eſt, quia ea, quorum vna eſt ſecundum nomen definitio, ſunt vniuoca; ergo non ſunt æquiuoca; ergo cum definitio conuenit omnibus, de quibus nomen dicitur æquiuocè, nullum eorum definitur, cum non poſſit vllum eorum definiri, niſi propria definitione, quæ non conueniat cæteris. Contra hoc præceptum videtur peccaſſe Dionyſius Academicus, qui vitam definiuit, *motum, qui naturaliter inſeruit, & accommodatur generi eorum, quæ nutriuntur.* Hæc enim definitio æquè conuenit animalibus, ac plantis, & tamen vita dicitur ſolum æquiuocè de animalibus, ac plantis, ita vt alia ſit vita plantarum, alia animalium. Porro dupliciter poteſt accidere, vt peccet quis, aſſignando æquiuocis vnam definitionem

nem

nem communem omnibus: primo existimans illa conuenire vniuocè, adeoque ex electione conficiendo definitionem omnibus communem, eo pacto, quo Dionysius videtur existimasse vitam dici vniuocè de animalibus, ac plantis, ideoque ex electione assignauit definitionem vitæ, communem animalibus, ac plantis. Secundo potest quis aduertens nomen æquiuocè dici de pluribus, conari, vt assignet definitionem propriam vnius, sed errare, imprudenter assignando definitionem communem omnibus. Verum vtrolibet modo assignat quis definitionem communem omnibus æquiuocatis, peccat.

44 Iam quia sæpe non apparet, an nomen, de quo disputatur, sit æquiuocum, vel vniuocum, tradit Aristoteles quatuor præcepta, seu documenta pro argumentantibus, & respondentibus, cum occurrit aliquod nomen, cuius lateat æquiuocatio. Primum præceptum est: interrogans debet vti tali nomine vt vniuoco, non explicando, quod multipliciter dicatur; respondens verò debet explicare, quot modis dicatur. Ratio est, quia si interrogans vtatur eo nomine vt vniuoco, poterit redarguere definitionem allatam à respondente, ostendens illam non omnibus conuenire; respondens verò explicans significationes nominis, poterit soluere argumentum.

45 *Quoniam autem quidam respondentium vniuocum quidem dicunt esse æquiuocum, quando non accommodatur ad omne assignata oratio, æquiuocum autem vniuocum, etiam si ad vtrunque accommodetur, præ confessione vtendum pro talibus, aut præcolligendum, quòd æquiuocum, vel vniuocum, aut vtrunque fuerit. Magis enim concedunt non præuidentes, quod futurum est vt accidat.*

46 *Si autem non facta confessione dixerit aliquis vniuocum æquiuocum esse, eo quòd non accommodatur & in hoc assignata oratio, considerandum si huius oratio accommodatur, & ad reliqua. Nam manifestum, quoniam vniuocum erit reliquis: si autem non, plures erunt definitiones reliquis: nam quæ secundum nomen orationes accommodabuntur ad eandem, quæ prior assignata est, & quæ posterior.*

47 *Rursum si quis definiens aliquid eorum, quæ multipliciter dicuntur, & oratio non accommodatur ad omnia, & quia æquiuocum esse non concedat, nomen etiam dicat non ad omnia accommodari, quoniam nec oratio, dicendum ad eiusmodi, quòd nominatione quidem oportet vti quæ tradita est, & quæ sequitur, & non dimouere, quæ talia sunt, tametsi nonnulla dicenda non sint similiter multitudini.*

45 Secundum præceptum est: quia cum respondens assignauit talem definitionem nominis, quæ non conuenit omnibus, de quibus dicitur nomen, etiamsi nomen sit vniuocum, dicit illud esse æquiuocum; & è conuerso, cum definitio allata conuenit omnibus, de quibus dicitur nomen, etiamsi nomen sit æquiuocum, dicit illud esse vniuocum; ideo antequam interrogans quærat definitionem, debet curare, vt respondens concedat nomen esse vniuocum, vel æquiuocum, vel debet id probare aliquo syllogismo, deinde verò debet definitionem nominis postulare, & impugnare. Ratio est, quia facilius aliquid conceditur, cum non præuidetur redargutio, quam cum præuidetur.

46 Tertium præceptum est: si arguens non habuerit præconcessionem, quod nomen est vniuocum, respondens verò dicat nomen esse æquiuocum, eo quod definitio assignata non conuenit omnibus, redargui debet, assignando definitionem talis nominis communem etiam reliquis. Nam cum hæc definitio conueniat omnibus, de quibus dicitur nomen, sequitur, quod tale nomen sit vniuocum, cum dicatur de omnibus secundum vnam definitionem. Si autem adhuc respondens dicat nomen non esse vniuocum, sequitur aliud inconueniens, quod nimirum reliqua sint definibilia duplici definitione, prima nimirum allata à respondente, quæ conuenit solum aliquibus, & posteriore allata ab arguente, quæ conuenit omnibus, de quibus dicitur nomen.

47 Quartum præceptum est: si quis definiens nomen, quod dicitur æquiuocè, ac negans illud dici æquiuocè, cum opponitur, quod definitio non conuenit omnibus, respondeat, quod illi, cui non conuenit definitio, neque conuenit nomen, redarguendus est ex eo, quod non debemus mutare significationem nominum, sed debemus vti nominibus in ea significatione, quæ est recepta, & vsitata, licet quoad opiniones de rebus ipsis possimus aliquando recedere ab

ab opinionibus communibus. Loquendum enim cum multis, sentiendum cum paucis.

De locis spectantibus præsertim ad definitiones compositorum. Cap. III. & Vltimum.

1 *SI autem alicuius complexorum assignetur terminus, considerandum est auferendo alterius eorum, quo complectuntur orationem, si est, & reliqua reliqui: nam si non, manifestum, quoniam neque tota totius. Vt si quispiam definiuit lineam finalem rectam, finem plani habentis fines, cuius medium superadditur finibus: si finalis lineæ oratio est, finis plani habentis fines, recta oportet esse reliquum, cuius medium superadditur finibus: sed infinita neque medium, neque fines habet, recta autem est: quare non est reliqua reliqui oratio.*

2 *Amplius si cum sit compositum, quod definitur, æquimembris oratio assignetur definitio. Aequimembris autem dicitur oratio esse, quando quot fuerint composita, tot & in oratione nomina, & verba fuerint. Necesse est enim in talibus ipsorum nominum commutationem fieri; aut omnium, aut aliquorum, eo quòd nihil plura nunc, quàm prius nomina dicta sunt: verum oportet eum, qui definit, orationem pro nominibus assignare, maxime quidem omnibus: quòd si non, at saltem in plurimis: sic enim, & in simplicibus, qui nomen commutat, non definiturus est, vt pro tunica, vestem.*

3 *Amplius autem maius peccatum si & per ignotiora nomina commutationem fecerit, vt pro homine albo, terrigenam candentem: neque enim definiuit, cùm minus sit clarum, quod sic dicitur.*

1 QVadragesimus octauus locus est: si definiatur aliquid compositum ex duobus, & ex definitione auferatur ea pars definitionis, quæ est propria vnius, reliqua pars definitionis debet esse propria alterius; si autem reliqua non est propria reliqui, nec tota oratio, quæ affertur vt definitio totius, est definitio totius. Ex. gr. si ponatur hæc definitio, huius complexi, quod est *linea finita, recta; terminus superficiei habentis terminos, cuius medium superadditur finibus*: auferatur definitio lineæ finitæ, quæ est *terminus superficiei habentis terminum*; ergo reliquum, quod est, *terminus, cuius medium superadditur finibus*, est definitio reliqui, hoc est lineæ rectæ; sed hæc non est definitio lineæ rectæ, nam linea recta infinita non est terminus, cuius medium superadditur finibus, siquidem linea infinita fines non habet; ergo neque tota definitio est definitio totius.

2 Quadragesimus nonus locus est: cum definitur aliquid compositum, definitio non debet esse æquimembris definito. Dicitur autem definitio æquimembris, cum singulis nominibus, ac verbis, quibus componitur definitum, correspondent totidem nomina, ac totidem verba ex parte definitionis: ex. gr. si vestis alba definiretur *indumentum candidum*, definitio esset æquimembris definito. Quod autem definitio non debeat esse æquimembris definito, probat Aristoteles, quia in talibus definitionibus solum fit commutatio nominum omnium, vel aliquorum; sed commutatio nominum non est definitio, cum in definitione omnia nomina, vel saltem plura debeant commutari in orationem; ergo æquimembris definitio verè non est definitio. Confirmatur, quia sicut cum vnum nomen simplex commutatur in aliud simplex, non est definitio, adeoque cum dicitur, quod vestis est indumentum, vestis non definitur; sic cum nomen compositum commutatur in nomina composita, non est definitio, ideoque cum dicitur, quod *vestis alba est indumentum candidum*, non est definitio. Dicit autem Aristoteles, quod aliquando in definitione non omnia nomina commutantur in orationem, quia potest aliquod nomen retineri: ex. gr. cum definitur *syllogismus demonstratiuus*, dicendo, quod est *syllogismus constans ex veris, & necessariys &c. syllogismus* retinetur loco generis, ac solum additur oratio loco *demonstratiui*.

3 Quinquagesimus locus est: adhuc magis peccatur, si in definiendo fiat sola commutatio nominum in nomina ignotiora: ex. gr. qui definiret hominem album, *terrigenam candidum*, peccaret, quia nomina notiora commutaret in nomina ignotiora: ignotiora siquidem sunt nomina *terrigenæ*, & *candidi*, quam nomina *hominis*, & *albi*.

4 *Considerandum autem, & si per commutationem nominum, non idem iam significat, vt qui contemplatiuam scientiam, opinionem*

nem contemplatiuam dixit: nam opinio, scientiæ non idem: at oportet, si debet, & totum idem esse: nam contemplatiuum quidem commune in vtriusque orationibus est, reliquum vero differens.

5 *Amplius si alterius nominum commutationem faciens, non differentiæ, sed generis commutationem fecit, vt in eo quod nuper dictum est. Ignotius enim contemplatiua, quàm scientia. Nam hoc quidem genus, illud autem differentia: omnibus autem notius genus, nam communius: quare non generis, sed differentiæ oportebat commutationem fieri, eo quòd ignotior est. An hæc quidem ridicula reprehensio? nihil enim prohibet differentiam quidem notissimo nomine dici, genus autem non.*

6 *Sic autem rebus se habentibus, manifestum, quoniam generis, & non differentiæ secundum nomen commutatio facienda. Si autem non nomen pro nomine, sed orationem pro nomine commutat, manifestum, quoniam differentiæ magis, quàm generis definitio assignanda est, eo quod cognoscendi gratia definitio assignatur: nam minus differentia, quam genus nota.*

7 *Si autem differentiæ terminum assignauit, considerandum, si & alicuius alius communis est assignatus terminus. Vt cùm imparem numerum, numerum medium habentem dixerit, determinandum est quo pacto medium habentem: nam numerus quidem communis in vtrisque orationibus est, imparis autem consumpta est oratio. Habent autem, & linea, & corpus medium, cùm non sint imparia: quare non vtique erit definitio hæc imparis. Si autem multipliciter dicitur medium habens, determinandum, quomodo medium habens, alioqui reprehensio erit, aut syllogismus, quòd non definiuit.*

4 Quinquagesimus primus locus est: magis etiam peccat qui nomina commutat in nomina non idem significantia: ex. gr. qui definit scientiam contemplatiuam, *opinionem contemplatiuam*, peccat etiam ex hoc capite, quia nomen scientiæ commutat in nomen opinionis, quod non idem significat, ac nomen scientiæ. Vt autem idem sit scientia contemplatiua, ac opinio contemplatiua, cum nomen contemplatiui retineatur, necesse est, vt opinio idem sit, ac scientia.

5 Quinquagesimus secundus locus est: videtur etiam peccare, qui alterum nomen commutans, alterum retinens, mutat solum nomen generis, retinet nomen differentiæ. Illud enim nomen debet commutari, quod est ignotius; sed genus est notius, vtpote communius, differentia est ignotior; ergo potius debet commutari nomen generis, quam nomen differentiæ. Contrà hoc præceptum videretur peccare, qui scientiam contemplatricem definiret *opinionem contemplatricem*, quia commutaret nomen solius scientiæ, quæ est genus, ac retineret nomen contemplatricis, quæ est differentia. Addit tamen Aristoteles ridiculam posse censeri hanc reprehensionem. Illud enim nomen debet commutari in aliud nomen, quod est ignotius; sed potest contingere, vt differentia significetur nomine notissimo, genus significetur nomine aliqualiter ignoto; ergo &c.

6 Quinquagesimus tertius locus est: si non nomen commutetur in nomen, sed nomen commutetur in orationem definitiuam, potius debet assignari definitio differentiæ, quam generis. Ratio est, quia illud debet potius definiri, quod ex natura sua est minus notum, adeoque magis indiget oratione ipsum notificante: definitio siquidem ordinatur ad rem notificandam; sed differentia ex sua natura est minus nota, quam genus, adeoque magis indiget oratione notificante; ergo potius differentia debet definiri, quam genus.

7 Quinquagesimus quartus locus est: definitio differentiæ, si latius pateat, quam differentia definita, verè non est definitio. Ex. gr. cum quis definit numerum imparem *numerum habentem medium*, patet, quod non definit genus numeri, siquidem retinet nomen numeri, sed solum definit differentiam imparis; ergo definitio imparis est *habens medium*; sed hoc, quod est *habere medium* conuenit etiam lineæ, & corpori, quæ neque sunt par, neque impar; ergo definitio allata est communior definito; ergo non est definitio imparis. Si verò dicatur, quod hoc, quod est, *habere medium* dicitur multipliciter, explicandum est, in quo sensu sumatur in allata definitione; ergo vel potest reprehendi definitio, eo quod non explicauerit in quo sensu sumatur *habens medium*, vel fit syllogismus ad ostendendam illam non esse definitionem, eo quod sit communior definito.

Rur-

8 *Rursum; si id, cuius quidem orationem assignauit est eorum, quæ sunt, quod autem sub oratione, non eorum quæ sunt. Vt si album, quispiam definiuit colorem igni permixtum. Impossibile enim incorporeum corpori permisceri: quare non erit color igni permixtus, attamen album est.*

9 *Amplius quicunque non diuidunt in ijs, quæ sunt ad aliquid, ad quod dicitur, sed in pluribus comprehendentes dicunt, aut omnino, aut in aliquo falsum dicunt. Vt si quis medicinam disciplinam entis dixit. Nam si nullius entium medicina est disciplina, manifestum quoniam tota oratio mendax est: si autem alicuius quidem, alicuius autem non, in aliquo mendax: nam oportet de omni, siquidem per se, & non secundum accidens entis esse dicitur, quemadmodum in alijs se habent ea, quæ ad aliquid sunt: nam omne disciplinatum ad disciplinam dicitur. Similiter autem & in alijs, eo quòd conuertuntur omnia ad aliquid: omne enim disciplinatum ad aliquid. Cæterum si is, qui non per se, sed secundum accidens assignationem fecit, recte assignauit, non ad vnum, sed ad plura vnumquodque eorum, quæ ad aliquid dicuntur, assignauit. Nihil enim probibet idem, & ens, & album, & bonum esse: quare qui ad quodlibet horum assignauit, recte assignauit, si quidem is, qui secundum accidens assignauit, recte assignauit. Præterea autem impossibile est huiusmodi orationem propriam assignati esse. Nam non solum medicina, sed plures aliarum disciplinarum ad ens dicuntur: quare vnaquæque entis disciplina erit. Manifestum igitur, quoniam talis nullius est disciplinæ definitio: propriam enim & non communem oportet definitionem esse.*

8 Quinquagesimus quintus locus est: debet aduerti, an cum definitum sit ens existens in rerum natura, definitio sit non ens non existens, neque potens existere: eo enim ipso oratio allata non est definitio. Ex hoc loco posset redargui oratio, qua album definiretur *color igni permixtus*: *album* enim est ens, *color igni permixtus* est non ens, & chimera, siquidem corpus non potest misceri cum non corpore; sed ignis est corpus, color est non corpus, sed accidens corporis; ergo ignis non potest misceri cum colore.

9 Quinquagesimus sextus locus est: cum definitur relatiuum, poni debet in definitione terminus *ad quem* vniuersaliter dicitur, si verò ponatur in definitione terminus communior, vel terminus omnino diuersus, definitio vel totaliter, vel partialiter est falsa. Ex gr. qui definit medicinam *scientiam concentus*, dicit totaliter falsum, quia medicina nullius concentus est scientia: si verò medicinam definiat *scientiam entis* dicit falsum solum partialiter, quia medicina est solum scientia alicuius entis, non verò omnis. Ad hoc enim, vt medicina bene definiretur scientia entis, deberet ens per se esse terminus medicinæ; ergo omne ens deberet esse terminus medicinæ: si verò non omne ens est terminus medicinæ, sed solum ens sanabile, ens non est per se terminus medicinæ. Ratio verò, cur in definitione relatiui debeat poni terminus, ad quem vniuersaliter dicatur, est, quia quæ dicuntur *ad aliquid* debent mutuo conuerti; ergo si omnis medicina est entis, omne ens spectat ad medicinam. Si verò quis dicat, quod ad definitionem sufficit assignare terminum *ad quem* definitum referatur per accidens, reijcit Aristoteles hanc responsionem, primo quia idem potest per accidens esse *ens album*, & *bonum*; ergo si sufficit assignare terminum per accidens, poterit censeri, quod bene definitur medicina *scientia entis*, *scientia boni*, ac *scientia albi*. Secundo definitio debet esse propria definiti; sed talis definitio per terminum per accidens non est propria definiti, sed communis alijs: ex. gr. non sola medicina est scientia entis, sed plures aliæ disciplinæ sunt scientiæ entis; ergo &c.

10 *Quandoque autem definiunt non rem, sed rem bene se habentem, aut perfectam. Talis autem & rhetoris, & furis terminus, si sit rhetor quidem, qui potest, quod in vnoquoque est verisimile considerare, & nihil prætermittere: fur autem, qui clam sumit. Perspicuum enim quoniam, cùm talis vterque, hic quidem bonus rhetor, ille autem bonus fur erit: non enim qui clam sumit, sed qui vult clam sumere, fur est.*

11 *Rursum, si quod propter se eligendum est, vt actiuum, vel effectiuum, vel quolibet modo propter aliud eligendum assignauit. Vt qui iustitiam, legum conseruatiuam dicit: aut sapientiam, effectiuam felicitatis. Nam conseruatiuum, & effectiuum eorum sunt, quæ propter aliud eliguntur.*

An nihil quidem prohibet, quod propter se eligendum est, & propter aliud esse eligendum? attamen nihil minus peccauit, qui sic definiuit, quod propter se est eligendum. Nam vnicuique optimum, in substantia maximè: melius autem, quod propter se eligendum, quàm quod propter aliud: quare id & definitionem oportebit magis significare.

10 Quinquagesimus septimus locus est: aliquando definitio, quæ affertur, non definit rem simpliciter, sed rem bene se habentem, & perfectam: ex. gr. qui definit rhetorem *eum, qui potest, quod in vnoquoque est verisimile, considerare, & nihil prætermittere*, non definit rhetorem simpliciter, sed rhetorem perfectum. Rursus qui definit furem *eum, qui clam sumit*, non definit furem simpliciter, sed furem perfectum. Fur enim simpliciter est, qui vult clam sumere, licet non possit.

11 Quinquagesimus octauus locus est: quod propter se est eligendum, non debet definiri vt actiuum, vel effectiuum, vel quomodolibet vt eligendum propter aliud. Ex hoc loco possunt redargui definitiones, quibus iustitia definitur *conseruatiua legũ*; sapientia definitur *effectrix felicitatis*. Nam *effectiuum*, & *conseruatiuum* sunt ex ijs, quæ sunt eligenda propter aliud; ergo per tales definitiones, quod est per se eligendum, definitur vt eligendum propter aliud. Licet verò possit idem & esse eligendum propter se, & propter aliud, eo pacto, quo sapientia est eligenda, & propter se, & propter felicitatem, cuius est effectiua, adhuc qui *per se eligendum* definit vt eligendum propter aliud, peccat. Ratio est, quia essentia vniuscuiusque rei est optimum, quod illi conuenit; sed melius est *esse eligendum* propter se, quam *propter aliud*; ergo in definitione debet maximè explicari, quod est per se eligendum, adeoque si id omittatur, non est definitio.

12 *Considerandum autem est & si is, qui alicuius definitionem assignauit, aut hæc, aut quod est ex his, aut hoc cum illo definiuit: nam si hæc quidem, accidet vtrisque & neutri inesse. Vt si iustitiam, temperantiam, & fortitudinem definiuerit: nam si sint duo, vterque autem alterum habeat, vtrique iusti erunt, & neuter, eo quòd vtrique quidem habent iustitiam, vterque autem non habet. Si autem nondum quod dictum est admodum absurdum videtur, eo quòd & in alijs accidat huiusmodi (nihil enim prohibet vtrosque habere minam, cùm neuter habeat) attamen contraria inesse eidem, omnino absurdum videbitur esse. Accidet autem hoc, si hic quidem ipsorum temperantiam, & timiditatem habet, ille autem fortitudinem, & prodigalitatem: nam vtrique & iustitiam, & iniustitiam habent. Nam si iustitia, temperantia, & fortitudo est, & iniustitia, timiditas, & prodigalitas erit. Et omnino quæcunque ad argumentandum idonea, quòd non idem sunt, & partes, & totum, omnia vtilia ad id, quod dictum est. Videtur autem, qui sic definit partes, toti easdem dicere esse. Maximè autem accommodatæ fiunt orationes, in quibuscunque manifesta partium est compositio, quemadmodum in domo, & in cæteris talibus. Manifestum enim, quoniam cum sint partes, nihil prohibet totum non esse: quare non idem partes toti.*

12 Quinquagesimus nonus locus est: totum non debet definiri per hoc, quod sit partes. Explicatur: tripliciter potest definiri totum; primo dicendo, quod est partes, nimirum *& hoc, & hoc*; secundo dicendo, quod constat ex partibus; tertio dicendo, quod totum est *hoc cum illo*. Primo igitur totum nõ debet definiri per hoc, quod sit partes: ex. gr. etiamsi supponamus iustitiam constare ex temperantia, & fortitudine, adhuc iustitia non debet definiri per hoc, quod sit temperantia, & fortitudo. Probatur, quia si duo sint, quorum vnus habeat temperantiam sine fortitudine, alter fortitudinem sine temperantia, sequitur, quod ambo erunt iusti, & neuter erit iustus. Ambo sunt iusti, quia ambo habent temperantiam, & fortitudinem; sed iustitia nihil est aliud, quam temperantia, & fortitudo; ergo ambo sunt iusti. Neuter est iustus, quia neuter habet temperantiam, & fortitudinem. Posset quis respondere, quod sicut si singuli ex duobus habeant semiminam, ambo habent minam, neuter habet minam, nec id est absurdum, sic non est absurdum in casu nostro, quod ambo habeant iustitiam, neuter seorsim habeat iustitiam. Contra arguit Aristoteles, quia saltem est absurdum, quod eidem insint contraria; sed eidem ines-

inessent contraria, iustitia nimirum, & iniustitia; ergo &c. Probatur minor: si enim iustitia ex. gr. est temperantia, & fortitudo, iniustitia est intemperantia contraria temperantiæ, & timiditas contraria fortitudini; ergo si alter ex duobus sit fortis, & intemperans, alter timidus, ac temperans, ambo erunt iusti, quia habebunt fortitudinem, & temperantiam, in quibus consistit iustitia, & ambo erunt iniusti, quia habebunt timiditatem, & intemperantiam, in quibus consistit iniustitia. Vniuersim verò contra sic definientes valent omnia argumenta, quibus probatur, totum, & partes non idem esse, si quidem sic definientes videntur dicere totum esse partes. Præcipuè autem patet totum, & partes non esse idem in ijs, in quibus manifestum est totum supra partes addere compositionem, cuiusmodi est domus. Cum enim possint esse partes domus, & adhuc domus non esse, si partes sint inordinatæ, & incompositæ, patet partes domus non esse idem cum domo.

13 *Si autem non hæc, sed quod ex his est, dixit id esse, quod definitur, primum quidem considerandum, si non natum est quippiam vnum fieri ex ijs, quæ dicta sunt. Quædam enim sic se habent ad inuicem, vt nihil ex eis vnum quippiam fiat, vt linea, & numerus.*

14 *Amplius si definitum quidem in vno aliquo natum est primo fieri, ex quibus autem dixit ipsum esse, non in vno primo nata sunt fieri, sed vtrunque in vtroque. Nam manifestum, quoniam non erit ex ijs illud. In quibus enim partes, & totum necesse est inesse: quare non in vno totum primo esse, sed in pluribus.*

15 *Si autem & partes, & totum in vno aliquo primo, considerandum, si non in eodem, sed in altero totum, & in altero partes. Nam in quo totum, in illo & partes esse videntur.*

16 *Rursum si cum toto corrumpuntur partes. E conuerso enim oportet accidere, partibus corruptis totum corrumpi, toto vero corrupto, non necesse est & partes corrumpi.*

13 Sexagesimus locus est: si quis definiat totum, non per hoc, quod sit partes, sed per hoc, quod sit ex aliquibus, tanquam ex partibus, adhuc potest multipliciter redargui. Primus locus est: considerari debet, an dicatur totum constare ex partibus, ex quibus non potest fieri aliquid vnum. Ex hoc loco posset redargui, qui definiret aliquid per hoc, quod sit totum constans ex linea, & numero: ex linea siquidem ex numero non potest fieri aliquid vnum.

14 Secundus locus est: si definitum potest esse in vno primo subiecto, at verò partes, ex quibus constare dicitur, non possint esse in vno primo subiecto, sed altera debeat esse in vno, altera in altero subiecto, mala est definitio. Totum enim, & partes, ex quibus constat, debent esse in eodem subiecto; sed partes, & totum non essent in eodem subiecto, nam subiectum totius esset vnum, subiectum partium esset multiplex; ergo &c. Ex hoc loco posset reijci definitio, qua prudentia definiretur *virtus constans ex temperantia, & fortitudine*. Prudentia enim est in vno primo subiecto, hoc est in parte ratiocinatiua animæ; temperantia, & fortitudo non sunt in vno primo subiecto, sed temperantia est in parte concupiscibili, fortitudo est in parte irascibili.

15 Tertius locus est: si & partes, & totum debeant esse in vno primo subiecto, sed non in eodem, mala est definitio: partes enim, & totum debent esse in eodem primo subiecto. Ex hoc loco posset reijci definitio, qua quis prudentiam definiret, *virtutem constantem ex sobrietate, & castitate*. Nam prudentia debet esse in suo primo subiecto, hoc est in parte rationali animæ; sobrietas, & castitas debent similiter esse in suo primo subiecto, hoc est in parte concupiscibili; sed pars rationalis non est idem cum parte concupiscibili; ergo non debent esse in eodem primo subiecto.

16 Quartus locus est: ablato toto non debent auferri partes, ablatis verò partibus debet auferri totum. Si igitur totum dicatur constare ex partibus, quæ auferuntur ablato toto, vel quibus ablatis, non auferatur totum, peccatur, & mala est definitio.

17 *Aut si totum quidem bonum, vel malum, partes autem neutræ, aut è conuerso partes quidem bonæ, vel malæ, totum autem neutrum. Nam neque ex neutris possibile bonum quippiam, vel malum fieri, neque ex bonis, vel malis neutrum.*

Aut

18 *Aut si magis quidem alterum bonum, quam alterum malum, quod autem ex his, non magis bonum, quam malum. Vt si imprudentia ex fortitudine, & falsa opinione: magis enim bonum fortitudo, quam malum falsa opinio: oportet ergo & quod ex his est, sequi illud, quod magis est, & esse vel simpliciter bonum, vel magis bonum, quam malum.*

19 *An hoc quidem non necessarium, nisi vtrunque sit per se bonum, vel malum? multa enim effectiuorum per se quidem non sunt bona, mixta autem quibusdam, fiunt bona, aut è conuerso vtrunque quidem bonum, mixta autem malum, vel neutrum. Maxime autem manifestum, quod nunc dictum est in salubribus, & morbificis. Nam quædam medicamentorum sic se habent, vt vtrunque quidem sit bonum, si autem vtraque dentur mixta, malum.*

17 Quintus locus est: si totum est bonum, vel malum, partes, ex quibus constat non possunt nec esse bonæ, nec malæ: & è conuerso, si partes non sint bonæ, nec malæ, totum ex ijs constans, non potest esse bonum, aut malum. Si ergo totum bonum, vel malum dicatur constare ex partibus, quæ neque sint bonæ, neque malæ, vel si totum, quod neque est bonum, neque malum, dicatur constare ex partibus bonis, aut malis, peccatur, & mala est definitio.

18 Sextus locus est: totum constans ex partibus, quarum altera est bona, altera mala, sed ita, vt maior sit bonitas bonæ, quam malitia malæ, etiam ipsum, vel est bonum simpliciter, vel est magis bonum, quam malum: si ergo totum non sit magis bonum, quam malum, mala est definitio, qua dicitur constare ex positis partibus. Ex hoc loco posset reijci definitio, qua quis diceret imprudentiam constare ex fortitudine, & falsa opinione: maius enim bonum est fortitudo, quam malum falsa opinio; si ergo imprudentia ex his constat, est maius bonum, quam malum; sed hoc est falsum, cum sit maius malum, quam bonum; ergo &c.

19 Addit Aristoteles hunc locum, & superiorem valere solum, cum partes sunt per se bonæ, non autem cum sunt bonæ tantum in ratione medij, & effectiui. Ratio est, quia ex duobus malis in ratione medij potest fieri totum bonum, & ex duobus bonis potest fieri totum malum; vt patet in medicamentis: nam ex duobus venenis, potest componi medicamentum vtile, & ex duobus vtilibus potest componi medicamentum noxium; ergo etiam ex duobus, quorum vnum sit maius bonum, quam alterum sit malum, potest fieri totum simpliciter malum, vel magis malum, quam bonum. Duo igitur isti loci debent intelligi de *per se bonis*.

20 *Rursum si quod ex meliore, & peiore est, non est totum peiore quidem melius, meliore autem peius. An neque hoc necessarium, nisi per se sint ex quibus componitur, bona? nam in ijs, quæ non per se sunt bona, nihil probibet totum non fieri bonum, vt in ijs, quæ modo dicta sunt.*

21 *Amplius si cognomine est totum alteri: non oportet enim, vt neque in syllabis. Nulli enim elementorum ex quibus componitur, syllaba cognominis est.*

22 *Amplius si non dixit modum compositionis. Non enim sufficiens est ad cognoscendum, quòd dicat, ex his. Nam non quod ex his, sed quod fit ex his, est cuiusque compositorum substantia, vt in domo: non enim si quolibet modo componantur hæc, domus est.*

20 Septimus locus est: si totum constat ex duabus partibus, altera meliore, altera deteriore, debet esse deterius meliori, & melius deteriori. Ratio est, quia cum totum medio modo se habeat ad tales partes, est meliore deterius, & peiore melius. Addit Aristoteles etiam hunc locum debere intelligi de toto constante ex partibus, quarum altera sit per se bona, altera per se mala. Si enim altera pars sit bona, altera mala in ratione effectiui, non valet, vt probari potest instantia allata loco superiori.

21 Octauus locus est: totum, & partes non dicuntur vniuocè, nec vocantur eodem nomine: si ergo totum definiatur per partes, quæ vocentur eodem nomine, & dicantur vniuocè, mala est definitio. Quod autem totum, & partes non dicantur vniuocè, probatur exemplo syllabæ, quæ non est vniuoca, nec eodem nomine vocatur, quo partes, & elementa, ex quibus constat. Potest afferri instantia in contrarium, quia totum homogeneum est vniuocum cum partibus. Sed dicendum, quod hic loquimur

mur de partibus, per quas definitur totum; sed totum non definitur per partes eiusdem rationis, quia hæ sunt æquè notæ, ac totum, sed per partes notiores toto, adeoque diuersæ rationis; ergo &c.

22 Nonus locus est: cum totum definitur vt constans ex partibus, debet etiam exprimi modus compositionis, si autem hic non explicetur, oratio allata verè non est definitio: ex. gr. non est definitio domus, qua dicitur *operimentum constans ex lapidibus, & lignis &c.* nisi explicetur, quo pacto lapides, ac ligna debeant componi, vt ex his fiat domus.

23 *Si autem hoc cum illo assignauit, primum quidem dicendum, quòd hoc cum illo, aut hoc, & illud dicitur, aut quod ex illis. Nam qui dicit mel cum aqua, vel mel, & aquam dicit, vel quod ex melle, & aqua: quare si cuilibet eorum, quæ dicta sunt, idem confitebitur esse hoc cum illo, eadem conueniet dicere, quæ quidem ad vtrunque horum prius dicta sunt.*

24 *Amplius diuidenti quoties dicitur alterum cum altero, considerandum, si nullo modo hoc cum illo. Vt si dicitur alterum cum altero, aut vt in aliquo eodem susceptiuo, vt iustitia, & fortitudo in anima, aut in loco eodem, aut in tempore eodem: nullo autem modo verum sit, quod dictum est in his: manifestum est, quoniam nullius erit assignata definitio, eo quòd nullo modo hoc cum illo est.*

25 *Si autem diuiso quoties dicitur alterum cum altero, verum erit in eodem tempore vtrunque esse, considerandum, si contingit non ad eundem vtrunque dici finem. Vt si fortitudinem definiunt audaciam cum recta intelligentia: contingit enim audaciam quidem habere spoliandi, rectam autem intelligentiam circa salubria, sed nondum fortis, qui in eodem tempore cum illo hoc habet.*

26 *Amplius si & ad idem ambo dicuntur, vt ad medicatiua. Nihil enim prohibet, & audaciam quandam, & rectam intelligentiam habere ad medicatiua, attamen nec his fortis, qui hoc cum illo habet. Neque enim ad alterum eorum vtrunque oportet dici, neque ad idem quodcunque sit, sed ad fortitudinis finem, vt ad præliorum pericula, aut si quid magis est illius finis. Quædam autem sic assignatorum, nullo modo sub dictam cadunt diuisionem: vt si ira tristitia est cum opinione paruipendendi. Nam, quod propter huiusmodi opinionem tristitia fit, hoc vult indicare: propter hoc autem fieri aliquid, non est idem ei, quod est, hoc quidem cum illo esse secundum vllum dictorum modorum.*

23 Sexagesimus primus locus est: si quis definiat totum dicens illud esse *hoc cum illo*, potest multipliciter redargui. Primus locus est: quærendum, an cum definiens dicit ex. gr. melicratum esse mel cum aqua, dicat melicratum esse mel, & aquam, vel dicat melicratum esse aliquid constans ex melle, & aqua; vtrumlibet admittat, vtendum est locis ad vtrumlibet superius allatis.

24 Secundus locus est: explicandum, quot modis dicatur esse *vnum cum alio*, & ostendendum, quod nullo ex his modis verificatur. Vnum enim dicitur esse cum altero, vel ratione subiecti, eo quod sint in eodem subiecto susceptiuo vtriusque, eo pacto, quo virtus posset definiri *iustitia cum fortitudine*, eo quod iustitia, & fortitudo sint in eodem subiecto, hoc est in anima; vel ratione temporis, eo quod sint in eodem tempore; vel ratione loci, eo quod sint in eodem loco; sed in nullo ex his sensibus verificatur, quod sit vnum cum altero; ergo oratio allata non est definitio.

25 Tertius locus est: si adhibita hac diuisione modorum, quibus vnum dicitur esse cum alio, respondeat aduersarius ideo definitum dici vnum cum alio, quia sunt eodem tempore, ex. gr. dicat ideo fortitudinem definiri *audaciam cum recta ratione*, quia audacia, & recta ratio eodem tempore existentes constituunt iustitiam, examinandum est, an ea, quæ simul tempore existunt, referantur ad diuersa: si enim referuntur ad diuersa, oratio allata non erit definitio: ex. gr. *audacia ad spoliandum*, cum recta ratione circa medicinalia, non est fortitudo; ergo fortitudo non bene definitur audacia cum recta ratione.

26 Quartus locus est: si aduersarius propter allatam instantiam dicat definitionem fortitudinis esse *audaciam cum recta ratione circa idem*, arguendum est, quia non omnis audacia cum recta ratione circa idem est fortitudo: nam audacia cum recta ratione circa curationem ægroti non est fortitudo; ergo debet addi in definitione for-

fortitudinis, quod sit *audacia cum recta ratione circa propriam materiam fortitudinis, hoc est circa bellica pericula*. Addit Aristoteles aliquando dici *vnum cum alio* etiā in alijs sensibus, ac præsertim ad significandam causalitatem vnius respectu alterius: ex. gr. cum ira definitur *tristitia cum opinione contemptus*, ly *cum* significat, quod opinio, qua quis opinatur se contemni, est causa tristitiæ.

27 *Rursum si horum compositionem dixit totum; vt animæ, & corporis compositionem animal, primum quidem considerandum, si non dixit qualis compositio: vt si carnem definiens, aut os, ignis, & aeris, & terræ dixit compositionem. Non enim sufficit compositionem dicere, sed quæ, & qualis determinandum. Non enim quolibet modo compositis his, caro fit, sed sic quidem compositis, caro, sic vero os.*

28 *Videtur autem neque esse omnino compositioni idem neutrum eorum, quæ dicta sunt. Nam compositioni omni dissolutio contraria, dictorum autem neutri, nihil.*

29 *Amplius si similiter est verisimile omne compositum compositionem esse, vel nullum: animalium autem vnumquodque cum sit compositum, non est compositio: neque profecto aliorum compositorum vllum compositio erit.*

27 Sexagesimus secundus locus est: præter tres assignatos modos definiendi, quibus definiens dicat totum esse *partes*, *ex partibus*, & *hoc cum illo*, est etiam quartus modus definiendi, quo quis dicat totum esse concretionem, seu compositionem partium: ex. gr. dicat, animal esse compositionem, & concretionem animæ, & corporis. Contrà hunc modum definiendi, proponit Aristoteles tres locos. Primus locus est: non sufficit dicere, quod res est concretio, sed etiam debet explicari, qualis concretio sit: ex. gr. non sufficit ad definitionem carnis dicere, quod caro est concretio aeris, ignis, terræ, & aquæ, sed debet etiam explicari, qualis concretio sit. Non enim omnis concretio elementorum est caro, sed vna quidem concretio est caro, alia os &c; ergo &c.

28 Secundus locus est: si caro ex gr. est concretio, quod est contrarium concretioni esset contrarium carni; sed concretioni est contraria dissolutio, caro autem, os, & alia huiusmodi non habent contrarium; ergo caro, os, & alia huiusmodi non sunt concretio.

29 Tertius locus est: vel omnia concreta, & composita sunt concretio, vel nullum concretum, & compositum est concretio, seu compositio, eadem enim est ratio de omnibus; sed non omne concretum est concretio, animal enim ex. gr. non est concretio, neque compositio; ergo nullum.

30 *Rursum si similiter in aliquo nata sunt esse contraria, definiuit autem per alterum, manifestum, quoniam non definiuit. Si autem non ita est, plures accidet eiusdem definitiones esse. Quid enim magis qui per hoc, quàm qui per alterum definiens dixit, eò quòd similiter vtraque nata sunt fieri in eodem? Talis autem animæ est definitio, siquidem est substantia disciplinæ susceptiua: nam similiter & ignorantiæ est susceptiua.*

31 *Oportet autem si non ad totam habeat aliquis argumentari definitionem, eo quòd non nota sit tota, ad aliquam partium argumentari, si sit nota, & non bene assignata appareat. Nam parte interempta, & tota definitio interimitur.*

32 *Quæcumque autem obscuræ sunt definitionum, emendanti, & confirmanti ad manifestandum aliquid, & habendum argumentum, sic considerandum. Necesse est enim respondentem aut suspicere, quod sumptum est ab interrogante, aut eundem declarare, quid temere est ostensum à definitione.*

33 *Amplius quemadmodum in congregationibus solent legem inducere, & si sit melior, quæ inducitur, interimit anteriorem, sic & in definitionibus faciendum, & definitio alia ferenda. Nam si apparet melior, & magis manifestum, quod definitur, perspicuum, quoniam interempta erit, quæ posita est, eo quòd non sunt eiusdem plures definitiones.*

34 *Ad omnes autem definitiones non minimum elementum ad seipsum solerter definire propositum, aut apte dictum terminum assumere. Necesse est enim veluti ad exemplar considerantem, & quod minus est ijs, quæ oportet habere definitionem, & quod appositum est superflue, inspicere, vt magis argumentis abundemus. Quæ igitur circa definitiones sunt in tantum dicta sint.*

30 Sexagesimus tertius locus est: si in aliquo subiecto æquè sunt apta inesse contraria, ea definitio, qua tale subiectum definitur per aptitudinem ad vnum contrarium, verè non est definitio: ex. gr. quia anima æquè est susceptiua scientiæ, & ignorantiæ, definitio, qua definitur anima, *id quod est susceptiuum scientiæ*, verè non est definitio animæ. Probatur, quia si illa esset definitio animæ, etiam oratio, qua anima definitur, *id quod est susceptiuum ignorantiæ*, esset definitio animæ, adeoque duæ essent definitiones animæ, quod est absurdum, & inconueniens.

31 Sexagesimus quartus locus est: cum quis non habet argumentum ad impugnandam totam definitionem, eo quod sit obscura, nec satis illam percipiat, debet conari, vt impugnet partem; parte enim reiecta, corruit tota definitio: ex. gr. si anima definiatur *harmonia corporis instrumentalis*, argumentans autem non possit ostendere, quod anima non sit harmonia, quia non satis intelligit, quid sit harmonia, debet impugnare alteram partem, per quam dicitur *corporis instrumentalis*.

32 Sexagesimus quintus locus est: cum definitiones sunt obscuræ, debet argumentans conari, vt illas explicet, vt possit impugnare. Vel enim respondens explicationem admittet, & sic poterit arguens definitionem sic expositam impugnare, vel saltem ipsemet respondens definitionem explicabit.

33 Sexagesimus sextus locus est: sicut in concionibus ad abrogandam legem solent concionantes proponere populo legem meliorem, vt sancita lege meliori, abrogetur altera, sic ad euertendam definitionem potest proponi alia definitio: si enim hæc sit melior, eo ipso euertitur definitio posita.

34 Sexagesimus septimus, & vltimus locus est: vt suppetat copia argumentorum contra definitionem allatam, conandum est argumentanti, vt rem accuratè definiat, vel veram rei definitionem accuratè consideret: in vera enim definitione, tanquam in exemplari, poterit deprehendere vitia malæ definitionis, & aduertere, quid in ea redundet, quid desit. Et per hæc Aristoteles concludit librum sextum Topicorum.

ARISTOTELIS TOPICORVM LIBER SEPTIMVS.

De locis deseruientibus problemati de eodem, & diuerso. Caput Primum. Articulus Primus.


1 *VTRVM autem idem, an diuersum secundum propriissimum eorum, qui dicti sunt de eodem, modorum dicendum: dicebatur autem propriissime idem, quod numero vnum.*

2 *Considerandum autem ex casibus, et coniugatis, & oppositis. Nam si iustitia idem est fortitudini, et iustus forti, et iuste fortiter.*

3 *Similiter autem & in oppositis. Nam si hæc eadem, & opposita his eadem secundum quamlibet dictarum oppositionum. Nihil enim differt hoc, vel hoc modo oppositum sumere, eo quòd idem est.*

4 *Rursum ex effectiuis, & corruptiuis, & generationibus, & corruptionibus, & omnino ex ijs, quæ similiter se habent alterum ad alterum. Nam quæcunque simpliciter eadem, etiam generationes eorum & corruptiones eædem, & effectiua, et corruptiua.*

Quia

1 VIA Aristoteles libro 1. cap. 4. docuit ad problema definitionis reduci etiam problema de eodem, & diuerso, ideo postquam lib. 6. egit de locis definitionis, lib. 7. agit de locis eiusdem, & diuersi: & quia proprijssimè dicitur idem, quod est idem numero, ideo affert loca, ex quibus possit ostendi, quod aliqua sunt, vel non sunt idem numero.

2 Primus locus est ex casibus, & coniugatis: quando vnum principale est idem cum altero, coniugata, & casus vnius sunt idem cum coniugatis, & casibus alterius: ex. gr. si iustitia est idem cum fortitudine, iustus est idem cum forti, & *iustè* est idem, ac *fortiter*; si verò hæc non sunt eadem, neque iustitia est idem cum fortitudine.

3 Secundus locus ex oppositis est: si duo habent opposita, si hæc opposita sunt idem, etiam illa sunt idem, & si hæc opposita non sunt idem, nec illa sunt idem. Ex hoc loco potest probari album esse idem, ac disgregatiuum visus: albo enim opponitur nigrum, disgregatiuum opponitur congregatiuo; sed nigrum, & congregatiuum visus idem sunt; ergo etiam album, & disgregatiuum visus idem sunt.

4 Tertius locus ex effectiuis, corruptiuis, generationibus, & vniuersim ex ijs, quæ proportionaliter se habent, est: si effectiua sunt eadem, etiam quæ efficiuntur sunt eadem; & si generationes sunt eædem, genita sunt eadem; & si corruptiones sunt eædem, corrupta sunt eadem &c. E conuerso, si generationes non sunt eædem, neque genita sunt eadem &c. Ex. gr. quia idem est homo, & animal rationale, eadem est generatio hominis, & animalis rationalis: & quia idem est *generari hominem*, ac *generari animal rationale*, idem est homo, ac animal rationale.

5 *Considerandum autem & quorum alterum maxime dicitur quoduis esse, si & alterum ipsorum secundum idem maxime dicitur. Sicut Xenocrates beatam vitam, & studiosam assignauit eandem, eo quod omnium vitarum maxime eligenda studiosa, & beata: vnum enim maxime eligendum, & maximum. Similiter & in alijs huiusmodi. Oportet autem vtrumque vnum numero esse, quod dicitur maximum, & maxime eligendum; si autem non, non erit ostensum, quod idem. Non necessarium enim si fortissimi Græcorum sunt Peloponnesij, & Lacedæmonij, eosdem esse Peloponnesios Lacedæmonijs, eo quòd non vnus numero Peloponnesius, & Lacedæmonius, sed contineri quidem alterum ab altero necessarium, vt Lacedæmonij à Peloponnesijs. Si autem non, accidet seipsis inuicem esse meliores, si non continentur alteri ab alteris. Necesse est enim Peloponnesios meliores esse, quàm Lacedæmonios, si non continentur alteri ab alteris: nam omnibus reliquis sunt meliores: similiter autem & Lacedæmonios necesse est meliores esse Peloponnesijs, nam & isti omnibus cæteris sunt meliores: quare se inuicem meliores fiunt. Manifestum ergo quoniam vnum numero esse oportet, quod optimum, & maximum dicitur, si debeat, quòd idem sint ostendi. Propter quod Xenocrates non idem assignauit. Non enim vna numero beata, & studiosa vita: quapropter non necessarium eandem esse, eo quòd ambæ maxime eligendæ, sed altera sub altera.*

6 *Rursum, considerandum si cui alterum idem, & alterum. Nam si non sunt ambo eidem eadem, manifestum, quoniam nec sibi inuicem.*

5 Quartus locus est: si duobus conueniat esse maximè tale, illa duo sunt eadem. Ex hoc loco probauit Xenocrates vitam beatam, ac vitam virtuosam idem esse, beata enim vita est maximè eligenda; sed etiam vita virtuosa est maximè eligenda; ergo &c. Aduertit autem Aristoteles, quod ad hoc, vt inferatur, quod duo sunt idem numero, vtrumque eorum debet esse vnum numero. Si enim A, & B est maximè tale, & vtrumque est vnum numero, proculdubio sunt idem numero: si enim essent duo numero, vtrumque esset magis tale, quam alterum, quod repugnat. At si ea, quæ sunt maximè talia, non sunt vnum numero, sed specie, vel genere, non infertur, quod sint idem numero adæquatè, sed ad summum concluditur, quod sunt idem adæquatè, vel inadæquatè, ita vt vnum contineatur in altero. Ex. gr. non valet: *Peloponnesij sunt fortissimi Græcorum; Lacedæmonij sunt fortissimi Græcorum; ergo Lacedæmonij sunt vnum numero, atque adæquatè idem cũ Peloponnesijs*, quia Peloponnesij, ac Lacedæmonij non significant vnum numero. Quod verò necesse sit, vt saltem vnum con-

contineatur in alio, patet, quia si mutuo distinguerentur adæquatè Peloponesij, & Lacedæmonij, essent mutuo fortiores, cum supponatur, quod & Peloponesij sint fortiores reliquis, & Lacedæmonij sint fortiores reliquis; ergo & Peloponesij sunt fortiores Lacedæmonijs, & Lacedæmonij sunt fortiores Peloponesijs. Quia verò vita beata, & vita virtuosa non significant vnum numero, ideo malè ex eo, quod & vita beata, & vita virtuosa sint maximè expetibiles, intulit Xenocrates, quod sunt omninò eadem vita, ac solum potuit inferre, quod vel sunt eadem vita, vel altera continetur in altera.

6 Quintus locus est: considerandum, vtrum duo sint eadem eidem tertio: si enim sunt eadem eidem tertio, sunt eadem inter se; si verò alterum est idem cum tertio, alterum ab ipso distinguitur, non sunt eadem inter se.

7 *Amplius autem ex ijs, quæ his accidunt, & quibus hæc accidunt, considerandum. Nam quæcunque alteri accidunt, & alteri oportet accidere & quibus alterum eorum accidit, & alterum eorum oportet accidere: si autem aliquid horum dissonet, dilucidum, quoniam non eadem.*

8 *Videndum autem & si non in vno genere prædicamenti vtraque, sed hoc quidem quale, illud autem quantum, vel ad aliquid indicet.*

9 *Rursum si genus vtrisque non idem, sed hoc quidem bonum, illud autem malum. aut hoc quidem virtus, illud autem scientia.*

10 *Aut si genus quidem idem, differentiæ autem non eædem de vtroque prædicantur, sed de hac quidem, quoniam contemplatiua scientia, de illa autem quoniam actiua. Similiter autem & in alijs.*

11 *Amplius autem ex magis, si hoc quidem suscipit magis, illud autem non, aut si ambo suscipiunt quidem, non simul autem. Vt qui magis amat non magis concupiscit venerem: quare non idem amor, & concupiscentia veneris.*

12 *Amplius ex appositione, si idem vtrumque appositum, non facit idem totum.*

13 *Aut si eodem ab vtroque sublato, quod relinquitur est alterum. Vt si duplum dimidij, & multiplum dimidij idem dixerit esse: sublato enim ab vtroque dimidio, reliqua idem oporteret indicare: non indicant autem: nam duplum, & multiplum non eadem significant.*

7 Sextus locus est: si duo subiecta sunt idem, omne quod accidit vni, accidit alteri: si duo prædicata sunt eadem, cuicunque accidit vnum, accidit alterum; si verò quoad hoc, aliqua sit disconuenientia, eo ipso non sunt eadem.

8 Septimus locus est: quæ sunt eadem, reducuntur ad idem genus, & prædicamentum; si igitur vnum reducatur ad vnum prædicamentum, aliud ad alterum, eo ipso non sunt idem: ex. gr. si alterum sit in prædicamento qualitatis, alterum in prædicamento relationis, non sunt idem.

9 Octauus locus est: quæ sunt eadem, non solum sunt in eodem prædicamento, sed in eodem genere, adeoque si non sint sub eodem genere, sed sub genere diuerso, non sunt eadem: ex. gr. duo, quorum alterum sit in genere boni, alterum in genere mali, non sunt eadem; duo quorum alterum sit in genere scientiæ, alterum in genere virtutis moralis, distinguuntur.

10 Nonus locus ex differentia est: quæ sunt eadem, non solum conueniunt in genere, sed etiam in differentia, adeoque si discrepant in differentia, non sunt eadem: ex. gr. duæ scientiæ, quarum altera sit speculatiua, altera actiua, non sunt eadem scientia, quia licet conueniant in genere scientiæ, disconueniunt in differentia actiui, & speculatiui.

11 Decimus locus ex *magis*, ac *minus* est: eorum, quæ sunt eadem, si vnum suscipit magis, & minus, etiam alterum suscipit magis, & minus: si igitur vnum suscipit magis, & minus, alterum non suscipit, eo ipso distinguuntur. Rursus si non eo ipso, quod vnum dicitur magis, etiam alterum dicitur magis, non sunt idem. Ex hoc loco potest probari, quod non est idem *amare*, ac concupiscere Venerem: non enim eo ipso, quod aliquis magis amat, magis concupiscit Venerem.

12 Vndecimus locus ex appositione est: idem additum eidem facit idem: si ergo addendo idem duobus, non fit idem, illa duo non sunt idem.

13 Duodecimus locus est: si idem auferatur ab eodem, idem remanet: si igitur eodem ablato à duobus, quod remanet non est idem, illa non sunt idem. Ex hoc loco potest probari non idem esse *multiplum dimidij*.

midij, ac *duplum dimidij*: sublato enim *dimidij* remanet *duplum*, & *multiplum*; sed *multiplum*, ac *duplum* non sunt idem; ergo *duplum dimidij*, ac *multiplum dimidij* non sunt idem.

14 *Considerandum autem non solum si iam aliquid accidit impossibile per positionem, sed & si possibile sit ex suppositione existere, quemadmodum ijs, qui vacuum, & plenum aere, idem dicunt esse. Nam manifestum, quoniam si exeat aer, vacuum quidem non minus, sed magis erit: plenum autem aere non amplius erit: quare supposito aliquo siue vero, siue falso (nihil enim refert) si alterum interimitur, alterum autem non, profecto non idem sunt.*

15 *Vniuersaliter autem dicendo ex ijs, quæ quouis modo de vtroque prædicantur, & de quibus hæc prædicantur, considerandum, si alicubi dissonent. Nam quæcunque de altero prædicantur, & de altero prædicari oportet, & de quibus alterum prædicatur, & alterum prædicari oportet.*

16 *Amplius quia multipliciter idem dicitur, considerandum si secundum alium aliquem modum eadem sunt. Nam specie, vel genere eadem non necesse est numero eadem esse: consideramus autem, vtrum sic eadem, an non sic.*

17 *Amplius si potest alterum sine altero esse: non erit enim idem ad idem. Igitur loci tot dicuntur.*

14 Decimus tertius locus est: si duo ita se habeant, vt facta aliqua suppositione, siue vera, siue falsa, alterum interimatur, alterum non, illa non sunt eadem. Ex hoc loco potest probari contrà antiquos *plenum aere* non esse idem, ac vacuum: nam ex suppositione, quod auferatur aer, remanet vacuum; sed non remanet plenum aere; ergo *plenum aere* non est idem, ac vacuum.

15 Decimus quartus locus est: cum duo sunt eadem, omnia quæ prædicantur de vno, prædicantur de altero: si ergo aliquid prædicetur de vno, quod non prædicetur de altero, non sunt eadem. Rursus quæ sunt eadem, ita se habent, vt de quocunque prædicatur vnum, prædicetur alterum; ergo si de aliquo prædicetur vnum, de quo non prædicetur alterum, non sunt eadem.

16 Decimus quintus locus est: quæ sunt eadem numero, sunt eadem specie, & genere, non è conuerso, adeoque ex eo, quod aliqua sint eadem numero, poterit probari, quod etiam sint eadem specie, vel genere: ex eo verò, quod sint eadem specie, vel genere, non poterit ostendi, quod sint eadem numero.

17 Decimus sextus, & vltimus locus est: ea, quorum vnum potest esse sine altero, non sunt eadem: neque enim idem potest esse sine seipso. Concludit Aristoteles hos esse locos ad probandum, quod aliqua sunt idem, vel non sunt idem.

De locis ad construendam definitionem. Capitis Primi. Articulus II.

18 *Palam autem ex ijs, quæ dicta sunt, quoniam omnes, qui ad idem sunt destructiui loci, & ad terminum vtiles sunt, quemadmodum prius dictum est. Nam, si non idem indicet & nomen, & oratio, manifestum, quoniam non erit definitio assignata oratio. Constructiuorum autem locorum nullus vtilis ad terminum. Non enim sufficit ostendere idem, quod sub oratione, & nomine est, ad construendum, quoniam definitio, sed & alia oportet omnia habere, quæ præcepta sunt, definitionem. Interimere igitur definitionem sic, & per hæc semper tentandum.*

19 *Si autem construere volumus, primum quidem scire oportet, quoniam nullus, vel pauci disputantium, terminum syllogismo colligunt, sed omnes principium, quod tale est accipiunt, vt qui circa geometriam, & numeros, & alias huiusmodi disciplinas.*

20 *Deinde quoniam exactè quidem alterius est negotij assignare, & quid est terminus, et quomodo definire oportet, nunc autem quantum sufficit ad præsentem vtilitatem, tantum solum dicendum, quoniam possibile fieri definitionis, et eius, quod quid est esse syllogismum. Nam si terminus est oratio, quæ quid est esse rei indicat, et oportet ea, quæ in termino ponuntur, in eo, quod quid est, de re sola prædicari, prædicantur autem sola in eo, quod quid est, genera, et differentiæ, manifestum, quoniam si quis sumat ea, quæ solum de re in eo, quod quid est prædicari oportet, quòd hæc habens oratio,*

tio, terminus ex necessitate erit. Non enim contingit aliud esse terminum, eo quòd nihil aliud in eo, quod quia est de re prædicatur. Quod igitur possibile est ex termino syllogismum fieri, manifestum.

POstquam Aristoteles lib.6. tradidit locos ad destruendam definitionem, & ad eamdem construendam *secundum quid*, & non simpliciter, & cap. 1. lib.7. tradidit locos de eodem, & diuerso, traditurus locos ad definitionem simpliciter construendam, tria præmittit.

18 Primum est: loci destructiui eiusdem sunt etiam destructiui definitionis, at loci constructiui eiusdem non sunt sufficienter constructiui definitionis. Probatur prima pars: nam loci destructiui eiusdem ostendunt, quod vnum non sit idem cum alio; sed si id, quod significat nomen definitiuum, non sit idem adæquatè cum eo, quod significat oratio definitiua, talis oratio verè non erit definitio; ergo loci &c. Probatur secunda pars: nam loci constructiui eiusdem, probant, quod vnum est idem cum alio; sed non eo ipso, quod id, quod significatur per nomen, sit idem cum eo, quod significatur per orationem, talis oratio est definitio; ergo &c. Ad destruendam igitur definitionem possumus etiam vti locis destructiuis eiusdem; ad construendam autem definitionem alij loci sunt addendi.

19 Secundum est: disputantes raro definitionem probant syllogismo, sed plerumque definitionem accipiunt vt principium per se notum. Patet inductione, præsertim in mathematicis. Mathematici enim semper ponunt definitiones vt principia, ex quibus demonstrant conclusiones, nunquã syllogismo definitionem probant.

20 Tertium est: non spectat ad hos libros, sed ad libros posteriorum, exactè explicare, quid sit definitio, & quomodo res sint definiendæ, hoc autem loco solum ostendendum est posse fieri syllogismum, quo probetur definitio, & ostendatur, quid res sit. Definitio est *oratio explicans, quid sit res*, adeoque explicans prædicata, quæ de re prædicantur in quid; ergo oratio, quæ explicat prædicata, quæ sola de re prædicantur *in quid*, est definitio; sed sola genera, & differentiæ prædicantur *in quid* de re; genus enim prædicatur *in quid*, differentia *in quale quid*; ergo oratio explicans genus, & differentiam rei necessario est definitio rei; ergo sicut potest syllogismo ostendi, quod aliqua oratio contineat genus, & differentiam rei, sic potest ostendi, quod aliqua oratio est definitio.

21 *Ex quibus autem oportet construere, determinatum est quidem in alijs diligentius, ad propositam autem methodum ijdem loci vtiles.*

22 *Inspiciendum enim in contrarijs & in alijs oppositis & totas orationes, & secundum partem consideranti. Nam si opposita oppositæ, & eam, quæ dicta est, propositi necesse est esse. Quoniam autem contrariorum plures complexiones, sumendum est ex contrarijs, qualiscunque maximè apparebit contraria definitio. Totas igitur definitiones, quemadmodum dictum est, considerandum.*

23 *Secundum partem autem hoc pacto. Primum quidem quoniam assignatum genus rectè assignatum est. Nam si contrarium in contrario, propositum autem non est in eodem, manifestum, quoniam in contrario erit, eo quòd necesse est contraria in eodem genere, vel in contrarijs generibus esse.*

24 *Et differentias quidem contrarias de contrarijs arbitramur prædicari, vt de albo & nigro: nam illud quidem disgregatiuum, hoc autem congregatiuum visus: quare, si de contrario contrariæ prædicantur, de proposito quæ assignatæ sunt prædicabuntur. Quapropter, quia & genus, & differentiæ rectè assignatæ sunt, manifestum, quoniam definitio erit, quæ assignata est.*

21 Sed explicandum est, ex quibus locis possit colligi definitio, quantum spectat ad dialecticam: cætera enim determinata sunt lib.2. Posteriorum.

22 Primus igitur locus est ex oppositis, eoque possumus vti tum ad probandam totam definitionem, tum ad probandas seorsim partes definitionis, hoc est genus, ac differentiam. Est autem locus talis: oppositorum oppositæ sunt definitiones: si igitur hæc est definitio vnius oppositi, definitio opposita erit definitio alterius oppositi. Ex hoc loco potest probari, quod definitio albi est *color disgregatiuus visus*: nigrum enim est oppositum albo; sed definitio nigri est *color congregatiuus visus*; ergo definitio huic opposita, quæ est *color disgregatiuus*, est definitio albi. Quia

verò vt dictum est lib. 2. cap. 3. plures sunt complexiones contrariorum; nam huic, quod est *amicis benefacere*, opponitur, *amicis malè facere*, *inimicis benefacere &c.* vt dictum est loco assignato, ideo Aristoteles docet illud contrarium sumendum, cuius definitio apparebit maximè contraria definitioni allatæ, quam probare intendimus.

23 Sed quoniam explicatum est, quo pacto ex oppositis, & contrarijs construatur tota definitio, explicandum est, quo pacto ex eodem loco possint construi partes definitionis, hoc est genus, & differentia. Secundus igitur locus ad construendum genus est: si oppositum eius, cuius definitio quæritur, est in vno genere, illud autem, cuius definitio quæritur, non est in eodem genere, erit in genere contrario. Ratio est, quia contraria necessario vel sunt in eodem genere, vel in contrarijs generibus. Ex hoc loco potest sic ostendi iustitiam esse in genere virtutis. Iniustitia, quæ est contraria iustitiæ est in genere vitij; sed iustitia non est in eodem genere vitij; ergo est in genere contrario virtutis.

24 Tertius locus ad construendam differentiam ex contrarijs est: rationabile etiam videtur, vt contraria constituantur contrarijs differentijs: ex. gr. quia differentia albedinis est *esse disgregatiuum visus*, differentia nigredinis est contraria, hoc est *esse congregatiuum visus*. Ex hoc igitur loco possumus sic ostendere differentiam albedinis esse *disgregatiuum visus*: nigredo enim est contraria albedini; sed differentia nigredinis est *congregatiuum visus*, *congregatiuo* autem contrarium est *disgregatiuum*; ergo differentia albedinis est esse *disgregatiuum visus*. Cum igitur ex contrarijs possimus colligere partes definitionis, hoc est genus, & differentiam, possumus etiam colligere totam definitionem.

25 *An non necessarium est de contrarijs differentias prædicari, nisi in eodem genere sint contraria? Quorum autem genera sunt contraria, nihil prohibet eandem differentiam de vtrisque dici, vt de iustitia, & iniustitia. Nam illa quidem virtus, hæc autem vitium animæ: quare id, quod est animæ, differentia de vtrisque dicitur, eo quòd et corporis est virtus, et vitium. Sed hoc verum, quòd contrariorum, aut contrariæ, aut eædem differentiæ sunt: si ergo de contrario contraria prædicantur, de hoc autem non, manifestum, quoniam quæ dicta est, de hoc prædicabitur. Vniuersaliter autem dicendo, si definitio est ex genere, et differentijs, si sit contrarij definitio manifesta, et quæ propositi definitio, manifesta erit.*

26 *Nam quoniam contrarium in eodem genere, vel in contrario, similiter autem et differentiæ, aut contrariæ de contrarijs, aut eædem prædicantur, dilucidum, quoniam de proposito, aut idem genus prædicabitur, quod de contrario, differentiæ autem contrariæ, vel omnes, vel aliquæ, reliquæ autem eædem: aut contra differentiæ quidem eædem, genera vero contraria: aut ambo contraria, et genera et differentia. Nam eadem esse ambo non contingit: si autem secus, definitio eadem contrariorum erit.*

25 Verum contrà hunc locum opponit Aristoteles; videtur enim non semper contraria constitui per differentias contrarias, sed tum solum, cum sunt in eodem genere, vt patet in allato exemplo albedinis, & nigredinis. E conuerso cum contraria sunt in contrarijs generibus, nihil prohibet eamdem differentiam prædicari de vtroque contrario: ex. gr. virtus, & vitium sunt contraria, & tamen quia sunt in contrarijs generibus boni, & mali, potest de ipsis dici eadem differentia, quæ differentia est *esse animi*. Sicut enim datur virtus corporis, & animi, sic datur vitium corporis, & animi; ergo virtus, & vitium constituuntur ijsdem differentijs. Sed licet hoc totum admittatur, adhuc locus potest ita explicari, vt concludat. Contraria enim aut constituuntur ijsdem differentijs, aut constituuntur differentijs contrarijs; sed vnum ex contrarijs constituitur differentia, per quam alterum non constituitur; ergo constituitur differentia contraria. Ex. gr. iustitia, & iniustitia sunt contraria diuersorum generum; sed differentia iniustitiæ est, vt eligat sibi plus, alteri minus, hæc autem non est differentia iustitiæ; ergo contraria est differentia iustitiæ, adeoque differentia iustitiæ est, *esse electiuam æqualis*; ergo vniuersim quandoquidem definitio constat ex genere, & differentia; ex genere autem, ac differentia vnius contrarij potest manifestari genus, ac differentia alterius contrarij, ex definitione vnius contrarij, si sit manifesta, poterit manifestari definitio alterius cõtra-

trarij, vt patet in exemplis allatis.

26 Infert Aristoteles quatuor esse combinationes generis, ac differentiæ contrariorum, quarum tres sunt possibiles, quarta est impossibilis. Aut enim contrariorum idem est genus, & contrariæ differentiæ, eo pacto, quo albedo, & nigredo conueniunt in genere coloris, ac differunt per differentias congregatiui, & disgregatiui; aut contrariorum contraria sunt genera, & eædem differentiæ, eo pacto, quo virtus, & vitium sunt in contrarijs generibus boni, ac mali, & diuiduntur ijsdem differentijs, quæ sunt *esse virtutes, ac vitia corporis, vel animi*; vel sunt in contrarijs generibus, & diuiduntur contrarijs differentijs, eo pacto, quo iustitia, & iniustitia sunt in contrarijs generibus virtutis, ac vitij, ac diuiduntur contrarijs differentijs, quæ sunt *esse effectiuum æqualitatis, vel superabundantiæ*; vel demum sunt in eodem genere, & contrahuntur ijsdem differentijs, & hoc est impossibile: si enim contraria conuenirent in genere, ac differentia, conuenirent in tota definitione, adeoque essent idem; ergo quatuor sunt combinationes contrariorum, tres possibiles, vna impossibilis.

27 *Amplius, ex casibus, et coniugatis. Necesse est enim consequi genera generibus, et terminos terminis. Vt si obliuio est scientiæ amissio, et obliuisci, amittere scientiam erit, et oblitum esse, amisisse scientiam. Vno igitur quolibet eorum, quæ dicta sunt, confesso, necesse est et reliqua confiteri. Similiter autem et si corruptio, dissolutio substantiæ, et corrumpere, dissoluere substantiam, et corruptiue, dissolutiue: si corruptiuum dissolutiuum substantiæ, et corruptio, substantiæ dissolutio. Similiter autem et in alijs. Quare vno quouis sumpto, et reliqua omnia confiteatur oportet.*

28 *Et ex similiter se habentibus ad inuicem. Nam si salubre est effectiuum sanitatis, et habile effectiuum bonæ habitudinis erit, et adiutiuum effectiuum boni. Nam similiter vnumquodque eorum, quæ dicta sunt, ad suum finem se habet: quare si vnius eorum definitio est effectiuum esse finis, et reliquorum cuiusque sic erit definitio.*

27 Quartus locus est; ex casibus, & coniugatis possumus construere tum totas definitiones, tum earum partes. Ex genere enim vnius coniugati sequitur genus alterius, ex differentia sequitur differentia, & ex tota definitione sequitur tota definitio. Ex. gr. si obliuio est amissio scientiæ, *obliuisci* est *amittere scientiam*, *oblitum esse* est *amisisse scientiam*. Rursus si corruptio est dissolutio substantiæ, *corrumpere* est *dissoluere substantiam*, corruptiua sunt *dissolutiua substantiæ*: & è conuerso si corruptiuum est *dissolutiuum substantiæ*, corruptio est dissolutio substantiæ &c.

28 Quintus locus ex eodem modo, seu proportionaliter se habentibus est: eodem modo se habentium, proportionalis est definitio, simile genus, ac similes differentiæ. Ex. gr. sicut se habet salubre ad sanitatem, ita se habet habile ad bonam habitudinem, & adiutiuum ad bonum; nam sicut salubre habet pro fine sanitatem, sic habile habet pro fine bonam habitudinem, adiutiuum habet pro fine bonum; sed salubre definitur, *quod est effectiuum sanitatis*, ergo habile definitur, *quod est effectiuum bonæ habitudinis*, adiutiuum definitur, *quod est effectiuum boni*.

29 *Amplius ex eo, quod est magis, & similiter, quod est similiter, quoties contingit construere duas ad duo comparantem. Vt si magis hæc huius, quàm ista istius definitio: ista autem, quæ minus, definitio est: & hæc quæ magis: & similiter hæc huius, & ista istius: si altera alterius, & reliqua reliquæ. Vna autem definitione ad duo comparata, aut duabus definitionibus ad vnum, neutiquam vtilis ea, quæ ex magis est consideratio. Nam neque vnam duorum, neque duas eiusdem definitiones possibile est esse. Sunt autem opportunissimi locorum, & qui nunc dicti sunt, & qui ex casibus, & qui ex coniugatis. Quocirca & oportet maxime detinere, & promptos habere hos: vtilissimi enim ad plurima. Aliorum autem ij, qui maxime sunt communes: nam illi maxime reliquorum efficacissimi: vt inspicere in singularibus, & in speciebus considerare, si conueniat definitio, eo quòd vniuoca species est. Est autem vtilis hic locus ad eos, qui ponunt ideas esse, quemadmodum prius dictum est. Amplius si per metaphoram dixit nomen, vel idem de eodem prædicauit vt diuersum: & si quis alius communis, & efficax locorum, illo vtendum.*

29 Sextus locus ex magis, ac minus, & ex

ex similibus est: si quæ minus, aut similiter videtur definitio vnius, est definitio ipsius, quæ magis, aut similiter videtur definitio alterius, est definitio illius. Aduertit autem Aristoteles duo. Primum est, quod cum possint comparari, vel duæ definitiones cũ vno definito, vel vna definitio cum duobus definitis, vel duæ definitiones cum duobus definitis, comparationes duarum definitionum cum vno definito, ac vnius definitionis cum duobus, sunt inutiles, siquidem neque possibile est esse duas definitiones vnius definiti, neque possibile est esse vnam definitionem duorum definitorum; ergo licet ad alia prædicata construenda sint etiam vtiles aliæ comparationes, adhuc ad construendam definitionem vtilis est solum comparatio duarum definitionum cum duobus definitis. Secundum, quod Aristoteles aduertit, est locos ex magis, ac minus, ex simili, ex coniugatis, ac casibus esse vtilissimos, ideoque bene animo infigendos, conandumque, vt illos maximè promptos habeamus, propter maximam eorum vtilitatem, non solum ad problema definitionis, sed etiam ad alia problemata. Addit, quod ex eadem ratione curandum, vt maximè promptos ex locis habeamus eos, qui sunt maximè communes, quia sunt etiam maximè efficaces. Enumerat autem Aristoteles aliquos ex locis efficacioribus. Primus est consideratio specierum, ac singularium inferiorum: ex tali enim consideratione poterimus aduertere, an definitio conueniat omni definito, vel non, & sic poterimus definitionem construere, vel destruere. Præsertim verò ex hoc loco poterimus impugnare ideas, ostendendo, quod eadem definitio non conuenit vniuersali, ac singularibus, cum ad bonam definitionem requiratur, vt eadem conueniat vniuersali, & omnibus sub vniuersali contentis. Secundus locus est, in quo consideratur, an id, quod est idem cum re, prædicetur vt diuersum à re. Idem dic de alijs locis, si qui sint communiores, & efficaciores: sunt enim præcipuo studio in animo infigendi, ac conandum est, vt eos maximè promptos habeamus.

Vtrum facilius sit problemata construere, an destruere; & quæ problemata facilius, aut difficilius construantur, vel destruantur. Cap. II.

1 *QVoniam autem difficilius est construere, quàm destruere terminum, ex ijs,*
2 *quæ postea dicentur, manifestum. * Nam nosse ipsum, & sumere ab interrogantibus huiusmodi propositiones, non facile: vt quod eorum, quæ sunt in assignata oratione, hoc quidem genus, illud autem differentia, & quod in eo, quod quid est, genus & differentiæ prædicantur. Sine his vero impossibile est definitionis syllogismũ fieri. Nam, si quædam, & alia in eo, quod quid est de re prædicantur, incertum vtrum ne quæ dicta est, an alia eius definitio est, eo quòd definitio est oratio, quid est indicans.*

3 *Manifestum autem & etiam ex his. Nam facilius vnum concludere, quàm multa. Interimenti quidem sufficit ad vnum disserere: vnum enim quodcunque sit, destruentes, interempturi sumus terminum. At construenti omnia necesse est construere, quòd insint, quæ in termino sunt.*

4 *Amplius construenti quidem vniuersaliter statuendum syllogismum. Nam oportet de omni, de quo nomen, prædicari, & terminum, & etiam adhuc conuerti, de quo orationem, & nomen, si debeat proprius esse assignatus terminus. Destruenti vero non necesse ostendere vniuersaliter. Sufficit enim ostendere, quòd de quopiam eorum, quæ sub nomine sunt, oratio non verificatur, & tametsi vniuersale oporteat destruere, non tamen conuerti necessarium & in destruendo. Nam, sufficit destruenti vniuersale, ostendere, quod de aliquo eorum, de quibus nomen prædicatur, oratio non prædicatur: at è conuerso non necessarium, vt ostendatur, quòd de quibus oratio non prædicatur, neque nomen prædicetur.*

5 *Amplius etiamsi omni ei insit, quod sub nomine est, at non soli, interempta est definitio.*

1 POstquam Aristoteles tradidit loca ad construenda, vel destruenda problemata, comparat constructionem cum destructione, ac ipsa problemata inter se. Pri-

Primo ergo comparans constructionem cum destructione examinat, vtrum facilius sit singula problemata construere, an destruere? secundo comparans inter se problemata examinat, quæ nam problemata facilius, quæ difficilius construantur, aut destruantur?

2 Quoad primum, ponit Aristoteles tres conclusiones. Prima conclusio est: difficilius est definitionem construere, quam destruere. Probatur primo, quia difficile est cognoscere, quid res sit, & sumere propositiones, quæ ab aduersario admittantur, & ex quibus possit ostendi definitio; sed hoc totum requiritur ad construendam definitionem; ergo difficile est definitionem construere. Quod difficillimum sit cognoscere, *quid res sit*, patet, quia cum hæc sit cognitio valdè perfecta, difficile obtinetur. Quod etiam difficile sit sumere propositiones, quibus ostendatur definitio, probatur, quia non potest concludi per syllogismum, quod allata oratio sit definitio, nisi in præmissis assumatur, quod ex prædicatis in tali oratione positis, aliud est genus rei, aliud differentia, & quod compositum ex his prædicatur de re *in quid*; & postquam hoc totum fuerit ostensum, quia etiam genera remota, & differentiæ remotæ prædicantur de re *in quid*, possunt fieri plures orationes, quæ explicent genus, & differentiam rei, & prædicentur de re in quid, adeoque adhuc remanet dubium, vtra ex dictis orationibus sit definitio rei; ergo cũ difficillimum sit hæc omnia probare, difficillimum est definitionem construere, ac multo difficilius, quam eamdem destruere.

3 Secundo probatur eadem conclusio: difficilius enim est multa, quam vnum concludere; sed ad euertendam definitionem sufficit concludere, quod deest illi vnum ex ijs, quæ ad definitionem requiruntur, adeoque sufficit concludere vnum; ad definitionem construendam debet ostendi, quod definitioni insunt omnia, quæ ad definitionem requiruntur, adeoque debent concludi multa; ergo &c.

4 Tertio probatur, ostendendo, quod ex pluribus capitibus difficilius est definitionem construere, quam destruere. Primo ad construendam definitionem debet ostendi, quod definitio dicitur de omni definito, ad definitionem euertendam sufficit ostendere, quod de aliquo non dicitur; sed difficilius est ostendere, quod prædicatum conuenit omni, quam quod alicui non conuenit; ergo &c. Secundo difficilius est ostendere, quod prædicatum non solum conuenit subiecto vniuersaliter, sed etiam conuenit cõuersim; sed ad construendam definitionem debet ostendi, quod definitio conuertitur cum definito, ad definitionem euertendam, licet deberet probari, quod de nullo definito dicatur oratio definitiua, adhuc non deberet ostendi è conuerso, quod de nullo, de quo dicitur oratio definitiua, dicatur definitum; ergo etiam ex hoc capite difficilius est definitionem construere, quam destruere.

5 Tertio demum ad definitionem construendam non solum debet ostendi, quod definitio conuenit omni, sed etiam, quod conuenit soli; ad euertendam sufficit ostendere, quod vel non conuenit omni, vel non conuenit soli; sed multo difficilius est ostendere, quod conuenit omni, & soli, quam quod vel non conuenit omni, vel non conuenit soli; ergo &c.

6 *Similiter autem & circa proprium, & genus se habet. In vtrisque enim destruere, quàm construere facilius est. De proprio quidem manifestum ex ijs, quæ dicta sunt. Nam vt plurimũ in complexione proprium assignatur. Quare destruere quidem est vnum interimenti. Construenti autem, omnia ratiocinatione colligere necesse est. Penè autem, & reliqua omnia quæcunque ad definitionem, & ad proprium conueniet dici. Nam, & omni oportet, quod sub nomine est, construenti monstrare, quoniam inest: destruenti autem sufficit ostendere vni non inesse. Si vero & omni inest, at non soli, etiam sic destructum fit, perinde, ac & in definitione dicebatur.*

7 *De genere autem, quoniam construere quidem necesse est vno modo, qui omni ostendit inesse, destruenti autem dupliciter. Nam siue nulli siue alicui ostensum sit non inesse, interemptum est, quod in principio. Item construenti quidem non sufficit, quoniam inest, ostendere, sed et quoniam vt genus inest ostendendum: destruenti autem sufficit ostendere non inesse, vel alicui, vel nulli. Videtur autem, quemadmodum in alijs, corrumpere, quàm facere facilius, sic et in his, destruere, quàm construere.*

8 *In accidente vero vniuersale quidem facilius destruere, quam construere. Nam construenti quidem ostendendum, quoniam omni, destruenti autem sufficit ostendere vni non inesse. Particulare vero è conuerso: nam facilius construere, quàm destruere. Construenti enim sat est ostendere alicui inesse: destruenti autem ostendendum, quoniam nulli inest.*

6 Secunda conclusio est: difficilius est etiam proprium, ac genus construere, quam destruere. Probatur primo de proprio: vt plurimum enim oratio assignans proprium est complexa ex genere, & proprio; ergo ad illam euertendam sufficit euertere vnum ex ijs, quæ dicuntur in tali oratione, ad proprium verò construendum debent omnia probari; sed difficilius est concludere plura, quam vnum; ergo difficilius est proprium construere, quam destruere. Confirmatur, nam penè omnia, ex quibus ostensum est difficilius esse definitionem construere, quam destruere, probant etiam difficilius esse proprium construere, quam destruere: nam ad probandum proprium, debet ostendi, quod conuenit omni, & soli; ad ipsum autem euertendum sufficit probare, quod vni non inest, vel quod etiamsi insit omni, non inest soli, sicut de definitionibus dictum est.

7 Probatur secundo de genere: nam ad probandum, quod aliquid sit genus, debet probari, quod conuenit omni, & quod præterea prædicatur *in quid*, siue vt genus; ad ostendendum autem, quod aliquid non sit genus, sufficit probare, vel quod nulli conuenit, vel quod alicui non conuenit, vel quod licet conueniat omnibus, non conuenit vt genus; sed facilius est probare vnum ex his, quam ostendere omnia, quæ requiruntur ad genus; ergo facilius est genus destruere, quam construere. Confirmatur, quia sicut in genere physico facilius est corrumpere, quam facere, sic in genere intentionali facilius est destruere, quam construere.

8 Tertia conclusio est: facilius est accidens vniuersale destruere, quam construere; at facilius est accidens particulare construere, quam destruere. Probatur, quia ad construendum accidens vniuersale debet ostendi, quod conuenit omni, ad ipsum destruendum debet ostendi, quod alicui non conuenit; sed facilius est ostendere, quod alicui non conuenit, quam quod conuenit omni; ergo &c. Rursus ad construendum accidens particulare sufficit ostendere, quod conuenit alicui, ad destruendum debet ostendi, quod nulli conuenit; sed facilius est ostendere, quod alicui conuenit, quam quod nulli conuenit; ergo &c.

9 *Manifestum autem, qua de causa omnium facillimum est terminum destruere. Plura enim sunt in ipso data multorum dictorum: ex pluribus autem citius fit syllogismus. Nam verisimile in multis magis, quàm in paucis peccatum fieri.*

10 *Amplius ad terminum quidem contingit & per alia argumentari. Siue enim non propria sit definitio, siue non genus, quod assignatur, siue non inest aliquod eorum, quæ sunt in definitione, interempta sit definitio. Ad alia autem neque ea, quæ ex terminis, neque alia contingit omnia argumentari. Sola enim ea, quæ ad accidens, communia sunt omnibus prædictis: inesse enim oportet vnumquodque eorum, quæ dicta sunt. Si autem non vt proprium inest genus, nondum interemptum est genus. Similiter autem & proprium non necessarium vt genus inesse, neque accidens vt genus, aut proprium, sed inesse tantum: quare non possibile ex alijs ad alia argumentari, nisi in definitione solum.*

11 *Manifestum igitur, quoniam facillimum omnium est terminum interimere, construere autem difficillimum. Nam, & illa oportet omnia ratiocinatione colligere, & quod insunt quæ dicta sunt, & quòd genus, quod assignatum est, quòdque propria definitio, & adhuc præter hæc, quòd indicat, quid est esse oratio, & hæc probe oportet fecisse.*

9 Quoad secundum: comparans Aristoteles problemata inter se, & examinans, quæ nam facilius, vel difficilius probentur, ponit alias tres conclusiones. Prima conclusio est: problema definitionis est inter omnia problemata facillimum ad destruendum, difficillimum ad construendum. Probatur prima pars primo, quia facilius destruitur id, ad quod plura, quam id, ad quod pauciora requiruntur; sed ad definitionem plura requiruntur, quam ad reliqua problemata; definitio enim debet prædicari de omnibus, conuertibiliter, & *in quid* &c; ergo &c. Maior probatur, quia sicut facilius peccatur in multis, quam in paucis, sic

ſic facilius eſt inuenire loca ad argumentandum, cum multa, quam cum pauca requiruntur.

10 Secundo probatur, quia omnia loca, quæ valent ad deſtruendum cætera problemata, valent ad deſtruendam definitionem, at non omnia, quæ valent ad deſtruẽdam definitionem, valent ad deſtruenda cætera problemata; ſed facilius eſt argumentari, cum plura ſunt loca argumentorum, quam cum pauciora; ergo &c. Probatur maior: nam definitio debet ineſſe, debet continere genus, ac debet eſſe propria rei; ergo ſiue ex locis accidentis oſtendamus non ineſſe, ſiue ex locis proprij oſtendamus eam non eſſe propriam rei, ſiue ex locis generis probemus genus in illa poſitum verè non eſſe genus definiti, definitionem euertimus. At loca contrà definitionem non valent contrà proprium, loca contra proprium non valent contrà genus, ſola autem loca accidentis, ex quibus oſtenditur rem ineſſe, vel non ineſſe, poſſunt accommodari ad omnia problemata euertenda; ergo &c.

11 Probatur iam ſecunda pars, quod nimirum difficillimum ſit definitionem conſtruere: nam ad definitionem probandam debent oſtendi omnia alia, quæ debent oſtendi ad cætera problemata, & aliquid aliud; ergo difficillimè probatur. Probatur antecedens: nam debet oſtendi, quod ineſt rei, quod genus aſſignatum verè eſt genus, quod eſt propria rei, & prætereà, quod explicat *quid ſit rei*, & quod bene explicat.

12 *Aliorum autem proprium maxime huiuſmodi. Nam interimere quidem facilius, eo quòd ex pluribus plerunque ſit: conſtruere autem difficillimum, quoniam multa oportet aſtruere, & adhuc quoniam ſoli ineſt, & quoniam conuerſim prædicatur de re.*

13 *Facillimum autem omnium conſtruere accidens. Nam in alijs quidem non ſolum ineſſe, ſed, & quoniam ſic ineſt oſtendendum: in accidente vero, quoniam ineſt duntaxat, ſufficit oſtendere. Deſtruere autem difficillimum eſt accidens, quia quàm pauciſſima in eo data ſunt: non enim conſignificat in accidente, quomodo ineſt. Quare in alijs quidem dupliciter interimere contingit, vel oſtendendo, quòd non ineſt, vel quòd non ſic ineſt: in accidente vero non contingit interimere, niſi oſtendendo, quòd non ineſt. Loci, per quos copioſi erimus ad ſingula quæque problematum argumentari, fere ſufficienter annumerati ſunt.*

12 Secunda concluſio eſt: poſt definitionem proprium facillimè deſtruitur, ac difficillimè probatur. Ratio eſt, quia quod requirit plures conditiones difficilè probatur, & facilè deſtruitur; ſed proprium requirit plures conditiones; debet enim conuenire omni, ſoli, ſemper, ac debet prædicari ad conuertentiam; ergo proprium poſt definitionem difficillimè conſtruitur, & facillimè deſtruitur.

13 Tertia concluſio eſt: accidens facillimè conſtruitur, ac difficillime deſtruitur inter omnia prædicata. Quod facillimè conſtruatur patet, nam ad accidens probandum ſufficit oſtendere, quod ineſt; ad alia prædicata probanda non ſolum debet oſtendi, quod inſunt, ſed etiam, quod ſic inſunt: ex. gr. ad probandum genus, debet oſtendi, quod prædicatur *de omni, in quid &c.* ad probandum proprium, debet oſtendi, quod ineſt omni, ſoli, & ſemper, & dicitur ad conuertentiam &c. Hinc verò patet etiam, quod accidens difficillimè deſtruitur: nam vnica eſt via euertendi accidens, oſtendendo, quod non ineſt; at plures ſunt viæ euertendi cætera prædicata, probando nimirum, quod vel non inſunt, vel non inſunt tali modo. Hinc patet Ariſtotelem loqui de accidente latè, in quantum ſolum ſignificat *ineſſe*, abſtrahendo à modo, quo ineſt. Concludit Ariſtoteles ſatis eſſe explicata loca, ex quibus poſſumus ducere argumenta accommodata cunctis generibus problematum, & abſoluit librum ſeptimum.

ARISTOTELIS TOPICORVM LIBER OCTAVVS.

Quo pacto Dialecticus debeat ordinare interrogationes, & rationes, & in quo conueniat, ac differat à Philosopho. Caput Primum. Articulus Primus.

1 *POST hæc autem de ordine, & quonam pacto oportet interrogare, dicendum.*

2 *Oportet autem primum quidem eum, qui interrogare debet, locum inuenire, vnde sit argumentandum: secundum autem interrogare, & ordinare singula apud seipsum: reliquum vero & tertium dicere iam eadem ad alterum.*

3 *Quòd autem inueniat locum, similiter Philosophi, & Dialectici consideratio: subinde vero illa ordinare, & interrogare, proprium Dialectici. Ad alterum enim omne, quod tale est. Philosopho autem, & quærenti per seipsum, nihil curæ est si vera quidem sint, & nota, per quæ syllogismus, & non ponat ea, qui respondet, eo quòd propinqua sint illis, quæ sunt ex principio, & prauideat, quod subsecutum est. sed fortasse, & studiose aget, quoniam maxime notæ, & propinquæ sunt dignitates: ex illis enim scientifici syllogismi.*

1 AD disputationem dialecticam duo sunt necessaria, quorum alterum ad inuentionem, alterum ad dispositionem referri videtur. Primum, quod ad inuentionem spectat est, vt dialecticus habeat copiam argumentorum ad proposita problemata: secundum, quod ad dispositionem refertur est, vt sciat ordinatè interrogare, ac respondere. Aristoteles igitur, postquam superioribus libris, exponendo locos, tradidit artem inueniendi argumenta, octauo, & vltimo libro agit de modo ordinatè interrogandi, ac respondendi, adeoque tradit artem disponendi, ac proponendi ea, quæ fuerint inuenta.

2 Præmittit primo, quod Dialecticus cum sumit partes interrogantis, atque argumentantis, tria debet facere. Primo debet inuenire problema, de quo sit disputandum, & loca, ex quibus sit argumentandum: secundo debet apud se ordinare singulas interrogationes, tum quæ spectant ad problema, de quo est argumentandum, tum quæ ad propositiones, ex quibus est argumentandum: tertio demum ad disputationem accedens debet interrogationes, & argumenta alteri, cum quo disputat, proponere eo ordine, ac modo, quem apud semetipsum statuerit.

3 Præmittit secundo, quod ea, quæ spectant ad inuentionem locorum, & argumentorum, communia sunt philosopho, ac dialectico. Sicut enim philosophus veritatem inquirens debet inuenire loca, ac rationes pro vtraque parte, vt ijs inspectis, possit veritatem determinare, sic dialecticus cum altero disputaturus, debet inuenire loca, & rationes pro vtraque parte, vt ijs inspectis, possit ea seligere, quæ ad disputationem videntur conducere. At in ijs, quæ spectant ad ordinem, & dispositionem interrogationum, & rationum, differt philosophus à dialectico. Philosophus enim, qui habet pro fine inquisitionem veritatis, solum est sollicitus, an propositiones, ex quibus conficit syllogismos, & probat conclusiones, sint veræ, ac notæ; posito verò, quod sint veræ, ac notæ, non est sollicitus, an

an à respondente admittantur, vel non admittantur, eo quod respondens, videns tales propositiones esse propinquas, & connexas cum conclusione probanda, neget illas, ne ijs concessis, etiam conclusionem, quæ ex ipsis sequitur, cogatur admittere; immo Philosophus studiosè seligit propositiones euidentes, propinquas, & manifestè connexas cum conclusione probanda, siquidem tales debent esse dignitates, ex quibus fiunt syllogismi scientifici. Dialecticus è conuerso, quia non habet pro fine veritatem, sed disputationem, sollicitus est de eo, an propositiones sint ab aduersario admittendæ, vel non: & quia videt, quod propositiones propinquæ, & connexæ cum conclusione probanda, negandæ sunt ab aduersario, ne cogatur conclusionem concedere, ideo ita ordinat disputationem, vt ab initio celet propositiones propinquas, & proponat alias propositiones remotiores, quas putat admissum iri ab aduersario.

De quatuor generibus propositionum non necessariarum; & quo pacto debeant sumi à Dialectico. Cap.I. Art.II.

4 *Loci igitur, vnde oporteat sumere, dicti sunt prius: de ordine autem, & interrogatione dicendum. Diuidendæ propositiones, quæcunque sumendæ sunt ad necessarias: necessariæ autem dicuntur, per quas syllogismus fit.*

5 *Quæ autem ad has sumuntur, quatuor sunt. Aut enim gratia inductionis, vt detur vniuersale, aut ad magnitudinem orationis, aut ad occultationem conclusionis, aut vt dilucidior sit oratio. Præter has autem nulli est assumenda propositio, sed per has augere, & interrogare tentandum.*

6 *Sunt autem quæ ad occultationem, certaminis gratia: sed quia omne, quod huiusmodi est, negotium ad alterum est, necesse est et illis vti.*

7 *Necessarias igitur, per quas fit syllogismus, non statim præordinandum, sed abeundum ad suprema. Vt non postulet quis contrariorum eandem disciplinam, si hoc voluerit sumere, sed oppositorum: posito enim hoc, & quoniam contrariorum eadem disciplina, syllogismo colliget, eo quòd ex oppositis sunt contraria. Si vero illam non ponat, per inductionem sumendum proponenti in particularibus contrarijs. Nam, aut per syllogismum, aut per inductionem necessarias sumendum, aut has quidem inductione, illas autem syllogismo.*

8 *Quæcunque autem valde manifestæ sunt, illas quoque oportet præponere. Nam immanifestius est semper in abscessu, & inductione, quod secuturum est: & simul ipsas necessarias proponere: & qui non potest illo modo, sumere esse paratum. Quæ vero ad has sumptæ sunt, accipiendæ quidem illarum gratia.*

9 *Vnaquaque autem earum hoc modo vtendum inducentem quidem à singularibus ad vniuersalia & à notis ad ignota. Nota autem magis, quæ secundum sensum, vel simpliciter, vel multipliciter, vel multitudini.*

4 His præmissis, docet Aristoteles, quod cum actum sit de inuentione argumentorum, & exposita sint loca communia dialectico, & philosopho, ex quibus locis possunt desumi argumenta, agendum est de ordine proponendi interrogationes, & argumenta, qui ordo proprius est dialecticæ. Et quia dialecticus non solum debet sumere propositiones necessarias, ex quibus nimirum necessario sequitur conclusio intenta, sed etiam debet sumere aliquas propositiones non necessarias, ex quibus non necessario, vel saltem non immediatè sequitur conclusio intenta, ideo primo distinguenda, & explicanda sunt genera propositionum non necessariarum, ac deinde tradenda præcepta singulis generibus accommodata.

5 Quatuor sunt genera propositionum non necessariarum, quæ sumi debent à dialectico. Primo sumi debent quædam propositiones inductiuæ, vt respondens concessis multis particularibus, concedat deinde aliquam propositionem vniuersalem, quam alioquin non concederet. Secundo sumi debent quædam propositiones augentes orationem, ad hoc, vt aduersarius admittat aliquam propositionem amplificatam, quam nisi esset amplificata non admitteret. Tertio sumi debent aliquæ propositiones ad occultandam conclusionem, & præmissas intentas, ne aduersarius aduertens tales conclusiones, & præmissas intendi ab arguente, illas neget. Quarto demum debent sumi aliquæ propositiones ad

magis

magis explicandum id, de quo agitur.

6 Licet autem propositiones, quæ afferuntur gratia occultationis, non conferant ad inquisitionem veritatis, adhuc dialecticus, quia habet pro fine disputationem, & certamen, debet illas sumere, vtpote quæ ad disputationem, & certamen maximè conferunt.

7 Ad finem igitur occultandi, non debet statim interrogare de propositionibus, ex quibus immediatè, ac necessario concluditur propositio intenta, sed debet ab initio interrogare de alijs propositionibus vniuersalioribus, ex quibus mediatè solum probatur conclusio intenta. Ex.gr. si quis velit probare, quod sani, & ægri est eadem disciplina, non debet ab initio interrogare, an contrariorum sit eadem disciplina, sed an oppositorũ sit eadem disciplina? Si enim id obtinuerit, poterit probare, quod cum contraria sint opposita, contrariorum est eadem disciplina, & quod cum sanum, & ægrum sint contraria, sani, & ægri est eadem disciplina. Si verò respondens nec admittat, quod oppositorum est eadem disciplina, afferenda est inductio singularium. Propositiones siquidem necessariæ ad inferendam conclusionem probandæ sunt, vel inductione, vel syllogismo.

8 Quando autem aliquæ propositiones licet satis manifestæ, non videntur admittendæ ab aduersario, eo quod sit etiam manifestum, quod ex ijs sequitur conclusio proposita, tum tales propositiones sunt amplificandæ, digrediendo etiam à proposito: ex tali enim amplificatione, & ex inductione plurium, occultabitur conclusio ex ijs consequens, & sic facilius admittentur. Rursus quando respondens nõ admittit aliquas propositiones vtiles ad intentum arguentis, quia non videntur satis claræ, explicandæ sunt, & amplificandæ, vt clarescant, & admittantur.

9 Iam inductiones faciendæ sunt, vel ex singularibus ad vniuersalia, vel ex magis notis ad minus nota: & quia sensibilia sunt notiora, vel simpliciter, vel multitudini, ideo præsertim propositiones inductiuæ sumendæ sunt ex sensibilibus. Sed hæc omnia magis explicabuntur infra.

Præcepta, & loca pro sumendis propositionibus cælatiuis. Cap. I. Articulus III.

10
11 *Occultantem verò, ratiocinatione præcolligere oportet ea, per quæ syllogismus eius, quod ex principio est, debet fieri, & hæc vt plurimum. Erit autem hoc, si quis non solum necessarias, sed & earum, quæ ad illas sunt vtiles, aliquam syllogizauerit.*

12 *Amplius conclusiones non dicere, sed postea ratiocinatione colligere subitarias. Sic enim longissime abscedet ab ea, quæ ex principio, positione.*

13 *Vniuersaliter autem dicendo sic oportet eum interrogare, qui occulte interrogat, vt interrogata omni oratione, & eo dicente conclusionem, quæratur propter quid? Id autem erit maxime per antedictum modum. Nam sola vltima dicta conclusione, immanifestum, quomodo accidit, eo quòd non præuidit respondens ex quibus accidit, non per membra digestis prioribus syllogismis: minime autem per membra digeritur syllogismus conclusione, cùm non eius sumptiones ponuntur, sed cùm illa sumuntur, à quibus syllogismus fit.*

14 *Vtile autem & non continua postulata sumere, ex quibus syllogismi, sed vicissim ad aliam, & aliam conclusionem. Nam positis conuenientibus iuxta se inuicem, magis quod accidit ex ipsis manifestum.*

10 Distinctis quatuor generibus propositionum, descendit Aristoteles ad tradenda præcepta, & loca magis particularia; ac primo tradit præcepta, & loca pro sumptione propositionum cęlatiuarum.

11 Primum præceptum, seu primus locus est: vt quis probet conclusionem latenter, initio non debet proponere syllogismos, ex quibus infertur proposita conclusio, sed prosyllogismos, ex quibus probantur propositiones, seu præmissæ, ex quibus sequitur proposita conclusio; si verò afferat syllogismos, ex quibus non probentur præmissæ immediatæ, sed mediatæ prosyllogismorum, latentius probabit, & eo magis latenter, quo concludet præmissas remotiores.

12 Secundum præceptũ est: ad eumdem finem

finem non debet initio inferre vllam conclusionem, sed solum interrogare, concessis verò propositionibus, ex quibus possunt concludi aliquæ præmissæ mediatæ, vel immediatæ, debet simul inferre tales præmissas. Interrogationibus enim, ex quibus nulla inferatur conclusio, longissimè amouebitur respondens à videndo, quo pacto sequatur conclusio proposita; illatione verò, qua simul inferentur omnes conclusiones, perturbabitur, & confundetur.

13 Tertium præceptum est: ita debent proponi interrogationes, vt cum deinde infertur proposita conclusio, ex. gr. *ergo anima est immortalis*, respondens debeat dicere, *quo pacto ex concessis sequitur animam esse immortalem?* tum quia propositiones concessæ non sunt digestæ in formam syllogisticam, tum quia solum sumptæ sunt propositiones, ex quibus fit syllogismus inferens non conclusionem propositam, sed præmissas mediatas, vel immediatas.

14 Quartum præceptum est: vtile est etiam loco coniungendi propositiones continuas, ex quibus nimirum fit syllogismus inferens vnam conclusionem, coniungere propositiones non continuas, ex quarum nimirum vna fit syllogismus inferens conclusionem principalem, ex altera fit syllogismus inferens aliquam præmissam. Ex. gr. vt quis latenter concludat, *ergo anima est immortalis*, non debet sic argumentari; *omne seipsum mouens est immortale; anima seipsam mouet; ergo &c.* sed debet sic argumentari; *omne seipsum mouens est immortale; sed anima cognoscit; ergo anima est immortalis*: minor enim non est propositio ad probandam propositam conclusionem, sed ad probandam præmissam propositæ conclusionis, quod nimirum *anima seipsam mouet: omne enim, quod cognoscit mouet seipsum; sed anima cognoscit; ergo anima mouet seipsam.*

15 *Oportet autem & definitione sumere, in quibus possibile est, vniuersalem propositionem, non in ipsis, sed in coniugatis. Nam decipiunt falsa ratiocinatione seipsos, quando in coniugato sumitur definitio, si non vniuersale concedunt. Vt si oportet sumere, quod qui irascitur appetit pœnam, sumatur autem iram appetitus esse pœnæ propter apparentem paruipensionem; manifestum autem, quoniam hoc sumpto habebimus vniuersale, quod praelegimus; at eis, qui in ipsis proponunt, sæpe accidit, vt abnuat respondens, eo quòd magis se habeat in eare instantia, vt quòd non omnis qui irascitur, appetit pœnam, nam parentibus irascimur quidem, non autem pœnam appetimus. Fortasse autem non vera instantia est: nam à quibusdam sufficiens pœna est tristari, solum, & facere pœnitere. Verumtamen habet aliquid verisimile, vt non videatur irrationabiliter negare propositum. In iræ autem definitione non similiter facile est instantiam inuenire.*

16 *Præterea proponere par est, non vt propter idipsum, sed alterius gratia eum, qui proponit. Nam deuitant ea, quæ ad positionem sunt vtilia.*

17 *Simpliciter autem dicendo, quàm maximè facere dubium, vtrum quod proponitur, an oppositum sumere vult. Nam dubio existente quidnam ad positionem est vtile, magis quod sibi videtur ponunt.*

18 *Amplius per similitudinem interrogare. Nam & verisimile, & latet magis vniuersale: vt quemadmodum scientia, & ignorantia contrariorum eadem, sic & sensus contrariorum idem: aut è conuerso, postquam sensus idem contrariorum, & scientia. Hoc autem est simile inductioni, non tamen idem. Nam ibi quidem à singularibus vniuersale sumitur: in similibus autem non est, quod sumitur vniuersale, sub quo omnia similia sunt.*

15. Quintum præceptum est: cum sumenda est definitio loco sumendi propositionem vniuersalem, ex qua sequitur conclusio proposita, debet sumi definitio coniugati, præsertim si difficilius afferatur instantia contra definitionem coniugati, quā contra propositionem intentam: concedentes enim definitionem coniugati falluntur, & non aduertunt eo ipso se concedere definitionem, qua indiget argumentans. Ex. gr. si argumentans indigeat, vt concedatur sibi, quod *omnis, qui irascitur, appetit vltionem, & pœnam*, debet sumere definitionem iræ, quod nimirum *ira est appetitus vltionis, et pœnæ propter apparentem contemptum*: præsertim, quia difficilius est instare contra definitionem iræ, quam contra illam propositionem vniuersalē, quod *omnis iratus appetat vltionem & pœnam*. Contra hanc enim propositionē potest instari, quia aliquando filij irascuntur parentibus, & tamen nolunt vlcisci de parentibus, neque illos punire; non autem ita facile instatur contra definitionē

iræ. Et licet hæc instantia non valeat, quia potest dici, quod filijs sufficiés vltio, & pœna videtur, quod parentes contristentur ex ira filiorum, & quod illos pœniteat, adhuc instantia videtur verisimilis, nec est irrationabilis.

16 Sextum præceptum est: propositiones debent proponi tanquam collimantes non ad intentum, sed ad aliquid aliud: nam respondentes, quæ collimant non ad intentum, sed ad aliquid aliud, facilius admittunt.

17 Septimum præceptum est: debent ita propositiones proponi, vt respondens dubitet, vtram partem contradictionis velit sibi concedi argumentans; tum enim eligit eam partem contradictionis, quæ videtur verisimilior ipsi respondenti.

18 Octauum præceptum est: vtile est proponere interrogationes adiecta aliqua similitudine: nam & similitudo, seu paritas habet magnam vim persuadendi, & addita similitudine, facilius latet propositio vniuersalis, quam argumentans vult assumere. Ex. gr. debet quæri, an quemadmodum eadem est scientia, & ignorantia contrariorum, sic idem sit sensus contrariorum? Vel è conuerso, an quemadmodum idem sensus est contrariorum, sic eadem sit scientia contrariorum? Porrò licet argumentum ex paritate sit affine argumento ex inductione, adhuc ab eo differt. Argumentum enim ex inductione procedit à singularibus ad vniuersale; argumentum à paritate procedit non ab vno simili ad vniuersale continente omnia similia, sed ab vno simili ad aliud simile.

19 *Oportet autem, & ipsum sibimet quandoque instantiam ferre. Nam insuspecte se habent respondentes ad eos, qui videntur iuste argumentari.*

20 *Vtile autem dicere, quod consuetum, et quod dicitur tale. Nam pigrescunt, quod solitum est dimouere, instantiam non habentes: simul autem, & quia vtuntur & ipsi talibus, cauent ea dimouere.*

21 *Amplius, non sedule agere, & si omnino vtile sit. Nam aduersus sedule agentes,*
22 *magis renituntur. * Et vt in similitudine proponere, quod propter aliud aliquid proponitur, & non propter seipsum, vtile ponent magis.*

23 *Amplius non id proponere, quod oportet sumere, sed cui consequens id est ex necessitate. Nam & magis concedunt, et quod non similiter ex hoc manifestum sit, quod consecuturum est, & sumpto hoc, sumptum est & illud.*

24 *Et id vltimo interrogare, quod maxime vult sumere. Nam maxime prima renuunt, eo quòd plurimi interrogantium prima interrogant, circa quæ vel maxime student. Ad quosdam autem prima, quæ vtilia sunt proponere. Nam proterui maxime prima admittunt, nisi omnino manifestum sit, quod secuturum est, in fine autem proteruiunt. Similiter autem & quicunque arbitrantur acuti esse in respondendo, ponentes enim prima, in fine recantant, tanquam nihil acciderit ex ijs, quæ posita sunt. Ponunt autem prompte confidentes habitui, & arbitrantes nihil se esse passuros.*

25 *Amplius prolongare, & interponere, quæ nihil sunt vsui ad orationem, quemadmodum pseudographia vtentes. Nam cum sint plura, immanifestum in quo falsum sit. Quare & occultant quandoque interrogantes, in absconso proponentes ea, quæ per se proposita, non ponerentur. Ad occultationem igitur dictis est vtendum.*

19 Nonum præceptum est: argumentans debet aliquando etiam afferre aliquam instantiam contra seipsum, vt videatur æquus: qui enim videntur æqui non sunt suspecti respondentibus, qui proinde facilius admittunt, quæ ab argumentantibus proponuntur.

20 Decimum præceptum est: argumentans debet proponere quæ proponit tanquam aliquid, quod solet concedi, & admitti. Respondentes enim non audent negare, quæ solent admitti, præsertim cum etiã ipsi vtantur propositionibus consuetis.

21 Vndecimum præceptum est: arguens debet præseferre, quod non multum curet, an concedatur, vel negetur id, quod proponit: respondentes enim magis repugnant ijs, quæ argumentans ostendit se valde optare, vt concedantur.

22 Duodecimum præceptum est: quod volumus nobis concedi, debemus proponere non in se ipso, sed in simili: facilius enim respondens admittit, quod proponitur in simili, quam quod proponitur in se ipso.

23 Decimumtertium præceptum est: non debet immediatè proponi, quod intendi-

tenditur, sed aliquid aliud, ex quo necessario sequatur id, quod intenditur: facilius enim respondens admittet, quod proponitur, non aduertens ex ipso sequi aliud; admisso autem antecedente cogitur concedere consequens, quod necessario sequitur ex tali antecedenti.

24 Decimumquartum præceptum est: id, quod præcipuè intendimus, postulare debemus vltimo loco. Cum enim plerique primo loco postulent, quod præcipuè intendunt, respondentes solent negare, quæ primo loco postulantur. Addit Aristoteles, quod quando disputamus cum proteruis, vel cum ijs, qui se existimant valde acutos, debemus primo proponere ea, quæ maximè intendimus: proterui enim solent concedere, quæ primo proponuntur, cum non est manifestum ex ijs sequi conclusionem intentam; deinde verò sentientes se premi, proteruiunt, & negant omnia. Similiter qui se existimant acutos in respondendo, ab initio omnia concedunt: freti enim ingenio, & habitu disputandi, putant se posse aduersarium eludere, ac sustinere, quod ex concessis nihil sequitur contra conclusionem positam.

25 Decimumquintum præceptum est: debent etiam interponi multa inutilia, & non facientia ad propositum: respondens enim non discernens vtilia ab inutilibus, admittit multa vtilia, quæ si per se proponerentur, non admitteret. Explicatur exemplo Pseudographorum, qui dum falso describunt, ducunt multas lineas partim vtiles, partim inutiles, ad hoc, vt aduersarius non discernens lineas vtiles ab inutilibus, decipiatur. Hæc igitur sunt præcepta, & loca ad sumendas propositiones celatiuas.

Præcepta, & loca pro sumendis propositionibus amplificatiuis, & explicatiuis. Cap. II. Articulus Primus.

1 *AD ornatum vero inductione, & conclusione eorum, quæ affinia sunt. Inductio igitur quale quid est, manifestum. Diuidere autem huiusmodi, vt scientiam scientia esse meliorem aut eo, quòd exactior est, aut quod meliorum: & quòd scientiarum aliæ quidem sunt contemplatiuæ, aliæ autem actiuæ, aliæ porro effectiuæ. Nam vnumquodque talium coornat quidem orationem at non necessarium est, vt dicatur ad conclusionem. Ad dilucidationem autem exempla, & similitudines afferendum. Exempla autem accommodata, & ex quibus scimus, qualia Homerus, non qualia Cherilus: sic enim clarius erit, quod proponitur.*

SVbdit Aristoteles præcepta pro sumendis propositionibus amplificatiuis, & explicatiuis.

1 Ad orationem amplificandam, & ornandam poterit præsertim Dialecticus vti inductione, ac diuisione non necessaria, per quas enumeret multa affinia. Ex. gr. probandum sit, quod *paris, & imparis est eadem disciplina*; propositio necessaria ad hanc conclusionem est, quod *contrariorum est eadem disciplina*: inductio verò, & enumeratio contrariorum non est necessaria. Vt igitur orationem ornet, & amplificet dialecticus faciet talem inductionem, ac dicet, quod idem visus est albi, ac nigri; idem tactus est calidi, ac frigidi; idem auditus est grauis, & acuti; idem gustus dulcis, & amari; & vniuersim contrariorum est eadem disciplina. Poterit etiam eamdem orationem ornare diuisione non necessaria contrariorum, dicendo, quod aliqua contraria sunt in eodem genere, aliqua in contrarijs generibus, alia in nullo sunt genere, sed ipsa sunt prima genera &c. Demum poterit eamdem orationem augere diuisione disciplinarum, dicendo, quod ex disciplinis, ac scientijs aliæ sunt meliores alijs, quia certiores, aliæ quia versantur circa nobilius obiectum: rursus aliæ sunt speculatiuæ, aliæ actiuæ, aliæ effectiuæ, & omnes istæ sunt contrariorum.

Ad orationem explicandam, & reddendam claram, & dilucidam, debet Dialecticus vti exemplis, & similitudinibus, dummodo sint apta ad rem explicandam, qualia solet afferre Homerus, non verò ad hunc finem inepta, qualia solet afferre Cherillus. Ex. gr. si arguens proponat, quod caro non est solum quatuor elementa, hoc est terra, aqua, aer, & ignis congregata, sed aliquid aliud, poterit hoc principium explicare exemplo, quod sicut syllaba *Ba* non est solum *B*, & *A*, sed aliquid per se vnum, sic caro non est solum terra, aqua, aer, & ignis simul congregata, sed aliquid per se vnum.

Præ-

Præcepta argumentandi per inductionem, vel syllogismum, atque interrogandi, & sumendi propositiones necessarias. Cap. II. Articulus II.

2 *VTendum autem in differendo, syllogismo quidem ad dialecticos magis, quã ad multitudinem, inductione vero contra ad multitudinem magis. Dictum est autem & de bis & prius.*

3 *Est autem in aliquibus quidem inducenti possibile interrogare vniuersale, in aliquibus vero non facile, eo quòd non positum sit similitudinibus nomen omnibus commune, sed quando oportet vniuersale sumere, sic in omnibus talibus esse dicunt. Id autem determinare difficillimum est, qualia sunt ea, quæ proferuntur huiusmodi, & qualia non; & propter hoc sæpenumero diffi ient in disputationibus, alij quidem dicentes similia esse, quæ non sunt similia, alij vero dubitantes, quæ sunt similia non esse similia. Quare tentandum in omnibus tal bus ipsum nomina effingere, vt neque respondenti liceat dubitare, quòd non similiter quod infertur dicitur, neque interroganti calumniari vt similiter dicto, eo quòd plura eorum, quæ non similiter dicuntur, similiter videntur dici.*

TRaditis præceptis sumendi propositiones non necessarias, tradit Aristoteles præcepta argumentandi, ac sumendi propositiones necessarias ad argumentandum; & quia possumus argumentari, vel inductione, vel syllogismo, ideo primo docet, quando nam debeamus vti inductione, quando syllogismo: secundo explicat, quo pacto possimus per inductionem concludere propositionem vniuersalem, refellendo instantias contrarias: tertio docet, quo syllogismo debeamus vti: quarto explicat, quo pacto debeamus sumere, & interrogare propositiones, & quis sit modus dialecticè interrogandi.

2 Quoad primum: inductione debemus vti præsertim, quando agimus cum multitudine, quando verò agimus cum dialecticis debemus vti potius syllogismo. Differentia autem inter inductionem, & syllogismum explicata est lib. 2. Priorũ cap. 29.

3 Quoad secundum: in aliquibus facile est facta inductione sumere propositionem vniuersalem, eo quod illis, de quibus facta est inductio, impositum est nomen commune; in alijs difficile est sumere vniuersalem propositionem, eo quod non est impositum nomen commune. Ex. gr. facta inductione, quod equus, canis, bos &c. habent os, quo sumant alimentum, & stomachum, quo concoquant, facile potest inferri vniuersale addendo, *& sic de cæteris animalibus; ergo omne animal habet os, quo sumat alimentum, & stomachum, quo illud concoquat*, quia ijs, quæ habent os, & stomachum, impositum est nomen commune animalis. At facta inductione multorum animalium, quæ carent dentibus in mandibula superiori, difficile est inferre vniuersale, & concludere, *ergo omne tale caret dentibus in mandibula superiori*, cum animalibus conuenientibus in hoc, quod careant dentibus in mandibula superiori, non sit impositum nomen commune. Tum igitur, quando ad inductionem concludendam additur, & *sic de similibus*, difficile est explicare, quæ sint ista similia, quæ proinde carent dentibus in mandibula superiori, & quæ non sint similia: ex hac autem difficultate oritur aliquando altercatio inter disputantes, dum alij inter similia includunt quædam, quæ verè non sunt similia, alij à similibus excludunt quædam, quæ verè sunt similia. Cum igitur non est impositum nomen commune, tum debemus nomen fingere: ex. gr. in exemplo posito animalibus carentibus dentibus in mandibula superiori, debemus imponere nomen cornigeri, tum enim poterimus inductionem concludere dicendo, & *sic de alijs animalibus cornigeris; ergo &c.* Imposito autem tali nomine neque respondens poterit dubitare, an id, de quo infertur, quod careat dentibus in parte superiori, sit simile animalibus inductis in eo, de quo procedit inductio: statim enim erit manifestum, an sit animal cornigerum vel non; neque arguens poterit calumniari aliquid esse simile in prædicato, in quo facta est inductio ex eadem ratione.

4 *Quando autem inducenti in pluribus non dederit vniuersale, tunc iustum est efflagitare instantiam, non dicente autem ipso in aliquibus sic, non iustum est efflagitare, in aliquibus non sic. Oportet enim inducentem prius sic instantiam efflagitare,*

5 *Efflagitandum autem instantiam, non in eo, quod proponitur, ferre, nisi vnum tantum sit huiusmodi, vt dualitas partium numerorum solus primus. Nam oportet, & eum, qui instat, in altero instantiam ferre, aut dicere, quod hoc solum tale est.*

6 *Ad eos autem, qui instant vniuersali, non in eodem autem instantiam ferunt, sed in aequiuoco, (vt quod habeat aliquis non suum colorem, vel pedem vel manum: habebit enim pictor non suum colorem, & cocus pedem non suum,) diuidendo reuera in talibus interrogandum est. Nam latente aequiuocatione bene viderentur instare propositioni.*

4 Quod si facta inductione in pluribus respondens negauerit propositionem vniuersalem, postulandum ab ipso est, vt afferat instantiam in contrarium, ex. gr. vt in casu posito afferat instantiam alicuius animalis cornigeri, quod habeat dentes in mandibula superiori. At si argumentans per inductionem non probauerit, quod in multis ita se habet, non debet petere a respondente, vt afferat instantiam aliquorum, in quibus non ita se habet: ex.gr. nisi arguens per inductionem ostenderit quædam ex animalibus cornigeris carere dentibus in mandibula superiori, non debet petere à respondente, vt afferat instantiam animalium cornigerorum habentium dentes in mandibula superiori.

5 Debet prætérea postulari à respondente, vt afferat instantiam, non in eo, de quo est controuersia, sed in altero, vel vt ostendat id esse proprium eius, de quo est controuersia. Ex. gr. si quis velit probare binarium non esse numerum primum, ex eo, quod nullus numerus par est primus, hanc autem propositionem vniuersalem probet inductione omnium numerorum parium distinctorum à binario, de quo est controuersia, licet respondens non possit afferre instantiam de vllo pari distincto a binario, adhuc soluit argumentum, ostendendo proprium esse solius binarij, vt sit numerus primus: at si id non ostendat, debet afferre instantiam in aliquo distincto.

6 Aliqui contra propositionem vniuersalem afferunt instantiam in aliquo æquiuocè dicto: ex. gr. si arguens ponat, quod nihil habet colorem non suum, vel pedem, aut manum non suam, respondens potest instare, quia pictor habet colorem non suum, sed alienum, & coquus habet pedem non suum, sed alienum, illumque coquit. Ad occurrendum talibus instantijs, cum sumitur aliqua propositio, explicandum est, in quo sensu sumatur, idque cum præcipuè est faciendum, cum æquiuocatio latet, adeoque non ita facile dignoscitur. Nisi enim distinguantur sensus propositionis, instantiæ desumptæ ex aliquo æquiuoco latente videntur bene afferri, & propositionem allatam euertere.

7 *Si autem non in æquiuoco, sed in eodem instans præpedias interrogationem, oportet auferentem id, in quo instantia est, proponere reliquum, vniuersale faciendo, donec sumat, quod vtile est, vt in oblitione, et in oblitum esse. Non enim concedunt eum, qui amisit disciplinam, oblitum esse, eo quòd transeunte re amisit quidem disciplinam, oblitus autem non est. Dicendum autem auferenti id, in quo instantia est, reliquum, vt si permanente re amisit disciplinam, idcirco oblitum esse. Similiter autem & contra instantes, quoniam maiori bono maius opponitur malum: proferunt enim quoniam sanitati minori bono, quam bona habitudo, maius malum opponitur: nam ægritudinem maius esse malum mala habitudine. Auferendum igitur & in hoc, in quo instantia est. Nam ablato, magis ponet, vt quoniam maiori bono maius malum opponitur, nisi conferat alterum ad alterum, quemadmodum bona habitudo ad sanitatem. Non solum autem eo instante hoc faciendum, sed & si sine instantia negat, eo quod præuideat aliquid talium. Nam ablato eo, in quo instantia est, compelletur ponere, eo quòd non præuideat in reliquo in aliquo non sic esse. Si autem non ponat, efflagitatus instantiam non habebit assignare. Sunt autem huiusmodi propositionum, quæ in aliquo falsæ sunt, in aliquo autem veræ. in his enim par est auferre, reliquum autem verum relinquere. Si autem in multis proponentis non ferat instantiam, postulandum est ponere. Nam dialectica est propositio, ad quam sic in pluribus se habentem, non est instantia.*

7 Si vero respondens contra propositionem vniuersalem afferat instantiam non fundatam in æquiuocatione, adhuc potest limitari propositio, ita vt non contineat id, de quo valet instantia, & sic vrgeri argu-

mentum. Ex. gr. si arguens assumat, quod omnis, qui amittit aliquam disciplinam, vel artem, quam ante habebat, obliuiscitur illius, potest respondens instare, quod qui moritur, amittit disciplinas, & artes, quas habebat, & tamen non obliuiscitur illarum. Tum ergo arguens limitando propositionem, ac dicendo, omnis, qui remanens viuus, amittit aliquam disciplinam, aut artem, quam ante habebat, obliuiscitur illius, poterit hac propositione vti ad propositum concludendum. Similiter si arguens assumat, quod maiori bono maius opponitur malum, potest respondens instare, nam sanitas est minus bonum, quam firma corporis habitudo, & tamen sanitati opponitur ægritudo, quæ est maius malum, quam imbecilla corporis habitudo. Limitanda est ergo propositio, ac dicendum, quod maiori bono maius opponitur malum, nisi maius bonum supponatur à minori bono, eo pacto, quo sanitas supponitur à firma corporis habitudine. Hoc autem est etiam faciendum, cum respondens propositionem vniuersalem allatam negat, præuidens posse afferri instantiam, licet de facto instantiam non afferat: tum enim limitanda est propositio, ac si respondens propositionem sic limitatam adhuc nolit admittere, requisitus, vt afferat instantiam, nullam instantiam contrà propositionem vniuersalem poterit afferre. Porrò propositiones, quæ possunt limitari modo explicato, sunt, quæ in aliquo verificantur, in aliquo non verificantur. Tales enim propositiones, si limitentur ad id, de quo verificantur, sunt vniuersaliter veræ. Quod si arguens probet propositionem vniuersalem per inductionem multorum, & respondens non possit afferre instantiam in contrarium, postulandum ab ipso est, vt admittat talem propositionem vniuersalem. Propositio siquidem, pro qua affertur inductio multorum ab arguente, & contra quam nulla affertur instantia à respondente, est dialectica, adeoque concedenda.

8 *Quando autem contingit idem & sine impossibili, & per impossibile syllogizare, demonstranti quidem, & non differenti, nihil refert vel sic, vel illo modo syllogismo colligere, differenti autem non est vtendum per impossibile syllogismo. Nam si sine impossibili quidem syllogismo colligat, minime fiet, vt dubitent: at, quando per impossibile syllogizat, (nisi valde manifestum sit falsum esse,) non impossibile dicunt esse. Quare non fit interrogantibus, quod volunt.*

9 *Oportet autem proponere quæcunque in pluribus quidem sic se habent, instantia autem aut omnino non est, aut non in superficie est conspicere: nam, qui non possunt conspicere in quibus non sic, tanquam verum quidem sit, ponunt. Non oportet autem conclusionem interrogationem facere. Aliòquin autem, eo renuente, non videtur fieri syllogismus. Nam & sæpe cùm non interrogat, sed vt sequens infert, negant, & hoc facientes non videntur redargui iis, qui non conspiciunt, quod accidit ex iis, quæ posita sunt. Quando igitur non dicens quidem accidere, interrogabit, ille autem negabit, omnino non videtur fieri syllogismus.*

8 Quoad tertium: docet Aristoteles, quod cum duplex sit syllogismus, ostensiuus nimirum, & per impossibile, demonstrans potest indifferenter vti vtroque, at dialecticus debet potius vti syllogismo ostensiuo. Ratio est, quia si vtatur syllogismo per impossibile, semper respondens dicet id, quod infertur non esse impossibile, nisi manifestissimum sit, quod est impossibile; sed in materia probabili raro manifestissimum est, quod sequela est impossibilis; ergo &c.

9 Quoad quartum: quia non potest arguens facere syllogismum, nisi sumat aliquam propositionem vniuersalem, debet sumere vt vniuersaliter veram propositionem, quæ plerunque est vera, cum vel non est instantia in contrarium, vel saltem instantia non est obuia. Respondens enim non aduertens instantiam, propositiones plerunque veras admittet vt vniuersaliter veras. Postquam autem arguens ex propositionibus assumptis fecerit syllogismum, non debet interrogare, an ex talibus propositionibus sequatur conclusio, sed debet sine interrogatione conclusionem inferre. Ratio est, quia si arguens interroget, an conclusio sequatur, eo ipso videtur reuocare in dubium, vtrum sequatur vel non; ergo si respondens neget conclusionem sequi, videbitur conclusio non sequi, adeoque non esse factus syllogismus. Confirmatur, quia aliquando etiamsi arguens inferat conclusionem non interrogando, an sequatur, ad-

huc respondentes, si negent conclusionem sequi, non videntur redargui, quia plerique auditorum non possunt satis discernere, quando nam conclusio sequatur, quando non; ergo multo minus respondens videbitur redargui, si interrogatus an conclusio sequatur ex præmissis, responderit, quod non sequitur.

10 *Non videtur autem omne vniuersale dialectica propositio esse, vt quid est homo? aut quot modis dicitur bonum? est enim dialectica propositio, ad quam est respondere, sic, vel non: ad dictas autem non est: quare non sunt dialecticæ huiusmodi interrogationes, nisi ipse determinans, vel diuidens dicat: vt putas ne bonum sic, vel non sic dicitur? Nam ad talia facilis responsio, vel affirmando, vel negando. Quapropter tentandum sic proponere huiusmodi propositiones. Simul autem & iustum fortasse ab illo interrogare, quot modis dicitur bonum, quando hoc diuidente, & proponente, nullo modo concesserit.*

11 *Quisquis autem vnam orationem multo tempore interrogat, male interrogat. Nam, si respondeat quidem ei interrogatus, quod interrogatur, manifestum, quod multas interrogationes interrogat, aut frequenter easdem: quare aut nugatur, aut non habet syllogismum: nam ex paucis omnis syllogismus: si vero non respondeat, quid aut non increpat, aut discedit?*

10 Quia dialecticus debet interrogare præmissas, seu propositiones, explicandum est, quæ sit propositio dialectica, & sub qua forma debeat interrogari. Non omnis propositio, quæ interrogatur, est dialectica: ex. gr. interrogatio, qua quis quærit, *quid est homo?* vel *quot modis dicitur bonum?* non est propositio dialectica. Ratio est, quia propositio dialectica cum sit sumptio vtriusque partis contradictionis, vt dictum est 1. Prior. cap. 1. num. 3. est talis, vt debeat ad ipsam respondens dicere *sic*, vel *non*; sed ad interrogationes *quid est homo? quot modis dicitur bonum?* non respondetur *sic*, vel *non*, sed respondetur afferendo definitionem hominis, ac diuisionem boni; ergo tales interrogationes non sunt propositiones dialecticæ. Possunt tamen redigi in propositiones dialecticas, dicendo, *putasne definitio hominis est, vt sit animal rationale? putasne bonum diuiditur sic, & sic?* nam ad interrogationes sic formatas, respondens debet respondere *sic*; vel *non*. Si verò respondens non admiserit definitiones, ac diuisiones ab interrogante propositas, tum possumus ab ipso quærere, *quid est res? quo pacto res diuiditur?* Ex. gr. si ad interrogationem, qua quærimus, *an definitio hominis sit animal rationale?* respondens dixerit, *non*, tum possumus interrogare, *quid igitur est homo?*

11 Addit Aristoteles, quod non debemus multum temporis insumere interrogando. Ratio est, quia vel respondens respondet singulis interrogationibus, vel non; si respondet; ergo vel arguens multas facit interrogationes, vel sæpius repetit easdem interrogationes: vtrumque est inconueniens: nam si repetit easdem interrogationes, nugatur; si pergit faciendo alias, & alias interrogationes, signum est, quod non potest facere syllogismum: ad faciendum enim syllogismum sufficiunt paucæ propositiones, hoc est duæ; ergo sufficiunt paucæ interrogationes; ergo si multas facit interrogationes, signum est, quod non potest facere syllogismum. Si verò, respondens non respondet interrogatis, arguens non debet multiplicare interrogationes, sed vel debet aduersarium increpare, quia non respondet, vel debet à disputatione discedere. Vt quid enim pergat disputare cum eo, qui non respondet?

Quæ nam propositiones sint facile, vel difficile argumentabiles, vel defendibiles. Capitis II. Articulus III.

12 13 *Est autem argumentari difficile, & sustinere facile ipsas suppositiones.* Sunt autem talia, & quæ natura sunt prima, & quæ postrema. Nam prima quidem termino egent, postrema vero per multa terminantur, volenti continuum sumere à primis, aut sophisticæ videntur argumentationes. Impossibile enim demonstrare quidpiam est eum, qui non incipit à proprijs principijs, & connectit vsque ad vltima. Definire autem nihil ducunt respondentes, neque si interrogans definierit, aduertunt: atqui non facto manifesto, quidnam est, quod propositum est, non facile est argumen-*

mentari. Maxime autem, quod tale est, circa principia accidit. Nam alia quidem per hæc monstrantur, ipsa vero non contingit per alia, sed necesse est definitione talium vnumquodque cognoscere.

14 *Sunt autem difficile argumentabilia & quæ valde propinqua sunt principio. Non enim contingit plures ad hæc rationes inuenire, cum sint pauca media, horumque, & principiorum, per quæ necesse est monstrare ea, quæ post illa sunt.*

15 *Terminorum autem difficile argumentabiles ij omnium maxime sunt, quicunque vtuntur talibus nominibus, quæ primum quidem immanifesta sunt, simpliciterne dicantur, an multipliciter: adhuc autem quæ neque nota vtrum proprie, an secundum metaphoram de definito dicantur. Nam quia obscura sunt, non habent argumenta: quia verò ignorantur, si absque metaphora dicitur quod tale est, non habet quod increpet.*

12 EXplicat deinde Aristoteles, quæ nam propositiones sint facile, aut difficile argumentabiles, aut defendibiles. Docet primo, quod propositiones, quæ difficile impugnantur, facile defenduntur. Propter hoc ipsum enim, propter quod difficile est illas argumentis impugnare, facile est easdem defendere.

13 Docet secundo, quod difficile argumentis probantur prima principia, & vltimæ conclusiones. Ratio, quare principia difficile probentur est, quia non possunt probari, nisi ex definitione terminorum; sed respondentes requisiti nolunt afferre definitiones terminorum, si verò tales definitiones afferantur ab arguentibus, nolunt eas recipere; ergo &c. Confirmatur, quia principia sunt, per quæ cætera probantur, ipsa verò non possunt probari per alia, sed debent cognosci ex definitione terminorũ; ergo difficile est probare principia. Ratio, quare vltimæ conclusiones difficile probentur est, quia cum valde distent à principijs, probari non possunt, nisi per longam seriem syllogismorum, quæ series incipiat à principijs, & protendatur vsque ad tales conclusiones: probatio verò non resoluens tales conclusiones vsque ad prima principia, videtur sophistica; sed resolutio resoluens conclusiones vsque ad prima principia valde distantia est admodum difficilis; ergo &c.

14 Docet tertio, quod difficile etiam probantur conclusiones valde propinquæ principijs. Ratio est, quia paucis medijs distant à principijs; ergo paucæ sunt rationes ad ipsas probandas; ergo propter paucitatem rationum, & mediorum, difficile probantur. Adde, quod cum probantur per principia valde propinqua ipsis conclusionibus, videtur peti principium.

15 Docet quarto, quod difficulter etiã probantur conclusiones, in quibus ponuntur nomina, de quibus non patet, an dicantur vniuocè, an multipliciter, an dicantur propriè, vel metaphoricè. Ratio est, tum quia tales definitiones sunt obscuræ, nemo autem facile argumentatur de eo, quod non satis percipit; tum quia cum non satis constet, an nomina dicantur metaphoricè, neque etiam possunt reprehendi vt peccantes contrà regulas bonæ definitionis.

16 *Omnino autem omne problema, quando difficile argumentabile, vel termino indigere arbitrandum est, vel est eorum, quæ multipliciter, vel eorum, quæ secundum metaphoram de definito esse dicantur, vel non longe a principijs, vel quia non manifestum est primum nobis hoc idem, secundum quem dictorum modorum est, quod dubitationem præstat. Nam cùm est manifestus modus, manifestum, quoniam aut definire oportebit, aut diuidere, aut medias propositiones inuenire. Nam per hæc monstrantur vltima.*

17 *In multis autem positionibus, non bene assignata definitione, non facile disputare, ac argumentari, vt vtrum vni contrarium, an plura: definitis autem contrarijs aliquo modo, facile est ostendere vtrum contingit plura eidem esse contraria, an non. Eodem autem modo & in alijs definitione indigentibus.*


18 *Videntur autem & in disciplinis quædam ob definitionis defectum non facile describi, vt & quoniam, quæ ad latus secat planum linea similiter diuidit, & lineam, & locum: definitione autem dicta statim manifestum est, quod dicitur. Nam eandem ablationem habent loca, & linea: est autem definitio eius orationis hæc. Simpliciter autem prima elementorum, positis quidem definitionibus, vt quid linea, vel quid circulus, facillimum ostendere, verum non multis ad vnumquodque eorum est argumentari, eo quòd non sunt multa me-*

media: si autem non ponantur principiorum definitiones, difficile, fortasse autem omnino impossibile. Similiter autem his, & in ijs, quæ sunt circa orationes, se habet. Non igitur latere oportet, quando difficile argumentabilis est positio quòd passa est aliquid eorum, quæ dicta sunt. Quando autem erit ad dignitatem, & propositionem, maior labor disputare quàm ad positionem.

16 Docet quinto, quod problemata sunt difficile argumentabilia propter vnum ex quatuor capitibus: primo, quia non possunt probari, nisi ex definitione: secundo, quia quod est definiendum dicitur multipliciter, aut metaphoricè: tertio, quia sunt propinqua principijs: quarto, quia est obscurum, ex quo nam ex dictis capitibus oriatur difficultas probandi. Si enim esset manifestum, vnde difficultas oriatur, facilius possemus occurrere tali difficultati, definiendo, diuidendo, atque inueniendo propositiones, ex quibus probetur propositum.

17 Docet sexto, quod multa problemata, ac multæ propositiones difficile probantur, quia non bene est assignata definitio terminorum, assignata verò tali definitione facile probantur. Ex. gr. difficile est resoluere hoc problema, vtrum vnum sit contrarium vni, quia non patet definitio contrariorum: posita verò definitione, per quam contraria definiuntur, *quæ maximè differunt in eodem genere*, facile probatur, quod vnum est contrarium vni.

18 Docet septimo, quod non solum in dialecticis, sed etiam in mathematicis, ex ignorãtia definitionis oritur difficultas probandi, ac demonstrandi aliqua problemata, quæ posita definitione, facile demonstrantur. Explicat Aristoteles exemplo. Sit triangulum planum quodcunque, puta triangulum A B C



Ducatur linea A D ab angulo A, ad latus B C. Hæc linea similiter, id est in eadem proportione, secabit latus, seu lineam B C, & totum locum, seu totum triangulum, vt colligitur ex Euclide lib. 6 propositione prima. Quod autem dicta linea A D diuidat similiter, & latus B C, & totum locum, difficile demonstratur non assignata definitione diuisionis similis, seu proportionalis; at assignata definitione diuisionis similis, seu proportionalis, facillimè assignatur. Innuit autem Aristoteles definitionem diuisionis similis, seu proportionalis, quæ definitio est, *diuisio similis, seu proportionalis est, per quam plura diuiduntur ita, vt eamdem proportionem habeat ablatum vnius ad reliquum eiusdem, quam habet ablatum alterius ad reliquum ipsius*; sed in casu posito per lineam A D ex latere B C aufertur pars B D, quæ pars eamdem habet proportionem ad reliquam D C, quã pars A D B ad partem A D C totius trianguli, seu totius loci diuisi per eamdem lineam A D; ergo in casu posito linea A D similiter diuidit latus, & totum locum, seu totum triangulum, & vniuersim omnis linea ducta ab angulo trianguli ad latus, similiter, seu in eadem proportione diuidit, & latus, & totum locum, seu totum triangulum. Addit Aristoteles, quod absolutè prima elementa mathematicæ, positis definitionibus lineæ, circuli &c. facile demonstrantur, sed paucæ ad ipsa demonstranda suppetunt rationes, quia cum sint valde propinqua principijs, non suppetunt multa media, sed pauca; ignoratis autem definitionibus difficile, imo impossibile est demonstrare prima elementa. Idem proportionaliter dic de propositionibus dialecticis. Positiones igitur propter aliquod ex dictis sunt difficile argumentabiles.

19 *Dubitare autem possit quispiam, vtrum ponenda sint talia an non. Nam si non ponat, sed postulat & ad illa disputare, maius præcipiet, quam quòd in principio positum est: si vero ponat credet ex minus credibilibus. Si igitur oportet non difficilius problema facere, ponendum: si autem per notiora syllogizare, non ponendum.*

20 *An discenti quidem non ponendum, nisi notius sit, exercitato vero ponendum, si verum solum videatur. Quare manifestum, quoniam non similiter, & interroganti, & docenti existimandum esse ponendum. Quo pacto*

pacto igitur interrogare, & ordinare oportet, pene sufficiunt, quæ dicta sunt.

19 Ex dictis oritur dubium, an cum arguens ad probandam conclusionem ponit aliquam propositionem, & aliquam dignitatem, de cuius veritate disputare difficilius est, quam sit disputare de ipsa conclusione, respondens debeat talem propositionem admittere. Ratio dubitandi est, quia si non admittat, transferet disputationem à conclusione ad propositionem difficiliorem conclusione, quod videtur inconueniens; si verò admittat, permittet conclusionem probari ex minus notis, quod pariter videtur inconueniens.

20 Indicat responsionem Aristoteles. Videtur enim, quod qui disputat causa discendi, non debeat admittere, sed qui disputat causa exercitationis, debeat admittere. Nam licet docens, & demonstrans debeat procedere ex notioribus, disputans causa exercitationis potest procedere ex eo, quod apparet verum, seu sit notius, seu sit minus notum. Si igitur respondenti, propositio, quæ assumitur, videtur vera, debet illam admittere, ne transferat disputationem ad rem difficiliorem.

De munere respondentis, ac de præceptis bene respondendi in disputatione dialectica. Caput III.

1 *DE responsione autem primum quidem determinandum, quod nam est opus bene respondentis, quemadmodum bene interrogantis.*

2 *Est autem interrogantis quidem sic deducere orationem, vt faciat respondentem dicere inopinabiliora, quàm ea, quæ propter positionem sunt necessaria: respondentis vero non propter se apparere accidere impossibile, aut quod præter opinionem est, sed propter positionem. Nam alterum fortasse peccatum, ponere primum, quod non oportet, et positum non seruare aliquo modo.*

3 *Quia autem sunt indeterminata ijs, qui propter exercitationem, & experientiam orationes faciunt (nam non eædem considerationes, & discentibus, & docentibus, & concertantibus, neque his, & ijs, qui exercent se inuicem inspectionis gratia: nam discenti quidem ponenda sunt semper ea, quæ videntur: neque enim conatur falsum vllus docere: concertantium vero interrogantem quidem videri aliquid facere oportet omnino, respondentem autem nihil videri pati) & in Dialecticis congressionibus, quæ non concertationis gratia, sed experimenti, & inspectionis orationes faciunt, nondum enucleatum est quo pacto oporteat coniectare respondentem, & qualia dare, & qualia non, ad bene, aut non, seruandam positionem: quoniam (inquam) nihil habemus traditum ab alijs, ipsi aliquid dicere tentemus.*

1 POstquam Aristoteles egit de argumentatione, ac tradidit præcepta bene argumentandi, agit de responsione, ac tradit præcepta bene respondendi. Primo ergo explicat, quod sit munus argumentantis, ac respondentis in disputatione dialectica: secundo distinguit varia genera positionum, quæ possunt à respondente sustineri, ac tradit præcepta positiones tales bene defendendi: tertio tradit præcepta bene respondendi ad interrogationes, & ad propositiones, quæ ab aduersario assumuntur: quarto tradit præcepta respondendi ad argumenta ex inductione, & explicat, quo pacto debeat quis se præparare ad disputationem, & quas positiones debeat eligere ad defendendum: quinto demum tradit præcepta respondendi argumentis ex syllogismo, & exponit, quo pacto syllogismi soluantur, vel solum contrà instetur, non afferendo solutionem.

2 Quoad primum: munus interrogantis, seu argumentantis est, vt per suam argumentationem cogat respondentem concedere improbabiliora, & inopinabiliora ijs, quæ necessario sequuntur ex posita conclusione; munus verò respondentis est ostendere, quod ipse nullum improbabile, vel inopinabile concedit ex suo defectu, sed admittit inopinabilia præcisè, quæ sequuntur ex opinione, quam tuetur. Nam licet fortasse peccet quis proponendo aliquam positionem, quam non oporteret sustinere, tamen aliud peccatum est proponere conclusionem, quam non oportet, aliud positionem sustinere, prout non oportet. Potest enim contingere, vt postquam quis proposuit positionem, quam non oportuisset proponere, optimè illam defendat, & prout oportet.

Iam

3 Iam diuersa seruanda sunt præcepta interrogandi, & respondendi in disputatione, quæ intercedit inter docentem, & discentem gratia doctrinæ: diuersa in disputatione concertatoria, quæ fit gratia victoriæ, & gloriæ: diuersa in disputatione, quæ fit gratia exercitationis, & gratia inspiciendi, atque examinandi varias opiniones, vt ijs perspectis, possit facilius veritas inueniri, quæ sola est disputatio propriè dialectica. In disputatione siquidem, quæ intercedit inter docentem, & discentem, ea solum à discente concedenda sunt, quæ videntur vera, cum docens nolit docere falsum, sicut discens non vult falsum discere. In disputatione verò concertatoria interrogans, & arguens debet conari, vt videatur aliquo incommodo respondentem afficere, & per hoc ipsum vincere: respondens verò debet conari, vt nullo videatur incommodo affici, & sic non videatur vinci. Verum quia hactenus non est explicatum, quo pacto debeat se gerere respondens in disputatione dialectica, quæ fit gratia exercitationis, & inspiciendi rationes, & argumenta pro singulis opinionibus, ideo conandum est, vt id nos explicemus.

4 *Necesse est autem respondentem sustinere orationem, ponendo, aut probabilem, aut improbabilem positionem, aut neutram, & aut simpliciter probabilem, aut improbabilem, aut indeterminate, vt huic alicui, vel alij. Nihil autem refert quomodocunque, dum ea probabilis, aut improbabilis sit: nam idem modus erit bene respondendi, vel dandi, vel non dandi, quod interrogatum est. Nam, cùm improbabilis est positio, necesse est & conclusionem probabilem fieri: cùm vero probabilis, improbabilem: nam oppositum semper positionis interrogans concludet. Si autem neque probabile, neque improbabile quod positum est, & conclusio erit talis.*

4 Quoad secundum: vt tradantur præcepta bene defendendi in disputatione dialectica positiones propositas, considerandum est, quales sint tales positiones. Aut enim sunt probabiles, eo quod plerisque videntur veræ; aut sunt improbabiles, eo quod plerisque videntur falsæ; aut sunt neutræ, eo quod non magis appareant veræ, quam falsæ, qualis esset positio ponens, quod *astra sunt paria*; & si sunt probabiles, aut improbabiles, aut sunt probabiles, & improbabiles simpliciter, aut relatè ad aliquem, puta ad respondentem, vel alium. Nihil autem refert, quo modo sint probabiles, vel improbabiles: nam eadem proportionaliter præcepta bene respondendi seruanda sunt, vt inferius patebit. Si positio posita à defendente est improbabilis, conclusio inferenda ab argumentante est probabilis: è conuerso, si positio posita à defendente est probabilis, conclusio illata ab arguente est improbabilis: si positio posita à defendente est neutra, etiam conclusio illata ab argumentante debet esse neutra. Ratio est, quia arguens debet inferre conclusionem contradictoriè oppositam positioni defendentis; sed conclusio contradictoriè opposita positioni improbabili, est probabilis, conclusio contradictoriè opposita positioni probabili est improbabilis, conclusio contradictoriè opposita positioni neutræ, etiam ipsa est neutra, ex. gr. quia neutra est hæc positio, quod *astra sunt paria*, etiam conclusio, quod *astra non sint paria* est neutra, hoc est neque probabilis, neque improbabilis.

5 *Quoniam autem bene syllogizans ex probabilioribus, & notioribus propositum demonstrat, manifestum est, quòd quando simpliciter est improbabile, quod proponitur, non dandum est respondenti, nec quod non videtur simpliciter, nec quod videtur quidem, minus autem conclusione videtur. Nam, cùm improbabilis est positio, probabilis est conclusio: quare oportet, quæ sumuntur, probabilia esse omnia, & magis probabilia, quàm quod proponitur, si debet per notiora, quod minus notum est concludi: quare si neque tale est quippiam eorum, quæ interrogantur, non ponendum est respondenti.*

6 *Simpliciter autem si est probabilis positio, dilucidum est, quoniam conclusio simpliciter improbabilis. Ponendum igitur, et quæ videntur omnia, & eorum, quæ non videntur, quæcunque minus sunt improbabilia conclusione: nam sufficienter sic videbitur disceptatum esse.*

7 *Similiter autem erit & si neque improbabilis, neque probabilis est positio. Nam, sic & quæ videntur omnia dandum, et eorum, quæ non videntur, quæcunque minus sunt improbabilia conclusione: sic enim probabiliores accidit orationes fieri. Si*

igitur

igitur simpliciter quidem probabile, vel improbabile quod ponitur, ad ea, quæ videntur simpliciter, comparatio facienda.

8 *Si autem non simpliciter probabile, vel improbabile sit, quod ponitur, sed respondenti, ad seipsum quod videtur, & quod non videtur iudicando, ponendum, vel non ponendum.*

9 *Si vero alterius opinionem tuetur respondens, manifestum, quoniam ad illius intelligentiam aspiciendo ponere singula debet, & negare. Quare & qui curant extraneas opiniones, vt bonum & malum esse idem, quemadmodum Heraclitus inquit, non dant non adesse simul contraria eidem, non quia non videntur eis hæc, sed quia secundum Heraclitum sic dicendum. Faciunt hoc autem & qui suscipiunt ab inuicem positiones. Coniectant enim, ac si is dicat, qui ponit. Manifestum igitur, quæ coniectandum respondenti, siue simpliciter probabile, siue alicui positum est.*

5 Primo ergo si positio defendentis sit improbabilis, adeoque conclusio ab arguente inferenda sit probabilis, non est admittenda vlla propositio, quæ non videatur vera, imo quæ non videatur magis vera, quam conclusio probanda. Ratio est, quia bene syllogizans debet conclusionem probare ex probabilioribus, & notioribus; ergo si conclusio probanda sit probabilis, nulla debet admitti propositio, quæ non sit probabilis, imo non sit probabilior conclusione probanda, alioquin probabilius probabitur per minus probabile.

6 Secundo si positio defendentis sit probabilis, adeoque conclusio inferenda ab arguente sit improbabilis, debent à defendente admitti omnes propositiones probabiles, imo omnes minus improbabiles, quã talis conclusio.

7 Tertio si positio defendentis, adeoque etiam conclusio ab arguente inferenda sit neutra, debet defendens admittere omnes propositiones probabiles simpliciter, imo omnes probabiles comparatiuè ad conclusionem, quia semper per tales præmissas conclusio probatur ex probabilioribus, adeoque sufficienter probatur.

8 Quarto si conclusio probanda sit probabilis simpliciter, admittendæ sunt solæ propositiones probabiles simpliciter, & probabiliores conclusione; si cõclusio probanda sit probabilis solum relatè ad aliquem, admittendæ sunt solæ propositiones probabiles, & probabiliores conclusione relatè ad eumdem.

9 Quinto si respondens defendat opinionem alterius, debet propositiones, quæ assumuntur, concedere, vel negare, respiciendo ad mentem illius. Ideo qui tuentur opiniones absurdas, ex. gr. illam Heracliti, quod bonum, & malum idem sunt, non debent cõcedere impossibile esse, quod eidem insint contraria, quia licet hoc ipsis videatur verum, adhuc negandum est iuxtà opinionem Heracliti. Vniuersim igitur qui defendit opinionem alterius, debet illam defendere iuxtà mentem, & principia illius.

10 *Quoniam autem est necesse omne, quod*
11 *interrogatur, * aut probabile, aut improbabile esse, aut neutrum, & ad orationem, aut non ad orationem attinere, quod interrogatur, si sit quidem quod videtur, et non ad orationem, dandum est, dicendo, quod videtur.*

12 *Non enim interimitur, posito eo, quod in principio.*

13 *Si vero non videtur, & non ad orationem, dandum quidem, & consignificandum, quòd non videtur, ad deuitationem absurditatis.*

14 *Si vero sit ad orationem, & videatur, dicendum, quoniam videtur quidem, sed valde propinquum ei, quod in principio est, & interimitur eo posito, quod propositum est.*

15 *Si autem ad orationem quidem, valde autem probabile postulatum, dicendum, quod accidit hoc posito, at valde absurdum esse, quod proponitur.*

16 *Si vero neque probabile, neque improbabile, si nihil quidem ad orationem, dandum nihil determinando. Si autem ad orationem, consignificandum, quod interimitur, posito eo, quòd in principio est. Nam, sic & qui respondet nihil videbitur propter hoc pati, siquidem præuidens singula posuerit, & qui interrogat, assequetur syllogismum positis ab eo omnibus probabilioribus conclusione. Quicunque vero non ex probabilioribus conclusione conantur syllogizare, perspicuum, quoniam non bene syllogizant: quare cùm sic interrogant, non ponendum.*

10 Quoad tertium: postquam Aristoteles distinxit varia genera positionum, ac tradidit præcepta illas defendendi, distinguit varia genera interrogationum, ac tradit

dit præcepta ad illas respondendi.

11 Quod interrogando petitur, aut est probabile, aut improbabile, aut neutrum; & rursus vel conducit ad id, de quo disputatur, vel ad id non conducit.

12 Primo ergo si quod interrogatur est probabile, & videtur verum, sed non confert ad id, de quo disputatur, debet respondens illud admittere, ac dicere, quod sibi videtur verum: eo enim admisso nihil sequitur contrà positionem, quam defendit.

13 Secundo si id, quod postulatur, non videtur verum, sed non conducit ad id, de quo disputatur, admittendum est, addendo, quod non videtur verum, sed admittitur, quia eo admisso non euertitur positio, quā respondens tuetur.

14 Tertio si id, quod postulatur, videtur verum, & conducit ad id, de quo disputatur, dicendum, quod videtur quidem verum, sed quia est connexum cum eo, de quo disputatur, eoque admisso euertitur positio posita, ideò à defendente talem positionem admitti non debet.

15 Quarto si quod postulatur sit valde improbabile, sed conducat ad propositum, dicendum, quod à defendente non debet admitti, sed propter hoc ipsum ea positio videtur absurda.

16 Quinto si quod postulatur sit neutrum, sed non conducat ad propositum, debet admitti, addendo, quod nihil defendens determinat de eius veritate, vel falsitate. Si verò quod postulatur sit neutrum, & cōducat ad propositum, negandum est, hoc ipsum adnotando, quod eo admisso, euertitur positio. Per hoc enim ex vna parte respondens non videbitur in vllo deficere, si quidem omnia præuidit, & ex alia parte argumentans poterit syllogizare, siquidem admittuntur à defendente omnia, quæ sunt probabiliora conclusione, quam debet arguens probare. Si verò arguens velit conclusionem probare ex non probabilibus, nō bene syllogizabit, ideoque nihil ex his admittendum est.

17 *Similiter autem & in ijs, quæ obscure, & multipliciter dicuntur, occurrendum est. Nam quia datum est respondenti non discenti, dicere non disco, & multipliciter dictum non ex necessitate confiteri, vel negare, manifestum, quoniam primum quidem, nisi planum sit, quod dicitur, non cunctandum, vt dicat, haud intelligo. Nam sepe ex eo, quod non clare interrogantibus dant, occurrit aliquid difficile.*

18 *Si autem notum quidem sit, multipliciter autem dictum, si in omnibus quidem verum, vel falsum sit, quod dicitur, dandum simpliciter quod dicitur, vel negandum: si vero in aliquo quidem sit verum, in aliquo autem falsum, significandum est, quod multipliciter dicitur, & quia hoc quidem falsum, illud autem verum. Nam cùm posterius distinguitur, immanifestum, si et in principio ambiguum animaduerterit.*

19 *Si autem non præuiderit dubium, sed in alterum aspiciens posuerit, dicendum ad eum, qui in alterum ducit, quoniam non ad id aspiciens dedi, sed ad alterum eorum. Nam pluribus existentibus, quæ sub eodem nomine, vel eadem oratione sunt, facilis est ambiguitas.*

20 *Si vero & dilucidum sit, & simplex, quod interrogatur, aut sic, aut non, respondendum.*

17 Sexto si argumentans assumat propositiones obscuras, & ambiguas, quæque possint habere plures sensus, respondens si eas non intelligat, debet libere fateri, quod non intelligit. Neque enim debet simpliciter admittere propositiones, quæ possunt habere plures sensus, nis[illegible]iat, in quo sensu sumantur. Sæpe [illegible]ifficultas occurrit in respondend[illegible], quia respondentes admittunt aliquas propositiones ab arguentibus non clarè propositas.

18 Septimo si arguens assumat propositionem aliquam, quæ possit habere plures sensus, si talis propositio in omni sensu sit vera, vel in omni sensu sit falsa, est simpliciter neganda, vel admittenda; si autem in aliquo sensu sit vera, in aliquo falsa, distinguenda est, & admittenda in sensu vero, neganda in sensu falso. Si enim postquam aliqua propositio simpliciter est admissa, deinde distinguitur, non apparet, an respondens ab initio aduerterit talem propositionem esse ambiguam.

19 Octauo si respondens admiserit simpliciter propositionem ambiguam, intelligens illam in vno sensu, arguens verò assumat illam vt concessam in alio sensu, respondens debet dicere, quod non admisit eam in hoc sensu, sed in alio: cum enim propositio esset ambigua, facile fuit intelligere eam in vno solum sensu.

20 Nono si quod assumitur sit clarum, & sim-

& simplex, simpliciter, & sine vlla distinctione est concedendum, aut negandum.

21 *Quoniam autem omnis propositio syllogistica, aut earum aliqua est, ex quibus syllogismur, aut propter aliquam illarum, manifestum, quod quandoque alterius gratia sumetur, ex eo, quod plura similia interrogant. Nam aut per inductionem, aut per similitudinem, plerumque vniuersale sumunt.*

22 *Singularia igitur omnia ponendum, si sint vera, & probabilia: ad vniuersale autem tentandum instantiam ferre. Nam sine instantia, vel qua sit, vel quae videatur, prohibere orationem, proteruire est. Si igitur multis apparentibus, non dederit vniuersale, qui non habet instantiam, manifestum est, quoniam proteruit. Amplius si neque contra argumentari habeat, quod non verum, multo magis videbitur proteruire, quamuis nec hoc sufficiat. Nam complures orationes opinionibus contrarias habemus, quas difficile est soluere, velut Zenonis, quod non contingit moueri, neque stadium pertransire. Sed non propter id, quae sunt opposita his, non ponendum. Si igitur qui neque contra argumentari habet, neque instare, non ponit, dilucidum, quoniam proteruit. Est enim in disputationibus proteruia, responsio praeter dictos modos, syllogismi destructiua.*

21 Quoad quartum: quia arguens non solum interrogat, ac sumit propositiones, ex quibus conficit syllogismum principalem, sed etiam aliquas, quæ sunt vtiles ad sumendas propositiones vniuersales, ex quibus conficiat syllogismum principalem; & quia cum interrogat, ac sumit plura similia per inductionem, vel paritatem, sumit illa ad concludendam aliquam propositionem vniuersalem, ideò Aristoteles tradit etiam præcepta respondendi argumentis ex inductione.

22 Cum arguens ad probandum vniuersale assumit singularia, si videntur vera debent admitti, sed vt negetur vniuersale, afferenda est aliqua instantia in contrarium: admissis enim singularibus negare vniuersale, non afferendo in contrarium vllam instantiam saltem apparentem, proteruire est. Quod si non solum respondens non habeat instantiam, sed neque habeat argumenta ad ostendendum, quod illud vniuersale est falsum, multo magis proteruit: Addit tamen Aristoteles non sufficienter solui argumentum ex inductione, afferendo rationem contrà propositionem vniuersalem. Multæ enim positiones sunt, contrà quas afferuntur difficiles rationes, & tamen sunt admittendæ: ex. gr. certum est, quod detur motus, & tamen difficillime soluitur argumentum, quo Zeno probat motum non dari, neque spatium vllum, ex. gr. stadium, posse vnquam pertransiri. Est igitur proteruia, cum quis respondet ad argumenta præter modos iam explicatos.

23 *Sustinere autem & positionem, & definitionem, ipsum sibi ipsi oportet praeargumentando. Nam ex quibus interimunt interrogantes, quod proponitur, manifestum, quoniam ijs aduersandum.*

24 *Inopinabilem vero suppositionem cauendum sustinere. Erit autem inopinabilis multipliciter. Nam & ea, ex qua absona contingit dicere, vt si omnia dicat aliquis moueri, aut nihil, & quecunque peioris moris esse eligenda, & quae contraria consilijs, vt quod voluptas bonum, & iniuriam facere melius, quam iniuriam pati. Nam non vt orationis gratia sustinentem, sed, vt ea, quae videantur, dicentem, oderunt.*

25 *Quaecumque vero orationum falsum syllogizant, soluendum, interimendo id, propter quod fit falsum. Nam non is, qui quoduis interimit, soluit, ne quidem si falsum est, quod interimitur. Habere enim potest plura falsa oratio, vt si quis sumat sedentem scribere, Socratem vero sedere: accidit enim ex his, Socratem scribere: interempto igitur Socratem sedere, nihil magis soluta est oratio, quamuis falsum sit postulatum, sed non propter id oratio falsa: nam si quis sit sedens, non scribens autem, non amplius in tali apte accommodabitur eadem solutio: quare non id interimendum, sed sedentem scribere: non enim omnis, qui sedet, scribit. Soluit igitur omnino, qui interimit id, propter quod fit falsum: nouit autem solutionem, qui scit, quod propter id falsa oratio, quemadmodum in ijs, quae falso describuntur. Non enim sufficit instare, ne quidem si falsum sit, quod interimitur, sed & id, propter quod falsum, assignandum. Sic enim erit manifestum, vtrum praeuidens aliquid, an non, facit instantiam.*

Expli-

23 Explicat deinde Aristoteles, quo pacto debeat quis se præparare nd disputationem, & quas positiones debeat defendendas eligere. Antequam quis ad disputandum accedat, debet contrà positionem ipse secum argumentari, & ad ea, quæ sibi obiecerit, respondere. Manifestum est enim, quod aduersandum est ijs, ex quibus arguentes debent contrà conclusionem argumentari.

24 Debet autem quis vitare, ne defendat positiones inopinabiles. Porro positiones possunt esse inopinabiles ex pluribus capitibus. Primo ex eo, quod propter ipsas cogimur concedere quædam absurda, & absona. Huiusmodi est positio Heracliti, quod omnia mouentur, & positio Parmenidis, quod nihil mouetur. Huiusmodi est etiam positio, quod quæ sunt peioris moris sunt eligenda; sequitur enim ex ea, quod virtus sit fugienda. Secundo possunt positiones esse inopinabiles, ex eo, quod sint contrariæ consilijs. Huiusmodi est positio, quod voluptas sit summum bonum, & quod melius est iniuriam facere, quam iniuriam pati. Affert autem Aristoteles rationem, cur debeamus vitare, ne tales positiones defendamus, quæ ratio est, quia audientes solent concipere quoddam odiũ contrà eos, qui tales positiones defendunt, ac si verè ita sentirent, & non solum exercitationis gratia illas defenderent.

25 Quoad quintum: tradit demum Aristoteles præcepta respondendi ad syllogismos, quibus concluditur aliquid falsum. Docet, quod hæc argumenta non sufficienter soluuntur, negando aliquam præmissam, etiamsi talis præmissa verè sit falsa: ex. gr. si quis ad probandum, quod Socrates scribit, cum verè non scribat, sic argumentetur: *sedens scribit; Socrates sedet; ergo Socrates scribit*; non satis soluitur argumentum, negando minorem, quod nimirum Socrates sedeat, licet talis minor sit falsa, eo quod verè Socrates non sedeat. Ratio est, quia si Socrates verè sedeat, & non scribat, posset fieri idem argumentum ad probandam eamdem conclusionem falsam, & tamen tunc minor non posset negari, vtpote quæ esset vera. Ad argumentum igitur soluendum neganda est maior, quod omnis sedens scribat: illa enim maior, quæ assumitur vt vera, est causa, vt inferatur conclusio falsa. Qui ergo scit, quod falsum concluditur propter falsitatem illius maioris, scit solutionem argumenti, sicut etiam accidit in mathematicis. Ille enim scit solutionem syllogismi pseudographi, seu deceptorij, qui non vtcunque negat aliquam propositionem falsam, sed scit ex qua propositione falsa sequatur illud falsum, quod infertur.

De quatuor modis quibus potest impediri, ne arguens concludat intentum. Cap. IV. Articulus Primus.

1 *EST autem orationem prohibere concludi, quadrupliciter. Nam aut interimendo id, propter quod fit falsum: aut ad interrogantem instantiam dicendo: sæpe enim non soluit quidem, qui tamen interrogat, non potest longius producere. Tertium autem ad interrogata. Accidit enim ex interrogatis quidem non fieri, quod volumus, eo quòd non bene interrogata sint, addito autem aliquo, fieri conclusionem. Si igitur non amplius potest producere interrogans, ad interrogantem erit instantia, si autem potest, ad interrogata. Quartum autem, pessima est instantiarum, quæ est ad tempus: nam quidam talibus instant ad quæ disputare pluris est temporis, quàm præsentis exercitationis. Instantiæ igitur, vt dictum est prius, quatuor modis sunt. Solutio autem est earum, quæ dictæ sunt, prima tantum: reliquæ autem prohibitiones quædam, & impedimenta conclusionum.*

1 TRaditis præceptis respondendi, & soluendi argumenta, aduertit Aristoteles, quod aliud est soluere argumentũ, aliud impedire, ne arguens probet intentum. Quatuor enim modis possumus impedire, ne arguens concludat intentum, & tamen vno tantum ex his quatuor modis argumentum soluitur. Primo possumus impedire, ne arguens concludat intentum, negando illud falsum, propter quod infertur conclusio falsa. Secundo possumus impedire per instantiam ad interrogantem, opponendo nimirum aliquid, propter quod interrogans non possit vlterius progredi: ex. gr. quærendo definitionem rei, de qua argumentatur. Tertio possumus impedire per instantiam ad interrogata, seu ad propositi-

positiones assumptas, eo quod non sint bene positæ, opponendo aliquid, propter quod tales propositiones sint limitandæ, ac restringendæ, licet adhuc illas restringendo sequatur propositum. Distinguit autem Aristoteles instantiam ad interrogantem ab instantia ab interrogata per hoc, quod instantia ad interrogantem est, quæ nihil opponit propositionibus assumptis, sed solum facit, ne arguens possit vlterius progredi; instantia verò ad interrogata opponit aliquid contrà propositiones assumptas, ac non impedit, ne arguens possit vlterius progredi. Quartum demum, & pessimum genus instantiæ est, quæ est ad tempus, cum quis nimirum transfert quæstionem ad aliquid aliud tale, vt de ipso controuersia non possit absolui tempore pro disputatione statuto. Ex his quatuor modis instandi, solus primus modus continet solutionem argumenti; cum per ipsum negetur falsum, ratione cuius sequitur conclusio falsa; tribus alijs modis argumentum non soluitur, sed solum impeditur arguens, ne vlterius procedat.

Ostenditur non idem esse, quod aliqua ratiocinatio sit mala, & reprehensibilis secundum se, & quod sit mala, & reprehensibilis relatè ad arguentem. Cap. IV. Articulus II.

1 *INculpatio vero orationis, & secundum ipsam orationem, & quando interrogatur, non eadem.*

3 *Plerumque enim quòd non bene disputatur oratio, is qui interrogatur, est causa, eo quòd non concedat ex quibus probe erat disputare ad positionem.*

4 *Nam non est in altero solo bene absol-*
5 *uere commune opus. * Necessarium igitur quandoque ad dicentem, & non ad positionem argumentari, quando is, qui respondet, & contraria interroganti obseruat corroborans. Proteruientes igitur altercatorias, & non dialecticas faciunt exercitationes.*

6 *Amplius autem quia exercitationis, & experimenti gratia, & non doctrinæ huiusmodi sunt orationes, perspicuum, quoniam non solum verum syllogizandum, verum etiam falsum, nec per vera semper, sed quandoque & per falsa. Sæpe enim vero posito, interimere necesse est disputantem: quare proponenda falsa. Quandoque autem & falso posito, interimendum per falsa. Nihil enim prohibet alicui videri quæ non sunt, magis, quam vera: quapropter ex ijs, quæ illi videntur, oratione facta, magis erit suasus, quam adiutus.*

POstquam Aristoteles tradidit præcepta bene argumentandi, ac bene respondendi, agit de vitijs, ac defectibus disputationis.

2 Docet ergo primo aliud esse, quod aliqua ratiocinatio secundum se considerata sit mala, ac reprehensibilis, aliud esse, quod sit mala, & reprehensibilis relatè ad arguentem, qui vtitur tali ratiocinatione.

3 Probatur, & explicatur primo, quia potest contingere, vt aliqua ratiocinatio secundum se sit mala, & reprensibilis, & tamen non sit mala, neque reprehensibilis relatè ad eum, qui vtitur tali ratiocinatione; ergo &c. Probatur antecedens: potest enim contingere, vt arguens vtatur tali ratiocinatione, quia respondens interrogatus de propositionibus, ex quibus deberet probari propositū, negat tales propositiones, adeoque cogit arguentem ad vtendum ratiocinatione minus bona; sed tum arguens non est reprehendendus ex eo, quod vtatur ratiocinatione minus bona, siquidem id non accidit vitio ipsius, sed vitio respondentis, adeoque tum ratiocinatio non est mala, & reprehensibilis relatè ad arguentem; ergo potest contingere, vt aliqua ratiocinatio secundum se sit reprehensibilis, & tamen non sit reprehensibilis relatè ad arguentem.

4 Probatur secundo, quia cum aliquod opus pendet à duobus, tum non est in vnius tantum potestate, vt bene, vel male fiat; sed ratiocinatio dialectica pendet à duobus, ab interrogante nimirum, & respondente; ergo non est in potestate solius interrogantis, vt bene ratiocinetur, cum debeat interrogare, & ratiocinari ex ijs, quæ respondens admittit; [illegible]go si non bene ratiocinetur, eo quod res[illegible]ndens non admittit ea, quæ deberet admittere, licet ratiocinatio sit mala, adhuc arguens non est reprehensibilis, nec ratiocinatio est reprehensibilis relatè ad arguentem.

5 Probatur tertio, quia digredi à principali proposito, & à disputatione dialecti-

ea diuertere ad disputationem altercatoriam ex se est malum, & reprehensibile; sed potest contingere, vt arguens digredi debeat à principali proposito ad disputationem altercatoriam culpa respondentis; ergo non eo ipso, quod disputatio secundum se est mala, est etiam mala relatè ad arguentem. Probatur minor: nam aliquando respondens ita calumniatur omnia, quæ dicuntur ab arguente, vt arguens debeat digredi à principali proposito ad refellendum respondentem, adeoque à disputatione dialectica debeat diuertere ad disputationem altercatoriam.

6 Docet secundo Aristoteles, quod non eo ipso, quod aliqua ratiocinatio dialectica concludat falsum, vel assumat præmissas falsas ad probandam conclusionem non solum falsam, sed veram, est reprehensibilis. Probatur ex fine disputationis dialecticæ: disputatio enim dialectica non fit gratia doctrinæ, sed gratia exercitationis, atque examinis; sed sæpe defendens ponit conclusionem veram, adeoque tum arguens debet probare contradictoriam talis conclusionis, quæ est falsa, falsum autem non potest probari ex omnibus præmissis veris; ergo aliquando dialectica ratiocinatio debet probare conclusionem falsam ex aliquibus præmissis falsis, & tamen talis ratiocinatio potest esse optima. Licet autem aliquando defendens ponat conclusionem falsam, adeoque arguens debeat probare contradictoriam veram, adhuc potest vti præmissis falsis ad probandum verum, & euertendum falsum. Ratio est, quia arguens debet vti illis propositionibus, quæ admittuntur à respondente, quia illi videntur veræ; sed aliquando falsa videntur respondenti probabiliora veris; ergo aliquando arguens debet potius vti præmissis falsis, quam veris. Tum verò potest contingere, vt respondens ex propositionibus falsis, quæ illi videntur veræ, non solum non adiuuetur ad sustinendam conclusionem falsam, sed potius persuadeatur de contradictorio talis conclusionis, quod est verum.

7 *Oportet autem eum, qui bene transfert, dialectice, & non contentiose transferre, vt geometram geometricè, siue falsum, siue verum sit, quod concludendum est. Quales autem dialectici syllogismi, dictum est prius.*

8 *Quoniam autem malus particeps, qui impedit commune opus, patet quòd & in orationibus. Nam commune quiopiam quod proponitur & in illis est, præterquam in concertantibus. His autem non est eundem vtrisque finem assequi. Nam plures vno impossibile est vincere.*

9 *Differt autem nihil siue in respondendo, siue id interrogando fiat. Nam & qui contentiose interrogat, praue disputat, & qui in respondendo non dat, quod videtur, neque suscipit quicquam, quod vult interrogans interrogare.*

10 *Manifestum igitur ex ijs, quæ dicta, quòd non similiter inculpandum, & secundum seipsam orationem & interrogantem. Nam nihil prohibet orationem quidem prauam esse, interrogantem vero, vt possibile est, optime contra respondentem disceptare. Nam contra proteruos non possibile fortasse statim sumere quales quis vult, sed quales fieri possibile faciendi syllogismi.*

11 *Quoniam autem est indeterminatum, quando contraria, & quando ea, quæ sunt in principio sumunt homines (nam plerunque per seipsos dicentes contraria dicunt, & abnuentes prius, dant posterius, eo quòd interroganti, & contraria, & quæ in principio, plerunque obediunt) necesse est prauas fieri disputationes. Causa autem est, qui respondet, hæc quidem non dans, illa autem talia dans. Manifestum igitur, quoniam non similiter inculpandum, & interrogantes, & orationes.*

7 Docet tertio Aristoteles, quod etiam quando arguentes debent diuertere à principali proposito, & quando debent probare falsum, & ex falsis, adhuc debent conari, vt semper vtantur rationibus dialecticis, atque ex probabilibus. Sicut enim Geometra semper debet ratiocinari geometricè, sic dialecticus semper debet ratiocinari dialecticè, seu verum, seu falsum sit illi concludendum. Quæ autem sint ratiocinationes dialecticæ, explicatum est lib. 1. cap. 10.

8 Docet quarto, quod non eodem pacto, quo quis est malè disputans in disputatione dialectica, est etiam malè disputans in disputatione concertatoria. Probatur, & explicatur: malus enim socius est, qui impedit, ne opus commune bene fiat; sed opus, ac finis communis dialecticè disputantium est, vt bene, ac dialecticè disputetur de conclusione proposita; ergo qui impedit, ne bene, ac dialecticè disputetur de con-

conclusione proposita, malè disputat. E conuerso in disputatione concertatoria vterque concertantium habet pro fine, vt vincat aduersarium; sed impossibile est, vt vterque vincat; ergo disputantes in disputatione concertatoria non habent pro fine opus commune; ergo in hoc genere disputationis tum quis malè disputat, cum vincitur, tum bene disputat, cum vincit.

9 Docet quinto, quod in disputatione dialectica tum arguens, tum respondens potest esse causa, cur male disputetur, adeoque potest esse reprehensibilis: arguens quidem si non interroget, & assumat ea, quæ sunt interroganda, & assumenda ad probandum propositum; respondens verò, si non admittat ea, quæ sunt admittenda.

10 Ex his Aristoteles rursus confirmat principalem conclusionem, quod nimirum non idem sit, quod ratiocinatio sit mala, & reprehensibilis, ac quod sit mala, & reprehensibilis relatè ad arguentem. Potest enim contingere, vt disputatio sit mala, & reprehensibilis, & tamen arguens optimè disputet, adeoque sit laudabilis: probatur antecedens, nam si defendens malè respondeat, eo ipso disputatio, quæ est opus commune argumentantis, ac defendentis, erit mala, & tamen poterit contingere, vt arguens optimè argumentetur ad hominem contrà respondentem, quia licet non assumat propositiones, quæ deberent assumi, siquidem respondens impedit, adhuc assumit propositiones optimas, quas potest cõtrà respondentem assumere.

11 Confirmatur vlterius, quia aliquando arguens interrogat alijs verbis idem, quod sumpsit prius, aliquando interrogat contrarium ei, quod sumpsit prius, respondens verò non aduertens hoc, postquam concessit vnum, negat idem, & postquam concessit vnum contrarium, admittit etiam aliud contrarium, & tum malè procedit disputatio, dum non apparet, quid concedatur, & quid negetur; causa autem, cur malè procedat disputatio, est respondens inconsequenter concedens contraria, & negans, quæ se mutuo consequuntur; ergo tum diputatio est mala, non quidem vitio arguentis, sed respondentis, adeoque aliud est, quod disputatio sit mala, & reprehensibilis secundum se, aliud quod sit mala vitio arguentis.

Ex quibus capitibus ratiocinatio sit reprehensibilis, vel non sit reprehensibilis, tum secundum se, tum relatè ad problema. Cap. IV. Art. III.

12 *ORationis autem secundũ seipsas quinque sunt inculpationes. Prima quidẽ, quando ex interrogatis non concluditur neque quod propositum est, neque omnino quicquam, cùm sint vel falsa, vel inopinabilia, aut omnia, aut plurima, in quibus consistere debet conclusio, & neque ablatis quibusdam, neque additis, neque his quidem ablatis, illis vero additis, fit conclusio.*

13 *Secundo autem, si ad positionem non fiat syllogismus, & ex talibus, & eo modo, quo dictum est prius.*

14 *Tertia vero, si additis quibusdam fiat syllogismus, hæc autem sint deteriora ijs, quæ interrogantur, & minus probabilia con-*
15 *clusione. * Etiam si ablatis quibusdam, nam quandoque sumunt plura necessarijs: quare non eo, quòd hæc sunt, fit syllogismus.*

16 *Amplius si ex inopinabilioribus, & minus credibilibus conclusione, aut si ex veris, sed maiore opera indigentibus demonstrari, quàm problema.*

17 *Non oportet autem ex omnibus problematis syllogismos existimare similiter probabiles esse, & suasibiles. Natura enim statim sunt aliqua quidem faciliora, alia vero difficiliora eorum, quæ interrogantur. Quare si ex aliquibus vt fieri potest maxime probabilibus, coniecturam fecerit, disputatum bene est.*

HActenus Aristoteles docuit, ac probauit non idem esse, quod ratiocinatio sit reprehensibilis secundum se, ac quod sit reprehensibilis relatè ad arguentem: explicat iam, ex quibus capitibus ratiocinatio sit reprehensibilis, vel non sit reprehensibilis secundũ se, vel relatè ad problema. Primo ergo enumerat quinque capita, ex quibus ratiocinatio secundum se est reprehensibilis: secundo ostendit aliquam ratiocinationem posse esse reprehensibilem secundum se, relatè verò ad problema non esse reprehensibilem; tertio probat

bat aliquam ratiocinationem, quæ concludit, posse esse deteriorem aliqua alia, quæ non concludit: quarto probat non semper esse reprehensibilem ratiocinationem, quæ concludit verum ex falsis: quinto distinguit quatuor genera syllogismorum: sexto examinat quæstionem, an conclusio sequatur in probabilitate omnes præmissas, vel alteram tantum: septimo proponit aliud vitium ratiocinationis probantis per plura, quod potest probari per pauciora.

12 Quoad primum: ex quinque capitibus ratiocinationes, quæ adhibentur in disputatione dialectica, possunt reprehendi: primo, quia præmissæ, quæ per interrogationem assumuntur ex parte materiæ sunt falsæ, vel inopinabiles omnes, vel pleræque, & quoad formam nihil concludunt, neque ex his fit vllus syllogismus, etiam quibusdam superfluis detractis, vel additis aliquibus necessarijs, quæ subintelligi possunt.

13 Secundo potest ratiocinatio reprehendi, quia licet ex assumptis præmissis aliquid concludatur, non concluditur propositum, & præterea præmissæ sunt falsæ, & improbabiles.

14 Tertio potest ratiocinatio vt diminuta reprehendi, quia licet additis quibusdam, concludat propositum, tamen hæc, quæ debent addi, sunt minus nota præmissis assumptis, & minus probabilia conclusione probanda.

15 Quarto potest reprehendi vt redundans ratiocinatio, quia sumit plura, quam sint necessaria ad conclusionem inferendam, ideoque licet conclusio sequatur, non sequitur ex his omnibus, quæ sunt assumpta, sed ex aliquibus tantum.

16 Quinto demum potest reprehendi ratiocinatio, quia licet concludat propositum, concludit illud ex improbabilioribus, & minus credibilibus, quam conclusio, vel si concludit ex veris, concludit ex præmissis, quæ difficilius probantur, quam ipsa conclusio.

17 Quia verò posset aliquis existimare, quod omnium syllogismorum præmissæ debent esse æquè probabiles, reijcit hunc errorem Aristoteles, ac docet, quod sicut quædam problemata sunt faciliora, quædam difficiliora, sic quædam debent concludi ex propositionibus probabilioribus, quædam ex minus probabilibus, adeoque non semper sunt reprehendendæ ratiocinationes, eo quod non attingant aliquem gradum probabilitatis. Qui enim probat vnamquamque conclusionem ex propositionibus maximè probabilibus, ex quibus probari possit talis conclusio, bene disputat, ac bene probat dictam conclusionem, adeoque laudandus est, non reprehendendus.

18 *Manifestum igitur, quoniam orationis non eadem inculpatio, & ad problema, & secundum se. Nam nihil secundum se quidem orationem prohibet esse vituperabilem, ad problema autem laudabilem: & rursum è diuerso secundum se quidem laudabilem, ad problema autem vituperabilem, quando ex pluribus est facile cum probabilibus, tum veris concludere.*

19 *Erit autem quandoque oratio etiam concludens, quàm non concludens deterior, quando illa quidem ex absurdis concludit, cùm non sit tale problema, hæc autem indigeat talibus, quæ sunt probabilia & vera, & nondum ex assumptis sit oratio.*

20 *Eos autem, qui per falsa verum concludunt, non iustum est inculpare. Nam falsum quidem semper necesse est per falsa syllogizare, verum autem est quandoque per falsa syllogizare: manifestum autem id ex analyticis. Cùm autem demonstratio sit alicuius dicta oratio, si aliquid est aliud, quod ad conclusionem nullo modo se habet, non erit ex illo syllogismus: si autem appareat, sophisma erit, non demonstratio.*

21 *Est autem philosophema quidem, syllogismus demonstratiuus: epichirema autem, syllogismus dialecticus: sophisma vero, syllogismus contentiosus: aporema autem syllogismus dialecticus contradictionis.*

18 Quoad secundum: non eadem est reprehensibilitas ratiocinationis secundum se consideratæ, ac eiusdem consideratæ in ordine ad problema. Patet: potest enim contingere, vt aliqua ratiocinatio secundum se quidem sit vituperabilis, relatè verò ad problema sit laudabilis; & potest è conuerso contingere, vt aliqua ratiocinatio secundum se sit laudabilis, relatè verò ad problema sit vituperabilis; ergo &c. Probatur antecedens: nam ratiocinatio constans ex improbabilibus, sed minus improbabilibus, quam conclusio, secundum se

qui-

quidem est vituperabilis, vtpote procedens ex improbabilibus, relatè verò ad conclusionem est laudabilis, vtpote procedens ex minus improbabilibus, quam conclusio, & ex probabilissimis, quibus possit talis conclusio probari. Rursus si quis conclusionem probabilem probet ex probabilibus, sed omittés probationes multo meliores,& probabiliores, ratiocinatio secundum se erit laudabilis, vtpote procedens ex probabilibus, relatè verò ad conclusionem erit vituperabilis, cum talis conclusio posset multo melius probari, & ex multo probabilioribus.

19 Quoad tertium: potest contingere, vt ratiocinatio, quæ concludit, sit multo deterior ratiocinatione, quæ non concludit, si nimirum ratiocinatio concludens, ex præmissis absurdis concludat problema, seu positionem non absurdam, ratiocinatio verò non concludens talis sit, vt addendo aliqua probabilia, & vera, quæ adhuc non sunt assumpta, possit conclusionem inferre.

20 Quoad quartum: non semper est reprehensibilis ratiocinatio, quæ concludit verum ex falso. Nam licet falsa non possint inferri nisi ex falsis, adhuc vera possunt inferri, non solum ex veris, sed etiam ex falsis, vt dictum est lib.2. Prior. cap.2; ergo cum aliquod falsum est probabile, & probabilius aliquo vero, potest per ipsum probari conclusio vera.

21 Quoad quintum: differunt demonstratio, quæ vocari potest philosophema, syllogismus sophisticus, qui vocari potest sophisma, syllogismus dialecticus inquisitiuus, qui vocari potest epicherema, & syllogismus dialecticus contradictionis, qui vocari potest aporema. Demonstratio, seu philosophema est *syllogismus constans ex veris &c*, vt dictum est lib.1. Poster.cap.2. Si verò assumatur aliqua propositio, quæ non sit connexa cum conclusione, non spectabit ad syllogismum. Sophisma est *syllogismus constans ex præmissis ex quibus videtur sequi conclusio, sed non sequitur*. Epicherema est *syllogismus ex probabilibus, quo vtuntur dialectici ad inueniendam veritatem*. Aporema demum est *syllogismus contradictionis, quo vtuntur dialectici, dum respondentes proteruiunt, & non bene respondent*.

22 *Si verò ex vtrisque, quæ videantur, aliquid ostendatur, non autem similiter videantur, nihil prohibet quod ostenditur magis altero videri. Sed si hoc quidem videatur, illud autem neutra parte, aut si hoc quidem videatur, illud autem non videatur, similiter quidem similiter vtique erit, & non: si autem magis alterum, sequetur quod est magis.*

23 *Est autem quoddam, & idem ad syllogismos peccatum, quando ostenditur per longiora, quod contingit per breuiora, & quæ orationi adsunt. Vt quòd est opinio magis altera, quàm altera, si quis petat ipsum quodque maxime esse: esse autem opinabile, ipsum quod vere est: quare quorundam magis esse ipsum. ad quod autem magis, magis dicitur esse: esse autem & ipsam opinionem veram. An erit accuratius, quam par sit exigens quadam? Petitum est autem, & ipsam opinionem veram esse, & ipsum quodque maxime esse, ac si ipsa opinio vera certior sit. Sed quæ nequitia maior, quam quæ facit circa id, cuius est oratio, latere causam?*

22 Quoad sextum: potest quæri, vtrum conclusio sequatur in probabilitate omnes præmissas, vel alteram tantum. Dicendum, quod si conclusio consideretur secundum se, & non prout habet solum probabilitatem à præmissis, potest conclusio esse magis probabilis alterutra, & vtraque præmissa; si verò conclusio consideretur, in quantum accipit totam probabilitatem à præmissis, si altera præmissa sit probabilis, altera neutra, vel altera præmissa sit probabilior, altera minus probabilis, cõclusio se habebit, sicut præmissa neutra, vel minus probabilis; si vtraque præmissa sit neutra, vel improbabilis, conclusio se habebit, sicut præmissa magis neutra, vel magis improbabilis, & vniuersim conclusio semper sequetur debiliorem partem.

23 Quoad septimum: potest etiam in ratiocinatione peccari, probando per plura, quod posset æquè bene concludi per pauciora, ac non extranea. Huiusmodi esset ratiocinatio, qua quis sic probaret opinionem suscipere magis, & minus, adeoque opinionem certiorem esse magis opinioné, quam minus certam. Quod est ipsummet in aliquo genere, est maximè tale in eo genere, ex. gr. ipsummet bonum ideale est maximè bonum; sed datur aliquid, quod est ipsummet opinabile; ergo datur aliquid, quod est maximè opinabile; sed quod dicitur

citur maximè tale, dicitur comparatiuè ad aliqua minus talia; ergo datur aliquid magis opinabile alio opinabili; sed etiam datur aliqua opinio, quæ est ipsamet opinio; ergo vna opinio est magis opinio, quam alia, & quæ per se, & maxime est opinio, est magis opinio, quam quæ non per se est opinio. Hæc ratiocinatio est vitiosa, & redundans. Ad concludendum enim sufficiunt duæ propositiones ex assumptis, nimirum, *omne, quod per se ipsum est tale, est maximè tale, & magis, quam quæ non sunt talia per se ipsa; sed aliqua opinio est per se ipsam opinio; ergo aliqua opinio est magis opinio, quam alia; ergo opinio suscipit magis, & minus*: frustrà igitur additæ sunt aliæ propositiones de opinabili &c: ex additione autem talium propositionum ratiocinatio fit vitiosa, quia non apparet, quæ propositiones sint causæ, vt sequatur conclusio, quæ autem sint superfluæ.

De modis, quibus ratiocinatio est perspicua, vel falsa; ac de modis, quibus petitur principium, vel contrarium. Capitis IV. Articulus IV.

24 *ORatio autem est manifesta vno quidem modo, & publicissimo, si sit concludens sic, vt nihil oporteat interrogare: vno autem, & qui maxime dicitur, cum sumpta quidem sint ex quibus necessarium est conclusionem esse, quæ quidem sint per conclusiones conclusa, etiamsi id omittitur, quod valde probabile est.*

25 *Falsa autem oratio vocatur quadrupliciter. Vno quidem modo, quando apparet concludere, quæ non concludit: vocatur autem apparens litigiosus syllogismus. Alio modo, quando concludit quidem, non tamen ad propositum, quod accidit maxime in ijs, quæ ad impossibile ducunt. Aut ad propositum quidem concludit, non tamen secundum propriam disciplinam: hoc autem est, si ea, quæ non est medicinalis, videatur esse medicinalis, aut geometrica, quæ non est geometrica, aut dialectica, quæ non est dialectica, siue verum, siue falsum sit, quod accidit. Alio autem modo, si per falsa concludit: huius autem erit quandoque quidem conclusio falsa, quandoque autem vera: nam falsum quidem semper per falsa concludit, verum autem possibile est, & non per vera; vt dictum est prius.*

26 *Quod autem falsa sit oratio, dicentis peccatum potius est, quàm orationis: at neque quidem dicentis semper, sed cùm lateat ipsum, quod falsam orationem dixit aliquā, eo quod ab ipso suscipimus cum pluribus veris quippiam amplius.*

27 *Si ex ijs, quæ maxime videntur interimit aliquid verorum (talis enim existens, verorum demonstratio est) oportet sanè positorum aliquid non esse omnino: quare erit huius demonstratio.*

28 *Si autem verum concludat per falsa, & valde absurda, compluribus deterior erit, quæ falsum syllogizant. Erit autem talis, & quæ falsum concludit.*

29 *Quare manifestum, quòd prima quidem consideratio orationis secundum seipsam est, si concludit: secunda autem, vtrum verum, an falsum: tertia vero, ex qualibus quibusdam. Nam si ex falsis quidem, opinabilibus autem, rationabilis: si autem existentibus quidem, sed inopinabilibus, praua: si vero & falsa, & valde inopinabilia sint, dilucidum quod praua, aut simpliciter, aut ad rem. Id autem, quod in principio, & contraria, quonam pacto peteret interrogans, secundum veritatem quidem in analyticis dictum est, secundum opinionem vero nunc dicendum est.*

QVia ratiocinatio solet etiam reprehendi, vt non perspicua, vt falsa, vt inuoluens petitionem principij, & vt inuoluens contraria, ideo Aristoteles, vt absoluat tractatum de vitijs, ac defectibus ratiocinationis dialecticæ, explicat primo, quot modis ratiocinatio fit perspicua: secundo, quot modis fit falsa: tertio, quot modis petat principium: quarto, quot modis petat contrarium.

24 Quoad primum: ratiocinatio tribus modis dicitur perspicua. Primus, & notissimus modus est: ratiocinatio est perspicua, cum ita concludit, vt nihil aliud præter ea, quæ sunt assumpta, debeat interrogari, vel assumi, vt inferatur conclusio. Secundus modus est, cum sunt assumptæ præmissæ, ex quibus necessario sequitur conclusio, sed tales præmissæ probatæ sunt per syllogismum ex alijs præmissis. Tertius modus est, cum deest aliqua præmissa, quæ tamen est valde probabilis, vt contingere solet in enthymemate.

Quoad

25 Quoad secundum: ratiocinatio quatuor modis dicitur falsa: primo cum videtur concludere, sed non concludit, & talis ratiocinatio vocatur syllogismus litigiosus: secundo cum concludit, sed non concludit intentum, quod vitium præsertim solet dari in ratiocinationibus per impossibile: sæpe enim impossibile sequitur quidem, sed non ex contradictorio eius, quod intendimus probare: tertio cum concluditur propositum, sed non concluditur eo pacto, quo debet concludi in propria disciplina: ex. gr. ratiocinatio, qua quis probat conclusionem geometricam non geometricè dicitur ratiocinatio falsa. Proportionaliter dicitur falsa ratiocinatio, qua quis probat conclusionem dialecticam non dialecticè, conclusionem medicinalem non medicinaliter. Quarto dicitur ratiocinatio falsa, quæ concludit quidem, sed per præmissas falsas. Porro ex præmissis falsis possumus inferre tum conclusionem falsam, tum conclusionem veram. Licet enim falsum non possit inferri, nisi ex falsis, adhuc verum non solum potest inferri ex veris, sed etiam ex falsis, vt dictum est lib. 2. Prior. cap. 2.

26 Addit Aristoteles, quod hoc, quod est ratiocinationem esse falsam quarto modo, in quantum concludit ex præmissis falsis, non tam est vitium ratiocinationis, quam eius, qui tali ratiocinatione vtitur: imo aliquando nec est vitium eius, qui vtitur tali ratiocinatione. Ratio est, quia tum solum peccat qui vtitur ratiocinatione ex præmissis falsis, cum non aduertens, quod tales præmissæ sunt falsæ, eligit illas vt veras; si autem aduertens aliquas præmissas esse falsas, sed esse probabiliores aduersario alijs præmissis veris, eligit falsas præ veris, non peccat, sed est laudandus, cum dialecticè argumentetur.

27 Confirmatur, quia aliquando debemus argumentari contra conclusionem veram, adeoque debemus inferre conclusionem falsam; sed conclusio falsa non potest probari ex omnibus præmissis veris; solum enim verum potest demonstrari ex omnibus præmissis veris, quod est *simpliciter demonstrari*; ergo tum optimè probabimus, ac demonstrabimus secundum quid talem conclusionem falsam ex præmissis falsis, quæ sunt probabiliores veris, adeoque tum ratiocinatio ex falsis neque est vitiosa secundũ se, neque nos peccabimus, si tali ratiocinatione vtemur.

28 Quod si aliqua ratiocinatio non solum concludat verum ex falsis, sed etiam ex valde absurdis, tum talis ratiocinatio, non solum erit vitiosa, sed erit multo deterior illis, quæ concludunt verum ex falsis vtcunque: & quia multæ ratiocinationes concludentes ex falsis, concludunt etiam ex improbabilibus, atque absurdis, ideo multæ ratiocinationes concludentes ex falsis sunt vituperabiles, ac vitiosæ.

29 Ex his patet, quæ sint circa ratiocinationem consideranda, vt illam probemus, vel reprehendamus. Primo considerandum est, an concludat: secundo vtrum concludat verum, vel falsum: tertio ex quibus præmissis concludat, ex verisne an falsis: quarto si ex falsis, an ex probabilibus, vel ex improbabilibus. Si enim concludat ex falsis, sed probabilibus, adhuc ratiocinatio potest esse probabilis, & tolerabilis; si verò concludat ex improbabilibus, manifestum est, quod est praua, vel simpliciter, vel in subiecta materia, cum non sit dialectica.

30 *Petere autem videntur id, quod est in principio quinque modis. Manifestissimo quidem, & primo, si quis idipsum, quod monstrari oporteat, petat. Hoc autem in eo ipso quidem non facile latere potest, in synonymis autem, & in quibuscunque nomen, & oratio idem significat, magis.*

31 *Secundo autem quando quod particulariter oporteat demonstrare, vniuersaliter quis petat vt qui argumentatur, quòd contrariorum vna disciplina, omnium oppositorum postulauerit vnam esse. Nam videtur, id quod oportebat secundum se ostendere, cum alijs petere pluribus.*

32 *Tertio si quis quod vniuersaliter est ostendere propositum, particulariter petat. Vt si de omnibus contrarijs propositum est, de aliquibus postulet Videtur enim hic, quod cum pluribus oportebat ostendere secundum se, extra petere.*

33 *Rursus, si quis diuidens petat problema: vt si oportet ostendere medicinam sani & ægri, extra vtrunque postulet.*

34 *Aut si quis eorum, quæ sequuntur se inuicem ex necessitate, alterum petat: vt latus incommensurabile esse diametro, si oporteat ostendere, quòd diameter lateri.*

30. Quoad tertium: lib. 2. Prior. cap. 21. expli-

explicatum est, quot modis verè petatur principium. Nunc igitur solum remanet explicandum, quot modis petatur principium secundum opinionem, & apparentiam. Videtur igitur, quod quinque modis potest peti principium, seu id, quod est in quæstione. Primus, & manifestissimus modus est, cum petitur, vt concedatur illud ipsum, de quo est quæstio. Et quidem cum petitur sub ijsdē nominibus, manifesta est petitio principij; at cum quod positum est in quæstione sub vno nomine, petitur sub alio nomine, vel quod est in quæstione sub nomine, petitur, vt concedatur sub oratione, tum non est ita manifesta petitio principij.

31 Secundus est, cum quis debet demonstrare aliquid minus vniuersale, & petitur aliquid magis vniuersale, ex. gr. cum quis, vt ostendat *contrariorum esse eamdem disciplinam*, petit sibi concedi *oppositorum esse eamdem disciplinam*, videtur petere principium. Videtur enim petere, vt concedatur non solum id, quod debet probare, sed alia plura.

32 Tertius est, cum quis debet ostendere aliquid vniuersale, & petit, vt sibi concedatur aliquid particulare contentum sub illo vniuersali, videtur petere principium: ex. gr. cum quis debet ostendere contrariorum esse eamdem disciplinam, & petit, vt sibi concedatur sani, & ægri esse eamdem disciplinam, videtur petere principium; hoc enim ipsum est vnum ex ijs, quæ debet cum alijs probare.

33 Quartus modus est: si quis debet probare problema compositum, & petat illud sibi concedi per partes: ex. gr. si debet probare medicinam esse sani, & ægri, & petat sibi seorsim concedi, quod medicina est sani, & quod etiam est ægri.

34 Quintus modus est: si debens probare aliquid, petat, vt sibi concedatur aliud, ex quo illud sequitur necessario per quandam conuertentiam: ex. gr. si debeat probare, quod diameter quadrati est incommensurabilis costæ, & petat sibi concedi, quod costa est incommensurabilis diametro.

35 *Aequaliter autem & contraria petunt ei, quod ex principio est. Nam primo quidem si quis opposita petat secundum affirmationem, & negationem.*

36 *Secundo autem contraria secundum oppositionem: vt bonum, & malum idem.*

37 *Tertio vero, si quis vniuersaliter postulans, particulariter petierit contradictionem. Vt si quis sumens contrariorum vnam disciplinam, sani & ægri alteram esse petat;*

38 ** aut si hoc petens, in vniuersali oppositionem tentet sumere.*

39 *Rursum si quis petat contrarium ei, quod ex necessitate accidit per ea, quæ posita sunt: & si quis ea quidem non sumat, quæ opposita, at alia petat duo, ex quibus erit opposita contradictio.*

40 *Differt autem contraria sumere tantillum ab eo, quod est in principio, quoniam huius quidem est peccatum ad conclusionem (nam ad illam aspicientes, quod in principio est dicimus petere) contraria autem sunt in propositionibus, eo quòd ipsæ aliquo modo se habent ad inuicem.*

35 Quoad quartum: totidem quinque modis possunt peti contraria. Primus modus est, si postquam quis posuerit vnam partem contradictionis, petat alteram. Quod hoc pacto petantur contradictoria sub ijsdem terminis raro contingit, sed frequentius accidit, vt petantur sub terminis diuersis.

36 Secundus modus est, si postquam quis posuerit vnum contrarium, petat aliud, saltem sub diuersis vocibus: ex. gr. si postquam petijt quis, vt concedatur aliquid esse bonum, petat sibi concedi, quod illud ipsum est malum.

37 Tertius modus est, si postquam posuerit quis in vniuersali vnam partem contradictionis, petat alteram in particulari: ex. gr. si postquam petierit sibi concedi, quod omnium contrariorum est eadem disciplina, petat sibi concedi, quod sani, & ægri non est eadem disciplina.

38 Quartus modus est, cum postquam quis sumpsit aliquid in particulari, petit sibi concedi contradictorium in vniuersali: ex. gr. si postquam sumpsit, quod sani, & ægri est eadem disciplina, petat sibi concedi, quod nullorum contrariorum est eadem disciplina; vel si quis postquam sumpserit aliquas præmissas, ex quibus necessario sequitur aliqua conclusio, petat oppositum talis conclusionis.

39 Quintus modus est, si quis non petat quidem duo contraria, sed petat aliqua, ex quibus sequatur contrarium eorum, quæ posita sunt.

Con-

40 Concludit Aristoteles comparando inter se petitionem principij, ac petitionem contrarij. Petitio principij habet respectum ad conclusionem probandam. Cum enim quis petit sibi concedi id, quod debet probare, petit principium. At petitio contrarij habet respectum ad propositiones assumptas. Est enim petitio contrarij, cum quis petit oppositum earum propositionum, quas iam interrogando assumpsit.

Traduntur præcepta de exercitatione dialectica. Cap. IV. Art. V. & vlt.

41 *AD gymnasiam autem, & exercitationem talium orationũ, primum quidem conuertere assuescere oportet orationes. Sic enim & ad id, quod dicitur, copiosius nos habebimus, & in paucis, plures sciemus orationes. Nam conuertere est transumentem conclusionem cum reliquis interrogationibus interimere vnum quippiam eorum, quæ dicta sunt: necesse est enim, si conclusio non est, vnam aliquam interimere propositionem, siquidem omnibus positis necesse erat conclusionem esse.*

42 *Ad omnem autem positionem, & quod sic, & quod non sic, argumentum considerandum & cùm inueneris, solutionem statim quærendum: sic enim simul accidet, & ad interrogandum & ad respondendum exerceri. Et si ad nullum alium habemus, apud nosipsos sensim comparanda sunt, quæ attinent ad ipsam positionem argumenta. Nam id ad cogendum multam copiam præbet, & ad redarguendum magnum habet adiumentum, quando quispiam promptus est argumentari, & quòd sic, & quòd non sic. Nam ad contraria accidit facere obseruationem, & ad cognitionem, & ea, quæ secundum philosophiam est, peritiam posse conspicere, & conspexisse, quæ ab vtraque accidunt suppositione, non paruum instrumentum: reliquum enim horum rectè eligere alterum. Oportet autem ad id, quod tale est esse bono ingenio: & hoc est secundum veritatem bonum ingenium, posse bene eligere verum, & diffugere falsum: quod qui nati sunt bene, possunt probe facere: nam qui amant, & qui odiunt, quod profertur, facile discernunt optimum.*

QVia non sufficit scire artis præcepta, nisi quis in opere artis se exercuerit, ideo postquam Aristoteles explicauit loca, ex quibus possint desumi argumenta pro construendis, ac destruendis dialecticis problematibus, ac præterea docuit modum bene disputandi, argumentandi, ac defendendi, subdit præcepta se exercendi, vt exercitatione addita arti, possit quis perfectus fieri dialecticus.

41 Primo ergo dialecticus debet se exercere in syllogismorum conuersione. Est autem syllogismorum conuersio, per quam ex opposito conclusionis, & altera præmissa euertitur reliqua, vt explicatum est lib. 2. Priorum cap. 8. num. 1. Cum enim si omnes præmissæ sunt veræ, necesse sit conclusionem esse veram, necessarium è conuerso est, vt si conclusio sit falsa, aliqua præmissarum sit falsa, vt ibidem explicatum est. Vtilitas autem se exercendi in conuersione syllogismorum est duplex. Prima est, quia cum sit facilius construere syllogismum ostensiuum, quam conuersiuum, qui præter ostensiuum includit etiã alios syllogismos, si per exercitium acquisiuerimus facilitatem conuersiuè syllogizandi, multo maiorem facilitatem obtinebimus ad syllogizandum ostensiuè. Secunda est, quia ex paucis propositionibus, ac terminis, poterimus facere plures syllogismos, siquidem & ex præmissis inferemus conclusiones per vnum syllogismum, & ex opposito conclusionis inferemus oppositum præmissarum per alios duos syllogismos.

42 Secundo debet dialecticus quærere argumenta pro vtraque parte problematis, pro affirmatiua nimirum, & negatiua, argumentis verò inuentis debet vlterius quærere solutionem: sic enim exercitatione comparabit simul facilitatem argumentandi, ac defendendi. Quod si non habeat socium, debet se exercere cum semetipso, quærens argumenta pro vtraque parte, eaque conferens inter se; hoc enim multum conferet adiumenti tum ad defendendum, tum ad argumentandum; ad defendendum quidem, si præuiderit rationes pro vtraque parte; ad argumentandum verò, siquidem erit assuetus, & promptus ad probandam partem tum affirmatiuam, tum negatiuam. Præterea præuidere, & præuidisse rationes pertinentes ad vtramque partem problematum, magnum conferet adiumentum

ad

ad cognitionem veritatis, quam Philosophia intendit: si quidem præmissis rationibus pro vtraque parte, reliquum solum est, vt eligat quis alteram partem, ac veritatem determinet. Ad hoc verò, vt quis visis rationibus pro vtraque parte, possit bene determinare veritatem, requiritur, vt sit naturaliter ingeniosus. Porro *esse ingeniosum*, nihil aliud est, quam posse bene eligere verum, & fugere falsum. Qui enim sunt bene constituti, possunt bene facere operationes proprias suæ naturæ; sed proprium hominis est veritatem discernere; ergo qui sunt ingeniosi, & bene constituti secundum vim intelligendi, possunt bene verum à falso discernere. Amant enim verum, & oderunt falsum, & ita prolatis rationibus pro vtraque parte, possunt discernere verum, illudque sectari.

43 *Et ad ea, quæ sæpissimè incidunt problemata, scire oportet orationes, & id maximè de primis positionibus. Nam in his fastidiunt sæpe qui respondent.*

44 *Amplius terminorum copiosos esse oportet, & probabilium, et primorum se habere promptos. Nam per hæc fiunt syllogismi.*

45 *Tentandum autem et ea, in quæ sæpissime incidunt disputationes, tenere. Nam quemadmodum in geometria ante opus est circa elementa exercitatum esse, & in numeris circa capitales prompte se habere, & multum refert ad hoc, & alium numerum cognoscere multiplicatum, similiter quoque, & in orationibus promptum esse ad principia, & propositiones memoria scire oportet. Nam perinde ac in memoriæ sensorio solum loci positi statim faciunt ipsas res memorare, & hæc faciunt ad ratiocinandum promptiorem, eo quòd ad determinatas illas inspiciat secundum numerum.*

46 *Propositionemque communem magis, quam positionem in memoria ponendum. Nam principiorum, & suppositionum copiosum esse mediocriter, difficile.*

43 Tertio debet dialecticus, præsertim se exercere circà problemata, de quibus sæpissimè accidit disputatio, & circa quasdam primas positiones; de his enim sæpissimè oritur controuersia.

44 Quarto debet curare, vt abundet definitionibus, tum probabilium, tum primorum, cum ex definitionibus fieri soleant syllogismi.

45 Quinto conandum est, vt bene teneamus quædam, in quæ sæpissimè solent resolui disputationes. Sicut enim necesse est, vt geometra sit exercitatus, ac promptus circà demonstrationes elementares, eo quod aliæ demonstrationes resolui soleant ad demonstrationes elementares: & sicut necesse est, vt arithmeticus sit optimè exercitatus circà multiplicationes primorum decem numerorum, qui vocantur capitales, eo quod prompta cognitio de multiplicationibus numerorum capitalium valde confert ad cognoscendas multiplicationes aliorum numerorum; sic dialecticus debet promptè tenere principia, & propositiones, quæ sunt veluti elementa dialecticarum ratiocinationum. Confirmatur: nam sicut in memoria sunt quædam loca, ad quæ respicientes, reminiscimur, vt dicetur libro de memoria, & reminiscentia; ex contrario enim reminiscimur contrarij, ex coniugato reminiscimur coniugati &c, sic quædam sunt propositiones, ex quarum consideratione nobis ratiocinationes occurrunt; istæ autem propositiones sunt paucæ, sed ad illas paucas respicientes, poterimus facile de multis ratiocinari.

46 Sexto debemus conari, vt potius in memoria habeamus propositiones consuetas, & loca communia, quam integras ratiocinationes. Ratio est, quia posito, quod non possimus memoria tenere, nisi pauca, debemus memoria retinere ea, quæ pluribus deseruiunt; sed propositiones, & loca communia deseruiunt ad plures ratiocinationes; ergo præcipuum studium adhibendum, vt loca communia, & propositiones communes teneamus.

47 *Amplius orationem vnam plures facere assuescendum, velut ij, qui occultissime abscondunt. Tale autem erit, si quis, quàm plurimum abscedat ab affinitate eorum, de quibus est oratio. Erunt autem priores orationum vniuersales maximè, quæ id pati possint, vt quoniam non est vna plurium disciplina: sic enim & in ijs, quæ sunt ad aliquid, & in contrarijs, & coniugatis est. Oportet autem & reminisci vniuersales facere orationes, tametsi fecerit disputans particulariter: sic enim & plures licebit vnam facere. Similiter autem & apud Rhetores in enthymematibus.*

Eun-

Eundem autem quàm maximè fugere contra vniuersale ferre syllogismos.

48 *Et semper oportet considerare orationes, si in pluribus communibus disputantur. Nam omnes particulares in vniuersali disputatæ sunt, & inest in particularibus eius, quod est vniuersale, demonstratio, eo quòd non est syllogizare quicquam sine vniuersali.*

49 *Exercitatio autem facienda, inductiuarum quidem ad rudem, syllogisticarum autem ad expertum. Et tentandum accipere ab ijs quidem, qui in syllogismis triti sunt, propositiones, ab ijs vero, qui in inductionibus, similitudines. In hoc enim vtrique exercitati sunt.*

47 Septimo debemus assuescere, vt ex vna ratiocinatione possimus facere plures. Hoc autem faciemus, si sumpserimus propositiones maximè vniuersales, & remotissimas à proposito, sicut illi faciunt, qui volunt cælare, quod intendunt, vt explicatum est cap. 1. & 2. Ex. gr. si quis sumpserit hanc propositionem, *vna disciplina non est plurium*, poterit illam in plurimas propositiones diuidere, ex eaque plurimas ratiocinationes facere: vna enim disciplina non est plurium; contraria sunt plura; ergo contrariorum non est vna disciplina; relatiua, coniugata sunt plura; ergo &c. Ad hunc autem scopum, etiam quando aliquam quæstionem tractamus particulariter, debemus illam reducere ad loca vniuersalia: nam sic poterimus ex vno plura facere, sicut etiam rhetores ad eamdem facilitatem comparandam, cum enthymemata faciunt ex particularibus, debent respicere ad loca vniuersalia. Debet autem euitare, ne argumentetur contra propositiones vniuersales, si quidem hæ difficile probantur, & improbantur.

48 Octauo cum audimus ratiocinationes, considerandum est, an tales ratiocinationes contineantur etiam in aliqua ratiocinatione communiori. Sæpe enim multæ ratiocinationes particulares continentur in aliquo vniuersali, & sæpe multa particularia demonstrantur per aliquid vniuersale, eo pacto, quo in demonstratione, qua ostenditur cuiuscunque trianguli tres angulos esse æquales duobus rectis, continentur demonstrationes particulares, per quas ostenditur Isoscelem &c. habere tres angulos æquales duobus rectis. Ratio verò est, quia non potest quidquam syllogizari de particulari, quin syllogizetur de vniuersali.

49 Nono debet dialecticus se exercere in ratiocinationibus per inductionem, quādo disputat cum rudibus, in ratiocinationibus per syllogismum, quando disputat cum expertis. Ratio est, quia rudes cum magis considerent particularia, magis mouentur inductione; experti è conuerso, cum magis considerent vniuersalia, magis mouentur syllogismo.

50 *Omnino autem exercitationis gratia disceptantibus tentandum afferre, aut syllogismum de aliquo, aut propositionem, aut solutionem, aut instantiam, siue rectè quis dicat, siue perperam, vel ipse, vel alter, & ad quippiam vterque. Ex his enim facultas, exercitatio autem facultatis gratia. Et maximè circa propositiones, & instantias. Est enim vt simpliciter dicam, dialecticus, propositiuus, & instantiuus. Est autem proponere quidem, vnum facere quæ sunt plura: oportet enim vnum omnino sumere ad quod est oratio: instare autem quod; vnum est, facere plura: nam aut diuidit, aut interimit, hoc quidem dans, illud autem non dans, eorum, quæ proposita sunt.*

51 *Non est autem cum omni disputandum, neque contra quemlibet exercitandum. Nam necesse ad aliquos prauas fieri orationes. Ab eo enim, qui omnino tentat apparere, diffugiendum. Iustum autem omnino tentare syllogismo concludere, verumtamen non pulchrum, eo quòd non oportet aduersus quoslibet facile consistere, quandoquidem necesse est paruiloquium inde emergere. Nam qui exercitati sunt, non possunt abstinere à disputatione sine altercatione.*

52 *Oportet autem & factas habere orationes ad huiusmodi problemata, in quibus cum paucissimorum copia eas ad quamplurima vtiles habeamus. Illæ verò sunt vniuersales, & ad quas in promptu quippiam adinuenire difficile est.*

50 Decimo qui disputat, vt exerceatur, debet conari, vt ex disputatione addiscat, aut aliquem syllogismum, aut aliquam solutionem, aut aliquam propositionem, aut aliquam instantiam, & debet conari, vt semper aliquid discat, non solum

cum


cum ipse disputat, sed etiam cum alios audit disputantes, nec solum, cum illi disputant rectè, sed etiam cum disputant prauè. Ratio est, quia ex eo, quod quis abundet syllogismis, propositionibus dialecticis, & instantijs, habebit facultatem, & facilitatem ad omnes disputationes dialecticas; sed exercitatio dialectica ordinatur ad acquirendam facultatem disputandi; ergo debet dialecticus conari, vt ex omni disputatione dialectica comparet syllogismum, vel solutionem, vel propositionem, vel instantiam. Præsertim verò debet comparare copiam propositionum vniuersalium, & instantiarum contrà propositiones vniuersales. Ratio est, quia dialecticus est propositiuus, & instantiuus; ad argumentandum enim debet proponere; est autem proponere ex multis vnum facere, siquidem ad concludendum debet assumi aliquid vniuersale, in quod plura particularia coalescant; ad respondendum autem debet instare, instare autem est vnum facere plura; instantia siquidem diuidit propositionem vniuersalem in plura, illamque euertit, dum distinguendo, vnum concedit, alterum negat.

51 Vndecimo non est disputandum cum quolibet, sed debet euitari disputatio cum sophistis, & captiosis, qui disputant, vt videantur sapientes. Ratio est, quia cum ijs est disputandum, cum quibus prævidemus bene processuram disputationem; sed disputatio cum sophistis, & captiosis non bene procedit, sed declinat ad altercationes; ergo talis disputatio est vitanda. Licet verò iustum sit sophistas confutare, tamen non est decorum, siquidem cum illi sint assueti declinare ad altercationes indecoras, etiam quando congredientur nobiscum, ad tales altercationes facilè declinabunt.

52 Duodecimo demum, & vltimo præsertim debemus conari, vt paratas habeamus ratiocinationes ad ea problemata, quibus tractandis paucissima argumenta suppetunt, si semel verò fuerint tractata, erunt vtilia ad plures alias quæstiones. Huiusmodi autem sunt quædam problemata vniuersalia, circà quæ difficile est ex tempore quidquam inuenire, per quæ possint construi, vel destrui. Et per hæc Aristoteles concludit octauum, & vltimum librum Topicorum.

IN DVOS LIBROS ELENCHORVM.

PROOEMIVM.



1 QVIA hi libri inscribuntur de sophisticis elenchis, seu redargutionibus, ideo antequam eorum explicationem aggrediamur, primo explicandum est, quid sit redargutio sophistica: secundo, quod sit subiectum horum librorum, & quem locum teneant in logica: tertio demum per breuem synopsim ponenda est ob oculos eorum doctrina.


2 Quoad primum: elenchus græcè idē significat, ac latinè redargutio; sed redargutio ex ipsa nominis etymologia est argumentatio, seu syllogismus, quo quis arguit contrà id, quod alter dicit; ergo elenchus est syllogismus, quo quis arguit contra id, quod alter dicit; sed eo ipso, quod quis arguit contra id, quod alter dicit, arguit ad contradicendum alteri; ergo elenchus, seu redargutio, est syllogismus, quo arguit quis ad alteri contradicendum, ideoque ex Aristotele definitur *syllogismus contradictionis*. Sophistici igitur elenchi, & sophisticæ redargutiones nihil aliud sunt, quam syllogismi, quibus Sophistæ arguunt ad contradicendum ijs, cum quibus disputant; sed Sophistæ ad contradicendum, vel vtuntur syllogismis apparentibus, vel arguunt non ex veris, neque ex probabilibus, sed ex falsis, & apparentibus; ergo redargutiones sophisticæ nihil aliud sunt, quam syllo-

ſyllogiſmi vel apparentes, vel ex falſis, & apparentibus ordinati ad contradicendum.

3 Quoad ſecundum: ex ipſo titulo horum librorum patet eorum ſubiectum eſſe ſophiſticas redargutiones, ſeu ſyllogiſmos apparentes ordinatos ad contradicendum. Poſtquam igitur Ariſtoteles in libris Priorum egit de ſyllogiſmo in genere, abſtrahendo à materia; in libris Poſteriorum egit de demonſtratione, hoc eſt de ſyllogiſmo conſtante ex veris, & certis; in libris Topicorum de ſyllogiſmo dialectico, hoc eſt conſtante ex probabilibus; in libris Elenchorum agit de ſyllogiſmis conſtantibus ex apparentibus, & ſic logicam concludit. Porrò doctrina horum librorum eſt maximè vtilis, & neceſſaria ad ſcientias. Cum enim ſciens debeat eſſe imperturbabilis; vt autem ſit imperturbabilis, debeat ſcire cauſas ſophiſmatum, & eorum ſolutiones; neceſſe eſt, vt optimè teneat doctrinam de ſophiſmatibus, & eorum cauſis, ac ſolutionibus, quam doctrinam Ariſtoteles tradit in his libris.

4 Quoad tertium: traditurus Ariſtoteles doctrinam de ſyllogiſmo ſophiſtico, ſiue apparente, capite primo, & ſecundo ponit procemium, in quo primo probat dari ſyllogiſmum apparentem: ſecundo oſtendit ſophiſtas intendere facultatem apparenter ſyllogizandi, adeoque neceſſarium eſſe, vt in logica agatur de ſyllogiſmo ſophiſtico, vt poſſimus ſophiſmatum redargutionibus occurrere: tertio demum explicat, quo pacto hæc pars logicæ continuetur cum præcedentibus. Capite tertio incipiens agere de ſyllogiſmo ſophiſtico, proponit quinque metas, ſeu fines ſophiſtarum, & agit de modis, per quos ſophiſtæ conantur obtinere præcipuum finem redarguendi per fallacias tum dictionis, tum extrà dictionem, atque explicat ſex fallacias dictionis; capite quarto explicat fallacias extra dictionem; capite quinto oſtendit omnes ſophiſticas redargutiones reduci ad ignorantiam elenchi, ſeu contradictionis; capite ſexto explicat cauſas, propter quas loci explicati habent apparentiam, & decipiunt; capite ſeptimo oſtendit, quod propter eaſdem cauſas fiunt omnes ſyllogiſmi ſophiſtici, tum peccantes in forma, tum peccantes in materia; capite octauo probat in logica tradenda ſolum eſſe loca cõmunia ſyllogiſmorum, tum probabilium, tum apparentium, non autem loca propria; capite nono oſtendit malam eſſe diuiſionem, qua ſyllogiſmi ſophiſtici diuiduntur in eos, qui ſunt ad nomen, & in eos, qui ſunt ad ſententiam, ſiue intellectum; cap. 10. explicat differentiam inter elenchos demonſtratiuos, pſeudographos, dialecticos, tentatiuos, ſophiſticos, & contentioſos; cap. 11. oſtendit dialecticam, tentatiuam, & ſophiſticam non verſari circà genus determinatum, neque circà determinatam partem contradictionis; cap. 12. & 13. tradit loca, per quæ ſophiſta ducit ad alias quatuor metas falſi, inopinabilis, nugationis, & ſolœciſmi; cap. 14. & vltimo docet modum, quo ſophiſta debet ordinare ſuas interrogationes, & concludit librum primum.

5 Lib. 2. agit de ſolutione ſophiſmatum & cap primo procemiali explicat vtilitates ſophiſticæ, & oſtendit tradendam eſſe doctrinam de ſolutione ſophiſticarum rationum; cap. 2. agit de ſolutione apparente, ac de neceſſitate diſtinguendi propoſitiones; cap. 3. agit de vera ſolutione paralogiſmorum dictionis; cap. 4, & 5. agit de vera ſolutione paralogiſmorum extrà dictionem; cap. 6. agit de ſolutione paralogiſmorum nugationis, & ſolœciſmi; cap. 7. explicat, quæ ſit ratiocinatio facilis, vel difficilis ad ſoluendum, & quæ ſit ratiocinatio acuta; cap. 8, & vltimo epilogat dicta in libris elenchorum, ac topicorum, atque explicat, quo pacto logica fuerit ab ipſo Ariſtotele inuenta, & perfecta, & concludit hos libros, & totam logicam.




ARIS-

ARISTOTELIS ELENCHORVM LIBER PRIMVS.

An, & propter quam causam dentur apparentes syllogismi. Caput Primum.

1 *DE sophisticis autem redargutionibus, & de ijs, quæ videntur redargutiones, sunt autem captiosæ ratiocinationes, at non redargutiones, dicamus oportet, incipientes secundum naturam à primis.*

2 *Quòd igitur hi quidem syllogismi, illi autem, cum non sint, videntur, manifestum*
3 *est. * Nam quemadmodum & in alijs id fit per quandam similitudinem, sic & in orationibus se habet. Etenim hi quidem habitum probe habent, illi vero videntur, ex tribu tumentes, & componentes seipsos: & pulchri hi quidem ob pulchritudinem, illi autem videntur seipsos fucantes. Et in inanimatis quoque similiter. Nam & illorũ hæc quidem argentum, ista vero aurum reuera sunt, illa non sunt quidem, apparent autem secundum sensum, vt lithargyrina, & stannea, argentea, & felle tincta, aurea. Eodem autem modo & syllogismus, & redargutio, hæc quidem est, illa vero non est, apparet autem propter imperitiam: nam imperiti velut distantes à longe speculantur. Nam syllogismus quidem ex quibusdam est positis, vt colligamus aliquid aliud ex necessitate ab ijs, quæ posita sunt, per ea, quæ posita sunt: redargutio autem syllogismus est, cum contradictione conclusionis: illi vero id quidem non faciunt.*



TRADITVRVS Aristoteles in libris Elenchorum vltimam partem logicæ, primo proponit, de quo subiecto sit agendum, & dicit esse agendum de syllogismo apparente: secundo probat dari syllogismum apparentẽ.

1 Quoad primum: docet Aristoteles in his libris agendum esse tanquam de subiecto de sophisticis redargutionibus, ac de ijs, quæ videntur redargutiones, ac non sunt redargutiones, neque sunt syllogismi, sed sunt paralogismi; ac de ijs eo ordine agendum, vt incipiamus à primis secundum naturam.

2 Ex his patet duo esse genera redargutionum, siue syllogismorum sophisticorum. In primo genere sunt illæ ratiocinationes, quæ quia non peccant in forma, verè sunt syllogismi, sed quia peccant in materia, & assumunt propositiones, seu præmissas, quæ licet videantur veræ, & probabiles, non sunt veræ, neque probabiles, ideo sunt syllogismi sophistici. In secundo genere sunt illæ ratiocinationes, quæ quia peccant in forma, verè non sunt syllogismi, sed videntur syllogismi.

3 Quoad secundum: quia posset aliquis dubitare, an præter syllogismos veros, dentur etiam apparentes, probat Aristoteles, quod dentur. In alijs generibus rerum tum animatarum, tum inanimatarum, quædam sunt tales, quædam cum tales non sint, propter similitudinem videntur tales; ergo etiam in genere ratiocinationum quædam ratiocinationes verè sunt syllogismi, ac necessario concludunt, quædam cum non sint syllogismi, neque necessario concludant, videntur syllogismi, ac videntur necessario concludere. Probatur antecedens: ex hominibus aliqui verè habent habitum, hoc est mores nobilitatis, alij tumentes propter progeniem, ex qua descendunt, licet non habeant mores nobilitatis, adhuc ita se componunt, vt videantur illos habere. Rursus quidam verè sunt pulchri, quidam è conuerso licet pul-

pulchri non sint, ita se ipsos fucant, vt videantur pulchri. Ex rebus inanimatis, quædam verè sunt argenteæ, quædam cum non sint argenteæ, videntur argenteæ, vt lithargirina, & stannea; quædam verè sunt aureæ, quædam videntur aureæ, vt felle tincta; ergo proportionaliter quædam ratiocinationes verè sunt syllogismi, ac redargutiones, quædam cum verè non sint, propter similitudinem imperitis videntur redargutiones, ac syllogismi. Imperiti enim rerum sunt, sicut qui res à longe considerant; ergo sicut qui à longe considerant stannea, vel felle tincta, propter similitudinem decipiuntur, existimantes illa esse argentea, vel aurea, sic imperitis quædam ratiocinationes, quæ verè non sunt syllogisticæ, videntur syllogisticæ.

4 *Videntur autem ob multas causas, quarum vnus locus aptissimus, & publicissimus per nomina. Nam quia fieri non potest, vt res ipsas ferentes disputemus, sed nominibus pro rebus vtimur signis, & quod accidit in nominibus, in rebus quoque arbitramur accidere, quemadmodum ij, qui calculis supputant. Id autem non est simile. Nam nomina quidem finita sunt, & orationum multitudo res vero numero infinitæ sunt. Necesse est igitur plura eandem orationem, & nomen vnum significare. Quemadmodum igitur & illi, qui non sunt prompti calculos sustinere, a scientibus decipiuntur, eodem quoque modo, & in orationibus qui nominum virtutis sunt ignari, perfacile captionibus hallucinantur, & ipsi disputantes, & alios audientes. Ob hanc igitur causam, & eas quæ dicendæ sunt, est syllogismus, & redargutio apparens, atque non existens.*

4 Si verò quæratur causa, propter quā aliquæ) ratiocinationes non syllogisticæ videntur syllogisticæ, respondet Aristoteles, quod licet plures possint afferri causæ, præcipua, & notissima causa est, quia eadem nomina possunt plura significare. Explicatur: quia agentes de rebus, non possumus res ipsas in medium afferre, loco rerum proferimus nomina, vt signa rerum; ergo sæpe quæ conueniunt nominibus, tribuimus rebus significatis, adeoque cum nomen est idem, censemus etiam rem significatam esse eamdem; sed cum res sint infinitæ, nomina finita, eædem voces ali- quando significant res diuersas, sicut, quia numeri numerabiles sunt infiniti, characteres numerales sunt finiti, ijdem characteres in diuerso situ positi, significant diuersos numeros; ergo sicut qui non sunt periti in calculationibus, & supputationibus, sæpe decipiuntur à peritis, putantes notam significantem vnum numerum, significare alium numerum, sic qui sunt imperiti ratiocinandi, decipiuntur à peritis, putantes per idem nomen idem significari, cum significentur plura; ergo sæpe decipiuntur in argumentationibus, putantes aliquas rationes concludere, cum non concludant, quia termini sumuntur æquiuocè, & in diuersa significatione; ergo necesse est, vt ratiocinationes, quæ non sunt syllogismi, videantur syllogismi.

De necessitate agendi de syllogismo sophistico, & quo pacto hæc vltima pars logicæ se habeat ad alias partes. Caput II.

1 *QVoniam autem quibusdam magis operæpretium est videri esse sapientes, quam esse, & non videri (est enim sophistice, apparens sapientia, non existens autem, & Sophista pecuniarum aucupator ab apparente sapientia, & non existente:) manifestum profecto est, quoniam necessarium est illis & sapientis opus videri facere magis, quàm facere, & non videri. Est autem (vt vnum ad vnum dicamus) in vnoquoque opus sapientis, non mentiri quidem ipsum de quibus nouit, mentientem autem manifestare posse. Hæc autem sunt, hoc quidem in eo, quòd potest dare orationem, illud autem in eo, quòd sumere. Necesse est igitur illos, qui volunt sophistice agere, dictarum orationum genus quærere. Operæ enim prætium est eis. Nam huiusmodi potestas faciet videri sapientes, cuius sunt desiderium habentes. Quod autem tale orationum genus est, & quod talem appetunt potestatem illi, quos vocamus sophistas, manifestum est. Quot autem sunt species sophisticarum orationum, & ex quot numero potestas ea constat, & quot partes contingit esse negotij, & de alijs, quæ suffragantur ad hanc artem, nunc dicamus.*

Si

1 SI syllogismi apparentes solum fierent casu, & præter intentionem, fortasse non esset ita necessarium de illis agere; sed si non solum fiunt casu, sed fiunt ex intentione, de ipsis omninò est agendum. Quod autem fiant ex intentione, sic potest probari. *Esse sapientem* est difficillimum, *videri sapientem* multo est facilius, & ex alia parte est vtile, tum ad gloriam, tum ad pecunias comparandas per venditationem sapientiæ apparentis; ergo multi, qui vocantur sophistæ, relicto difficiliori, eligunt facilius, hoc est eligunt videri sapientes, cum non sint, adeoque conantur comparare sophisticam, quæ est solum apparens sapientia, propter vtilitatem, quam affert ad gloriam, & ad pecunias; sed vt videantur sapientes, necesse est, vt videantur facere opus sapientis, licet non faciant; ergo necesse est, vt quærant facultatem faciendi opus, quod videatur opus sapientis, licet non sit; sed duo videntur esse opera sapientis, & scientis: primum est, vt in ijs, quæ scit, non dicat falsum; secundum, vt possit manifestare errores aliorum; horum autem duorum primum spectat ad sapientem, in quantum ipse alijs proponit quæ scit; secundum spectat ad sapientem, in quantum audit alios proponentes quæ se putant scire, & eorum dicta examinat; ergo necesse est, vt sophistæ quærant facultatem, per quam cum sua promunt, videantur non errare, & cum audiunt alios sua promentes, videantur eorum errores detegere, licet verè non detegant; sed ratiocinationes, quibus ostenditur verum esse, quod non est verum, & falsum esse, quod non est falsum, sunt ratiocinationes apparentes; ergo Sophistæ intendunt ratiocinationes, & syllogismos apparentes; ergo cum syllogismi apparentes non solum fiant casu, sed etiam ex intentione à sophistis, necesse est, vt de ijs agatur, & vt explicetur, quot sint species sophisticarum ratiocinationum; ex quot, & qualibus locis possit comparari facultas tales ratiocinationes construendi; quot, & quæ sint partes huius artis, quæ non solum debet agere de modis sophismata construendi, sed etiam de modis eadem dissoluendi, & vt alia etiam explicentur, quæ ad hanc artem spectant.

2 *Sunt igitur ad disputandum, orationum genera quatuor: doctrinales, dialecticæ, tentatiuæ, contentiosæ. Et doctrinales quidem sunt, quæ ex proprijs principijs cuiusque disciplinæ, & non ex ijs, quæ videntur respondenti, colligunt: nam oportet credere eum, qui discit. Dialecticæ autem, quæ ex probabilibus collectiuæ sunt contradictionum. Tentatiuæ vero, quæ ex ijs colligunt, quæ videntur respondenti, & quæ necessarium est eum scire, qui simulat se habere scientiam, quomodo determinandum est in alijs. Porro contentiosæ quæ sunt ex ijs, quæ apparent probabilia, apparentes syllogisticæ. De demonstratiuis autem in Analyticis dictum est: de dialecticis vero, & tentatiuis, & in alijs: de altercatorijs autem, & contentiosis nunc dicendum.*

2 Ostenso, quod debet tractari de syllogismo sophistico, seu apparente, explicat Aristoteles, quo pacto hæc vltima pars logicæ cum alijs partibus logicæ continuetur. Logica debet agere de ratiocinationibus, quibus vtimur ad disputandum; sed quatuor sunt ratiocinationum genera, doctrinales, dialecticæ, tentatiuæ, & contentiosæ; ergo logica debet agere de his quatuor ratiocinationum generibus; sed ratiocinationes doctrinales, seu ordinatæ ad docendum, & ad tradendam scientiam sunt, quæ procedunt ex proprijs disciplinarum principijs, nec de ijs interrogant, siquidem oportet addiscentem credere quæ sibi traduntur à docente, & de ijs actum est in libris posteriorum; ratiocinationes dialecticæ sunt, per quas ex probabilibus ostendi potest alterutra pars contradictionis; ratiocinationes tentatiuæ sunt, quæ procedunt ex ijs, quæ videntur respondenti, & quæ necessarium est sciri ab eo, qui simulat se habere scientiam, ac de his omnibus actum est in topicis; ergo reliquum est, vt in his libris agatur de ratiocinationibus contentiosis, hoc est de ijs, quæ videntur syllogisticæ, & non sunt syllogisticæ, adeoque peccant in forma; vel quæ procedunt ex propositionibus, quæ videntur probabiles, sed non sunt probabiles, adeoque peccant in materia.

De

De quinque finibus, seu metis sophistarum. Caput III. Articulus I.

1 *PRimum igitur sumendum est, quot coniectant, qui in orationibus decertant, & coaltercantur. Sunt autem hæc quinque numero: redargutio, falsum, inopinabile, solœcismus, & quintum, quod est facere nugari eum, qui condisputat: hoc autem est frequenter cogere idem dicere, aut quod non est, sed quod apparet quodque esse horum.*

2 *Nam maxime volunt apparere redarguere: secundum autem, falsum aliquid monstrare: tertium vero, ad hoc, quod est inopinabile ducere: quartum, solœcismo vti facere: hoc autem est facere secundum locutionem barbarizare ex oratione respondentem: vltimum autem, idem frequenter dicere.*

1 INcipit iam Aristoteles agere de sophisticis ratiocinationibus: & quia sophistæ ordinant ratiocinationes sophisticas ad aliquem finem, ideo primo agit de finibus sophistarum. Supponit ex dictis finem Sophistæ esse, vt appareat sapiens; vt autem appareat sapiens, vult apparere vincens eum, cum quo disputat; & quia victoria consistit in hoc, vt eum, cum quo disputat, afficiat aliquo incommodo, ideo intendit, vt afficiat aduersarium aliquo incōmodo; ergo quot sunt incommoda, quibus sophista vult afficere aduersarium, tot sunt proximi fines, seu scopi, & metæ sophistarum. Iam quinque sunt incommoda, redargutio nimirum, falsum, inopinabile, solœcismus, & nugatio. Ratio est, quia tot sunt incommoda, quot sunt absurda, ad quæ sophista cogit aduersarium; sed absurda sunt quinque; ergo &c. Probatur minor: vel sunt absurda ratione eius, quod dicitur, vel ratione dictionis; si ratione dictionis, vel consistunt in locutione incongrua, & est solœcismus; vel est absurdum crebræ eiusdem repetitionis, & est nugatio: si sunt absurda ratione eius, quod dicitur, vel sunt absurda simpliciter, vel relatè ad opinionem, vel relatè ad id, quod aduersarius dixit; absurdum simpliciter est falsum; absurdum relatè ad opinionem est inopinabile; absurdum relatè ad id, quod aduersarius dixit, est redargutio, per quam aduersarius cogitur concedere quod negauit, vel negare quod concessit, adeoque sibi contradicere; ergo fines sophistarum sunt quinque allati.

2 Addit Aristoteles, quod quia sophista, non tam appetit esse, quam apparere, ideo fines sophistæ sunt, non tam redarguere, quam videri redarguere, non tam vt respondens dicat falsum, quam vt videatur dicere falsum &c. Licet autem sophistæ intendant omnes dictos fines, tamen non æquè eos intendunt, sed primo, & maximè intendunt, vt videantur redarguere: secundo vt respondens videatur dicere falsum: tertio vt videatur dicere aliquid inopinabile: quarto vt videatur facere solœcismum: vltimo demum vt videatur nugari. Ratio est, quia intendunt redigere respondentem ad maximum absurdum, ad quod possit redigi; sed maximum absurdum est, vt per redargutionem cogatur cōcedere contradictoria: secundum vt cogatur dicere falsum: tertium vt cogatur dicere aliquid præter opinionem: quartum vt cogatur facere solœcismum: quintum demum vt cogatur nugari; ergo sophista intendit hos fines ordine explicato.

De duobus modis redarguendi per fallacias, dictionis, vel extrà dictionem; & de sex fallacijs dictionis. Capitis III. Articulus II.

3 *MOdi autem redarguendi sunt duo. Nam alij quidem sunt propter dictionem, alij vero extra dictionem.*

4 *Sunt autem ea quidem, quæ propter dictionem faciunt phantasiam, sex numero. Hæc quidem sunt, æquiuocatio, amphibolia, compositio, diuisio, accentus, & figura dictionis. Huius autem fides, & ea quæ est per inductionem, & syllogismus, & si qua sumatur alia, & quòd totidem modis, si eisdem nominibus, & eisdem orationibus, non idem significamus.*

EXplicatis quinque finibus sophistarum, explicat Aristoteles modos, & fallacias, per quas sophistæ conantur obtinere tales fines: & quia primus, & præcipuus finis

finis est, vt videantur redarguere, explicat modos, & fallacias, per quas conantur videri redarguentes aduersarium.

3 Duo sunt modi, per quos sophistæ conantur videri redarguere aduersarium, cogendo illum ad contradicendum sibi. Primus modus est construendo syllogismos, vel paralogismos, qui propter aliquam fallaciam dictionis videntur redarguere, & concludere contradictorium eius, quod aduersarius dixit, cum verè non concludant tale contradictorium. Secundus est construendo syllogismos, vel paralogismos, qui propter aliquam fallaciam extrà dictionem, hoc est non consistentem in dictione, & in vocibus, videntur redarguere, cum verè non redarguant.

4 Fallaciæ dictionis sunt sex: æquiuocatio, amphibologia, compositio, diuisio, accentus, & figura dictionis. Probatur inductione, & syllogismo: inductione quidem, quia nulla potest afferri fallacia dictionis, quæ non reducatur ad aliquam ex his: syllogismo verò, quia tot sunt fallaciæ dictionis, quot sunt modi, per quos iisdem nominibus, & eadem oratione possumus plura significare; sed tales modi sunt sex dicti; ergo &c. Probatur minor: vel enim plura significamus, quia aliquod nomen est æquiuocum, & est æquiuocatio; vel quia tota oratio plura significat, & est amphibologia; vel quia quædam voces aliud significant compositæ, aliud diuisæ, & sunt fallaciæ compositionis, ac diuisionis; vel quia eædem voces aliud significant cum accentu, aliud sine accentu, & est fallacia accentus; vel demum quia eadem figura dictionis significat diuersa, & est fallacia figuræ dictionis. Sed hæc melius patebunt, explicando singulas fallacias.

5 *Sunt autem propter æquiuocationem huiusmodi orationes, vt quod discunt scientes: nam ea, quæ memoriæ prodita sunt, discunt grammatici. Discere enim æquiuocum est ad intelligere eum, qui vtitur disciplina, & ad accipere disciplinam.*

6 *Ea rursus, quod mala bona sunt. Nam, quæ expediunt, bona sunt: mala autem expediunt. Duplex enim expediens est, et necessarium, quod accidit plerunque in malis, est enim quoddam malum necessarium, & bona vtcumque expedientia dicimus esse.*

7 *Amplius autem, eundem sedere, et stare, & ægrotare, & sanum esse. Nam qui surgebat stat, & qui sanabatur sanus est: surgebat autem sedens, & sanabatur ægrotans: ægrotantem enim quamlibet facere, aut pati, non vnum significat, sed quandoque quidem, qui nunc ægrotat, aut sedet, quandoque autem qui ægrotabat prius: verumtamen sanabatur quidem ægrotans, cùm ægrotans: sanus est autem non cùm ægrotans, sed ægrotans non nunc, sed prius.*

5 Prima igitur est fallacia æquiuocationis, cuius Aristoteles tria affert exempla, in cuius primo æquiuocatio est ex parte maioris extremi; in secundo ex parte medij; in tertio ex parte minoris extremi. Primum exemplum est: interrogat sophista, an scientes, vel nescientes discant? Respondet aduersarius, & bene, quod nescientes discunt, scientes verò non discunt. Sophista sic redarguit: *qui intelligunt grammaticum aliqua memoriter proferentem, discunt; sed non nescientes, sed scientes intelligunt grammaticum aliqua memoriter recitantem; ergo non nescientes, sed scientes discunt.* Videtur sophista redarguere propter æquiuocationem. *Discere* enim est æquiuocum, ac duo significat: primo significat *intelligere aliquem, qui vtitur scientia;* & quia scientes intelligunt eum, qui vtitur scientia, & profert ea, quæ scit, ideo in hoc sensu scientes discunt. Secundo significat *accipere scientiam ab alio;* & quia non scientes, sed nescientes accipiunt scientiam ab alio, ideo non scientes, sed nescientes discunt in hoc secundo sensu. Aduersarius interrogatus dicit scientes non discere, hoc est non accipere scientiam ab alio; sophista videtur redarguere, dum ostendit scientes discere, hoc est intelligere eum, qui vtitur scientia.

6 Secundum exemplum, in quo videtur sophista redarguere propter æquiuocationem medij est: interrogat sophista, an aliqua mala sint bona? Respondens negat: sophista sic redarguit: *expediens est bonum; multa mala sunt expedientia, ex. gr. licet amputare brachium sit malum, adhuc expedit amputare brachium pro salute totius corporis; ergo multa mala sunt bona.* Fallacia est, quia *expediens*, quod est medium, potest significare tum id, quod ratione sui est expetibile, tum id, quod est necessarium; & quia multa mala sunt necessaria, ideo sunt expedientia in secundo sensu, non autem

in primo, cum nullum malum sit per se expetibile. Sophista ergo videtur redarguere, quia sumit æquiuocè medium, quod est expediens, sed verè non redarguit.

7 Tertium exemplum, in quo videtur sophista redarguere propter æquiuocationem minoris extremi est: interrogat sophista, *vtrum sedens stet, & ægrotus sit sanus?* Negat respondens: sophista sic redarguit: *qui surgebat stat, & qui sanabatur sanus est; sed sedens surgebat, & ægrotus sanabatur; ergo sedens stat, & ægrotus sanus est.* Æquiuocatio est ex parte minoris extremi, quia cum dicitur, quod sedens, vel ægrotans aliquid facit, aut patitur, possunt duo significari: primo potest significari, quod cum sedet, vel ægrotat, aliquid faciat aut patiatur; secundo, quod qui ante sedebat, vel ægrotabat, nunc aliquid faciat, aut patiatur. Dum in minori dicitur, quod sedens surgebat, & ægrotus sanabatur, ly *sedens*, & *ægrotus*, sumitur in primo sensu, & significatur, quod quando quis surgebat, sedebat, & quod quando sanabatur ægrotabat; in conclusione sumitur in secundo sensu, & significatur, quod quando quis sedet, tunc stat, & quod quando quis ægrotat, tunc sanus est; ergo nulla est redargutio.

8 *Propter autem amphiboliam sunt orationes tales, velle capere me pugnantes. Et putasne quòd quis cognoscit, id cognoscit? Nam & cognoscentem, & cognitum contingit, vt cognoscentem significare hac oratione. Et putas, quòd quis videt, id videt? videt autem columnam: quare columna videt.*

9 *Et putas, quod tu dicis esse, id tu dicis esse? dicis autem lapidem esse: quare tu lapis, dicis esse.*

10 *Et putas est silentia dicere? duplex enim est & id, silentia dicere: hoc quidem eos, qui dicunt, silere, illud autem ea, quæ dicuntur.*

11 *Sunt autem tres modi secundum æquiuocationem, & amphiboliam. Vnus quidem, quando nomen, vel oratio plura significat principaliter, vt aquila, vel canis. Alius autem, quando soliti sumus sic dicere. Tertius vero, quando compositum plura significat, separatum vero simpliciter, vt scire literas. Nam vtrunque fortasse vnum quidem significat, & scire, & literæ: ambo autem plura, aut literas ipsas scientiam habere, aut literarum, alium. Amphibolia igitur, & æquiuocatio, propter hos modos sunt.*

8 Amphibologia est fallacia fundata in eo, quod aliqua oratio plura possit significare: ex. gr. hæc interrogatio, *putas ne velle me hostes capere?* est amphibologica, quia potest æquè significare, quod ego velim capere hostes, ac quod hostes velint capere me. Si ergo interrogatus respondet affirmatiuè in vno sensu, & interrogans dictum accipiat, ac reprehendat in alio sensu, videbitur respondentem redarguere, licet verè non redarguat, & apparentia redargutionis fundabitur in amphibologia orationis. Est etiam amphibologica hæc interrogatio, *putasne, quod quis cognoscit, hoc cognoscit?* Potest enim facere duplicem sensum. Primus est, an cognoscens cognoscat illud, quod dicitur cognoscere? Secundus est, vtrum cognitum cognoscat? Proponit Aristoteles tria exempla sophismatum fundatorum in amphibologia. Primum est: interrogat sophista, *putasne, quod Socrates videt, idipsum videt?* & aduersario respondente affirmatiuè, sic arguit: *quod Socrates videt idipsum videt; sed Socrates columnam videt; ergo columna videt, quod est absurdum.* Amphibologia est in maiori. Illa enim maior, *quod Socrates videt, idipsum videt*, potest facere duplicem sensum. Primus est, vt ly *idipsum* sit accusatiuus, adeoque significetur, quod idipsum, quod Socrates videt, videatur à Socrate, & in hoc sensu propositio est vera, & conceditur à respondente. Secundus sensus est, vt ly *idipsum* sit nominatiuus, adeoque significetur, quod id, quod videtur à Socrate, videt Socratem, & in hoc sensu propositio est falsa, & non fuit concessa à respondente. Propter hanc igitur amphibologiam sophista, licet non redarguat, videtur redarguere.

9 Secundum exemplum est: interrogat sophista, *putasne, quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse?* Annuit respondens: arguit sophista: *quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse; sed dicis saxum esse; ergo tu saxum dicis esse.* Amphibologia est, quia ly *hoc tu dicis esse*, potest sumi tum in accusatiuo, vt sit res dicta, tum in nominatiuo, vt sit ipse dicens; respondens admittit in primo sensu, sophista assumit, quasi sit concessum in secundo sensu, & sic videtur redarguere, cum verè non redarguat.

10 Tertium exemplum est: interrogat sophis-

sophista, *putasne silentia dicere?* Negat respondens: arguit sophista: *contingit dicere lapides, & alia huiusmodi; sed haec sunt silentia; ergo contingit dicere silentia*. Amphibologia est, quia ly *contingit silentia dicere* potest facere duplicem sensum. Primus est, vt ly *silentia* sit nominatiuus, & significetur, *an contingat aliqua silentia proferre sermonem?* Secundus est, vt ly *silentia* sit accusatiuus, & significetur, *an possit quis dicere ea, quae silent?* Respondens negauit silentia loqui in primo sensu; sophista probauit in secundo sensu, & sic videtur redarguere, cum verè non redarguat.

11 Addit Aristoteles tres esse modos, secundum quos voces per aequiuocationem, vel amphibologiam significant plura. Primus modus est, cum primo, & principaliter sunt imposita ad plura significanda, eo pacto, quo nomen aquilae primo, & principaliter est impositum ad significandum tum aquilam auem, tum aquilam signum caeleste; & similiter nomen *canis* primo, & principaliter est impositum ad significandum canem terrestrem, caelestem, & marinum. Secundus est, cum nomen, & oratio primo, & principaliter significant vnum, ex consuetudine tamen sunt translata ad significandum aliud, eo pacto, quo nomen gemmae primo, & principaliter significat lapides pretiosos, sed ex consuetudine significat gemmas vitium; & eo pacto, quo haec oratio *littus arant* primo, & principaliter significat, quod arant littus, sed per consuetudinem est translata ad significandum, quod aliquid frustrà fit. Tertius modus est, cum voces seorsim sunt vniuocae, & vnum significant, coniunctae verò possunt plura significare: ex. gr. hae voces *scire, litteras* seorsim vnum significant, si verò coniungantur, ac dicatur *scire litteras*, possunt duo significare, nimirum, quod quis sit sciens litterarum, vel quod litterae ipsae habeant scientiam.

12 *Propter compositionem vero huiusmodi sunt, vt possibile est sedentem ambulare, & non scribentem scribere. Non enim idem significat, si diuidens quis dicat, & componens, quod possibile est sedentem ambulare, & non scribentem scribere: & hoc identidem, si quis componat non scribentem scribere, significabit profectò, quod habet potestatem, vt non scribens scribat: si quis autem non componat, quoniam habet potestatem quando non scribit, vt scribat?*
13 *Et discit nunc literas, si quis didicit*
14 *quas scit. * Amplius quòd vnum solum potest ferre, plura potest ferre.*

12 Fallacia compositionis est, per quam ex eo, quod aliquid sit verum in sensu diuiso, infertur, quod sit verum in sensu composito; & quia in sensu composito est falsum, videtur redargui qui id admisit vt verum. Huius fallaciae plura exempla affert Aristoteles. Primum est: interrogat sophista, an *possibile sit sedentem ambulare, & non scribentem scribere?* Annuit respondens: infert sophista; *ergo possibile est, vt sedens ambulet, et vt non scribens scribat.* Fallacia est, quia dum admittitur, quod possibile est sedentem ambulare, admittitur possibile esse sedentem ambulare diuisim ab hoc, quod sedeat, & non scribentem scribere diuisim ab hoc, quod non scribat; sophista verò assumit quasi concessum sit, quod possibile est sedentem ambulare coniunctim cum sessione, & non scribentem scribere coniunctim cum non scriptione, & ex eo, quod haec sint impossibilia coniunctim, infert impossibile esse sedentem ambulare, & non scribentem scribere in eo sensu, in quo fuit admissum.

13 Secundum exemplum est: interrogat sophista, an qui nunc scit litteras, illas didicerit? Annuit respondens: sophista argumentatur: *qui nunc scit litteras, illas didicit; sed Socrates nunc scit litteras; ergo Socrates didicit litteras nunc; sed hoc est falsum; ergo etc.* Fallacia est, quia qui concedit, quod qui nunc scit litteras, didicit illas, diuidit tempus, quo scit, à tempore, quo didicit, atque asserit, quod qui nunc scit litteras, didicit illas ante; sophista verò componit tempus sciendi, ac discendi, & ex eo, quod nunc scit, infert, quod nunc didicit, adeoque videtur redarguere, cum verè non redarguat.

14 Tertium exemplum est: interrogat sophista, an qui potest ferre vnum pondus centum librarum ex. gr; possit etiam ferre aliud pondus aequale centum itidem librarum? Annuit respondens: arguit sophista: qui potest ferre hoc pondus centum librarum, potest etiam ferre hoc aliud pondus centum librarum; ergo potest ferre vtrumque, quod est falsum. Fallacia est, quia respondens concessit solum, quod possit ferre pondera diuisim; sophista autem assumit,

sumit, quod possit ferre coniunctim.

15 *Propter vero diuisionem, quod quinque sunt duo, & tria, paria, & imparia: & quod maius æquale: tantundem enim est*
16 *maius, & adhuc amplius.* * *Nam eadem oratio diuisa, & composita non idem semper videbitur significare: vt ego posui te seruum existentem liberum: & hoc, quinquaginta virum, centum heros liquit Achilles.*

15 Fallacia diuisionis est, per quam ex eo, quod aliquid sit verum coniunctim, infertur, quod sit verum diuisim: & quia falsum est diuisim, videtur redargui qui illud admisit vt verum. Duo huius fallaciæ exempla affert Aristoteles. Interrogat Sophista, an quinque sint tria, & duo? annuit respondens: arguit Sophista, *tria sunt numerus impar, duo sunt numerus par; sed quinque sunt tria, & duo; ergo quinque sunt numerus impar, & par*. Fallacia est, quia quinque sunt tria, & duo coniunctim, non autem diuisim; tria verò, & duo diuisim sunt numerus par, & impar, coniunctim verò sunt numerus impar.

Secundum exemplum est: interrogat sophista, an maius sit tantundem, & aliquid aliud? annuit respondens: arguit sophista: *quod est tantundem est æquale; maius est tantundem; ergo maius est æquale, quod est absurdum*. Fallacia est, quia respondens concessit, quod est maius est tantundem, & aliud coniunctim, sophista verò assumit, quod maius est tantundem diuisim.

16 Addit Aristoteles, quod sæpe eadem oratio diuersa significat ex eo, quod quædam partes coniungantur vel diuidantur: ex. gr. hæc oratio; *ego posui te seruum existentem liberum*, si ly *existentem* coniungatur cum *liberum*, significat, *ego te ex libero existente constitui seruum*; si ly *existentem* coniungatur cum *seruo* significat; *ego te ex seruo existente constitui liberum*. Similiter hic versus Homeri: *quinquaginta virum centum heros liquit Achilles*; si ly *virum*, seu *virorum*, coniungatur cum *centum*, facit sensum, quod Achylles ex centum viris, quos ducebat, quinquaginta liquit, siue amisit in bello; si ly *virum* coniungatur cum *quinquaginta*, sensus est, quod Achylles ex quinquaginta viris, quos ducebat, centum amisit in bello, qui sensus est absurdissimus.

17 *Propter accentum autem in ijs, quæ sunt sine scriptura, non facile dialecticis facere orationem, in scripturis autem & poematibus magis. Vt & Poetam defendunt nonnulli aduersus redarguentes, quasi hic absurde locutum. Nec gemere aeria cessabit turtur ab vlmo, quòd pentemimeri vsus sit, et turture fœminino. Soluunt enim id accentu, dicentes quòd aeria accentum finalem longum habet, et non ad turtur, sed ab vlmo, vt epithetum debet referri, et id de Niso, et Eurialo cùm Rutulos vino, somnoque sepultos intellexissent.*

Cætera per terras, omneis animalia somno
Laxabant curas, et corda oblita laborum.

Talia igitur propter accentum sunt.

17 Fallacia accentus est, cum vocem, quæ debet sumi cum vno accentu, vel spiritu, sumimus cum alio accentu, vel spiritu, ideoque propositionem reprehendimus, vt absurdam. Aduertit Aristoteles hanc reprehensionem vix potuisse habere locum in orationibus græcis ore prolatis, quia proferentes exprimebant accentus, & spiritus; at potuisse habere locum in orationibus, vel poematibus scriptis, quia cum græci tempore Aristotelis non signarent voces scriptas accentibus, ac spiritibus, poterat quis vocem, quæ debebat legi cum vno accentu, vel spiritu, legere cum alio, & sic legere orationem in sensu absurdo, ac reprehendere. Proponit duo exempla Aristoteles reprehensionum, per quas aliqui reprehendebant duo carmina Homeri ex fallacia accentus. Primum exemplum desumitur ex libro 23. Iliados, vers. 328, in quo Nestor loquens de quadam quercu dicit, vt quidam legunt οὗ καταπύθεται ὄμβρῳ *vbi putrescit imbre*, & reprehendunt Homerum, quia quercus imbre non putrescit, sed duratur. Hæc reprehensio est sophistica, & ex fallacia accentus. Neque enim debet legi cum spiritu aspero, & accentu circumflexo, ita vt significet *vbi*, sed οὐ cum accentu graui, & spiritu leni, ita vt significet *non*, & sensus sit *quercus non putrescit imbre*, & sic Homerum defendit Hippias Thasius ipso Aristotele teste in poetica cap. 25. Secundum exemplum est ex secundo Iliados circa initium, vbi Iuppiter præcipiens somno, vt decipiat Agamemnonem, in lectione, qua Aristoteles vtebatur, profert hunc versum δίδομεν δέ

δίδομεν ἀρέσθαι, vt quidam legebant, hoc est *damus ipsi Agamemnoni, vt gloriam reportet*. Hunc locum quidam reprehendunt, quia Iuppiter inducitur mentiens, ac promittens Agamemnoni gloriam ex pugna, cum tamen Agamenon in ea pugna esset vincendus, adeoque non esset reportaturus gloriam, sed ignominiam. Hæc etiam reprehensio est sophistica ex fallacia accentus. Neque enim debet legi δίδομεν cum accentu in ante penultima, ita vt significet damus, sed διδόμεν cum accentu in penultima, ita vt sit infinitum ionicum, & significat *dare*. Non igitur Iuppiter dicit *damus Agamemnoni gloriam*, sed præcipit somno dare, seu promittere Agamemnoni gloriam; ergo non Iuppiter mentitur, sed mittit somnum mentientem, & sic hanc reprehensionem soluit idem Hippias Thasius apud Aristotelem citato cap. 25. Poeticæ.

18 *Quæ autem propter figuram dictionis sunt, accidunt, quando non idem, vt idem interpretatur, vt masculinum, fœmininum, vel fœmininum, masculinum: vel quod inter hæc, est alterum horum: vel rursus quale, quantum: vel quantum, quale: vel faciens, patiens: vel dispositum, facere: et alia, ceu diuisum est prius. Nam est aliquid, quod non est eorum, quæ sunt facere, vt eorum, quæ sunt facere, aliquid dictione significare, vt valere. Similiter figura dictionis dicitur ei, quod est secare, vel ædificare, quamuis illud quidem quale quid, et affectum quodam modo significet, hoc vero facere aliquid. Eodem autem modo et in cæteris. Propter igitur dictionem redargutiones ex his existunt.*

18 Fallacia demum figuræ dictionis est, cum quis ex eo, quod aliquid significetur simili figura dictionis, ac alterum, arguitur, quod illi sit simile, cum verè non sit simile: ex gr. ex eo, quod fœmina significetur nomine habente desinentiam, quam solent habere nomina masculorum, posset quis inferre, quod fœmina sit masculus; ex eo, quod masculus significetur nomine habente desinentiam, quam solent habere nomina fœminarum, potest quis inferre, quod masculus sit fœmina; ac demum ex eo, quod masculus significetur nomine habente desinentiam, quam solent habere nomina neutra, potest inferri, quod masculus neque sit masculus, neque fœmina. Rursus ex eo, quod res diuersorum prædicamentorum significentur eadem figura dictionis, posset inferri, quod ea, quæ differunt prædicamento, conueniunt prædicamento; ex. gr. sicut dicitur quis alterum percutere, vel secare, sic dicitur alterum videre, vel audire; sed alterum percutere, vel secare non est pati ab altero, sed agere in alterum; ergo etiam videre, & audire non est pati ab obiecto, sed agere in obiectum.

De septem fallacijs extrà dictionem. Caput IV.

1 *Earum vero, quæ extra dictionem sunt, captionum, species sunt septem. Vna quidem propter accidens: secunda autem propter id, quod simpliciter, vel non simpliciter, sed aliquo modo, aut vbi, aut quando, aut ad aliquid dicitur: tertia autem propter redargutionis ignorantiam: quarta vero propter consequens: quinta autem propter id, quod est in principio sumere: sexta propter id, quod non est causa, vt causam ponere: septima vero propter plures interrogationes vnam facere.*

2 *Propter igitur accidens captiones sunt, quando similiter quodcunque existimabitur rei, et accidenti inesse. Nam quia multa eidem accidunt, non est necesse omnibus prædicatis, et ei, de quo prædicantur, illa omnia inesse: nam omnia sic erunt eadem, quemadmodum sophistæ dicunt.*

3 *Vt si Coriscus est alter ab homine, ipse est alter à se, est enim homo: aut si à Socrate alter, Socrates autem homo, ab homine alterum dicunt esse confessum, eo quòd accidit, à quo dixit alterum esse, hunc esse hominem.*

1 Propositis, & explicatis fallacijs consistentibus in dictione, explicat Aristoteles fallacias extrà dictionem. Fallaciæ extrà dictionem sunt septem. Prima est propter accidens. Secunda est propter id, quod dicitur simpliciter, & id, quod dicitur non simpliciter, sed aliquo modo, & cum limitatione ad locum, vel tempus, vel ad aliquid. Tertia est fallacia propter ignorationem elenchi. Quarta est fallacia propter consequens. Quinta est fallacia propter petitionem principij. Sexta est fallacia propter non causam sumptam vt causam. Septima

tima demum est fallacia propter plures interrogationes vt vnam.

2 Fallacia propter accidens fundatur in eo, quod supponimus omnia ea, quæ dicuntur de subiecto, dici de omnibus, quæ subiecto accidunt, & è conuerso omnia, quæ dicuntur de accidente, dici de subiecto, cum id sit falsum. Si enim quæ dicuntur de accidente, dicerentur etiam de subiecto, sequeretur subiectum, & omnia, quæ accidunt subiecto, idem esse, vt dicunt sophistæ; sed hoc est absurdum; neque enim idem est *esse hominem*, & *esse musicum*, quod accidit homini; ergo &c. Probatur sequela: omne enim accidens est idem cum ipso accidente, ex. gr. *musicum* est idem *musico*; ergo si omnia, quæ dicuntur de musico, dicuntur etiam de subiecto, de quo dicitur musicum, sequitur, quod sicut musicus est idem sibi ipsi, sic esse *musicum* est idem homini, adeoque omnia, quæ accidunt subiecto, sunt idem cum subiecto, & etiam sunt idem *esse*, ex. gr. idem erit *esse geometram*, & *esse musicum*.

3 Duo exempla paralogismorum, quæ fundantur in fallacia accidentis Aristoteles proponit. Primum est: *Coriscus aliquo pacto distinguitur ab homine, sicut singulare ab vniuersali; sed Coriscus est homo; ergo Coriscus aliquo pacto distinguitur, & est alter ab ipso Corisco*. In hoc paralogismo ex eo, quod subiectum distinguatur ab aliquo prædicato, infertur, quod distinguatur à subiecto, de quo dicitur tale prædicatum. Secundum est: *Socrates est homo; Coriscus est alter à Socrate; ergo Coriscus est alter ab homine*. In hoc paralogismo ex eo, quod Coriscus sit alter à Socrate, infertur, quod sit alter ab homine, qui dicitur de Socrate.

4 *Propter id autem, quòd hoc quidem simpliciter, illud autem aliquo modo, et non præcipue, quando quod in parte dicitur vt simpliciter dictum sumitur: vt si non ens est opinabile, quod non ens est: non enim est idem esse quiduis, et esse simpliciter.*

5 *Aut rursam quoniam quod est non est, si eorum, quæ sunt, quippiam non est: vt si non est homo: nam non idem est non esse quiduis, et non esse simpliciter: apparet autem, eo quòd perquam propinquum est dictione, et parum differat esse quiduis, ab eo quod est esse, et non esse quiduis, ab eo, quod est non esse.*

6 *Similiter autem propter id, quod est aliquo modo, et simpliciter: vt si Indus, cùm sit totus niger, albus est dentibus, albus igitur, et non albus est.*

7 *Aut si ambo aliquo modo, quod simul contraria inerunt. Tale autem in quibusdam quidem cuilibet facile est considerare: vt si sumens Aethiopem nigrum esse dentibus, dicat, quòd albus: si ergo ibi albus, quòd niger, et non niger, putabit disputasse syllogisticè, cùm perfecerit interrogationem. In quibusdam vero latet frequenter, in quibuscunque cum aliquo modo dicatur, simpliciter videtur sequi, et in quibuscunque non facile est considerare, vtrum eorum præcipue sit assignandum. Fit autem tale in quibuscunque similiter sunt opposita: nam videntur vt ambo, aut neutrum dandum esse simpliciter prædicari: vt si dimidium quidem album, dimidium vero nigrum, vtrum album, an nigrum?*

4 Fallacia propter dici simpliciter, & secundum quid est, cum ex eo, quod dicitur secundum quid, & cum limitatione ad partem, vel locum, vel tempus, vel respectu alicuius, inferimus, quod dicatur simpliciter. Plures huius fallaciæ modos, & plura exempla proponit Aristoteles. Primus modus est, cum ex eo, quod aliquid sit tale, infertur illud esse simpliciter. Ex. gr. cum dicimus, *non ens est opinabile; ergo non ens est*: non valet, quia esse *opinabile* est esse *secundum quid*, hoc est *esse tale*, adeoque non valet consequentia ad *esse simpliciter*.

5 Secundus modus est, cum ex eo, quod aliquid non sit tale, inferimus non *esse simpliciter*: ex. gr. cum dicimus, *equus non est homo; ergo equus non est*, non valet ex eadem ratione. Videtur tamen valere consequentia, & ideo decipit, quia *esse quid*, & *esse simpliciter*; *non esse quid*, & *non esse simpliciter*, videntur valde propinqua, ideoque videtur valere consequentia ab vno ad aliud.

6 Tertius modus est, cum ex eo, quod aliquid sit tale simpliciter, & non sit tale secundum quid, infertur, quod est tale, & non est tale: ex. gr. *Indus simpliciter non est albus, sed niger; Indus secundum dentes est albus; ergo Indus est albus, & non est albus*.

7 Quartus est, cum ex eo, quod duo con-

contraria conueniant secundum quid, inferimus duo contraria eidem inesse simpliciter: ex. gr. *Socrates secundum quid est albus, secundum quid est niger; ergo Socrates est albus, & niger*. Addit Aristoteles, quod licet aliquando, vt in casu posito, facile aduertatur fallacia, adhuc in alijs casibus non ita facile aduertitur fallacia; hoc verò præsertim accidit, cum subiectum æquè participat vtrumque oppositum, ex. gr. cum secundum vnam medietatem est album, secundum alteram nigrum: non enim videtur maior ratio, cur dicatur simpliciter potius album, quam nigrum, adeoque videtur inferri, quod sit simpliciter album, & nigrum, album, & non album.

8 *Quæ autem sunt propter id, quod non determinatur quid est syllogismus, aut quid redargutio, fiunt propter omissionem orationis. Nam redargutio est contradictio vnius et eiusdem, non nominis, sed rei, et nominis non synonymi, sed eiusdem ex ijs, quæ data sunt ex necessitate, non connumerato eo, quod erat in principio, secundum idem, et ad idem, et similiter, et in eodem tempore.*

9 *Hoc autem modo fieri potest, vt quis falsum dicat de aliquo. Quidam autem omittentes aliquid eorum, quæ dicta sunt, apparent redarguere.*

10 *Vt quod idem duplum, et non duplum: nam duo vnius quidem dupla, tria autem non dupla. Aut si eiusdem idem duplum, et non duplum, sed non secundum idem: nam secundum longitudinem duplum, secundum latitudinem non duplum. Aut si eiusdem, et secundum idem, et similiter, sed non simul: quare est apparens redargutia. Trahat autem aliquis hanc, et in eas, quæ sunt propter dictionem.*

8 Fallacia propter ignorantiam elenchi est, cum ex eo, quod quis ignorat, quid sit syllogismus redarguitiuus, & quid sit elenchus, seu redargutio, videtur cogere aduersarium ad contradictionem, cum verè non cogat ad contradictionem. Vt igitur intelligatur hæc fallacia, proponit Aristoteles definitionem elenchi. Elenchus *est contradictio, hoc est affirmatio, ac negatio eiusdem, & vnius, non solum nominis, sed rei, & nominis non synonymi, sed omnino eiusdem ex ijs, quæ data sunt ex necessitate, non connumerato eo, quod erat in principio; & secundum idem, & ad idem, & similiter, & in eodem tempore.*

9 Pro explicatione aduertendum, quod elenchus est contradictio præconcessi, illata per syllogismum; syllogismus verò inferens talem contradictionem, dicitur syllogismus redarguitiuus. In definitione igitur elenchi debet poni definitio contradictionis, quæ est genus, ac debet addi, quod sit conclusio illata syllogisticè, quæ est differentia. Aliquæ igitur particulæ definitionis allatæ spectant ad definitionem contradictionis, aliquæ ad definitionem elenchi, in quantum est conclusio.

10 Primo igitur elenchus, & vniuersaliter contradictio debet esse eiusdem de eodem. Ex defectu huius conditionis non est contradictio, cum dicitur, *Plato currit, Socrates non currit*, quia cursus non affirmatur, ac negatur de eodem, sed de diuersis. Similiter si dicatur *Plato currit, Plato non sedet*, non est contradictio, quia non affirmatur, ac negatur idem, sed vnum affirmatur, alterum negatur. Secundo debet esse affirmatio, ac negatio eiusdem de eodem, non solum nomine, sed re, & nomine. Ex defectu huius conditionis si dicatur *canis latrat*, & intelligatur de terrestri, *canis non latrat*, & intelligatur de marino, non est contradictio, quia licet affirmatio, & negatio cadat supra idem nomen, non tamen cadit supra eamdem rem. Tertio contradictio debet esse affirmatio, ac negatio eiusdem de eodem non vniuoco, sed omnino eodem. Ex defectu huius conditionis si dicatur, *homo currit, homo non currit*, non est contradictio, quia cum homo sit nomen vniuocum significans plures homines, ratione vnius potest verificari affirmatio, ratione alterius potest verificari negatio; ad contradictionem verò requiritur, vt affirmatio, ac negatio cadant supra idem omnino. Quarto contradictio debet esse affirmatio, ac negatio de eodem secundum idem. Ex defectu huius conditionis, si dicatur, *hæc tabula est dupla alterius secundum longitudinem, non est dupla secundum latitudinem*, non est contradictio, quia *esse duplam* affirmatur de tabula secundum longitudinem, negatur secundum latitudinem, adeoque idem non affirmatur, ac negatur de eodem secundum idem, sed secundum diuersa. Quinto debet contradictio esse affirmatio, ac negatio eiusdem de eodem respectu eiusdem. Ex defectu huius

con-

conditionis, si dicatur, *binarium est duplum vnitatis, binarium non est duplum numeri*, non est contradictio, quia affirmatur duplum respectu vnius, negatur duplum respectu alterius. Sexto contradictio debet esse affirmatio, ac negatio eiusdem de eodem similiter. Ex defectu huius conditionis non est contradictio, si dicatur; *Petrus currit tardè; Petrus non currit velociter*, quia non affirmatur, ac negatur, quod currat similiter, & eodem modo. Septimo contradictio debet esse affirmatio, ac negatio eiusdem de eodem, eodem tempore. Ex defectu huius conditionis non est contradictio, si dicatur, *Socrates tali tempore currebat; Socrates alio tempore non currebat*. Conditiones enumeratæ sunt communes omni contradictioni. Ad elenchum vlterius requiruntur duæ conditiones. Prima est, vt ex ijs, quæ data sunt, necessario sequatur contradictio: si igitur non necessario sequatur, eo quod argumentum non sit in forma, non est elenchus. Secunda est, vt inter præmissas non sit petitio principij: si enim inter præmissas est petitio principij, non est elenchus. Fallacia igitur ex ignorantia elenchi est, cum quis ex eo, quod omittat aliquam ex dictis conditionibus, videtur redarguere, & non redarguit: ex. gr. si quis dicat; *duo sunt duplum vnius, & non sunt duplum trium; ergo duo sunt duplum, & non sunt duplum*, videtur redarguere, sed non redarguit, quia non affirmat, ac negat duplum respectu eiusdem, sed respectu diuersorum. Idem dic, cum omittitur aliqua alia conditio. Exempla autem iam sunt allata, explicando conditiones elenchi. Addit Aristoteles paralogismum elenchi posse etiam fieri per fallacias dictionis, ex. gr. per æquiuocationem, amphibologiam &c.

11 *Quæ autem propter id, quod in principio erat, sumuntur, fiunt quidem sic, & tot modis, quot modis contingit, quod in principio est petere. Videntur autem redarguere, eo quòd non possit quis inspicere idem, & diuersum.*

11 Fallacia petitionis principij est, cum assumitur in præmissis id, quod debet probari. Tot autem modis ex petitione principij possunt fieri paralogismi, quot modis potest peti principium, qui modi sunt explicati lib. 2. Prior. cap. 21. & lib. 8. Topic. cap. 4. num. 30. Addit Aristoteles rationem, propter quam aliquando qui petit principium videtur redarguere, cum non redarguat, esse, quia non aduertitur, vtrum quod petitur sit idem cum eo, quod est probandum; ergo si quia petitur sub diuersis vocibus, videatur diuersum, videbitur probari contradictorium concessi, & tamen non probabitur, sed petetur; ergo videbitur redargutio, & non erit redargutio.

12 *Quæ vero propter consequens est redargutio, ideo est, quòd putent conuerti consequentiam. Nam si cùm hoc est ex necessitate, illud sit, & cùm illud est, putant & alterum esse ex necessitate. Vnde & quæ ob opinionem ex sensu sunt, deceptiones fiunt. Nam sæpe esse mel, fel suspicati sunt, eo quòd sequitur flauus color mel: & quia accidit terram pluuia madidam fieri, etiam si sit madida, opinantur pluisse: id autem non necessarium est. In rhetoricis quidem quæ secundum signum fiunt demonstrationes, ex consequentibus sunt. Nam volentes ostendere quòd adulter, quod consequens est, accipiunt, quòd comptus, aut quod videtur noctu errabundus: pluribus autem hæc quidem insunt, prædicatum tamen non inest. Similiter autem, & in ratiocinatiuis: vt est Melissi oratio, quod infinitum est vniuersum: sumens autem vniuersum ingenitum (nam ex nihilo nihil fieri) quod autem factum est ex principio fieri: si igitur non factum est, principium non habet vniuersum: quare infinitum. Non necesse est autem hoc accidere. Non enim si omne, quod factum est, principium habet, etiam quicquid principium habet, factum est: quemadmodum neque si febriens calidus, etiam calidum necesse est febrire.*

12 Fallacia consequentis est, cum quia ex aliquo antecedenti sequitur consequens, putamus conuerti, atque ex consequenti sequi antecedens. Ex fallacia consequentis sæpe decipimur. Ex. gr. cum quis videns aliquid flauum, putat illud esse mel, cum sit fel, decipitur fallacia consequentis. Quia enim si mel est, flauum est, supponitur è conuerso, quod si flauum est, mel est, quod tamen est falsum, cum etiam fel sit flauum. Eadem fallacia decipimur, cum videntes terram madefactam, arbitramur pluisse, licet non pluerit. Quia enim si pluit,

ma-

madefit terra, sumimus è conuerso, quod si madefacta est terra, pluerit, quod tamen est falsum, quia terra potest madefieri ex alijs causis. Rhetores etiam cum argumentantur ex signis, solent vti loco consequentis. Ex. gr. quia adulteri solent esse compti, & noctu incedere errabundi, assumunt, quod è conuerso, *qui sunt compti, et noctu incedunt errabundi, sunt adulteri; sed hic comptus noctu errabundus incessit; ergo hic est adulter*: & tamen non est necesse, vt qui comptus, & noctu errabundus incedit, sit adulter, nam etiam non adulteri aliquando compti, & noctu errabundi incedunt. Sæpe etiam in speculatiuis ipsi philosophi decipiuntur fallacia consequentis, vt Melissus. Sic enim probat mundum, siue vniuersum esse infinitum. Ex nihilo nihil fit; ergo vniuersum non est factum, alioquin esset factum ex nihilo; ergo vniuersum est ingenitum; sed ingenitum non habet principium, ac proinde neque finem; ergo vniuersum non habet principium, neque finem; ergo est infinitum. Probabat Melissus assumptum, quod ingenitum, seu non factum non habeat principium. Omne factum habet principium; ergo omne habens principium est factum, adeoque factum sequitur ad habens principium; sed ex destructione consequentis, sequitur destructio antecedentis; ergo si non est factum, non habet principium, adeoque quod est ingenitum, quia non est factum, non habet principium. Hæc ratiocinatio peccat fallacia consequentis. Non enim sequitur; *omne quod est factum habet principium; ergo omne habens principium est factum*, sicut non sequitur; *omnis febricitans est calidus; ergo omnis calidus febricitat*. Peccat etiam ratiocinatio Melissi in alijs, quæ afferuntur primo Physicorum, sed ad præsens institutum sufficit aduertere fallaciam consequentis. Debet autem aduerti, quod paralogismi in secunda figura ex puris affirmatiuis peccare solent fallacia consequentis.

13 *Quæ vero propter non causam, vt causam, cum assumitur quod non causa est, tanquam propter illud fiat redargutio. Accidit autem tale, ad impossibile syllogismis. Necessarium enim est in his aliquid interimere ex ijs, quæ posita sint. Si ergo enumeretur in necessarijs interrogationibus ad id, ad quod accidit impossibile, videbitur propter id sæpe fieri redargutio: vt quod non est anima, & vita idem: nam si generatio corruptioni est contrarium, et alicui corruptioni erit quædam generatio contrarium: mors autem corruptio quædam, et contrarium vitæ: quare vita generatio, et viuere generari: hoc autem impossibile: non ergo idem anima, et vita. Nequaquam collectum est, nam accidit, tametsi quispiam non idem dicat vitam, et animam, impossibile, sed solum contrarium vitam quidem morti, cum sit corruptio, corruptioni autem generationem. Incollectiles igitur simpliciter non sunt huiusmodi orationes, sed ad propositum incollectiles, et latet plerunque non minus ipsos interrogantes, quod tale est. Propter igitur consequens, et propter non causam, orationes huiusmodi sunt.*

13 Fallacia propter non causam vt causam est, cum sumitur non causa tanquam causa alicuius, & ex hoc redarguitur disputans. Solet autem hæc fallacia præsertim habere locum in syllogismis per impossibile, ac de ea actum est etiam lib. 2. Priorum cap. 22. vbi Aristoteles vocat illam *defectum falsi non propter hoc*. Committitur hæc fallacia in syllogismis ad impossibile, quia cum in talibus syllogismis inferatur aliquid impossibile, ac proinde ostendatur falsam esse aliquam ex præmissis, ex qua sequitur necessario impossibile, siquidem impossibile, & falsum non potest sequi nisi ex aliquo falso, inter præmissas ponitur aliqua propositio, quæ non debet inter illas poni, eo quod etiam ipsa ablata remaneat totus syllogismus, ex quo sequitur impossibile, & sic concluditur esse falsa talis propositio, & videtur redargui respondens, qui talem propositionem posuit. Exemplum sit: ponit quis, quod anima, & vita sunt idem. Sophista sic arguit; *si anima, et vita sunt idem, et generatio est contraria corruptioni, etiam aliqua generatio est contraria alicui corruptioni; sed mors est corruptio, et mors est contraria vitæ; ergo vita est quædam generatio, et viuere est generari; sed hoc est impossibile, viuit enim animal, etiam quando non generatur; ergo falsum est, quod anima sit vita, et quod generatio est contraria corruptioni*. Hæc ratiocinatio peccat, quia assumit non causam vt causam impossibilis, & ponit inter præmissas, ex quibus sequitur impossibile, hanc propo-

posi-

positionem, *quod anima est vita*, quæ propositio poni non debet, siquidem ea ablata, ac remanentibus alijs, quod nimirum corruptioni contraria sit generatio, & quod morti, quæ est corruptio, contraria sit vita, eo ipso sequitur, quod vita sit generatio. Tales igitur ratiocinationes simpliciter non sunt asyllogisticæ, quia verè aliquid concludunt, probant enim impossibile, & ex eius interemptione euertunt aliquam præmissam, sed sunt asyllogisticæ ad propositum, quia non concludunt propositum, hoc est falsitatem propositionis, quam aduersarius posuit, ideoque videntur redarguere, cum non redarguant. Addit Aristoteles aliquando non solum respõdentes, sed etiam interrogantes, & arguentes decipi, dum accipiunt vt causam, quod verè non est causa falsi, & impossibilis.

14 *Quæ autem propter id, quod est duas interrogationes vnam facere, quando latet plures esse, & perinde ac vna sit, assignatur responsio vna. In aliquibus autem facile est videre, quòd plures, & quòd non danda vna responsio: vt vtrum terra, mare est, an cœlum? in aliquibus vero minus, & quasi vna sit, aut confitetur, eo quòd nequeunt respondere ad interrogatum, aut redargui videntur.*

15 *Vt putas hic, & hic est homo? quare, cum aliquis percusserit hunc, & hunc, percutiet hominem, & non homines. Aut rursum quorum hæc sunt quidem bona, illa autem non bona, omnia hæc bona, an non bona? nam vtrumuis dixerit, est quidem, vt aut redargutionem, aut falsum apparens videatur facere. Nam dicere eorum, quæ non sunt bona, aliquid esse bonum, aut eorum, quæ bona sunt, non bonum, falsum.*

16 *Quandoque autem assumptis quibusdam, redargutio etiam fit vera: vt si quis concedat similiter, et vnum, et plura dici alba, et nuda, et cæca. Nam, si cæcum est, quod non habet visum, natum tamen habere, et cæca erunt, quæ non habent visum, nata autem habere: quando igitur hoc quidem habet visum, illud autem non habet, ambo erunt, vel videntia, vel cæca, quod est impossibile.*

14 Fallacia plurium interrogationum vt vnius est, cum ex eo, quod non aduertatur plures esse interrogationes, adeoque debere afferri plures responsiones, affertur vnica responsio. Porro aliquando facile est aduertere, quod plures sunt interrogationes, adeoque non est afferenda vnica responsio: ex. gr. dum quæritur vtrum terra sit mare, an Cælum? patet plures esse interrogationes, alteram *an terra sit mare?* alteram *an terra sit Cælum?* adeoque afferendas esse plures responsiones. Aliquando è conuerso difficile est aduertere, quod plures sunt interrogationes, adeoque tum respondens non inueniens, quo pacto possit respondere vna responsione, quæ sit vera, vel fatetur se non posse respondere ad talem interrogationem, vel respondet, & redarguitur.

15 Plura harum interrogationum, & redargutionum in ijs fundatarum exempla affert Aristoteles. Primum exemplum est, cum plures interrogationes interrogantur per numerum singularem, vt cum dicitur *Socrates, et Plato sunt homo, an non?* Si enim respondens affirmet, redarguitur ex absurdo, dicendo; *ergo si percusseris Socratem, et Platonem, percussisti hominem, non autem homines*: si verò negauerit redarguitur, dicendo; *ergo nec Socrates, nec Plato est homo*, quod pariter est absurdum. Secundum exemplum est, cum plures interrogationes interrogantur per numerum pluralem: ex. gr. si ponatur, quod aliqua frumenta sint bona, aliqua non, potest quis interrogare; *hæc frumenta sunt ne bona, an non?* si respondens affirmauerit, vel redarguitur, vel videtur dicere frumenta, quæ non sunt bona, esse bona; si negauerit, vel redarguitur, vel videtur negare esse bona frumenta, quæ sunt bona.

16 Debet autem aduerti, quod si aliqua frumenta sunt bona, aliqua non sunt bona, interrogatus autem, *an hæc sint bona?* neget, non semper potest verè redargui; non enim semper negat omnia esse bona: at ex suppositione, quod concedat omnia, & singula esse bona, potest verè redargui. Ex. gr. alter ex duobus sit cæcus, alter videns, interrogetur autem quis, *isti sunt videntes, an sunt cæci?* siue affirmet esse videntes, admittens quod vterque, & singuli sunt videntes, siue affirmet esse cæcos, admittens, quod vterque, & singuli sunt cæci, potest verè redargui, ostendendo, quod admiserit falsum.

Osten-

Ostenditur omnes fallacias reduci posse ad ignorantiam elenchi. Cap. V.

1 *AVt igitur sic diuidendum apparentes syllogismos, & redargutiones, aut omnes reducendum ad redargutionis ignorantiam, ijs, qui hanc principium faciunt.*

2 *Fieri enim potest, vt omnes resoluamus dictos modos ad redargutionis definitionem. Primum quidem, si incollectiles fuerint. Oportet enim ex ijs, quae posita sunt, accidere conclusionem, & vt ita dicam, ex necessitate, atque non apparere.*

3 *Deinde & secundum partes definitionis. Nam earum, quae sunt in dictione hae quidem sunt propter duplex, vt aequiuocatio, & oratio, & similis figura: consuetum enim id omnia, vt & illud quippiam significare. Compositio autem, & diuisio, & accentus, eo quòd non eadem est oratio, aut nomen quod differens: oportebat autem, et idem esse, quemadmodum & rem eandem, si debebat redargutio, vel syllogismus esse: vt si tunica, non vestis syllogizetur, sed tunica: nam verum est & illud, sed non syllogizatum est, sed adhuc interrogatione indiget, quod idem significat ad eum, qui quaerit propter quid.*

1 POstquam Aristoteles explicauit fallacias, tum quae consistunt in dictione, tum quae extra dictionem, docet, quod vel sic diuidendae sunt fallaciae in duas classes, ac tredecim locos iam enumeratos, vel omnes reduci debent ad ignorantiam elenchi, vt quidam faciunt, qui idcirco dicunt ignorantiam elenchi esse principium commune omnium fallaciarum. Ponit igitur conclusionem, quae est: omnes fallaciae reduci possunt ad ignorantiam elenchi.

2 Probatur, quia omnes fallaciae peccant contra definitionem elenchi; ergo omnes fallaciae reduci possunt ad ignorantiam elenchi. Probatur antecedens, quia elenchus definitur *syllogismus contradictionis*, adeoque genus elenchi est, vt sit syllogismus, differentia, vt sit syllogismus concludens contradictorium eius, quod aduersarius posuit; sed omnes fallaciae, vel peccant, quia non fit syllogismus, vel quia non concluditur vera contradictio; ergo &c. Probatur minor: primo enim multae fallaciae faciunt, vt oratio, quae videtur syllogistica, non sit syllogistica, & non concludat ex necessitate; sed istae eo ipso peccant contra genus positum in definitione elenchi; ergo &c. Aliae verò fallaciae peccant, quia non inferunt veram contradictionem, adeoque peccant contra differentiam elenchi.

3 Confirmatur discurrendo per singulas fallacias tum dictionis, tum extra dictionem, & ostendendo, quod omnes peccant contra aliquam partem definitionis elenchi. Per fallacias enim aequiuocationis, & amphibologiae peccatur, quia nomen, vel oratio non sumuntur in vna, & eadem significatione, sed in duplici; per fallaciam figurae dictionis peccatur, quia similes dictiones sumuntur, vt significantes idem cum significent diuersa; sed ad syllogismum, & contradictionem requiritur, vt nomina, & orationes sumantur in eadem significatione; si enim sumantur in diuersa significatione, non est vera contradictio, nec verus syllogismus; ergo in fallacijs aequiuocationis, amphibologiae, & figurae dictionis peccatur contra definitionem elenchi. In fallacijs compositionis, ac diuisionis, & accentus peccatur, quia supponitur, quod oratio composita, ac diuisa sit eadem, cum verè non sit eadem, ac quod nomen cum accentu, & sine accentu sit idem, cum verè non sit idem; ergò etiam in fallacijs compositionis, diuisionis, & accentus peccatur contra definitionem elenchi. Quod autem ad syllogismum requiratur, vt etiam nomen sit idem, probat Aristoteles; nam si quis ex his praemissis, *omne cooperimentum calefacit; omnis vestis est cooperimentum*, concludat; *ergo omnis tunica calefacit*, non syllogisticè infert conclusionem, quia licet *tunica*, & *vestis* sit idem, adhuc qui audit conclusionem quaerit *propter quid infertur talis conclusio?* ac responderi debet, quod conclusio infertur, quia vestis est idem, ac tunica; ergo patet, quod omnes fallaciae dictionis peccant contra definitionem elenchi.

4 *Quae vero secundum accidens definito syllogismo manifesta fiunt. Nam eandem definitionem oportet syllogismi, & redargutionis fieri, attamen & adiungere contradictionem; nam redargutio syllogismus est.*

est contradictionis: si igitur non est syllogismus accidentis, non fit redargutio.

5 *Non enim, si cùm hæc sint, necesse est illud esse, id autem est album esse propter syllogismum: neque si triangulus duobus rectis tres angulos habet æquales, & accidit ei figuram esse, vel primum, vel principium, quòd figura, vel primum, vel principium tale est. Nam non quatenus figura, vel primum, vel principium, sed quatenus triangulus demonstratio. Similiter & in alijs. Quare si redargutio syllogismus quidam, non erit quæ secundum accidens redargutio.*

6 *Verum propter hoc & artifices, & omnino scientes ab inscijs redarguuntur Nam secundum accidens syllogismos faciunt cōtra sapientes. Qui vero non possunt diuidere, aut interrogati concedunt, aut cùm non dant, arbitrantur dedisse.*

4 Probatur iam, quod etiam fallaciæ extra dictionem peccant contra definitionem elenchi, discurrendo per singulas. Primo si fallacia accidentis peccat contra definitionem syllogismi, peccat contra definitionem elenchi; si quidem in definitione elenchi ponitur vt genus definitio syllogismi, & additur, vt differentia definitio contradictionis; elenchus enim est syllogismus contradictionis; sed fallacia accidentis peccat contra definitionem syllogismi; ergo &c. Probatur minor: fallacia accidentis peccat, quia vel ex eo, quod aliquid dicatur de subiecto, infertur illud de accidente; vel ex eo, quod dicatur de accidente infertur de subiecto, vel de alio accidente, cum non fit necesse, vt illud, quod dicitur de subiecto, dicatur de accidente, vel è conuerso vt id, quod dicitur de accidente, dicatur de subiecto, aut de alio accidente; ergo in paralogismo accidentis non necesse est, vt si veræ sunt præmissæ, vera sit conclusio; sed ad definitionem syllogismi requiritur, vt si veræ sunt præmissæ, vera sit conclusio; ergo in fallacia accidentis peccatur contra definitionem syllogismi, eo quod videatur fieri syllogismus, cum non fiat; ergo peccatur etiam contra definitionem elenchi.

5 Explicatur exemplis. Primum exemplum, in quo ex eo, quod aliquid dicitur de accidente, infertur de subiecto, est: *album est disgregatiuum visus, & esse album est esse disgregatiuum; Socrates est albus; ergo Socrates est disgregatiuus visus, & esse Socratem est esse disgregatiuum.* Conclusio non sequitur ex positis præmissis, ideoque oratio allata non est syllogismus. Secundum exemplum, in quo ex eo, quod aliquid dicatur de subiecto, infertur de accidente, seu prædicato, quod dicitur de tali subiecto, est: *triangulus, in quantum triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis; triangulus est figura, est primum, & est principium quoddam; ergo figura in quantum figura habet tres angulos æquales duobus rectis; primum quatenus primum, & principium quatenus principium habet tres angulos æquales duobus rectis.* Conclusio non sequitur necessario ex positis præmissis, adeoque non fit syllogismus; sed omnis elenchus est syllogismus; ergo neque fit elenchus; ergo in fallacia accidentis peccatur contra definitionem elenchi.

6 Addit Aristoteles fallaciam accidentis esse ita difficilem, vt per ipsam etiam sapientes, & artifices in artibus periti redarguantur ab inscijs & imperitis. Faciunt enim syllogismos accidentis: & quia aliquando etiam sapientes non discernunt, vtrum syllogismus fit ex ijs, quæ dicuntur *per se*, an ex ijs, quæ dicuntur *per accidens*, vel concedunt conclusionem, vel ita se gerunt, vt videantur concedere, & sic videntur redargui. Penè igitur omnes deceptiones tum in speculatiuis, tum in practicis oriuntur ex fallacia accidentis. Medicus enim dum non discernit causam morbi per se à causa per accidens, putat causam per accidens esse causam per se, ideoque fallitur in medicando. Ex eadem ratione falli solent demonstrantes in demonstrando, ideoque verissimum est sapientes decipi fallacia accidentis.

7 *Quæ vero propter id quod aliquo modo, & simpliciter, quoniam non de eodem affirmatio, & negatio est. Nam aliquo modo albi, aliquo modo non album, & simpliciter albi, simpliciter non album negatio est. Si igitur cùm datur aliquo modo esse album, quis vt simpliciter dictum accipit, non facit redargutionem. Apparet autem propter ignorantiam ipsius, quid est redargutio.*

8 *Manifestissimæ autem omnium, quæ prius dictæ sunt propter redargutionis definitionem. Quare & sic nuncupatæ sunt. Nam propter rationis omissionem phantasia fit, et di-*

diuisi hoc pacto, commune in omnibus his ponendum est orationis omissio.

9 *Quæ vero propter id, quod sumitur, quod erat in principio, & non causa, vt causa ponitur, manifestæ sunt per definitionem. Nam oportet conclusionem accidere, eo quod hæc sunt, quòd non erat in non causis: & rursum non connumerato eo quod erat in principio, quod non habent ea, quæ sunt propter petitionem eius, quod in principio.*

7 Secundo in fallacia, quæ dicitur à *secundum quid ad simpliciter* peccatur contra definitionem elenchi. Ad elenchum enim requiritur, vt sit affirmatio, ac negatio eiusdem; sed negationi, qua dicitur, *æthiops non est albus simpliciter*, non opponitur affirmatio, qua dicatur, *æthiops non est albus secundum dentes*, sed qua dicatur, *æthiops simpliciter non est albus*; ergo cum quis contra eum, qui negauit æthiopem simpliciter esse album arguit, quia est *albus secundum dentes*, videtur redarguere propter ignorantiam elenchi, & tamen verè non redarguit, adeoque fallacia, quæ consistit in *simpliciter*, & *secundum quid*, reducitur ad ignorantiam elenchi.

8 Tertio fallacia, per quam sumuntur, vt contradictoria, quæ verè non sunt contradictoria, eo quod desit illis aliqua conditio posita in definitione contradictoriorum, manifestissimè peccat propter ignorantiam elenchi, cum nullam aliam causam habeat apparentiæ, nisi quia non aduertuntur conditiones contradictionis, aliæ verò fallaciæ habeant aliam causam. Hinc est, vt sicut aliæ fallaciæ habent aliam causam, sic habeant aliud nomen; at hæc, sicut non habet aliam causam, non habeat aliud nomen, & vocetur antonomasticè, *fallacia propter ignorantiam elenchi*.

9 Quarto fallacia petitionis principij, & non causæ, vt causæ peccat contra definitionem elenchi. Fallacia enim non causæ vt causæ est, cum sumitur, quod ex aliqua propositione sequatur conclusio impossibilis, cum verè non sequatur ex illa, sed ex alijs propositionibus; ergo peccatur contra definitionem syllogismi, ad quem requiritur, vt conclusio sequatur, *eo quod hæc sint*; sumitur enim impossibile sequi, eo quod sit talis propositio, cum non sequatur, eo quod sit talis propositio. In fallacia verò petitionis principij peccatur contra definitioné elenchi. Conclusio enim elenchi debet sequi necessario ex præmissis, non connumerando inter præmissas ipsam conclusionem probandam; sed fallacia petitionis principij ponit inter præmissas ipsam conclusionem probandam; ergo fallacia petitionis principij peccat contra definitionem elenchi.

10 *Quæ vero propter consequens particula sunt accidentis: nam consequens accidit: differt autem ab accidenti, quoniam accidens quidem est in vno solo sumere, vt idem esse flauum, & mel, & album, & cygnum: quod autem propter consequens semper in pluribus. Nam quæ vni, & eidem sunt eadem, & sibi inuicem postulantur esse eadem, propter quod fit ea quæ propter consequens redargutio: est autem non omnino verum, vt si sit album secundum accidens: nam & nix, & cygnus albo idem: aut rursum in Melissi oratione idem esse accipit factum esse, & principium habere. aut æqualia fieri: & eandem magnitudinem accipere. Quoniam enim principium habet, quod factum est, & quod habet principium factum esse postulat, tanquam ambo eadem sint, eo quòd principium habent factum esse, & finitum. Similiter & in ijs, quæ æqualia facta sunt, si eandem magnitudinem & vnam sumentia æqualia fiunt, & quæ æqualia facta sunt, eamdem, & vnam magnitudinem sumunt: quare consequens sumit. Quòd igitur propter accidens redargutio, in ignorantia redargutionis est, manifestum, & quòd ea, quæ est propter consequens. Inspiciendum autem est id & alias.*

10 Quinto fallacia consequentis est veluti species fallaciæ accidentis; sed fallacia accidentis reducitur ad ignorantiam elenchi, vt ostensum est num. 4; ergo &c. Probatur maior: nam in fallacia consequentis decipimur propter consequens, quod aliquo pacto accidit subiecto: ex. gr. cum quis quia mel est flauum, videns aliquid flauum decipitur, & putat illud esse mel, cum non sit mel, decipitur propter flauum, quod accidit melli, & consequitur ad mel. Adhuc tamen differunt fallacia accidentis, & fallacia consequentis. Nam in fallacia accidentis consideratur vnum subiectum, & ex eo, quod aliquid accidat tali subiecto, arguimus, quod quæ dicuntur de subiecto, dicantur de accidente, &

quæ

quæ dicuntur de accidente, dicantur de subiecto, & de alijs accidentibus eiusdem subiecti. Ex gr. quia mel est flauum, flauum autem est accidens, arguimus, quod mel est accidens: quia cygnus est albus, album autem definitur, disgregatiuum visus, arguimus, quod cygnus definitur disgregatiuum visus. E conuerso in fallacia consequentis sumimus plura subiecta, de quibus dicatur idem accidens, & inferimus, quod illa sint idem. Videtur enim, quod quæ eidem sunt idem, sibi inuicem sint idem, quod non est vniuersaliter verum. Neque enim si duo sint eidem idem per accidens, & non conuertibiliter, sunt idem inter se. Nam cum & nix sit alba, & cygnus sit albus, nix & cygnus sunt idem albo, & tamen non sunt idem inter se, siquidem nix non est cygnus. Est etiam alia causa apparentiæ in fallacia consequentis, quia sumitur consequens esse idem conuertibiliter cum antecedente, eo pacto, quo Melissus, quia *omne factum habet principiū*, sumpsit, quod *omne habens principium est factum*: & quia ex destructione consequentis sequitur destructio antecedentis, sumpsit, quod id, quod non est factum, non habet principium, adeoque nec finem; sed vniuersum non est factum; ex nihilo enim nihil fit; ergo vniuersum non habet principium, neque finem, ac proinde est infinitum. Eodem pacto argumentantur sophistæ, dum ex eo, quod omnia, quæ habent eamdem magnitudinem, sint æqualia, sumunt, quod è conuerso omnia æqualia habeant eamdem magnitudinem; sed omnia binaria sunt æqualia; ergo omnia binaria habent eamdem magnitudinem; ergo binarium muscarum, & binarium hominum habent eamdem magnitudinem, quod est ridiculum. Cum igitur fallacia consequentis sit quodammodo species fallaciæ accidentis; fallacia autem accidentis peccet propter ignorantiam elenchi; etiā fallacia cōsequentis peccat propter ignorantiam elenchi. Potest etiam aliter probari, quod fallacia consequentis peccat contra definitionem elenchi. Conclusio enim non sequitur ex præmissis positis; sed cum conclusio non sequitur, peccatur contra definitionem syllogismi; ergo in fallacia consequentis peccatur contra definitionem syllogismi; ergo etiam contra definitionem elenchi: si quidem elenchus est syllogismus.

11 *Quæ vero propter id, quod est plures interrogationes, vt vnam facere in eo sunt, quòd non enucleamus, siue non diuidimus propositionis orationem. Nam propositio vnum de vno est: nam idem terminus vnius solius rei, & simpliciter rei, vt hominis, & vnius solius hominis: similiter autem & in alijs. Si igitur vna propositio est, quæ vnum de vno postulat, & simpliciter erit propositio talis interrogatio. Atqui quoniam syllogismus ex propositionibus est, redargutio autem syllogismus, & redargutio erit ex propositionibus. Si igitur propositio vnum de vno manifestum, quoniam & hæc in redargutionis ignorantia: nam apparet esse propositio, quæ non est propositio. Si itaque dedit responsionem vt ad vnam interrogationem, erit redargutio, si autem non dederit sed apparet, apparens redargutio. Quare omnes loci cadunt in redargutionis ignorantiam, qui quidem dicti sunt propter dictionem, quia est apparens contradictio, quod erat proprium redargutionis, alij autem propter syllogismi terminum.*

11 Sexto etiam fallacia plurium interrogationum vt vnius peccat contra definitionem elenchi. Probatur: si peccat contra definitionem syllogismi, peccat contra definitionem elenchi; sed peccat contra definitionem syllogismi; ergo &c. Probatur minor: si peccat contra definitionem propositionis, peccat contra definitionem syllogismi, si quidem syllogismus est oratio constans ex propositionibus; sed peccat contra definitionem propositionis; ergo &c. Probatur minor: peccat, quia non distinguit, an interrogatio proposita sit vna propositio, vel non sit vna; sed in definitione propositionis includitur, quod sit vna, si quidem propositio est affirmatio, vel negatio vnius de vno, sicut autem idem est homo, ac vnus homo, sic idem est propositio, ac vna propositio, ideoque eadem est definitio propositionis, ac vnius propositionis; ergo sicut peccat contra definitionem propositionis vnius, non aduertens, an sit vna, sic peccat contra definitionem propositionis; ergo peccat contra definitionem syllogismi, & contra definitionem redargutionis, ideoque si attulerit responsionem vt vnam propositionem, cum non sit vna propositio, attulit non propositionem vt propositionem, adeoque re-

redarguitur verè, si videtur dedisse vnam responsionem, redarguitur apparenter; ergo patet omnes tredecim fallacias assignatas reduci ad ignorantiam elenchi. Aliquæ enim fallaciæ, præsertim dictionis, peccant contra definitionem contradictionis, quæ ponitur vt differentia in definitione elenchi; aliæ peccant contra definitionem syllogismi, qui ponitur vt genus in definitione elenchi.

Explicantur causæ, propter quas enumeratæ fallaciæ habent apparentiam, & decipiunt. Cap. VI.

1 *Deceptio autem fit in ijs quidem, quæ propter æquiuocationem, & orationem, eo quòd non potest quis diuidere id, quod multipliciter dicitur. Nam quædam non est promptum diuidere, vt vnum, & ens, & idem.*

2 *In ijs autem, quæ sunt propter compositionem, & diuisionem, eo quòd nihil putatur differre composita, & diuisa oratio, vt euenit in plurimis. Similiter autem, & in ijs, quæ sunt propter accentum. Non enim aliud videtur significare intensa, & remissa oratio in aliquo, aut non in pluribus.*

3 *Earum vero, quæ sunt propter figuram, ob similitudinem dictionis. Difficile est enim diuidere, quæ similiter, & quæ aliter dicuntur: nam ferme, qui hoc potest facere in procinctu est, vt videat verum: maxime autem sciet innuere, quòd omne, quod de aliquo prædicatur, arbitramur idipsum aliquid esse, & vt vnum intelligimus: nam vnum, & substantiam maxime videtur sequi id, quod est aliquid, & ens.*

4 *Quare in ijs, quæ sunt propter dictionem, hic locus ponendus. Primum quidem magis deceptio aggignitur in ijs, qui cum alijs considerant, quàm qui per seipsos: nam ea, quæ cum alio est, consideratio per orationem est, quæ autem per seipsos, non minus per ipsam rem. Deinde & per seipsos decipi accidit, quando in oratione facit considerationem. Præterea deceptio quidem ex similitudine, similitudo autem ex dictione.*

Explicatis tredecim locis deceptionum, explicat Aristoteles causas, propter quas tradita loca habent apparentiam, & decipiunt.

1 Primo paralogismi, qui fiunt per voces æquiuocas, vel per orationes ambiguas, & amphibologicas decipiunt, quia non potest quis distinguere id, quod multipliciter dicitur in suas significationes, adeoque non aduertit, quod sumitur in diuersa significatione. Præcipuè autem decipimur à nominibus, quorum multiplicitas difficile distinguitur, ac discernitur, cuiusmodi sunt *vnum*, *ens*, & *idem*. Horum enim significationes, cum sint affines, difficile distinguuntur.

2 Secundo paralogismi consistentes in compositione, vel diuisione, decipiunt, quia cum plerunque oratio composita, ac diuisa non soleant differre, etiam quando differunt, putantur non differre. Ex eadem ratione solent decipere fallaciæ ex accentu. Quia enim plerunque voces variato accentu non variant significationem, etiam cum ex variatione accentus variatur significatio, putatur non variari.

3 Tertio paralogismi fundati in similitudine dictionis decipiunt, quia cum sæpissimè dictiones similes significent similes res, difficile est discernere, quando dictiones similes significent similes res, quando dissimiles; qui verò id potest discernere est valde dispositus ad hoc, vt videat verum, adeoque non decipiatur. Porrò qui discernit, quando voces similes significent dissimilia, aduertet, quod licet substantiæ vniuersales, ex. gr. homo, equus, quæ prædicantur de subiecto, significentur per similes dictiones, ac substantiæ singulares, ex. gr. Socrates, Plato: vtræque enim significantur per nomina substantiua: adhuc non sunt hoc *aliquid per se existens*, sicut substantiæ singulares, cum qui id non discernit, putet substantias vniuersales per se existere, & esse vnum, eo quod *per se existere, et esse vnum*, videatur proprietas omnis substantiæ, licet verè sit proprietas solius substantiæ primæ, & singularis, quæ primo & maximè dicitur substantia.

4 Quia verò aliquis posset dubitare, vtrum fallacia similis figuræ consistat in dictione, vel extra dictionem, ideo Aristoteles docet, ac duplici ratione probat, quod consistit in dictione. Prima ratio est: fallacia, quæ potius decipit nos, cum disputamus cum alijs, quam cum speculamur soli, potius consistit in oratione, quam in re:

sed

sed hæc fallacia potius decipit nos, cum disputamus cum alijs, quam cum soli speculamur; ergo &c. Addit, quod qui speculantur per se, dum considerant res in se ipsis, decipiuntur fallacijs rei, cum verò considerant res relatè ad orationem, & voces, decipiuntur etiam fallacijs dictionis. Secunda ratio est: fallacia figuræ decipit propter similitudinem; sed similitudo non est inter res significatas, sed inter voces significantes; ergo fallacia figuræ consistit in vocibus, non in rebus.

5 *In ijs autem, quæ sunt propter accidens, eo quòd non potest diiudicare idem, & diuersum, & vnum & multa: neque quibus prædicatorum omnia hæc, & rei accidunt.*

6 *Similiter autem & in ijs, quæ propter consequens sunt: pars enim quædam accidentis est consequens. Amplius & in multis apparet, & postulatur hoc pacto, si hoc ab illo non separatur, nec ab altero separatur alterum.*

7 *In ijs verò, quæ sunt propter omissionem orationis, & in ijs, quæ sunt propter id, quod alio modo, & simpliciter, eo quòd propter parum deceptio est. Nam quasi nihil consignificent quid, aut aliquo modo, aut simpliciter, aut alicubi, aut nunc, vniuersaliter concedimus.*

8 *Similiter autem & in ijs, quæ quod in principio est sumunt, & in non causis, & quæcunque plures interrogationes, vt vnam faciunt: in omnibus enim his est deceptio ob id, quod propter parum. Nam non exactè discernimus, neque propositionis, neque syllogismi terminum, propter prædictam causam.*

5 Quarto paralogismi accidentis decipiunt, quia difficile est distinguere vnum, & multa, idem, & diuersum; & cum aliqua eo ipso, quod dicantur de prædicatis, dicantur etiam de subiectis, difficile est distinguere, quando nam quæ dicuntur de prædicatis, eo ipso dicantur de subiectis, quando autem, licet dicantur de prædicatis, adhuc dici non possint de subiectis.

6 Quinto paralogismi consequentis, cum sint veluti species paralogismorum accidentis, habent apparentiam propter eamdem causam, ac paralogismi accidentis. Præterea est ratio specialis, propter quam paralogismi consequentis decipiunt, quia cum in multis prædicata sint conuertibilia cum subiectis, ita vt sicut subiectum non potest esse sine tali prædicato, sic tale prædicatum non possit esse sine eodem subiecto, difficile distinguitur, quando valeat conuersio, quando non valeat.

7 Sexto paralogismi propter ignorantiam elenchi, & propter omissionem alicuius particulæ, quæ continetur in definitione contradictionis, & propter *simpliciter*, & *secundum quid*, habent apparentiam, quia parum pro nihilo reputatur. Cum ergo aliquando parum desit ad contradictionem, sumitur, quod sit contradictio, & cum particulæ limitatiuæ ad locum, tempus &c. parum significent, sumitur, ac si nihil significent, adeoque quod deberet concludi solum cum dictis particulis limitatiuis, concluditur simpliciter.

8 Septimo paralogismi petitionis principij, non causæ vt causæ, & plurium interrogationum, vt vnius, decipiunt, quia cum parum desit ad definitionem elenchi, & propositionis, videtur nihil deesse. In paralogismo enim petitionis principij deest solum ad definitionem elenchi illa particula, *non connumerato principio*; in paralogismo non causæ, vt causæ, deest illa particula, *eo quod hæc sint*; in paralogismo plurium interrogationum deest vnitas propositionis, quæ est de propositionis essentia, & definitione, vt explicatum est c. 5. num. 11; ergo quia parum deest, videtur nihil deesse; parum enim pro nihilo reputatur; ideoque decipimur, & videtur redargutio, quæ verè non est redargutio; ergo patet propter quas causas assignati loci fallaciarum habeant apparentiam aptam ad decipiendum.

Ostenditur, quod propter easdem causas, propter quas fiunt apparentes syllogismi, fiunt etiam sophistici syllogismi, tum peccantes in forma, tum peccantes in materia. Cap. VII.

1 *QVoniam autem habemus propter quæcunque fiunt apparentes syllogismi, habemus, & propter quæcunque fiunt sophistici syllogismi, & redargutiones Dico*

3 Quoad secundum: probat Aristoteles, quod ex ijsdem tredecim locis, ex quibus fiunt paralogismi peccantes in forma, fiunt etiam paralogismi, & elenchi peccantes in materia. Ideo enim ex ijs locis fiunt ratiocinationes, quæ cum non concludant, videntur concludere, quia audientibus æquiuocum videtur non æquiuocum, oratio ambigua videtur non ambigua; apparent autem hæc propter causas allatas capite superiori, propter difficultatem nimirum distinguendi, quæ dicuntur multipliciter &c; sed quæ videntur audientibus antequam interrogentur, conceduntur, si interrogentur; ergo interrogatus concedet, quod nomen non dicitur æquiuocè, oratio non est ambigua &c. adeoque concedet præmissas falsas, ex quibus fit syllogismus, & concluditur falsum; ergo propter easdem causas, & ex ijsdem locis omnibus, aut aliquibus, ex quibus fiunt syllogismi peccantes in forma, fiunt etiam syllogismi peccantes in materia. Dicit tamen Aristoteles, quod ex omnibus, vel ex aliquibus locis, ex quibus fiunt paralogismi peccantes in forma, possunt etiam fieri paralogismi peccantes in materia, quia non semper id contingit. Aliquando enim eo ipso, quod quis interrogat aliquid, ex cuius defectu ratiocinatio non concludit, vt id suppleat ex concessione respondentis, apparet falsitas interrogati, ac sic negatur à respondente, & syllogismus impeditur: ex. gr. si quis arguat; *omnis canis latrat; astrum est canis; ergo astrum latrat*, argumentum non concludit, quia canis sumitur æquiuocè. Si ergo vt concludat, quærat aliquis, *an astrum sit canis vniuocè, vel æquiuocè*, ad hoc vt assumens, quod astrum est canis vniuocè cum canè latrante, faciat syllogismum non peccantem in forma, statim patebit æquiuocatio, & sic impedietur argumentum. Idem solet contingere in alijs locis, & fallacijs dictionis. At in quibusdam quia non apparet falsitas interrogati, admittitur interrogatum, adeoque fit syllogismus in forma peccans in materia: ex. gr. syllogismus aliquis non concludit, quia aliquod nomen sumitur æquiuoce, licet æquiuocatio lateat: si quæratur à respondente, an illud nomen significet vniuoce, admittit, quod significat vniuocè. Tum ergo syllogismus concludit, sed peccat in materia quia assumit falsum, quod nimirum illud nomen dicatur vniuocè. Idem dic de fallacijs extra dictionem.

4 Hoc posito, Aristoteles sic concludit argumentum: propter eadem, propter quæ fiunt paralogismi redargutiui peccantes in forma, fiunt syllogismi peccantes in materia; sed peccantes in forma fiunt propter elenchum apparentem ex causis assignatis; ergo etiam propter easdem causas fiunt syllogismi peccantes in materia; sed causæ, cur appareat elenchus, qui non est, sunt conditiones requisitæ in definitione veri elenchi; deficiente enim aliqua conditione veri elenchi fit elenchus apparens; ergo conditiones requisitæ in definitione veri elenchi, cum desunt, sunt causæ omnium syllogismorum sophisticorum.

5 Explicatur, discurrendo per conditiones veri elenchi. Ratio, cur per syllogismum ad impossibile euertatur aliqua propositio concessa, & sic fiat vera redargutio est, quia propositio illa est causa, vt sequatur impossibile: si ergo non sit causa, sed videatur causa, fit syllogismus sophisticus, & sophistica redargutio, quæ redargutio peccat in forma, si respondens non concedit illam propositionem esse causam impossibilis; si verò hoc concedat, peccat in sola materia. Ratio, cur syllogismus concludat est, quia constat ex propositionibus, quæ sunt vnæ; ergo quia aliquæ propositiones non sunt vnæ, sed videntur vnæ, adeoque admittuntur vt vnæ, fit syllogismus sophisticus plurium interrogationum vt vnius. Ratio, cur syllogismi concludant est, quia procedunt ex prædicatis *per se*; ergo quia prædicata aliqua, quæ sunt per accidens, videntur *per se*, fiunt syllogismi sophistici accidentis, & ex eadem ratione fiunt syllogismi sophistici consequentis, qui sunt veluti species syllogismorum accidentis, vt dictum est. Ratio, cur fiant veri syllogismi est, quia sumuntur eadem, non solum secundum voces, & orationem, & figuram dictionis, sed etiam secundum rem; ergo cum videntur aliqua esse idem secundum rem, cum non sint eadem secundum rem, fiunt syllogismi sophistici fallacia dictionis. Ratio, cur elenchi veri redarguunt est, quia concludunt contradictonem cum particulis requisitis, hoc est *secundum idem, respectu eiusdem &c*; ergo cum quædam videntur contradictoria, licet desit aliqua conditio contradictoriorum, fiunt syllogismi, & elenchi sophistici à simpliciter ad secundum quid. Demum ratio, propter quam

ad quæ assignanda requiritur, vt sciantur omnia, quæ sunt; cum enim entia sint penè infinita, ad scienda omnia entia requiruntur infinitæ pene scientiæ, & infinitæ demonstrationes, per quas comparatur scientia conclusionum; sed ad assignanda loca propria syllogismorum, atque elenchorum, tum verorum, tum falsorum, requiritur, vt omnia sciantur; ergo non spectat ad vllam artem specialem, & vnam assignare loca propria; ergo neque ad dialecticam, quæ est ars specialis, & vna. Probatur minor, & primo quoad primam partem, quod nimirum ad assignanda loca propria verorum elenchorum, debeant sciri omnia. Omnis demonstratio conclusionis veræ est elenchus eius, qui poneret contradictorium talis propositionis: ex. gratia si quis poneret diametrum quadrati esse commensurabilem costæ, redarguitur per demonstrationem, per quam ostenditur diametrũ esse incommensurabilem, adeoque demonstratio probans diametrum esse incommensurabilem est verus elenchus dicentis, diametrum esse commensurabilem; ergo vt quis sciat loca propria ad redarguendum eum, qui dicit diametrum esse commensurabilem, debet scire ea, ex quibus demonstratur diametrum esse incommensurabilem; ergo vt sciat loca propria ad verè redarguendas omnes positiones falsas, debet scire omnes demonstrationes, quibus probantur omnes conclusiones veræ, adeoque debet omnia scire, & habere omnes scientias: ex. gr. vt sciat loca ad redarguenda falsa opposita conclusionibus geometricis, debet scire omnes demonstrationes geometricas; vt sciat loca ad redarguenda falsa opposita conclusionibus medicinalibus, debet scire omnes demonstrationes medicinales: idemque dic de reliquis disciplinis.

2 Probatur iam secunda pars minoris, quod etiam ad scienda loca propria omnium falsorum elenchorum, debeant omnia sciri, & haberi omnes scientiæ. Falsi enim elenchi proprij alicuius facultatis sunt, qui procedunt ex principijs, vel conclusionibus talis facultatis ad redarguendum aliquod verum positum in ea facultate; ergo ad sciendos locos proprios falsorum elenchorum, debent sciri omnia principia, & omnes conclusiones omnium disciplinarum, & facultatum, adeoque debent omnia sciri, & haberi omnes scientiæ.

3 *Manifestum est igitur, quòd non omnium redargutionum, sed earum, quæ sunt secundum dialecticam, sumendi sunt loci: nam ij communes sunt ad omnem artem, & potentiam. Et eam quidem, quæ est secundum vnamquanque disciplinam, redargutionem, scientis est considerare, siue cùm non est, apparet, siue cùm est, & quare est: eam autem, quæ ex communibus est, & sub nulla arte cadens, dialecticorum. Nam si habemus ex quibus probabiles syllogismi ex quolibet, habebimus ex quibus redargutiones. Redargutio nanque est syllogismus contradictionis: quare aut vnus, aut duo syllogismi contradictionis, redargutio est. Habemus igitur propter quæcunque omnes huiusmodi sunt. Si autem hæc habemus, & solutiones habemus: nam illarum instantiæ solutiones sunt. Habemus autem propter quæcunque & apparentes fiunt, apparentes autem non cuilibet, sed talibus. Infinita enim sunt, si quis consideret illa, secundum quæcunque apparent quibuslibet. Quare manifestum est, quoniam dialectici est posse sumere propter quæcunque fit per communia, vel quæ est redargutio, vel quæ apparet redargutio, vel dialectica, vel apparens dialectica, vel tentatiua.*

3 Cum igitur ad dialecticam non spectet assignare loca propria, sequitur, quod debeat solum assignare loca communia verorum, & falsorum syllogismorum, & elenchorum, quæ loca possunt applicari omnibus disciplinis, & facultatibus; loca verò propria tum vera, per quæ fit verus elenchus, tum falsa, per quæ fit falsus, & apparens elenchus, debent assignari à specialibus facultatibus, ac debent etiam explicari causæ, propter quas ex quibusdam locis fit verus elenchus, ex quibusdam fit elenchus apparens: speciales verò facultates loca communia debent relinquere dialecticæ, vt ab illa tradantur. Munus igitur dialecticæ est, vt tradat loca communia, ex quibus fiunt syllogismi probabiles: & quia ex ijsdem locis, ex quibus fiunt syllogismi probabiles, possunt etiam fieri probabiles elenchi ad redarguendas positiones contradictorias ijs, quæ probantur per tales syllogismos probabiles, ideo est etiam munus dialecticæ, vt tradat loca, ex quibus fiunt elenchi probabiles. Elenchus igitur est, vel vnus syllogismus probans

bans conclusionem contradictoriam ei, quam ponit aduersarius, vel si nullam ponat, elenchus, consistit in duobus syllogismis, per quorum vnum probetur vna pars contradictionis, per alterum alia pars contradictionis. Sicut verò dialectica assignat loca ad faciendos syllogismos probabiles, & ad instandum contra propositiones syllogismorum probabilium, sic assignat loca soluendi syllogismos probabiles. Soluuntur enim instando contra propositiones vniuersales, & ostendendo probabiliter, quod non sunt vniuersaliter veræ. Ad sophisticam, quæ est pars dialecticæ, spectat assignare loca, ex quibus fiunt syllogismi apparentes, non quidem huic, & illi singulari (hoc enim est infinitum, cum infinitis singularibus infinita appareant) sed hominibus sic affectis, & etiam explicare causas talis apparentiæ, ac proinde solutiones, per quas soluuntur syllogismi apparentes: qui enim scit cur appareat, scit soluere; ergo ad dialecticam, in quantum comprehendit sub se sophisticam, spectat assignare loca, ex quibus fiunt syllogismi, & elenchi, vel solum apparenter probabiles, ac dialectici, vel verè probabiles, ac dialectici.

Ostenditur malam esse diuisionem, per quam ratiocinationes sophisticæ diuiduntur in eas, quæ sunt ad nomen, & in eas, quæ sunt ad intellectũ. Caput IX.

1 *Non est autem differentia orationum, quam quidam dicunt esse, has quidem ad nomen, illas vero ad intellectum. Inconueniens enim est opinari alias quidem esse ad nomen orationes, diuersas vero ad intellectum, & non easdem.*

2 *Quid enim est non ad intellectum, nisi quando non vtimur nomine (qui putat interrogare) eo, ad quod is, qui interrogatus dedit? Idem autem id est, & ad nomen. Et ad intellectum autem, quando ad quod dedit intelligens.*

3 *Si autem aliquis, plura significante nomine, vnum putet significare, & interrogans, & interrogatus, vt forte ens, et vnum plura significat, sed & respondens, & interrogans Zeno vnum putans esse interrogauit, & est oratio, quod vnum omnia, hæc ad nomen est, aut ad intellectum interrogantis disputata. Si vero aliquis multa putet significare, manifestum, quòd oratio illa non est ad intellectum.*

1 QVia per veritatem possunt euerti errores contrarij, Aristoteles postquam tradidit veram doctrinam circa sophisticas ratiocinationes, & elenchos, & eorum diuisionem, reijcit errorem antiquorum, qui dixerunt sophisticas ratiocinationes diuidi in eas, quæ sunt ad nomen, & in eas, quæ sunt ad sententiam, siue intellectum. Hæc diuisio, vt Aristoteles docet, est mala. Supponit enim, quod aliæ ratiocinationes sint ad nomen, aliæ ad sententiam, cum tamen vt infra probabitur, possint eædem ratiocinationes sophisticæ esse tum ad nomen, tum ad sententiam. Vt igitur hanc diuisionem reijciat Aristoteles, primo explicat terminos, & declarat, quid sit argumentatio non ad sententiam, sed ad nomen, quid argumentatio ad sententiam, & ostendit eamdem argumentationem respectu aliquorum disputantiũ posse esse ad nomen, respectu aliorum ad sententiam: secundo affert contra dictam diuisionem octo rationes: tertio docet, & probat arguentem, cum vtitur nominibus ambiguis, non debere, saltem regulariter, distinguere varias significationes talium nominum.

2 Quoad primum: disputare non ad sententiam nihil aliud est, quam quod qui arguit, non sumat nomen in ea significatione, in qua tale nomen sumpsit respondens, dum interrogatus concessit aliquam propositionem; sed eo ipso, quod quis disputat non ad sententiam disputat ad nomen, alioquin posset quis disputare, neque ad nomen, neque ad sententiam, quod est contra aduersarios, qui dicunt omnem disputationem esse vel ad nomen, vel ad sententiam; ergo etiam disputare ad nomen est sumere nomen in alia significatione, ac id sumpserit respondens, dum aliquam propositionem admisit: disputare verò ad sententiam est sumere nomen in ea significatione, in qua nomen sumpsit respondens, dum propositionem aliquam admisit.

3 Ex hac descriptione disputationis ad nomen, & ad sententiam, infertur, quod eadem argumentatio, quæ respectu aliquorum disputantium est ad sententiam, respectu

ctu

ctu aliorum non est ad sententiam, sed solum ad nomen: ex gr. eadem argumentatio, qua Melissus probabat omnia esse vnum, respectu Zenonis, qui conueniebat cum Melisso in hoc, quod ens & vnum haberent vnam tantum significationem fuisset ad sententiam, quia Zeno, & Melissus conuenissent in significatione nominum *entis*, *et vnius*, ex quibus conficitur talis argumentatio; at eadem argumentatio respectu alicuius peripatetici censentis, quod ens, & vnum dicantur multipliciter, fuisset non ad sententiam, sed solum ad nomen.

4 *Primum igitur circa huiusmodi orationes est ad nomen, & ad intellectum, quæcunque plura significant.*

5 *Deinde circa quamlibet est. Nam non in oratione est ad intellectum esse sed in eo, quod respondens se habet aliquo modo ad ea, quæ dantur.*

6 *Deinde ad nomen contingit omnes eas esse. Nam esse ad nomen, hoc in loco, est esse non ad intellectum. Nam si omnes, erunt quædam aliæ, quæ neque ad nomen, neque ad intellectum.*

7 *Illi vero dicunt omnes, & diuidunt, vel ad nomen, vel ad intellectum esse omnes, alias autem non. Attamen quicunque sunt syllogismi propter id, quod multipliciter, horum aliqui sunt secundum nomen. Nam absurde dicatur secundum nomen esse omnes, qui sunt propter dictionem, sed sunt quædam captiones non in eo, quod respondens ad eas se habeat aliquo modo, sed quia talem interrogationem oratio ipsa habeat, quæ plura significet.*

4 Quoad secundum: probat Aristoteles octo rationibus malam esse diuisionem argumentationum in eas, quæ sunt ad nomen, & in eas, quæ sunt ad sententiam. Prima ratio est: eadem argumentatio respectu aliquorum disputantium est ad sententiam, respectu aliorum non est ad sententiam, sed solum ad nomen, vt iam extentiam, sed solum ad nomen, vt iam explicatum est de argumentatione Melissi; ergo membra diuisionis non adæquatè distinguuntur, adeoque mala est diuisio.

5 Secunda ratio est: vniuersim omnis argumentatio potest esse ad sententiam, vel non ad sententiam; ergo &c. Probatur antecedens, quia hoc, quod est *esse ad sententiam*, vel *non esse ad sententiam*, pendet ab eo, quod respondens propositiones concessas intelligat vno, vel alio modo; sed accidit, vt easdem propositiones respondens intelligat in vno sensu, vel in altero; ergo accidit, vt eadem argumentatio sit ad sententiam, vel non sit ad sententiam; ergo *esse ad sententiam*, vel *non esse ad sententiam* non est differentia essentialis, sed solum accidentalis argumentationis, siquidem accidit, vt sic, vel sic intelligatur, adeoque diuisio est mala.

6 Tertia ratio est: omnes argumentationes, etiam quæ maximè dicuntur pertinere ad sententiam, possunt non intelligi à respondente in sensu, in quo proponuntur ab arguente, adeoque possunt non pertinere ad sententiam; sed si non pertinent ad sententiam, eo ipso pertinent ad nomen; ergo &c. Probatur minor: aduersarij enim dicunt omnes argumentationes vel pertinere ad nomen, vel ad sententiam; ergo eo ipso, quod non spectant ad sententiam, spectant ad nomen; alioquin diuisio non esset adæquata, & daretur medium inter membra diuisionis.

7 Quarta ratio est: isti auctores dicunt omnes fallacias dictionis esse ad nomen tantum, non ad sententiam; sed hoc est falsum; ergo &c. Probatur minor: fallaciæ in enim fundatæ in eo, quod nomen, vel oratio dicatur multipliciter, possunt non esse ad nomen; sed istæ sunt fallaciæ dictionis; ergo non omnes fallaciæ dictionis sunt ad nomen. Probatur maior: fallaciæ enim dictionis sunt, cum nomina sumuntur in diuerso sensu ab arguente, ac sumantur à respondente; sed multæ argumentationes fundatæ in æquiuocatione sunt fallaces præcisè, quia nomen, vel oratio significant plura antecedenter ad hoc, quod ab arguente sumantur in vna, vel alia significatione: ex gr. hæc argumentatio, *omnis canis latrat; aliquis pisces est canis; ergo aliquis piscis latrat*, est fallax, quia nomen canis sumitur multipliciter in ipsa argumentatione, non quia sumitur in diuerso sensu ab arguente, ac sumatur à respondente.

8 *Et omnino inconueniens est de redargutione differere, & non prius de syllogismo. Nam redargutio syllogismus est: quare oportet, & de syllogismo prius, quàm de falsa redargutione: nam talis redargutio, apparens syllogismus contradictionis. Quare*

aut in syllogismo erit causa, aut in contradictione: nam adiungere oportet contradictionem: quandoque autem in vtroque erit apparens redargutio. Est autem de eo, quod est silentia dicere, in contradictione, non in syllogismo: de eo autem, quod est, quod non habet aliquis dare, in vtrisque: de eo vero, quod est, quod Homeri poema est figura, per circulum, in syllogismo: quae autem in neutro est, verus est syllogismus.

9 *Verum vnde sermo prouenit reuertamur, vtrum, quae in disciplinis sunt orationes, ad intellectum sint, an non? & si cui videtur plura significare triangulus, & dedit, non vt eam figuram, de qua concludebat, quoniam duo recti, vtrum ad intellectum illius disputauit hic, an non?*

8 Quinta ratio est: inconuenienter agitur de specie, nisi prius actum sit de genere; sed elenchus est species syllogismi, cum sit syllogismus contradictionis; ergo inconuenienter antiqui egerunt de elencho, cum non egerint de syllogismo, & inconuenienter non præmissa explicatione syllogismi, elenchum fallacem diuiserunt in eum, qui est ad nomen, & in eum, qui est ad sententiam, siue intellectum. Debuit igitur, præmitti explicatio syllogismi, ac debuit dici, quod elenchus supra syllogismum addit hoc, vt sit syllogismus contradictionis, & quod syllogismus fallax, vel ex eo est fallax, quia videtur syllogismus, cum non sit, vel quia licet sit syllogismus, videtur concludere contradictionem, cum non concludat contradictionem, vel ex vtroque capite. Exemplum elenchi, qui peccat solum, quia videtur concludere contradictionem, cum non concludat contradictionem, est: interrogat sophista, an possibile sit tacentem loqui? Negat respondens: arguit sophista: *possibile est loqui Socratem; Socrates est tacens; ergo possibile est loqui tacentem.* Hic elenchus peccat, non quia non concludat, sed quia non concludit contradictionem. Respondens enim negauit possibile esse tacentem loqui actiuè, itaut ipse tacens simul loquatur; sed elenchus probat solum possibile esse loqui tacentem passiuè, ita vt tacens sit is, de quo alius loquitur; ergo elenchus non probat contradictionem negati, adeoque est fallax, non quia non concludat, sed quia non concludit contradictionem. Exemplum elenchi, qui peccat, quia nec est syllogismus, nec concludit contradictionem est: interrogat sophista, an possit quis dare quod non habet? Negat respondens: arguit sophista: *Auarus dat pecuniam molestè; auarus non habet pecuniam molestè; ergo auarus dat quod non habet.* Hic elenchus peccat primo, quia non est syllogismus: non enim sequitur conclusio illata, quod auarus det quod non habet, sed solum, quod det eo modo, quo non habet, siquidem dat molestè, cum non habeat molestè: si verò hoc concludatur, non est elenchus, quia huic, quod est, *non potest quis dare quod non habet*, non contradicit hoc, quod est, *potest aliquis dare modo, quo non habet*. Exemplum elenchi, qui peccat solum, quia videtur concludere, & non concludit, est: interrogat sophista, an aliquod poema Homeri sit figura. Negat respondens: arguit sophista; *omnis circulus est figura; aliquod poema Homeri est circulus; ergo aliquod poema Homeri est figura.* Hic elenchus peccat, quia videtur concludere, cum non concludat. Nam in maiori nomine circuli intelligitur circulus mathematicus, in minori nomine circuli intelligitur genus carminis, adeoque cum medium sumatur æquiuocè, nihil sequitur.

9 Regrediens Aristoteles ad impugnandā sententiam antiquorum, proponit contra illam sextam rationem, quæ est: videntur docere, qui vtuntur allata diuisione, quod omnes argumentationes ad nomen, & non ad sententiam sunt sophisticæ. Contra hoc est, quia cum quis in mathematicis demonstrat triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, potest contingere, vt respondens, putans triangulum non significare rationem communem trianguli, sed vel triangulum æquilaterum vel Isoscelem, vel scalenum, intelligat demonstrationem solum de vna specie trianguli, puta de Isoscele; ergo tum argumentum non erit ad sententiam, sed ad nomen, & tamen non erit sophisticum; ergo non est verum, quod omnis demonstratio ad nomen sit sophistica.

10 *Amplius si plura quidem significat nomen, ille autem non intelligit, neque putat, quomodo is non ad intellectum disputat? Aut quomodo oportet interrogare eum, qui*

qui non dat diuisionem? Siue interroget aliquis si est silentia dicere, an non? An est quidem vt non, an est vt sic? Si autem dat aliquis nullo modo, ille autem disputat, vtrum non ad intellectum disputat, quamuis oratio videatur earum esse, quæ ad nomen sunt?

11 *Non igitur est genus aliquod orationum ad intellectum, sed illa quidem ad nomen sunt, & huiusmodi non omnes, non quòd redargutiones, sed neque apparentes redargutiones. Nam sunt, & non propter dictionem apparentes redargutiones, vt quæ propter accidens, & reliquæ.*

10 Septima ratio est: potest contingere, vt quis vtatur nomine, vel oratione ambigua, & multiplici, respondens verò putans nomen, & orationem vnum significare, admittat quod dicitur vt verum in omni sensu: in hoc casu argumentatio erit ad sententiam; sed adhuc erit fallax fallacia dictionis, antiqui verò dicebant omnes fallacias dictionis esse argumentationes ad nomen; ergo doctrina antiquorum est falsa, ac sibi ipsi repugnans.

11 Octaua, & vltima ratio est: ex vna parte omnes argumentationes possunt esse ad nomen, vt etiam de mathematicis ostensum est num. 9 ex alia parte per aduersarios non omnes argumentationes possunt esse ad nomen, sed solum fallaces fallacia dictionis, veri autem elenchi, & fallaciæ extra dictionem non possunt reduci ad nomen; ergo doctrina aduersariorum est repugnans.

12 *Si autem postulet diuidendum, quòd dico quidem silentia dicere, hæc autem sic, illa vero non sic, id profectò primum absurdum postulare. Nam quandoque non videtur interrogatum multipliciter se habere: atqui impossibile est diuidere, qui non putat. Deinde docere, quid aliud erit? Manifestum enim faciet quonam pacto se habet ei, qui neque considerat, neque scit neque opinatur, quòd aliter dicitur, quia & in non duplicibus quid prohibet hoc facere? Vt putas æquales sunt vnitates binarijs in quaternarijs? Sunt autem hi binarij quidem inexistentes illi autem non sic. Et putas contrariorum vna est disciplina, an non? Sunt autem contraria hæc quidem nota, illa autem ignota. Quare videtur ignorare, qui hoc postulat, quòd aliud est docere, quàm disputare, & quòd oportet quidem docentem non interrogare, sed eum manifesta facere, illum autem interrogare.*

12 Quoad tertium: quia ne fiat disputatio ad nomen, conducit, vt distinguantur variæ significationes nominis, posset aliquis putare arguentem debere distinguere varias significatinnes nominum multiplicium. Hanc opinionem reijciens Aristoteles probat tribus rationibus, quod arguens, saltem regulariter, non debet distinguere nomina multiplicia. Prima ratio est: sæpe arguens non aduertit nomen, vel orationem dici multipliciter; ergo tum non debet, nec potest distinguere significationes, quas ignorat. Secunda ratio est: non est officium arguentis docere respondentem, sed contra illum opponere; sed si deberet distinguere significationes nominum, deberet docere; ergo &c. Tertia ratio est: etiam nomina, quæ non dicuntur multipliciter, possunt diuidi; ergo si deberet arguens diuidere nomina, quæ dicuntur multipliciter, cur non deberet etiam diuidere nomina, quæ non dicuntur multipliciter? Sed hæc non debet diuidere; ergo nec illa. Probatur, & explicatur prima consequentia, & antecedens assumptum: deberet ex. gr. interrogans, an tot in quaternario sint binarij, quot vnitates, diuidere binaria, dicens, quod aliqua sunt communicantia, aliqua non communicantia: rursus interrogans, an contrariorum sit vna disciplina, deberet addere, quod contraria aliqua sunt nota, alia ignota; sed manifestum est, quod si deberet arguens afferre has diuisiones, deberet fungi munere docentis; ergo qui putant arguentem debere præmittere diuisiones nominum, videntur ignorare, quod aliud est munus arguentis, aliud docentis, & quod docens non debet interrogare, sed explicare, ac manifesta facere quæ docet, argumentans è conuerso debet interrogare, non autem explicare.



De

aut in syllogismo erit causa, aut in contradictione: nam adiungere oportet contradictionem: quandoque autem in vtroque erit apparens redargutio. Est autem de eo, quod est silentia dicere, in contradictione, non in syllogismo: de eo autem, quod est, quod non habet aliquis dare, in vtrisque: de eo vero, quod est, quod Homeri poema est figura, per circulum, in syllogismo: quæ autem in neutro est, verus est syllogismus.

9 *Verum vnde sermo prouenit reuertamur, vtrum, quæ in disciplinis sunt orationes, ad intellectum sint, an non? & si cui videtur plura significare triangulus, & dedit, non vt eam figuram, de qua concludebat, quoniam duo recti, vtrum ad intellectum illius disputauit hic, an non?*

8 Quinta ratio est: inconuenienter agitur de specie, nisi prius actum sit de genere; sed elenchus est species syllogismi, cum sit syllogismus contradictionis; ergo inconuenienter antiqui egerunt de elencho, cum non egerint de syllogismo, & inconuenienter non præmissa explicatione syllogismi, elenchum fallacem diuiserunt in eum, qui est ad nomen, & in eum, qui est ad sententiam, siue intellectum. Debuit igitur, præmitti explicatio syllogismi, ac debuit dici, quod elenchus supra syllogismum addit hoc, vt sit syllogismus contradictionis, & quod syllogismus fallax, vel ex eo est fallax, quia videtur syllogismus, cum non sit, vel quia licet sit syllogismus, videtur concludere contradictionem, cum non concludat contradictionem, vel ex vtroque capite. Exemplum elenchi, qui peccat solum, quia videtur concludere contradictionem, cum non concludat contradictionem, est: interrogat sophista, an possibile sit tacentem loqui? Negat respondens: arguit sophista: *possibile est loqui Socratem; Socrates est tacens; ergo possibile est loqui tacentem*. Hic elenchus peccat, non quia non concludat, sed quia non concludit contradictionem. Respondens enim negauit possibile esse tacentem loqui actiuè, itaut ipse tacens simul loquatur; sed elenchus probat solum possibile esse loqui tacentem passiuè, ita vt tacens sit is, de quo alius loquitur; ergo elenchus non probat contradictionem negati, adeoque est fallax, non quia non concludat, sed quia non concludit contradictionem. Exemplum elenchi, qui peccat, quia nec est syllogismus, nec concludit contradictionem est: interrogat sophista, an possit quis dare quod non habet? Negat respondens: arguit sophista: *Auarus dat pecuniam molestè; auarus non habet pecuniam molestè; ergo auarus dat quod non habet*. Hic elenchus peccat primo, quia non est syllogismus: non enim sequitur conclusio illata, quod auarus det quod non habet, sed solum, quod det eo modo, quo non habet, siquidem dat molestè, cum non habeat molestè: si verò hoc concludatur, non est elenchus, quia huic, quod est, *non potest quis dare quod non habet*, non contradicit hoc, quod est, *potest aliquis dare modo, quo non habet*. Exemplum elenchi, qui peccat solum, quia videtur concludere, & non concludit, est: interrogat sophista, an aliquod poema Homeri sit figura. Negat respondens: arguit sophista; *omnis circulus est figura; aliquod poema Homeri est circulus; ergo aliquod poema Homeri est figura*. Hic elenchus peccat, quia videtur concludere, cum non concludat: Nam in maiori nomine circuli intelligitur circulus mathematicus, in minori nomine circuli intelligitur genus carminis, adeoque cum medium sumatur æquiuocè, nihil sequitur.

9 Regrediens Aristoteles ad impugnandã sententiam antiquorum, proponit contra illam sextam rationem, quæ est: videntur docere, qui vtuntur allata diuisione, quod omnes argumentationes ad nomen, & non ad sententiam sunt sophisticæ. Contra hoc est, quia cum quis in mathematicis demonstrat triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, potest contingere, vt respondens, putans triangulum non significare rationem communem trianguli, sed vel triangulum æquilaterum vel Isoscelem, vel scalenum, intelligat demonstrationem solum de vna specie trianguli, puta de Isoscele; ergo tum argumentum non erit ad sententiam, sed ad nomen, & tamen non erit sophisticum; ergo non est verum, quod omnis demonstratio ad nomen sit sophistica.

10 *Amplius si plura quidem significat nomen, ille autem non intelligit, neque putat, quomodo is non ad intellectum disputat? Aut quomodo oportet interrogare eum, qui*

qui non dat diuisionem? Siue interroget aliquis si est silentia dicere, an non? An est quidem vt non, an est vt sic? Si autem dat aliquis nullo modo, ille autem disputat, vtrum non ad intellectum disputat, quamuis oratio videatur earum esse, quæ ad nomen sunt?


11 *Non igitur est genus aliquod orationum ad intellectum, sed illæ quidem ad nomen sunt, & huiusmodi non omnes, non quòd redargutiones, sed neque apparentes redargutiones. Nam sunt, & non propter dictionem apparentes redargutiones, vt quæ propter accidens, & reliquæ.*

10 Septima ratio est: potest contingere, vt quis vtatur nomine, vel oratione ambigua, & multiplici, respondens verò putans nomen, & orationem vnum significare, admittat quod dicitur vt verum in omni sensu: in hoc casu argumentatio erit ad sententiam; sed adhuc erit fallax fallacia dictionis, antiqui verò dicebant omnes fallacias dictionis esse argumentationes ad nomen; ergo doctrina antiquorum est falsa, ac sibi ipsi repugnans.

11 Octaua, & vltima ratio est: ex vna parte omnes argumentationes possunt esse ad nomen, vt etiam de mathematicis ostensum est num. 9 ex alia parte per aduersarios non omnes argumentationes possunt esse ad nomen, sed solum fallaces fallacia dictionis, veri autem elenchi, & fallaciæ extra dictionem non possunt reduci ad nomen; ergo doctrina aduersariorum est repugnans.

12 *Si autem postulet diuidendum, quòd dico quidem silentia dicere, hæc autem sic, illa vero non sic, id profecto primum absurdum postulare. Nam quandoque non videtur interrogatum multipliciter se habere: atqui impossibile est diuidere, qui non putat. Deinde docere, quid aliud erit? Manifestum enim faciet quonam pacto se habet ei, qui neque considerat, neque scit neque opinatur, quòd aliter dicitur, quia & in non duplicibus quid prohibet hoc facere? Vt putas æquales sunt vnitates binarijs in quaternarijs? Sunt autem hi binarij quidem inexistentes illi autem non sic. Et putas contrariorum vna est disciplina, an non? Sunt autem contraria hæc quidem nota, illa autem ignota. Quare videtur ignorare, qui hoc postulat, quòd aliud est docere, quàm disputare, & quòd oportet quidem docentem non interrogare, sed eum manifesta facere, illum autem interrogare.*

12 Quoad tertium: quia ne fiat disputatio ad nomen, conducit, vt distinguantur variæ significationes nominis, posset aliquis putare arguentem debere distinguere varias significatinnes nominum multiplicium. Hanc opinionem reijciens Aristoteles probat tribus rationibus, quod arguens, saltem regulariter, non debet distinguere nomina multiplicia. Prima ratio est: sæpe arguens non aduertit nomen, vel orationem dici multipliciter; ergo tum non debet, nec potest distinguere significationes, quas ignorat. Secunda ratio est: non est officium arguentis docere respondentem, sed contra illum opponere; sed si deberet distinguere significationes nominum, deberet docere; ergo &c. Tertia ratio est: etiam nomina, quæ non dicuntur multipliciter, possunt diuidi; ergo si deberet arguens diuidere nomina, quæ dicuntur multipliciter, cur non deberet etiam diuidere nomina, quæ non dicuntur multipliciter? Sed hæc non debet diuidere; ergo nec illa. Probatur, & explicatur prima consequentia, & antecedens assumptum: deberet ex. gr interrogans, an tot in quaternario sint binarij, quot vnitates, diuidere binaria, dicens, quod aliqua sunt communicantia, aliqua non communicantia: rursus interrogans, an contrariorum sit vna disciplina, deberet addere, quod contraria aliqua sunt nota, alia ignota; sed manifestum est, quod si deberet arguens afferre has diuisiones, deberet fungi munere docentis; ergo qui putant arguentem debere præmittere diuisiones nominum, videntur ignorare, quod aliud est munus arguentis, aliud docentis, & quod docens non debet interrogare, sed explicare, ac manifesta facere quæ docet, argumentans è conuerso debet interrogare, non autem explicare.



De

De differentia inter elenchos demonstratiuos, pseudographos, dialecticos, tentatiuos, sophisticos, & contentiosos. Caput X.

1 *AMplius affirmare, vel negare, qui postulat, id non monstrantis est, sed experimentum sumentis. Nam tentatiua, dialectica quædam est: quapropter de omnibus inspicit, & explorat non scientem, sed ignorantem, atque simulantem.*

2 *Qui igitur secundum rem considerat communia, dialecticus est: qui autem id apparenter facit, sophisticus.*

3 *Et syllogismus contentiosus, & sophisticus, vnus quidem est apparens syllogismus, circa ea, de quibus dialectica tentatiua est, quamuis vera sit conclusio. Nam eius, quod est propter quid, hallucinatorius est: & quæcunque, cum non sint, secundum cuiusque disciplinam captiosæ ratiocinationes, videntur esse secundum artem.*

4 *Nam pseudographiæ non contentiosæ: secundum enim ea, quæ sub arte sunt, captiosæ sunt ratiocinationes. Neque si aliqua est pseudographia circa verum, vt Hippocratis quadratura, quæ per lunulas, sed vt Brysso quadrauit circulum: & tametsi quadraretur circulus, quia tamen non secundum rem, ideo sophisticus.*

QVia Aristoteles in fine capitis præcedentis docuit eos, qui exigunt, vt arguens, cum vtitur nomine, vel oratione plura significante, explicet varias significationes nominis, vel orationis, errare, quia non distinguunt, quod sit munus docentis, seu demonstrantis, & quod sit munus opponentis, siue arguentis ad experimentum sumendum de doctrina respondentis, ideo vt id melius pateat, confert inter se demonstrantem, pseudographum, dialecticum, tentatiuum, sophisticum, & contentiosum, & explicat quædam eorum discrimina, ac munera, atque etiam discrimina elenchorum, quibus vtuntur, qui elenchi sunt demonstratiuus, pseudographus, dialecticus, tentatiuus, sophisticus, & contentiosus. Primo igitur explicat discrimen inter docentem, seu demonstrantem, & dialecticum tentantem, seu experimentum sumentem de scientia respondentis: secundo explicat discrimen inter dialecticum, & sophistam: tertio proposita duplici specie syllogismi sophistici, distinguit syllogismum sophisticum à pseudographo: quarto distinguit syllogismos contentiosos, seu litigiosos ab ijs, qui propriè vocantur sophistici: quinto demum explicat proportionem inter syllogismum geometricum, seu demonstratiuum, & pseudographum ex vna parte, & inter syllogismum dialecticum, & litigiosum ex altera.

1 Quoad primum: quia docens, seu demonstrans argumentatur causa docendi, dialecticus verò, in quantum est tentatiuus, argumentatur causa sumendi experimentum de scientia respondentis, ideo diuerso modo debent proponere quæ assumunt. Dialecticus enim, vt faciat experimentum, non debet sumere illam partem contradictionis, quæ est vera, sed debet interrogare, vtra pars contradictionis sit vera? vt sic exploret, an respondens discernat verum à falso: at docens, ac demonstrans debet sumere partem veram sine interrogatione. Dialectica igitur debet omnia considerare, & speculari, vt possit de omnibus interrogando, experimentum sumere de scientia respondentis.

2 Quoad secundum: dialecticus, & sophista conueniunt in hoc, quod vterque agit de omnibus per quædam communia, at differunt, quod dialecticus syllogizat probabiliter de omnibus, sophista verò, cum non syllogizet probabiliter, videtur syllogizare probabiliter.

3 Quoad tertium: syllogismi sophistici, seu litigiosi sunt in duplici genere. In primo genere sunt, qui cum non sint syllogismi, neque concludant, videntur concludere, & esse syllogismi. Fiunt autem tales paralogismi peccantes in forma circa communia, circa quæ dialectia probabiliter syllogizat ad sumendum experimentum de doctrina respondentis. Præterea tales syllogismi apparentes fiunt etiam circa conclusionem veram. Licet enim tum non fallant circa conclusionem, falluntur circa *propter quid* conclusionis, cum videantur concludere conclusionem veram ex præmissis, ex quibus illa non sequitur. In secundo genere sunt paralogismi, qui licet non peccent in forma, adhuc peccant

in

in materia, & licet non assumant propria scientiarum, assumunt quædam communia quæ videntur probabilia, & vera, adeoque videntur ex arte dialecticæ, cum non sint probabilia, neque vera, adeoque non sint ex arte dialacticæ.

4 Hinc patet discrimen inter syllogismos litigiosos, & pseudographos. Litigiosi sunt, qui non procedunt ex proprijs artium, sed solum ex communibus: pseudographi sunt, qui procedunt ex proprijs artium. Porrò paralogismi procedentes ex proprijs sunt pseudographi, seu concludant verum, seu concludant falsum: ex. gratia syllogismus, quo Hippocrates Chius conatus est demonstrare quadraturam circuli per quadraturam lunularum, licet tenderet ad concludendam conclusionem veram (circulus siquidem potest quadrari) adhuc est pseudographus. Ratio est, quia licet procedat ex principijs proprijs geometriæ, adhuc videtur concludere quadraturam, sed non concludit; sed syllogismus pseudographus est, qui procedit ex proprijs, sed non concludit; ergo. E conuerso syllogismus, quo Bryso conatus est demonstrare quadraturam circuli sic, *quod potest esse maius, & minus aliquo, potest etiam esse æquale illi; sed potest esse circulus maior quadrato, vtpote includens quadratum, & circulus minor quadrato, vtpote inclusus in quadrato; ergo potest dari circulus æqualis quadrato*; talis inquam syllogismus non est pseudographus, sed sophisticus. Ratio est, quia syllogismus procedens non ex principijs proprijs, sed ex communibus, si sit vitiosus, non est pseudographus, sed sophisticus; sed talis syllogismus procedit non ex principijs proprijs, sed ex communibus: illud enim principium, *in quo datur maius, & minus, datur æquale*, est commune etiam materiæ non geometricæ, & est falsus, quia angulus semicirculi potest esse maior, vel minor angulo rectilineo, & tamen non potest esse æqualis ipsi, vt demonstrat Euclydes lib. 3. pr. 16; ergo &c.

5 *Quare & qui de his quidem apparens syllogismus, contentiosa est oratio: nam apparens est secundum rem, quare fallax, & iniusta. Quemadmodum enim ea, quæ in certamine est, iniuria, quandam speciem habet, & est quædam iniusta pugna, sic in contradictione, iniusta pugna contentiosa est. Nam, & illic qui omnino vincere volunt, omnia tentant: & hic qui contentiosi sunt.*

6 *Qui igitur victoriæ ipsius gratia, tales sunt, contentiosi homines, & litium amatores videntur esse: qui autem gloriæ gratia, quæ in diuitijs est, sophistici sunt. Nam sophistice est, vt dicimus, pecuniarum quædam aucupatiua ab apparente sapientia: quapropter demonstrationem apparentem appetunt.*

7 *Et in eisdem orationibus quidem sunt litium amatores, & sophistæ, sed non*
8 *propter eadem. * Et oratio quidem eadem erit sophistica, & contentiosa, sed non propter idem: sed quatenus quidem est ob victoriam apparentem, contentiosa: quatenus vero est ob sapientiam, sophistica. Nam sophistice est quædam apparens sapientia, non autem existens.*

5 Quoad quartum: explicat iam Aristoteles discrimen inter syllogismum contentiosum, seu litigiosum, & inter eum, qui nomine generis dicitur sophisticus. Conueniunt in hoc, quod vterque vel videtur syllogismus, & non est, vel procedit ex ijs, quæ videntur probabilia, & non sunt, ideoque vel peccat ratione formæ, vel peccat ratione materiæ. Syllogismus igitur contentiosus est fallax, & iniustus. Ratio est, quia sicut in certaminibus iniustus est qui conatur, vt videatur vicisse, licet non vicerit, sic in contentiosa disputatione, quæ fit gratia victoriæ, & gratia redarguendi aduersarium, iniustus est qui conatur, vt videatur vicisse aduersarium, illumque ad contradictionem compulisse, cum non compulerit. Quemadmodum igitur in certaminibus quidam pugnant iniustè, quia volunt omninò haberi vt victores, licet non sint, sic in disputationibus.

6 Licet sophistæ, & contentiosi conueniant in his, adhuc disconueniunt in fine. Contentiosi enim sunt, qui syllogizant apparenter gratia victoriæ. Sophistæ sunt, qui syllogizant apparenter, vt videantur sapientes, & vt ex apparente sapientia pecunias comparent. Sophistica enim est, quæ aucupatur pecunias ex apparente sapientia, ideoque sicut sapientia demonstrat verè, sic sophistica demonstrat apparenter.

7 Ex his infertur primo, quod contentiosi, & sophistæ possunt vti ijsdem ratiocinationibus apparentibus, sed ex diuerso fine.

fine. Contentiosi enim ijs vtuntur gratia victoriæ, sophistæ gratia gloriæ, & lucri ex apparente sapientia.

8 Infertur secundo easdem ratiocinationes respectu vnius posse esse contentiosos, respectu alterius sophisticas, si ab vno afferantur gratia victoriæ, ab alio gratia gloriæ, & lucri.

9 *Contentiosa vero est quodam modo sic se habens ad dialecticam, vt pseudographa ad geometricam. Nam ex eisdem contentiosa, differendi modo captiose decipit, vt & pseudographa geometrice: sed hæc quidem non contentiosa: quia ex principijs, & conclusionibus, quæ sunt sub arte, pseudographiam facit: quæ autem ex ijs est, quæ sunt sub dialectica, circa alia quidem contentiosam esse, manifestum est. Vt quadratura quidem quæ per lunulas, non contentiosa: Brysonis autem contentiosa. Et illam quidem non est transferre, nisi ad geometriam solum, eo quòd ex proprijs fit principijs: hanc autem ad plures, quicunque nesciunt, quid est possibile in vnoquoque, & quid impossibile: nam accommodabitur, aut vt Antiphon quadrauit. Vel si quis non dicat melius esse post cænam deambulare per Zenonis rationem, non medicinalis: communis enim est.*

10 *Si ergo omnino similiter se habeat contentiosa ad dialecticam, vt pseudographa ad geometriam, non ex illis vtique erit contentiosa.*

9 Quoad quintum: docet Aristoteles, quod sicut se habet syllogismus pseudographus ad geometricum, seu scientificum, ita se habet syllogismus contentiosus, seu sophisticus ad dialecticum. Syllogismus geometricus, & pseudographus conueniunt in hoc, quod vterque procedit ex principijs proprijs geometriæ, vel alterius scientiæ; differunt in hoc, quod geometricus procedit ex veris, & concludit, pseudographus vel non procedit ex veris, vel non concludit. Proportionaliter syllogismus dialecticus, & sophisticus, seu contentiosus conueniunt in hoc, quod procedunt ex communibus: differunt in hoc, quod dialecticus procedit ex probabilibus, & concludit, sophisticus, seu contentiosus, vel procedit ex ijs, quæ videntur probabilia, & non sunt probabilia, vel videtur concludere, & non concludit. Conueniunt igitur syllogismus pseudogra[illegible] tentiosus in hoc, quod vterque est [illegible] apparens; differunt, quod pseudog[illegible] procedit ex proprijs alicuius scienti[illegible] tentiosus ex communibus dialectic[illegible] syllogismus probans quadraturam [illegible] per lunulas, est quidem pseudog[illegible] sed non est contentiosus. [illegible] logismus Brysonis allatus [illegible] pseudographus, sed contentio[illegible] paralogismus ex lunulis procedit [illegible] prijs geometriæ, non potest applicari [illegible] ri materiæ, quam geometriæ. [illegible] so paralogismus Brysonis quia proce[illegible] ex communibus, potest etiam [illegible] alijs materijs. Iam qui non aduert[illegible] in materia, de qua agitur, fit possi[illegible] impossibile, vt si detur magis, & [illegible] detur æquale, potest cogi ad conce[illegible] aliquid impossibile in tali materia[illegible] in materia numeri potest deduci ad co[illegible] dendum, quod cum detur numerus [illegible] maior senario, & cum detur nume[illegible] par minor senario, detur etiam [illegible] impar æqualis senario. Esset etiam [illegible] gismus non pseudographus, [illegible] cus, si quis argueret contra con[illegible] medicam, quod bonum est ambu[illegible] cænam, ex eo, quia ambulatio [illegible] motus est impossibilis propter [illegible] Zenonis. Non enim procederet [illegible] pijs medicinalibus, sed ex commun[illegible]

10 Concludit Aristoteles, [illegible] gismus contentiosus non est [illegible] phus propter discrimen assignatum.

Ostenditur dialecticam, [illegible] tiuam, & sophisticam non versari circa genus determinatum, neque circa determinatam partem contradictionis. Caput XI.

1 *NVnc autem non est dialecticus circa genus aliquod determinatum, neque demonstratiuus vllius neque talis, qualis vniuersalis. Nam neque omnia sunt in*

2 *vno aliquo genere: * neque si sint, possibile est sub eisdem principijs esse ea, quæ sunt.*

3 *Quare & nulla ars earum, quæ aliquam naturam monstrant, interrogatiua est: nam*

nam non possibile est vtramuis partium dare. Syllogismus enim non fit ex vtrisque: dialectica autem interrogatiua est.

4 *Si autem monstraret, quid illud, nisi et*
5 *omnia? * Veruntamen prima, peculiariaque principia non interrogat. Nam si non daret, non iam haberet ex quibus amplius disputaret ad instantiam.*

Vt magis Aristoteles explicet naturam dialecticæ, tentatiuæ, & sophisticæ, earumque differentiam à scientijs demonstratiuis, probat primo dialecticam non versari circa determinatum genus, sed vagari per omnia genera, neque circa determinatam partem contradictionis, sed circa vtramlibet, ac per hoc differre à scientijs demonstratiuis: secundo ostendit idem de tentatiua: tertio probat etiam sophisticam procedere ex communibus, ac per hoc differre à pseudographia.

1 Quoad primum: differentia dialecticæ à scientijs particularibus est, quod particulares scientiæ versantur circa aliquod subiectum genus determinatum, ac demonstrant proprietates talis subiecti: e conuerso dialectica non versatur circa genus determinatum, sed circa omnia genera. Licet autem etiam metaphysica, quæ est scientia vniuersalis, non versetur circa genus determinatum, sed circa ens vt ens, quod complectitur omnia genera, adhuc dialectica differt à metaphysica, primo, quia metaphysica demonstrat proprietates entis vt entis, dialectica non demonstrat: secundo, quia metaphisica agit solum de rationibus communibus, dialectica descendit etiam ad rationes particulares.

2 Quod dialectica non versetur circa genus aliquod determinatum, probatur primo, quia versatur circa omnia; sed omnia non conueniunt in vllo genere: licet enim conueniant in ratione entis, tamen ens non est genus; ergo &c. Quod dialectica non demonstret proprietates, probatur, quia etiamsi omnia conuenirent in ratione entis, tanquam in genere, adhuc differunt inter se in natura, & essentia; sed quæ differunt in natura, & essentia, non conueniunt in ijsdem principijs, & causis, per quas possunt demonstrari proprietates, dialectica verò vtitur ijsdem principijs communibus ad syllogizandum de omnibus; ergo dialectica non est demonstratiua proprietatum conuenientium omnibus entibus.

3 Confirmatur primo, quia nulla facultas demonstratiua interrogat de conclusionibus, & præmissis, ita vt parata sit probare vtramlibet partem contradictionis, & vtramlibet assumere in præmissis: cum enim non possit demonstrari nisi verum, & ex veris, scientiæ demonstatiuæ assumuut vt conclusiones, & præmissas, illam tantum partem contradictionis, quæ est vera; sed dialectica interrogat de conclusione, & de præmissis, & sumit illam partem contradictionis, quæ conceditur; ergo &c.

4 Confirmatur secundo, quia si dialectica demonstraret, cum agat de omnibus, demonstraret omnia, adeoque confunderetur cum omnibus scientijs.

5 Aduertit tamen Aristoteles, quod licet dialectica interroget, non tamen interrogat de omnibus, sed quædam, hoc est principia communia, sumit sine interrogatione. Cum enim per principia communia probet reliqua, non potest ipsa probare, adeoque sumit sine interrogatione.

6 *Talis autem est tentatiua. Nam tentatiua non talis est, qualis est geometria, sed qualem vtique haberet non sciens aliquis. Fieri enim potest, vt periculum sumat & is, qui nescit rem, de eo, qui nescit, siquidem & dat non ex quibus scit, neque ex proprijs, sed ex consequentibus, quæ omnia talia sunt, quæ scientem quidem nihil probibet nescire artem, nescientem autem necesse est ignorare. Quare manifestum, quoniam nullius determinati tentatiua disciplina est, eo quòd de omnibus est. Nam omnes artes vtuntur quibusdam communibus.*

7 *Ideoque omnes illiterati quodam modo vtuntur dialectica, & tentatiua. Nam omnes vsque ad aliquid conantur dijudicare eos, qui pronunciant: hæc autem sunt communia. Nam illa nihil minus sciunt ipsi, quamuis videantur longe extra dicere. Redarguunt igitur omnes. Nam sine arte quidem eo participant, cuius artificialiter est dialectica, & arte syllogistica, tentatiuus, dialecticus.*

6 Quoad secundum: etiam tentatiua, quæ experimentum sumit de scientia alterius, est pars dialecticæ, adeoque non demonstrat, sed solum probabiliter syllogi-

gizat ex communibus, & probabilibus. Neque enim hic loquimur de tentatiua scientifica, puta de geometria, per quam quis sciens geometriam interrogat alterum de proprijs geometriæ, vt exploret, an is verè sciat geometriam; sed loquimur de tentatiua dialectica, quam qui nescit, experimentum sumit de scientia alterius nescientis, interrogans, non quidem de proprijs, sed de quibusdam communibus, quæ licet quis sciat, adhuc potest nescire disciplinam, quæ procedit ex proprijs, si tamen quis nesciat, impossibile est, vt sciat talem disciplinam. Ex his infertur etiam hanc tentatiuam non versari circa genus determinatum, sed vagari circa omnia genera, cum sit ars experimentum sumendi de scientia circa omnia. Patet etiam, quod tentatiua non procedit ex proprijs, sed ex quibusdam communibus, quibus vtuntur omnes artes, & quæ si quis nesciat, eo ipso ignorat artem.

7 Confirmat Aristoteles, quod dialectica, & tentatiua sunt artes procedentes ex communibus: nam omnes, etiam indocti, & illitterati conantur dijudicare de omnibus, an bene, vel perperam dicantur, & experimentum sumere de scientia alterius, interrogantes, & arguentes ex quibusdam communibus; ergo debet dari ars de omnibus iudicandi, & experimentum sumendi ex communibus; ergo præter scientias demonstratiuas, debet dari dialectica, quæ procedat probabiliter, atque ex communibus.

8 *Quoniam autem sunt multa quidem hæc, & de omnibus, non talia autem, vt naturæ quædam sint, & genus, sed vt negationes, alia autem non talia, sed propria sunt, ex illis de omnibus experimentum possibile est sumere, & artem esse quandam, & non talem esse, quales quæ demonstrant, eo quòd contentiosus non est omnino sic se habens, vt pseudographus. Nam non erit captiosus ex determinati cuiuspiam generis principijs, sed circa omne genus erit is, qui contentiosus.*

9 *Loci igitur sophisticarum redargutionum hi sunt. Et quòd dialectici est considerare de his, & res eas posse facere, non difficile videre. Nam quæ circa propositiones est disciplina, omnem habet hanc speculationem. Et de redargutionibus quidem apparentibus dictum est.*

8 Quoad tertium: sicut præter artes verè demonstrandi ex proprijs, datur facultas apparenter demonstrandi ex proprijs, quæ facultas vocari potest *pseudographia* construens syllogismos pseudographos; sic præter dialecticam, quæ probabiliter syllogizat ex communibus, datur sophistica, quæ videtur probabiliter syllogizare ex communibus, licet quæ assumit, verè non sint probabilia.

9 Concludit Aristoteles satis esse explicatos locos sophisticorum elenchorum: satis etiam esse probatum, quod dialectica agit de his, adeoque quod sophistica reducitur ad dialecticam, intelligendo nomine dialecticæ artem probabiliter, vel apparenter disputandi ex quibusdam communibus. Demum satis etiam est actum de elenchis apparentibus, per quos sophista conatur deducere ad primam metam contradictionis.

De locis, per quos sophista ducit ad finem, seu metam falsi, & inopinabilis. Cap. XII.

1 *De aliquo est falsum quippiam ostendere, & oratione ad inopinabile ducere. Hoc autem fuit secundum propositum sophisticæ intentionis.*

2 *Primum quidem ex eo, quòd interrogat quodam modo, & per interrogationem accidit maximè. Nam id ad nullum determinatum interrogare propositum, venatiuum est illorum: Temere nanque dicentes peccant magis: temere autem dicunt, quando nihil habent propositum.*

3 *Et id, interrogare multa, quamuis id*
4 *determinatum sit, ad quod disputant. * Et id, ea quæ videntur, dicere se postulare, facit quandam idoneitatem, vt ad inopinabile ducat, aut falsum.*

5 *Et si interrogatus affirmet, aut neget illorum aliquid, ducere ad ea, ad quæ promptius est argumentari. Potest tamen nunc minus nocere per hæc, quàm prius. Nam repetunt aliquid ad id, quod in principio.*

6 *Elementum autem deueniendi ad falsum aliquod, aut inopinabile, nullam statim se interrogare positionem, sed affirmare ob id se interrogare, quòd discere velit. Nam locum argumentationis consideratio facit. Ad falsum autem ostendendum prius*

prius locus sophisticus est ducere ad talia, ad quæ abundat orationibus. Est autem bene, & non bene id facere, quemadmodum dictum est prius.

1 POstquam Aristoteles hactenus tradidit loca, per quæ sophistæ ducunt respondentes ad primam metam redargutionis, descendit ad explicanda loca, per quæ conducunt ad alias metas: & primo hoc capite explicat loca, per quæ perducunt ad metam falsi, & inopinabilis, quæ metæ sunt valde affines, ideoque sumuntur pro vna meta.

2 Primo ergo debet interrogans simulare se interrogare temerè, ac nullo proposito fine. Tum enim aduersarius respondebit temerè; & quia respondentes temerè facilius concedunt aliqua, quæ non sunt concedenda, poterit arguens sumere aliquas propositiones, ex quibus respondentem ducat ad falsum, & inopinabile.

3 Secundo etiamsi interrogans intendat, vt sibi concedatur aliqua determinata propositio, adhuc debet interrogare de multis. Facilius enim respondens inter multas propositiones interrogatas concedet illam, quam arguens intendit, quia distractus multis interrogationibus minus attendet.

4 Tertio debet postulare à respondente, vt concedat sibi quæ ipsi videntur vera: per hoc enim reddetur minus cautus in concedendo, adeoque facilius ducetur ad falsum, vel inopinabile.

5 Quarto debet arguens disputationem transferre ad ea, circa quæ suppetit illi maior argumentorum copia: sic enim facilius ducet ad falsum, vel inopinabile. Addit tamen Aristoteles, quod tempore ipsius difficilius erat transferre disputationem ab eo, de quo proposita erat disceptatio, ad alia, quia respondentes solebant subinde repetere, *quid hoc confert ad id, de quo ab initio quæstionem instituimus?*

6 Addit etiam Aristoteles, quod præcipuus modus ducendi ad inopinabile est, si arguens ab initio dicat se interrogare causa discendi. Tum enim incautius respondens multa dicet, quasi autoritate docentis, & sic facilius ducetur ad falsum, vel inopinabile. Rursus ad falsum concludendum proprius locus sophisticus est, ducere ad alia, circa quæ arguens multa habeat argumenta, licet hoc fieri possit & benè, itaut res succedat è sententia, & malè, ita vt respondens dicat? *quid hoc ad id, de quo initio proposita est disputatio?*

7 *Rursum ut ad inopinabilia ducat, considerare, ex quo genere est, qui disputat, deinde interrogare, quod pluribus illi dicunt inopinabile: est enim singulis quibusque aliquid tale: elementum autem horum sumere singulorumque quorumque positiones in propositionibus. Solutio vero & horum competens fertur, ostendere, quòd non propter orationem accidit inopinabile, semper autem id quoque vult, qui contendit.*

8 *Amplius autem ex voluntatibus, & manifestis opinionibus. Nam non eadem volunt, & dicunt, sed dicunt quidem decoratissimas orationes, volunt autem ea, quæ videntur prodesse: vt bene mori magis, quàm voluptuosè viuere dicunt oportere, & egere iuste magis, quàm diuitijs affluere praue, volunt autem contraria. Eum igitur, qui dicit secundum voluntates, ad has manifestas opiniones ducendum: eum vero, qui dicit secundum has, ad absconsas: vtrouis enim modo necessarium est inopinabilia dicere: nam aut ad manifestas, aut ad immanifestas opiniones dicunt contraria.*

7 Traditis locis communibus ducendi ad falsum, ac inopinabile, tradit Aristoteles loca specialia ducendi id inopinabile, ac paradoxum. Primus locus est: debet arguens considerare, ex qua secta sit is, cum quo disputat, & interrogare ea paradoxica, quæ plerunque admittuntur à sectatoribus talis sectæ (omnes enim sectæ dicunt aliqua præter opinionem communem) ex concessis autem debet sumere propositiones, ex quibus concludatur inopinabile. Verum respondens poterit tum conuenienter respondere, quod hæc non concedit conuictus rationibus arguentis, sed quia illa debent concedi iuxta principia sententiæ, quam defendit. Hac autem responsione allata, sophista non obtinebit suum finem, qui finis est, vt respondens videatur concedere aliquid inopinabile ex vi argumentorum, quæ sophista affert.

8 Secundus locus est ex occultis voluntatibus, & manifestis opinionibus hominum. Pro intelligentia debet aduerti, quod

quod homines non eadem volunt in occulto, ac dicunt in publico. In publico enim dicunt honestissima, ex. gr. quod oportet potius honestè mori, quam voluptuosè viuere, & quod potius oportet iustè agere, & pauperem esse, quam iniustè diuitijs abundare, & esse diuitem: in occulto autem volunt vtilia; volunt enim diuitijs abundare, etiam per iniustitiam, & iniustè viuere, etiam contra honestatem. Hoc posito, si defendens dicat aliquid consonum rationi, atque opinionibus, quas homines profitentur in publico, debet duci ad paradoxa contra voluntatem, & contra opiniones, quas habent in occulto: è conuerso si defendens dicat aliquid conforme voluntatibus, atque opinionibus secundum sensum, quas homines habere solent in occulto, debet duci ad paradoxa contra opiniones, quas profitentur in publico: ex gr. si quis dicat cum Epicureis voluptuosè viuendum, debet duci ad contradicendum opinionibus manifestis, quod eligibilior sit honesta mors quam vita turpis, & voluptuosa; si verò dicat contemnendas esse voluptates, ac diuitias, duci debet ad paradoxum contra voluntates. Quis enim est, qui practicè non velit diuitijs abundare, & voluptatibus frui.

9 *Plurimus autem est locus faciendi inopinabilia dicere, quemadmodum Callicles in Gorgia scriptus est dicens, & veteres autem omnes arbitrati sunt, accidere propter id, quod secundum naturam, & secundum legem contraria. Contraria enim esse naturam, & legem dicunt, & iustitiam secundum legem quidem esse bonum, secundum autem naturam non bonum. Oportet igitur ad eum quidem qui dicit secundum naturam, secundum legem obuiare; ad eum vero, qui secundum legem, ad naturam ducere: nam vtroque modo dicere contingit inopinabilia. Erit autem secundum naturam quidem ipsis verum, secundum autem legem, quod multitudini videtur. Quare manifestum, quòd & illi quemadmodum & qui nunc, aut redarguere, aut inopinabilia dicere respondentem, conabantur efficere.*

9 Tertius locus est ex contrarietate legis, ac naturæ. Vt enim apud Platonem in Gorgia disputat Callicles, omnes antiqui censuerunt ea, quæ sunt secundum naturam, esse contraria ijs, quæ sunt secundum legem; ex gr. iustitia, per quam imbecilliores non opprimuntur à potentioribus, est quidem bona secundum legem, non autem est bona secundum naturam, vt patet in feris: nam iuxta naturam ferarum est, vt fortes, & audaces capiant, atque occidant timidas, atque imbecillas; at leges in fauorem timidorum, atque imbecillium, statuerunt, ne fortiores vim inferant imbecillioribus; ergo iustum, quod est bonum secundum legem, non est bonum secundum naturam. Hoc igitur loco vtens sophista, si aduersarius dicat aliquid secundum naturam, ducet illum ad concedendum inopinabile, quod est contra legem; si dicat aliquid secundum legem, ducet illum ad inopinabile contra naturam. Callicli autem, & sophistis antiquis, qui vtebantur hoc loco, videbatur bonum, quod est secundum naturam: multitudini videtur bonum, quod est secundum legem.

10 *Quædam autem interrogationum habent vtrinque inopinabilem responsionem: vt vtrum sapientibus, an patri oporteat obedire: & expedientia facere, an iusta: & an iniuriam pati eligibilius, quam nocere. Oportet autem ducere ad ea, quæ multitudini, & sapientibus sunt contraria. Nam si dicat aliquis, vt ij qui circa orationes, ad ea, quæ multitudini: si autem vt multi, ad ea, quæ ijs, qui in oratione. Dicunt enim hi quidem ex necessitate beatum iustum esse: multitudini autem inopinabile est regem infœlicem esse. Est autem ad ea, quæ sic sunt, inopinabilia ducere, idem ei, quod est ad eam, quæ est secundum naturam, & secundum legem contrarietatem ducere. Nam lex opinio multitudinis: sapientes autem secundum naturam, & veritatem dicunt. Et inopinabilia quidem ex his oportet quærere locis.*

11 Quartus locus est, cum ita proponuntur interrogationes, vt quidquid respondeatur sit paradoxicum. Exemplum talium interrogationum est, cum quæritur, vtrum sapientibus, an patri sit obediendum? vtrum facere oporteat vtilia, an iusta? vtrum eligibilius sit iniuriam pati, an facere? vtrumlibet enim respondeatur, est paradoxum. Præsertim verò proponendæ sunt quæstiones, per quas cogatur re-

respondens dicere aliquid, vel contra opinionem multitudinis, vel contra opinionem sapientum, cum contrariæ sunt opiniones multitudinis ab opinionibus sapientum. Ex gr. si quis interrogetur, vtrum ad hoc, vt homo sit felix, debeat esse iustus? vtrumlibet responderit, ducetur ad paradoxum. Si enim dicat posse aliquem esse felicem, etiamsi non sit iustus, contradicet opinioni communi sapientum: si verò dicat non posse, contradicet multitudini, cui videtur impossibile, vt rex, etiamsi sit iniustus, sit infelix. Addit Aristoteles hunc quartum locum reduci quodammodo ad tertium. Tertius enim locus fundabatur in eo, quod sæpe quæ sunt secundum naturam, sunt contraria illis, quæ sunt secundum legem; quartus fundatur in eo, quod quæ videntur multitudini, contraria sunt ijs, quæ videntur sapientibus; sed multitudini videntur vera quæ sunt secundum legem, cum lex sit opinio multitudinis, sapientibus videntur vera, quæ sunt secundum naturam, & secundum veritatem; ergo &c. Concludit Aristoteles hæc esse loca ducendi ad inopinabile.

De locis, per quos sophista ducit ad finem, seu metam nugationis, & solœcismi. Caput XIII.

1 *DE eo quidem, quod est facere nugari, quidnam dicimus nugari, iam monstrauimus. Omnes autem tales orationes id volunt efficere, si nihil referat nomen, & orationem dicere: duplum autem, & duplum dimidij idem est: si igitur duplum est dimidij duplum, erit dimidij dimidij duplum: & rursum si pro duplo, duplum dimidij ponatur, ter erit dictum dimidij dimidij dimidij duplum. Et putas est concupiscentia delectationis? hec autem est appetitus delectationis: est igitur concupiscentia appetitus delectationis delectationis.*

2 *Sunt autem omnes huiusmodi orationum in ijs, quæ sunt ad aliquid, quæcunque non solum genera, sed & ipsa ad aliquid dicuntur, & ad idem & vnum assignantur: vt appetitus, alicuius appetitus, & concupiscentia, alicuius concupiscentia, & duplum alicuius duplum, & duplum dimidij.*

3 *Et in quibuscunque quæ cum substantia non sint, ad aliquid omnino eorum sunt, quorum sunt habitus, aut affectus, aut aliquid huiusmodi, in oratione ipsorum de illis prædicatorum declaratur: vt impar est numerus medium habens: est autem numerus impar: est igitur numerus, numerus medium habens. Et si simum cauitas naris est: est autem naris sima: erit ergo naris, naris caua.*

4 *Apparent autem facere non facientes quandoque, eo quòd non interrogant, si significet aliquid per se se dictum duplum, an nihil, & si aliquid significat, vtrum idem, an diuersum, sed conclusionem dicunt statim, & apparet propter nomen idem, esse idem, & significare.*

1 TRadit demum Aristoteles loca, per quæ sophista potest ducere respondentem ad duas vltimas metas nugationis, & solœcismi. Quid sit nugatio, patet ex dictis cap. 3. Dictum est enim, quod est *crebra eiusdem repetitio*. Locus ducendi ad crebro repetendum idem est, quia semper loco nominis potest poni oratio idem significans, ac nomen. Posito hoc, sophista sic argumentatur. Idem significat hoc nomen *duplum*, & hæc oratio *duplum dimidij*; ergo semper loco *dupli* potest poni *duplum dimidij*; sed tu dicis, quod duplum est duplum dimidij; ergo loco ly *duplum* potest poni *duplum dimidij*, ideoque dum dicis, quod duplum est duplum dimidij, idem dicis, ac si diceres, quod *duplum est duplum dimidij dimidij*; sed adhuc loco *dupli* potest poni *duplum dimidij*; ergo potest dici, quod *duplum est dimidij, dimidij, dimidij duplum*, & sic in infinitum, infinities repetendo *dimidij*. Similiter idem est *concupiscentia*, ac *concupiscentia delectationis*; sed concupiscentia est appetitus delectationis; ergo dum dicitur, quod concupiscentia est concupiscentia delectationis, idem dicitur, ac si diceretur, quod concupiscentia est *appetitus appetitus delectationis*.

2 Addit Aristoteles allatas ratiocinationes esse de relatiuis, quæ non solum secundum genus, sed ipsamet dicuntur ad aliquid, & semper ad vnum, & idem. Pro intelligentia nota quædam relatiua dici ad ali-

aliquid solum secundum genus, non autem secundum se, ex.gr. grammatica non dicitur *alicuius grammatica*, sed *alicuius disciplina*, alia dicuntur ad aliquid etiam secundum se, vt *duplum*, & *concupiscentia*: duplum enim non solum dicitur *alicuius multiplex*, sed etiam *alicuius duplum*; concupiscentia non solum dicitur *alicuius appetitus*, sed etiam *alicuius concupiscentia*. Rursus quædam relatiua dicuntur ad aliquid, sed non semper ad vnum, & idem: ex. gr. ala dicitur *auis ala*, sed non semper dicitur *auis ala*, cum dicatur etiam *ala draconis*: alia relatiua semper dicuntur ad vnum, & idem: ex gr. duplum semper est *dimidij duplum*, concupiscentia semper est *delectationis concupiscentia*. In talibus igitur relatiuis fieri potest allatum sophisma nugationis.

3 Neque solum sophisma fieri potest de relatiuis, sed etiam de omnibus accidentibus, quæ cum non sint substantiæ, ita dicunt ordinem ad subiectum, cuius sunt habitus, & passiones &c. vt in eorum definitione debeat exprimi tale subiectum, qualia accidentia sunt *impar*, & *simum*. Impar enim ita est passio numeri, vt includat numerum in sua definitione. Potest igitur fieri syllogismus nugationis sic: *impar est numerus medium habens; sed potest impar prædicari de ternario, dicendo ex. gr. quod ternarius est numerus impar; ergo ponendo loco nominis impar, definitionem idem significantem, potest dici, quod ternarius est numerus numerus medium habens. Similiter simus est nasus concauus; sed potest de naso prædicari simum, dicendo, quod nasus est simus; ergo ponendo loco simi eius definitionem potest dici, quod nasus est nasus nasus concauus.*

4 Addit Aristoteles, quod aliquando talia sophismata verè sunt syllogismi concludentes nugationem, aliquando non concludunt, sed videntur nugationem concludere. Verè concludunt nugationem, cum interrogatur, & sumitur ex concessione respondentis, quod idem significat aliquod nomen seorsim, ac oratio, ex. gr. quod idem significat *duplum* seorsim, ac hæc oratio *duplum dimidij*: Cum verò hoc non assumitur, sed solum infertur nugatio, tum videtur concludere, sed non concludit nugationem.

5 *Solœcismus autem quale quid est, dictum est prius. Est autem & hoc facere, et non facientem videri, & facientem non videri: quemadmodum Leuinus dixit, si Venus masculinum est, nam qui dicit almam, solœcismum quidem facit secundum illum, non apparet autem alijs: qui autem almum, apparet autem, sed non facit solœcismum. Manifestum igitur, quoniam & ars quædam hoc potest facere, eo quòd multæ orationes non colligentes solœcismum videntur colligere, vt & in redargutionibus.*

6 *Sunt autem omnes pene apparentes solœcismi propter hoc, & quando casus neque masculinum, neque fœmininum significat, sed neutrum. Nam hic quidem masculinum significat, hæc autem fœmininum, hoc vero neutrum vult significare, sæpe autem significat & illa vtraque, vt quid est hoc? Calliope lignum, Coriscus. Masculini igitur, & fœminini differunt casus omnes, neutri hi quidem, illi autem non. Cum datur igitur hoc, sæpe colligunt, quasi dictum sit hunc: similiter autem & alium casum pro alio ponunt.*

7 *Captiosa autem ratiocinatio fit, eo quòd hoc commune sit plurium casuum. Nam hoc significat quandoque hic, quandoque autem hunc. Oportet autem vicissim significare, cum est quidem hic, cum esse autem, hunc: vt est Coriscus, esse Coriscum. Et in fœmininis nominibus similiter. Nam in omnibus similiter est, & esse faciens differentiam.*

8 *Et quodam modo in his similis est solœcismus ijs redargutionibus quæ propter id, quod non similia, aut propter figuram similiter dicuntur. Nam quemadmodum illic in rebus, sic hic in nominibus accidit solœcismum facere. Nam homo, & album, & res, & nomen est. Manifestum igitur, quoniam solœcismum tentandum est ex dictis casibus colligere. Species igitur sunt hæ contentiosarum orationum, & partes specierum, & modi, qui dicti sunt.*

5 Explicat demum Aristoteles, quo pacto sophistæ possint ducere ad vltimam metam, quæ est solœcismus. Quid sit solœcismus explicatum est cap. 3. nunc solum debet addi aliquando solœcismum esse, & videri; aliquando esse, & non videri; aliquando videri, & non esse. Exemplum solœcismorum, qui sunt, & videntur est *vir alba*. Exemplum solœcismorum, qui sunt, & non videntur, vel è con-

conuerso videntur, & non sunt proponit Aristoteles ex sententia Protagoræ, qui dixit quod *μῆνις* quod significat iram, & *πήλιξ*, quod significat galeam, sunt generis masculini. Si igitur dicatur *μῆνις οὐλομένη* est solœcismus, sed non videtur; si dicatur *μῆνις οὐλόμενος* videtur solœcismus, sed non est. Ex eo, quod aliquando videatur esse solœcismus, & non est, sequitur posse dari artem, per quam respondens videatur facere solœcismum, licet non faciat, & hanc artem debet habere sophista.

6 Vt tradat hanc artem Aristoteles, docet omnes apparentes solœcismos fieri propter nomen demonstratiuum *hic, hæc, hoc*, & præsertim propter *hoc*, quod est generis neutrius. Ratio est, quia sicut *hic* significat masculinum, *hæc* significat fæmininum, sic *hoc* ex sua natura significat neutrum; adhuc tamen *hoc* aliquando significat masculinum, & fæmininum. Cum enim dicitur *quid est hoc?* bene respondetur *est Calliope, est lignum, est Coriscus*; sed Calliope est generis feminini, lignum generis neutrius, Coriscus generis masculini; ergo &c. Rursus in genere masculino, & fæminino differunt nominatiuus, & accusatiuus, atque alij casus, at in genere neutro semper tres casus sunt similes, nimirum nominatiuus, accusatiuus, & vocatiuus.

7 Hinc potest fieri sophisma. Cum enim infertur *hoc* significans masculinum, vel fæmininum, debet mutari masculinum, vel fæmininum, loco vnius vocis ponendo aliam, ex.gr. loco *hic* ponendo *hoc*, vel è conuerso: ex gr. valet *hoc est Coriscus; video Coriscum; ergo video hoc*; ergo valet etiam *video Coriscum; hic est Coriscus; ergo video hic*.

8 Concludit Aristoteles sophismata adducentia ad solœcismum esse quodammodo similia sophismatibus figuræ dictionis. Sicut enim in sophismatibus figuræ dictionis, ex eo, quod figura dictionis est similis, arguitur, quod etiam res sunt similes, cum verè non sint, sic in sophismate solœcismi, ex eo, quod res sint similes, arguitur, quod figura dictionis debeat esse similis. Explicatæ sunt igitur sophisticarum ratiocinationum species, & etiam partes, atque ordo specierum.

Quo pacto sophistæ debeant ordinare suas interrogationes. Cap. XIV. & vlt.

1 *Differt autem non parum, si ordinentur quodam modo ea, quæ ad interrogationem sunt, vt lateat quemadmodum in dialecticis. Deincept igitur ex ijs, quæ dicta sunt, hæc primum dicenda.*

2 *Est autem ad redarguendum vnum quidem prolixitas: nam difficile simul multa conspicere. Ad prolixitatem vero, quæ adducuntur elementis, vtendum.*

3 *Vnum quidem festinatio: nam tardiores minus præuident.*

4 *Amplius autem ira, & contentio: nam conturbati minus possunt obseruare omnes. Elementa autem, iræ manifestum quoque eum facere, qui vult iuste agere, & circa omnia impudentem esse.*

5 *Amplius permutatim interrogationes ponere, siue ad idem plures habeat aliquis orationes, siue quòd sic, & quòd non sic: simul enim accidit, aut ad plura, aut ad contraria facere obseruationem. Omnino autem omnia, quæ ad occultandum dicta sunt prius, vtilia etiam ad contentiosas orationes. Nam occultatio latendi gratia est, latere autem deceptionis.*

1 QVia non parum conducit ad finem sophistæ ita ordinare suas interrogationes, vt latenter interroget, ideo Aristoteles sicut 8. Topicorum cap. 1. egit de modo ordinandi interrogationes dialecticas, sic agit hic de modo ordinandi interrogationes sophisticas.

2 Primo igitur ad obtinendum finem latenter, & ita, vt aduersarius non aduertat, valde conducit prolixitas ratiocinationis. Cum enim difficile sit ad multa attendere, facile respondens prolixis ratiocinationibus capietur.

3 Secundo iuuat etiam festinatio. Tardiores enim, cum festinata profertur oratio, non possunt satis præuidere, quid respondeant, adeoque turbati facile decipiuntur.

4 Tertio iuuat etiam ira, & contentio. Respondentes enim ira turbati non possunt obseruare. Principia autem, per quæ possumus mouere respondentem ad

iram sunt, si dicamus ipsum iniustè agere, ac non bene respondere, & imprudentem esse.

5 Quarto conducit plures afferre syllogismos, siue pro eadem conclusione, siue etiam pro contradictorijs conclusionibus; afferendo verò plures syllogismos, eorum præmissæ debent poni permutatim, itaut præmissa vnius syllogismi coniungatur cum præmissa alterius syllogismi. Propositionibus enim sic propositis, turbabitur aduersarius, ita vt nesciat, quid debeat concedere, vel negare. Vniuersim verò omnia præcepta, quæ tradita sunt in topicis ad occultandum intentum, seruanda sunt etiam in disputationibus sophisticis. Occultatio enim vtilis est ad hoc, vt lateat, quid arguens intendat: talis verò latitatio conducit ad hoc, vt possit arguens respondentem decipere.

6 *Ad eos autem, qui renuunt quæcunque opinantur esse ad orationem, ex negatione interrogandum, ceu contrarium velit, aut etiam ex æquo interrogationem facere. Nam cum dubium est, quòd vult sumere, minus insolescunt.*

7 *Et quando in partibus dederit quispiam singula inducenti, vniuersale sæpe non interrogandum est, sed vt dato vtendum. Nam quandoque putant & ipsi dedisse, et audientibus quoque apparet propter inductionis memoriam, veluti perinde, atque non interrogauerit vane.*

8 *Et in quibus non nomine significatur vniuersale, similitudine tamen vtendum est ad id, quod expetit. Nam latet similitudo plerunque.*

9 *Et ad sumendum propositionem contrarium oportet comparando interrogare: vt si debeat sumere, quoniam oportet per omnia patri obedire, vtrum per omnia oporteat obedire parentibus, an per omnia non obedire? & sæpe id, vtrum multa concedendum, an pauca? magis enim si necesse, videbuntur esse multa? appositis enim iuxta se contrarijs, minora, & maiora apparent, & peiora, & meliora hominibus.*

10 *Valde autem & sæpe facit videri redargui, maxime sophistica calumnia interrogantium, cùm nihil colligentes, non interrogationem faciunt id, quod est vltimum, sed concludenter dicunt, veluti colligentes, non igitur hoc, & hoc.*

6 Quinto, si respondens proteruè agat, adeoque neget omnia, quæ opinatur vtilia ad intentum aduersarij, debet arguens ita interrogare, vt videatur velle oppositum eius, quod intendit: ex gr. si vult admitti partem affirmatiuam, debet ita proponere interrogationem, ac si velit admitti partem negatiuam, vel debet ita interrogare, vt videatur non magis curare de vna parte contradictionis, quam de altera. Cum enim respondens dubitat, vtram partem contradictionis velit aduersarius sibi concedi, minus proteruit, adeoque admittit quod sibi videtur verum.

7 Sexto cum arguens facit inductionem plurium, non debet deinde interrogare de ipso vniuersali, sed debet illud sumere vt concessum. Nam sæpe respondens putabit se etiam vniuersale concessisse, & auditoribus verè videbitur illud fuisse concessum, quia recordantur inductionis factæ, & putant talem inductionem non frustra factam fuisse.

8 Septimo cum argumentamur ex inductione ad vniuersale, quod caret nomine, debemus ad illud exprimendum vti nomine similis, vel affinis, dicendo ex gr. *Bos non habet dentes ex parte superiori, nec capra &c; ergo nullum simile his habet dentes ex parte superiori*: facile enim sub nomine similis possumus occultè comprehendere id, quod intendimus.

9 Octauo vt concedatur aliqua propositio, debet interrogari simul cum propositione contraria valde improbabili: ex gr. si quis velit sibi concedi, quod patri est obediendum in omnibus, debet ita interrogare, *parentibus est ne obediendum in omnibus, vel in nullo?* Si velit sibi concedi, quod *Parentibus sunt multa concedenda*, debet ita interrogare *parentibus concedenda sunt multa, vel pauca?* Cum enim contraria iuxta se posita magis elucescant, quæ sunt minus probabilia comparatione contrarij valde improbabilis videntur magis probabilia, & quæ sunt minus bona comparatione contrarij pessimi videntur magis bona.

10 Nono vt sophista videatur redarguere, concessis aliquibus interrogationibus, non debet interrogare de eo, quod intendit, sed debet id inferre quasi necessario sequatur ex concessis, licet verè non sequatur, dicendo; *ergo malè fuit concessum hoc, & hoc.*

11 *Sophisticum autem est, & cùm ponitur inopinabile, quod apparet, postulare respondere proposito eo, quod videtur ex principio, & interrogationem talium sic facere, vtrum tibi videtur? Nam necesse est si sit interrogatio, ex quibus syllogismus, aut redargutionem, aut inopinabile fieri, cùm dat quidem, redargutionem, cùm autem non dat, neque dare videtur, fatetur inopinabile, cùm vero non dat, videri autem fatetur, redargutionis simile.*

12 *Amplius quemadmodum in rhetoricis, et redargutionibus similiter contrarietates considerandum, aut ad eas, quæ ab eodem sunt dicta, aut ad eos, quos confitetur bene dicere, aut agere; amplius, ad eos, qui videntur tales, aut ad similes, aut ad plurimos, aut ad omnes.*

13 *Quemadmodum autem respondentes sæpe cùm redarguuntur faciunt duplex, si debeat accidere redargutio, & interrogantibus vtendum quandoque illo contra instantes si sic quidem accidat, sic autem non, quoniam si sumpserit, vt facit Cleophon in Mandrobulo.*

14 *Oportet etiam absistentes, ab oratione reliqua argumentorum diuidere, & respondenti, si præsenserit, prius instare, & prædicere.*

11 Decimo, vtile est, vt sophista primum proponat aliquid paradoxicum, ex gr. *vtrum aliquis possit esse beatus per iniustitiam?* Si verò respondens neget, laudet responsionem, & simul proponat aliquid, quod ex ipsa propositione apparet probabile, ex quo sequitur inopinabile, quod respondens negauit: ex gr. *vtrum Archelaus, qui possidet regnum Macedoniæ tibi videtur felix?* Quidquid enim responderit, vel redarguetur, vel dicet inopinabile, vel videbitur dicere inopinabile. Si enim dixerit Archelaum esse felicem, redarguitur, quia Archelaus est felix per hoc, quod sit Rex Macedoniæ, sed est Rex Macedoniæ per iniustitiā; ergo. Si dixerit Archelaum non esse felicem, dicet inopinabile, cum omnibus Archelaus videatur felix. Si dixerit Archelaum sibi videri felicem, videbitur redargui, & cogi ad concedendum, quod aliquis potest esse felix per iniustitiam. Si demum dixerit Archelaum sibi non videri felicem, videbitur dicere aliquid inopinabile.

12 Vndecimo sicut in Rhetoricis, sic etiam in Sophisticis disputationibus vtile est ostendere aduersarium dicere contraria, vel ijs, quæ ipsemet dixit, vel ijs, quæ dicunt alij, qui ex confessione communi bene dicunt, & bene agunt, vel qui videntur tales, vel sunt similes talibus, & quod hæc sint contraria eorum pluribus, aut omnibus: ex gr. si quis dixerit aliquod spectans ad medicinam, possumus illum redarguere ex eo, quod dictum ipsius sit contrarium medicis, vel omnibus, vel plurimis, vel probatissimis.

13 Duodecimo sicut respondentes sæpe quando redarguuntur, respondent propositionem, in qua videntur redarguti, posse habere duplicem sensum, se verò in vno sensu negasse, in alio verò probari ab aduersario, sic arguens debet præuenire respondentem, ac dicere, quod cum propositio possit habere duplicem sensum, ipse in vno tantum illam probauit: sic enim videbitur obtinere intentum. Facit autem hoc Cleophon in Mandrobulo tragædia.

14 Decimo tertio cum arguens præuidet, quam responsionem possit dare aduersarius, & quo pacto possit argumentum instare, diuertens à proposita ratiocinatione, debet præuenire responsiones, atque instantias, dicendo, *si hoc, vel illud dicatur, non valet &c.*

15 *Argumentandum autem quandoque & ad aliud ab eo, quod dictum est, illud sumentibus, si non ad id, quod propositum est habeat aliquis argumentari: quod Lycophron fecit, dum propositum esset, ex arte lyram commendare.*

16 *Ad eos autem, qui exigunt ad aliquid argumentari, postquam videtur oportere assignare causam, dictis autem quibusdam obseruabilius quod vniuersaliter accidit in redargutionibus, vt dicat contradictionem, vt quod affirmauit negare, aut quod negauit affirmare: sed non quòd contrariorum est eadem disciplina, vel non eadem.*

17 *Non oportet autem conclusionem, vt propositionem interrogare. Quædam autem neque interrogandum est, sed vt concessis vtendum.*

18 *Ex quibus igitur interrogationes, et quomodo interrogandum in concertatorijs exercitationibus, dictum est.*

15 Decimo quarto, cum arguens non habet copiam argumentorum circa id, quod est

est propositum, debet orationem transferre ad aliud affine, circa quod maior suppetat argumentorum copia, sicut facit Lycophron Rhetor, vel Poeta, cui cum fuisset propositum, vt ex arte laudaret lyram, postquam quædam dixit de lyra sonatoria, transtulit orationem ad lyram cælestem, quæ est quædam constellatio.


16 Decimo quinto, cum respondentes quærunt, ad quid arguens dirigat argumentationem, vel quid intendat probare, melius est, vt arguens dicat se velle probare affirmationem eius, quod negauerit, & negationem eius, quod affirmauerit, quam vt determinatè dicat se velle probare vnam partem contradictionis, ex. gr. hanc, *contrariorum est eadem disciplina*, vel hanc *contrariorum non est eadem disciplina*.

17 Decimo sexto demum non debet arguens interrogare conclusionem finalem, quam vult probare, sicut interrogat propositiones, sed debet conclusionem finalem ex propositionibus interrogatis, & concessis probare. Imo neque debet interrogare de omnibus propositionibus, sed aliquas communes, & receptas debet sumere vt concessas.

18 Concludit Aristoteles satis esse explicatum ex quibus sit interrogandum, & quomodo sit interrogandum in disputationibus concertatorijs, quæ nimirum fiunt gratia victoriæ, & gloriæ. Et per hæc finem imponit libro primo Elenchorum.

ARISTOTELIS ELENCHORVM LIBER SECVNDVS.


Explicantur vtilitates sophisticæ, & ostenditur tradendam esse doctrinam de solutione sophisticarum rationum. Caput Primum.

1 *E responsione autem, & quomodo oportet soluere, & quid, & ad quam vtilitatem orationes huiusmodi prosunt, post hæc dicendum.*

2 *Vtiles ergo sunt ad philosophiam propter duo. Primum quidem, quia ea, quæ vt plurimum propter dictionem fiunt, melius se habere faciunt ad id, quotupliciter quodque dicitur, & ea quæ similiter, & quæ aliter in rebus accidunt, & in nominibus.*

3 *Secundum autem ad eas, quæ perseipsum inquisitiones fiunt. Nam qui ab alio facile captiose fallitur, & id non sentit, et ipse quoque à se id patitur persæpe.*

4 *Tertium vero, & reliquum adhuc, ad gloriam, eo quòd circa omnia exercitatus esse videbitur, & in nullo se inexperte habere. Nam si is, qui in orationibus est consocius, orationes vituperat, cùm nihil habeat, quod determinet de vitiositate earum, dat suspitionem, quòd videri velit insolescere, non quia verum sit, sed propter imperitiam.*

1 OSTQVAM Aristoteles lib. 1. egit de sophisticis rationibus, lib. 2. agit de earum solutione. Initio igitur proponit agendum de duobus. Primo agendum est de responsione ad rationes sophisticas: secundo agendum est de vtilitate doctrinæ traditæ, ac tradendæ circa rationes sophisticas. Accedit deinde ad exequendum id, quod proposuit, atque ipsum exequens ordine inuerso, primo breuiter agit

agit de vtilitate doctrinæ: secundo fusè agit de solutione sophisticarum rationum.

2 Doctrina de rationibus sophisticis vtilis est ad duo; ad scientiam nimirum, præsertim primæ philosophiæ, seu metaphysicæ, & ad gloriam. Ad scientiam metaphysicæ est vtilis primo, quia doctrina de fallacijs dictionum facit, vt melius possimus distinguere quotupliciter vnumquodque nomen dicatur, & vt possimus aduertere, quando nam res similes significentur dictionibus similibus, quando autem res similibus dictionibus significatæ sint dissimiles; sed ad metaphysicam spectat scire hæc, ideoque ipse Aristoteles toto lib. 5. metaph. explicat quotupliciter nomina dicantur; ergo sophistica ex hoc capite est vtilis ad metaphysicam.

3 Secundo sophistica non solum est vtilis ad hoc, vt quando cum alijs disputamus, non decipiamur ab ipsis, sed etiam vt quando speculamur soli non decipiamur a nobis ipsis. Qui enim dum disputat ab alijs decipitur falsa ratione, nec aduertit vitium, facile etiam eadem ratione decipitur à se ipso.

4 Tertio demum sophistica est vtilis ad gloriam. Qui enim callet sophisticas rationes, videbitur in omnibus exercitatus, ac in nullo rudis. E Conuerso qui cum disputat, vituperat captiosas rationes sed non potest explicare earum defectus, dat suspicionem, quod vituperat artem, quam nescit.

5 *Respondentibus autem, quomodo obsistendum sit aduersum huiusmodi orationes, manifestum, siquidem recte diximus prius, ex quibus sunt captiosæ ratiocinationes, & si quæ inquirendæ sunt, superabundantias sufficienter diuisimus.*

6 *Non est autem idem sumentem orationem videre, & soluere vitiositatem, & interroganti posse occurrere celeriter. Nam, quod scimus, sæpe transpositum ignoramus. Amplius autem quemadmodum in alijs id quod citius, & tardius, ex exercitatione fit magis, sic & in orationibus se habet: quare si manifestum quidem sit nobis, immediati autem simus, priuamur opportunitatibus frequenter. Accidit autem quandoque sicut in linearum descriptionibus. Nam & illic soluentes quandoque componere verum non possumus sic & in redargutionibus, Nam scientes propter quid orationem accidit connectere, soluere tamen orationem impotes sumus.*

5 Verum hinc posset oriri dubium, quia cum actum sit de rationibus sophisticis, & earum causis, ac locis, videtur, quod non sit vlterius agendum de earum solutionibus. Si enim satis explicauimus causas, locos, ac defectus talium ratiocinationum, eo ipso patet ipsarum solutio, quæ affertur, ostendendo defectus earum.

6 Adhuc tamen Aristoteles docet specialiter agendum de solutione sophisticarum ratiocinationum. Probat primo, quia aliud est, quod quis apud se videat aliquam ratiocinationem esse sophisticam, & sciat ipsam soluere, aliud est, quod cum proponitur ab altero, statim possit soluere; ergo tradenda est doctrina, per quam possimus etiam soluere promptè rationes sophisticas propositas ab alijs. Secundo sæpe quod scimus, si transponatur, vel alio modo proponatur, ignoramus; ergo tradenda est doctrina, per quam sciamus soluere ratiocinationes sophisticas, quocunque modo propositas. Tertio sicuti in alijs artibus ab exercitatione pendet, vt possimus ipsarum opera facere citius, vel tardius, sic accidit in solutione sophisticarum rationum; ergo debemus diligenter præmeditari solutiones ipsarum, vt possimus ipsas soluere facile, & expeditè. Quarto sicut in Geometricis, postquam per resolutionem scimus demonstrationem conclusionum, adhuc aliquando non possumus tales demonstrationes reducere in formam syllogisticam, sic aliquando, etiam si sciamus solutionem sophisticarum rationum, adhuc non possimus ipsas bene soluere; ergo propter hæc agendum est in speciali etiam de modo soluendi sophisticas ratiocinationes.

De solutione apparenti, ac de necessitate distinguendi, vt videamur soluere sophismata. Cap. II.

1 *PRimum igitur, quemadmodum syllogizare dicimus opinabiliter quandoque magis, quam vere, eligere oportere sic & soluendum quandoque magis opinabiliter,*

quam ad veritatem. Nam omnino aduersus contentiosos est reluctandum, non vt ad eos, qui redarguunt, sed qui redarguere apparent. Non enim dicimus eos syllogizare: quare vt non videantur, emendandi sunt.

2 *Nam si redargutio est contradictio non æquiuoca, ex quibusdam, nihil opus est diuidere ad amphibola, & æquiuocationem. Non enim facit syllogismum; sed nullius alterius gratia diuidendum est, nisi quia conclusio videtur redargutioni similis. Non ergo redargui, sed videri redargui cauendum est, eo quòd interrogat amphibola, & quæ propter æquiuocationem sunt, et quæcunque alia huiusmodi cauillationes, quæ & veram redargutionem adumbrant, & redarguentem, atque non redarguentem incertum reddunt. Nam quia licet in fine cùm conclusum fuerit dicere se non id ipsum, quod affirmauit, negare, sed æquiuocè, aut amphibolicè, quamuis quam maximè contingit in idem ferat, incertum, si redargutus est. Incertum enim, si vera nunc dicit. Si verò diuidens interrogasset æquiuocum, aut amphibolum, non incerta esset redargutio, quoniam requirunt, nunc quidem minus, prius autem magis, contentiosi, sic, vel non, respondere eum, qui interrogatur, fieri potest. Nunc autem quia non benè interrogant inquirentes, necesse est, vt respondeat aliquid is, qui interrogatus est, emendans vitium interrogationis: quia diuiso sufficienter, vel sic, vel non, necesse est dicere respondentem.*

INcipit iam Aristoteles agere de solutione sophismatum: & primo quidem agit de solutione apparente: secundo de solutione reali, ac vera.

1 Docet ergo primo, quod sicut aliquando debemus conari, vt potius syllogizemus probabiliter, quam verè, sic aliquando debemus magis conari, vt videamur soluere, quam vt soluamus. Ratio est, quia sophistæ in disputationibus sophisticis non tam conantur, vt verè syllogizent, ac redarguant, quam vt videantur syllogizare, ac redarguere; ergo respondens debet conari non tam ne verè syllogizetur, ac redarguatur, sed ne videatur syllogizari, ac redargui; ideoque distinctione corrigendæ sunt propositiones, & interrogationes sophistarum.

2 Quod autem hæc distinctio propositionum non sit necessaria, ne sophistæ redarguant, sed ne videantur redarguere, probatur. Redargutio est syllogismus contradictionis ex præmissis non æquiuocis; ergo ratiocinatio ex præmissis æquiuocis non est syllogismus, neque redargutio; ergo non est necessarium distinguere propositiones æquiuocas, & amphibologicas, ne verè redarguamur, sed solum ne videamur redargui. Interrogationes enim, ac proposines æquiuocæ, & aliæ similes cauillationes sophistarum obscurant veram redargutionem, ac reddunt incertum, vtrum arguens redarguat, vel non redarguat; ergo vt manifestum sit, quod non redarguimur, debemus propositiones, & interrogationes ambiguas statim distinguere. Nam si postquam arguens intulerit conclusionem, tum dicamus nos concessisse propositiones aduersarij non in sensu ipsius, sed in alio, incertum erit audientibus, an hoc sit verum, adeoque an fuerimus redarguti; ergo vt auferatur hæc incertitudo, propositiones æquiuocæ, & ambiguæ statim sunt distinguendæ, nec differenda est earum distinctio. Quod si arguens interrogans propositiones æquiuocas, & ambiguas, explicaret, in quo sensu eas sumat, tum manifesta esset redargutio, siquidem respondens non posset dicere se in alio sensu propositiones concessisse, quam in eo, in quo sumuntur ab aduersario, & tum ad tales interrogationes possent, ac deberent interrogati respondere simpliciter, ac sine distinctione, illas admittendo, vel negando, ac dicendo *sic*, vel *non*. Verum quia sophistæ malè interrogant, non explicando sensum, in quo interrogant, ideo licet importunè quærant, vt respondeatur simpliciter, ac sine distinctione, adhuc necesse est, vt interrogatus propositiones distinguat, & adhibita sufficienti distinctione, dicat *sic*, vel *non*. Addit Aristoteles, quod priori tempore magis, quam quo hæc Aristoteles scribebat, solebant interrogantes petere, vt responderetur sine distinctione, vt videre est in dialogis Platonis, in quibus interrogationes non solent distingui: Aristoteles verò iam induxerat vsum distinctionum.

3 *Si autem aliquis putet secundum æquiuocationem redargutionem esse, quodam modo non erit respondentem effugere, quin redarguatur. Nam in ijs, quæ oculis subie-*

cta sunt, necessarium, quod affirmauit negare nomen, & quod negauit affirmare.

4 *Enim vero, vt diluunt quidam, nihil prodest. Nam non Coriscum aiunt esse musicum, & non musicum, sed hunc Coriscum musicum, & hunc Coriscum non musicum. Eadem namque erit oratio Coriscum, ei, quæ est hunc Coriscum musicum esse, vel non musicum quod simul affirmant, & negant. Sed fortasse non idem significant. Nam ne illic nomen: quare in aliquo differt. Si autem hoc quidem simpliciter dicendo Coriscum assignet, illi autem addat aliquem, aut hunc, absurdum est. Nihil enim magis, quam alterum. Vtrolibet enim nihil differt.*

5 *Non sic igitur, sed quia incertus quidem est, qui non determinauit ambiguitatem, vtrum redargutus est, vel non redargutus, datum autem est in orationibus diuidere, manifestum, quod non determinando dare interrogationem, & quidem simpliciter, peccatum est, quoniam & si non ipse, tamen oratio redargutæ similis est. Accidit autem sæpe videntes amphiboliam torpescere diuidere, eo quòd crebra talia proponantur, ne ad omne videantur molesti esse, deinde non putantibus propter id fieri orationem, sæpe profecto occurrit inopinabile. Quapropter quia datum est, diuidere haud cunctandum, quemadmodum dictum est prius.*

3 Iam quia posset aliquis contendere ratiocinationes æquiuocas verè esse redargutiones, reijcit Aristoteles hunc errorem ex absurdo. Si enim redargutiones æquiuocæ verè sunt redargutiones, nullus est, quamuis sapiens, qui possit effugere, ne à sophistis redarguatur; ergo &c. Probatur sequela: sit enim Coriscus absconditus: interrogetur sapiens: *Scis ne Coriscum esse Musicum?* Vtique concedet, cum optimè cognoscat Coriscum, & sciat illum esse Musicum. Interrogetur rursus: *scis ne hominem, qui est absconditus in hoc cubiculo, esse musicum?* Respondebit se nescire; nescit enim, quis sit absconditus in cubiculo, atque adeo nescit, an sit musicus, vel non sit musicus. Tum sophista cubiculum aperiet, atque ostendet Coriscum latentem in cubiculo, & sic argumentabitur: *idem est Coriscus, ac homo absconditus in cubiculo; sed scis Coriscum esse musicum; ergo scis hominem absconditum in Cubiculo esse musicum? ergo falso dixisti te nescire, vtrum homo absconditus in cubiculo sit musicus?* ergo si argumentationes sophisticæ, & æquiuocæ verè redarguunt, sapiens non poterit vitare, ne verè redarguatur à sophistis.

4 Addit Aristoteles non posse contradictionem vitari per id, quod dicunt aliqui, quod de alio Corisco sciunt esse musicum, de alio nesciunt, quod non est contradictio. Patet enim, quod cum idem Coriscus sit, qui est absconditus, & de quo quis dixit se scire esse musicum, de eodem dixit se scire, ac nescire esse musicum. Non igitur sic soluenda est redargutio, sed dicendum, quod non idem omninò est, de quo scit, ac de quo nescit esse musicum. Scit enim de Corisco secundum se, nescit de Corisco abscondito; sed Coriscus, & Coriscus absconditus non sunt omninò idem, sed solum sunt idem per accidens; ergo non de eodem omnino scit, ac nescit esse musicum, & sic argumentum peccat fallacia accidentis, quæ potest reduci ad fallaciam æquiuocationis, in quantum fallacia accidentis fundatur in hoc, quod non bene distinguitur, quot modis dicatur idem, & hæc est vera solutio allati sophismatis. Illa etiam solutio, quam afferunt alij, est falsa, & absurda. Dicunt enim, quod scio Coriscum esse musicum, sed nescio hunc Coriscum absconditum esse musicum. Nam scio de hoc determinato Corisco, quod sit musicus; sed hic idem est absconditus; ergo si nescio absconditum esse musicum, de eodem Corisco scio, quod sit musicus, & nescio, quod sit musicus.

5 Propositiones igitur æquiuocæ sunt distinguendæ, non quidem ne redarguamur, sed ne videamur redargui; ergo peccat qui interrogationes, & propositiones ambiguas admittit absolutè, & sine distinctione, quia licet ipse verè non redarguatur, tamen cum videatur redargui, ac dicere contradicteria, oratio ipsius est similis redargutæ. Aliquando vero quia arguens frequenter proponit propositiones æquiuocas, respondentes torpent in ipsis distinguendis, ne si omnes propositiones distinguant, videantur molesti in respondendo, ac sæpe ex propositionibus non distinctis ducuntur ad aliquid inopinabile, quod non viderunt. Ideo non est cunctandum distinguere omnes propositiones, quæ indigent distinctione.

Si

6 *Si autem duas interrogationes, non vnam facit quisquam interrogationem, non propter æquiuocationem, vel amphiboliam fiet captiosa collectio, nonne redargutio, an non? Quid enim differt interrogare si Callias & Themistocles musici sint, quàm si ambobus vnum nomen esset existentibus diuersis? Nam si plura significat, qui in vnum plura interrogauit. Si igitur non rectum est ad duas interrogationes vnam responsionem censere sumere simpliciter, manifestum, quoniam nulli eorum, quæ æquiuoca sunt, conuenit respondere simpliciter nec si de omnibus quidem verum sit, veluti censent quidam. Nihil enim differt hoc, quàm si interrogasset, Coriscus, & Callias vtrum domi sint, an non sint domi? siue adsint ambo, siue non adsint: vtrinque enim plures propositiones. Non enim si verum est dicere, interrogatio propter id vna. Possibile est enim ad decies millenas interrogatas quæstiones, omnes sic, vel non, verum est dicere. Attamen non est respondendum vna responsione: interimitur enim disputatio. Id autem simile, ac si idem nomen imponatur diuersis. Si igitur non oportet ad duas interrogationes vnam responsionem dare, manifestum, quoniam nec in æquiuocis sic, vel non, dicendum. Neque enim qui dixit respondet, tametsi dixit, sed id admittunt quodam modo in disputationibus, eo quòd lateat quod accidit.*

7 *Quemadmodum igitur diximus, quòd redargutiones quædam videntur esse, cùm non sunt, eodem quoque modo & solutiones quædam videntur esse, quæ non sunt, quas diximus quandoque operæpretium magis afferre, quam veras in contentiosis orationibus, & in ea, quæ ad duplex est, occursione?*

6 Confirmat Aristoteles traditam doctrinam. Si enim quis fecerit plures interrogationes, & non vnam, non fit paralogismus, qui videatur redarguere propter æquiuocationem, & amphibologiam, sed vel fit verus elenchus, vel nullo pacto fit elenchus, neque verus, neque apparens; ergo signum est, quod elenchus apparens fit, quia fiunt plures interrogationes vt vna; sed ad plures interrogationes factas per diuersa nomina non debet dari vna responsio; ergo neque ad plures interrogationes factas per vnum nomen debet dari vna responsio; sed interrogatio per nomen æquiuocum est multiplex: si enim duo vocentur nomine Corisci, idem est quærere, *an Coriscus sit musicus?* ac quærere; *vtrum Themistocles, & Callias sit musicus*; ergo etiam ad interrogationes per nomina æquiuoca debent afferri plures responsiones. Neque potest dici, quod saltem, si de vtroque, quod significatur per nomen æquiuocum, verificatur id, quod interrogatur, debet dari vna responsio. Sicut enim si quis interroget, *an Coriscus, & Callias sint domi?* siue vterque sit domi, siue neuter, adhuc sunt plures interrogationes, sic debent afferri plures responsiones; ergo etiamsi Coriscus, & Callias vocarentur eodem nomine Corisci, essent plures interrogationes, adeoque deberent afferri plures responsiones. Quod verò semper sint plures interrogationes, etiamsi de omnibus verificetur quod petitur, patet: nam potest contingere, vt ad decies mille interrogationes possit responderi *sic*, vel *non*, & tamen adhuc non sunt vna interrogatio, adeoque non est respondendum vnica responsione; ergo nihil facit, quod de omnibus verificetur, vel non verificetur id, quod interrogatur, ad hoc, vt debeat afferri vnica responsio: cum enim non constet, an illa responsio sit ad omnes interrogationes, vel non ad omnes, & ad quam interrogationem sit, euertitur disputatio; ergo sicut ad plures interrogationes per diuersa nomina non debet dari vna responsio, sic neque ad plures interrogationes sub eodem nomine æquiuoco danda est vnica responsio, dicendo *sic*, vel *non*. Si verò quis det vnam responsionem, hæc responsio erit verbalis, sed verè non satisfaciet interrogationi. Aduersarij autem dicunt posse afferri vnicam responsionem, quia non aduertunt absurda, quæ sequuntur.

7 Concludit Aristoteles ex dictis patere, quod sicut sunt apparentes redargutiones, sic sunt apparentes solutiones, & sicut aliquando præstat vti potius argumentationibus apparentibus, quam veris, sic aliquando præstat in sophisticis disputationibus vti potius solutionibus apparentibus, quam veris.

8 *Respondendum autem in ijs, quæ videntur, esse, dicendo. Nam & sic minime fiet redargutio.*

9 *Si vero aliquid, quod inopinabile sit, co-*

gatur

gatur dicere, hic maxime addendum videri: sic enim neque redargutio, neque inopinabile videbitur fieri.

10 *Quia autem quo pacto petitur, quod est in principio, manifestum putant omnino, si sint propinquæ, interimendum, & non concedenda esse vlla, perinde ac si quod in principio est petat.*

11 *Et quando aliquid tale postulauerit quispiam, quod necessarium quidem est accidere ex positione, sit autem falsum, vel inopinabile, idem dicendum. Nam, quæ ex necessitate accidunt, eiusdem videntur esse positionis.*

12 *Amplius quando vniuersale non nomine sumitur, sed similitudine, dicendum, quòd non sic datum est, neque vt proposuit, sumit. Nam propter id fit sæpe redargutio.*

13 *Cùm autem probibetur his, ad id, quod non bene ostensum est redeundum. Obsistendum autem secundum dictam determinationem.*

8 Descendit deinde Aristoteles ad tradenda magis in particulari loca, per quæ ita apparenter respondeamus, vt videamur non redargui. Primo in ijs, quæ videntur nobis vera, & non videntur contra positionem, debemus dicere *esto*, seu *transeat*. Per hoc enim videmur illa admittere solum gratia disputandi, adeoque etiamsi probetur oppositum, non videmur redargui.

9 Secundo multo magis dicendum, *videtur*, quando concluditur aliquid paradoxicum. Cum enim neque dicamus illud esse verum, neque dicamus esse falsum, videmur non redargui, quodcunque probetur.

10 Tertio quandoquidem explicatum est, quid sit petere principium, cum arguens assumit propositiones valde propinquas illi, de qua disseritur, omnes sunt negandæ, ac dicendum, quod arguens dum postulat tales propositiones, petit principium.

11 Quarto cum aduersarius infert necessario ex positione aliquid falsum, ac inopinabile, & dicit id non esse admittendum, dicendum, quod petit principium, quia qui ponit conclusionem, eo ipso ponit illud aliud, quod est necessario connexum cum conclusione.

12 Quinto cum quis per inductionem ex pluribus singularibus colligit aliquid vniuersale carens nomine, illud describens, dicendum, quod hoc non est illud vniuersale, quod sequitur ex singularibus inductis: ex. gr. si quis ex eo, quod bos, capra &c. carent dentibus in superiori mandibula, inferat; *ergo omne animal tale caret dentibus in superiori mandibula*, dicendum, quod non sequitur de eo vniuersali, de quo infertur, sed de vniuersali innominato.

13 Sexto cum nulla occurrit talis responsio, recurrendum est ad responsionem generalem, ac dicendum, quod argumentum non concludit secundum definitionem syllogismi, eo quod vel latet æquiuocatio &c.

14 *In ijs igitur, quæ proprie dicuntur, nominibus, necesse est respondere, vel simpliciter, vel diuidendo. Quæ autem subintelligentes proponimus, vt quæcunque non plane, sed truncatim interrogantur, propter id accidit redargutio: vt putasne quicquid est Atheniensium? sic: similiter autem & in alijs? Atqui homo est animalium, sic: possessio igitur animalium homo. Nam hominem animalium esse dicimus, quia animal est: & Lysandrum Lacedæmoniorum, quia Lacedæmonius est. Manifestum igitur, quoniam in quibus obscurum est, quod proponitur, non simpliciter concedendum.*

15 *Quando vero duobus existentibus, cùm hoc quidem est ex necessitate alterum esse videtur, cùm vero alterum est, hoc non ex necessitate, interrogato vtroque, oportet quod minus est dare. Nam difficilius est colligere de pluribus.*

16 *Si autem argumentetur, quòd huic quidem est contrarium, illi autem non est, si oratio vera sit, contrarium esse est dicendum, at nomen alterius positum non esse.*

14 Septimo cum ratiocinatio proposita vtitur nominibus, & oratione clarè significante intentum, propositiones sunt simpliciter admittendæ, vel negandæ: cum verò ratiocinatio proposita est per propositiones truncatas, ac dubij sensus, propositiones non sunt admittendæ, vel negandæ simpliciter, sed sunt distinguendæ, quia sæpe accidit, vt ex propositionibus truncatis absolutè concessis respondens redarguatur. Exemplum redargutionis ex propositione truncata, & obscura est: *quod est alicuius est possessio illius; sed homo est ani-*

malium; ergo homo est possessio animalium. Minor enim propositio est obscura, siquidem ly *homo est animalium*, significat, *quod homo sit animal*, sicut cum dicitur, quod *Lysander est Lacedæmoniorum*, significatur, quod Lysander est Lacedæmonius. Quia ergo obscurum est quod assumitur, non est concedendum sine distinctione, sed adhibenda est aliqua distinctio.

15 Octauo cum quis proponit duo, quorum alterum si est verum, etiam aliud est verum, non è conuerso, concedendum est quod est minus: ex. gr. cum proponitur, quod moueri progressiuè est proprietas omnium, vel aliquorum animalium, concedendum est, quod est proprietas solum aliquorum. Difficile enim est ex eo, quod sit proprietas aliquorum, vel etiam plurium particularium, concludere per inductionem, quod sit proprietas omnium.

16 Nono cum arguens probat, quod aliquid non sit genus alicuius, quia cum genus habet contrarium, etiam species habet contrarium; sed genus assignatum habet contrarium, non potest autem assignari contrarium speciei; ergo malè assignatur genus talis speciei. Responderi debet, quod species etiam habet contrarium, sed innominatum, ideoque non possumus illud assignare.

17 Decimo quia quædam communiter admittuntur, ideoque auditores dicunt mentiri eos, qui contradicunt, quædam è conuerso sunt ambigua, & ab alijs admittuntur, ab alijs negantur, prima sunt admittenda simpliciter vt vera, ad secunda dicendum, quod sunt dubia pro vtraque parte.

18 Vndecimo cum quod interrogatur est dubium, debet respondens orationem transferre ad referenda nomina eorum, qui circa illam quæstionem contraria senserunt, dicendo ex. gr. *Epicurei dixerunt sic, Stoici sic &c.* latebit enim sub vmbra eorum, & cum res sit dubia, non videbitur sophisticè agere, nec falsum dicere, nec redargui.

19 Duodecimo demum, cum præuidet quæ posset aduersarius opponere contra responsionem, debet respondens illa præuenire, dicendo, *posset hoc opponi, sed non valet*. Arguens enim impedietur ab illis opponendis, ne videatur argumenta mutuari à respondente.

17 *Quoniam autem quædam quidem eorum, quæ dicuntur, plures eum, qui non concedit, falsum dicere aiunt, quædam autem non, vt quæcunque ambigunt (vtrum enim corruptibilis, vel immortalis sit anima animalium, non exploratum est multis) in quibus igitur incertum est vtro modo soleat dici quod proponitur? vtrum in ijs, quæ sunt vt sententiæ? vocant enim sententias & veras opiniones, & totas negationes, vt diameter incommensurabilis est.*

18 *Amplius, de quo verum dubitatur, transferens quispiam nomina maxime latebit in illis. Nam quia incertum est, vtro modo se habet verum, non videbitur sophisticè agere: propter id autem, quod dubium, non videbitur falsum dicere. Nam metaphora faciet orationem sine redargutione videri.*

19 *Amplius quascunque interrogationum persenserit aliquis, præinstandum est, & prædicendum. Nam sic maxime interrogantem probibebit.*

De vera solutione paralogismorum in dictione. Caput III.

1 *QVoniam autem recta solutio est manifestatio falsi syllogismi, ob quamcunque interrogationem accidat falsum,*

2 *(Falsus autem syllogismus dicitur dupliciter: nam, aut si collectum est falsum, aut si cùm non est syllogismus, videtur esse syllogismus) erit, & quæ nunc dicta est solutio, & apparentis syllogismi, ob quam videtur esse interrogationum correctio.*

POstquam Aristoteles egit de solutione apparenti, agit de vera solutione paralogismorum. Primo ergo explicat, quid sit recta solutio falsi syllogismi, ac diuidit falsum syllogismum in eum, qui est falsus ratione materiæ, & in eum, qui est falsus ratione formæ: secundo docet generatim modum illos soluendi: tertio docet specialiter modum soluendi sex fallacias dictionis: quarto demum capite sequenti docet modum soluendi septem fallacias extra dictionem.

1 Quoad primum: recta solutio est *manifestatio falsi syllogismi, ob quamcunque* in-

interrogationem, ſeu præmiſſam accidat ipſum falſam. Senſus eſt, quod vera ſolutio eſt manifeſtatio, per quam oſtenditur ſyllogiſmum eſſe falſum, explicando propter quem defectum interrogationum, ſeu præmiſſarum ſit falſus. Cum igitur oſtenditur ſyllogiſmum eſſe falſum, explicando propter quem defectum ſit falſus, rectè ſoluitur paralogiſmus.

2 Syllogiſmus poteſt eſſe falſus dupliciter, primo ratione materiæ, quia licet ſit in forma, omnes, vel aliquæ præmiſſæ ſunt falſæ; ſecundo ratione formæ, eo quod videatur concludere, ſed non concludat, adeoque videatur eſſe ſyllogiſmus, ſed non ſit ſyllogiſmus. Recta ergo ſolutio eſt, quæ explicando defectum, propter quem ſyllogiſmus non concludit, quodammodo corrigit ſyllogiſmum apparentem, & peccantem in forma.

3 *Quare contingit orationes ſyllogizantes quidem interimere, apparentes autem diuidentem ſoluere.*

4 *Rurſum autem quoniam ſyllogizantium orationum, hæ quidem veram, illæ autem falſam habent concluſionem, eas quidem, quæ ſecundum concluſionem ſunt falſæ, duobus modis contingit ſoluere. Nam & eo, quòd interimitur aliquid eorum, quæ interrogata ſunt, & eo, quòd oſtenditur concluſio non ſic ſe habere. Eas vero, quæ ſecundum propoſitiones, eo quòd interimitur quiddam ſolum: nam concluſio vera eſt. Quare volentibus ſoluere orationem, primum quidem inſpiciendum, ſi ſyllogizat, an non ſyllogizat: deinde, vtrum vera ſit concluſio, an non vera, quatenus vel diuidentes, vel interimentes ſoluamus: & iterum interimentes hoc modo, vel illo, quemadmodum dictum eſt prius.*

5 *Differt autem plurimum, & interrogantem, & non, ſoluere orationem. Nam præuidere quidem difficile eſt, per otium autem temporis videre facile.*

3 Quoad ſecundum: non eodem pacto ſolui debent ſyllogiſmi peccantes ratione materiæ, ac peccantes ratione formæ. Syllogiſmi peccantes ratione materiæ ſoluuntur interimendo præmiſſas, hoc eſt dicendo aliquam præmiſſam eſſe falſam. Paralogiſmi peccantes ratione formæ ſoluuntur, ipſos diuidendo, ac reſoluendo, ac per reſolutionem oſtendendo, quod ex præmiſſis non ſit ſyllogiſmus, ac nihil ſequitur, eo quod ratiocinatio peccet contra aliquam regulam.

4 Ex ſyllogiſmus concludentibus quidem, ſed peccantibus ratione materiæ, quidam inferunt concluſionem veram, quidam falſam. Syllogiſmi inferentes concluſionem falſam duobus modis poſſunt ſolui; primo directè oſtendendo, quod aliqua præmiſſa ſit falſa; ſecundo indirectè oſtendendo, quod concluſio eſt falſa. Syllogiſmi inferentes concluſionem veram vnico modo poſſunt ſolui, interimendo nimirum omnes, vel aliquas præmiſſas: concluſio ſiquidem non poteſt interimi, oſtendendo illam eſſe falſam, cum non ſit falſa. Vt igitur ſoluamus ratiocinationem propoſitam, primo debemus conſiderare, vtrum concludat, vel non: ſecundo, vtrum concluſio ſit vera, vel falſa: & ſi ratiocinatio non concludit, debemus illam ſoluere, oſtendendo præmiſſas non eſſe in forma: ſi concludit, debemus interimere aliquam ex præmiſſis, vel etiam concluſionem, ſi concluſio eſt falſa.

5 Addit Ariſtoteles multo difficilius eſſe reſpondere ad ſophiſticas ratiocinationes, cum proponuntur ab alijs in diſputatione, quam cum nos ipſi illas proponimus in priuato ſtudio. Nam facile eſt ex otio videre defectus ratiocinationum, at admodum difficile eſt ſtatim videre tales defectus; ideo hic liber, in quo traditur ars ſoluendi paralogiſmos etiam in diſputatione propoſitos, non eſt inutilis.

6 *Earum igitur, quæ propter æquiuocationem, & amphiboliam redargutionum, aliæ quidem habent aliquam interrogationem plura ſignificantem, aliæ autem concluſionem multipliciter dictam, vt in ea quidem, quæ eſt ſilentia dicere, concluſio eſt duplex, in ea vero, quæ eſt non ſcire ſcientem, vna interrogationum amphibola eſt.*

7 *Et duplex quidem quandoque eſt ens, quandoque non eſt ens, & quandoque ſignificat duplex, hoc quidem ens, illud vero non ens.*

8 *Quibuſcunque igitur in fine eſt multiplex, niſi prius ſumpſerit contradictionem, non fit redargutio, vt in eo, quod eſt cæcum videre. Nam ſine contradictione non fit redargutio. Quibuſcunque vero in interro-*

rogationibus, non necesse est prænegare quod duplex est. Nam non ad hoc, sed propter hoc fit oratio.

6 Quoad tertium: descendit Aristoteles ad docendum in particulari modos soluendi sex paralogismos dictionis. Ex paralogismis æquiuocationis, & amphibologiæ, alij habent interrogationes, seu præmissas ambiguas, & plura significantes, alij habent conclusionem plura significantem. Exemplum paralogismi, in quo conclusio plura significat est; *quemcunque contingit dicere, contingit loqui; contingit silentem dicere; ergo contingit silentem loqui*. Conclusio est ambigua; nam & potest facere hunc sensum, *contingit, vt silens loquatur, dum silet*, & hic sensus est falsus, & potest facere hunc sensum verum, *contingit, vt quis loquatur silentem, puta lapidem silentem*. Exemplum paralogismi, in quo altera præmissarum plura significat est: *omnis, qui scit aliquid dicere, vel facere, scit illud, quod dicit, vel facit; sed hic puer scit dicere iambica; ergo hic puer scit iambica*. Maior est ambigua: potest enim intelligi, quod qui scit aliquid dicere, sciat illud secundum dictiones, & quod sciat secundum significationem; si dicatur, quod scit secundum dictionem, est verum, si dicatur quod scit secundum significationem, est falsum. In conclusione verò, qua infertur; *ergo hic puer scit iambica*, intelligitur, quod non solum scit dictiones, sed etiam significationem, & regulas scribendi iambica, & quod scit scribere iambica.

7 Propositiones ambiguæ aliquando secundum vtrumque sensum significant ens, hoc est verum, eo quod in vtroque sensu sint veræ, aliquando significant non ens in vtroque sensu, eo quod in vtroque sensu sint falsæ, aliquando in vno sensu significant ens, in alio non ens, eo quod in vno sensu sunt veræ, in altero falsæ.

8 Syllogismi concludentes conclusionem ambiguam non sunt, neque videntur redargutiones, nisi aduersarius posuerit contradictorium talis conclusionis. Redargutio enim debet concludere contradictorium eius, quod dixerit respondens. At in syllogismis sumentibus præmissas ambiguas, ad hoc vt sint, vel videantur redargutiones, non est necesse, vt respondens neget aliquam præmissam; præmissæ enim non sumuntur, vt contradictoriæ respondenti, sed ad probandam conclusionem contradictoriam respondenti; ergo licet respondens non negauerit tales præmissas, si ex his infertur conclusio contradictoria positioni, quam respondens posuit, tales præmissæ sunt redargutio.

9 *In principio igitur ad duplex, & nomen, & orationem sic respondendum, quod est vt sic, est autem vt non: vt de eo, quod est silentia dicere, quod est vt sic, est autem vt non: & quæ expediunt, agendum, sunt autem quæ sic, sunt autem quæ non. Nam expedientia dicuntur multipliciter.*

10 *Si autem lateat, in fine addendo interrogationi corrigendum est, ne silentia dicere? non tamen eos qui silent. Et in ijs autem, quæ se habent quidem multipliciter in propositionibus, similiter, non putas consciunt, quod sciunt? sic. Sed non sic scientes: non enim est idem, quòd non est conscire, atque sic quidem non esse scientes. Et omnino obluctandum est, tametsi simpliciter colligatur, quod non rem, quam dixit, negauit, sed nomen: quare id non est redargutio.*

9 His positis, docet Aristoteles modum respondendi ad syllogismum ex æquiuocis, & ambiguis. Cum arguens interrogat de aliquo ambiguo, tamquam de principio disputationis, non debemus id admittere, neque negare simpliciter, sed cum distinctione, dicendo, quod in vno sensu est verum, in altero falsum. Ex. gr. si quærat quis, *contingit ne silentem dicere?* debemus respondere cum distinctione, dicendo, quod in aliquo sensu contingit, in aliquo non contingit. Si enim sensus sit, *an quis possit dicere silentem?* est verum? si autem sensus sit, *an quis possit dicere silens?* est falsum.

10 Secundo si quis non determinans ambiguitatem, responderit sine distinctione, postquam sophista fecit ratiocinationem sophisticam, debet corrigere responsionem, distinguendo propositionem ambiguam: ex. gr. debet dicere, *negaui quod contingat silentem dicere, ita vt ipse silens dicat; non negaui posse contingere, vt quis dicat aliquam rem silentem, puta ligna, vel lapides*. Eodem pacto cum proponuntur præmissæ ambiguæ, debent distingui. Ex. gr. dum sophista quærit, *an omnis, qui dicit*

eit aliquid, sciat quod dicit? Debet responderi, quod aliquo modo scit, aliquo modo nescit, scit quoad voces, quoad significationem potest nescire. Si verò negauerit aliquid ambiguum sine distinctione, cum syllogizatur contradictoria affirmatiua, debet respondere, quod non negauit rem, sed nomen in alio sensu, adeoque non redarguitur, quia non concluditur id, quod negauit secundum rem, hoc est in eo sensu, in quo negauit, sed secundum nomen, hoc est in alio sensu.

11 *Manifestum autem & eas, quæ sunt propter compositionem, & diuisionem, quomodo soluendum. Nam si diuisa, et composita oratio aliud significat, cum concluditur, contrarium dicendum.*

12 *Sunt autem huiusmodi omnes orationes secundum compositionem, & diuisionem. Putasne quo vidisti tu hunc percussum, illo percussus est hic? & quo percussus est illo tu vidisti? Habet quidem aliquid etiam dubiarum quæstionum, quamuis sit propter compositionem. Nam non est duplex, ob id, quod est secundum diuisionem. Non enim eadem oratio fit diuisa & composita: siquidem ora, & ora secundum accentum prolata significant aliud; sed in scriptis quidem idem nomen, cùm ex eisdem elementis scriptum sit, & similiter. Et illic autem iam signa faciunt prolata non eadem, quare non duplex, quod propter diuisionem est. Manifestum autem quoniam non omnes redargutiones propter duplex, sicut quidam dicunt. Diuidendum igitur & qui respondet. Non idem est enim dicere videre oculis, percussum: & dicere oculis percussum videre.*

13 *Et Euthydemi oratio: putasne vidisti tu nunc existentes in Pyræo naues, cùm in Sicilia sit?*

14 *Et rursus, putasne malum sutorem bonum esse? sit autem quis bonus sutor malus: quare sutor malus?*

15 *Putasne quorum scientiæ bonæ, bonas esse disciplinas: mali autem bona disciplina: igitur bona disciplina malum: attamen & malum, & disciplina malum: quare mala disciplina malum.*

16 *Putasne verum dicere nunc, quoniam tu factus es? factus es ergo nunc. An aliud significat diuisum? Verum enim dicere nunc, quòd tu factus es, sed non nunc tu factus es.*

17 *Putasne, vt potes & qua potes, sic & ipsa facies? non citharizans autem habes potestatem citharizandi: citharizabis igitur non citharizans. An non huius habet potestatem, vt non citharizans citharizet? sed cùm non facit hoc, vt faciat.*

18 *Soluunt autem quidam id & aliter. Nam si dedit vt potest facere, non dicunt accidere non citharizantem citharizare: non enim omnino, vt potest facere datum est facere: non idem autem esse, vt potest, & omnino, vt potest facere. Sed manifestum, quoniam non bene soluunt. Nam orationum omnium, quæ propter idem, eadem solutio: eadem autem non accommodabitur ad omnes, nec omnino ad interrogatas, sed est ad interrogantem, & non ad orationem.*

11 Tradita solutione paralogismorum, qui fundantur in æquiuocatione, & amphibologia, tradit Aristoteles solutionem paralogismorum, qui fundantur in compositione, & diuisione. Quandoquidem aliud significat oratio composita, aliud diuisa, cum quis concludit orationem compositam, dicendum, quod talis oratio non est vera composita, sed diuisa; cum autem concludit orationem diuisam, dicendum, quod talis oratio non est vera diuisa, sed composita. Ex. gr. si sophista ex eo, quod *hic est bonus sutor*, velit inferre, *quod est bonus* dicendum, quod non bene ex eo, quod sit vera hæc oratio composita, *est bonus sutor*, infertur, quod sit vera hæc oratio diuisa, *est bonus*: si autem arguens ex eo, quod quis *sit bonus* & *sit sutor*, inferat, quod *est bonus sutor* dicendum, quod ex eo, quod est vera oratio diuisa, non bene infertur, quod sit vera oratio composita.

12 Affert deinde Aristoteles plura exempla sophismatum secundum compositionem, & diuisionem, ac eorum solutionem. Primum exemplum est: *quo vidisti illum percussum, eo percussus est; sed oculis vidisti hunc percussum; ergo oculis est percussus: vel quo percussus est illo, vidisti percussum; sed baculo percussus est; ergo baculo vidisti percussum*. Quia verò posset aliquis putare, quod fallacia compositionis, ac diuisionis reducatur ad fallaciam amphibologiæ, ideo Aristoteles docet, quod licet hæc fallacia sit affinis amphibologiæ, adhuc non coincidit cum amphibologia. Orationes enim amphibologicæ tales sunt,

vt non pendeat ex earum prolatione, vt faciant vnum, vel alterum sensum; at orationes compositæ, ac diuisæ tales sunt, vt vnum sensum faciant, si proferantur compositæ, alterum si proferantur diuisæ, adeoque sint diuersa oratio. Explicatur: ὄρος cum spiritu leni significat montem, ὅρος cum spiritu aspero significat limitem, seu terminum. Si ergo talis vox proferatur sine spiritu, duplex est, si proferatur cum distinctione spirituum, non est duplex. Proportionaliter oratio composita, ac diuisa, si scribatur sine compositione, ac diuisione duplex est; si proferatur cum compositione vel diuisione, non est simpliciter duplex; ergo non coincidit cum amphibologia, ac proinde non verum est, quod omnes redargutiones coincidunt cum amphibologia, vel æquiuocatione, vt quidam dicunt. Solutio igitur primi paralogismi est, quod illa minor, *oculis vidisti hunc percussum*, est vera, diuidendo *percussum ab oculis*, & faciendo hunc sensum, *oculis vidisti percussum baculo*: in conclusione verò ly *percussum* componitur cum oculis, ac infertur, *percussus est oculis*. Solutio secundi paralogismi est, quod in maiori, *quo percussus est &c.* ly *quo*, seu instrumentum percutiendi est diuisum *à vidisti*, & compositum cum *percussus*; in conclusione verò, *ergo baculo vidisti*; baculus, qui est instrumentum percutiendi, componitur cum oculis, & cum *vidisti*, adeoque est fallacia compositionis.

13 Secundum exemplum est illa Euthydemi ratiocinatio; *putasne vidisti tu nunc existentes in Pyræo naues in Sicilia existens*; si ly *nunc* componatur cum *vidisti tu*, oratio est falsa, & absurda: sensus enim est, *tu nunc vidisti naues existentes in Pyræo, cum existas in Sicilia*; si verò ly *nunc* diuidatur à *vidisti*, & componatur cum *Pyræo*, oratio est vera; sensus enim est, quod *tu vidisti ante naues nunc existentes in Pyræo, cum existas in Sicilia*.

14 Tertium exemplum est: interrogat sophista; *putasne bonum sutorem esse malum sutorem?* Respondetur negatiuè. Sophista sic arguit: *hic est bonus sutor; hic est malus; ergo hic est bonus sutor malus*. Conclusio est falsa, si *malus* componatur cum *sutore*, ac dicatur, quod *sutor bonus est sutor malus*; si *malus* diuidatur à *sutore* & dicatur, *quod sutor bonus*, est malus simpliciter, hoc est *malus homo*, conclusio est vera.

15 Quartum exemplum est: interrogat sophista, *putasne quorum disciplinæ sunt bonæ bonas esse disciplinas?* Respondetur affirmatiuè: arguit sophista: *cuius disciplina est bona, est bona disciplina; sed mali disciplina est bona; ergo malum est bona disciplina*. Fallacia est, quia potest subintelligi *illius*, vel *illud*. Si ergo bona disciplina componatur cum *illud*, & sensus sit, *illud est bona disciplina, cuius est bona disciplina*, maior est falsa; si bona disciplina componatur cum *illius*, & sensus sit, illius est bona disciplina, cuius est bona disciplina, maior est vera, sed non sequitur conclusio. Addit Aristoteles, quod ex eo, quod & malum, & aliqua disciplina, scilicet quæ docet facere malum, sit malum, non sequitur, quod disciplina malorum sit mala: potest enim contingere, vt disciplina malorum sit bona.

16 Quintum exemplum est: interrogat sophista, *putasne verum est dicere nunc quoniam tu factus es?* Respondetur affirmatiuè. Infert sophistica; *ergo nunc tu factus es*, siquidem verum est dicere, quod *nunc factus es*. Solutio est, quia ly *nunc* debet coniungi cum ly *verum est dicere*, ac diuidi à *factus es*: nunc enim verum est dicere, quod tu factus es; at non est verum dicere, quod tu factus es nunc.

17 Sextum, & vltimum exemplum est, interrogat sophista: *putas ne quæ potes, & vt potes sic facies?* Concedit respondens; arguit sophista; *sed tu non citharizans potes citharizare; ergo tu citharizabis non citharizans*: Solutio est, quia minor est vera, componendo ly *non citharizans*, cum *potes*, falsa est componendo ly *non citharizans* cum citharizare. Nam tu *non citharizans potes citharizare*; at non potes *citharizare, non citharizando*.

18 Addit Aristoteles, quod aliqui aliter respondent. Dicunt enim, quod qui concessit *citharizabis vt potes*, non concessit, vt omnino, & vniuersaliter, sed vt particulariter; ergo malè infertur; *ergo citharizabis non citharizando*. Verum hæc responsio non omnino soluit. Bona enim solutio debet posse applicari omnibus paralogismis eiusdem rationis; sed plures possunt afferri paralogismi eiusdem rationis, quibus non est applicabilis dicta solutio; ergo &c. Vera igitur solutio est iam allata, ideoque est axioma receptum, *cum compositio decipit diuisio soluit; cum* di-

diuisio decipit, compositio soluit.

19 *Propter accentum autem orationes non sunt, neque in ijs, quæ scribuntur, neque in ijs, quæ dicuntur, præterquàm si quæ pauca fiunt, vt hic: putas ne est, quod habitas domus? sic. Nunquid ne est quod habitas, negatio eius est, quod habitas? sic. Dicebas autem ne esse, quod habitas, domum: negas igitur te habitare domum. Quomodo autem soluendum est, palam. Non enim idem significat grauiter, & acute prolatum.*

19 Circa fallaciam accentus docet Aristoteles pauca ex ipsa fieri sophismata, tum in orationibus scriptis, tum in prolatis. Vnicum affert exemplum. Interrogat sophista? *non ne οὗ habitas domus est;* Annuit respondens. Arguit sophista: ly οὐ *habitas est negatio habitandi; sed οὗ habitas est domus; ergo domus est negatio habitandi.* Solutio est quia particula ου aliud significat cum accentu circumflexo, aliud cum acuto. οὗ cum accentu circumflexo significat vbi; οὐ cum accentu acuto significat non: ex eo vero, quod concessum fuerit, quod οὗ, hoc est *vbi habitas* est domus, infertur quod οὐ habitas, hoc est *non habitas* sit domus.

20 *Manifestum autem & in ijs, quæ fiunt propter id, quod vt eadem dicuntur ea, quæ non sunt eadem, quo pacto obsistendum, eo quòd habemus genera prædicamentorum. Nam hic quidem dedit interrogatus non esse aliquid eorum, quæ quid est significant, ille vero ostendit quidem esse aliquid eorum, quæ sunt ad aliquid, vel quantitatis, videntur autem quid est significare propter dictionem, vt in hac oratione.*

21 *Putasne contingit idem simul facere, & fieri? non: at vero videre, simul & videri idem, & secundum idem contingit.*

22 *Putas ne est aliquid eorum, quæ sunt pati, facere? non. Nonne igitur secatur, vritur, operatur, similiter dicuntur, & omnia quidem pati significant? Rursum autem currere, videre similiter sibiinuicem dicuntur: veruntamen videre, operari aliquid est: quare & pati aliquid, simul etiam, et facere.*

23 *Si autem aliquis illic dans contingere simul idem facere, & pati, videre, & videri dicat possibile, nondum redargutus est, si non dicat videre facere aliquid, & videri pati: indiget enim hac interrogatione, sed ab audiente opinatur datum esse, cùm & secare facere aliquid, & secari fieri aliquid dedit, & quæcunque alia similiter dicuntur. Nam reliquum ipse addit, qui audit, veluti similiter dictum. Illud autem dicitur quidem non similiter, videtur autem propter dictionem. Idem autem accidit hic, quod in æquiuocationibus. Putat enim in æquiuocis inscius orationum, quam dixit negare rem, non nomen, ideoque adhuc indiget interrogatione, si ad vnum aspiciens dicat æquiuocum. Sic enim dante, erit redargutio.*

20 Vltima fallaciarum dictionis est, quæ fundatur in eo, quod quæ non sunt eadem, significantur simili figura dictionis. Quoniam igitur scimus, quo pacto differant prædicamenta, possumus scire, quo pacto soluantur tales paralogismi. Explicatur: interrogat sophista, an aliquid spectans ad prædicamentum substantiæ, & significans *quid est*, ex gr. Socrates spectet ad alia prædicamenta? Respondetur negatiuè: arguit sophista: *pater est ad aliquid; Socrates est pater; ergo Socrates est ad aliquid*, & eodem pacto potest ostendere, quod Socrates spectat ad prædicamentum quantitatis &c.

21 Plura horum paralogismorum exempla proponit Aristoteles. Primum est: interrogat sophista: *putas ne possibile idem numero nunc facere, & ante fecisse?* Respondetur negatiuè. Arguit sophista, *possibile est idem numero videre nunc, & vidisse ante; ergo possibile est idem numero facere nunc, & fecisse ante* Argumentum nititur in eo, quod similes dictiones sint *facere*, & *videre*, *fecisse*, & *vidisse*, & tamen non valet. Nam *facere* & *fecisse*, significant actionem, qua faciens facit factum, *videre*, & *vidisse* significat passionem, qua videns mouetur ad videndum ab obiecto viso. Licet autem sit impossibile, vt qui nunc facit aliquid, idem ante fecerit, non est impossibile, vt qui patitur ab aliquo, ab eodem ante sit passus.

22 Secundum exemplum est: interrogat sophista: *putas ne quod pati sit agere?* Respondetur negatiuè: arguit sophista; *secatur, vritur, patitur sensationem,* similiter dicuntur, ac significant pati: rursus *dicere, currere, videre* similiter dicuntur, & si-

& significant agere; sed videre est idem, ac sentire, & est pati sensationem; ergo aliquid agere est pati. Solutio est, quia licet *videre* similiter dicatur, ac *currere* & *dicere*, adhuc non significant idem: nam *videre* significat quoddam pati, *currere*, ac *dicere*, significant agere.

23 Addit Aristoteles, quod etiamsi respondens concedat, quod est impossibile idem facere, & fecisse, & simul concedat, quod est possibile idem videre, ac vidisse, adhuc non est redargutus, nisi concedat, quod videre, & vidisse significant non passionem, sed actionem. Si verò interrogatus hoc concesserit propter similem figuram dictionis, tum est redargutus. Quia verò videtur audienti admisisse, quod sicut *secari*, *vri* &c. significant passionem, sic *secare*, *vrere*, & alia huiusmodi significant actionem, *videre* autem apparet simile propter figuram dictionis, licet verè non sit simile, ideo videtur etiam concessisse, quod videre significat actionem, adeoque videtur redargutus. Explicatur exemplo æquiuocationis. Qui enim negauit propositionem æquiuocam, si sophista probet eam in alio sensu, quam in eo, in quo fuit negata, videtur respondens redargutus, & tamen verè non est redargutus, quia non negauit rem, sed nomen; audienti tamen, quia negauit nomen, videtur negasse rem. Proportionaliter qui concessit, quod possibile est idem videre, & vidisse, si neget, quod possibile est idem facere, & fecisse, videtur redargutus, quia propter similem figuram dictionis videtur, quod sicut *facere*, & *fecisse* significant actionem, sic videre, & vidisse significant actionem. Si tamen non concedat, quod significent actionem, non est redargutus verè, sed solum apparenter.

24 *Similes autem & hæ orationes illis, si quod quis habens, postea non habet, amisit: nam vnum solum amittens calculum, non habebit decem calculos. At quod non habet quidem, prius habens, amisit? quantum autem habet, vel quot, non necesse est tot amittere. Interrogans igitur quod habet, colligit in eo quot: nam decem, aliquot. Si igitur dixisset à principio, si quot quis non habet prius habens, putasne amisit tot? Nullus vtique dedisset, sed aut tot, aut horum aliquid.*

25 *Et quoniam dabit aliquis quod non habet: non enim habet vnum solum calculum. An non dedit quod non habuit, sed vt non habuit? Nam solum, non quod significat, neque quale, neque quantum, sed vt se habet ad aliquid, vt quod non cum alio.*

26 *Quemadmodum si dicat, putasne quod non aliquis habet, dabit? Non annuente autem, interroget, si dabit quis aliquid cito, qui non habet cito? astruente autem colligat, quòd dabit quis quod non habet. Et manifestum, quoniam non syllogizauit. Nam cito non est quod dare, sed hoc modo dare: quo autem modo non habet dabit aliquis, vt quod delectabiliter habet, mœste dabit. Similes autem & huiusmodi orationes.*

27 *Putasne quam non habet, manu percutiet quis? aut quem non habet oculo videbit? Non enim habet vnum solum oculum.*

24 Tertium exemplum est: interrogat sophista, vtrum qui habebat aliquid, & nunc non amplius id habet, amiserit illud? Respondetur affirmatiuè. Arguit sophista: *qui habebat decem calculos, si vnum amittat, non amplius habet decem calculos; ergo amisit decem calculos, quod est absurdum*. Solutio est, quia transitur à *quod* ad *quantum*, vel *quot*. Qui enim habebat aliquid, & iam non habet, amisit illud: at qui tot, vel tantum habebat, & iam non habet tot, vel tantum, non est necesse, vt amiserit tot, vel tantum. Ideo si quis interroget: *qui tot habebat, & iam non habet tot, amisit ne tot?* Debet negari. Vt enim aliquis, qui habebat decem, non amplius habeat decem, non est necesse, vt amittat decem, sed sufficit, vt amittat vnum, vel duo.

25 Quartum exemplum est: *hic dat vnum solum calculum; non habet vnum solum calculum; ergo dat quod non habet*. Solutio est, quod particula *solum* non significat *quid*, neque *quantum*, neque *quale*, sed quo pacto calculus se habet ad alios calculos, quod nimirum est sine alijs calculis. Quod autem quis habens calculum sine alijs calculis, det calculum sine alijs calculis, non repugnat.

26 Quintum exemplum est: interrogat sophista, an possit quis dare, quod non habet? Respondetur negatiuè. Interrogat rursus, an possit quis dare cito, quod non habet cito? Respondetur affirmatiuè. Arguit so-

ſophiſta: *dat cito; non habet cito; ergo dat, quod non habet*. Non concludit, quia *dare cito* non eſt *dare quid*, ſed *dare hoc modo*. Poteſt autem quis dare modo, quo non habet: ex. gr. qui habet aliquid delectabiliter, poteſt dare non delectabiliter, ſed moleſtè.

27 Sextum exemplum eſt: interrogat ſophiſta: putas ne poteſt quis percutere manu, quam non habet, vel videre oculo, quem non habet? Reſpondetur negatiuè: arguit ſophiſta; *percutit ſolum vna manu, videt vno ſolum oculo; non habet vnam ſolum manum, nec vnum ſolum oculum; ergo percutit manu, quam non habet, & videt oculo, quem non habet*. Solutio eſt eadem, quæ ad exemplum quartum. Particula enim *ſolum* non ſignificat id, quod habetur, ſed reſpectum rei habitæ. Licet igitur habeat manum non ſolam, ſed cum alia, percutit manu ſola.

28 *Soluunt autem quidam dicentes, et quod habet vnum ſolum oculum, & aliud quidlibet, qui plura habet.*

29 *Quidam autem & vt quod habet accepit. Dedit enim vnum ſolum hic calculum & hic habet (dicunt) vnum ſolum ab hoc calculum: accepit enim ab hoc; ergo vnum ſolum habet hic calculum.*

30 *Alij autem ſtatim interrogationem interimentes, quia contingit quod non accepit habere, vt vinum accipientem ſuaue, ſi corrumpatur in acceptione, habere acre.*

31 *Sed quod dictum eſt prius, hi omnes non ad orationem, ſed ad hominem ſoluunt. Nam ſi eſſet hæc ſolutio, dantem oppoſitum non poſſibile eſſet ſoluere, quemadmodum & in alijs: vt ſi eſt quidem, quod eſt, eſt etiam quod non eſt ſolutio, ſi ſimpliciter det dici concludit: ſi autem non concludit, non erit ſolutio: in prædictis autem, omnibus datis, non dicimus fieri ſyllogiſmum.*

28 Allata vera ſolutione dictorum paralogiſmorum, Ariſtoteles refert, ac reijcit tres alias ſolutiones non rectas, quas antiqui afferebant. Prima ſolutio ad argumenta, *non habet vnum ſolum oculum, nec vnum ſolum manum; percutit vna ſola manu, videt vno ſolum oculo; ergo percutit manu, quam non habet, videt oculo, quem non habet: non habet vnum ſolum calculum; dat vnum ſolum calculum; ergo dat quod non habet*: prima inquam ſolutio eſt, negando maiorem. Dicunt enim, quod qui habet plures manus, aut oculos, adhuc habet etiam vnum ſolum, & qui habet plures calculos, adhuc habet etiam vnum ſolum.

29 Secunda ſolutio eſt: ſicut accipiens vnum ſolum calculum ab hoc, quamuis aliunde habeat alios calculos, adhuc habet vnum ſolum calculum ab hoc dante, ita dans, licet habeat alios calculos, adhuc habet vnum ſolum calculum, ita vt det huic accipienti; ergo eo pacto, quo accipiens habet vnum ſolum calculum acceptum ab hoc, ita dans habet vnum ſolum calculum, quem det huic; ergo non ſequitur, quod det quod non habet.

30 Tertia ſolutio eſt: alij ad interrogationem *vtrum poteſt quis dare, quod non habet?* reſpondent, quod poteſt. Sicut enim poteſt habere, quod non accepit, ita poteſt dare, quod non habet: ex. gr. poteſt quis accipere vinum ſuaue, & tamen ſi vinum poſt acceptionem aceſcat, habebit vinum acre; ergo proportionaliter poteſt quis habere vinum ſuaue, & tamen ſi illud aceſcat in datione, dat vinum acre, vel acidum; ergo dat quod non habet.

31 Reijcit omnes iſtas ſolutiones Ariſtoteles. Nam non tam ſoluunt paralogiſmos ſecundum rem, & verè, quam ad hominem, & apparenter. Si enim vera ſolutio talium paralogiſmorum conſiſteret in negatione talium propoſitionum, qui concederet dictas propoſitiones, non poſſet ſoluere; ſed etiam concedendo tales propoſitiones poſſumus ſoluere, & de facto nos ſoluimus illis propoſitionibus admiſſis; ergo allatæ ſolutiones non ſunt veræ ſolutiones. Ex. gr. ſi vera ſolutio talium captionum conſiſtit in hoc, vt dicamus propoſitionem dici multipliciter, & in vno ſenſu eſſe veram, in alio falſam, qui concedit propoſitionem dici non multipliciter, ſed vno ſolum modo, is neceſſario conuincetur, & dato hoc, concluſio ſequetur neceſſario; ſed dato, quod propoſitio non dicatur multipliciter, adhuc concluſio non ſequitur neceſſario; ergo vera ſolutio non conſiſtit in hoc, quod concluſio dicatur multipliciter.

32 *Amplius autem & hæ ſunt ex huiuſmodi orationibus. Putaſne quod ſcriptum eſt, ſcripſit quis? ſcriptum eſt autem nunc, quòd tu ſedes, falſa oratio: erat autem vera cum ſcribebatur: igitur ſimul ſcribebatur*

tur falsa, & vera. Nam falsam, vel veram orationem, vel opinionem esse, non quòd, sed tale significat: nam eadem ratio & in opinione.

33 *Et putas, quod discit discens, hoc est, quod discit? discit autem aliquis, quod est tardè, celeriter. Non igitur quod discit, sed vt discit, dixit.*

34 *Et putas, quod ambulat aliquis, pessundat? ambulat autem totam diem. An non quod ambulat, sed quando ambulat*

35 *dixit?* * *Nec cùm scyphum quis bibat,*

36 *quod bibit, sed ex quo?* * *Et putas, quod quis sciuit inueniens, vel discens sciuit? quorum autem hoc quidem inuenit, illud autem didicit, ambo hæc neutrum. An hæc quidem omne, quod autem non omne?*

32 Reiectis alijs solutionibus, pergit Aristoteles afferendo alia exempla paralogismorum ex figura dictionis. Septimum igitur exemplum est: interrogat sophista, *quod scriptum est nonne scripsit quis?* Respondetur affirmatiuè: subsumit sophista; *sed quod scriptum est, est hæc oratio, Socrates sedet, quæ nunc est falsa, cum autem scribebatur erat vera; ergo scripsit quis simul orationem veram, & falsam.* Solutio est, quia *orationem esse veram, vel falsam* non est *quid*, sed est qualitas orationis; scribens verò scripsit orationem, cui vno tempore accidit, vt sit vera, alio tempore accidit, vt sit falsa. Sicut autem verum, vel falsum non est *quid* orationis, sed eius qualitas, sic verum, & falsum non est *quid* opinionis, sed eius qualitas.

33 Octauum exemplum est: interrogat sophista: *putas ne quod discit aliquis, hoc est quod discit?* Respondetur affirmatiuè: subsumit sophista; *sed aliquis discit id, quod est tardè celeriter; ergo quod est tardè est celeriter.* Solutio est, quia ly *celeriter* non significat id, quod discitur, sed modum discendi; est autem verum, quod id, quod discit quis, est id, quod discit, at non est verum, quod id, quod discit quis, sit ipse modus discendi. Dum autem infertur, quod id, quod est tardè, est celeriter, infertur, quod id, quod discit quis, sit ipse modus discendi.

34 Nonum exemplum est: interrogat sophista, *putasne, quod perambulat quis pessundat?* Respondetur affirmatiuè: subsumit sophista; *sed ambulat quis totam diem; ergo pessundat totam diem.* Solutio est, quia mutatur locus in tempus. Nam *perambulans* pessundat locum, quem perambulat, at non pessundat tempus. Dum autem dicitur, quod *ambulat quis totam diem* non significatur locus, sed tempus, ideoque non sequitur conclusio.

35 Decimum exemplum est: *quod bibis est liquidum; bibis scyphum; ergo scyphus est liquidus.* Solutio est, quia *Scyphus non* significat id, quod bibitur, sed instrumentum, in quo bibitur; liquidum autem est, quod bibitur, non autem instrumentum.

36 Vndecimum exemplum est: sciat quis duo, alterum per inuentionem ex se ipso, alterum per disciplinam ab alio. Arguit sophista: *hic ambo hæc scit; sed ambo non scit per inuentionem, neque per doctrinam; ergo quid scit, non scit per inuentionem, neque per doctrinam.* Solutio est, quia mutatur singulare in plurale, & *omne* in *omnia*. Concessum enim fuit id, quod scit in singulari, sciri per doctrinam, vel per inuentionem, non autem sciri per doctrinam, vel inuentionem *omnia*, quæ scit in plurali.

37 *Et quoniam est quis tertius homo à se, & ab vnoquoque. Nam homo, & omne commune, non hoc aliquid, sed quale quid, vel ad aliquid, vel aliquo modo, vel huiusmodi aliquid significat. Similiter autem & in hoc, Coriscus, & Coriscus musicus, vtrum idem, an alterum? Nam hoc quidem hoc aliquid, illud autem quale quid significat: quare non est idem exponere. Exponere autem non facit tertium hominem, sed id ipsum quid est concedere. Non enim erit hoc aliquid esse id, quod Callias, & id quod homo est, neque si quis expositum non id quidem, quod hoc aliquid esse dicat, sed idem, quod quale, nihil refert. Nam erit à multis vnum quiddam, vt homo. Manifestum ergo, quoniam non dandum hoc aliquid esse quid, quod communiter prædicatur de omnibus, sed aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut aliquid talium significare.*

37 Duodecimum exemplum est: *homo est quid præter Socratem, Calliam, & alios homines singulares; ergo præter homines singulares datur tertius homo vniuersalis.* Solutio est, quod homo, & omne vniuersale, quod dicitur de pluribus, licet signi-

cen-

ficentur nomine substantiuo, siue singulari, adhuc non sunt *hoc aliquid per se existens*, sicut singularia, sed sunt aliquid tale, vel aliquid relatiuum, vel aliquo modo se habens; ergo non bene infertur, quod sit tertius homo, præter singularia, sed quod sit homo existens in singularibus, ac qui dicatur de singularibus. Hoc sophisma est simile huic: *Coriscus musicus differt à Corisco; ergo præter Coriscum, datur Coriscus musicus*. Coriscus enim musicus non significat *hoc aliquid*, sed *quale aliquid*; ergo Coriscus musicus non est quid præter Coriscum, sed supra Coriscum addit *esse musicum*, quod est accidens Corisci. Quia ergo simile est sophisma, similis est solutio. Quod verò homo vniuersalis sit tertius homo præter singulares, non sequitur ex eo, quod dicatur de singularibus, sed ex eo, quod supponatur hominem vniuersalem esse *hoc aliquid*, quod tamen est falsum, ideoque non est admittendum.

38 *Omnino autem in quæ propter dictionem sunt orationibus, semper per oppositum erit solutio, quàm propter quod est oratio: vt si propter compositionem oratio, solutio diuidendo: si autem propter diuisionem, componendo. Rursum si propter accentum acutum, grauis, erit solutio: si verò propter grauem, acutus. Si autem propter æquiuocationem est, oportet oppositum nomen dicendo, soluere: vt si animatum accidit dicere, negando non esse, manifestum, quod est inanimatum: si verò inanimatum dixit, hic autem animatum colligat, dicendum, quod est inanimatum. Similiter autem et in amphibologia. Si autem secundum similitudinem dictionis, oppositum erit solutio: putasne quod non habet, dabit aliquis? An non quod non habet, sed vt non habet? vt vnum solum calculum. Putasne quod scit discens, vel inueniens scit? attamen non quæ scit. Et si quod ambulat pessundat, non tamen quando. Similiter autem & in alijs.*

38 Ex dictis concludit Aristoteles, quo pacto vniuersaliter soluendi sint omnes paralogismi dictionis. Solutio paralogismorum dictionis semper consistit in opposito eius, in quo consistit paralogismus: ex. gr. si ratiocinatio paralogizat, quia componit, solutio consistit in diuisione: si paralogizat, quia diuidit, solutio consistit in compositione. Si paralogizat propter accentum grauem, solutio consistit in hoc, quod nomen debet notari accentu acuto, & è conuerso. Si paralogismus consistit in æquiuocatione, per quam nomen æquiuocum intelligitur de animato, solutio consistit in hoc, quod debet intelligi de inanimato, & è conuerso: ex.gr. si quis arguat; *omnis canis moritur; aliqua stella est canis; ergo aliqua stella moritur*: paralogismus est, quia vt sit vera maior, *canis* debet intelligi de solo animato, in minori verò intelligitur etiam de inanimato, & sic infertur conclusio, quæ non deberet inferri. In amphibologia, si paralogismus fundetur in eo, quod oratio sumatur in vno sensu, solutio est, quod debet sumi in alio sensu. Demum in paralogismo figuræ dictionis, si paralogismus fundetur in eo, quod dictio sumatur vt significãs *quid* propter similitudinem cum alijs dictionibus significantibus *quid*, solutio erit, quod talis dictio non significat *quid*: ex. gr. quia paralogismus, *non habet vnum solum calculum; dat vnum solum calculum; ergo dat quod non habet*, fundatur in eo, quod ly *solum* sumitur tanquam significans *quid*, solutio est, quod *solum* significat *ad aliquid*, adeoque non sequitur, quod det quod non habet, sed quod det, vt non habet. Si paralogismus fundetur in eo, quod singulare mutetur in plurale, solutio erit, quod debet sumi solum singulare: ex. gr. solutio huius, *quod scit Petrus, scit per inuentionem, vel disciplinam; hæc duo scit; ergo &c.* solutio inquam huius est, quia quod scit, scit per inuentionem, aut disciplinam, non autem *omnia*, quæ scit, scit per inuentionem, aut disciplinam. Si paralogismus fundatur in eo, quod locus mutatur in tempus, solutio est, quia est verus de loco, non de tempore: ex. gr. quia hic paralogismus, *quod perambulat quis pessundat; perambulat totam diem; ergo pessundat totam diem*; fundatur in eo, quod locus mutatur in tempus, ideo solutio est, quod quis pessundat locum, in quo perambulat, non autem tempus, in quo perambulat.

De solutione fallaciæ accidentis. Caput IV.

1 *AD illas vero, quæ propter accidens, vna quidem solutio est ad omnes. Nam quia indeterminatum est quando dicendum de re, cùm quippiam accidenti inest, & in quibusdam quidem videtur, et dicunt, in aliquibus autem non dicunt necessarium esse: dicendum igitur conformantes similiter ad omnes, quod non est necessarium. Habere autem oportet quo refellat dicendo id, perinde est vt.*

2 *Sunt autem omnes huiusmodi orationes propter accidens: putasne id scis, quod*
3 *debeo te interrogare? * Age cognoscisne*
4 *venientem, aut coopertum? * Statua ne*
5 *tuum opus est? * An tuus canis pater?*
6 ** Suntne paucies pauca, pauca?*
7 *Manifestum enim est in omnibus his, quoniam non necesse est, quod de accidente dicitur, & de re verum esse. Solis enim ijs, quæ secundum substantiam sunt indifferentia, & quæ vnum sunt, omnia videntur eadem inesse: bono autem non idem est bonum esse, & venturum esse interrogare: neque venienti, aut cooperto, & venientem esse, & Coriscum: quare non si cognosco Coriscum, ignoro autem venientem, eundem cognosco, & ignoro: neque si hoc est meum, est autem opus, meum est opus, sed possessio, vel res, vel aliud quidpiam. Eodem autem modo, & in alijs.*

1 SOlutis fallacijs dictionis, docet Aristoteles modum soluendi fallacias extra dictionem. Prima est fallacia accidentis. Omnium paralogismorum accidentis est vna, & vniuersalis solutio. Cum enim sit indefinitũ, quando nam quod dicitur de accidente, dicatur etiam de subiecto, quando autem non dicatur; (in quibusdam enim casibus quod dicitur de accidẽte dicitur de subiecto; in alijs nõ necessario dicitur de subiecto), ideo ad omnes paralogismos, per quos ex eo, quod aliquid dicitur de accidente, probatur de subiecto, vel ex eo, quod aliquid dicitur de subiecto, probatur de accidente, dicendum est, quod conclusio non sequitur necessario. Verum oportet in medium proferre aliquid simile, in quo ex eo, quod aliquid dicatur de accidente, non sequitur quod dicatur de subiecto, vel è conuerso.

2 Proponit deinde Aristoteles varia exempla paralogismorum accidentis. Primum exemplum est: interrogat sophista, *nosti ne de quo debeo te interrogare?* respondetur negatiuè: arguit sophista: *bonum est, de quo debeo te interrogare; nosti bonum; ergo nosti de quo debeo te interrogare.*

3 Secundum est: interrogat sophista; *agnoscis ne venientem, vel coopertum?* respondetur negatiuè: arguit sophista: *Coriscus est veniens, vel copertus; cognoscis Coriscum; ergo cognoscis venientem, vel coopertum.*

4 Tertium est: interrogat sophista: *hæc statua est ne opus tuum?* respondetur negatiuè, est enim opus Phidiæ: arguit sophista; *statua est tua; statua est opus; ergo statua est opus tuum.*

5 Quartum est: interrogat sophista, *hic canis est ne tuus pater?* respondetur negatiuè; arguit sophista: *hic canis est tuus; hic canis est pater; ergo hic canis est pater tuus.*

6 Quintum est: interrogat sophista: *paucies pauca nonne sunt pauca?* respondetur affirmatiuè: arguit sophista; *centum sunt paucies pauca, sunt enim decies decem; sed centum sunt multa; ergo multa sunt pauca.*

7 Solutio omnium est, quia quod dicitur de subiecto non dicitur necessario de accidente, neque è conuerso. Ratio est, quia tum solum quod dicitur de vno, dicitur de alio, cum ita sunt vnum, vt non differant definitione, & essentia; sed *esse bonum*, & *esse id, de quo debeo interrogare*, non sunt idem definitione, & essentia, sed solum sunt idem per accidens; ergo non omne, quod dicitur de bono, dicitur de eo, de quo debeo interrogare; adeoq; licet de bono dicatur, quod bonum nosti, adhuc de eo, de quo debeo interrogare, non dicitur, quod nosti id, de quo debeo interrogare. Rursus *esse Coriscum*, & *esse venientem, vel coopertum*, non sunt idem definitione; ergo licet Corisco accidat *esse venientem, vel coopertum*, adhuc quod dicitur de Corisco, non dicitur de veniente, vel cooperto; ergo ex eo, quod cognoscam Coriscum, non sequitur, quod cognoscam venientem, vel coopertum, neque sequitur, quod idem cognoscam, vel non cognoscam, intelligendo ly *idem* de eodem secundum definitionem, sed solum de eodem

dem

dem per accidens, quod simpliciter non est idem. Idem dic ad alios allatos paralogismos.

8 *Soluunt autem quidam interimentes interrogationem. Dicunt enim contingere eandem rem cognoscere, & ignorare, sed non secundum idem: venientem igitur non noscentes, Coriscum autem noscentes, eundem quidem cognoscere, & ignorare dicunt, sed non secundum idem.*

9 *Attamen primum quidem, quemadmodum iam diximus, oportet earum, quæ propter idem sunt orationum, eandem esse solutionem: id autem non erit si quis non in cognoscere, sed in quod est esse, aut aliquo modo se habere ipsum, quod approbant, sumat, vt si hic est pater, est autem tuus. Nam tametsi in quibusdam id verum est, & contingit idem cognoscere, & ignorare, tamen hic nihil commune habet quod dictum est.*

10 *Nihil autem prohibet eandem orationem plures vitiositates habere, sed non omnis peccati manifestatio solutio est. Nam possibile est ostendere quempiam, quòd falsum quidem syllogizauit, propter quid autem non ostendere, vt Zenonis orationem, quod non est moueri: quare, & si quis conetur colligere, vt ad impossibile, peccat, & si millies syllogizet. Non enim est hæc solutio. Nam erat solutio manifestatio syllogismi falsi, propter quod falsus. Si igitur non syllogizauit, quamuis aut verum, aut falsum conetur colligere, illius manifestatio solutio est.*

11 *Fortasse autem & id in quibusdam nihil prohibet accidere, verum in his nec hoc videbitur. Nam & Coriscum, quod Coriscus cognoscit, & venientem, quod veniens. Contingere autem idem cognoscere, & non, vt quòd album quidem cognoscere, quòd autem musicum, non cognoscere: sic enim idem cognoscit & non cognoscit, sed non secundum idem: venientem autem, & Coriscum & quod veniens, & quod Coriscus cognoscit.*

8 Allata vera, & radicali solutione paralogismorum accidentis, reijcit Aristoteles quasdam falsas solutiones. Primo ad paralogismum, *cognoscis Coriscum non cognoscis venientem; Coriscus est ipse veniens; ergo idem cognoscis, & non cognoscis, quod est absurdum;* respondent negando esse absurdum, quod idem cognoscatur secundum vnum, & non cognoscatur secundum aliud; sed non est idem *esse Coriscum, & esse venientem*; ergo idem cognoscis secundum vnum, non cognoscis secundum aliud, quod non repugnat.

9 Reijcit Aristoteles hanc responsionem, primo, quia oportet solutionem ratiocinationis laborantis aliquo vitio posse applicari ad omnes similes ratiocinationes laborantes eodem vitio; sed allata solutio, quod possit idem cognosci secundum vnum, & non secundum aliud, non potest applicari alijs similibus ratiocinationibus laborantibus eodem vitio; si enim loco verbi *cognoscitur* ponatur verbum *est*, vel aliud simile, vt cum dicitur, *hic canis est pater; hic canis est tuus; ergo hic canis est pater tuus*, non poterit applicari talis solutio, & tamen erit idem vitium argumenti; ergo mala est allata solutio.

10 Confirmatur, quia potest aliqua ratiocinatio habere plures defectus, puta quod præmissæ sint falsæ, quod non concludat, & quod conclusio sit falsa, & tamen talis ratiocinatio non soluitur manifestando qualemcumque defectum. Si enim solum dicatur, & demonstretur, quod hæc oratio infert falsum, at non explicetur propter quod vitium infert falsum, proculdubio ratiocinatio non soluitur. Ex. gr. argumentum Zenonis, quo probatur non dari motum, quia non possunt infinita pertransiri, non soluitur, dicendo falsum esse, quod motus non datur, & quod si motus non daretur, sequeretur impossibile, etiamsi per mille syllogismos hoc demonstraretur. Ratio, quare non soluatur, est, quia solutio est manifestatio, per quam ostenditur, propter quid syllogismus sit falsus; sed ostendendo, quod conclusio illa sit falsa, non ostenditur propter quid syllogismus sit falsus; ergo ostendendo, quod conclusio illa est falsa, non soluitur syllogismus; ergo cum syllogismus est falsus, quia ex præmissis non sequitur conclusio, non soluitur, dicendo, quod conclusio illata est vera, vel falsa, sed debet dici, quod conclusio non sequitur; ergo cum ex allato paralogismo, *Coriscus est veniens; nosti Coriscum; ergo nosti venientem*, conclusio non sequatur, hoc debet dici ad illum soluendum, & nisi hoc dicatur, non soluitur talis syllogismus.

11 Secundo reijcit Aristoteles eam-

dem responsionem, quia licet possit aliquid cognosci secundum vnum, & non cognosci secundum aliud, eo pacto, quo si idem sit album, & musicum, potest cognosci vt album, & non cognosci vt musicum, adhuc hoc non verificatur in casu nostro. Nam ego non solum cognosco, quod Coriscus est Coriscus, sed quod veniens est veniens; sed Coriscus, & veniens sunt idem; ergo idem cognosco secundum vtrumque; ergo non verificatur, quod idem cognoscam secundum vnum, non cognoscam secundum aliud.

12 *Similiter autem peccant & qui soluunt, quoniam omnis numerus paucus, vt ij, quos diximus, vtpote qui cum non conclusum est, id omittentes, verum conclusum esse dicunt: omnia enim esse, & multum, & paucum dicentes, peccant.*

13 *Quidam autem & duplici soluunt syllogismos, vt quoniam tuus est pater, aut filius, aut seruus.*

14 *Attamen manifestum, quoniam si eo, quod multipliciter dicitur, apparet redargutio, oportet nomen, vel orationem proprie esse plurium: hunc autem esse huius filium, nemo dicit proprie, si dominus est filij, sed propter accidens compositio est: putasne est hoc tuum? sic: est autem hoc filius: tuus igitur filius: quia accidit esse & tuum, & filium, sed non tuum filiũ.*

15 *Et esse aliquid malorum bonum: nam prudentia est disciplina malorum.*

16 *Hoc autem horum esse non dicitur multipliciter, sed possessio, siquidem fortasse multipliciter. Nam & hominem animalium dicimus esse, sed non possessionem, & si quid ad mala dicitur, vt aliquorum, propter id malorum est, sed non hoc malorum. Propter id igitur, quod aliquo modo, etiam simpliciter apparet.*

17 *Quanquam contingit fortasse bonum esse aliquid malorum dupliciter, non tamen in oratione hac, sed magis, si quod mancipium sit bonum mali. Fortasse autem neque sic. Non enim si bonum est, & huius, bonum huius simul. Verum neque hominem dicere animalium esse, dicitur multipliciter. Non enim si aliquid significamus auferentes, id dicitur multipliciter. Nam & dimidium dicentes versus, da mihi Ilida significamus, vt, iram pande dea,*

12 Ijsdem argumentis reijcitur solutio eorum, qui ad paralogismum, quo probatur, quod multa sunt pauca, respondent id non esse absurdum, quia omnia sunt multa, & pauca respectu diuersorum. Cum enim paralogismus non concludat, solutio debet hoc dicere: illi verò hoc omittentes, dicunt solum omnia esse multa, & pauca respectu diuersorum.

13 Secundo ad paralogismos, in quibus sic arguitur; *hic pater est; hic est tuus; ergo hic est tuus pater: hic est filius; ergo hic est tuus filius &c.* Respondent, quod conclusio est æquiuoca. Ly enim *tuus* potest significare, vel quod sit tuus, vt possessio, aut seruus, vel quod sit tuus, vt pater, vel filius: conclusio autem sequitur in vno sensu, non sequitur in alio, adeoque est fallacia eius, quod dicitur multipliciter.

14 Reijcit Aristoteles hanc solutionem. Vt enim sit fallacia æquiuocationis, debet nomen, vel oratio propriè significare plura; sed hæc oratio, *hic est tuus filius*, propriè significat solum, quod hic sit tuus vt filius, non autem vt seruus, aut possessio; ergo non est fallacia multiplicis, sed est fallacia accidentis. Quia enim eidem accidunt *tuus*, & *filius* componuntur tuus, & filius inter se, & infertur, quod hic est tuus filius. Talis autem compositio non sequitur. Non enim quæ dicuntur de eodem subiecto, & cum ipso componuntur, dicuntur, & componuntur ad inuicem.

15 Similis est solutio, qua aliqui respondent ad paralogismum: *prudentia est bona; prudentia est disciplina malorum; ergo aliquid malorum est bonum*. Dicunt enim, quod conclusio, *aliquod malorum est bonum*, dicitur dupliciter. Potest enim significare, vel quod aliquid ex numero malorum est bonum, & hoc est falsum; vel quod aliquid contemplatiuum malorum est bonum, & hoc est verum.

16 Reijcitur hæc responsio, quia propriè hæc propositio, *aliquid malorum est bonum*, non potest habere hunc sensum, quod aliquid contemplatiuum malorum sit bonum; ergo ex hoc capite illa conclusio non est æquiuoca, nec est æquiuoca, in quantum infertur per allatam ratiocinationem, licet possit esse æquiuoca, in quantum potest significare, quod aliquid, quod est possessio malorum, est bonum, eo pacto, quo bonus seruus potest esse possessio malorum dominorum; ergo vera solutio

est,

est, quod conclusio non sequitur. Ex eo enim, quod prudentiæ accidat *esse bonam*, & *esse disciplinam malorum*, non sequitur, quod bono accidat esse malorum, sed est paralogismus accidentis, in quo ex eo, quod duo dicantur de eodem subiecto, infertur, quod dicantur ad inuicem.

17 Addit Aristoteles fortasse non propriè dici aliquid malorum bonum, eo quod bonus seruus sit mali domini. Neque enim valet, *hic est bonus; hic est seruus mali domini; ergo aliquod bonum est mali*: nam est eadem fallacia accidentis. Hæc etiam oratio, *homo est animalium*, non videtur dici multipliciter, sed solum videtur significare, quod homo est aliquid in numero animalium. Quando enim aliquid intelligitur, etiamsi illud auferatur, & non exprimatur, adhuc oratio non dicitur multipliciter: ex. gr. licet significetur Ilias per dimidium primi versus, intelligendo reliqua, vt cum dicitur, *da mihi iram cane Dea*, adhuc hæc oratio non dicitur multipliciter, neque significat, vel *da mihi Iliadem*, vel *da mihi dimidium huius versus*, sed solum significat *da mihi Iliadem*, quia ad dimidium versus expressi subintelliguntur reliqui.

De solutione paralogismorum à secundum quid ad simpliciter. Cap. V. Art. I.

1 *EAs vero, quæ sunt propter id, quod præcipue, illud autem, vel qua, vel vbi, vel aliquo modo, vel ad aliquid dicitur, & non simpliciter, soluendum est, considerando conclusionem ad contradictionem, si contingit horum aliquid passas esse. Nam contraria, & opposita, & affirmationem, et negationem, simpliciter quidem impossibile inesse eidem, qua autem vtrunque, vel ad aliquid, vel aliquo modo, vel hoc quidem qua, illud autem simpliciter, nihil prohibet. Quare si hoc quidem simpliciter, illud autem qua, nondum est redargutio. Hoc autem in conclusione considerandum ad contradictionem.*

2 *Sunt autem huiusmodi orationes omnes id habentes. Putasne contingit, quod non est esse? attamen non est aliquid id, quod non est. Similiter autem & quod est non erit. Nam non erit aliquid cùm sunt. Nunquid contingit eundem simul bene iurare, & peierare? Nunquid possibile est simul eidem suadere, & dissuadere?*

3 *An neque esse quid, & esse, idem? quod autem non est, non si est quid, etiam est simpliciter: neque si bene iurat id quidem, & qua, necesse est, & bene iurare. Nam qui iurat se peieraturum, bene iurat peierans hoc solum, at non bene iurat. Neque qui dissuadet, suadet, sed secundum quid suadet.*

4 *Similis autem ratio est & de eo, quod est mentiri eundem simul, & verum dicere. Sed propter id, quod non facile inspicere, vtrum quis assignet simpliciter veracem esse, vel mendacem, difficile apparet. Prohibet autem eundem nihil simpliciter quidem esse mendacem, qua autem veracem, vel alicuius esse, veracem autem non.*

1 SEcunda ex fallacijs extra dictionem est fallacia à *secundum quid ad simpliciter*. Docet igitur Aristoteles, quod paralogismi fundati in eo, quod aliquid dicitur simpliciter, vel secundum quid, hoc est vel qua tale, vel alicubi, vel aliquo modo, vel respectu ad aliquid, soluendi sunt considerando, an conclusio passa sit aliquid tale ad suum contradictorium, ita vt cum ad redarguendum deberet inferri conclusio simpliciter affirmans, vel negans, inferatur conclusio affirmans, vel negans secundum quid. Licet enim opposita affirmatio, & negatio non possit eidem inesse simpliciter, possunt tamen inesse secundum quid, & ex parte, vel respectu diuersorum, vel aliquo modo, vel etiam vnum simpliciter, alterum secundum quid. Si igitur arguens probet vnum inesse simpliciter, & non inesse secundum quid, non redarguit. Ad cognoscendum vero, an hoc solum arguens probet, conferenda est conclusio cum sua contradictoria.

2 Affert deinde Aristoteles exempla paralogismorum ex simpliciter, ad secundum quid, & eorum solutiones. Primum est: interrogat sophista, *putasne non ens esse?* respondetur negatiuè: arguit sophista, *non ens est opinabile; quod est opinabile est; ergo non ens est*. Secundum est: interrogat sophista: *putasne ens non est ens?* respondetur negatiuè: arguit sophista: *Socrates est ens; sed Socrates non est Callias; ergo ens non est*. Tertium est: interrogat sophista: *putasne posse aliquem implendo iuramentum peie-*

peierare? Respondetur negatiuè. Proponit casum sophista, quod aliquis iurauerit se peieraturam, & non satisfacturum alicui iuramento: tum sic argumentatur: *iste peierando satisfecit iuramento; ergo potest aliquis implendo iuramenta peierare*. Quartum est: interrogat sophista: *putasne potest idem alicui credere, & non credere?* respondetur negatiuè. Arguit sophista: *si quis duo dicat, possum vnum credere, alterum non credere; ergo possum eidem credere, & non credere.*

3 Omnes isti paralogismi soluuntur dicendo, quod non redarguunt, quia non probant contradictorium illius, cuius debent probare contradictorium. In primo ergo paralogismo debet probari, quod non ens est simpliciter, ac solum probatur, quod non ens est opinabile; quod autē est opinabile non est simpliciter, sed solum secundum quid. In secundo probatur Socratem, qui est ens, non esse Calliam; at non esse Calliam non est simpliciter non esse, sed solum est non esse quid. In tertio paralogismo probatur eum, qui peierat, implere iuramentum peierandi; at non probatur simpliciter implere iuramentum, cum transgrediatur aliud iuramentum. Demum in quarto exemplo probatur posse aliquem credere eidem secundum quid, & secundum aliquid, & non credere simpliciter, & secundum omnia, non autem probatur posse simpliciter credere, & non credere.

4 Eodem pacto soluitur paralogismus, quo sic probatur posse eumdem simul mentiri, & verum dicere. Dicat aliquis: *ego dico nunc equum volare, & hoc dicendo falsum dico*. Videtur, quod simul dicat verum, & falsum. Dicit enim se falsum dicere, & hoc est verum; dicit equum volare, & hoc est falsum; ergo mentitur, & simul verum dicit. Dicendum, quod simpliciter mentitur, sed verum dicit de hoc, quod falsum dicat. Quia verò difficile est aduertere, an simpliciter mentiatur, an potius simpliciter verum dicat, ideo videtur, quod simpliciter mentiatur, & veram dicat.

5 *Similiter autem & in ad aliquid, & vbi, & quando. Omnes enim huiusmodi orationes propter id accidunt. Putasne sanitas, vel diuitiæ bonum? attamen insipienti, & non recte vtenti non bonum: ergo bonum, & non bonum.*

6 *Est ne sanum esse, vel potestatem habere in ciuitate bonum? verumtamen est quandoque non bonum: idem igitur eidem bonum, & non bonum. An nihil prohibet, quod simpliciter est bonum, huic non esse bonum? aut huic quidem bonum, at non nunc, vel non hoc in loco bonum.*

7 *Putasne quod non vult sapiens, malum? amittere autem non vult bonum: malum igitur bonum. Non enim idem est dicere malum est bonum, & amittere bonum.*

8 *Similiter autem & quæ de fure est oratio. Non enim si malum est fur, etiam capere est malum; ergo non vult malum, sed potius bonum. Nam capere bonum est.*

9 *Et ægritudo malum est, sed non amittere ægritudinem malum.*

5 Eodem etiam pacto soluuntur paralogismi, qui loco probandi affirmationem, vel negationem simpliciter, probant affirmationem, vel negationem respectiuè, vel cum determinatione ad locum, aut tempus. Primum exemplum est: interrogat sophista: *putasne sanitas, ac diuitiæ sunt bonum?* respondetur affirmatiuè: arguit sophista; *sanitas, & diuitiæ insipienti non sunt bonæ; ergo sunt bonæ, & non sunt bonæ*. Solutio est, quia non repugnat idem esse bonum simpliciter, & huic non esse bonum.

6 Secundum exemplum est: interrogat sophista; *est ne bonum esse sanum, & habere potentiam in ciuitate?* Respondetur affirmatiuè. Arguit sophista: *aliquando non est bonum esse sanum, & habere potentiam in ciuitate; ergo idem eidem est bonum & non est bonum*. Solutio est, quia non repugnat idem alicui esse bonum simpliciter, at aliquando non esse bonum.

7 Tertium exemplum est: interrogat sophista: *putasne, quod non vult sapiens, est malum?* Respondetur affirmatiuè: subsumit sophista; *sed sapiens non vult amittere bonum; ergo bonum est malum*. Solutio est, quia loco concludendi; *ergo amittere bonum est malum*, concluditur; *ergo bonum est malum*, cum profecto non idem sit *bonum*, ac *amittere bonum*. Est autem fallacia à *secundum quid* ad *simpliciter*, quia sumitur, quod idem sit non velle amittere bonum, quod est solum non velle bonum vt amissum, ac non velle bonum simpliciter.

Quar-

8 Quartum exemplum, quod Aristoteles solum innuit, est paralogismus furis, qui videtur talis: *Fur est malus: Iudex vult capere furem; ergo iudex vult malum*. Fallacia est, quia licet fur sit malus, capere furem non est malum, sed bonum. Fit autem transitus à *secundum quid ad simpliciter*, quia sumitur, quod velle capere malum, quod est velle malum *secundum quid*, & cum addito, sit velle malum simpliciter.

9 Quintum exemplum affine est: interrogat sophista: *ægritudo non ne est malum?* respondetur affirmatiuè: subsumit sophista; *sed ægrotus vult amittere ægritudinem; ergo vult malum*. Fallacia est, quia sumitur, quod velle amittere ægritudinem, quod est velle ægritudinem secundum quid, & vt amissam, sit idem, ac velle ægritudinem simpliciter.

10 *Putasne iustum iniusto, & quod iuste eo, quod iniuste, magis eligendum est? sed mori iniuste magis est eligendum.*

11 *Putasne iustum est sua habere quenque? Quæ autem aliquis adiudicabit secundum opinionem suam, & si sit falsa, sua sunt ex lege: idem igitur iustum, & iniustum.*

12 *Et vtrum oportet iudicare eum, qui iusta*
13 *dicit, an qui iniusta? * At vero eum, qui iniuriam passus est, iustum est abunde dicere, quæ passus est, ea autem erant iniusta. Non enim etsi pati aliquid iniuste eligendum, id quod est iniuste, eligibilius, quam quod iuste, sed simpliciter quidem, quod iuste: hoc autem nihil probibet si iniuste, an iuste? & habere sua quenque iustum, aliena autem non iustum. Iudicium vero hoc iustum esse nihil probibet, vt quod sit secundum opinionem iudicantis. Non enim si iustum est hoc modo, vel huic, & simpliciter iustum est. Similiter autem & quæ iniusta sunt, nihil probibet dicere ea iustum esse. Non enim si dicere iustum est, necesse est iusta esse, sicut nec si est vtile dicere, vtilia. Similiter autem & iniustis. Quare non si quæ dicuntur iniusta, qui dicit iniusta conuincitur. Dicit enim quæ dicere est iusta, simpliciter autem & quæ pati iniusta.*

10 Sextum exemplum est: interrogat sophista; *non ne iustum est eligibilius iniusto, & quod est iustè, magis est eligendum, quam quod iniustè?* Respondetur affirmatiuè: arguit sophista; *eligibilius est mori iniustè, quam mori iustè; ergo aliquando iniustè eligibilius est, quam iustè, & iniustum est eligibilius iusto.*

11 Septimum exemplum est: interrogat sophista: *nonne iustum est vnumquemque habere quod suum est, habere autem aliena est iniustum?* respondetur affirmatiuè: subsumit sophista; *sed cum Iudex secundum opinionem falsam adiudicat alicui aliena, illa ex lege sunt illius, cui adiudicantur; ergo tum illa possidere est iustum, & iniustum; est iustum, quia est possidere ex lege; est iniustum, quia est possidere aliena.*

12 Octauum exemplum est: interrogat sophista, vtrum oporteat iudicio condemnare eum, qui dicit iusta, an eum qui dicit iniusta? respondetur, quod eum, qui dicit iniusta: subsumit sophista; *sed qui passus est iniuriam dicit iniusta, quæ passus est; ergo oportet iudicio condemnare eum, qui passus est iniuriam, quod est absurdum.*

13 Solutio horum trium paralogismorum est, quia transitur à *secundum quid ad simpliciter*. In sexto enim exemplo, eligibilius est, quod simpliciter *iustè*, quam quod *iniustè*; at iustè mori non est simpliciter *iustè*, ideo est minus eligibile, quam iniustè mori, quod non est simpliciter iniustè. In septimo exemplo: aliquem habere, quæ illi adiudicantur ex falsa opinione, iustum est solum secundum quid, hoc est secundum opinionem iudicantis, simpliciter autem, & secundum veritatem est iniustum; ergo idem est iustum secundum quid, & secundum opinionem, iniustum simpliciter, & secundum veritatem, quod non repugnat. In octauo exemplo: oportet iudicio condemnare eum, qui dicit ea, quæ dicere est iniustum, non autem eum, qui dicit iniusta, quæ passus est, & quæ dicere est iustum; sed qui dicit in iudicio, quæ passus est iniustè, dicit iniusta, quæ passus est, & quæ dicere est iustum; ergo non oportet eum condemnare. Porrò non sequitur, *quæ dicit sunt iniusta; ergo iniustum est illa dicere*; sicut non sequitur, *quæ dicit sunt vtilia; ergo vtile est illa dicere*. Sæpè enim dicere vtilia non est vtile, sed damnosum.

De

De solutione paralogismorum propter ignorantiam elenchi, petitionis principij, consequentis, non causæ vt causæ, & plurium interrogationum, vt vnius. Cap. V. Art. II.

14 *IIs autem, quæ propter definitionem fiunt redargutiones, quemadmodum dictum est prius, obsistendum, considerantibus conclusionem ad contradictionem, vt si idem, & secundum idem, & ad idem, & similiter, & in eodem tempore. Si vero in principio interroget, non confitendum, quoniam impossibile est idem esse, & duplum, & non duplum, sed dicendum, non sic, vt forte sit redarguere confitentem.*

15 *Sunt autem omnes hæ orationes propter hoc. Putas qui nouit quodque, quod quamque cognouit rem, & qui ignorat similiter? Cognoscens autem quis Coriscum, quod Coriscus ignorabit quod musicus: quare idem cognoscit, & ignorat.*

16 *Putasne quadricubitum tricubito maius? Fieri enim potest ex tricubito quadricubitum secundum longitudinem: maius autem minore maius: idem igitur eodem secundum idem maius, & minus.*

14 DOcet demum Aristoteles modum soluendi quinque vltimas fallacias extra dictionem. Tertia fallacia extra dictionem est propter ignorantiam elenchi. Paralogismi propter ignorantiam elenchi consistunt in hoc, quod sumantur vt contradictoria ea, quibus non conueniunt omnes particulæ positæ in definitione redargutionis, & contradictoriorum. Soluuntur, dicendo, quod conclusio non est contradictoria propositioni, cui sumitur esse contradictoria, eo quod non sunt affirmatio, & negatio eiusdem, secundum idem, respectu eiusdem, similiter, & in eodem tempore. Ex. gr. si quis arguat, *sex sunt duplum trium; non sunt duplum quatuor; ergo sex sunt duplum, & non sunt duplum*: solutio est, quia sunt duplum respectu vnius, non sunt duplum respectu alterius, quod non est contradictio, ad quam requiritur, vt idem affirmetur, ac negetur respectu ejusdem. Addit Aristoteles, quod si sophista ab initio interroget ex. gr. *vtrum impossibile sit idem esse duplum, & non esse duplum?* respondens non debet simpliciter admittere, quod est impossibile, sed debet dicere, quod est impossibile, si sumantur cum omnibus particulis positis in definitione contradictoriorum, si aliter sumantur non est impossibile. Ratio est, quia si respondens absolutè admittat id esse impossibile, videtur redargui.

15 Proponit deinde Aristoteles duo exempla paralogismorum propter ignorantiam elenchi. Primum est: interrogat sophista, *non ne sciens de vnoquoque, quod est id, quod est, scit rem, ignorans de vnoquoque, quod est id, quod est, ignorat rem?* Respondetur affirmatiuè: subsumit sophista; *sed potest aliquis scire, quod Coriscus est Coriscus, & ignorare, quod Coriscus est musicus; ergo potest quis idem scire, & ignorare*. Solutio est, quia potest quis idem scire, & ignorare secundum diuersa, non autem secundum idem; sed *esse Coriscum*, & *esse musicum* sunt diuersa; ergo potest quis scire de eodem, quod sit Coriscus, & ignorare, quod sit musicus, nec hoc est contradictio, quia licet idem sciatur, & non sciatur, non tamen secundum idem.

16 Secundum exemplum est: interrogat sophista: *putasne quadricubitum est maius tricubito?* Respondetur affirmatiuè: proponit casum sophista, quod cera tricubita extendatur secundum longitudinem, & fiat quadricubita; tum sic arguit: *cera quadricubita est maior tricubita; ergo cera quadricubita* est maior se ipsa secundum idem hoc est secundum longitudinem. Solutio est, quod non eodem tempore, vel quod non secundum eamdem longitudinem. Cera enim vno tempore habens vnam longitudinem, est maior se ipsa alio tempore, & vt habente minorem longitudinem.

17 *Illa vero, quæ fiunt propter id, quod petunt, atque sumunt, quod in principio, si interroganti quidem manifestum sit, non dandum, neque si probabile sit dicentem esse veracem: si autem lateant, ignorantiam ob vitiositatem talium orationum ad interrogantem retorquendum, tanquam non redarguentem. Nam redargutio sine eo est, quod in principio. Deinde datum est, non vt eo vteretur, sed vt ad illud colli-*

lige-

ligeret contrarium, vt in non semotis redargutionibus.

17 Quarta fallacia extra dictionem est fallacia petitionis principij. In paralogismis, in quibus sumitur vt præmissa, & petitur quod est probandum, si respondenti sit manifestum, quod petitur principium, non est concedendum id, quod petitur, etiam si sit probabile, vel verum, sed dicendum, quod debet probari. Si verò obscurum sit respondenti, *an quod petitur sit ipsum principium, an non?* hæc ipsa obscuritas retorguenda est in aduersarium, ac dicendum, quod latenter petit principium, adeoque non redarguit, quia in definitione redargutionis est, quod non debet poni in præmissis id, quod est probandum. Si autem respondens concesserit aliquid, quod deberet probari, adeoque contineat petitionem principij, cum ex illo redarguitur, debet defendens respondere, quod illud dederit, non vt eo vteretur ad redarguendum, sed vt probaret oppositum, sicut fit in redargutionibus exercitatorijs, in quibus aliqua admittuntur, non quia censentur vera, neque vt ijs vtatur aduersarius ad probandum id, de quo est principalis controuersia, sed solum, vt argumentans contra id, quod datur, conetur redarguere.

18 *Et eas, quæ propter consequens sunt coniectantes, in ipsa oratione monstrandum. Est autem duplex sequentium consequentia. Aut enim vt particulare sequitur vniuersale, vt hominem animal, (postulant enim si hoc cum illo, & illud esse cum hoc,) aut secundum oppositiones. Nam si huic est illud consequens, & opposito oppositum.*

19 *Propter quod & Melissi oratio. Nam si genitum est, habet principium: ingenitum postulat non habere principium: quare si ingenitum est cælum, & infinitum: id autem non est: è conuerso enim consequentia.*

18 Quinta fallacia extra dictionem est fallacia consequentis. Generalis solutio paralogismorum consequentis est, vt dicatur ratiocinationem non concludere. Dupliciter enim inferunt: primo affirmatiue. Quia enim duo se habent, vt antecedens, & consequens: ex. gr. vt particulare, & vniuersale, vt *homo*, & *animal*, postulant arguentes, vt sicut si est antecedens, est consequens, sic admittatur, quod si est consequens, est antecedens, adeoque quod sicut ex eo, quod *est homo* sequitur, quod *sit animal*. sic admittatur, quod ex eo, quod *est animal*, sequatur, *quod sit homo*. Secundo inferunt negatiuè. Postulant enim, quod sicut ex antecedente sequitur consequens, sic admittatur, quod ex opposito antecedentis sequitur oppositum consequentis. Hoc autem non est verum. Licet enim valeat, *est homo; ergo est animal*, non tamen valet, *non est homo; ergo non est animal.*

19 Hinc soluitur sophisma Melissi. Arguit enim: *omne, quod est genitum habet principium; ergo omne, quod non est genitum, non habet principium; sed Cælum non est genitum; ergo Cælum non habet principium; ergo neque finem; ergo est infinitum.* Fallacia est, quia arguit ex opposito antecedentis ad oppositum consequentis, quod non valet. Licet enim omne genitum habeat principium, non sequitur, quod non genitum non habeat principium; sicut licet homo sit animal, non sequitur, quod non homo non sit animal. Valet igitur consequentia contrario modo. Cum enim ex antecedente sequitur consequens, ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis.

20 *Quæcunque autem propter id, quod additur aliquid colligunt, considerandum, si eo sublato, accidit nihil minus impossibile. Deinde id manifestandum, & dicendum, quòd dedit non tanquam videretur, sed vt ad orationem: quo vero vsus est, nihil ad orationem.*

20 Sexta fallacia est non causæ, vt causæ. Paralogismi non causæ, vt causæ, soluuntur ex eo, quia impossibile non sequitur ex propositione, quam arguens euertere intendit, sed aliunde. Probatur autem, quod sequatur aliunde, quia etiam ablata tali propositione, ac remanentibus reliquis, eodem pacto sequitur impossibile. Debet addere respondens, quod concessit aliquam propositionem inutilem ad propositum, non quia videretur vera, sed vt daret copiam ratiocinandi: arguens verò vsus est propositione nihil conferente ad propositum, ac si conferret.

21 *Ad eas autem, quæ plures interrogationes vnam faciunt, statim in principio determinandum est. Nam interrogatio vna est, ad quam vna responsio est. Quare neque plura de vno, neque vnum de pluribus, sed vnum de vno affirmandum, vel negandum.*

22 *Sicut autem in æquiuocis quandoque quidem ambobus, quandoque neutri inest: quare cum non simplex est interrogatio, simpliciter respondentibus nihil accidit pati: similiter & in his. Quando igitur plura vni, vel vnum pluribus inest, vel non inest, simpliciter danti, & hoc peccato peccanti, nihil contrarium accidit. Quandoque autem huic quidem inest, illi autem non, aut plura de pluribus, & est, vt insint ambobus, est autem, vt non insint rursum. Quare id cauendum.*

21 Septima, & vltima fallaciarum extra dictionem, est fallacia plurium interrogationum, vt vnius. Cum fiunt tales interrogationes, statim respondendum est, quod non est vna interrogatio, sed sunt plures interrogationes, adeoque non debet dari vna responsio, sed debent afferri plures responsiones. Vna enim interrogatio est, ad quam debet dari vna responsio; sed vna responsio, & vna enunciatio est, in qua neque plura prædicata dicuntur de vno subiecto, neque vnum prædicatum dicitur de pluribus subiectis, sed vnum prædicatum dicitur de vno subiecto; ergo vna interrogatio est, in qua vnum prædicatum quæritur de vno subiecto: si verò vel plura prædicata quærantur de vno subiecto, vel vnum prædicatum quæratur de pluribus subiectis, non est vna interrogatio, sed sunt plures interrogationes.

22 Iam sicut aliquando potest quæri, vtrum aliquod prædicatum conueniat nomini æquiuoco, & si illud prædicatum conueniat vtrique, vel neutri æquiuocè significato, licet interrogatio sit duplex, adhuc respondens simpliciter, & sine distinctione nullum patitur incommodum, cum non possit redargui, ne apparenter quidem: sic aliquando potest esse multiplex interrogatio, & si id, quod interrogatur, similiter insit, vel non insit, potest respondens respondere simpliciter, quin aliquod incommodum patiatur, & absque eo, quod possit etiam apparenter redargui. At quando fiunt plures interrogationes vt vna, & hoc inest, illud non, vel prædicatum huic inest, alteri non, tum cauendum est, quia si datur vnica responsio, respondens periculo exponitur, ne saltem apparenter redarguatur.

23 *Vt in his orationibus: si hoc quidem est bonum, illud autem malum, quod verum est dicere, quoniam hæc bonum & malum: & rursum, neque bonum, neque malum: non enim inest vtrunque vtrique: quare idem bonum, & malum, & neque bonum, neque malum.*

24 *Et si vnumquodque ipsum sibi idem est, & alijs diuersum: quoniam non alijs eadem, sed sibi, & diuersa eisdem, ipsa sibimet diuersa, & eadem.*

25 *Amplius si bonum quidem malum sit, malum autem bonum, duo vtique fient.*

26 * *Et duorum, & inæqualium vtrunque ipsum sibi esse æquale: quare æqualia, & inæqualia ipsa sibi.*

27 *Incidunt autem hæ orationes & in alias solutiones. Nam ambo. & omnia,*
28 *plura significant. * Non igitur idem præter nomen accidit affirmare, & negare: id autem non erat redargutio. Sed manifestum, quoniam, si non vna interrogatio plures fiant, sed vnum de vno affirmet, aut neget, id non erit impossibile.*

23 Proponit deinde Aristoteles aliqua exempla paralogismorum, qui fundantur in pluribus interrogationibus vt vna. Primum est: sint duo, quorum alterum sit bonum, alterum malum, ex. gr. fortitudo, & timiditas: interrogat sophista: *hæc duo sunt ne bonum, an malum, an neque bonum neque malum?* Si respondeatur *sunt bonum*, arguit sophista; *ergo timiditas est bonum, & malum*: si dicatur, *sunt malum*, arguit sophista; *ergo fortitudo est bonum, & malum*: si dicatur *neque sunt bonum, neque malum*, arguit sophista; *ergo fortitudo est bona & simul non est bona, timiditas est mala, & simul non est mala.*

24 Secundum exemplum est: interrogat sophista: *hæc duo prædicata, quæ sunt, esse idem secum, ac diuersum à se, conueniunt ne omnibus?* Si respondeatur, quod conueniunt, infert sophista; *ergo omnia sunt idem secum, & diuersa à se*: si dicatur, quod non conueniunt, infert sophista; *ergo non omnia sunt idem secum.*

25 Tertium exemplum est; interrogat

fo-

sophista: *nonne hic fit ex bono malus, hic autem ex malo bonus?* Respondetur affirmatiuè: infert sophista; *ergo hi duo fiunt ex bonis mali, & ex malis boni.*

26 Quartum exemplum est: interrogat sophista: *nonne ex his duobus inæqualibus vtrumque est æquale sibi ipsi?* Respondetur affirmatiuè: infert sophista; *ergo hæc duo sunt sibi æqualia, & inæqualia.*

27 Addit Aristoteles, quod hi paralogismi habent etiam aliam solutionem. Cum enim quæritur, *hæc duo sunt ne bona, vel mala?* interrogatio est ambigua, quia potest facere vel sensum collectiuum, *an hoc binarium sit bonum, vel malum?* vel sensum distributiuum, *an hoc sit bonum? & aliud sit bonum?* Si faciat sensum collectiuum, est vnica interrogatio, ideoque debet dari vnica responsio, per quam dicatur ex. gr, quod hoc binarium non est bonum, sed malum, vel partim bonum, & partim malum: si faciat sensum distributiuum, dandæ sunt plures responsiones.

28 Concludit Aristoteles, quod cum plura interrogantur vt vnum, tum est impossibile dare vnam responsionem, per quam vnum de vno affirmetur, de altero negetur.

De solutione paralogismorũ nugationis, & solœcismi. Cap. VI.

1 *IN illis autem, quæ deducunt ad idem frequenter dicere, manifestum, quòd non dandum eorum, quæ ad aliquid dicuntur, significare aliquid separatas per se prædicationes, vt duplum, sine eo, quod est dimidij quid inesse apparet.*

2 *Nam & decem in deficientibus vno ad decem, & facere in non facere, & omnino in negatione affirmatio: non tamen si quis dicat hoc non esse album, dicit idem album esse. Duplum autem neque significat aliquid fortasse, quemadmodum neque quod in dimidio: quod si forte significat, attamen non idem & coniunctum.*

3 *Neque scientia in specie: vt si est medicina scientia, ipsum quod commune: illud autem erat scientia scibilis.*

SOlutis paralogismis, per quos sophistæ conantur ducere ad metas redargutionis, docet Aristoteles modum soluendi paralogismos, per quos conãtur ducere ad metas nugationis, & solœcismi. Et quia sophistæ conantur ducere ad nugandum tum in relatiuis, tum in accidentibus, quæ connotant subiectum, ideo Aristoteles docet soluere paralogismos nugationis, primo in relatiuis, secundo in accidentibus connotantibus subiectum.

1 Quoad primum: cum sophistæ conantur ducere ad idem sæpius repetendum in aliquo nomine relatiuo, negandum est, quod nomina relatiua separatim sumpta significent id, ad quod dicuntur. Licet enim non possit intelligi id, quod significatur per nomen relatiuum separatim, nisi etiam intelligatur id, ad quod dicitur tale nomen, adeoque in significatione nominis relatiui reluceat etiam id, ad quod dicitur, adhuc nomen relatiuum non significat id, ad quod dicitur, sed solum id, quod dicitur ad aliquid: ex. gr. duplum non significat dimidium, sed solum significat id, quod dicitur ad dimidium, & in quo elucet ipsum dimidium.

2 Explicatur: potest nomen, vel oratio aliquid significare, quod non possit intelligi sine alio, & tamen non significare illud: ex. gr. hæc oratio *numerus vno deficiens à decem*, talis est, vt non possit intelligi eius significatum, quin intelligantur decem, & tamen non significat decem: rursus cum dico, *non facere*, non potest intelligi significatum harum vocum, nisi intelligitur *facere*, & tamen non significo *facere*: & vniuersim negatio non significat affirmationem, & tamen non potest intelligi sine affirmatione, adeoque cum dico, *Socrates non est albus*, licet non possit intelligi quod dico, nisi intelligatur affirmatio albi, adhuc non significo affirmationem albi; ergo aliud est, quod nomen, vel oratio significet aliquid, quod non potest intelligi sine alio aliud est, quod significet illud aliud. Licet igitur non possit intelligi significatum dupli, nisi intelligatur dimidium, ad quod dicitur duplum, adhuc duplum non significat dimidium, imo fortasse nec significat aliquid, ad quod dicitur: quod si significat in genere aliquid, ad quod dicitur, adhuc non significat idem per se sumptum, ac positum in oratione. Hinc patet non esse nugationem. Quando enim dicitur, quod *duplum est duplum dimidij*, cum duplum secundum se non significet dimidium, saltem expressè, non fit repetitio, neque sequitur, quod dicatur di-

duplum est duplum dimidij dimidij.

3 Sicut relatiua, quæ ipsamet dicuntur alicuius, non significant id, ad quod dicuntur, sic relatiua, quæ dicuntur ad aliquid secundum genus, non significant id, ad quod dicuntur secundum genus. Ex. gr. medicina dicitur ad aliquid non secundum se, sed secundum genus commune scientiæ: non enim medicina dicitur *alicuius medicina*, sed *alicuius scientia*: ideò medicina non significat scibile, cuius est scientia, licet fortasse non possit intelligi sine scibili. Si igitur de medicina fieret paralogismus nugationis, eodem pacto esset soluendus, sicut solutus est paralogismus dupli.

4 *In ijs autem, quæ per se ostenduntur, prædicatis, id dicendum, quòd non idem est seorsum, & in oratione, quod ostenditur. Nam cauum communiter quidem idem significat in simo, & curuo, additum autem, nihil probibet hoc quidem naso, illud autem cruri significare, & nihil differt dicere, nasus simus, & nasus cauus.*

5 *Amplius, non danda est dictio secundum rectum: falsum enim est. Nam non est simum nasus cauus, sed nasi hoc vt passio. Quare nihil est absonum, si nasus simus est nasus habens cauitatem nasi.*

4 Quoad secundum: cum sophista conatur ducere ad idem repetendum in aliquo nomine accidentis, quod licet non dicatur ad aliquem terminum, tamen dicit ordinem ad subiectum, duplex potest afferri responsio. Prima responsio est pro accidentibus, quæ dicunt ordinem ad subiectum, sed non ad determinatum, quale est *concauum*. De his dicendum, quod non idem significant, ac oratio: ex. gr. *concauus* non idem significat, ac hæc oratio *nasus concauus*. Ratio est, quia *concauus* seorsim tam potest significare *simum*, hoc est *nasum concauum*, quam *varum*, hoc est tibiam concauam; sed *nasus concauus* idem significat, ac simus, & non retinet indeterminationem ad significandum *varum*, ergo *concauus* non idem significat ac *nasus concauus*.

5 Secunda responsio pro accidentibus, quæ dicunt ordinem ad subiectum determinatum, quale est *simum* est: non est concedendum, quod *simus* seorsim significat subiectum in recto, sed ad summum dandum est, quod connotat illud in obliquo: ex. gr. *simus* non significat *nasus concauus*, sed significat *habens concauitatem nasi*. Hoc pacto etiam si loco nominis *simi* ponatur oratio, quàm significat nomen, adhuc cum dicitur *nasus simus*, non fit nugatio. Cum enim oratio, quam significat *simus* non sit *nasus habens concauitatem*, sed *habens concauitatem nasi*, cum dicitur *nasus simus* non est idem, ac *nasus nasus habens concauitatem*, sed est idem, ac *nasus habens concauitatem nasi*.

6 *De solœcismis autem propter quid apparent accidere, diximus prius: quo modo autem soluendum, in ipsis orationibus erit manifestum.*

7 *Omnes enim huiusmodi volunt construere. Putas, quod dicis quippiam vere esse, etiam est illud vere? dicis autem quippiam lapidem esse: est igitur quippiam lapidem. An dicere lapidem, non est dicere quod, sed quem, non hoc, sed hunc? Si igitur dicat aliquis, putas quem vere dicis est istum? non videtur Romane loqui. Quemadmodum neque si dicat, putas quam dicis esse, est iste? Lignum autem dicere iste, vel quacunque, neq; masculinum, neq; fœmininum significant, nihil refert. Quare etiam non fit solœcismus, si quod dicis esse, est istud: lignum autem dicis esse: est igitur lignum istud. Lapis autem, & iste, masculini habent declinationem.*

8 *Quod si quis dicat, putasne iste, illa est? Deinde rursum, quid autem, nonne iste est Coriscus? ita dicat: est igitur illa: non collegit solœcismum, si Coriscus etiam non significet idem quod illa. Non dat autem qui respondet, sed oportet hoc præinterrogare. Si autem neque est, neque dat, non colligit, neque in eo, quod est esse aliquid, neque ad eum, qui interrogatus est. Similiter igitur oportet & illic lapidem significare iste: si autem neque est, neque datur, non dicenda conclusio. Apparet autem eo, quòd dissimilis casus nominis similis appareat.*

6 Docet demum Aristoteles modum soluendi paralogismos, per quos sophistæ conantur ducere ad vltimam metam solœcismi. Causa, propter quam videtur sequi conclusio, in qua committatur solœcismus, allata est lib.1. cap.13. Quomodo verò soluendi sint tales paralogismi, patebit propo-

ponendo in particulari ratiocinationes ducentes ad solœcismos. Omnes enim tales ratiocinationes conantur ducere ad solœcismum per pronomen *hoc*.

7 Primum ergo exemplum est: interrogat sophista: *putas ne quod verè hoc dicis esse, hoc verè istud est?* Respondetur affirmatiuè: subsumit sophista; *sed dicis hoc lapidem esse; ergo hoc lapidem est*. Solutio est, quia eo pacto in conclusione prædicatum debet dici de subiecto per verbum est, sicut dictum est in maiori interrogata, & concessa; sed in maiori dicitur in nominatiuo, nam cum dicitur, *quod dicis hoc verè esse, hoc verè istud est*, ly *hoc*, & *istud* sunt nominatiua, si verò ponatur in accusatiuo in genere masculino, in quo nominatiuus, & accusatiuus habent diuersam terminationem, & dicatur, *nonne quem putas verè esse hunc, hunc verè est istum?* statim apparet incongrua locutio, tum contra syntaxim græcam, tum contra latinam; ergo etiam in conclusione debet inferri; *ergo iste verè est lapis*. Latet autem paralogismus, propterea quod in genere neutro, nominatiuus, & accusatiuus non habent diuersam terminationem, & quia *hoc, & quod*, quæ sunt neutra, possunt etiam poni loco masculini, & fæminini: dicitur enim sine solœcismo: *putasne quod dicis hoc esse, hoc iste est?* ponendo *quod*, & *hoc* loco masculini, vt si diceretur, *putasne quem dicis hunc esse, iste est?* Ex eo verò quod in neutris nominatiuus, & accusatiuus significentur eadem voce materiali, ideo in neutris non fit paralogismus ducens ad solœcismum: ex gr. licet fiat paralogismus allatus in nomine masculino *lapis*, non tamen fit in nomine neutro *saxum*, vel *lignum*. Si enim dicatur: *putas ne quod verè dicis esse, hoc verè istud est? sed dicis hoc saxum, vel lignum esse, ergo verè hoc saxum, vel lignum est*; nullus in conclusione apparet solœcismus, eo quod *saxum, & lignum* significant tum accusatiuum, tum nominatiuum.

8 Explicatur exemplo: interrogat sophista, *hic est ne hæc?* respondetur negatiuè: arguit sophista; *hic est Coriscus; ergo hic est hæc*; non est syllogismus concludens solœcismum *hic est hæc*, etiamsi verè Coriscus esset hæc, eo quod esset generis fæminini, quia non est assumptum, quod Coriscus sit hæc; sed vt syllogisticè concludatur, *ergo hic est hæc*, debet assumi, & à respondente concedi, quod Coriscus & est hic, & est hæc, nisi verò hoc assumatur, & concedatur, neque concluditur solœcismus simpliciter, neque contra respondentem. Proportionaliter cum arguitur, *quod verè hoc dicis esse, hoc verè est; sed dicis hoc lapidem esse; ergo hoc lapidem est*, etiamsi in maiori, *quod vere dicis hoc verè est*, ly *hoc* significaret *hunc*, adhuc cum hoc non sit assumptum, neque concessum à respondente, neque simpliciter, neque contra respondentem concluditur; *ergo hoc est lapidem*, sed vt concluderetur deberet assumi, & concedi, *quod dicis hoc esse, hunc verè est*.

9 *Putasne verum est dicere, quoniam ista est id, quod esse ais eam? esse autem ait aspidem; est igitur ista aspidem. An non necesse est, si non ista aspidem significat, sed aspis, aspidem autem istam.*

10 *Neque si quem dicis esse istum est iste: dicis autem istum, esse Cleonem: est igitur iste Cleonem: non enim est iste Cleonem: dictum est enim, quoniam quem dico istum esse, est iste, non istum. Neque enim Romane dicetur quo pacto interrogatio dicta.*

11 *Putas istud scis? istud autem est lapis: scis igitur lapis. An non idem significat istud in eo, quod est, putas istud scis, & in hoc, istud autem lapis, sed in primo quidem hunc, in posteriore autem hic.*

12 *Putasne cuius scientiam habes, scis illud? scientiam autem habes lapidis: scis igitur lapidis. An huius quidem lapidis, dicis, hunc autem lapidem? Datum est autem cuius scientiam habes illud scis, non illius, sed illud: quare non lapidis, sed lapidem.*

13 *Quòd igitur huiusmodi orationes non colligunt solœcismum, sed apparent, & propter quid apparent, & quomodo est obsistendum illis, est manifestum ex ijs, quæ dicta sunt.*

9 Secundum exemplum est: interrogat sophista: *putas ne verum esse, quod res ista est id, quod esse scis eam?* Respondetur affirmatiuè: subsumit sophista; *sed scis eam esse parmam, seu clypeum; ergo res ista est parmam, seu clypeum*. Solutio est, quia in maiori ly *est id* significat nominatiuum parma, seu clypeus, non autem accusatiuum parmam, seu clypeum; ergo in con-

clusione etiam debet inferri; *ergo res ista est parma, seu clypeus*, non autem *est parmam, seu clypeum*.

10 Tertium exemplum est: interrogat sophista: *putasue quem dicis istum esse, iste est?* respondetur affirmatiuè: subsumit sophista; *sed dicis istum esse Cleonem; ergo iste est Cleonem*. Solutio est eadem. Nam in maiori interrogata *iste* est nominatius; ergo etiam sequitur, *ergo iste est Cleon* in nominatiuo. Si verò interrogatio sic formaretur; *putasne quem dicis istum esse, istum est?* solœcismus fieret in ipsa interrogatione.

11 Quartum exemplum est: *putasne istud scis?* respondetur affirmatiuè: subsumit sophista: *sed istud est lapis; ergo scis lapis*. Solutio est, quia istud in maiori est accusatiuus; ergo debet inferri *scis lapidem*, non autem *scis lapis*.

12 Quintum exemplum est: interrogat sophista: *putasne istud, cuius scientiam habes, scis?* respondetur affirmatiuè: subsumit sophista; *sed habes scientiam lapidis; ergo scis lapidis*. Solutio est, quia in maiori dictum est, *cuius scientiam habes istud scis*, in accusatiuo, non autem *istius scis* in genitiuo; ergo debet in conclusione colligi; *ergo scis lapidem*, non autem; *ergo scis lapidis*.

13 Concludit Aristoteles manifestum ex dictis esse, quod hæ ratiocinationes non syllogizant solœcismum, sed videntur syllogizare, adeoque paralogizant: manifestum etiam est, propter quam causam videntur syllogizare, cum verè non syllogizent, & quomodo sit ipsis respondendum.

Quæ sit ratiocinatio facilis, vel difficilis ad soluendum; & quæ sit ratiocinatio acuta, vel acutissima. Cap. VII.

1 *Oportet autem intelligere, quoniam omnium orationum aliæ quidem sunt faciles conspici, aliæ autem difficiliores, propter id, quod & in aliquo subdole decipiunt audientem, cùm frequenter eædem illis existant. Nam eandem orationem oportet vocare, quæ propter idem fit, eadem autem oratio alijs quidem propter dictionem, alijs autem propter accidens, alijs vero propter aliud videbitur esse, quia vnumquodque translatiuum non similiter est manifestum.*

2 *Quemadmodum igitur in ijs, quæ sunt propter æquiuocationem, qui modus videtur esse ineptissimus captiosarum ratiocinationum, hæc quidem, & quibuslibet sunt manifesta: nam & orationes pene ridiculosæ sunt omnes propter dictionem.*

3 *Vt vir ferebatur curru in scalas. Vbi venit seruus? apud Ceream? Et Boreas purusne? non certe: perdit enim pauperem, & ementem. Et vtra boum ante pariet? neutra, sed retro ambæ. Putasne est Euarchus? non certe, sed Apollonides. Eodem autem modo, & aliarum fere quam plurimæ.*

Postquam Aristoteles egit de paralogismis, & eorum solutione, quia aliquæ ratiocinationes sunt ad soluendum faciles, aliæ difficiles, & inter difficiles præcipuæ sunt, quæ dicuntur acutæ, explicat, quid sit ratiocinatio facilis, vel difficilis, acuta, vel non acuta.

1 Ex ratiocinationibus sophisticis quædam sunt faciles ad soluendum, eo quod statim appareat, in quo consistat vitium, aliæ sunt difficiles ad soluendum. Porro etiam ex paralogismis specie ijsdem aliqui sunt faciles, aliqui difficiles ad soluendum. Dicuntur paralogismi ijdem specie, qui laborant eodem vitio: ex. gr. omnes paralogismi fundati in æquiuocatione dicuntur eiusdem speciei &c. Potest verò contingere, vt idem paralogismus aliquibus videatur paralogismus æquiuocationis, alijs paralogismus accidentis. Idem verò paralogismus, qui applicatus aliquibus terminis statim manifestat vitium, translatus ad alios terminos, non ita facile prodit vitium, ideoque difficile soluitur.

2 Explicat deinde Aristoteles magis in particulari, quo pacto ex paralogismis ijsdem specie, aliqui sint faciles ad soluendum, aliqui difficiles. Primo ex paralogismis æquiuocationis, qui videntur esse omnium ineptissimi, quidam sunt ita faciles, ac vitium eorum est ita manifestum omnibus, vt ex ijs efficiantur ratiocinationes ridiculæ, & iocosæ.

3 Proponit Aristoteles quinque exempla iocorum desumptorum ex manifesta æquiuocatione. Primum exemplum est: dicit quis *vir ferebat per scalam* δίφρον. δίφρον est nomen æquiuocum, & significat tum

tum scamnum tum bigam. Hinc potest quis iocari, quasi fuerit dictum, quod *vir ferebat per scalam bigam*. Secundum exemplum est: interrogat quis; ὄνυ στέλλεσθε; ὄνυ στελλεσθε est æquiuocum, & significat, vel *quo tenditis?* vel *quo soluitis vela?* Respondens ludit in æquiuoco, & quasi interrogatum fuerit, *quo soluitis vela?* respondet *soluimus ad antemnam*. Tertium exemplum est: interrogat quis *vira boum ante pariet?* Ly ante est æquiuocum, & significat vel tempus prius, vel partem anteriorem. Respondens iocatur, ac dicit, *neutra pariet ante, sed vtraque recto*. Quartum exemplum est: interrogat quis; *Boreas est ne καθαρός?* καθαρὸς est æquiuocum, & significat vel purum, seu serenum, vel innocentem. Respondens iocatur, ac dicit quod Boreas non est innocens, quia frigore interficit mendicum, & mercatorem iter facientem. Quintum exemplum est: interrogat quis, est ne hic Euarchus? εὔαρχος græcè est æquiuocum, & vel significat nomen proprium, vel significat eum, qui custodit rem suam. Respondens quasi interrogatum fuerit, non an hic sit homo, qui vocatur Euarchus, sed an sit homo, qui custodit rem suam, respondet, quod non est Euarchus, sed Apollonides. Apollonides enim græcè vel significat nomen proprium, vel significat eum, qui rem suam perdit.

4 *Illa autem & peritissimos videntur latere. Signum autem horum, quoniam contendunt sæpe de nominibus, vt vtrum idem significent de omnibus ens, & vnum, an aliud: alijs enim videtur significare ens, & vnum: alij autem Zenonis orationem, & Parmenidis soluunt, eo quòd multipliciter dicant vnum dici, & ens. Similiter autem & propter accidens, & aliorum singulum quodque aliæ quidem orationes erunt faciles videri, aliæ vero difficiliores, & sumere in quo genere & vtrum redargutio, an non redargutio, non facile similiter in omnibus est.*

5 *Est autem acuta oratio, quæ dubitare facit maxime: mordet enim hæc maxime. Dubitatio autem est duplex, hæc quidem in syllogizantibus, quam eligat quis interrogationum, illa autem in contentiose sustinentibus, quomodo dicat quis propositum.*

4 Verum alij paralogismi fundati in æquiuocatione sunt ita difficiles, vt fallant etiam peritissimos, & doctissimos. Signum autem difficultatis est, quia controuersia est inter doctissimos, an talia nomina significent vnum, vel plura, adeoque sint vniuoca, vel æquiuoca, vel saltem analoga: ex. gr. magna est controuersia, an *ens*, & *vnum* significent idem, an verò dicantur multipliciter. Multi enim putant *ens*, & *vnum* significare idem; alij censent *ens*, & *vnum* dici multipliciter, & ex hoc conantur soluere rationem, qua Parmenides, & Zeno probant omnia esse vnum, quia *omnia sunt ens; sed ens est vnum; ergo omnia sunt vnum*. Soluitur enim hoc argumentum ex eo, quod *ens*, & *vnum* multipliciter dicuntur. Similiter ex paralogismis accidentis, & aliorum modorum, alij sunt faciles, alij difficiles. In quibusdam etiam difficile est aduertere, ex quo genere sint; vtrum sint redargutiones vel non; vtrum concludant, vel non concludant: in alijs vero facile id aduertitur.

5 Inter ratiocinationes difficiles ad soluendum, præcipuæ sunt, quæ dicuntur acutæ. Ratiocinatio acuta est, quæ maximè facit dubitare. Ratio, cur hæc ratiocinatio dicatur acuta est, quia eo ipso pungit, ac mordet maximè mentem respondentis. Duplex est dubitatio. Prima est, cum ratiocinatio non peccat in forma, sed in sola materia, adeoque respondens videt negandam esse aliquam ex primissis, sed dubitat vtram neget; secunda est, cum ratiocinatio peccat in forma, sed respondens dubitat, quo pacto concludat propositum.

6 *Quapropter in ijs, quæ syllogizant, acutiores orationes inquirere magis faciunt. Est autem ea, quæ syllogizat quidem, oratio acutissima, si ex quam maxime apparentibus quam maxime probabile interimit. Nam cùm vna oratio sit transposita contradictione, omnes similiter habebit syllogismos: semper enim ex probabilibus similiter probabile interimet, aut construet: quapropter dubitare necessarium est. Maxime igitur talis acuta, quæ ex æquo conclusionem facit interrogationibus.*

7 *Secunda autem, quæ ex omnibus similibus. Hæc enim similiter faciet dubitare, quæ interrogationum interimenda est: id autem difficile est? Nam interimendum quidem, quid autem interimendum, dubium.*

6 Ex ratiocinationibus, quæ peccant in sola materia, illæ sunt acutiores, quæ magis faciunt respondentem quærere vtram ex præmissis neget? Ex his omnium acutissima est, quæ ex maximè probabilibus præmissis euertit aliquid maximè probabile. Ratio est, quia illa ratiocinatio est maximè acuta, quæ facit maximè dubitare; sed hæc facit maximè dubitare; ergo &c. Probatur minor: nam & vtraque præmissa, & propositio, quæ euertitur est maxime probabilis: si igitur admittantur præmissæ maximè probabiles, debet negari aliqua propositio maximè probabilis; si admittatur hæc propositio maximè probabilis, & altera præmissarum, debet negari alia maximè probabils, siquidem ex contradictoria conclusionis, & altera præmissarum euertitur reliqua; ergo propter hæc animus maximè dubitat, quam neget ex tribus propositionibus maximè probabilibus.

7 Secundum gradum inter ratiocinationes acutas peccantes in materia tenet, quæ ex similibus, hoc est æquè probabilibus, euertit propositionem æquè probabilem. Ratio est, quia licet pateat aliquam ex præmissis esse negandam, est dubium vtra sit neganda.

8 *Contentiosarum autem acutissima, quæ primum statim dubia est, vtrum syllogizat, an non, vel vtrum propter falsum, an diuisionem solutio? Secunda autem aliarum, quæ manifesta quidem, quòd propter diuisionem, vel interemptionem est, non tamen est explorata, per cuius interrogationum, interemptionem, vel diuisionem, soluenda est, scilicet vtrum propter conclusionem, an propter aliquam interrogationum id est.*

9 *Quandoque igitur non syllogizans oratio facilis est, si sint valde inopinabilia, vel falsa, quæ sumuntur: quandoque autem non digna despici. Nam quando deest aliqua talium interrogationum, de qua oratio, & propter quam est, & qui non sumit illam, & colligit, ineptæ est ratiocinatio. Quando autem eorum, quæ extrinsecus, non despicienda vllo modo: sed oratio quidem iusta, interrogans autem non probè interrogauit.*

10 *Et est sane soluendum quandoque quidem ad orationem, quandoque autem ad interrogantem, & interrogationem, quandoque verò ad neutrum horum. Similiter & interrogandum, & syllogizandum est, & ad positionem, & ad respondentem, & ad tempus, quando fuerit pluris temporis egens solutio, quàm præsentis temporis, quo disputatur ad solutionem.*

8 Ex ratiocinationibus contentiosis, hoc est peccantibus in forma, acutissima est, de qua dubitatur, vtrum syllogizet, vel non, & vtrum sit soluenda, negando conclusionem, eo quod sit falsa, vel conclusionem distinguendo, eo quod sit ambigua. Secundum locum tenent illæ, de quibus licet sit manifestum, quod debent solui, negando, vel distinguendo, adhuc est dubium, vtra ex præmissis sit neganda, vel distinguenda, & vtrum neganda, vel distinguenda sit conclusio, vel præmissæ.

9 Ratiocinationes non concludentes aliquando sunt facile solubiles, adeoque despicabiles, eo quod sumant in conclusione, vel præmissis aliqua manifestè falsa, & inopinabilia: aliquando verò despici non debent. Porrò cum ratiocinatio non concludit, quia deest illa propositio, seu præmissa, propter quam videri posset concludere, tum talis ratiocinatio est inepta, & qui sic ratiocinatur, & non syllogizat, & ineptè ratiocinatur. Si verò omittitur id, propter quod ratiocinatio habet apparentiam, sed ratiocinatio concludit, ratiocinatio est bona, & æqua, sed arguens malè argumentatur, quia omittit illam propositionem, in qua consistit tota vis argumenti.

10 Concludit Aristoteles, quod respondens aliquando soluit ipsam ratiocinationem, & tum rectè soluit; quandoque soluit ad hominem, & iuxta interrogationes factas, & tum soluit solum apparenter; quandoque verò neque soluit ad ratiocinationem, neque ad hominem, sed ad tempus, afferens aliquam responsionem, cuius examinatio requirit maius tempus, quam quod est disputationi præscriptum. Similiter arguens aliquando argumentatur contra positionem, aliquando ad hominem, aliquando ad tempus, cum nimirum aliquid proponit, cuius solutio requirit plus temporis, quam quod est disputationi præscriptum.

Epi-

Epilogus horum librorum. Caput VIII. & vltimum. Articulus I.

1 *EX quot igitur, & ex quibus fiunt ijs, qui disputant, captiosæ ratiocinationes, & quo modo ostendemus falsum, & inopinabilia dicere faciemus: amplius autem ex quibus accidit syllogismus, & quomodo interrogandum, & quis ordo interrogationum: insuper autem ad quid sunt vtiles huiusmodi omnes orationes, & de responsione simpliciter omni, & quo modo soluendum est orationes, & syllogismos, dicta sint de omnibus à nobis hæc.*

2 *Reliquum autem est de eo, quod à principio erat propositum, ad memoriam reuocantes, quippiam de ea re sub breuitate dicere, & finem imponere dictis. Præmisimus igitur inueniendi facultatem quandam ratiocinatiuam de proposito ex ijs, quæ sunt, quam probabilissima: id enim opus est dialectices secundum se, & tentatiuæ. Quia autem præinstruitur quis ab ea propter sophistices vicinitatem, vt non solum experimentum possit sumere dialectico more, sed etiam quasi scientifico, propter id non solum dictum negotij officium posuimus orationem posse sumere, sed etiam, vt orationem sustinentes tutemur positionem perquàm probabilissima simili modo. Causam autem diximus huius, quia & propter id Socrates interrogabat, sed non respondebat: confitebatur enim se non scire.*

3 *Manifestum autem est in prioribus, ex quot, & ad quod id erit, & vnde idonei erimus horum: adhuc autem quo modo interroganda, vel ordinanda quæstio omnis, & de responsionibus, & solutionibus, quæ sunt ad syllogismos. Patefactum est autem, & de alijs, quæcunque huiusce disciplinæ sunt orationes. Præter hæc autem & de captiosis ratiocinationibus pertractauimus, quemadmodum diximus iam prius. Quòd igitur nacta sunt finem sufficienter ea, quæ proposuimus, manifestum.*

IN fine libri Aristoteles epilogat omnia, quæ dicta sunt in his duobus libris elenchorum, & deinde epilogando reuocat in memoriam omnia, quæ dicta sunt in octo libris Topicorum.

1 Libro primo elenchorum explicatum est, ad quot, & quas metas, seu fines, & ex quibus locis, fiant paralogismi disputantium. Expositum est, quo pacto possimus ostendere falsum, & possimus facere, vt respondens dicat paradoxa, & inopinabilia: dictum est etiam, ex quibus fiant paralogismi concludentes solœcismos, & orationes nugatorias, atque idem repetentes: ac demum explicatum est, quo pacto, & quo ordine sit interrogandum. Lib. 2. explicatum est, ad quid sit vtilis scientia ratiocinationum sophisticarum: actum est vniuersim de omni responsione, & in particulari explicatum est, quo pacto sint soluendæ ratiocinationes, & syllogismi sophistici.

2 Reliquum igitur est, vt reuocantes etiam in memoriam, quæ dicta sunt in libris topicorum, ea breuiter dicamus, ac finem logicæ imponamus. Initio librorum topicorum præmisimus intentum nostrum esse inuenire facultatem quamdam syllogizandi ex ijs, quæ sunt probabiliter vera: hoc enim est opus, & officium dialecticæ secundum se, ac tentatiuæ. Quia verò per dialecticam, non solum instruimur ad argumentandum ex probabilibus, & ad experimentum sumendum de scientia respondentis dialectico modo, sed etiam propter affinitatem cum sophistica, instruimur ad defendendum posita, ac si illa sciamus, sicut faciunt sophistæ, qui quia profitentur se omnia scire, non solum disputando opponunt, sed etiam respondent ad omnes interrogationes, & defendunt quæ dicunt, ac si illa scirent: ideo lib. 1. Topicorum diximus officium dialecticæ esse, non solum posse sumere orationem, per quam de quocunque proposito argumentetur, sed etiam positiones defendendo tueri illas per maximè probabilia: causam autem, propter quam dialectica debet etiam posita defendere, esse affinitatem cum sophistica, quæ cum profiteatur se omnia scire, ad omnia respondet, & posita defendit, ideoque Socrates, qui profitebatur se purum dialecticum, non autem sophistam, ac dicebat se nihil scire, solum interrogabat alios, & contra ipsos argumentabatur, nunquam autem respondebat.

3 Deinde explicauimus, ex quot, & quibus propositionibus fiant syllogismi dialectici, & ad quot, & quæ problemata concludenda ordinentur. Diximus enim qua-

quatuor esse genera propositionum, & problematum; accidens nimirum, genus proprium, & definitionem: libro verò secundo, & sequentibus vsque ad septimum inclusiuè, tradidimus loca, ex quibus possimus colligere propositiones, & præmissas ad quodlibet genus problemarum resoluendum. Octauo demum, & vltimo libro Topicorum docuimus modum interrogandi, & ordinandi disputationem: egimus etiam de modo respondendi, ac de solutionibus, quæ possunt afferri syllogismis ab aduersario propositis, ac demum egimus etiam de alijs, quæ spectant ad dialecticam. Rursus in duobus libris elenchorum egimus de paralogismis, vt dictum est etiam prius. Patet igitur, quod nos sufficienter tradidimus, & ad finem perduximus disciplinam disputandi probabiliter, vel apparenter, quam disciplinam tradere proposuimus.

Quo pacto Logica fuerit ab Aristotele inuenta, & perfecta. Cap. VIII. & vltimi Art. II.

4 *OPeræpretium autem est nos non latere, quidnam accidit circa hoc negotium.*

5 *Nam eorum, quæ inueniuntur omnium, quæ quidem ab alijs sumpta sunt prius, elaborata paulatim incrementum sumunt ab illis, qui postmodum accipiunt: quæ autem ab initio comperiuntur, paruum in primis sumere solent incrementum, attamen vtilius multo eo, quod postea ab alijs fit, accremento. Maximum enim fortasse principium omnium, vt dicitur: quare & difficillimum. Quanto enim potestate validissimum, tanto mole minimum, difficillimum est videri: eo autem comperto, facile est adijcere, coaptareque reliquum. Quod & circa rhetoricas orationes accidit, pene autem & circa alias artes omnes. Nam qui principia inuenere, omnino ad exiguum quid perduxerunt: qui autem nunc celebriores habentur, vendicantes à multis, velut ex successione particulatim colligentes, sic auxerunt: Tisias quidem post priores, Thrasymachus vero post Tisiam, Theodorus autem post hunc, et multi multas coaduanauere partes. Quapropter nihil mirum, si in amplum quidem creuerit ars.*

4 Concludit demum Aristoteles libros elenchorum, ac totam logicam, explicando, quo pacto cæteræ artes fuerint inuentæ, ac paulatim perfectæ à pluribus, & quo pacto ipse solus inuenerit, ac perfecerit logicam.


5 Omnes artes, quæ inueniuntur, ita inueniuntur, vt posteriores sumentes quædam à prioribus, paulatim illas augeant, ac perficiant. Porrò artes ab initio parum ab inuentore augentur, & perficiuntur: illud tamen parum, quod primus inuentor inuenit, est vtilius toto, quamuis maximo incremento, quod à successoribus additur. Ratio est, quia principium vnuscuiusque rei est maximum omnium, ideoque difficillimum. Cum enim principium sit minimum mole, & magnitudine, virtute autem maximum, sicut etiam accidit in seminibus, difficile conspicitur: principio autem inuento, facile est reliqua addendo, ac coaptando rem perficere. Hoc, quod dictum est de artium inuentione, & incremento, accidit in Rhetoricis, ac penè in omnibus artibus. Nam qui inuenerunt Rhetoricam, & alias artes, parum illas auxerunt, & perfecerunt: qui autem nunc celebriores habentur in ijs artibus, à multis inuenta, ac veluti successione quadam particulas artis colligentes, tales artes auxerunt, & perfecerunt. Tisias enim addidit aliquid præceptis Rhetoricæ, quæ tradita fuerant ab antiquioribus; Thrasimacus quædam addidit, ijs quæ acceperat à Tisia; Theodorus autem multa addidit ijs, quæ accepit à Thrasimaco, idemque dic de alijs; ideoque multis multas Rhetoricæ artis partes addentibus, non est mirum, si ars Rhetorica valde fuerit amplificata.

6 *Huius autem negotij, non hoc quidem erat exploratum, illud autem non erat, verum nihil ipsius prorsus erat. Nam eorum, qui circa litigiosas orationes erant mercenarij, similis quidem doctrina Gorgiæ negotio. Orationes enim hi quidem rhetoricas, illi autem interrogatiuas docebant ediscere, in quas sæpius incidere solebant alternatim vtrorumque adinuicem orationes. Quapropter velox quidem, vt pote quæ sine arte erat doctrina discentibus ab illis,*

Non

Non enim artem, sed quæ ab arte sunt dantes, arbitrati sunt loqui erudite, perinde, ac si quis disciplinam dicat se tradere; vt non doleant pedes, deinde sutoriam quidem non doceat, neque vnde possint comparari talia, det autem quàm plurima genera omnimodorum calceorum: hic profecto profuit ad vsum, artem autem non tradidit. Et de rhetoricis quidem erant multa, & antiqua dicta: de syllogismis autem omnino nihil habuimus prius aliud quicquam, quod diceremus, quàm mora perquirentes, multo tempore insudauerimus. Si autem videtur ex considerationibus nostris, vt ex ijs quæ sunt ex principio, hæc habere disciplina sufficienter supra alia negotia, quæ ex traditione inducta sunt, reliquum erit omnium vestrum, vel eorum, qui audierunt hoc opus, omissa quidem artis, venia dignari, inuenta autem, multa prosequi gratia.


6 Verum licet aliarum artium ante nos fuerint quædam principia tradita, logicæ artis, in quantum agit de syllogismo, de demonstratione, ac de disputatione dialectica, & sophistica, nihil omnino traditum fuerat, antequam nos de illa ageremus. Licet enim aliqui sophistæ mercenarij docerent sophisticas orationes, tamen doctrina eorum erat similis doctrinæ Gorgiæ. Sicut enim Gorgias, eiusque sectatores, loco tradendi præcepta faciendi orationes Rhetoricas, tradebant discipulis orationes quasdam circa quædam communia, quorum frequens occasio incidebat, & docebant eos recitare, & ad earum imitationem alias similes orationes scribere: sic sophistæ, loco docendi artem argumentandi, tradebant discipulis quasdam argumentationes de aliquibus communibus, in quæ frequenter incidebat disputatio, ac docebant etiam similes argumentationes construere. Ideo velociter discipuli instruebantur, quippe cum non docerentur artem, sed traderentur illis quædam ex arte memoriter discenda, quæ cum didicissent, putabant se artem scire, & eruditè loqui, vel disputare. Gorgias igitur, ac sophistæ fuerunt similes alicui, qui profiteretur se traditurum disciplinam calceandi pedes, vt non dolerent; deinde verò loco docendi artem sutoriam, & loco tradendi præcepta faciendi calceos, produceret in medium plura genera calceorum. Hic enim, licet exponens calceos vendibiles, prodesset quoad vsum, adhuc non traderet artem calceandi. Ergo proportionaliter Gorgias tradens orationes disputatorias, profuerunt quidem ad vsum orandi, ac disputandi, sed rhetoricam, & dialecticam non tradiderunt. Verum multa præcepta spectantia ad artem construendi rhetoricas orationes accepimus ab antiquis, ideoque rhetoricam nos non inuenimus, sed auximus. At circa artem syllogizandi, demonstrandi, ac disputandi, nihil omnino accepimus ab antiquis, sed omnia artis principia nos ipsi magno labore per multum tempus insudantes inuenimus, quæ tradidimus in his libris. Si igitur ex nostro studio, & ex nostris speculationibus hæc disciplina, nimirum logica, videtur aliquid habere supra id, quod reliquæ artes, quæ deinde sunt paulatim perfectæ, habuerunt à suis inuentoribus, reliquum est, vt qui legerint, vel audierint hoc opus dignentur nos venia propter ea, quæ in huius artis traditione omisimus vel peccauimus, & vt nobis gratias habeant propter ea, quæ inuenimus. Principium enim, vt diximus, est maximum, & difficillimum. Et per hæc Aristoteles concludit libros Elenchorum, & totam logicam.



IN TRES LIBROS RHETORICORVM.

PROOEMIVM.

De natura, & subiecto Rhetoricæ.

1 HETORICA est valde affinis Dialecticæ, vt initio horum librorum Aristoteles docet; sed natura facultatum affinium optimè explicatur, illas inuicem conferendo; ergo ad explicandam naturam Rhetoricæ conferenda est cum dialectica, & inspiciendum, in quibus hæ duæ facultates conueniant, ac differant.

2 Dialectica dicitur à disputando, & est ars disputandi: Rhetorica nomen sortitur à dicendo, & est ars dicendi; sed ars disputandi consistit in eo vt possimus de quocunque proposito problemate apud aliqualiter sapientes disputare in vtramque partem, & vtramlibet partem defendere; ars dicendi consistit in eo, vt quocunque proposito problemate, possimus de eo persuasibiliter dicere in vtramque partem, & vtramque partem tueri apud populum; ergo dialectica est ars probabiliter disputandi apud aliqualiter sapientes de quocumque proposito problemate in vtramque partem, & vtramlibet partem defendendi; Rhetorica verò est ars de quocumque proposito problemate persuasibiliter dicendi apud populum, & vtramque partem tuendi.

3 Ex hac definitione potest primo inferri, quod nam sit subiectum harum duarum facultatum. Dicendum, quod subiectum dialecticæ sunt res omnes, in quantum probabiliter disputabiles in vtramque partem: subiectum Rhetoricæ sunt res omnes in quantum persuasibiles.

4 Infertur secundo in quibus Dialectica, ac Rhetorica conueniant, ac differant. Primo conueniunt in hoc, quod vtraque facultas disserit de omnibus. Secundo conueniunt in hoc, quod vtraque disserit in vtramque partem. Tertio conueniunt in hoc, quod vtraque procedit non ex veris, sed ex probabilibus. Ratio est, quia ex duabus partibus problematis contradictoriè oppositis altera necessario est falsa; sed Dialectica, & Rhetorica disserunt de vtraque parte problematis, & vtramque defendunt; ergo non solum probant, ac defendunt vera, sed etiam falsa; sed falsa non possunt probari, ac defendi ex veris, sed solum ex probabilibus; ergo Rhetorica, ac dialectica non procedunt ex veris, sed ex probabilibus. Quarto conueniunt in hoc, quod vtraque non procedit ex proprijs, sed ex communibus. Ratio est primo, quia si deberent agere de quolibet proposito problemate ex proprijs, confunderentur cum omnibus scientijs. Ratio est secundo, quia debent vti principijs aptis ad agendum de problematibus propositis in vtramque partem; sed sola principia communia sunt huiusmodi; ergo &c. Ratio est tertio, quia debent agere de rebus ex principijs notis omnibus, etiam imperitis scientiarum particularium; ergo &c. Quinto conueniunt in hoc, quod vtraque debet tradere loca quædam communia, seu principia, ex quibus possimus de quolibet proposito problemate disputare, vel dicere aptè ad persuadendum in vtramque partem. Sexto conueniunt in hoc, quod non sunt scientiæ, sed quædam potentiæ, & facultates. Ratio est, quia scientiæ non probant, nec persuadent vtramque partem contradictionis, sed illam tantum, quæ est vera, adeoque est demonstrabilis; sed dialectica, ac Rhetorica possunt æquè probare, ac persuadere vtramque partem contradictionis; ergo Dialectica, ac Rhetorica non sunt scientiæ, sed sunt facultates, ac potentiæ quædam

dam

dam probabiliter ostendendi, ac persuadendi vtramque partem contradictionis. Potentiæ enim propriè dicuntur, quæ æquè se habent ad opposita.

5 Differunt Dialectica, & Rhetorica in hoc, quod dialectica ordinatur ad disputandum probabiliter coram aliqualiter sapientibus: Rhetorica ordinatur ad dicendum aptè ad persuadendum populo. Quia verò in cætibus aliqualiter sapientum solet disputari præsertim de problematibus vniuersalibus abstrahentibus à circumstantijs singularibus personarum, locorum, temporum &c. ad populum verò agendum est de materijs moralibus, aut politicis, ac de problematibus restrictis ad singulares personas, loca, tempora &c: ideo dialectica vt plurimum disputat de problematibus vniuersalibus abstrahentibus à circumstantijs singularibus personarum, locorum, ac temporum; Rhetorica è conuerso differit præsertim de materijs moralibus, ac politicis, ac de problematibus restrictis ad singulares personas, loca, & tempora. Secundo differunt, quod Dialectica vtitur forma argumentandi stricta, & contracta: Rhetorica vtitur forma argumentandi ampliori, ac dilatata. Tertio differunt, quod Dialectica ad probandum vtitur solis rationibus; At Rhetorica ad persuadendum non solum vtitur rationibus, sed etiam moribus, & affectibus, vt fusè explicat Aristoteles in progressu horum librorum.

6 Aristoteles Rhetoricam tradit tribus libris, qui possunt diuidi in sex partes. In prima parte, quæ continetur libro primo, capite primo, & initio capitis secundi, ponit procemium, in quo ostendit, quo pacto Rhetorica se habeat ad Dialecticam; circa quod subiectum vtraque versetur; qua ratione vtraque fuerit inuenta; quam diminutè Rhetorica fuerit tradita ab antiquis; ex quibus fontibus hauriri debeat facultas probandi; quæ sit rhetoricæ vtilitas, quod opus, ac quæ definitio.

7 In secunda parte, quæ incipit à cap. 2. & protenditur vsque ad finem libri primi, quia Rhetorica debet persuadere probationibus, moribus, & affectibus, adeoque debet considerare hæc tria, agit de probationibus, ac distinctis tribus generibus dicendi, deliberatiuo nimirum, demonstratiuo, ac iudiciali, tradit loca propria, seu species, & formas, ex quibus possunt desumi probationes artificiales, & enthymemata propria singulorum generum; & capite vltimo disputat de probationibus inartificialibus.

8 In tertia parte, quæ ab initio libri secundi protenditur vsque ad caput 17. inclusiuè, disputat de moribus, & affectibus & tradit artem persuadendi, excitando affectus in auditoribus, & præseferendo mores fide dignos, & auditoribus accommodatos.

9 In quarta parte, quæ incipit à cap. 18. libri 2. & protenditur vsque ad finem libri secundi tradit loca communia, ex quibus possunt desumi probationes omnibus tribus generibus dicendi accommodatæ.

10 In quinta parte, quæ ab initio libri tertij protenditur vsque ad caput duodecimum inclusiuè, differit de elocutione ad persuadendum accommodata, ac de eius virtutibus.

11 In sexta demum parte, quæ à capite 13. libri tertij protenditur vsque ad finem agit de dispositione, ac de partibus orationis, & concludit hos libros.



ARISTOTELIS RHETORICORVM LIBER PRIMVS.


GEORGIO TRAPEZVNTIO INTERPRETE.

Quo pacto Rhetorica se habeat ad Dialecticam, circa quod subiectum versetur, & quo pacto fuerit inuenta. Caput Primum. Articulus Primus.

1 *RHETORICA Dialecticæ æquipollet. Nam de ijs vtraque est, quæ omnium quodammodo communia, & nullius determinata scientiæ esse cognoscuntur.*

2 *Quapropter omnes etiam vtriusque aliquo modo participes sunt: quippe omnes aliquo vsque tum quærere, ac reddere rationem, tum defendere, & accusare conantur.*

3 *Verum multi hæc temere, nonnulli exercitatione, ac habitu factitant. Quæ quoniam vtroque fieri modo possunt, patet, quòd possunt & in certam rationem, ac viam redigi, cùm eius causam inspicere possimus, qua tam qui exercitatione, quam qui casu dicunt, quod volunt adipiscuntur: id verò artis esse officium omnes rectè concedent.*


HETORICA est affinis Dialecticæ, præsertim in eo, quod sicut Dialectica docet viam ad inueniendas rationes probabiles, ita Rhetorica docet viam ad inueniendas rationes persuasiuas. Hanc conuenientiam quia non aduerterunt antiqui, admodum diminutè Rhetoricam tradiderunt, dum cætera minus præcipua persequentes, de arte inueniendi rationes persuasiuas nihil dixerunt. Aristoteles igitur vt antiquorum errorem corrigat, ac viam sternat modo, quo Rhetoricam ipse est traditurus, initio horum librorum præmittit proœmium, in quo primo explicat, quo pacto Rhetorica se habeat ad dialecticam, circa quod subiectum vtraque versetur, & qua ratione vtraque fuerit inuenta: secundo ostendit, quam diminutè fuerit ab antiquis tradita, præsertim ex eo, quod non docuerint id, quod est in Rhetorica præcipuum, hoc est modum probandi: tertio probat facultatem probandi, & enthymemata conficiendi hauriendam esse ex fontibus logicæ: quarto demum exponit, quæ sit Rhetoricæ vtilitas, atque eius opus. Hæc quatuor maioris distinctionis gratia quatuor articulis à nobis sunt explicanda.

1 Quoad primum: Rhetorica est affinis dialecticæ, ac proportionaliter illi ex altera veluti parte respondet. Hæc proportionalis conuenientia consistit præsertim in duobus: primo in eo, quod vtraque versatur circa quædam communia, quæ quodammodo sunt omnibus nota: secundo in eo, quod neutra versatur circa aliquod determinatum subiectum vllius scientiæ. Explicatur: cæteræ facultates versantur circa quædam, quæ nota sunt solis professoribus talium artium, alijs verò sunt ignota: ex. gr. geometra versatur circa geometrica, quæ nota sunt solis geometris; medicus versatur circa medica, quæ nota sunt solis medicis, ex quo oritur, vt multitudo non intelligat medicos medicè loquentes, nec geometras geometricè disserentes: idemque dic de cæteris facultatibus. At Dialecticus, & Rhetor versantur circa ea, quæ quodammodo nota sunt omnibus, ex quo oritur, vt Dialecticè, & Rhetoricè loquentes omnes quodam-

dammodo intelligant. Rursus cæteræ facultates versantur circa aliquod determinatum genus rerum: ex. gr. Geometria agit solum de magnitudinibus, Arithmetica de numeris, Medicina de corpore sanabili. At Dialectica, & Rhetorica non contrahuntur ad vllum genus determinatum, sed vagantur per omnia rerum genera, ac de omnibus disserunt, non quidem ex principijs proprijs, quæ sunt nota solis professoribus facultatum particularium, sed ex communibus, quæ quodammodo nota sunt omnibus.

2 Ex eo, quod Dialectica, & Rhetorica versentur circa ea, quæ quodammodo nota sunt omnibus, oritur, vt omnes quodammodo sint harum duarum facultatum participes, atque earum opus exerceant. Opus siquidem Dialecticæ est disputando, vel rationibus impugnare, quod alter asseruit, vel quod nos asseruimus contra rationes ab altero oppositas sustinere: opus Rhetoricæ est accusare, vel defendere; sed omnes aliquando conantur, vel rationibus impugnare, quæ alter asseruit, vel quæ ipsi asseruerunt sustinere, vel accusare, vel defendere; ergo omnes quodammodo sunt participes Dialecticæ, ac Rhetoricæ, & eorum opus exercent.

3 Hinc verò patere potest, quo pacto Dialectica, & Rhetorica fuerint inuentæ, atque in formam artis redactæ. Ex ijs, qui conantur disputando sua asserta probabilia reddere, ac dicendo quæ dicunt persuadere, aliqui casu, aliqui ex habitu, & consuetudine consequuntur finem, quem intendunt; ergo potuerunt homines aduertere, propter quam causam aliqui vel casu, vel habitu per consuetudinem acquisito sua asserta probabilia reddant, ac quæ dicunt persuadeant; sed inuenta hac causa, inuenerunt etiam certas rationes, ac vias sua asserta, ac dicta probabilia, ac persuasibilia reddendi: in hac autem certa ratione, ac via consistit ars, quæ ex omnium confessione est certa, ac vera ratio alicuod opus conficiendi; ergo hac ratione inuentæ fuerunt, & in formam artis redactæ Dialectica, & Rhetorica, quæ sunt facultates tradentes certas vias, ac modos nostra asserta, ac dicta probabilia, ac persuasibilia reddendi.

Ostenditur Rhetoricam diminutè fuisse traditam ab antiquis, præsertim ex eo, quod non docuerint id, quod est in Rhetorica præcipuum, hoc est modum probandi. Cap. I. Art. II.

4 *Qvicunque igitur eloquentiæ artes ad præsens vsque composuerunt, paruam ipsius particulam adinuenerunt. Nam cùm fidem facere artificiosum tantummodo sit, cætera verò accedant: ij de enthymematibus, quæ persuasionis sunt nerui, nihil dicunt: de ijs autem, quæ præter rem sunt, plurima pertractant. Indignatio enim, misericordia, ira, cæterique animi affectus, non de ipsa re sunt, sed commouendi iudicis causa.*

5 *Quare si quemadmodum in nonnullis ciuitatibus fieri solet, maximèque in ijs, quæ bonis legibus gubernantur, sic in omnibus quoque iudicijs esset, nihil profectò haberent, quod dicerent. Nam omnes oportere legibus esse ita constitutum arbitrantur, partim etiam vtuntur, ac probibent præter rem quicquam dicere, vt Ariopagitæ, rectè id ita putantes. Non enim oportet in iram, aut inuidiam, aut misericordiam impellendo a recto iudicem flectere, ne similes ei simus, qui eam qua vsurus sit, regulam prius inflectit.*

4 Licet modo explicato Rhetorica fuerit inuenta, nihilominus qui nunc Rhetoricam tradunt, valde diminutè illam tradunt, atque exiguam tantum, & accessoriam ipsius particulam exponunt, præcipuam verò artis partem omittunt. Probatur, quia Rhetorica est ars reddendi credibilia, ac persuasibilia ea, quæ dicimus, ergo qui Rhetoricam tradit, debet præcipuè tradere modum reddendi credibilia, ac persuasibilia ea, quæ dicimus; sed ea, quæ dicimus, præcipuè redduntur credibilia per quasdam probationes, quæ vocantur enthymemata; ergo qui Rhetoricam tradit debet præcipuè docere modum conficiendi enthymemata; sed qui nunc tradunt Rhetoricam id non docent, sed to-

ti

ti sunt in explicando, quo pacto possint in auditoribus excitari affectus misericordiæ, iræ &c; quo pacto possint res amplificari, vel imminui; quale debeat esse exordium, narratio &c. hæc autem omnia non sunt præcipua in hac arte, sed sunt solum quædam artis additamenta; ergo qui tradunt Rhetoricam omittunt id, quod est in hac arte præcipuum, ac solum versantur circa quædam additamenta. Quod autem solæ probationes præcipuæ sint in Rhetorica, excitationes autem affectuum, amplificationes, exordium, narratio &c. sint solum quædam artis additamenta, probatur, & primo de excitatione affectuum: orator enim debet ostendere rem, de qua agitur, & dubitatur; sed solæ probationes ostendunt rem, de qua agitur, & dubitatur, criminationes autem, & alia, per quæ iudices mouentur ad indignationem, ad misericordiam, ad iram, & ad alios similes affectus, ac perturbationes, non conferunt ad rem ostendendam, sed solum ad iudicem sic, vel sic disponendum; ergo excitatio affectuum non est præcipuum in Rhetorica, sed solum est quoddam huius artis additamentum.

5 Confirmatur, quia in quibusdam ciuitatibus, præsertim bene instituitis, iubentur oratores afferre solum, probationes rei, interdicitur verò iisdem dicere quidquam extra rem, puta afferre ea, quæ spectant ad iudicem sic disponendum, excitando in eo affectus iræ, misericordiæ, amoris, odij, inuidiæ &c. Hoc autem institutum sicut seruatur in Areopago, ita deberet seruari in omnibus iudicijs, ac deberet lege sanciri. Sicut enim cum quis vsurus est regula recta, non debet illam ante inflectere, sic cum debemus vti iudice tanquam regula rectitudinis, non debemus illum ad hanc, vel illam partem inflectere, excitando in eo iram, misericordiam, inuidiam &c; sed qui nunc tradunt Rhetoricam, non docent modum probandi rem, sed solum docent modum excitandi affectus, ac iudicem disponendi; ergo in Areopago, & in iudicijs rectè institutis nihil possent dicere, adeoque Rhetorica, quam tradunt, est vtilis solum per accidens, quia iudicia sunt malè instituta, si verò iudicia bene essent instituta, esset omnino inutilis.

6 *Ad hæc quoque perspicuum est nihil ad litigantem pertinere, nisi vt ostendat, res sit, necne, & factumne sit, aut non. Si verò magnum, aut paruum, iustum, aut iniustum, quæ legislator non determinauit, ea non à litigantibus accipere, sed per seipsum iudicem scire oportet.*

7 *Maximè igitur conuenit, vt quæ rectè positæ sunt leges, cuncta ipsæ explicent, quæ explicari queant, & quàm minima iudicibus relinquant. Primum, quia vnum, aut paucos prudentes, qui leges ferre, aut iudicare possint, facilius est inuenire, quàm multos. Deinde quoniam longi temporis consideratione leges feruntur, iudicia breuissime conficiuntur, difficile est, vt bene à iudicibus iustum, & conducibile distribuatur. Illud autem omnium maximum est, quòd legislatoris iudicium non de singulis, nec de præsentibus, sed de vniuersalibus, & de futuris est: senator verò, & iudex de præsentibus iam, determinatisque iudicant. Vnde fit, vt cùm & ament, & oderint, sua quoque vtilitas connexa sit, non satis queant veritatem perspicere, sed propria vel voluptas, vel dolor iudicia sua obumbret. Quare minimam cæterarum rerum potestatem iudici tribuendam dicimus: factum verò esse, aut non factum, & fore aut non fore, esse quoque, vel non esse, hæc omnia, cùm non possit lator legis prouidere, iudicibus relinquenda necessario sunt.*

6 Quod etiam amplificationes, ac diminutiones, quibus ostenditur id, de quo agitur, esse magnum, vel paruum, non sint præcipuæ in Rhetorica, probatur, quia ea præcipua sunt in oratoria, quæ Iudex debet à litigantibus, & ab oratoribus eorum causas agentibus addiscere, quæ verò iudex non debet addiscere à litigantibus, sed per se cognoscere, sunt solum artis additamenta; sed iudex debet solum à litigantibus addiscere, vtrum res sit, vel non sit? vtrum facta fuerit, vel non fuerit? puta vtrum Callias fuerit à Socrate occisus, an non? Posito verò, quod res sit, puta quod Callias fuerit occisus, Iudex debet per se ipsum posse dignoscere, vtrum res sit magna, vel parua? iusta, vel iniusta? ac vniuersim posita notitia facti, debet posse per se ipsum dijudicare de ijs, quæ non sunt per legem definita; ergo solæ probationes ostendentes rem esse, vel non esse,

fuisse

fuisse factam, vel non fuisse factam, per se spectant ad oratorem: amplificationes, ac diminutiones, quibus ostenditur rem esse magnam, vel paruam, iustam, vel iniustam ad oratorem spectant quodammodo per accidens, siquidem possunt iudices nolle hæc ab oratoribus addiscere, immo nec audire.

7 Confirmatur, quia oratores per suas probationes debent per se versari circa ea, quæ per se leges rectè constitutæ debent relinquere iudicio iudicis; sed leges rectè constitutæ debent per se relinquere iudicio iudicis quæ spectant ad quæstionem facti, puta *vtrum res sit facta, vel non, sit facienda, vel non sit facienda, sit, vel non sit?* cætera verò debent leges determinare, quam paucissima ex ijs relinquendo iudicio iudicis; ergo oratores per suas probationes debent per se versari circa quæstiones facti &c. Probatur, & explicatur minor, ac primo tribus rationibus ostenditur leges rectè constitutas debere definire omnia, quæ possunt definiri, ac paucissima relinquere iudicio iudicis. Prima ratio est, quia facilius est inuenire vnum, vel paucos, quam inuenire multos, qui possint rectè de rebus statuere; sed leges constituuntur ab vno, vel paucis, iudicia exercentur à multis; ergo facilius est, vt legumlatores, quam vt iudices rectè de rebus statuant; ergo legumlatores per leges debent statuere de omnibus, in quantum possunt. Secunda ratio est, quia facilius est rectè statuere de rebus, longa adhibita consideratione, quam repente; sed legumlatores per leges de rebus statuunt longa adhibita consideratione, iudices statuunt repente; ergo facilius est, vt leges, quam vt iudices rectè statuant de rebus, adeoque leges debent omnia definire, in quantum possunt. Tertia, & præcipua ratio est, quia cum passiones amoris, atque odij, iucunditatis, ac molestiæ, proprij commodi, vel incommodi obscurent ita iudicium rationis, vt non possimus rectè iudicare de veritate circa agibilia, melius est, vt de agendis statuant qui sunt à talibus passionibus immunes, quam qui ijs perturbantur; sed legumlatores, cum non statuant de singularibus, sed de vniuersalibus, non de præsentibus, sed de futuris, non dimouentur à recto iudicio passionibus; è conuerso consultores, ac iudices cum iudicent de singularibus, ac præsentibus, cum quibus coniuncta est priuata eorum vtilitas, dimouentur à recto iudicio passionibus amoris, aut odij, iucunditatis, ac molestiæ, & vniuersim à sensu priuati commodi, vel incommodi; ergo melius est, vt de agendis leges definiant quæcunque possunt, paucissima verò, quæque prouidere non possunt, relinquant iudicio iudicis; sed quæ spectant ad factum, puta *an res sit facta, vel non sit facta? an sit facienda, vel non facienda? an sit, vel non sit?* non possunt à legumlatore prouideri; ergo quæ spectant ad quæstiones facti per se sunt iudicio iudicis relinquenda; sed orator debet per suas probationes principaliter, & per se versari circa ea, quæ iudicio iudicis per se relinquuntur; ergo orator debet per suas probationes principaliter, & per se versari circa quæstiones facti, adeoque amplificationes, ac diminutiones, quibus oratores ostendunt rem esse magnam, vel paruam, iustam, vel iniustam, minus principaliter ad oratorem spectant, & sunt quædam Rhetoricæ additamenta.

8 *Quæ quoniam sic se habent, patet eum de exordio, narratione, cæterisque particulis, quid habere debeant præcipiunt, aliena, remotaque ipsos præcipere. Nihil enim aliud ij agunt, nisi vt iudicem quomodocunque afficiant. De artificiosa autem persuasione nihil afferunt, quod est vt ostendant, vnde quispiam enthymematicus fieri possit.*

9 *Idcirco etiam cùm eadem sit via, & ratio deliberationis, & iudicij, cùmque melior, ac ciuitatibus vtilior deliberatiua præceptio sit, quàm iudicialis, de illa nihil, de hac plurima tradere conantur. Minus enim in deliberationibus conducit præter rem dicere, minusque malitiæ deliberatio habet quàm iurisdictio, cùm sit communis. Hic enim de singulis, quæ vidit, iudicaturus est. Itaque nihil aliud demonstrare oportet, nisi quòd sic se habeat, vt is, qui consulit, affirmat. In iudicialibus autem id non satisfacit. Nam cum de alienis rebus iudicium sit, vtilis est auditorum præparatio, qui rem suam considerantes, ac ad gratiam audientes, largiuntur litigantibus operam, non iudicant. Quapropter multis quoque in locis, vt iam diximus, ne præter rem quicquam dicatur, cautum est legibus, ibique id ipsi iudices*

ti sunt in explicando, quo pacto possint in auditoribus excitari affectus misericordiæ, iræ &c; quo pacto possint res amplificari, vel imminui; quale debeat esse exordium, narratio &c. hæc autem omnia non sunt præcipua in hac arte, sed sunt solum quædam artis additamenta; ergo qui tradunt Rhetoricam omittunt id, quod est in hac arte præcipuum, ac solum versantur circa quædam additamenta. Quod autem solæ probationes præcipuæ sint in Rhetorica, excitationes autem affectuum, amplificationes, exordium, narratio &c. sint solum quædam artis additamenta, probatur, & primo de excitatione affectuum: orator enim debet ostendere rem, de qua agitur, & dubitatur; sed solæ probationes ostendunt rem, de qua agitur, & dubitatur, criminationes autem, & alia, per quæ iudices mouentur ad indignationem, ad misericordiam, ad iram, & ad alios similes affectus, ac perturbationes, non conferunt ad rem ostendendam, sed solum ad iudicem sic, vel sic disponendum; ergo excitatio affectuum non est præcipuum in Rhetorica, sed solum est quoddam huius artis additamentum.

5 Confirmatur, quia in quibusdam ciuitatibus, præsertim bene institutis, iubentur oratores afferre solum, probationes rei, interdicitur verò ijsdem dicere quidquam extra rem, puta afferre ea, quæ spectant ad iudicem sic disponendum, excitando in eo affectus iræ, misericordiæ, amoris, odij, inuidiæ &c. Hoc autem institutum sicut seruatur in Areopago, ita deberet seruari in omnibus iudicijs, ac deberet lege sanciri. Sicut enim cum quis vsurus est regula recta, non debet illam ante inflectere, sic cum debemus vti iudice tanquam regula rectitudinis, non debemus illum ad hunc, vel illam partem inflectere, excitando in eo iram, misericordiam, inuidiam &c; sed qui nunc tradunt Rhetoricam, non docent modum probandi rem, sed solum docent modum excitandi affectus, ac iudicem disponendi; ergo in Areopago, & in iudicijs rectè institutis nihil possent dicere, adeoque Rhetorica, quam tradunt, est vtilis solum per accidens, quia iudicia sunt malè instituta, si verò iudicia bene essent instituta, esset omnino inutilis.

6 *Ad hæc quoque perspicuum est nihil ad litigantem pertinere nisi vt ostendat, res sit, necne, & factumne sit, aut non. Si verò magnum, aut paruum iustum, aut iniustum, quæ legislator non determinauit, ea non à litigantibus accipere, sed per seipsum iudicem scire oportet.*

7 *Maximè igitur conuenit, vt quæ rectè positæ sunt leges, cuncta ipsæ explicent, quæ explicari queant, & quàm minima iudicibus relinquant. Primum, quia vnum, aut paucos prudentes, qui leges ferre, aut iudicare possint, facilius est inuenire, quàm multos. Deinde quoniam longi temporis consideratione leges feruntur, iudicia breuissime conficiuntur, difficile est, vt bene à iudicibus iustum, & conducibile distribuatur. Illud autem omnium maximum est, quòd legislatoris iudicium non de singulis, nec de præsentibus, sed de vniuersalibus, & de futuris est: senator verò, & iudex de præsentibus iam, determinatisque iudicant. Vnde fit, vt cùm & ament, & oderint, sua quoque vtilitas connexa sit, non satis queant veritatem perspicere, sed propria vel voluptas, vel dolor iudicia sua obumbret. Quare minimam cæterarum rerum potestatem iudici tribuendam dicimus: factum verò esse, aut non factum, & fore aut non fore, esse quoque, vel non esse, hæc omnia, cùm non possit lator legis prouidere, iudicibus relinquenda necessario sunt.*

6 Quod etiam amplificationes, ac diminutiones, quibus ostenditur id, de quo agitur, esse magnum, vel paruum, non sint præcipuæ in Rhetorica, probatur, quia ea præcipua sunt in oratoria, quæ Iudex debet à litigantibus, & ab oratoribus eorum causas agentibus addiscere, quæ verò iudex non debet addiscere à litigantibus, sed per se cognoscere, sunt solum artis additamenta; sed iudex debet solum à litigantibus addiscere, vtrum res sit, vel non sit? vtrum facta fuerit, vel non fuerit? puta vtrum Callias fuerit à Socrate occisus, an non? Posito verò, quod res sit, puta quod Callias fuerit occisus, Iudex debet per se ipsum posse dignoscere, vtrum res sit magna, vel parua? iusta, vel iniusta? ac vniuersim posita notitia facti, debet posse per se ipsum dijudicare de ijs, quæ non sunt per legem definita; ergo solæ probationes ostendentes rem esse, vel non esse,

fuisse

fuisse factam, vel non fuisse factam, per se spectant ad oratorem: amplificationes, ac diminutiones, quibus ostenditur rem esse magnam, vel paruam, iustam, vel iniustam ad oratorem spectant quodammodo per accidens, siquidem possunt iudices nolle hæc ab oratoribus addiscere, immo nec audire.

7 Confirmatur, quia oratores per suas probationes debent per se versari circa ea, quæ per se leges rectè constitutæ debent relinquere iudicio iudicis; sed leges rectè constitutæ debent per se relinquere iudicio iudicis quæ spectant ad quæstionem facti, puta *vtrum res sit facta, vel non, sit facienda, vel non sit facienda, sit, vel non sit?* cætera verò debent leges determinare, quam paucissima ex ijs relinquendo iudicio iudicis; ergo oratores per suas probationes debent per se versari circa quæstiones facti &c. Probatur, & explicatur minor, ac primo tribus rationibus ostenditur leges rectè constitutas debere definire omnia, quæ possunt definiri, ac paucissima relinquere iudicio iudicis. Prima ratio est, quia facilius est inuenire vnum, vel paucos, quam inuenire multos, qui possint rectè de rebus statuere; sed leges constituuntur ab vno, vel paucis, iudicia exercentur à multis; ergo facilius est, vt legumlatores, quam vt iudices rectè de rebus statuant; ergo legumlatores per leges debent statuere de omnibus, in quantum possunt. Secunda ratio est, quia facilius est rectè statuere de rebus, longa adhibita consideratione, quam repente; sed legumlatores per leges de rebus statuunt longa adhibita consideratione, iudices statuunt repente; ergo facilius est, vt leges, quam vt iudices rectè statuant de rebus, adeoque leges debent omnia definire, in quantum possunt. Tertia, & præcipua ratio est, quia cum passiones amoris, atque odij, iucunditatis, ac molestiæ, proprij commodi, vel incommodi obscurent ita iudicium rationis, vt non possimus rectè iudicare de veritate circa agibilia, melius est, vt de agendis statuant qui sunt à talibus passionibus immunes, quam qui ijs perturbantur; sed legumlatores, cum non statuant de singularibus, sed de vniuersalibus, non de præsentibus, sed de futuris, non dimouentur à recto iudicio passionibus; è conuerso consultores, ac iudices cum iudicent de singularibus, ac præsentibus, cum quibus coniuncta est priuata eorum vtilitas, dimouentur à recto iudicio passionibus amoris, aut odij, iucunditatis, ac molestiæ, & vniuersim à sensu priuati commodi, vel incommodi; ergo melius est, vt de agendis leges definiant quæcunque possunt, paucissima verò, quæque prouidere non possunt, relinquant iudicio iudicis; sed quæ spectant ad factum, puta *an res sit facta, vel non sit facta? an sit facienda, vel non facienda? an sit, vel non sit?* non possunt à legumlatore prouideri; ergo quæ spectant ad quæstiones facti per se sunt iudicio iudicis relinquenda; sed orator debet per suas probationes principaliter, & per se versari circa ea, quæ iudicio iudicis per se relinquuntur; ergo orator debet per suas probationes principaliter, & per se versari circa quæstiones facti, adeoque amplificationes, ac diminutiones, quibus oratores ostendunt rem esse magnam, vel paruam, iustam, vel iniustam, minus principaliter ad oratorem spectant, & sunt quædam Rhetoricæ additamenta.

8 *Quæ quoniam sic se habent, patet eum de exordio, narratione, cæterisque particulis, quid habere debeant præcipiunt, aliena, remotaque ipsos præcipere. Nihil enim aliud ij agunt, nisi vt iudicem quomodocunque afficiant. De artificiosa autem persuasione nihil afferunt, quod est vt ostendant, vnde quispiam enthymematicus fieri possit.*

9 *Idcirco etiam cùm eadem sit via, & ratio deliberationis, & iudicij, cùmque melior, ac ciuitatibus vtilior deliberatiua præceptio sit, quàm iudicialis, de illa nihil, de hac plurima tradere conantur. Minus enim in deliberationibus conducit præter rem dicere, minusque malitiæ deliberatio habet quàm iurisdictio, cùm sit communis. Hic enim de singulis, quæ vidit, iudicaturus est. Itaque nihil aliud demonstrare oportet, nisi quòd sic se habeat, vt is, qui consulit, affirmat. In iudicialibus autem id non satisfacit. Nam cum de alienis rebus iudicium sit, vtilis est auditorum præparatio, qui rem suam considerantes, ac ad gratiam audientes, largiuntur litigantibus operam, non iudicant. Quapropter multis quoque in locis, vt iam diximus, ne præter rem quicquam dicatur, cautum est legibus, ibique id ipsi iudices*

dices exacte obseruant.

8 Ex eadem ratione exordium, narratio &c. non spectant ad probandam rem, sed ad iudicem, & auditorem disponendum; ergo qui Rhetoricam tradunt, cum docent, quale debeat esse exordium, qualis narratio &c. non agunt de ijs, quæ principaliter spectant ad rem; sed qui nunc Rhetoricam tradunt solum docent modum faciendi exordium, & narrationem, amplificandi, ac diminuendi, excitandi affectus, at non docent viam, per quam quis possit fieri enthymematicus, hoc est habens facultatem inueniendi probationes artificiosas ad probandam rem, de qua est controuersia; ergo qui Rhetoricam tradunt, valde diminutè eam tradunt: præcipuam enim eius partem omittunt, ac solum ea persequuntur, quæ sunt huius artis additamenta.

9 Quia qui Rhetoricam tradunt, solum persequuntur additamenta quædam, idcirco non agunt de omni genere, circa quod oratoria versatur, sed solum de eo genere, in quo magis locum habent hæc additamenta; sed hæc additamenta, magnum habent vsum in genere iudiciali, in quo agitur de contractibus, ac de alijs negotijs forentibus, paruum habent vsum in genere deliberatiuo, in quo agitur de negotijs publicis; ergo non est mirum, quod qui Rhetoricam tradunt, agant penè solum de genere iudiciali, non verò de genere deliberatiuo, licet oratoria versetur circa vtrumque genus, & licet genus deliberatiuum sit pulchrius, magisque ciuile, quam genus iudiciale. Ratio verò, cur additamenta, quæ non spectant ad rem probandam, sed ad iudicem, vel deliberantem certo modo disponendum, magnum habeant vsum in iudicijs, paruum in deliberationibus est, quia genus dicendi deliberatiuum est communius, ac simplicius, minusque versutiarum capax, quam genus dicendi iudiciale. Cum enim qui in concione deliberant, deliberent de proprijs, quæque ad ipsos spectant, nihil aliud opus est oratori, nisi vt ostendat rem ita se habere, vt dicit ipsemet, qui ad rem faciendam adhortatur, hoc est rem esse vtilem deliberantibus; hoc enim ostenso statim deliberantes, qui suam sequuntur vtilitatem, consilium oratoris capessunt. At in iudicijs iudices iudicant de alienis; ergo non sufficit ostendere rem esse iustam, vt orator dicit, sed operæ pretium est etiam oratorijs lenocinijs iudicantis animum aucupari, quippe qui sæpe non iustitiam solum, sed suam quoque vtilitatem respicit, & ad gratiam audiens, non tam incorruptè iudicat de re ipsa, quam sententiam ferendo alteri ex litigantibus gratificatur. Quia igitur periculum est, ne oratores extra rem dicendo iudicum gratiam aucupentur, & sic iudicia corrumpant, ideo multis in locis lege statutum est, vt oratores in iudicijs nihil extra rem dicant; hac autem lege opus non fuit in deliberationibus. Cum enim deliberantes de suis rebus statuant, ipsimet cauent, ne ab oratoribus extra rem dicentibus corrumpantur.

Ostenditur facultatem probandi, & enthymemata conficiendi hauriendam esse ex fontibus logicæ. Capitis I. Art.III.

10 *VErum quoniam perspicuum est artificiosam viam, & rationem in persuadendo consistere, persuasionemque quandam esse demonstrationem: tunc enim vehementer credimus, cùm demonstratum esse putauerimus: enthymema quoque rhetoricam esse demonstrationem, quod (vt simpliciter dicam) præcipuum est in persuasione: idque esse syllogismum quendam, & de quolibet syllogismo dialecticam, vel vniuersam, vel partem eius quandam considerare: patet eum, qui ex quibus, & quomodo syllogismus fiat, optime possit perspicere, maximè enthymematicum esse: insuper qui hoc etiam teneat, quibus de rebus enthymemata sint, quidque à logico syllogismo differant.*

11 *Eiusdem enim virtutis est, & veri, & verisimilis consideratio. Atque etiam homines satis ad veritatem nati sunt, & vt plurimum veritatem consequuntur. Quamobrem qui probabilia facile coniectura consequitur, is & ad veritatem similiter se habet.*

12 *Perspicuum igitur est, quæ præter rem sunt artes, ab alijs quoque traditas esse, quamque ob rem ad iudiciales magis præ-*

ceptiones declinarunt.

10 VErum quandoquidem antiqui non docuerunt rationem artificiosè quæ dixerimus probandi, quæri potest, ex quibus fontibus possimus hanc facultatem haurire? Insinuat responsionem Aristoteles, ac docet hanc facultatem hauriendam ex fontibus Dialecticæ, nomine Dialecticæ intelligendo non solum Topicam, sed logicam vniuersam, quæ agit de omni syllogismo.

Probat, quia per artem, per quam habemus facultatem conficiendi syllogismos vniuersim, & varias syllogismorum species in varijs materijs, possumus etiam facile acquirere facultatem conficiendi aliquam aliam speciem syllogismorum, & in aliqua alia materia, dummodo edoceamur de ijs, quæ sunt propria talis speciei, & talis materiæ; sed vel per dialecticam totam, vel per aliquam eius partem, puta per illam, quæ traditur in libris priorum, habemus facultatem conficiendi syllogismos vniuersim, & varias species syllogismorum, puta syllogismos euidentes, ac probabiles in materia certa, vel probabili, edocemur etiam ex quibus, & quomodo fiat syllogismus, demonstratio &c; ergo per dialecticam possumus etiam facilè acquirere facultatem conficiendi enthymemata, quæ sunt quædam species syllogismi, & versantur circa materiam rhetoricam, si tamen edoceamur, circa quam materiam versentur enthymemata, & quo pacto syllogismi rhetorici differant à logicis. Rhetorica igitur principaliter debet docere viam, ac modum conficiendi probationes artificiosas ad faciendam fidem eorum, quæ dicimus; sed probationes facientes fidem sunt quædam demonstrationes; tum enim maximè credimus, cum existimamus oratorem demonstrare quæ proposuit; ergo rhetorica docet viam, ac modum conficiendi rhetoricas demonstrationes, sed rhetoricæ demonstrationes sunt enthymemata, siquidem enthymemata inter probationes rhetoricas habent maximam vim ad faciendam fidem, & maiorem etiam, quam exempla; ergo rhetorica docet viam faciendi enthymemata; sed enthymemata sunt quidam syllogismi; ergo rhetorica docet viam faciendi quosdam syllogismos; sed logica dat facultatem conficiendi syllogismos vniuersim; ergo per logicam possumus etiam facile acquirere facultatem conficiendi enthymemata, & probationes rhetoricas.

11 Confirmatur, quia qui potest videre verum, potest etiam videre verisimile, ideoque ijdem homines, qui apti sunt ad inueniendam veritatem in certis, apti sunt ad plerunque assequendam veritatem in probabilibus, & qui dispositi sunt ad cognoscendum verum, dispositi sunt etiam ad bene conijciendum probabile; sed per logicam, quæ traditur in libris posteriorum, efficimur idonei ad inueniendas probationes certas in materijs scientificis; ergo per eamdem efficimur idonei ad inueniendas probationes verisimiles in Rhetoricis.

12 Ex his potest colligi Rhetoricam secundum principalem partem, secundum quam docet viam conficiendi enthymemata, seu probationes Rhetoricas, esse quodammodo partem logicæ. Ratio est, quia facultas docens modum conficiendi aliquam speciem syllogismi, est quodammodo pars facultatis docentis modum syllogismi vniuersim conficiendi; sed Rhetorica docet modum conficiendi enthymemata, quæ sunt species syllogismi; ergo Rhetorica est quodammodo pars logicæ, quæ docet modum vniuersim conficiendi syllogismum. Concludit Aristoteles, quod cum antiqui non docuerint rationem probandi, non tradiderunt præcipuam partem Rhetoricæ, & quod propter hanc causam omisso genere deliberatiuo, declinarunt ad agendum penè solum de genere iudiciali.

Quæ sit Rhetoricæ vtilitas, & quod eius opus. Cap. I. Art. IV.

13 *VTilis autem rhetorica est, tum quoniam vera, & iusta meliora secundum naturam sunt, quàm contraria, ita vt nisi decenter iudicia fiant, necesse sit in eis vinci. quod vituperatione dignum est;*

14 *Tum quia ne si certissimam quidem habeamus scientiam, facile est nonnullis per eam persuadere. Impossibile nanque id est. Cum enim disciplinæ ratio ad scientiam sit ita necessaria, vt etiam in Topicis diceramus, cùm de colloquutione cum multis*

di

diceremus, fides & oratio ex communibus facienda est.

15 *Præterea oportet, vt sicut & in syllogismis, persuadere contraria possimus, non vt vtraque faciamus: nam mala facienda non sunt: sed ne nos lateant, quomodo se habeant, & vt cum alij non iuste vtuntur oratione, soluere possimus. Aliarum igitur artium nulla de contrarijs ratiocinatur, sed dialectica, & rhetorica id sola faciunt. Nam vtraque similiter de contrarijs est. Quamuis non similiter subiectæ res se habent, sed semper vera, præstantioraque secundum naturam, melius syllogismo colliguntur, aut, vt simpliciter dicam, credibiliora sunt.*

16 *Ad hæc absurdum est, si non posse corpore sibi præsidio esse, turpe sit, oratione verò non sit, quod hominibus magis est proprium, quàm vsus corporis.*

13 DEscendit demũ Aristoteles ad proponendas Rhotoricæ vtilitates, & ad explicandum, quod sit eius opus. Rhetorica vtilis est ad multa. Primo vtilis est ad defendendas in iudicijs causas veras, & iustas. Explicatur. Licet causæ veræ, & iustæ sint ex sua natura meliores falsis, & iniustis, adhuc nisi conuenienter iudicia exerceantur, ac diligens veritati, ac iustitiæ patrocinium adhibeatur, necesse est, vt sæpè vincantur à falsis, & iniustis; sed dignum reprehensione est, si quis ex defectu Rhetoricæ, quamuis habeat pro sua causa iustitiam, & veritatem, adhuc sinat se in iudicijs vinci; ergo Rhetorica vtilis est ad afferendum præsidium iustitiæ, ac veritati, cum in iudicijs periclitantur.

14 Secundo vtilis est Rhetorica ad quædam hominibus vulgaribus persuadenda. Explicatur. Licet habeamus exactissimam scientiam, adhuc vt dictum est etiam in procem. Top. in congressibus, quos habemus cum hominibus vulgaribus non est facile, vt per rationes scientificas persuadeamus id, quod debemus persuadere, cum rationes, ac sermones scientifici non possint intelligi nisi ab ijs, qui sunt disciplinis, ac doctrinis exculti; ergo vt hominibus vulgaribus persuadeamus quæ volumus, necesse est, vt vtamur probationibus, ac sermonibus ex quibusdam communibus, & ad captum populi accomodatis; sed Rhetorica docet rationem probandi quod volumus ex quibusdam communibus, & ad captum populi accommodatis; ergo &c.

15 Tertio sicut vtile est, vt possimus per syllogismos dialecticos concludere contraria, sic vtile est, vt possimus per Rhetorica Enthymemata suadere contraria, non quidem vt vtrumque contrariorum suadeamus (cum enim ex contrarijs alterum sit bonum, alterum malum, non debemus suadere mala, sed solum bona), sed vt nos non lateat modus, ac ratio suadendi contraria, & vt altero vtente hac arte ad persuadendum aliquid iniustum, possimus eius rationes soluere; sed nulla ars, præter rhetoricam, & dialecticam syllogizant contraria, ideoque hæ duæ tantum sunt facultates contrariorum; ergo rhetorica etiam ex hoc capite est vtilis. Addit tamen Aristoteles, quod licet rhetorica, & dialectica sint facultates syllogizandi, ac persuadendi contraria nihilominus contraria ex natura sua non sunt æquè syllogizabilia, ac persuasibilia, sed vera ex natura sua sunt simpliciter magis syllogizabilia falsis, meliora sunt magis persuasibilia deterioribus.

16 Quarto magis est propria hominis oratio, quam vires corporis; sed turpe est, quod homo non possit sibi opitulari per vires corporis; ergo absurdum est, vt non sit turpius, quod homo non possit sibi opitulari per orationem; ergo vtilis est rhetorica, per quam habemus facultatem nobis ipsis per orationem opitulandi.

17 *Sed quod magna inferat incommoda, qui vi hac orationis iniuste vtitur, id certè omnium bonorum, præterquam virtutis, & maximè præstantissimorum, vt virium, sanitatis, diuitiarum, imperij commune est. Nam his omnibus maximè quispiam proderit, cum iuste vtatur, & lædet, cum iniuste.*

18 *Quòd igitur non sit vnius cuiusdam ac determinati generis rhetorica, sed sicut dialectica, & quòd vtilis, expositum est: quòdque opus eius non est persuadere, sed posse, quæ in singulis credibilia sunt perspicere, veluti etiam in cæteris artibus vniuersis. Nec enim medicinæ est sanitatem inducere, sed quoad vsque possibile sit, ad hoc vsque perducere, cùm possibile sit etiam eos, qui nullo possunt pacto sanari, bene tamen curare. Præterea, quòd eiusdem sit, tam quod credibile est, quàm quod credibile videtur, perspicere, vt dialecti-*

lecticæ tam syllogismum, quàm apparentem syllogismum. Cauillator enim non viribus, sed electione: hic verò tam scientia, quàm electione orator erit: ibi electione quidem cauillator, dialecticus autem non electione, sed viribus. Sed iam de ratione ipsa dicendi conabimur exponere, quo pacto, & ex quibus propositum assequi poterimus. Rursus igitur, ceu ab initio definientes ipsam quid sit, reliqua dicamus.

17 Opponunt aliqui contra Rhetoricæ vtilitatem, quia si aliquis malè, & iniustè vtatur hac facultate ad persuadendas res malas, & iniustas, magna afferet damna; ergo &c. Respondet Aristoteles omnibus bonis, excepta virtute, commune esse, vt possimus ipsis malè vti, & si malè vtamur maxima damna afferamus: imo quo bona sunt vtiliora, eo maiora illis malè vtendo possimus mala facere: ex. gr. sicut bene vtendo robore, sanitate, diuitijs, arte imperatoria possumus afferre reipublicæ maxima emolumenta, sic malè ijsdem vtendo, possumus eidem afferre maxima detrimenta; ergo sicut ex eo, quod malè vtendo robore, sanitate, diuitijs, arte imperatoria &c. possimus afferre maxima damna, non probatur horum inutilitas, sic neque simili argumento probatur inutilitas Rhetoricæ.

18 Concludit Aristoteles epilogando dicta, proponendo dicenda, & quædam, quæ ex dictis sequuntur, inferendo. Primo ex dictis patet, quod Rhetorica non versatur circa vllum genus determinatum, sed vagatur per omnia rerum genera, sicut dialectica. Secundo patet rhetoricam esse vtilem. Tertio potest ex dictis inferri, quod opus rhetoricæ non est persuadere, sed videre, & afferre quæ in singulis, de quibus agitur, sunt apta ad persuadendum. Probatur autem hoc exemplis aliarum artium: medicinæ enim opus non est sanare ægrotum, sed facere omnia, quæ possunt fieri ad illum sanandum, ideoque potest medicus bene curare, ac suum opus efficere, etiam circa ægrotum insanabilem; ergo proportionaliter rhetoricæ opus non est persuadere, sed afferre omnia, quæ sint apta ad persuadendum. Quarto potest inferri, quod sicut eadem dialectica contemplatur non solum syllogismum verum, sed etiam apparentem, sic rhetorica contemplatur non solum quæ sunt apta ad persuadendum, sed etiam quæ videntur apta. Adhuc tamen aliqua quoad hoc est differentia inter dialecticum, & rhetorem. Dialectici enim munus est solum cognoscere syllogismum dialecticum, vti verò syllogismo dialectico non est munus dialectici, sed sophistæ, ideoque dialecticus dicitur solum qui habet scientiam syllogismi apparentis, non autem qui eo vtitur. At verò rhetor dicitur non solum qui habet scientiam eorum, quæ videntur apta ad persuadendum, sed etiam qui ijs vtitur, ideoque dicitur tum secundum scientiam, tum secundum prælectionem. Hæc cum circa rhetoricam fuerint explicata, superest vt rhetoricam artem tradere incipiamus, & vt explicemus, qua ratione possimus consequi finem huic arti propositum. Primo ergo debemus explicare, quid sit rhetorica: deinde debemus persequi cætera.

Quid sit rhetorica. Capitis II. Articulus I.

1 *SIt ergo rhetorica, vis, quæ quod in vnaquaque re probabile est, perspicitur. Nullius enim alterius artis id officium est. Nam singulæ artes circa id, quod eis subiectum est, doctrinales, persuadentesque sunt: veluti medicina circa id, quod sanari, ægrotareque possit: geometrica circa passiones, quæ magnitudinibus accidunt: arithmetica circa numerum: & similiter reliquæ artes, & scientiæ. Rhetorica verò, quæ de re data, vt ita dicam, credibilia sunt, perspicere posse videtur. Quocirca etiam dicimus non in genere quodam determinato hanc artem versari.*

1 PRæmisso procemio, incipit Aristoteles rhetoricam tradere, ac primo illā definit. Rhetorica igitur *est facultas in vnaquaque re videndi, quid sit aptum ad faciendam fidem eius rei, illamque persuadendam*. Hæc definitio explicat genus, per quod rethorica conuenit cum cæteris facultatibus, ac differentiam, per quam differt. Conuenit in hoc, quod est quædam facultas; differt in hoc, quod cæteræ facultates versantur circa aliquam materiam particularem, rhetorica vagatur per omnes materias, & per omnia genera rerum. Ex-

Explicatur: medicina docet, & persuadet solum ea, quæ spectant ad corpus sanum, vel ægrotum: geometria docet, & persuadet passiones, & proprietates magnitudinum: arithmetica docet, & persuadet ea, quæ spectant ad numeros, & eorum proprietates, idemque dic de cæteris artibus, ac scientijs: at rhetorica debet videre, quid sit aptum ad faciendam fidem, & persuasionem de quolibet dato, ideoque dicimus hanc artem non versari circa vllum determinatum genus, sed vagari per omnia genera. Licet tamen rhetorica vagetur per omnia genera, tamen circa illa non considerat, quæ sunt propria talium generum, adeoque intelliguntur à solis professoribus particularium disciplinarum, sed quæ sunt communia, & quodammodo intelliguntur ab omnibuus, vt dictum est cap. primo num. 11.

Proponitur diuisio persuasionum, hoc est eorum, quæ sunt apta ad faciendam fidem. Cap. II. Art. II.

2 *PErsuasionum verò aliæ sine arte, aliæ artificiosæ. Sine arte illas appello, quæ non à nobis excogitantur, sed cum extra sint, assumuntur, vt testes, cruciatus, scripta.*

3 *Artificiosa verò, quæ ratione, ac via à nobis excogitari possunt. Itaque ipsarum alijs vti oportet, alias inuenire. Harum igitur, quæ ratione parantur, persuasionum, genera sunt tria. Nam aliæ sunt in moribus eius, qui dicit: alia in auditore modo quodam afficiendo: alia in ratione ipsa, cùm demonstremus, aut demonstrare videamur. Propter mores igitur credunt, cùm sic dicitur oratio, vt fide dignus, qui dicit, videatur. Nam probis, & magis, & facilius de omnibus simpliciter credimus: in quibus verò certitudo non est, in ijs, quoniam diuersis agimur opinionibus, etiam omnino. Verum id etiam non quoniam præopinatus quis fueris talem quendam eum esse, qui dicit, sed vi orationis oportet euenire. Nam probitas dicentis, non, vt quidam eorum reliquerunt, qui artes scripserunt, nihil affert ad probandum, sed ferè, vt breui absoluam, præcipuam mores faciunt fidem. Propter seipsos autem auditores credunt, cùm oratione in affectum impelluntur. Non enim similiter iudicium reddimus cùm dolemus, & cùm lætamur, & cùm diligimus, & cùm odimus. Quæ de re sola, qui nunc artes scribunt, præcipere conantur. De quibus singulis explanabimus, cùm de affectibus dicemus. Rationibus autem in fidem auditores inducimus, cùm verum, aut verisimile ex probabilibus, quæ in vnoquoque sunt, esse demonstramus.*

PRoposita definitione rhetoricæ, agendum est de ijs, circa quæ rhetorica versatur; sed rheotorica cum sit facultas videndi, quid sit aptum ad faciendam fidem, præcipuè versatur circa ea, quæ sunt apta ad faciendam fidem; ergo agendum est de ijs, quæ sunt apta ad faciendam fidem, quæ vocantur ab Aristotele fides, ac possunt etiam vocari persuasiones. Primo igitur proponenda est diuisio eorum, quæ sunt apta ad faciendam fidem: secundo ostendendum est, quod vt rhetorica possit per hæc fidem facere, debet considerare quæ spectant ad syllogismos, ad virtutes, ac mores, & ad affectus, siue passiones, adeoque est affinis, & agnata dialecticæ, ac morali, seu politicæ, licet verè non sit scientia moralis, neque politica.

2 Quoad primum: quæ sunt apta ad faciendam fidem diuiduntur primo in artificialia, & inartificialia. Inartificialia sunt quæ non per artem inueniuntur, & parantur, sed præexistere debent ante omnem inuentionem artificiosam, cuiusmodi sunt testes, quæstiones syngraphæ, & alia huiusmodi. Artificialia sunt, quæ possumus per artificiosam methodum, ac nostro ingenio inuenire, & parare. Oportet igitur, vt orator persuasiones quidem inartificiales non inueniat, sed ijs dumtaxat vtatur, persuasiones autem artificiales etiam inueniat.

3 Artificialia, quæ sunt apta ad faciendam fidem, subdiuiduntur in tres species. Prima species complectitur ea, quæ habent vim persuadendi propter mores dicentis. Secnnda complectitur ea, quæ habent vim persuadendi propter dispositionem audientis. Tertia complectitur ea, quæ habent vim persuadendi propter ea, quæ dicuntur, eo quod propositum demonstrent, vel videantur demonstrare. Primo igitur oratio habet vim persuadendi

di propter mores loquentis. Cum enim magis, ac celerius credamus viris probis, quam improbis, præsertim in ijs, de quibus non habemus certitudinem, sed videntur dubia in vtramque partem, si orator in dicendo se virum probum, ac fide dignum exhibebit, facilius fidem obtinebit, non propter ea, quæ dicit, sed quia se talem exhibet. Non igitur sequimur opinionem eorum dicendi magistrorum, qui in sua arte tradunt probitatem dicentis nihil conferre ad persuadendum, sed existimamus mores dicentis maximam fere vim habere ad faciendam fidem. Secundo oratio habet vim persuadendi propter dispositionem auditorum. Cum enim diuersum iudicium de rebus feramus cum lætamur, ac cum tristamur, cum amamus, ac cum odimus, oratores per hoc, quod hos, aut illos affectus in auditoribus excitent, fidem faciunt. Hinc ortum est, vt sicut capite 1. num.9. dicebamus, ij qui hoc tempore rhetoricam docent, de nullo pene alio, quam de affectibus commouendis præcepta tradant, quæ præcepta nos etiam afferemus lib.2. in quo de affectibus agetur. Tertio demum Auditores fidem adhibent dictis propter ea, quæ dicuntur, cum orator ex ijs, quæ circa singula sunt credibilia, ostendit verum, aut verisimile esse id, quod dicit.

4 *Verum quoniam fides his fit, patet hæc tria esse capiunda: vt scilicet facultatem ratiocinandi habeamus: vt mores, ac virtutes consideremus: & tertium, vt de affectibus, quid vnusquisque sit, & quale quid, & ex quibus nascitur, & quo pacto. Itaque efficitur rhetoricam quasi propaginem esse dialecticæ, & eius negotij, quod circa mores est: quod cum de affectibus sit, æquum est, vt ciuile appelletur. Quapropter & rhetorica ipsa sub ciuilis figura conditur, & qui eam adepti sunt, vel ignorantia, vel arrogantia, vel alijs causis, quibus homines perturbantur, ipsius quoque ciuilis potestatem consecutos se arbitrantur. Particula enim dialecticæ quædam est, ac simulacbrum, vt principio diximus. Neutra enim earum de re determinata quomodo se habeat scientia est, sed facultates quædam sunt inueniendarum rationum. De ipsarum igitur vi, & quo pacto altera se ad alteram habeat, satis ferè dictum est.*

4 Quoad secundum: rhetorica ex dictis est facultas videndi, quæ conducunt ad faciendam fidem; sed ad fidem faciendam conducunt tum rationes, quæ afferuntur, tum mores, quos orator exhibet, tum affectus, ad quos auditorem mouet; ergo rhetorica debet circa hæc versari, ac debet primo habere facultatem syllogizandi: secundo debet posse considerare, quæ spectant ad mores, & virtutes: tertio debet posse considerare, quæ spectant ad affectus, ac passiones, ac debet scire quid, & qualis sit vnusquisque affectuum, & ex quibus, ac quomodo excitentur; sed contemplatio syllogismorum principaliter spectat ad dialecticam, contemplatio morum, virtutum, & affectuum spectat ad moralem, quæ merito vocatur politica; ergo rhetorica in quantum considerat syllogismos, est quoddam quasi germen dialecticæ, seu logicæ, in quantum considerat mores, virtutes, atque affectus est quoddam quasi germen politicæ. Hinc ortum est, vt rhetorica sumat habitum politicæ, & vt qui rhetoricam profitentur, partim propter ignorantiam, partim propter arrogantiam, & alias humanas causas, iactent se esse politicos, licet verè rhetorica non sit politica, neque moralis. Ratio, cur rhetorica licet consideret affectus, virtutes, ac mores, adhuc non sit politica, neque moralis, est, quia politica, & moralis sunt scientiæ de moribus, considerantes ea, quæ ad mores spectant ex proprijs principijs, & causis; sed rhetorica vt dictum est capite primo num.2. est quædam pars, & similitudo dialecticæ, adeoque rhetorica, sicut etiam dialectica, licet omnia considerent, nullius rei sunt scientiæ, cum considerent res solum secundum quædam communia, & verisimilia, quæ quodammodo nota sunt omnibus; ergo rhetorica non est moralis, neque politica. Rhetorica igitur, ac dialectica non sunt scientiæ, sed sunt quædam facultates conficiendi rationes de rebus in vtramque partem, circa quas facultates, & quomodo se habeant ad inuicem, dictum est ferè sufficienter.

De probationibus rhetoricis, enthymemate nimirum, atque exemplo,& eorum ab inuicem differentia. Cap. II. Art. III.

5 *EOrum autem, quibus probámus, vt & in dialecticis, aliud inductio est aliud syllogismus. Nam enthymema quidem syllogismum rhetoricum, exemplum verò rhetoricam inductionem appello. Omnes autem fidem faciunt demonstrando, vel exempla dicendo, vel enthymemata. & præter hæc penè nihil. Quare si omnino necesse est syllogismo, vel inductione quodcunque ostendere, vt à nobis in Resolutiuis expositum est, necessario alterum ipsorum alteri idem erit.*

6 *Quid autem inter enthymema, & exemplum intersit, ex Topicis patet. Nam ibidem de syllogismo, & inductione dictum est prius: quia si in multis, ac similibus sic se habere ostendas, ibi quidem inductio, hic autem exemplum est. Sin verò cùm quædam sint, aliud quid horum causa eueniat propter hæc, quoniam hæc sunt, aut vt vniuersaliter, aut vt plurimum, ibi quidem syllogismus, hic autem enthymema vocatur. Nec latet, quod vtrumque rhetoricæ genus laudatur. Nam vt & in methodicis dictum est, ita & in his se habet. Vt enim orationum quædam sunt exemplares, quædam enthymematicæ: sic oratorum quoque alij exemplares, alij enthymematici. Neque minus credibilis oratio est, quæ per exempla est: turbatur autem magis enthymematica. Cuius rei causam, & quo pacto vtendum vtraque sit, postea dicemus. Nunc vero de his ipsis explanatius determinabimus.*

POstquam Aristoteles distinxit tria, quibus possumus fidem facere, agit de singulis in particulari; & quia primum, ac principalem locum in fide facienda habent probationes, ideo primo agit de probationibus, atque hoc libro tradit artem omissam ab antiquis, ostendendi quod propositum est: libro verò secundo tradit artem excitandi in auditoribus affectus, ac mores fide dignos exhibendi.

5 Ex dictis in dialectica duo sunt, per quæ possumus verè ostendere id, quod est propositum, syllogismus nimirum, & inductio; ac duo sunt etiam, per quæ possumus apparenter ostendere, syllogismus nimirum apparens, & inductio apparens. Licet enim ad rem probandam aliquando vtamur etiam exemplo, & enthymemate, tamen exemplum est quædam inductio, & enthymema est quidam syllogismus, ideoque possumus enthymema comprehendere sub genere vniuersali syllogismi, illudque vocare syllogismum rhetoricum, exemplum sub genere vniuersali inductionis, illudque vocare inductionem rhetoricam. Quod autem enthymema rhetoricum reducatur ad syllogismum, exemplum rhetoricum reducatur ad inductionem, probatur, quia vt dictum est in analyticis, necesse est, vt quicunque quodcunque demonstrent, vel syllogismo,vel inductione; sed rhetores fidem demonstrando faciunt afferendo, vel enthymemata,vel exempla, nec habent alium modum probandi propositum; ergo necesse est, vt enthymema, & exemplum coincidant cum syllogismo, & inductione, adeoque quod enthymema sit quædam species syllogismi, exemplum sit quædam species inductionis.

6 Differentia inter enthymema, & exemplum patere potest ex differentia in Topicis assignata inter syllogismum, & inductionem. Ex doctrina igitur in Topicis tradita, cum ex eo, quod in multis, atque similibus sic se habet, ostenditur, quod etiam in casu præsenti sic se habet, in dialecticis quidem est inductio, in rhetorica exemplum: cum verò ex quibusdam positis, alterum quid accidit propter hæc, eo quod hæc sunt, vel vniuersaliter, vel vt plurimum, in dialecticis quidem vocatur syllogismus, in rhetoricis enthymema. Sicut autem in libris methodicis diximus, quod tum syllogismi, tum inductiones suam specialem bonitatem, & vtilitatem habent ad probandum, sic nunc dicimus, quod tum enthymemata, tum exempla suam habent bonitatem, & vtilitatem ad persuadendum. Hinc est, vt aliqui rhetores magis approbent exempla, adeoque vtantur exemplaribus orationibus, alij magis approbent enthymemata, & vtantur orationibus enthymematicis. Et licet orationes exemplares non minus persuadeant, quam enthymematicæ, adhuc orationes enthymematicæ magis auditores com-

commouent, & conturbant, ac quodammodo per vim ad credendum trahunt. Sed hæc inferius sunt magis explicanda, vbi afferenda est causa, cur orationes enthymematicæ magis auditores conturbent, & explicandum, quo pacto tum exemplis, tum enthymematibus debeamus vti: nunc verò his relictis, breuiter, quæ dicta sunt, magis explicare debemus.

Ex quibus propositionibus, ac principijs fiant, & circa quas conclusiones, ac quæstiones versentur enthymemata, & exempla rhetorica. Cap. II. Articulus IV.

7 *Nam cum credibile, cuidam credibile sit, & aliud quidem per seipsum illico sit credibile, atque probabile, aliud quoniam probari per talia videatur.*

8 ** Cùmque ars nulla consideret singularia, vt medicina quid Socrati aut Calliæ salubre sit, sed quid tali, vel talibus: id enim artificiosum est: singularia autem infinita sunt, & scientia nequeunt contineri: nec rhetorica vtique quod cuique credibile est considerabit, vt puta quid Socrati, aut Hippiæ, sed quid talibus, veluti & dialectica. Vtitur enim & ipsa syllogismo, non ex quibuscunque, cùm deliris quoque nonnulla videantur, sed dialectica ex ijs, quæ illis videntur, quibus cum sit disputatio, rhetorica ex ijs, quæ illis videntur, qui hæc in consilio quærere consueuerunt.*

Explicata differentia inter enthymema, & exemplum, debemus explicare, ex quibus propositionibus, ac principijs fiant, & circa quas conclusiones, ac quæstiones versentur.

7 Dicendum igitur primo, quod enthymemata, & exempla Rhetorica versantur circa conclusiones persuasibiles, ac procedunt ex principijs persuasibilibus. Ratio est, quia rhetoricæ finis est persuadere; sed solæ conclusiones persuabiles possunt persuaderi, ac persuaderi possunt solum ex principijs persuasibilibus; ergo enthymemata, & exempla versantur circa conclusiones persuasibiles, & procedunt ex principijs persuasibilibus. Quia verò illud solum est persuasibile vt principium, quod est credibile per se, illud est persuasibile vt conclusio, quod potest ostendi per propositiones per se credibiles, ideo enthymemata, & exempla rhetorica procedunt ex principijs per se credibilibus, versantur verò circa conclusiones, quæ possunt ostendi per propositiones per se credibiles.

8 Dicendum secundo, quod rhetorica in suis enthymematibus, atque exemplis procedit ex propositionibus, ac principijs per se credibilibus, non quidem huic, vel illi homini singulari, sed illi hominum generi, qui in consilijs, iudicijs, ac concionibus versantur. Ratio est, quia nulla ars considerat singularia, quia cum hæc sint infinita non sunt scibilia, neque possunt cadere sub artem: ex. gr. medicina non considerat, quid sit salubre Socrati, vel Calliæ, sed quid sit salubre hominibus hoc pacto affectis, puta cholericis, ac melancholicis; ergo neque rhetorica considerat quid sit persuasibile huic, vel illi singulari, Socrati, vel Hippiæ, sed quid sit persuasibile certis hominum generibus, nobilibus nimirum, aut ignobilibus, diuitibus, aut pauperibus, iuuenibus, aut senibus &c. Sicut igitur dialectica syllogizat ex ijs, quæ videntur probabilia, non quibuscunque (nam quædam videntur probabilia etiam fatuis) sed quæ videntur probabilia ijs, cum quibus agit, hoc est disputantibus, sic rhetorica enthymemata facit ex ijs, quæ videntur credibilia hominibus versantibus in iudicijs, in consilijs, atque in concionibus, siquidem cum talibus plerunque agit orator.

9 *Huius enim officium de ijs est, de quibus consultamus, & artem non habemus, & apud huiusmodi auditores, qui nequeant per plura intelligere, nec ex remotis ratiocinari. Consultamus autem de ijs, quæ videntur vtroque posse pacto fieri. Nam de ijs, quæ aliter fieri, aut fore, aut se habere non possunt, nemo velit sic existimare, cùm non aliter, quàm sic, consultari possit. Est autem possibile ratiocinari, atque colligere, alia quidem ex ijs, quæ prius syllogismo collecta sunt, alia verò ex ijs, quæ syllogismo quidem collecta non sunt, syllogismo autem indigent, eò quod non sint probabilia: quorum necessario quædam huiusmodi sunt, vt ea iudex propter proli-*

xitatem (simplex enim esse supponitur) non bene consequatur: quædam non credibilia, quoniam nec sunt ex concessis, nec ex probabilibus. Quare necesse est tam enthymema, quàm exemplum de ijs esse, quæ vt plurimum aliter quoque possunt se habere: exemplum quidem, inductionem: enthymema verò, syllogismum. & ex paucis, ac sæpe paucioribus, quàm ea sunt, ex quibus constat primus syllogismus. Nam si quid eorum perspicuum est, id dicendum non est. Ipse nanque auditor id ex seipso affert: vt Lacedæmonius eo certamine vicit, quo coronam meruit, sufficit dicere Olympia: quod autem qui Olympia vincit, coronetur, non est opus apponere, cum qui id ignoret, sit nemo. Verum quoniam pauca eorum, ex quibus rhetorici constant syllogismi, necessaria sunt, cùm plurima, de quibus iudicia & deliberationes sunt, aliter quoque possint se habere: quæ nanque agunt, de ijs consulunt, atque deliberant, quorum nihil, vt vno verbo dicam, necessarium est: ea vero, quæ vt plurimum accidunt, quæque possibilia sunt, necesse est, vt ex alijs huiusmodi per syllogismum comprobentur, necessaria quoque ex necessarijs, quod in Resolutiuis aperte a nobis explanatum est: patet ea, ex quibus ea enthymemata fiunt, quædam fore necessaria, plurima vero huiusmodi, vt ferè semper soleant fieri.

9 Dicendum tertio: rhetorica vt plurimum versatur circa contingentia, hoc est quæ plerunque ita se habent, sed possunt aliter se habere, ac suas conclusiones concludit ex paucis, atque vt plurimum ex principijs, quæ non necessario, sed plerunque ita se habent, at possunt aliter se habere. Quod rhetorica vt plurimũ versetur circa contingentia, probatur, quia rhetorica versatur circa ea, de quibus consultamus, ac circa quæ per certam artem non possumus determinare; sed consultamus solum de his, quæ possunt aliter se habere, de ijs verò, quæ aliter aut fieri, aut fore, aut esse, & se habere non possunt, consultat nemo, qui existimet illa non posse aliter se habere; ergo rhetorica versatur circa contingentia, quæ plerumque sic se habent, sed possunt etiam aliter se habere. Quod rhetorica concludat ex paucis, probatur, quia rhetorica persuadere conatur auditoribus, qui non possunt videre, quo pacto conclusio sequatur ex multis, ac longa ratiocinatione illatis; siquidem qui iudicijs, consilijs, ac concionibus intersunt, solent esse simplices, & ineruditi; sed ad persuadendum talibus, concludendum est ex paucis; ergo rhetorica concludit ex paucis. Cum igitur possimus conclusiones inferre vel ex propositionibus non per se credibilibus, sed probatis per alios syllogismos, vel ex propositionibus non per se credibilibus, neque syllogizatis per alios syllogismos, vel ex propositionibus per se credibilibus; enthymemata rhetorica neque debent fieri ex propositionibus per se non credibilibus, ac non syllogizatis alio syllogismo, quia tales propositiones, vtpote neque per se credibiles, neque probatæ per alias propositiones, sunt ineptæ ad conclusionem persuadendam; neque debent fieri ex propositionibus probatis per alios syllogismos, quia tales ratiocinationes propter longitudinem non sunt accommodatæ intelligentiæ iudicum, qui supponuntur esse ineruditi; sed debent fieri ex propositionibus per se credibilibus, adeoque ex paucis. Addit Aristoteles, quod sæpe enthymemata rhetorica debent fieri ex paucioribus, quam primus syllogismus; sed primus, & immediatus syllogismus constat ex duabus tantum præmissis; ergo sæpe enthymemata rhetorica debent habere vnam tantum præmissam, omittendo nimirum alteram præmissam, quam vtpote omnibus notam auditores subintelligunt: ex. gr. ad concludendum, quod Doricus vicerit certamen, in quo victores coronabantur, sufficit sic arguere: *Doricus vicit Olympia; ergo vicit certamen, in quo victores coronabantur*; alteram verò præmissam, quod nimirum in *Olympijs victores coronabantur*, debemus omittere, quia vtpote omnibus notam, auditores subintelligunt. Quod demum rhetorica vt plurimum concludat conclusiones ex principijs non necessario, sed plerumque sic se habentibus, probatur: nam vt dictum est in analyticis, conclusiones necessariæ syllogizantur, & inferuntur ex præmissis necessarijs; conclusiones contingentes, ac plerumque sic se habentes, inferuntur ex principijs contingentibus, ac plerumque sic se habentibus; sed rhetorica vt plurimum concludit conclusiones contingentes; ergo &c. Minor & iam probata est, & iterum confirmatur: nam rhetorica syllogizat de ijs, de qui-

quibus deliberantes, ac iudicantes conſultant; ſed iudicantes, ac deliberantes conſultant de agibilibus, nullum autem agibile eſt neceſſarium, ſed omnia ſunt contingentia; ergo rhetorica vt plurimum concludit concluſiones contingentes, adeoque ex principijs, quæ licet plerumque ſic ſe habeant, adhuc poſſunt aliter ſe habere; raro autem ſyllogizat de neceſſarijs, atque ex neceſſarijs.

De veriſimilibus, ac ſignis, ex quibus fiunt enthymemata. Cap. II. Art. V.

10 *Fiunt autem enthymemata ex probabilibus, & ſignis: quare horum alterum alteri idem eſſe neceſſe eſt.*

11 *Probabile nanque eſt, quod ferè ſemper ſolet fieri, verum non ſimpliciter, vt quidam definiunt, ſed quod, cum de ijs ſit qua aliter ſe poſſunt habere, ſic ſe habet ad illud, ad quod eſt probabile, ſicut vniuerſale ad particulare.*

12 *Signorum autem, aliud ita ſe habet, vt ſingulare quiddam ad vniuerſale, aliud eſt vniuerſale quiddam ad particulare. Horum quoddam neceſſarium eſt argumentum: quod autem non neceſſarium, id ſecundum hanc differentiam innominatum eſt. Neceſſaria vero appello, ex quibus ſyllogiſmus conſtituitur. Quocirca & argumentum dicitur. Nam cùm non poſſint ſoluere quod dictum eſt, tunc putant argumentum eſſe allatum, quaſi demonſtratum ſit, atque concluſum. Signum enim, & concluſio idem eſt ſecundum veterem linguam.*

3 *Signum igitur, quod eſt tanquam ſingulare ad vniuerſale, huiuſmodi eſt, vt ſi quis ſignum diceret eſſe omnes ſapientes iuſtos eſſe, quoniam Socrates cum eſſet ſapiens, iuſtus erat. Id igitur ſignum eſt, quod ſoluitur, etiam ſi verum ſit. Non enim poteſt ſyllogiſmo colligi. Sin autem dixerit quempiam ægrotare, quoniam febricitet, aut peperiſſe, quoniam lac habeat, id iam neceſſarium, & ſolum ex ſignis argumentum eſt, cùm ſolum, ſi verum eſt, inſolubile ſit. Quod vero, quaſi vniuerſale ſe habet ad particulare, huiuſmodi eſt, vt ſi quis febricitare hominem dicat, & eius ſignum eſſe, quòd crebro reſpiret. Solubile autem & hoc eſt, etiam ſi verum ſit. Poſſibile nanque eſt etiam ſi febre non agitetur, crebro tamen anhelare. Quid igitur probabile, quid ſignum, quid argumentum ſit, quidque inter ſe differant, & nunc dictum eſt, & in Reſolutiuis de ijs, & quemadmodum alia eorum ſyllogiſmo colligantur, alia non, explanatius demonſtratum eſt.*

10 Dictum eſt num. 9. huius cap. enthymemata rhetorica ſæpe fieri ex ijs, quæ plerumque contingunt, aliquando fieri ex neceſſarijs; ſed communiter dicitur, quod enthymemata fiunt ex veriſimilibus, ac ſignis, vt etiam dictum eſt lib. 2. priorum cap. 33; ergo veriſimilia, ac ſigna debent coincidere cum ijs, quæ plerumque contingunt, & cum neceſſarijs, itaut veriſimilia reducantur ad ea, quæ plerumque contingunt, ſigna verò ad propoſitiones neceſſarias. Hæc vt magis pateant, agendum eſt de veriſimilibus, ac ſignis, atque explicandum, quo pacto enthymemata ex veriſimilibus fiant ex plerumque contingentibus, enthymemata ex ſignis fiant, ex neceſſarijs; diſtinguendæ ſunt etiam variæ ſpecies ſignorum, atque enthymematum ex ſignis conſtantium.

11 Veriſimile, ſeu probabile eſt, *quod vt plurimum fit, & eſt ex contingentibus, quæ poſſunt aliter ſe habere, & ita ſe habet ad id, quod ex illo infertur, ſicut vniuerſale ad particulare.* Non ergo, vt quidam exiſtimant, ſufficit ad veriſimile, ex quo ducitur enthymema rhetoricum, quod vt plurimum fiat, ſed requiritur præterea, vt ſit ex contingentibus, ac vt ita ſe habeat ad id, quod ex ipſo infertur, vt vniuerſale ad particulare: ex gr. quod *adoleſcentes vt plurimum procliues ſint ad libidinem* eſt veriſimile, ex quo probabiliter infertur hunc etiam adoleſcentem procliuem eſſe ad libidinem, ſiquidem & vt plurimum fit, & eſt ex contingentibus, & hoc, quod eſt, *adoleſcentes procliues eſſe ad libidinem*, ſe habet ad hoc, quod eſt *hunc adoleſcentem procliuem eſſe ad libidinem*, ſicut vniuerſale ad ſingulare.

12 Signorum, atque etiam enthymematum conſtantium ex ſignis, plura ſunt genera, quæ poſſunt explicari per duas diuiſiones. Prima diuiſio eſt: ſignorum aliqua ſe habent ad id, quod ex ipſis infer-

fertur, ſicut ſingulare ad vniuerſale: alia ſe habent ſicut vniuerſale ad ſingulare. Secunda diuiſio eſt: ſignorum aliqua ſunt neceſſaria, itaut ſi ipſa ſint, non poſſit non eſſe id, cuius ſunt ſigna, & hæc vocantur tecmyria: alia ſunt non neceſſariá, itaut etiamſi ipſa ſint, adhuc poſſit non eſſe id, cuius ſunt ſigna, & hæc carent nomine proprio, ac eorum differentiam ſignificante. Signa neceſſaria ſunt, ex quibus fit ſyllogiſmus neceſſario concludens, ideoque *tecmyrion* eſt ſyllogiſmus concluſionem neceſſario inferens ex ſigno neceſſario. Probatur hoc, quia arguentes cum ad aliquid probandum attulerunt ſignum inſolubile, tum putant ſe attuliſſe *tecmyrion*, quaſi per illud demonſtrarint rem, ac ratiocinationem abſoluerint, ſiquidem juxta antiquam linguam græcam *tecmar*, idem ſignificat, ac finem, adeoque *tecmyrion* idem eſt, ac ratiocinatio abſoluta.

13 Hæc omnia exemplis patebunt. Primo ergo exemplum ſignorum non neceſſariorum, quæque ſe habent ad id, quod ex ipſis infertur, ſicut ſingulare ad vniuerſale eſt, ſi quis ad probandum hoc vniuerſale, quod *ſapientes ſint iuſti*, afferat in ſignum hoc ſingulare, *quod Socrates fuit ſapiens, & iuſtus*. Hoc argumentum eſt ſolubile. Neque enim ex eo, quod Socrates fuerit ſapiens, & iuſtus, poteſt ſyllogiſticè inferri, quod ſapientes ſint iuſti. Secundo exempla ſignorum neceſſariorum, quæque ſe habent ad id, quod ex ipſis infertur, vt vniuerſale ad particulare, ſunt, ſi quis probet aliquem ægrotare ex eo, quod febri laboret, vel aliquam mulierem peperiſſe ex eo, quod lac habeat. Hæc ſola ſigna ſunt tecmyria, quia ſunt inſolubilia. Cum enim omnis febri laborans ægrotet, & omnis mulier lac habens pepererit; ex eo, quod aliquis febri laboret, ſyllogiſticè, atque in prima figura ſequitur, quod ægrotet; & ex eo, quod aliqua mulier lac habeat, ſyllogiſticè, atque in prima figura ſequitur, quod pepererit. Tertio exemplum ſignorum non neceſſariorum, quæque ſe habent ad id, quod infertur, ſicut vniuerſale ad particulare eſt, ſi quis probet aliquem febri laborare ex eo, quod frequenter reſpiret. Hoc argumentum eſt ſolubile. Poſſibile enim eſt, vt etiamſi quis febri non laboret, adhuc frequenter reſpiret ex alia cauſa, ideoque hoc argumentum: *omnis febri laborans frequenter reſpirat; hic frequenter reſpirat; ergo febri laborat*, non concludit, cum ſit in ſecunda figura ex puris affirmatiuis. Concludit Ariſtoteles ſatis eſſe nunc explicatum, quid ſit veriſimile, quid ſignum, ac quomodo differant ad inuicem: lib. verò 2. prior. capite 33. & 34. diligentius actum fuiſſe de his, vbi etiam allata fuit cauſa propter quam ex aliquibus ſignis poſſit fieri ſyllogiſmus neceſſario concludens, ex alijs non poſſit.

De exemplo. Cap. II. Art. VI.

14 *EXemplum autem quid ſit, & quid inductio ſit, & in quibus verſetur inductio, dictum eſt. Eſt enim neque vt pars ad totum, neque vt totum ad partem, neque vt totum ad totum, ſed vt pars ad partem, ſimile ad ſimile, quando vtraque ſub eodem genere ſunt, ſed alterum altero magis perſpicuum, hoc pacto. Per inſidias Dionyſius ad tyrannidem præſidium petit. Nam & Piſiſtratus ad tyrannidem per inſidias petijt præſidium, quod cum impetraſſet, tyrannide ciuitatem oppreſſit: & Theagenes in Megaris: alij etiam, quos id feciſſe ſciunt, omnes exemplum Dionyſij fiunt, quem nondum ſciunt idcirco petere. Quæ omnia ſub eodem ſunt vniuerſali: qui præſidium petit, inſidioſe tyrannidem affectat. Ex quibus ergo ſint, quæ demonſtratiuam fidem facere videantur, dictum eſt.*

14 DE exemplo iam egimus nu. 5. Solum igitur eſt addendum, quod exemplum reſpectu eius, quod infertur, neque ſe habet vt particulare ad vniuerſale, neque vt vniuerſale ad particulare, neque vt vniuerſale ad aliud vniuerſale, ſed ſe habet vt vnum particulare ad aliud particulare, & vt vnum ſimile ad aliud ſimile, quando vtrumque eſt ſub eodem genere, ſed alterum eſt notius altero. Ex. gr. ſi quis Dionyſio petente cuſtodiam, ad oſtendendum, quod affectabat tyrannidem, ſic fuiſſet argumentatus: Piſiſtratus tyrannidem affectans cuſtodiam petijt, & accepta cuſtodia tyrannidem occupauit: Theagenes Megaris cuſtodiam petijt, eaque accepta tyrannidem occupauit: idemque alij fecerunt; ergo & ſ vſus fuiſſet alijs particularibus ſimilibus, ac magis notis ad probandum hoc particulare.

cultate simile, ac minus notum, quod Dionysius custodiam petens tyrannidem affectat, quæ omnia similia sunt sub eodem genere, nimirum sub hoc, quod *qui custodiam petit tyrannidem affectat*. De exemplo actum est fusius lib. 2. prior. cap. 30. Hæc igitur de enthymemate, atque exemplo, per quæ facimus probationes, quibus videmur rem demonstrare, dicta sufficiant.

De differentia enthymematum rhetoricorum ab enthymematibus aliarum artium proprijs. Cap. II. Art. VII.

15 *INter enthymemata vero non mediocris illa est differentia, maximèque omnibus penè ignota, quæ est etiam in dialectica syllogismorum via, & ratione. Nam quædam eorum secundum rhetoricam sunt, vt & syllogismorum secundum dialecticam viam, ac rationem; quædam secundum alias artes, atque facultates, quarum aliæ sunt, aliæ nondum comprehensa sunt. Quapropter auditores quoque latent, magisque possunt aliquo modo tangentes commodius elabi.*

16 *Verum quod dicimus, apertius erit, si pluribus explanabitur. Voco igitur dialecticos, & rhetoricos syllogismos, eos, quorum locos dicimus. Hi autem sunt, qui communiter de iustis, physicis, ciuilibus, & de multis specie differentibus sunt: veluti maioris, & minoris locus. Non enim ex hoc magis ratiocinari, vel enthymema inferre poterimus de iustis, aut physicis, quàm de quocunque alio, quamuis hæc specie differant. Propria vero, quæcunque ex ijs sunt, quæ circa vnamquanque speciem, ac genus propositionum sunt. Sunt enim propositiones de physicis, ex quibus nec enthymema, nec syllogismus de moralibus est: & de his aliæ, ex quibus non erit syllogismus de physicis: eodemque modo de cæteris. Et illa quidem nullo in genere facient prudentem, cùm non sint circa subiectum vllum. Ex ijs vero, si diligentius quisquam propositiones deligat, faciet ignorans aliam, quàm dialecticam, ac rhetoricam scientiam. Nam si principia forte habebit, non amplius rhetorica, vel dialectica, sed illa erit, cuius principia possidebit. Enthymematum autem plura ex his generibus emanant, quæ particularium sunt, atque propriorum: ex communibus vero pauciora.*

POstquam Aristoteles egit de enthymemate, atque exemplo, traditurus magis in particulari loca, & propositiones, ex quibus fiunt enthymemata rhetorica, prius explicat discrimen enthymematum rhetoricorum ab enthymematibus aliarum artium proprijs.

15 Docet igitur, quod magna est in rhetorica differentia enthymematum, sicut in dialectica magna est differentia syllogismorum: hanc autem differentiam videntur ignoraſſe penè omnes rhetoricæ professores. Sicut enim ex syllogismis alij sunt proprij dialecticæ, alij sunt proprij aliarum artium, ac facultatum, quarum aliquæ iam sunt inuentæ, aliæ non sunt inuentæ; sic ex enthymematibus alij sunt proprij rhetoricæ, alij sunt proprij aliarum artium, & facultatum, puta arithmeticæ, geometriæ, medicinæ &c. Enthymemata rhetorica, sicut etiam syllogismi dialectici, quia procedunt ex communibus, quæ quodammodo nota sunt omnibus, facilè ab auditoribus intelliguntur: at enthymemata, ac syllogismi proprij aliarum artium, quia procedunt ex proprijs, quæque nota sunt solis professoribus specialium artium, non solent intelligi, ac si dialectici, vel oratores magis illis vtantur, quam par est, à suo instituto recedunt.

16 Sed magis est explicanda differentia enthymematum rhetoricorũ, ac syllogismorum dialecticorum, ab enthymematibus, & syllogismis aliarum artium proprijs. Enthymemata rhetorica, ac dialectici syllogismi sunt, qui fiunt ex propositionibus desumptis ex quibusdam locis communibus. Dicuntur autem loci communes, quia ex propositionibus talium locorum possunt fieri syllogismi, atque enthymemata de omnibus, etiam specie, ac genere differentibus. Ex. gr. loci à maiori ad minus, à minori ad maius, à pari, à simili &c. sunt communes, quia propositionibus ex talibus locis desumptis possumus vti ad faciendos syllogismos, atque enthymemata de iustis, de naturalibus, de ciuilibus, ac de alijs specie, ac genere differentibus. Enthymemata, ac syllogismi proprij aliarum artium sunt, qui

qui fiunt ex propositionibus proprijs generis subiecti talibus artibus, quibus proinde vti non possumus ad faciendos syllogismos, atque enthymemata circa alia genera: ex. gr. enthymemata physica sunt, quæ fiunt ex propositionibus proprijs rerum naturalium, ex quibus proinde non possunt fieri enthymemata de moralibus &c: enthymemata moralia sunt, quæ fiunt ex propositionibus proprijs rerum moralium, ex quibus proinde non possunt fieri enthymemata de rebus naturalibus &c. Syllogismi, atque enthymemata rhetorica, ac dialectica, quia non sunt ex proprijs vllius subiecti, non faciunt hominem in vllo genere prudentem, aut scientem, sed soli syllogismi, atque enthymemata ex proprijs faciunt prudentem, ac scientem in singulis generibus. Ex. gr. per hoc, quod quis agat de geometricis, aut physicis ex communibus, nunquam euadet geometra, vel physicus: at si de ijs disserat ex proprijs, tum euadet physicus, vel geometra. Si verò rhetor, aut dialecticus vtatur proprijs disciplinarum, quo meliores propositiones ex ipsis mutuabitur, eo magis recedet à rhetorica, ac dialectica, atque in eam scientiam, & facultatem ignorans incidet, cuius proprijs propositionibus, ac principijs vtetur.

17 *Quemadmodum ergo in Topicis, sic etiam hic enthymematum species, ac loci, ex quibus sumendum est, distribuendi sunt. Voco autem species proprias vniuscuiusque generis propositiones: locos vero, qui similiter omnium ex æquo communes sunt. Primum igitur de speciebus dicemus, si prius genera rhetoricæ cognouerimus: vt cùm distribuerimus quot sint, eorum elementa, propositionesque seorsum inuestigemus.*

17 Tum in rhetorica, tum in dialectica possunt distingui species, seu formæ, ac loci. Loci sunt, ex quibus desumuntur propositiones communes omnibus generibus quæstionum, ac rerum, circa quæ tales facultates versantur: ex. gr. ex locis dialecticis desumuntur propositiones tum ad quæstiones accidentis, tum ad quæstiones generis, tum ad quæstiones proprij, tum ad quæstiones definitionis. Species, ac formæ sunt, ex quibus desumuntur propositiones accommodatæ singulis generibus, puta in dialectica, aliquæ sunt formæ, ex quibus desumuntur propositiones ad quæstiones definitionis &c. Proportionaliter igitur in rhetorica dantur tum loci, ex quibus desumuntur propositiones ad conficienda enthymemata æquè in genere deliberatiuo, iudiciali, ac demonstratiuo, tum species, seu formæ, ex quibus desumuntur propositiones singulorum generum propriæ, hoc est vel propriæ generis deliberatiui, vel propriæ generis iudicialis &c. Multo autem plura sunt enthymemata, quæ fiunt ex formis vniuscuiusque generis proprijs, quam quæ fiunt ex locis communibus omnium generum. Sicut igitur in dialecticis proposuimus dialecticorum syllogismorum tum formas, tum locos, sic in rhetorica debemus proponere tum formas, tum locos enthymematum rhetoricorum: ac primo quidem debemus explicare formas; sed non possumus explicare formas generum proprias, nisi prius distinguamus genera, circa quæ rhetorica versatur; ergo debemus distinguere talia genera, ac deinde separatim assumere propositiones, quæ sunt elementa, ex quibus fiunt enthymemata circa vnumquodque genus.

De tribus rhetoricæ generibus, deliberatiuo nimirum, iudiciali, ac demonstratiuo; de eorum partibus, temporibus, ac finibus, ac de propositionibus, quæ circa ipsa debent sumi. Caput III.

1 *QVoniam igitur tria sunt auditorum genera, tria quoque numero rhetoricæ genera sunt. Nam cùm ex tribus oratio constituatur, ex eo, qui dicit, de quo dicit, & ad quem, id est auditorem, penes quem etiam finis est: quem necesse est, aut spectatorem esse, aut iudicem: & iudicem, aut præteritorum, aut futurorum: qui de futuris iudicat, senator: aut de præteritis, iudex: qui vero de facultate, spectator est. Quare necessario tria sunt dicendi genera: deliberatiuum, iudiciale, demonstratiuum.*

Ante-

ANtequam seorsim agamus de singulis dicendi generibus, debemus primo distinguere hæc genera: secundo debemus assignare eorum partes, tempora, ac fines: tertio debemus explicare, quæ nam propositiones circa ipsa sint sumendæ.

1 Quoad primum: tot sunt rhetoricæ species, seu genera dicendi, quot sunt genera auditorum, ad quos orator loquitur. Ratio est, quia cum oratio ex tribus fere constet, ex eo, qui dicit, ex eo, de quo dicit, & ex auditore, ad quem dicit, finis orationis est auditor, siquidem orator dicit gratia auditoris, ad hoc, vt illi persuadeat; sed oratio debet proportionari fini; ergo cum diuersis auditorum generibus vtendum est diuersis generibus orationum, adeoque tot sunt genera orationum, quot sunt genera auditorum; sed tria sunt genera auditorum, spectator nimirum deliberator, ac iudex; ergo tria sunt genera dicendi, demonstratiuum, deliberatiuum, ac iudiciale. Probatur, & explicatur assumptum: vel enim auditor audit tantum, vt audiat, ac contempletur cum delectatione tum ea, quæ dicuntur, tum facultatem dicentis; vel audit non solum vt audiat, sed vt decernat, ac iudicet: rursus si audit, vt decernat, ac iudicet, vel audit, vt decernat, ac iudicet de præteritis, quæ proponuntur vt facta, vel vt decernat, ac iudicet de futuris, quæ proponuntur vt facienda: si audit, vt decernat de futuris, quæ proponuntur vt facienda, est deliberator: si audit, vt iudicet de præteritis, quæ proponuntur vt facta, est iudex: si audit, vt merè audiat, & contempletur cum delectatione tum ea, quæ dicuntur, tum facultatem dicentis, est quodammodo orationis spectator; ergo tria sunt genera auditorum, deliberator, iudex & spectator; ergo tria sunt orationum genera, deliberatiuæ, iudiciales, ac demonstratiuæ.

2 *Est autem deliberatiuæ orationis, aliud suasio, aliud dissuasio. Nam semper & qui priuatim consulunt, & qui publice concionantur, horum alterum aggrediuntur. Iudicialis, aliud accusatio aliud defensio. Horum enim alterutrum occupant litigantes. Demonstratiuæ, aliud laus, aliud vituperatio.*

3 *Horum autem vnicuique tempus accommodatur. Consulenti, futurum: de futuris enim consulit, aut suadens, aut dissuadens. Litiganti, præteritum: nam de præteritis semper alius accusat, alius defendit. Demonstranti autem præcipue tempus præsens. Nam omnes, secundum ea, quæ præsentia sunt, laudant, aut vituperant: sed vtuntur etiam ad hæc plerunque præteritis, in memoriam illa reducentes, futura quoque de eis conijcientes.*

4 *Vnicuique etiam horum finis aliud est. Cùmque tres sint, fines etiam tres sunt. Consulenti vtile, aut contra. Nam qui suadet, quasi ad melius hortatur: qui autem dissuadet, quasi à peiore dehortatur. Cætera vero, aut iustum, aut iniustum, aut honestum, vel turpe ad hæc assumunt. Litiganti iustum & iniustum: cætera vero etiam hi ad hæc assumunt. Laudanti, & vituperanti honestum, & turpe: sed hi quoque ad hæc cætera referunt.*

5 *Quòd vero dictus vnicuique finis est, signo illud est, quòd de cæteris interdum quidam non ambigunt: vt puta qui causam dicit, quòd factum non sit, aut quòd non obfuerit, quandoque nullam facit quæstionem. Quòd vero iniuriatus fuerit, nunquam confitebitur. Non enim esset opus lite. Similiter etiam qui consulunt, cætera sæpe concedunt: quòd vero ad inutilia hortentur, aut ab vtilibus dehortentur, nunquam concedent. Sed vtrum non iniustum sit finitimos, ac eos, qui non iniurientur, seruitute premere, sæpe non curant. Eodem modo & qui laudant, aut vituperant, non animaduertunt vtrum vtilia gessit, an contra: sed sæpius etiam laudi dant, quoniam vt præclare gereret, parui propriam duxit vtilitatem. Laudant enim Achillem, quòd Patrocli sodalis vltionem susceperit, cùm sciret parum se hac de causa victurum, cui mors huiuscemodi pulchrior, vita verò vtilis fuit.*

2 Quoad secundum: vnumquodque horum trium generum suas habet partes, suum respicit tempus, ac suum peculiarem finem intendit. Generis deliberatiui duæ sunt partes, suasio, ac dissuasio, ideoque tum qui priuatim consilium dant, tum qui loquuntur ad deliberantes in concione, aut suadent, aut dissuadent. Partes generis iudicialis sunt accusatio, ac defensio, ideoque qui in iudicio contendunt, aut accusent, aut defendant necesse est. Partes generis demonstratiui sunt laus, ac vituperatio.

Ge-

3 Genus deliberatiuum refertur ad tempus futurum: nam qui deliberantibus suadet, aut dissuadet, suadet, ac dissuadet futura, & nondum facta, sed facienda. Genus iudiciale refertur ad tempus præteritum: qui enim in iudicio accusat, aut defendit, de præteritis, & iam factis accusat, aut defendit. Genus demonstratiuum præcipuè respicit tempus præsens, siquidem vnusquisque est laudabilis, aut vituperabilis propter virtutes, ac vitia, bonos, & malos habitus, qui ipsi actu insunt. Sæpe tamen qui laudant, ac vituperant, laudant etiam ex præteritis, quorum memoriam recolunt, & ex futuris, quorum excitant expectationem, ac spem.

4 Finis generis deliberatiui est, vt ostendat id, de quo deliberatur, esse vtile, vel perniciosum. Qui enim aliquid suadet, suadet illud vt vtile, qui aliquid dissuadet, dissuadet illud vt perniciosum; ergo finis suadentis est vt ostendat id, quod suadet esse vtile; finis dissuadentis est, vt ostendat id, quod dissuadet esse perniciosum, licet suadens aliquando conetur etiam ostendere id, quod suadet, esse etiam honestum, ac iustum; qui dissuadet conetur etiam ostendere id, quod dissuadet, esse etiam inhonestum, atque iniustum. Finis generis iudicialis est, vt ostendat id, de quo est iudicandum, esse iustum, vel iniustum. Qui enim alterum accusat, accusat illum quasi iniusta egerit; qui defendit, defendit quasi egerit iusta, vel saltem non egerit iniusta. Adhuc tamen conantur etiam ostendere ea, de quibus reum accusant, aut defendunt, esse vtilia, vel perniciosa, honesta, vel inhonesta. Finis generis demonstratiui est, vt ostendat ea, ex quibus aliquis laudatur, aut vituperatur, esse honesta, vel inhonesta, licet etiam conetur simul ostendere eadem esse simul vtilia, vel perniciosa, iusta, vel iniusta.

5 Quod autem his generibus propositi sint fines allati, probatur ex signo. Illud enim est finis orationis, cuius oppositum nunquam orator concedet, vel dabit aduersario; illud verò, cuius oppositum aliquando orator concedit, vel dat aduersario, non est finis orationis; sed qui suadet, nunquam concedet se suadere inutilia, & perniciosa, ac aliquando præscindet ab eo, vtrum suadeat iusta, vel iniusta, honesta, vel turpia, eo pacto, quo suadentes, vt inferatur bellum finitimis, sæpè præscindunt ab eo, vtrum iustum, vel iniustum, honestum, vel turpe sit inferre bellum finitimis nullam facientibus iniuriam: qui se, vel alterum defendit, sæpe se rem perniciosam fecisse confitetur, at nunquam dat se fecisse rem iniustam: qui laudant, ac vituperant, sæpe præscindunt ab hoc, vtrum qui laudatur, aut vituperatur, egerit vtilia, an perniciosa, ac solum contendunt illum egisse honesta, vel turpia, imo aliquando laudi vertunt hoc ipsum, quod vtilitate neglecta egerit honesta, eo pacto, quo Achilles laudatur, quod voluerit adiuuare Patroclum sodalem, & amicum, sciens sibi imminere mortem, adeoque mortem honestam prætulerit vitæ, quæ fuisset vtilis; ergo &c.

6 *Ex dictis ergo patet necessarium esse de iis prius propositiones habere. Argumenta nanque, & probabilia, & similiter signa, rhetoricæ propositiones sunt. Nam syllogismus vniuersaliter ex propositionibus est: enthymema vero syllogismus ex dictis constans propositionibus.*

7 *Verum quoniam impossibile est, vt quæ impossibilia factu sunt, ac item, quæ non fuerunt, aut futura non sunt, ea vel facta iam, vel facienda sint, necesse est tam consulenti, quam litiganti, & demonstranti habere propositiones de possibili, & impossibili, & vtrum factum sit, an non, & si erit, vel non. Præterea cùm omnes, siue laudent, aut vituperent, siue suadeant, aut dissuadeant, siue accusent, aut defendant, non solum quæ diximus, verumetiam quod conferens, aut nocens sit, quod honestum, vel turpe, quod iustum, vel iniustum: & hæc omnia magna, vel parua sint, aut per seipsa, aut adinuicem comparata, ostendere conentur: perspicuum est, quod opus sit de magnitudine quoque, ac paruitate, & de maiore, & minore, tam de vniuersali, quam de vnoquoque propositiones habere: vt puta quod maius, aut minus bonum, et quæ maior, aut minor iniuria, & iure factum: eodemque modo de cæteris. De quibus igitur propositiones accipiendæ sunt, diximus. Nunc vero seorsum de vnoquoque istorum distribuendum est, & primum de quibus deliberatio est, deinde de quibus demonstrationes, tertio de quibus iudicia.*

6 Quoad tertium: quandoquidem finis ge-

generis deliberatiui est, vt ostendat aliquid esse vtile, vel perniciosum: finis generis iudicialis est, vt ostendat aliquid esse iustum, vel iniustum: finis generis demonstratiui est, vt ostendat aliquid esse honestum, aut turpe; non possumus autem ostendere hæc, nisi habeamus aliquas propositiones de vtilibus, & inutilibus, de iustis, & iniustis, de honestis, ac turpibus, patet necesse esse, vt in rhetorica ponantur propositiones de omnibus his. Quod autem ad ostendendum aliquid esse vtile, vel inutile &c. debeamus habere propositiones circa hæc, probatur: nam non possumus hæc ostendere, nisi per enthymemata; sed enthymemata sunt quidam syllogismi, syllogismus autem fit ex propositionibus; ergo non possumus ostendere aliquid esse vtile, vel perniciosum &c. nisi habeamus aliquas propositiones de vtilibus, vel perniciosis, de iustis, vel iniustis, de honestis, ac turpibus; sed enthymemata rhetorica constant ex verisimilibus, tecmyrijs, ac signis, vt dictum est cap. 2. num. 19; ergo tales propositiones debent circa vtilia, vel perniciosa &c. proponere verisimilia, tecmyria, ac signa.

7 Neque solum ad consequendos fines propositos indigemus propositionibus de finibus vniuscuiusque generis, quæ propositiones sunt propriæ talium generum, sed etiam indigemus propositionibns circa quædam communia omnibus generibus; sed omnibus generibus commune est, vt ostendant quædam fuisse facta, vel non fuisse facta, in futurum facienda, vel non facienda; sola autem possibilia possunt esse facta, vel in futurum fieri, impossibilia verò neque possunt esse facta, neque in futurum fieri; ergo indigemus etiam propositionibus ad ostendendum aliquid esse possibile, vel impossibile, esse factum, vel non factum, esse in futurum faciendum, vel non faciendum; sed etiam omnes, tum qui laudant, aut vituperant, tum qui suadent, ac dissuadent, tum qui accusant, ac defendunt, non solum conantur rem ostendere, sed etiam conantur demonstrare rem, quæ est bona, vel mala, honesta, vel turpis, iusta, vel iniusta, esse magnam, aut paruam absolutè, vel maiorem, aut minorem comparatiuè; ergo necesse est, vt habeamus etiam propositiones de magno, aut paruo, de maiori, aut minori, tum in vniuersum, tum etiam in vnoquoque genere; puta ad ostendendum, quid sit maius, aut minus bonum, magis aut minus honestum, magis aut minus iustum, vel iniustum &c. De omnibus igitur his afferendæ sunt propositiones, partim hoc libro, partim libro sequenti, in quo ponentur propositiones de possibili, & impossibili, facto esse, vel non esse, in futurum faciendo, vel non faciendo. Hoc autem primo libro ponendæ sunt propositiones singulis generibus accommodatæ, ac primo ponendæ sunt propositiones pro genere deliberatiuo, secundo pro demonstratiuo, tertio pro genere iudiciali.

De ijs, circa quæ versatur deliberatio. Cap. IV.

1 *PRimum igitur tenendum est, non de omnibus bonis, aut malis consiliarium consulere, sed de ijs, quæ possunt fieri, & non fieri: de ijs autem, quæ necessario sunt, aut erunt, aut quæ impossibile est esse, vel fieri, nulla deliberatio est. Sed neque de cunctis contingentibus. Sunt enim quædam à natura, quædam à fortuna bona, quæ quamuis contingentia sint, possintque fieri, & non fieri, nihil tamen ad ea confert deliberatio. Hinc patet de ijs esse consultationem, quæcunque referri ad nos nata sunt, quorumque origo, & causa in nobis est. Nam ad hoc vsque deliberamus, quousque possimusne, an non possimus agere, inuenerimus.*

DIstinctis tribus generibus dicendi, descendit Aristoteles ad agendum de singulis in particulari, ac primo agit de genere deliberatiuo: & quia circa genus deliberatiuum debet considerari, tum circa quid deliberatio versetur, tum finis deliberantium, ideo hoc capite agit de ijs, circa quæ versatur deliberatio, capite sequenti agit de fine deliberantium. Vt igitur hoc capite agat de ijs, circa quæ deliberatio versatur, primo explicat generatim, quid sit id, quod in deliberationem cadit: secundo ostendit, quod exacta scientia deliberabilium non spectat ad rhetoricam, sed ad politicam: tertio enumerat quinque præcipua, circa quæ versantur deliberationes, & explicat, quid circa ea debet orator scire, vt habeat facultatem suadendi, vel dissuadendi.

1 Quoad primum: deliberans delibe-rat

sunt quidem de bonis, aut malis, non tamen de omnibus, sed solum de ijs, quæ contingit fieri; de ijs autem, quæ necessario sunt, erunt, aut fient, ac de ijs, quæ impossibile est esse, vel fieri, nemo deliberat: ex. gr. nemo deliberat, an sol cras oriatur? quia sol orietur necessario; nemo deliberat de Hircoceruo, quia impossibile est Hircoceruum esse. Rursus neque de omnibus contingentibus deliberamus. Sunt enim aliqua contingentia pendentia merè à natura, vel à fortuna, ac nullo pacto nostræ subiecta potestati, de quibus nemo deliberat, sed solum deliberamus de ijs, quæ possunt in consultationem cadere, cuiusmodi sunt quæ ad nos reducuntur, ita vt in nobis sit principium, & potestas, vt ea efficiantur, vel non efficiantur, ideoque tandiu de aliquibus deliberamus, quandiu inueniamus, num illa in nostra potestate sint, vel non sint: si verò inueniamus aliqua non esse in nostra potestate, statim à deliberatione, & consultatione desistimus. Deliberabile igitur definiri potest: *contingens, quod vt fit, vel non fit, in nostra est potestate*. Genus deliberabilis est, vt sit contingens: differentia est, vt in nostra sit potestate.

2 *Verum certius singula enumerare, ac in species ea omnia redigere, secundumque veritatem, inquantum possibile est, determinare, de quibus consilia fieri consueuerunt, non est præsentis temporis: non est enim artis rhetoricæ, sed altioris, ac verioris. Sed tamen multo plura nunc ipsi propria theoremata concedantur. Nam quod iam diximus, verum est, rhetoricam scilicet ex resolutiua scientia, & ea ciuili, quæ de moribus est, compositam esse, similemque esse partim dialecticæ, partim orationis sophisticæ. Si quis autem aut hanc, aut dialecticam, non vt facultates, sed vt scientias instruere, ac docere conatur, is naturam earum hoc transitu intermere videtur, cùm non solum in orationis, sed in quarundam subiectarum rerum scientias redigat.*

2 Quoad secundum: non est huius loci exactè enumerare singula, circa quæ deliberationes versantur, eaque suas in species distinguere, ac de singulis deliberabilium speciebus secundum veritatem determinare. Ratio est, quia in præsentia tradimus artem rhetoricam; sed non spectat ad rhetoricam, sed ad facultatem nobiliorem, ac veriorem, hoc est ad politicam, exactè, ac secundum veritatem determinare de singulis deliberabilibus; ergo si nunc exactè, ac secundum veritatem determinaremus de singulis deliberabilibus, tribueremus rhetoricæ considerationem multo plurium, quam ad ipsam spectent. Probatur minor: vt enim prius diximus cap. 2. num. 4 rhetorica componitur quidem ex analytica, quæ versatur circa syllogismos, & ex politica, quæ versatur circa mores, in quantum etiam rhetorica, & syllogismos, & moralia considerat; at in agendo de his similis est partim dialecticæ, partim sophisticæ, in quantum non procedit ex certis, sed solum ex probabilibus, & apparentibus; ergo si quis dialecticam, aut rhetoricam tradere voluerit, non vt quasdam facultates differendi de rebus probabiliter, & apparenter in vtramque partem, sed vt scientias agendi de ijs exactè ex proprijs, ac secundum veritatem, propter ignorantiam, harum facultatum naturam tollet, dum illas efferet ad hoc, vt non solum sint facultates conficiendi rationes probabiles, & persuasibiles de qualibet re proposita, sed etiam scientiæ certæ quarumdam rerum subiectarum.

3 *Attamen quæcunque distribuere operæ pretium est, & ciuili scientiæ considerationem relinquunt, etiam nunc dicamus. Nam maxima, de quibus omnes consultant, & quæ deliberantes aggrediuntur, quinque ferè numero sunt: de opibus, de bello, ac pace, de regionis locorum custodia, de ijs, quæ inferuntur, vel efferuntur, de legumlatione.*

4 *Qui ergo de opibus consulere constituit, eum oportet ciuitatis reditus, qui sint, et quot sint, percepisse: vt si quis neglectus sit restituatur, & si quis tenuior sit, amplificetur. Præterea expensas ciuitatis omnes, vt quæ inutilis sit, dematur, & quæ profusior, cogatur ad modicum. Non enim solum rerum accessiones, verum etiam expensarum attenuationes reddunt ditiores. Quæ non vsu solum, quem de nostris habemus rebus, conspicere possumus, sed necessarium est ad accendum de ijs sententiam, eorum etiam, quæ alij adinuenerunt, historiam retinere.*

Quoad

3 Quoad tertium: licet rhetorica non debeat exactè agere de singulis deliberabilibus, adhuc debet aliqua circa ipsa delibare, ideoque operæ pretium est, vt etiam nos quædam dicamus de ijs, quæ in deliberationem cadunt, ita tamen, vt accuratiorem eorum contemplationem politicæ relinquamus. Sunt igitur ea, quæ in deliberationem cadunt, ac de quibus oratores solent in publicis concionibus agere, numero quinque. Primo enim agunt de pecunijs, ac reditibus; secundo de bello, ac pace; tertio de custodia regionis; quarto de ijs, quæ importantur, & exportantur; quinto demum de legum positione, vel abrogatione. Sed explicandum est, quæ debeat orator circa hæc scire, vt possit de singulis aptè in concione disserere.

4 Vt ergo orator de pecunijs, ac reditibus possit orationes deliberatiuas habere, debet primo scire, quot, & quanti sint reditus ciuitatis, vt si quis desit, adiungatur, si quis minor sit, augeatur. Secundo debet scire omnes sumptus ciuitatis, vt si quis sumptus sit superuacaneus, auferatur, si quis sit maior, quam oporteat minuatur. Possunt enim ciuitates, ac priuati ditiores fieri, non solum augendo reditus, sed etiam minuendo sumptus. Tertio vt melius circa hæc possit orator differere, expedit, vt non solum priuata hæc didicerit experientia, sed etiam ex historijs comperta habeat ea, quæ alij ad pecunias comparandas fecerunt.

5 *De bello autem, & pace qui dicit, is ciuitatis copias non ignorabit, quantæ in præsentia sunt, & quàm magnæ fore possunt, & ad hac quales quædam sunt, quas modo habemus, & quales, quas habituri sumus. Præterea qui modo, & quæ bella ciuitas gessit. Hæc igitur scire oportet, nec solum suæ ciuitatis, sed finitimorum etiam, ac eorum maxime, aduersus quos bellum suscipiendum opinaris, vt pax cum melioribus habeatur, & in ipsis sit cum minoribus belligerare. Copias etiam, similes ne, an dissimiles sint. Nam hac quoque parte meliores quidam, aut imbecilliores esse possunt. Sed maxime ad hæc pertinet bellorum euentus, non modo ciuitatis suæ, verumetiam aliarum, quomodo exierint, perspexisse. Similia enim à similibus fieri consueuerunt.*

6 *Præterea non oportet ignorare, quo pacto regio custodiatur, sed tam multitudinis custodum, quàm qualitatis non esse nescium. Locorum quoque, vbi sint præsidia collocanda: quod impossibile est, nisi regionem optime noueris, vt si minora sint præsidia, augeantur, sin vero superuacua, omnino tollantur, & loca opportuna magis custodiantur.*

7 *Ad hæc quàm magna impensa ciuitati ad victum sufficiat, & quæ à proprijs agris colligatur, & quæ afferatur aliunde. Item quas res efferre, quas inferre opus sit, vt ad huiusmodi homines fœdera sint, atque conueniat. Ad duo enim genera hominum sine crimine conseruanda ciuitas est: ad meliores, & ad eos, qui ad prædicta conducunt.*

5 Vt agat de bello, ac pace, necesse est, vt orator primo sciat, quæ sint copiæ militares ciuitatis, tum quas iam paratas habet, tum quas potest parare. Secundo debet scire, quæ bella ciuitas gesserit, & quomodo. Tertio necesse est, vt sciat non solum propriæ ciuitatis, sed etiam finitimorum, ac eorum, cum quibus bellandum est, copias, ac bella ab alijs gesta, eorumque euentus, vt cum potentioribus firmetur pax, bellum autem aduersus inferiores suscipiatur. Quarto vt maiorem facultatem de his agendi habeat, vtile est, vt etiam extera sciat bella, eorumque euentus. Cum enim ex similibus soleant similia fieri, ex ijs, quæ alijs acciderunt, poterit diuinare, quid ciuitati in similibus circumstantijs sit euenturum.

6 Vt agat de custodia regionis, debet scire, quo pacto de facto custodiatur regio; quanta sit custodientium multitudo, quæ forma, ac modus custodiendi; quibus locis præsidia sint imposita: & quia non potest hæc scire, nisi sit peritus regionis, ideo debet esse peritus regionis. His autem perspectis, poterit suadere, vt si custodia sit minor, augeatur, si superuacanea tollatur; si loca aliqua sint opportuna, custodiantur magis.

7 Vt habeat facultatem agendi de importandis, atque exportandis, & vniuersim de re cibaria, necesse est, vt orator sciat, quot sumptus ad ciuitatem alendam sufficiant; quæ nam alimenta nascantur in regione, vel aliunde importentur; quarum rerum exportatione, vel importatione ciuitas

uitas indigeat, vt fœdera, ac pactiones fiant cum ijs hominibus, quibus ciuitas indiget ad exportationes, vel importationes necessariorum: siquidem curandum est, vt ciues procul sint ab vllo crimine patrando contra duo præsertim hominum genera, contra potentiores nimirum, & contra eos, quibus indigent ad exportationem, atque importationem necessariorum.

8 *Sed cum horum omnium cognitio multum ad ciuitatem tutandam pertineat, tum vero non minimum est legumlationis esse sagacem. Nam salus ciuitatis in legibus sita est. Quare necessarium est scire, quot rerumpublicarum genera sunt, quæque vnicuique conferunt, & quibus extingui solent tam contrarijs, quam secundis. Dico autem secundis extingui, quoniam præter optimam Rempublicam cæteræ omnes, & intentione, & remissione corrumpuntur: vt popularis status non modo cùm remittitur, imbecillior ita redditur, vt tandem ad potentiam paucorum deueniat, sed etiam cùm vehementer intenditur: veluti aquilinum, vel simum non solum ad mediocritatem perueniunt, cùm remittuntur, sed valde huiusmodi facta sima, aut aquilina, sic nasum afficiunt, vt ne nasus quidem esse videatur. Verum ad legumlationem vtile maxime est, tum ex præteritis, qui Reipublicæ status conducat perspicere, tum aliorum quoque scire conditionem, & quæ quibus conueniant, non ignorare. Ita patet, ad ferendas quidem leges, peregrinationes, quibus multarum gentium leges cognoscere poteris, esse perutiles: ad publica vero consilia, diligenter perscriptam rerum gestarum historiam, quæ omnia ciuilis scientiæ, non Rhetoricæ officia sunt. De ijs igitur, quæ oporteat eum habere, qui de rebus maximis dicturus sententiam est, tot dicta sint. Verum ex quibus tam de ijs, quam de alijs suadere, aut dissuadere conueniat, rursum dicamus.*

8 Licet omnium dictorum cognitio multum ad ciuitatem conseruandam conferat, tamen non parum etiam conducit cognitio legum ferendarum, siquidem in legibus salus ciuitatis est constituta. Vt orator possit de legibus sanciendis, vel abrogandis differere, primo debet scire, quot, & quæ sint genera politiarum; quæ cuique politiæ sint consentanea, & ex quibus possit vnaquæque politia corrumpi, tum eius politiæ proprijs, tum etiam contrarijs. Dico autem politias corrumpi etiam ex ijs, quæ sunt propria talis politiæ, quia excepta optima politia, omnes aliæ possunt corrumpi, tum intensione, tum remissione: ex. gr. democratia potest debilitari, ac tandem in oligarchiam mutari, non solum si remittatur recedendo ab institutis popularibus, sed etiam si nimis intendatur, quotidie gubernationem faciendo magis, ac magis popularem. Sicut enim simitas nasi potest corrumpi non solum remissione, per quam nasus fiat semper minus, ac minus simus, donec tandem euadat rectus, sed etiam intensione, siquidem si nasus fiat magis, & magis simus, tandem amittit etiam figuram nasi, sine qua non potest simitas conseruari, idemque dic proportionaliter de naso Aquilino; sic democratia, & oligarchia possunt corrumpi, non solum remissione, sed etiam intensione, vt magis explicatum est libro 5. Pol. Secundo vt orator possit rectè de ferendis legibus differere, debet etiam ex ijs, quæ præteritis temporibus ciuitati acciderunt, cognoscere, qui status conueniat ciuitati, & ex aliarum gentium legibus deprehendisse, quæ quibuslibet politijs congruant instituta. Hinc patet, quod ad acquirendam facultatem differendi de legibus, ac de rebus ciuilibus, vtilis est tum peregrinatio, tum historiarum lectio: peregrinatio quidem ad multarum gentium leges cognoscendas; lectio autem historiarum ad sciendos ciuitatum euentus. Verum hæc ad politicam magis spectant, quam ad rhetoricam. Hęc igitur dicta sufficiant de ijs, quæ debet orator scire, vt de rebus maximis sententiam dicat. Superest, vt agamus de ijs, ex quibus debet tum de rebus maximis, tum de alijs quibuslibet suadere, vel dissuadere.

De fine, quem deliberantes intendunt, hoc est de felicitate, & eius partibus. Cap. V.

1 *FErè autem & vnicuique priuatim, & publice omnibus finis quidam est, quem conijcientes, alia persequuntur, alia fu-*

fugiunt. Is vero est, vt vno verbo dicam, felicitas, aut eius pars aliqua. Quare exempli gratia exponamus quid sit, vt simpliciter dicam, felicitas, & quæ sint eius particulæ. De hac enim, & de ijs, quæ ad hanc conferunt, de eius quoque contrarijs suasiones, dissuasionesque ab omnibus suscipiuntur. Nam quæ aut ipsam, aut particularum eius quampiam efficiunt, aut maiorem reddunt, faciunda: quæ vero interimunt, vel impediunt, vel contraria faciunt, ea minime faciunda sunt.

1 VT orator habeat facultatem deliberantibus aliquid suadendi, vel dissuadendi, non solum debet scire, de quibus homines deliberent, sed etiam ex quibus deliberent; sed homines de agendis deliberant ex fine; proponunt enim sibi aliquem finem, ac bonum, & eligunt quæ existimant conducere ad talem finem, contraria verò repudiant, ac fugiunt; ergo orator debet scire, quem finem homines intendant, & quid sit talis finis; sed finis, quem homines in suis deliberationibus intendunt, est felicitas, atque eius partes; ergo orator debet saltem superficialiter scire, quid sit felicitas, & eius partes. Cum enim omnes suasiones sint de ijs, quæ oportet agere, dissuasiones verò de ijs, quæ oportet non agere: oporteat autem agere, quæ conducunt ad felicitatem, & eius partes acquirendas, vel augendas, oporteat non agere, quæ felicitatem, & eius partes corrumpunt, aut prohibent, vel causant quæ sunt felicitati contraria; omnes suasiones sunt de felicitate, aut de ijs, quæ ad felicitatem conducunt, omnes dissuasiones sunt de contrario felicitati; adeoque est summopere necessarium ad habendam facultatem suadendi, ac dissuadendi, vt orator sciat saltem modo crasso, ac populari, quid sit felicitas, & eius partes, licet exacta, ac perfecta felicitatis cognitio spectet ad moralem. Operæ pretium igitur est, vt hoc loco explicemus primo, quid sit felicitas: secundo ex quibus partibus constet: tertio quid sit vnaquæque partium felicitatis.

2 *Sit ergo felicitas fortuna secunda cum virtute: vel per se sufficientia vitæ: vel vita tuta & iucundissima: vel possessionum facultas, & corporis vires, cum factiua, conseruatiua, amplificatiuaque horum virtute. Omnes enim ferè vnum quiddam istorum, aut plura, felicitatem esse fatentur.*

3 *Quòd si huiusmodi quid felicitas sit, necesse est partes ipsius esse nobilitatem, multorum, atque bonorum gratiam, diuitias, bonorum liberorum, & multorum procreationem, commodam senectutem: præterea corporis commoda, veluti sanitatem, formam, vires, proceritatem, robur ad certandum, gloriam, honorem, prosperitatem, virtutem, ac partes eius, prudentiam, fortitudinem, iustitiam, temperantiam. Sic enim sufficientissimus quispiam erit, si sibi adsint, quæque in ipso, & quæ extra sunt bona, cùm præter hæc alia non sint. Sunt autem in ipso, quæ in anima, & quæ in corpore sunt: extra vero, nobilitas, amici, pecuniæ, honores. Ad hæc oportere arbitramur potentiam, & fortunam non deesse: hoc nanque pacto vita erit tutissima.*

2 Quoad primum: plures felicitatis definitiones ex communi hominum opinione desumptæ possunt afferri. Primo igitur felicitas definiri potest: *bene agere cum virtute*: secundo *per se sufficientia vitæ*: tertio *vita cum securitate iucundissima*: quarto *bene se habere quoad possessiones, & corpora, cum potentia hæc conseruandi, & faciendi*. Omnes igitur homines fatentur felicitatem consistere vel in vno ex his, vel etiam in pluribus.

3 Quoad secundum: ex eo, quod felicitas sit qualis est descripta, sequitur partes felicitatis esse nobilitatem; multorum amicitiam, & gratiam; proborum amicitiam, & gratiam; diuitias; bonam prolem; multam prolem; commodam senectutem; virtutes etiam corporis, hoc est sanitatem, pulchritudinem, robur, magnitudinem, vires ad certandum; præterea gloriam, honorem, prosperam fortunam; ac demum virtutem animi, cuius partes sunt prudentia, fortitudo, temperantia, & iustitia. Ratio est, quia felicitas est vita per se sufficientissima, & securissima; sed ad vitam sufficientissimam debent inesse tum bona interna, quæ consistunt in bonis, ac virtutibus corporis, atque animi, tum bona externa, quæ sunt nobilitas, amici, pecuniæ, & honor: ad vitam securissimam requiritur potentia, & pro-

prospera fortuna; ergo hæc omnia sunt partes felicitatis.

4 *Sed dicamus similiter, quid sit horum vnumquodque. Nobilitas igitur gentis, ac ciuitatis est, indigenas aut vetustissimos esse, & primos duces illustres, multos quoque ea ex gente in rebus, quæ expetuntur, præclaros extitisse. Priuata vero nobilitas, aut à viris, aut à mulieribus est, legitimaque ab eis procreatio. Et vt in ciuitate, sic in priuata quoque nobilitate, aut virtute, aut diuitijs, aut alia re laudata primos claros fuisse. Multos quoque famosos ex ea gente viros, & mulieres, iuniores, ac seniores fuisse.*

5 *Probitas vero liberorum, ac multitudo quæ sit, perspicuum est. Publice id ita accipitur, si multa sit iuuentus, ac bona, et bona tum commodis corporis, vt proceritate, forma, viribus, certandi robore: tum animi virtutibus, vt temperantia, & fortitudine: & hæ nanque iuuenum virtutes sunt. Priuatim vero, si proprij liberi tam mares, quàm fœminæ, & multi, & probi sunt. Est autem fœminarum virtus, corporis quidem forma, & proceritas: animi vero, pudicitia, & operandi studium absque illiberalitate. Oportet igitur & priuatim, & publice tam viris, quam fœminis singula horum adesse. Nam quibuscunque haud bonæ sunt mulieres, sicuti Lacedæmonijs, ij media penè fœlicitatis parte priuantur.*

4 Quoad tertium: enumeratis partibus felicitatis, singulæ sunt definiendæ. Primo igitur nobilitas alia est ciuitatis, aut gentis, alia est priuatorum. Nobilitas ciuitatis, aut gentis est, *quod vel homines sint indigenæ, hoc est in ijs locis orti, quos incolunt, vel saltem antiquitus eas incoluerint terras; quod primos duces habuerint illustres, ac multi ex ipsis prodierint insignes, ac præstantes in ijs, quæ summo studio, ac æmulatione homines quærunt*. Nobilitas priuata est, *aut à viris, aut a mulieribus per antiquam originem tracta; & quod primi generis autores clari fuerint in virtute, aut in diuitijs, aut in alio eorum, quæ habentur in pretio; & quod multi ex tali genere prodierint illustres viri, mulieres, iuuenes, ac seniores.*

5 Secundo quid sit bona proles, aut multa proles non est obscurum. Potest autem proles considerari tum respectu ciuitatis, aut gentis, tum respectu priuatorum. Ciuitas, ac gens tum bona, ac multa fruitur prole, cum multa, ac proba illi iuuentus est. Dicitur autem iuuentus proba, cum virtutibus animi excellit, & corporis, hoc est magnitudine, pulchritudine, robore, & potentia certandi, quæ sunt virtutes corporis; & temperantia, ac fortitudine, quæ sunt virtutes animæ iuuenum propriæ. Priuatorum proles tum dicitur proba, ac multa, cum priuati multos habent filios, masculos, ac fæminas, ac præterea tales, quales esse oportet. Quæ sint masculorum propriç virtutes iam explicatum est. Fæminarum virtutes ad corpus spectantes sunt magnitudo, & pulchritudo: virtutes autem spectantes ad animam sunt temperantia, & studium operandi sine illiberalitate. Curandum est autem tum priuatim, tum publicè, vt & mulieres, & viri sint quales oportet. Illæ enim ciuitates, in quibus quæ spectant ad mulieres malè se habent, qualis est ciuitas Lacedæmoniorum, secundum dimidiam sui partem non sunt felices.

6 *Diuitiarum vero partes sunt nummi, agri, prædia, supellex, animalia bruta, mancipia multitudine, magnitudine, pulchritudineque excellentia, quæ omnia firma, amœna, vtilia esse nimirum debent. Sunt igitur vtilia, quæ magis frugifera sunt: amœna, quibus frui queat. Et frugifera sunt, ex quibus reditus capimus: quibus vero fruimur, ex his nihil magni præter vsum consequimur. Firmorum autem ita definitio, vt hic, & sic possideas, vt & vsus eius, & retinendæ, alienandæque proprietatis potestas in te ipso sit. Alienationem porrò dico, cùm donare, atque vendere possis. In summa, diuitem esse, in vtendo magis, quàm in possidendo consistit. Vtentis enim operatio est, possessio vero ipsæ diuitiæ sunt.*

6 Diuitiarum partes sunt pecuniæ, multitudo agrorum, possessiones villarum, possessio sepellectilis, armentorum, & mancipiorum, multitudine, magnitudine, & pulchritudine excellentium. Hæc bona, in quibus diuitiæ consistunt, habere debent tres conditiones: nimirum vt sint secura, liberalia, & vtilia. Fructuosa sunt vtiliora infructuosis; at quæ licet sint in-

infructuosa, adhuc multum ad voluptatem, & delicias conferunt, sunt magis liberalia fructuosis. Fructuosa verò dicuntur, *ex quibus prouentus existunt*: deliciosa verò, *ex quibus nihil præter vsum capitur, quod in æstimatione sit habendum*. Securitas bonorum definitur per hoc, *vt ea in tali loco sint sita, & tali modo possideantur, vt in potestate possidentis sit ijs vti*. Tum verò bona dicuntur propria possidentis, cum in eius potestate est illa alienare, donando, vel vendendo, siquidem alienatio consistit in donatione, & venditione. Porro hoc, quod est, *esse diuitem*, magis consistit in libero vsu eorum, quæ possidentur, quam in possessione; siquidem talium rerum actus, atque vsus diuitiæ sunt.

7 *Gloria vero est, cum virtuosus à cunctis existimatur, aut id habere putatur, quod omnes, vel plures, vel probi, vel prudentes expetunt.*

8 *Honor autem est existimationis benefactiuæ indicium. Honorantur ergo maxime, atque merito, qui beneficia contulerunt: deinde qui conferre queant. Beneficentia vero illa primas partes habet, quæ salutis est causa, & vt simus: secundas vero, quæ diuitiarum, vel alterius boni, quod vel omnino, vel hic, vel aliquando non facile acquiritur. Nam multi honorem assequuti sunt, quamuis parua præbuerint: sed modus profuit, atque occasio. Honoris vero partes sunt, sacra, memorationes, decantationes carminum, aut solutæ orationis ad laudem recitatio, luci, vel plurimi consessus, sepulchra, imagines, publici victus. Ad hæc etiam barbara, vt inclinari, loco cedere: munera quoque, sed alia apud alios honoratiora. Est autem munus rei alicuius donatio, ac honoris signum. Quapropter tam æris auidi, quam ambitiosi donari cupiunt: cum id donatio habeat, quod vtrique appetunt. Nam & res est, quam auari desiderant, & honorem affert, quem ambitiosi expetunt.*

7 Gloria, & fama est, vt *quis existimetur virtute præditus, aut aliquid tale habere, quod omnes, aut plures, aut probi, aut prudentes expetunt*.

8 *Honor est signum opinionis, quam homines habent de beneficientia eius, quem honorant*. Hinc est, vt illi omnium iustissimè honorentur, qui iam benefecerunt; at illi etiam honorantur, qui possunt benefacere. Ea verò beneficia honore digna censentur, quæ vel ad salutem conferunt, & causa sunt, vt viuamus, ac simus; vel ad diuitias spectant, aut ad aliud bonum, quod non facilè potest obtineri, vel simpliciter, vel hic & nunc. Multi siquidem consequuntur honores ob quædam, quæ videntur parua; sed modus, & occasio conferendi, aliæque circumstantiæ in causa fuerunt, vt magna censerentur. Partes, ac species honoris sunt sacrificia, commemorationes carminibus, vel soluta oratione exhibitæ, præmia, delubra, primi consessus, imagines, alimenta ex publico: illa etiam barbarica, hoc est venerationes per inclinationes corporum exhibitæ, & honor assurgendo datus: munera etiam, quæ apud vnamquamque gentem in pretio sunt. Donum enim & confert aliquid, cuius possessio est vtilis, & honoris est signum, ideoque & ab auaris, & ab ambitiosis appetitur, siquidem vtrique in dono inueniunt id, quo indigent, auari nimirum possessionem rei vtilis, ambitiosi honorem.

9 *Corporis vero virtus est sanitas, vt scilicet corpore penè inægrotabili ad labores vtaris. Nam qui sic sani sunt, vt Herodicus fertur, eos nemo sanitatis gratia felices putabit. Nam ille vt sanus esset, quibus homines vtuntur, his omnibus, aut plurimis abstinebat.*

10 *Pulchritudo autem alia in alia ætate est. Nam iuuenis pulcher est, cui commodum ad subeundos & cursus, & violentiæ labores corpus est, aspectuque insuper iucundum: quocirca pentathli formosissimi sunt, cum & ad vim, & ad velocitatem simul præstantissimi sunt. Vir vero pulcher est, qui & labores bellicos sustinere queat, & ita iucundus aspectu est, vt simul quoque dum videatur, terreat. Senex autem, cuius ad necessarios labores corpus satisfacit, cumque nihil eorum habeat, quæ senectus infert incommoda, facile sine dolore conseruatur.*

9 Sanitas est *virtus corporis, per quam possimus ita corporibus vti, vt sine ægritudine simus*. Duæ igitur requiruntur conditiones ad hoc, vt quis sit sanus. Prima est, vt morbo sit vacuus: secunda est, vt possit vti corpore ad actiones vitæ. Hinc

ſequitur, quod multi, qui ita valent, vt Herodicus valere ferebatur, qui ad ſanitatem conſeruandam ab omnibus, aut pleriſque actionibus vitæ humanæ abſtinere cogebatur, verè non ſunt ſani, nec ponendum eſt felicitatis in parte, ſi quis tali valetudine vtatur.

10 Pulchritudo in diuerſis ætatibus eſt diuerſa, itaut alia ſit pulchritudo iuuenis, alia viri, alia ſenis. Iuuenis igitur pulchritudo eſt, *per quam habet corpus aptum ad labores currendi, & vim inferendi, cum ſit viſu iucundus, ac delectabilis*. Hinc eſt, vt Pentathli, hoc eſt qui apti erant ad vincendum in quinque certaminibus, pulcherrimi ſint; habent enim corpora facta ad velocitatem curſus, & ad vim inferendam. Pulchritudo viri iam ætate vigentis eſt, *per quam habet corpus aptum ad labores bellicos, aſpectum verò iucundum cum terrore*. Pulchritudo ſenis eſt, *per quam habet corpus ſufficiens ad ferendos labores neceſſarios, & caret dolore, eo quod nihil habeat eorum, quibus ſenectus offenditur*.

11 *Vires autem ſunt, quibus poſſis quod mouere cupias, ita mouere, vt velis. Mouemus autem trahentes, aut pellentes, aut eleuantes, aut deijcientes, aut comprimentes. Quare robuſtus, vel cunctis, vel quibuſdam horum robuſtus eſt.*

12 *Magnitudinis vero ea virtus eſt, quæ in longum, vel in profundum, vel in latum plurimis ita præſtas, vt propter magnitudinem motiones corporis non retardentur.*

13 *Corporis autem certatiua virtus ex magnitudine, robore, velocitateque conſtat: velox nanque robuſtus eſt. Qui enim poteſt pedes quodam proijcere modo, citoque, ac longe mouere, curſor eſt: qui premere, ac retinere, luctator: qui pulſando pellere, is percuſſor: qui vtriſque, is pancratiaſta: qui omnibus is pentathlus.*

14 *Senectus vero bona eſt, quæ cùm tarde inuadit, etiam dolores non infert. Nam tam qui cito conſenuit, quàm qui tarde, ſed non abſque dolore, incommoda vtitur ſenectute. Verum id & corporis eſt, & fortunæ. Nam & qui valetudinarius eſt, & non robuſtus, cùm facile patiatur, ac doleat, vitæque breuioris ſit, non eſt felix. Eſt autem etiam ſine robore, ac ſanitate vis quædam alia vitæ longioris. Multi enim abſque virtutibus corporis diu viuunt. Sed impræſentiarum exacta horum inquiſitio inutilis eſt.*

11 Robur eſt *facultas alterum pro voluntate mouendi*. Porro quinque ſunt modi alterum mouendi. Poſſumus ſiquidem mouere trahendo, pellendo, eleuando, deijciendo, ac conterendo. Robuſtus igitur eſt qui aut omnibus, aut aliquo ex his modis poteſt alterum mouere.

12 Magnitudo, quæ eſt corporis virtus, eſt *per quam multos excedimus longitudine, latitudine, ac profunditate, tanto tamen exceſſu, vt propter exceſſum motus corporis non fiant tardiores*.

13 Virtus certandi conſtat ex magnitudine, robore, & celeritate. Celeritas verò reduci poteſt ad robur. Qui igitur habet vim crura quodammodo iaculandi, atque illa celeriter, & longè mouendi, naturaliter eſt curſor: qui poteſt alterum continere, & premere eſt luctator: qui poteſt ictu procul à ſe pellere, eſt pugil: qui habet facultatem ſimul premendi, & pellendi eſt pancratiaſta: qui verò poteſt omnibus quinque modis enumeratis num. 11. alterum mouere is eſt pentathlus, ſiue quinquertio.

14 Bona, & commoda ſenectus eſt, *cum & tardè inuadit, & dolores non infert*. Ex oppoſito enim qui vel cito ſeneſcit, vel tardè, ſed cum dolore, incommoda vtitur ſenectute. Ad commodam ſenectutem obtinendam requiruntur tum corporis virtutes, ſanitas nimirum, & robur, tum fortuna. Niſi enim quis morbo vacet, ac robuſtus ſit, prout ætas ſenilis fert, non erit expers paſſionum, atque dolorum, nec erit longæuus, nec vllo modo ſecundam fortunam retinere poterit. Non tamen nego poſſe dari diuturnitatem vitæ ſine ſanitate, ac ſine corporis virtutibus, ſiquidem multi ſine his longæui ſunt. Sed diligens de his tractatio non eſt vtilis ad ea, de quibus nunc agimus.

15 *Quid autem multorum, ac proborum amicitia ſit, amici definitione oſtendetur. Eſt igitur amicus, qui quæ amico bona fore putat, ea propter ipſum agit amicum. Cui ergo multi huiuſmodi, is multorum: cui etiam viri probi, is proborum amicus eſt.*

16 *Secunda vero fortuna eſt, cùm omnia, vel plurima, vel maxima bona eorum, quorum ipſa fortuna cauſa eſt, fortè eueniant,*

atque

atque permaneant. Est autem fortuna causa quorundam artificialium, & multorum inartificialium, quæ quanquam à natura sint, possunt etiam præter naturam esse: vt sanitatis ars est causa, pulchritudinis, ac proceritatis natura: & omnino ea bona sunt à fortuna, in quibus inuidia est. Verum eorum quoque bonorum, quæ præter rationem accidunt, fortuna causa est: vt si cùm cæteri fratres deformes sint, solus formosus sit, vel si cùm cæteri thesaurum non viderint, solus aspexerit: vel si cùm proximus sagitta interierit, is ne tactus quidem sit: vel si solus non venerit, cùm semper solitus, & qui non solebant, semel tunc venerint, & occisi sint. Nam hæc omnia fortunatorum esse videntur.

17 *De virtute vero animi, quoniam ad laudes is locus maxime accommodatur, cùm de demonstratiuo dicemus, tunc determinabimus.*

18 *De quibus igitur nobis, vel vt futuris, vel præsentibus conijciendum est, siue suadentibus, siue dissuadentibus, iam aperuimus. Contraria enim suadentibus dissuadentes habent.*

15 Quid sit proborum amicitia, & gratia non erit obscurum, si definiuerimus amicum. Amicus igitur definiri potest: *Qui eorum, quæ arbitratur bona esse illi, cuius est amicus, effectiuus est propter illum.* Is igitur multorum floret amicitia, & gratia, cui multi sunt tales: si verò ij sint etiam viri probi, proborum amicitiam, & gratiam obtinet.

16 Bona fortuna est, *cum ea, quorum fortuna est causa alicui adsunt, ac fiunt, vel omnia, vel plurima, vel maxima.* Sed explicandum, quorum bonorum fortuna sit causa? Dicendum, quod fortuna est causa aliquorum, quorum etiam ars potest esse causa, at multo plurium, quorum ars non est causa, sed causantur à natura, vel à causa præter naturam. Exemplum bonorum, quorum tum ars, tum fortuna potest esse causa, est sanitas, quæ potest causari vel per artem medicinæ, vel sine arte ab aliquo casu fortuito. Exemplum bonorum, quæ possunt causari à natura, est magnitudo, & pulchritudo, quæ etiam possunt alicui accidere præter rationem, adeoque à fortuna. Vniuersim igitur videntur causari à fortuna illa bona, circa quæ versatur inuidia, puta diuitiæ, & alia huiusmodi. Dicitur etiam fortuna esse causa eorum bonorum, quæ præter rationem accidunt: ex. gr. si cum cæteri fratres sint deformes, vnus sit formosus, dicitur is accepisse pulchritudinem a fortuna, quia præter rationem accidit, vt is tantum esset formosus: si cum cæteri effodientes terram thesaurum non viderint, vnus viderit, is dicitur vidisse ex fortuna: si cum propinquus sit à sagitta percussus, hic non sit percussus: si cum cæteri, qui non solebant venire, in hunc locum venerint, & sint occisi, hic vnus non venerit, & sic mortem euaserit, hæc omnia dicuntur accidere ex fortuna, quia accidunt præter rationem.

17 Superesset, vt ageremus de virtutibus animi: sed quia proprius locus de his agendi est, cum agemus de genere demonstratiuo, cuius partes sunt laus, & vituperatio, ideo tractatum de virtutibus animi ad eum locum reijcimus.

18 Ex dictis patet, quæ proponere sibi debeant, vt futura, vel vt præsentia, & instantia, qui suadent, ac dissuadent. Qui enim suadent debent sibi proponere aliquid ex his bonis, quæ sunt partes felicitatis, ac debent ostendere id, quod suadent, vtile esse ad id consequendum: qui dissuadent, debent sibi proponere contraria mala, & ostendere id, quod dissuadent, fore causam alicuius, quod sit contrarium felicitati, aut alicui parti felicitatis.

Quid sit bonum, & vtile, & quæ sint principia ad ostendendũ aliquid esse bonum, & vtile. Caput VI.

1 *VErum quoniam dicenti sententiam, finis vtilitatis propositus est, nec de fine, sed de ijs, quæ ad finem sunt, consulit, quæ sunt, quæ in rebus gerendis conducunt, quoniamque vtile bonum est, quasi elementa quædam de bono, ac vtili, simpliciter sumenda sunt.*

2 *Sit ergo bonum, quod sui ipsius gratia est expetendum, & id cuius gratia aliud quiddam appetimus, & quod omnia appetunt, vel quæ sensum habent omnia, vel quæ intellectum habent, aut si haberent. Et quicquid intellectus vnicuique tribuerit,*

rit, & quicquid qui de singulis est intellectus tribuit, id vnicuique bonum est: & id quod cùm adsit, bene afficitur cui adest, satisque habet, & sufficiens per seipsum.

3 *Praeterea quod haec efficit, aut conseruat, & id, quo haec consequuntur, & quo horum arcentur contraria, & quae corrumpunt. Consequuntur autem dupliciter: aut simul, aut postea: vt ad discendum scire, sed postea: sanitatem vero vita simul. Efficientia vero tripliciter: vt sanitatis quaedam, vt sanum esse: quaedam vt cibus: quaedam vt exercitatio. Nanque plerunque sanitatem efficit.*

1 POstulat instituti operis ratio, vt cum egerimus de fine, agamus etiam de vtili, atque vniuersim de bono. Ratio est, quia qui deliberant, non deliberant de fine, sed supponentes finem, deliberant de ijs, quae sunt ad finem; sed ea ad finem sunt, quae vtile est, vt fiant ad consequendum finem, haec autem sunt vtilia; ergo qui deliberant, de vtilibus deliberant; ergo qui suadendo consilium dant, debent eum sibi proponere scopum, vt ostendant id, quod suadent, esse vtile; ergo agendum est de vtili; sed vtile est bonum; ergo agendum est etiam de bouo, & ponenda sunt elementa, ac principia de bono, & vtili simpliciter. Primo ergo ponendae sunt aliquae definitiones tum boni finalis, tum boni vtilis: secundo enumeranda sunt aliqua quae sine controuersia sunt bona: tertio statuenda sunt quaedam principia, ex quibus possint fieri syllogismi, & enthymemata ad ostendendum, quod quaedam, de quibus dubitatur, sint bona.

2 Quoad primum: Bonum vt finis potest definiri tum in ordine ad electionem, tum in ordine ad appetitum, tum in ordine ad intellectum, tum in ordine ad subiectum, cui inest. In ordine ad electionem definitur dupliciter: primo definitur *id, quod gratia sui est eligendum*: secundo definitur *id, cuius gratia eliguntur alia*; ex. gr. sanitas est bonum vt finis, quia est eligenda gratia sui, & gratia sanitatis recuperandae est eligenda medicina, & alia, quae sunt vtilia ad sanitatem. In ordine ad appetitum definitur dupliciter: primo definitur in ordine ad appetitum, abstrahendo ab innato, & elicito, ac dicitur *id, quod omnia appetunt*: secundo definitur in ordine ad appetitum elicitum, & dicitur *id, quod appetunt omnia, quae habent sensum, vel intellectum*: omnia enim, quae vel per sensum, vel per intellectum cognoscunt suum bonum, mouentur ad illud appetendum. Quia verò intellectio boni necessario mouet ad eius appetitum, potest etiam bonum definiri, *id, quod omnia appeterent, si haberent intellectum*. In ordine ad intellectum potest bonum definiri, *quod intellectus vnicuique dederit tanquam illi conueniens*: ex. gr. quia diuinus intellectus dat aquae frigus, vt illi conueniens, igni verò calorem, ideo frigus est bonum aquae, calor est bonum ignis. Quia verò poterat dubitari, de quo intellectu esset sermo, ideo ad id explicandum Aristoteles addit aliam definitionem, ac dicit: *id quod intellectus, qui de vnoquoque est, intellectus nimirum diuinus, dederit vnicuique, id esse bonum vniuscuiusque*. In ordine ad subiectum bonum definiri potest id, quo praesente bene res disponitur, & sufficienter se habet; vel id quod sufficiens est subiecto ad hoc, vt bene se habeat.

3 Bonum vtile definiri potest, *quod est effectiuum, vel conseruatiuum eorum, quae superioribus definitionibus sunt descripta; vel ad quod ea sequuntur: vel quod est prohibitiuum, aut corruptiuum contrariorum*: ex. gr. eo ipso, quod sanitas sit bona in ratione finis, omnia sanitatis effectiua, & conseruatiua, vel ad quae quomodolibet sequitur sanitas, vel quae prohibent, aut corrumpunt aegritudines sanitati contrarias, habent rationem boni vtilis ad sanitatem. Quia verò in definitionibus allatis dictum est bonum vtile esse id, quod est effectiuum boni finalis, & ad quod sequuntur bona finalia, ideo Aristoteles distinguit varios modos, quibus aliqua possunt esse effectiua aliorum, vel talia, vt ad ipsa sequantur alia. Dupliciter igitur potest vnum sequi ex alio; primo vt sit simul cum illo, ex quo sequitur; secundo vt sit post: ex. gr. ex eo, quod aliquis addiscat, sequitur vt sciat id, quod addiscit, non quidem tum, cum addiscit; neque enim simul addiscit, ac scit; sed postquam didicerit. E conuerso ex eo, quod aliquis bene valeat, sequitur vt viuat tum, cum bene valet. Tripliciter potest vnum esse effectiuum alterius. Primo potest esse effectiuum in genere causae formalis, eo pacto, quo *beneualere* est effectiuum sanitatis

tis formaliter: secundo in genere causæ efficientis, eo pacto, quo alimenta sanitatem efficiunt: tertio in genere causæ disponentis, eo pacto, quo exercitium vt plurimum disponit ad sanitatem.

4 *His ita determinatis, acquisitiones bonorum, & malorum abiectiones necessario bonæ sunt. Has enim, ne malum habeas, simul consequitur: illas vero, vt bonum adipiscaris, postea.*

5 *Maioris quoque boni pro minore, & minoris mali pro maiore acceptio. Nam quo minus exceditur à maiore, id illius acquisitio, huius abiectio est.*

6 *Virtutes etiam necesse est bonum esse, cùm bene ijs afficiantur qui habent, & effectiuæ, atque actiuæ bonorum sunt. Verum de singulis, & quæ, & quales, separatim tractandum.*

7 *Voluptatem quoque esse bonum constat, cùm animalia ipsam secundum naturam appetant. Quare iucunda, ac speciosa bona esse necessarium est. Nam & illa voluptatis efficientia sunt, & ex speciosis quædam delectant, quædam expetibilia per seipsa sunt.*

4 Quoad secundum: Ex positis definitionibus sequitur ita manifestè aliqua esse bona, vt de ijs dubitari non possit. Primo ergo infertur tum bonorum sumptiones, tum malorum abiectiones, ac depulsiones esse bona. Ex dictis enim id, ex quo sequitur bonum, est bonum; sed ad malorum abiectiones sequitur simul *non habere malum*: ex. gr. ex eo, quod quis abijciat ægritudinem, sequitur simul, vt non habeat ægritudinem, ex eo quod quis per disciplinam acquirat scientiam, sequitur, vt postquam didicerit, habeat bonum scientiæ, ergo &c.

5 Secundo sequitur bonam esse sumptionem maioris boni loco minoris, & sumptionem minoris mali loco maioris. Qui enim accipit maius bonum loco minoris, acquirit illum excessum boni: qui accipit malum minus, abijcit, & depellit excessum mali; sed excessus boni est bonus, excessus mali est malus; ergo qui accipit bonum maius loco minoris, accipit aliquod bonum; qui accipit malum minus loco maioris, abijcit aliquod malum; sed acceptio boni est bona, abiectio mali est mala; ergo &c.

6 Tertio infertur virtutes esse bonas. Ex dictis enim num. 2. & 3. ea, per quæ bene affieitur subiectum, & sunt effectiua, atque actiua bonorum, bona sunt; sed virtutes effectiuæ sunt actuum bonorum, ac bene subiectum disponunt; ergo &c. De vnaquaque verò virtute, quæ, & qualis sit, agendum est infra.

7 Quarto infertur voluptatem esse bonam. Ex dictis enim num. 2. bonum est quod appetunt omnia, quæ sensum habent; sed omnia animalia, quæ sensum habent, naturaliter appetunt voluptatem; ergo &c. Hinc vlterius sequitur omnia iucunda, & honesta esse bona, sed diuersimodè. Iucunda enim sunt bona, in quantum sunt voluptatis effectiua; honesta sunt bona, in quantum sunt per se, & gratia sui eligibilia.

8 *Vt vero sigillatim dicamus, hæc bona esse necesse est: felicitatem quidem, cum per se ipsam expetibilis sit, atque sufficiens, multaque gratia huius appetimus: iustitiam, fortitudinem, modestiam, magnanimitatem, magnificentiam, cæterosque huiuscemodi habitus, qui animi virtutes sunt. Præterea sanitatem, formam, & huiusmodi: corporis nanque virtutes hæc sunt, & effectiua multorum, veluti sanitas, & viuendi, & voluptatis. Idcirco multis quoque optimum esse videtur, cum horum duorum, quæ præcipua sunt, causa sit, viuendi scilicet, ac voluptatis. Ad hæc diuitias: possidendi enim hæc virtus est, & multorum effectiua. Amicum quoque, ac amicitiam: nam amicus expetibile per se, ac multorum effectiuum est. Item honorem, ac gloriam: iucunda enim sunt, & effectiua multorum, ac vt plurimum ea vere inesse ostendunt, propter quæ fiunt. Dicendi etiam atque agendi virtutem. Nam omnia hæc bonorum effectiua sunt. Similiter ingenium, memoriam, discendi facilitatem, mentis præstantiam & quæ huiusmodi sunt: bonorum enim effectiuæ omnes hæ virtutes sunt. Eodemque modo scientias omnes, ac artes, & viuere ipsum: nam etiam si nihil aliud bonum inde sequeretur, per seipsum tamen expetendum est. Ad hæc iustum ipsum, quoniam publice conducit. Hæc ferme sunt quæ apud omnes bona esse constat.*

8 Quinto vt breuiter sub vnum aspe-

ctum ponamus ea, quæ manifestè sunt bona, primo felicitas necessario est bona: est enim per se eligibilis, per se sufficiens, & gratia felicitatis multa eligimus. Secundo boni sunt habitus fortitudinis, temperantiæ, magnanimitatis, magnificentiæ &c. siquidem sunt virtutes animi. Tertio bona etiam sunt sanitas, pulchritudo &c: nam & sunt virtutes corporis, & præterea habent vim effectiuam aliorum bonorum: ex. gr. sanitas est effectiua voluptatis, & viuendi, ideoque videtur optima, cum sit effectiua duorum, quæ ab aliquibus maximo habentur in pretio, hoc est voluptatis, ac vitæ. Quarto etiam diuitiæ sunt bonæ: nam & sunt virtutes possessionis, ac potentiæ possessiuæ, & sunt effectiuæ multorum bonorum. Quinto amicitia, & amicus habent rationem boni: nam & amicus est per se eligibilis, & est multorum bonorum effectiuus. Sexto bona sunt etiam honor, & gloria: nam & iucunda sunt, & multorum bonorum effectiua, & vt plurimum ipsa comitantur ea bona, propter quæ homines honorantur. Septimo bona est etiam potentia dicendi, & agendi: nam multorum bonorum sunt effectiuæ. Octauo bonum est ingenium, memoria, docilitas, perspicacia &c: nam tales potentiæ naturales sunt effectiuæ bonorum. Nono bonæ sunt omnes scientiæ, & artes, atque ipsum viuere, siquidem est per se eligibile, etiamsi nullum aliud ex ipso bonum sequatur. Decimo demum iustum est bonũ, siquidem conducit ad bonum commune. Ex definitionibus igitur allatis sequitur omnia hactenus enumerata indubitanter esse bona.

9 *Ea vero, de quibus dubitatur, ex ijs bonum esse ratiocinabimur. Cuius contra-*
10 *rium malum est.* * *Et cuius contrarium inimicis conducit, id bonum est. Verbi gratia, si timidos nos esse, hostibus maxime conducit, fortitudo nobis vtilissima est.*

11 *Et omnino quod inimici optant, aut quo gaudent, huius contrarium nobis vtile est. Vnde illud excogitatum Homero est: profecto Priamus Lætabitur. Sunt autem non semper hæc, sed plerunque bona, cùm nihil obstet interdum vnum, ac idem aduersarijs, & nobis conferre. Vnde & cùm eadem res vtrisque incommoda sit, dici solet, mala cunctis similiter hominibus obesse.*

12 *Item quod modicum est, id bonum: nam quod maius est, quàm oporteat, id malum est.*

13 *Et cuius gratia multos pertulerunt labores, aut multa consumpserunt: iam enim bonum id apparet, ac vt finis & quidem multorum existimatur: finis vero bonus est. Hinc illud Homero dictum est: Ast Priamo gloriam: & illud: Turpèque diu trahere moram: Prouerbium quoque hinc, in ianua vrceum.*

9 Quoad tertium: Plura sunt principia, pluresque propositiones, quibus possumus ostendere aliqua, de quibus dubitatur, vtrum sint bona nec ne, verè esse bona. Prima propositio est: cuius contrarium est malum id est bonum.

10 Secunda est: illud est bonum, cuius contrarium inimicis conducit: ex. gr. quia hostibus conducit ciues esse timidos, fortitudo timiditati contraria vtilis est ciuibus.

11 Tertia est: vniuersaliter illud est bonum, cuius contrarium volunt hostes, eoque gaudent, ideoque bene Homerus ad ostendendum aliquid esse Græcis malum, dixit; *Profecto gaudebit Priamus.* Addit tamen Aristoteles non semper, sed plerumque accidere, vt id sit bonum, cuius contrarium expedit inimicis. Non enim repugnat eadem esse inimicis vtilia, vel perniciosa, ideoque cum eadem res inimicis est mala, & perniciosa, dicitur, *mala homines vnire, & congregare*, vt cum duo qui erant inimici, vniuntur contra aliquem tertium hostem communem.

12 Quarta propositio est: illud est bonum, cuius non est excessus; quod enim est maius, quam oporteat, est malum.

13 Quinta est: Illud est bonum, cuius gratia multi suscepti sunt labores, ac multi sumptus facti. Licet enim possit non esse bonum verum, saltem est bonum apparens, siquidem propositum est, vt finis multorum laborum, & impensarum: finis autem habet rationem boni. Hinc apud Homerum Græci incitabantur ad Troiam expugnandam ex eo, quia alioquin tot pro eius vrbis expugnatione labores suscepti, in gloriam Priami redundassent; & quia turpe erat longiorem moram trahere post tot expensas. Prouerbij etiam loco dicitur, *in foribus Hydriam*, fortasse de ijs, qui

qui postquam hydriam aqua plenam magno labore ex longinquo fonte domum vsque detulerunt, in ipsis ianuis domus, sinunt illam è manibus elabi, ac frangi.

14 *Ad hæc, quod multi expetunt, cuiusque causa bella suscipi videntur. Nam quod omnes expetunt, id bonum. Multi vero, quasi omnes apparent.*

15 *Item laudabile: nemo enim laudat quod bonum non est. Et quod inimici, ac praui laudant: quasi enim omnes iam laudant, cùm vel illi, de quibus male meritus est, laudant. Quoniam enim perspicue bonum est, idcirco plures laudare videntur: veluti etiam ij praui, quos amici vituperant: & ij boni, quos inimici laudibus ornant. Quapropter conuitiatum Simonidem Corinthij sibi putarunt, quòd cecinerit non conqueri de Corinthijs Ilium.*

16 *Item quòd prudentium, ac bonorum virorum quispiam, vel fœminarum prætulit, vt Vlyssem Minerua, Helenam Theseus, Alexandrum Deæ, Achillem Homerus.*

17 *Ac vniuersaliter quæcunque eligibilia sunt: eligunt enim, ac agunt quæ dicta sunt. Et quæ inimicis obsunt, ac amicis prosunt. Item possibilia quæ duplicia sunt, quæ vix fierent, & quæ facile. Facilia vero sunt, quæ vel sine dolore, vel tempore breui fiunt: difficile enim aut dolore, aut magnitudine temporis definitur.*

14 Sexta propositio est: illud est bonum, quod multi expetunt, ac de quo contendere inter se homines consueuerunt. Multi siquidem videntur quasi omnes; ergo sicut id, quod omnes expetunt, indubitanter est bonum, ita quod multi expetunt, bonum videtur.

15 Septima propositio est: quod est laudabile, est bonum, præsertim verò quod etiam inimici, ac praui laudant. Ratio est, quia nemo laudat id, quod non existimat bonum; ergo cum etiam inimici, ac praui, adeoque malè erga aliquid affecti, adhuc ipsum laudant, omnes confitentur id esse bonum; ergo euidens est illud esse bonum: nam sola euidentia potest cogere inimicos, prauos, & malè affectos ad confitendum aliquid esse bonum. Simili ratione ostenditur eos, quos etiam amici vituperant, esse prauos, eos autem, quos etiam inimici laudant, esse bonos. Hinc Corinthij arbitrati sunt se contumelia affectos fuisse à Simonide poeta, cum cecinit: *De Corinthijs autem non conqueritur Ilium*, quasi Troiani hostes, cum conquerendo de cæteris Græcis, eorum fortitudinem laudarent, de solis Corinthijs non conquererentur, adeoque solos illaudatos relinquerent.

16 Octaua propositio: illud est bonum, quod cæteris suo iudicio prætulit aliquis vir prudens, ac probus, vel aliqua fæmina prudens, ac proba: ex. gr. quia Minerua cæteris prætulit Vlyssem, Theseus Helenam, tres Deæ Paridem, Homerus Achillem, ideo omnes isti boni sunt censendi.

17 Nona propositio est: bona sunt vniuersim, quæ sunt eligibilia. Sed explicandum est, quænam communiter homines eligant. Homines eligunt facere primo, quæ hactenus sunt explicata: secundo eligunt facere quæ sunt inimicis mala, amicis autem bona: tertio eligunt facere quæ sunt possibilia. Possibilia porro dicuntur dupliciter. Primo possibilia dicuntur, quæ quomodocumque possunt effici: secundo possibilia dicuntur, quæ facile possunt effici. Facilia verò dicuntur, quæ vel fiunt sine molestia, vel fiunt breui tempore: sicut è contrario difficile definitur, quod vel fit cum dolore, vel fit longo tempore. Quia igitur quæ mala sunt inimicis, bona amicis, ac quæ sunt possibilia, atque facilia, censentur eligibilia, ideo censenda sunt etiam bona.

18 *Item si vt optant fit: optant autem, vt nihil mali, aut bono minus: quod erit, si aut celare possunt, ne puniantur, aut pœna parua sit. Item quæ sua, & quæ nemo, & quæ vltra necessarium vsum sunt: sic nanque honorem magis consequuntur. Item quæ sibi coaptantur, cuiusmodi sunt, quæ sibi ex genere pertinere, aut viribus suis conuenire, ac quamuis parua sint, tamen sibi deesse arbitrantur. Nec enim minus hæc agere optant.*

19 *Item quæ ad exitum facile perducere putant. Possibilia enim hæc, sicuti facilia. Ad exitum autem commode perduci putantur, quæ omnes, aut plures, aut pares, aut minores gesserunt. Item quæ amicis grata, & inimicis molesta. Item quæcunque ij eligunt, quos singulares ducunt. Item ea, quorum vsum habent, & ad quæ apti natura sunt: hæc enim facilius se gesturos em-*

omnes arbitrantur. Item quæ nemo improbus: hæc enim laudantur magis. Item quæ cupiunt: nam hæc & iucunda, & meliora videntur. Item ea vnusquisque, quibus maxime afficitur: vt bellicosus victoria, ambitiosus honore, auarus pecunia: eodemque modo cæteri. De bono igitur, ac vtili ex ijs faciunda fides est.

18 Decima propositio est: bonum est, cum vt homines volunt, atque optant, ita fit. Sed explicandum, quæ nam communiter homines velint, atque optent. Primo homines volunt bonum purum, ac sine vlla mistione mali, vel saltem vt si tali bono admistum est aliquid mali, malum fit minus bono: ex. gr. qui deliquit, optat nullam subire pænam, si verò non potest omnem pænam effugere, optat vt talis pæna sit occulta, vel saltem vt sit parua. Secundo cupiunt homines possidere bona, quæ sint ipsorum propria. Tertio optant ea, quæ nullus alius possidet. Quarto optant, quæ sunt vltra necessarium vsum: maiorem enim ex his honorem consequuntur. Quinto optant bona ipsis proportionata, hoc est conuenientia generi, ac potentiæ ipsorum. Sexto optant quæ existimant sibi ad suum statum deesse, quamuis parua sint, ideoque hæc pusilla agenda sibi putant non minori studio, quam si essent magna.

19 Vndecima propositio est: bona sunt, quæ homines solent aggredi. Sed explicandum, quæ nam soleant homines aggredi? Primo solent aggredi ea, quæ putant facile posse ad exitum perduci; siquidem hæc possibilia sunt, & facilia. Ea autem facile videntur posse ad exitum perduci, quæ vel omnes, vel plures, vel similes, ac pares, vel minores ad exitum perduxerunt. Secundo aggrediuntur ea, quæ sunt amicis grata, inimicis molesta. Tertio aggrediuntur ea, quæ facere eligunt ij, quos admirantur. Quarto aggrediuntur ea, ad quæ facienda se vel propter naturam, vel propter experientiam aptos intelligunt: existimant siquidem facile se illa ad exitum perducturos. Quinto aggrediuntur ea, quæ nemo malus aggreditur: videntur enim magis laudabilia. Sexto aggrediuntur ea, quæ cupiunt: nam non solum iucunda videntur, sed etiam meliora. Sexto demum maximè vnusquisque aggreditur ea, à quibus talis ducitur: ex. gr. quia victoriæ cupidus ducitur à victoria, maxime aggreditur facere, quæ ad vincendum pertinent; quia ambitiosus ducitur ab honore, auarus à pecunijs, ambitiosus maximè aggreditur ea, quæ conducunt ad consequendos honores, auarus quæ conducunt ad consequendas pecunias, idemque dic de alijs. His igitur propositionibus possumus vti ad probandum aliquid esse bonum, vel vtile.

De principijs, & propositionibus, ex quibus potest ostendi aliquid esse magis, aut minus bonum. Cap. VII.

1 *VErum quoniam sæpenumero quid vtile sit concedentes, quid magis conferat quærunt, de maiore nunc bono, ac magis vtili dicendum videtur.*

2 *Sit igitur excedens quidem, quod tantum, & amplius. Excessum vero, quod inest. Et maius quidem, & plus semper ad minus. Magnum vero, ac paruum, & multum, ac paucum, ad multorum magnitudinem. Magnum igitur excedens est: cui autem deficit, id paruum. Multum quoque, ac paucum, eodem modo.*

3 *Quoniam ergo bonum dicimus, quod non alterius, sed sui ipsius gratia est expetibile; & quod appetunt omnes, & quod quæcunque mentem, aut prudentiam habent, expeterent; & efficiens, ac conseruans, vel id, ad quod hæc consequuntur: id vero cuius gratia, finis est: is nanque est, gratia cuius cætera: quoniam etiam id ipsi bonum, quod sic ad ipsum dispositum est.*

1 QVia sæpe qui deliberant fatentur vtrumque eorum, quæ in deliberationem cadunt esse vtile, ac solum dubitant, vtrum sit vtilius? ideo proponendæ sunt etiam definitiones, ac propositiones, quibus tanquam principijs possit orator vti ad ostendendum aliquid esse maius bonum, ac magis vtile alio, de quo est controuersia. Primo ergo ponendæ sunt definitiones, quibus explicetur, quid sit excedens, & excessum, maius, aut minus, magnum, ac paruum, ac in memoriam reuocandæ sunt definitiones boni, quas capite superiori attulimus: secundo ex his inferendæ sunt propositiones, ex quibus

bus possit ostendi aliquid esse maius, aut minus bonum, quam aliud.

2 Quoad primum: excedens est, *quod est tantum, & amplius: excessum est, quod inexistit alteri*. Maius, & plus manifestè dicuntur cum relatione ad minus: at magnum, & paruum, multum, & paucum, licet non ita expresse dicant relationem, adhuc etiam ipsa sunt relatiua. Magnum enim est quod excedit pleraque eiusdem generis: paruum est, quod exceditur à plerisque eiusdem generis. Multum etiam est, quod excedit: paucum quod deficit: ex. gr. magnus homo est, qui excedit plerosque homines: paruus est, qui à plerisque exceditur &c.

3 Bonum ex dictis capite superiori est: *& quod sui, non autem alterius gratia est eligibile; & quod omnes appetunt; & quod eligerent, qui habent intellectum, ac prudentiam; & quod est borum efficiens, aut conseruatiuum, aut vniuersim tale, vt ad ipsum hæc sequantur*. Ex his bonis id, *cuius gratia* est finis, siquidem finis est, cuius gratia cætera fiunt. Illud verò, quod licet non sit tale absolutè, adhuc est tale huic, bonum est huic. Nam præter bonum absolutè, datur etiam bonum vniuscuiusque.

4 *Necesse est plura vno, ac paucioribus connumeratis, maius esse bonum: excedit enim: quod vero inest, exceditur.*

5 *Item si maximum à maximo exceditur, ipsa quoque ab ipsis. Quòd si ipsa ab ipsis, maximum quoque à maximo. Vt si vir maximus maior est, quàm fœmina maxima, omnino quoque viri fœminis maiores: & si omnino maiores sunt fœminis uiri, uir quoque maximus maxima fœmina maior. Excessus enim generum, & eorum, quæ in generibus maxima sunt, proportionabiliter se habent.*

6 *Item cùm quippiam ex aliquo sequitur, & hoc ex illo non sequitur: sequitur autem aut simul, aut postea, aut potestate. Nam usus eius, quod sequitur, in altero est. Sequitur autem simul, quòd si sanus est, uiuat: ex hoc uero illud non sequitur. Scire uero ex discere postea sequitur. Sed potestate ad sacrilegium furtum sequitur. Nam qui rem sacram abstulit, priuatam quoque abstulisset.*

4 Quoad secundum: ex positis definitionibus inferuntur propositiones, seu loca, quibus vti possumus ad ostendendum aliquod bonum esse maius altero. Prima ergo propositio, seu primus locus est: necesse est plura bona esse meliora vno, & paucioribus, si illud vnum, vel illa pauciora connumerentur, & contineantur in pluribus: ex. gr. iustitia, fortitudo, ac temperantia sunt meliora sola iustitia, ac iustitia, & fortitudine, simul sumptis. Ratio est, quia excedens est maius excesso, & continens est maius contento; sed plura bona se habent ad vnum, vel pauciora, quæ connumerantur inter plura, sicut excedens ad excessum, & sicut continens ad contentum; ergo &c. Non tamen est necesse, vt plura bona sint meliora vno, vel paucioribus, quæ non contineantur in pluribus, eo pacto, quo non est necesse, vt plura bona iucunda sint meliora vno, vel paucioribus bonis honestis.

5 Secunda propositio est: si maximum vnius generis excedit maximum alterius generis, etiam tale genus excedit aliud genus: & è conuerso si vnum genus excedit aliud genus, etiam maximum talis generis excedit maximum alterius generis: ex. gr. si maximus inter viros est maior maxima inter feminas, etiam viri sunt maiores fæminis: & si viri sunt maiores fæminis, etiam maximus inter viros est maior maxima inter feminas. Ratio est, quia excessus generum, & eorum, quæ maxima sunt in talibus generibus, proportionaliter sibi respondent.

6 Tertia propositio est: cum duo bona ita se habent, vt vnum sequatur ex alio, non è conuerso, illud, quod ex alio non sequitur, est maius: ex. gr. quia *viuere*, ac *bene viuere* ita se habent, vt *viuere* sequatur ad *bene viuere*, *bene autem viuere* non sequatur ad *viuere*, ideo *bene viuere* est maius bonum, quam *viuere*. Porro tripliciter potest aliquid ex altero sequi; primo ita, vt sit simul tempore cum eo, ex quo sequitur; secundo ita, vt sit posterius tempore; tertio ita, vt contineatur potestate, ac virtute in eo, ex quo sequitur, ita vt vsus eius, quod consequitur, quodammodo includatur, ac lateat in vsu alterius. Simul tempore ex eo, quod aliquis sit sanus, sequitur vt viuat: necesse est enim, vt dum aliquis est sanus, viuat, licet non sit necesse è conuerso, vt dum aliquis viuit, sit sanus. Posterius tempore ex eo, quod aliquis discat, sequitur

tur vt sciat: postquam enim aliquid didicimus, scimus illud. Potestate, ac vi ex eo, quod aliquis sacrilegium faciat, sequitur, vt furtum etiam priuatum faciat. Qui enim rem sacram deprædatur, multo magis, si præbeatur occasio, res priuatas furabitur. Quocunque ex his modis vnum sequatur ex alio, id, ex quo aliud sequitur, est maius eo, quod sequitur.

7 *Præterea illa maiora sunt, quæ eandem rem maiore excedunt: cùm necesse sit ipsum quoque maius excedi.*

8 *Ad hæc quæ maioris boni efficientia sunt, ipsa quoque maiora sunt. Id enim erat effectiuum esse maioris.*

9 *Illud quoque cuius efficiens maius, eodem modo. Nam si salubre iucundo eligibilius, maiusque bonum, sanitas voluptate quoque maior.*

10 *Item quod per se expetibile est, eo eligibilius est, quod non per se: vt vires salubribus rebus, cùm hæ non sui gratia, illæ sui gratia, quæ boni ratio erat, expetantur.*

11 *Item si alterum finis sit, alterum non. Hoc enim alterius gratia est, illud sui: vt exerceri ad sanitatem se habet.*

12 *Item quod minus alio, aut alijs indiget: est enim sufficientius. Indiget autem minus, quod paucioribus, aut facilioribus indiget.*

13 *Et cùm hoc absque illo aut non sit, aut fieri non possit, illud verò absque hoc fieri possit. Nam cùm sufficientius sit quod non indiget, maius bonum videtur.*

14 *Item si vnum principium est, alterum non est. Et si causa vnum, alterum non, propter eandem causam. Nam sine principio, aut causa impossibile est esse, aut fieri.*

7 Quarta propositio est: ex duobus excedentibus idem tertium, quod magis excedit, est maius. Necesse enim est, vt excedat alterum eo maiori excessu, quo excedit tertium. Ex. gr. quia tum numerus quaternarius, tum ternarius excedit binarium, quaternarius autem excedit magis, quam ternarius, necesse est, vt quaternarius excedat ternarium.

8 Quinta propositio est: quod est effectiuum maioris boni, est maius bonum. Ratio est, quia essentia effectiui consistit in hoc, vt habeat in se id, cuius est effectiuum; ergo quod est effectiuum maioris boni, habet in se maius bonum, adeoque est maius bonum.

9 Sexta propositio, quæ est conuersa antecedentis est: id, cuius efficiens est melius, etiam ipsum est melius: ex. gr. quia sanitas efficitur à salubri, voluptas à iucundo, si salubre est melius, & eligibilius iucundo, sanitas etiam est melior, & eligibilior voluptate.

10 Septima propositio est: quod est expetibile gratia sui melius est eo, quod non est expetibile gratia sui: ex. gr. quia robur est expetibile gratia sui, sanatiuum autem non est expetibile gratia sui, sed gratia sanitatis, robur est melius sanatiuo: siquidem ratio boni consistit in hoc, vt sit expetibile gratia sui.

11 Octaua propositio est: si alterum sit finis, alterum non, quod est finis, est melius: eo enim ipso quod est finis est expetibile gratia gratia sui, quod non est finis non est expetibile gratia sui: ex gr. quia exercitiuum non experitur vt finis, sanitas expetitur vt finis, sanitas est melior exercitio.

12 Nona propositio est: quod minus indiget alio, vel alijs, est melius, siquidem est sufficientius. Dicitur autem minus indigere, quod facilioribus, aut paucioribus indiget.

13 Decima propositio est: cum duo se habent ita, vt vnum sine altero non possit esse, ac fieri, alterum verò è conuerso possit esse sine illo, quod potest esse sine altero, est maius bonum, Ratio est, quia cum sit minus indigens, eo ipso est magis sufficiens, adeoque est melius.

14 Vndecima propositio est: quod est principium, aut causa, est melius eo, quod non est principium, neque causa. Cum enim impossibile sit, vt quod non est à se, sine principio, ac causa sit, aut fiat, indiget causa, & principio, adeoque quod est principium, & causa, est melius illo.

15 *Cùmque duo principia diuersorum sint, quod à maiore principio est, maius est, & quod à maiore causa similiter: & è conuerso, duorum principiorum aut causarum, quod maioris principium, aut causa, maius est. Ex dictis itaque patet vtrunque maius esse. Quod si alterum principium est, alterum non, illud maius videbitur. Et hoc etiam, quod principium non est. Nam finis maius est, & tamen principium non*

non est: vt accusando Leodamas ad Callistratum dixit eum, qui consuluit, magis peccasse, quàm qui fecerit, quoniam non esset factum, nisi consultum fuisset: Chabrias vero, eum qui gessit, peccasse magis, quàm qui consuluit: non enim factum esset, nisi fuisset qui faceret. Huius enim gratia consulunt, vt agant scilicet.

16 *Praeterea quod rarius est, eo maius, quod abundantius, vt aurum ferro: inutilius enim ferrum. Auri nanque maior possessio, quoniam difficilius inuenitur. Alia vero consideratione, quod abundat magis, id maius est, quoniam eo in pluribus vtimur. Rarum nanque à frequenti exceditur: vnde dicitur aquam esse optimam. Et summatim difficiliora facilioribus, quoniam rariora sunt. Et faciliora difficilioribus consideratione alia, quoniam habeantur cùm volumus.*

15 Duodecima propositio est: ex duobus principiatis, vel causatis, id, quod est à maiori principio, & causa, est maius; & è conuerso ex duobus principijs, & causis, quod est principium, & causa maioris, est maius. Addit Aristoteles ex vna parte videri, quod principium sit maius non principio, ex alia parte videri, quod non principium sit maius principio. Finis enim est maius, & tamen non est principium. Idcirco Leodamas Callistratum accusans dixit eum, qui consuluit magis peccasse, quam qui fecit, quia alter non fecisset, nisi alter consuluisset. Chabrias è conuerso asseruit eum, qui fecit peccasse magis, quam qui consuluit, neque enim fuisset factum, nisi inuentus fuisset qui faceret, siquidem consilium habet pro fine opus: ideo enim consulunt, vt alter faciat.

16 Decima tertia propositio est: ex vna parte quod est rarius videtur praestantius eo, quod est minus rarum: ex. gr. aurum quia rarius est ferro, licet sit inutilius, adhuc est praestantius ferro, siquidem possessio auri pluris aestimatur propter difficultatem possidendi ipsum. Ex alia parte id, cuius maior est copia, videtur melius eo, quod est rarius. Tales enim res expetuntur propter vsum; sed maior est vsus eorum, quorum est maior copia; ergo ea, quorum maior est copia, sunt meliora, & appetibiliora, ideoque dicitur, quod optima est aqua, quia maxima est copia ipsius. Vniuersim autem ex vna parte difficiliora videntur meliora facilioribus, quia sunt rariora: ex alia parte faciliora videntur meliora difficilioribus, quia habemus illa cum volumus.

17 *Praeterea cuius contrarium maius. Item cuius priuatio maior.*

18 *Item virtus non virtute, & vitium non vitio maius: cùm illa fines sint, haec non sint.*

19 *Item quorum opera pulchriora, vel deformiora, ipsa quoque maiora. Item quorum vitia, & virtutes maiores sunt, eorum quoque opera maiora sunt: siquidem sicut causae, principiaque se habent, sic & effectus: & sicut effectus, sic & causa, & principia.*

20 *Praeterea quorum excessus eligibilior, aut pulchrior: veluti bona oculorum acie vti, eligibilius, quàm olfactu bono: nam & uisus olfactu eligibilior. Et similiter amicorum esse studiosum, pulchrius, quàm pecuniarum: quare studia quoque in amicos, pecuniarum studio: & contra rerum meliorum excessus meliores sunt, & pulchriorum pulchriores.*

17 Decima quarta propositio est: cuius contrarium, aut priuatio est maius, etiam ipsum est maius: ex. gr. quia aegritudo contraria sanitati est peior paupertate, quae est contraria diuitijs, sanitas est melior diuitijs: & quia caecitas, quae est priuatio visus, est peior surditate, quae est priuatio auditus, visus est melior auditu.

18 Decima quinta propositio est: virtus est maior, ac melior non virtute, & vitium est maius, & peius non vitio: ex. gr. quia temperantia est virtus, continentia autem licet sit habitus bonus, adhuc non est virtus, temperantia est melior continentia. Quia rursus intemperantia est vitium, incontinentia autem licet sit habitus malus, adhuc non est vitium, intemperantia est peior incontinentia. Ratio autem est, quia virtus, & vitium habent rationem finis, & perfecti in genere habitus boni, vel mali; habitus autem boni, aut mali habent rationem imperfecti; sed perfectum est maius imperfecto; ergo &c.

9 Decima sexta propositio est: virtutes, ac vitia, quorum actus, & opera sunt honestiora, & inhonestiora, sunt maiora: & è conuerso opera, quae procedunt à maioribus virtutibus, & vitijs sunt maiora:

ra: ex. gr. quia honestiora sunt opera fortitudinis, quam opera temperantiæ, fortitudo est virtus maior temperantia; & è conuerso, quia fortitudo est virtus maior temperantia, opera fortitudinis sunt maiora, & honestiora operibus temperantiæ, Ratio est, quia causæ, & principia proportionantur effectibus, & effectus proportionantur causis, ac principijs, ex quibus proficiscuntur.

20 Decimaseptima propositio est: ea sunt meliora, quorum excessus sunt meliores, & eligibiliores: & è conuerso rerum meliorum excessus sunt meliores: ex. gr. quia eligibilius est exquisitè videre, quam exquisitè olfacere, visus est melior olfactu: & quia honestius est esse studiosum sodalium, quam esse studiosum pecuniarum, studium acquirendi sodales melius est studio comparandi pecunias.

21 *Præterea quorum cupiditas melior, aut laudabilior: maiorum nanque rerum maior appetitio est: & propter idipsum meliorum, laudabiliorumque cupiditates laudabiliores, melioresque sunt.*

22 *Præterea quorum scientiæ pulchriores sunt, magisque expetuntur, ipsæ quoque res pulchriores sunt, & magis expetuntur. Nam sicut scientia, sic & ipsa veritas: vnaquæque autem quod suum est, præcipit. Eadem etiam de causa rerum, quæ magis expetuntur, ac pulchriorum scientiæ, proportionaliter se habent.*

23 *Præterea quod censerent, aut quod iam decreuerunt prudentes, vel omnes, vel multi, vel plures, vel præstantes maius esse bonum, id necessarium est, aut simpliciter ita se habere, aut inquantum secundum prudentiam iudicarunt. Id autem etiam cum alijs commune est. Nam et quid, & quantum & quale sic se habet, vt scientia, prudentiaque iudicaret. Verum id ad bona retulimus, quoniam bonum id definitum est, quod vnaquæque res expeteret, si haberet prudentiam: quare patet id esse maius, quod ita prudentia iudicat.*

21 Decimaoctaua propositio est: ea, quorum cupiditates sunt honestiores, sunt meliora: maiorum enim maiores sunt appetitiones: & è conuerso cupiditates honestiorum, ac meliorum sunt honestiores, ac meliores ex eadem causa: ex. gr. quia honestior est cupiditas scientiarum, quam cupiditas diuitiarum, scientiæ honestiores sunt diuitijs: & è conuerso quia scientiæ honestiores sunt diuitijs, cupiditas scientiarum honestior est cupiditate diuitiarum.

22 Decimanona propositio est: ea, circa quæ versantur scientiæ honestiores, & meliores sunt honestiora, & meliora: & proportionaliter scientiæ, quæ versantur circa honestiora, & meliora sunt honestiores, & meliores. Ratio est, quia proportionaliter se habent scientiæ, ac veritates, circa quas tales scientiæ versantur. Singulæ verò scientiæ negotiantur circa proprium subiectum.

23 Vigesima propositio est: id, quod prudentes, vel omnes, vel multi, vel plures, vel præstantes iudicarent, vel iudicarunt esse bonum, vel esse maius bonum, necesse est tale esse, vel simpliciter, vel saltem si secundum prudentiam iudicarunt. Porro hoc principium est commune etiam alijs prædicatis. Vnumquodque enim tale est secundum substantiam, quantitatem, & qualitatem, quale scientia, ac prudentia ipsum esse affirmauerit; ideoque quemadmodum supra cap 5. applicantes hoc principium bono diximus bonum esse id, quod vnaquæque res expeteret, si prudentiam haberet, sic nunc dicimus illud esse maius bonum, quod prudentia iudicat esse maius bonum.

24 *Item quod melioribus, aut simpliciter inest, aut quatenus meliores: vt fortitudo viribus corporis.*

25 *Præterea quod melior, aut simpliciter eligeret, aut qua melior: vt iniuriam potius pati, quàm inferre. Nam illud iustior profectò eligeret.*

26 *Præterea iucundius, quàm minus iucundum: voluptatem enim omnia insequuntur, & ipsius iucundi gratia appetunt. His enim bonum, ac finis definitur. Iucundius autem, quod à dolore magis abest, et quod longiori tempore iucundum est.*

27 *Et quod melius est minus bono. Bonum enim ipsum vel iucundum est, vel quod per se expetibile est.*

28 *Præterea quorum aut sibi, aut amicis causa esse mallet, ea maiora bona: quæcunque vero minime, ea maiora sunt mala.*

29 *Præterea diuturniora ijs, quæ minus diuturna sunt, & stabiliora instabilioribus. Nam vsus illorum quidem tempore,* bo-

borum vero voluntate superat. Nam rei stabilis vsus prasto magis est cum volueris.

24 Vigesimaprima propositio est: illud, quod inest melioribus, est melius, vel simpliciter, vel saltem si inest ipsis, quatenus meliora sunt: ex. gr. quia fortitudo inest animæ, robur inest corpori, anima autem est melior corpore, fortitudo est melior robore.

25 Vigesimasecunda propositio est: illud est melius, quod melior eligeret, vel simpliciter, vel in quantum est melior: ex. gr. quia melior, & iustior potius eligeret iniuriam pati, quam iniuriam facere, ideo melius est iniuriam pati, quam iniuriam facere.

26 Vigesimatertia propositio est: quod est iucundius, est melius minus iucundo. Ratio est, quia ex dictis bonum est, quod omnia appetunt, finis autem est, quod expetitur gratia sui; sed omnia prosequuntur voluptatem, & appetunt delectari propter ipsum delectari; ergo voluptas est bonum, ac finis, adeoque quod est iucundius est etiam melius. Iucundius porro dicitur tum quod minus molestiæ habet admistum, tum quod diuturniori delectatione nos afficit.

27 Vigesimaquarta propositio est: honestius est melius, quam minus honestum. Honestum enim aut est iucundum, aut per se eligibile; ergo honestius vel est iucundius, vel per se eligibilius; sed tum iucundiora, tum per se eligibiliora sunt meliora; ergo honestius est melius minus honesto.

28 Vigesimaquinta propositio est: ea sunt maiora bona, quorum magis volumus esse causa nobis ipsis, & amicis; ea verò, quorum minus volumus esse causa nobis, & amicis, sunt maiora mala: ex. gr. quia magis volumus nobis, atque amicis esse causa salutis, quam diuitiarum, ideo salus est melior diuitijs.

29 Vigesimasexta propositio est: diuturniora sunt meliora minus diuturnis, ac stabiliora, seu promptiora ad nostra seruitia sunt meliora minus stabilibus. Ratio est, quia diuturnioribus longiori tempore vtimur; stabilioribus autem magis vtimur iuxta nostram voluntatem, cum stabilitas consistat in hoc, vt cum volumus, possimus vti re.

30 *Præterea quæcunque à similibus casibus, atque coniugatis consequuntur: veluti si quod fortiter fit, pulchrius, ac deligibilius fit, quam quod modeste, fortitudo quoque pulchrior, quam modestia? fortem enim esse melius, quam modestum.*

31 *Item quod omnes expetunt, eo quod non omnes: & quod plures, eo quod pauciores. Bonum enim id erat, quod omnes appetunt: quare maius etiam, quod magis appetunt.*

32 *Et quod inimici litigio expetunt, aut qui iudicant, aut qui iudicum sententiam subeunt. Nam illud ita est, vt omnes dicerent: hoc, vt qui potiuntur, & qui sciunt.*

33 *Et interdum etiam quo participant omnes, id maius: vituperabile nanque est, si non participes. Interdum vero quo nemo, aut pauci: idem enim rarius.*

34 *Preterea quæ laudabiliora sunt: pulchriora enim. Et quorum maiora sunt pretia, ipsa quoque similiter. Nam pretium veluti dignitas quædam est. Et quorum iactura maior.*

30 Vigesimaseptima propositio potest desumi ex coniugatis, ac similibus casibus: ex. gr. si quod fortiter agitur est honestius, atque eligibilius eo, quod agitur temperatè, etiam fortitudo est eligibilior temperantia, & melius est *esse fortem*, quam *esse temperantem*.

31 Vigesimaoctaua propositio est: melius est id, quod omnes eligunt, quam quod non omnes eligunt, & quod eligunt plures, quam quod eligunt pauciores. Ratio est, quia bonum est quod omnes appetunt; ergo quod magis appetunt omnes est maius bonum.

32 Vigesimanona propositio est: melius est id, quod communi consensu melius existimant disceptantes inuicem, & inimici; & qui vtpote periti de ea re iudicant, vel quibus periti tale iudicium commiserunt. Ratio est, quia cum etiam disceptantes, & inimici conueniunt in existimando, quod aliquid est melius altero, omnes videntur in hoc conuenire. Cum verò id iudicant periti, vel quibus periti tale iudicium commiserunt, tum videtur tale iudicium à scientibus proficisci.

33 Trigesima propositio est: aliquando maius est bonum, cuius omnes sunt participes; dedecus enim est eo carere: aliquando maius est bonum id, cuius nemo, vel

vel pauci sunt participes: est enim rarius.

34 Trigesima prima propositio est: laudabiliora sunt meliora, cum sint magis honesta. Videntur etiam meliora ea, quibus maior tribuitur honor, siquidem honor quodammodo auget dignitatem rei. Ex eadem ratione peiora sunt ea, quæ maioribus pœnis afficiuntur.

35 *Præterea quæ ijs maiora sunt, quæ aut*
36 *certe maiora sunt, aut videntur. * Hæc cùm in partes diuiduntur, multo maiora videntur: plurium enim apparet excessus. Quare poetæ quoque persuasisse Meleagro ait, vxorem vt in prælium exiret, enumerantem quot accidant vrbe capta hominibus mala. Sternuntur populi, ignis concremat vrbem hostilis, trahuntur ab hostibus liberi, & arctius succinctæ mulieres.*

37 *Præterea superpositio, & exaggeratio, vt apud Epicharmum partim eadem de causa, qua diuisio: magnum enim ostendit excessum exaggeratio; partim quoniam principium, atque causa rerum magnarum videtur.*

38 *Verum quoniam id maius est, quod rarius est, atque difficilius, occasiones quoque, ac ætates, loca, tempora, vires, maiores res reddunt. Nam si vltra vires, si præter ætatem, si præter cæteros, si sic, vel hic, vel tunc: pulchritudinis, aut bonitatis, aut iustitiæ, vel oppositorum magnitudinem habebit. Vnde elogium quoque in eum, qui Olympia vicit. Habens prius in humeris asperam asillam ex Argis pisces adferebam. Hinc Iphicrates quoque seipsum laudabat dicens, ex quibus ea fuerunt.*

35 Trigesima secunda propositio est: ea sunt meliora, quæ superant illa, quæ ex communi confessione sunt magna, vel saltem videntur magna.

36 Trigesima tertia propositio, seu trigesimus locus desumitur ex diuisione: quæ enim proponuntur per diuisionem enumerantem singulas partes, multo maiora apparent, quam ante diuisionem viderentur; cuius ratio est, quia per talem diuisionem ob oculos ponitur excessus plurium. Hoc loco vsa est apud Homerum lib. 9. Iliados vxor Meleagri, dum vt Meleagrum impelleret ad hoc, vt succurreret patriæ periclitanti, ne ab hostibus caperetur, per diuisionem enumerat mala, quæ accidunt vrbi ab hostibus captæ, dicens:

Quot mala concurrunt, quando sunt oppida capta?
Occidunt homines, tectisque incendia miscent.
Ast alij adducunt natos, nec non mulieres ornatè cinctas.

37 Trigesima quarta propositio, seu locus est per compositionem, & exagerationem, per quam vna, eademque res pluribus verbis vehementer dicitur. Hoc loco vsus est Epicharmus. Sed quia Epicharmi verba non afferuntur ab Aristotele, & eius opera perierunt, ideo exemplum Epicharmi proponi nequit. Potest igitur afferri exemplum ex Catone, dum ait: decem funera facis: decem capita libera interficis: decem hominibus vitam eripis. Ratio est, quia sicut diuisio, sic etiam compositio magnum ostendit excessum, ac videtur esse principium, & causa rerum magnarum.

38 Trigesimus quintus locus desumitur ex circumstantijs. Quia enim quod est difficilius, ac rarius censetur maius, occasiones autem, ætas, loca, tempora, & vires possunt quædam reddere difficiliora, atque rariora, possunt etiam eadem maiora reddere. Ea igitur, quæ gesta sunt honesta, bona, iusta, vel his contraria, habebunt excessum honestatis, aut iustitiæ, vel inhonestatis, & iniustitiæ, ex eo, quod gesta fuerint supra vires, supra ætatem, supra æquales, hoc modo, hoc loco, hoc tempore &c. Hinc in quodam Epigrammate quidam, qui in ludis Olympicis fuerat victor, de se ipso dicit.

Antea quidem super vtrumque humerum asperum habens sacculum
Pisces ex Argis ferebam Tegeam Arcadiæ vrbem.

quasi maior fuerit victoria ex eo, quod relata fuerat ab homine, qui tam vili opere se exercebat. Iphicrates etiam se ipsum laudauit dicens, *ex quibus ea fuerunt?* Mirabile enim fuit, vt Iphicrates sutoris filius, ob rei militaris scientiam amplissimos honores sit consecutus, & copias Atheniensium duxerit.

39 *Præterea, quod ex seipso est, vt Epictetus ait: difficilius enim. Quare poeta quoque dicit per seipsum didicisse.*

40 *Præterea rei magnæ pars maxima, veluti Pericles in funebri ait oratione. Ita ciuitatem*

tatem iuuentute ablata deformem, vt annus, si ver ab eo remoueretur.

41 *Præterea quæ in maiore inopia, necessitateque requiruntur, veluti quæ in senectute, ac morbo.*

42 *Præterea de duobus, quod fini propius est.*

43 *Præterea quod ipsum, & simpliciter. Præterea possibile melius, quàm impossibile, cum illud in ipso sit, hoc non sit.*

44 *Præterea quæ in fine vitæ. Finis nanque magis sunt ea, quæ prope finem.*

45 *Præterea quæ ad veritatem pertinent, magis, quàm quæ ad opinionem. Definitur autem id, quod ad opinionem sit, hoc pacto: quod ab eo non eligeretur, qui id occultum fore putaret. Vnde accipere, quàm facere beneficium eligibilius esse videtur: illud enim vel si nemo sciat te accepisse, profectò eliges: hoc, si occultum futurum est te contulisse, non videris electurus.*

39 Trigesima sexta propositio est: quod à nobis ipsis habemus maius est, quam quod accepimus ab alijs: est enim difficilius. Idcirco Poeta, hoc est Homerus, se ipsum laudans dixit: à me ipso didici.

40 Trigesima septima propositio est: quod est rei magnæ maxima pars, maius est eo, quod vel est maxima pars rei paruæ, vel est parua pars rei magnæ. Hinc Pericles in oratione funebri dixit, ciuitatem Atheniensem iuuentute in bello ablata, deformem remansisse, vt annus remaneret deformis, si ab eo ver auferretur, adeoque ostendit ciuitatis iacturam fuisse maximam ex eo, quod præcipuam partem amisisset.

41 Trigesima octaua propositio est: ea, quibus indigemus in maiore inopia, ac necessitate maiora sunt ijs, quibus indigemus in minore inopia, & necessitate: ex. gr. ea, quibus indigemus in senectute, & morbo, maiora sunt ijs, quibus indigemus extra tempus senectutis, ac morbi.

42 Trigesima nona propositio est; ex duobus bonis illud est maius, quod est propinquius fini: ex. gr. philosophari melius est, quam philosophiam discere, quia propinquius est fini.

43 Quadragesimus locus est: quod est alicui bonum, est melius illo, quam id, quod cum sit bonum simpliciter, non est bonum illi: similiter quod est alicui possibile est melius eo, quod ipsi est impossibile. Nam quod est alicui impossibile, non est bonum illi, quod autem est possibile alicui, eo ipso bonum est illi.

44 Quadragesimus primus locus est: quæ bona sunt in fine vitæ meliora sunt ijs, quæ sunt bona alijs ætatibus: ex. gr. prudentia, quæ conuenit homini in fine vitæ, melior est fortitudine, quæ conuenit homini alijs ætatibus. Ratio est, quia quæ conueniunt homini in fine vitæ, magis habent rationem finis, quam ea, quæ conueniunt homini, cum est remotior à fine vitæ.

45 Quadragesimus secundus locus est: quæ sunt bona propter ipsam veritatem meliora sunt, quam quæ sunt bona propter opinionem. Illa verò dicuntur bona propter opinionem, quæ si laterent, nemo eligeret. Ex hoc loco potest ostendi beneficio affici melius esse, quam beneficium conferre. Nam omnes eligunt beneficijs affici, etiamsi beneficia accepta debeant latere; at non videntur beneficium conlaturi, si beneficia conlata deberent latere.

46 *Præterea ea, quæ magis esse, quàm videri volunt. Ad veritatem enim magis. Quapropter iustitiam quoque aiunt paruum quid esse, quoniam eligibilius videri, quàm esse: at sanum esse, non ita.*

47 *Insuper quod ad plura vtile, veluti ad viuendum, & ad bene viuendum, & ad agendum honesta, & ad voluptatem. Quapropter diuitiæ, ac bona valetudo maxima esse videntur, cùm omnia hæc possideant.*

48 *Ad hæc quod cùm sit absque dolore, voluptatem etiam affert. Vno enim plura meliora: quare cùm & voluptas, & indolentia bona sint, duo in vnum composita totum maius efficiunt.*

49 *Item quæ cùm adsint non latent, quàm quæ latent. Ad veritatem enim illa tendunt. Ita maius est bonum diuitem esse, quàm videri.*

50 *Præterea quod charum est, & alijs solum, alijs non solum. Quocirca non pari iactura lusci quis oculum eruet, & eius, qui duos habet. Charum enim, & vnicum luscus amisit. Ex quibus igitur tam suadendo, quàm dissuadendo fidem facimus, ferè dictum est.*

46 Quadragesimatertia propositio est: id, quod potius volumus esse, quam videri, melius est eo, quod potius volumus vi-

videri, quam esse. Ratio est, quia illud magis refertur ad veritatem, hoc magis refertur ad opinionem. Ex hoc loco potest ostendi sanitatem esse meliorem iustitia: homines enim communiter potius volunt esse sani, quam videri: è conuerso potius volunt videri iusti, quam esse.

47 Quadragesimaquarta propositio est: quod est vtile ad multa melius est eo, quod non est vtile ad multa. Ex hoc loco potest ostendi sanitatem, & diuitias esse magna quædam bona. Sunt enim vtiles ad multa, hoc est ad viuendum, ad bene viuendum, ad voluptatem, ad agendum honesta &c.

48 Quadragesimaquinta propositio est: quod cum sit absque dolore, est etiam cum voluptate, maius bonum est, quam id, quod est solum absque dolore, vel habet voluptatem admistam cum dolore. Plura enim bona sunt meliora vno; sed tum voluptas, tum indolentia est bona; ergo ex coniunctione vtriusque resultat aliquid melius singulis seorsim acceptis.

49 Quadragesimasexta propositio est: quæ cum præsentia fuerint, non latent, meliora sunt ijs, quæ latent: eo enim ipso magis sunt secundum veritatem. Ex. gr. quia cum quis est diues, non latet ipsum *an sit diues?* e conuerso cum habet opinionem veram, latet ipsum, *an talis opinio sit vera?* melius est esse diuitem, quam habere opinionem veram.

50 Quadragesimaseptima, & vltima propositio est: quod est carum est melius. Et quia quædam cariora sunt, cum possidentur sola, quam cum possidentur vna cum alijs, ideo cum possidentur sola censenda sunt meliora. Idcirco maiori pœna multatur, qui eruit oculum homini habenti vnicum oculum, quam qui eruit oculum habenti duos oculos, quia qui eruit oculum habenti vnicum oculum aufert illi aliquid carius, adeoque melius. Istæ igitur sunt propositiones, & loca, quibus possumus vti ad faciendam fidem dictorum, dum suademus, aut dissuademus.

De speciebus politiarum, earum finibus, moribus, & institutis. Caput VIII.

1 *CAeterum ad persuadendum, benèque consulendum illud est omnium maximum, atque firmissimum, vt Rerumpublicarum species omnes pernoscamus, & qui mores, quæ leges, quæ commoda vnicuique sint, distinguamus. Cunctis enim vtilitas persuadet.*

2 *Vtile autem est, quod ciuitatem conseruat, & tutatur. Ad hæc principantium sententia rata est: principantes vero distinctione Ciuitatum distribuuntur. Tot enim sunt principantes, quot ciuitates. Quare cum quatuor ciuitates sint, populi, paucorum, optimatum, vnius: quod principatur, ac iudicat, vel pars aliqua horum, vel vniuersum erit.*

3 *Populus igitur est ciuitas, in qua sorte magistratus declaratur. Paucorum vero potestas, in qua censu. Optimatum autem, in qua qui disciplina excellunt, ij principantur. Appello autem disciplinam, quæ legibus posita est. Nam qui legibus semper obtemperarunt, ij optimi videntur, ac in huiusmodi ciuitate gerendarum rerum principatu potiuntur: à quibus & nomen ciuitas sortita est. Monarchia vero est, vt vel nomen ipsum ostendit, in qua vnus omnium dominus est. Hæc ordine quodam constituta, regnum: inordinata vero, tyrannis appellatur.*

1 AD hoc, vt orator possit bene persuadere, non sufficit, vt sciat, quem finem homines communiter intendant, & quæ sint vtilia ad talem finem consequendum, sed requiritur etiam multo magis, vt sciat, quem finem specialiter intendant illi homines, quibus debet persuadere, & quæ sint vtilia ad talem finem obtinendum; sed orator debet persuadere hominibus deliberantibus in varijs politijs; ergo ad hoc, vt possit bene persuadere, summopere est necessarium, vt sciat politiarum differentias, earum fines, mores, & instituta, & quæ sint singulis politijs vtilia. Cum enim homines sinant sibi persuaderi, cum ostenditur id, quod persuadetur, esse illis vtile, si scierimus, quæ sint singulis po-

politijs vtilia, poterimus persuadere hominibus viuentibus in singulis politijs. Operæ igitur pretium est, vt breuiter proponamus, quid sit politijs vtile; quorum decreta in singulis politijs rata sint; quot sint species politiarum; & quo pacto secundum species politiarum distinguantur magistratus habentes supremam potestatem; quem finem singulæ politiæ intendant. His enim perspectis, poterit etiam orator distinguere mores, & instituta singulis politijs consentanea, & vtilia.

2 Primo igitur illud est singulis politijs vtile, quod illas conseruat: ex. gr. illud est vtile regno, quod conseruat regnum; illud est vtile democratiæ, quod conseruat democratiam. Secundo in vnaquaque politia firma, ac rata sunt decreta, quæ à suprema potestate emanant. Tertio suprema potestas in diuersis politijs est diuersa, ac diuersificatur secundum diuersitatem politiarum, ac proinde tot sunt supremæ potestates, quot sunt species politiarum; sed quatuor sunt species politiarum, democratia, oligarchia, aristocratia, & monarchia; ergo quatuor sunt supremæ potestates; siquidem quod cum suprema potestate dominatur, & iudicat, vel est pars politiæ, vel est tota politia.

3 Sed iam explicandum est, quid sint singulæ politiæ. Democratia est *politia, in qua magistratus distribuuntur indifferenter omnibus ciuibus, ideoque distribuuntur sorte*. Oligarchia est, *in qua magistratus distribuuntur solis diuitibus, ideoque distribuuntur secundum censum*. Aristocratia est, *in qua magistratus distribuuntur secundum disciplinam*, disciplinæ nomine intelligendo modum viuendi legibus constitutum. Illi igitur in Aristocratia magistratus obtinent, & dominantur, qui secundum leges vitam instituerunt: & quia hi videntur optimi, ideo qui in aristocratia dominantur, videntur optimi, vnde etiam aristocratia sortita est nomen, ac dicitur Respublica optimatum. Monarchia iuxta nominis significationem est, *in qua vnus dominus est omnium*. Monarchia in qua vnus dominatur secundum ordinem quemdam constitutum per legem, & rationem, vocatur regnum: Monarchia in qua vnus habet potestatem indefinitam, & inordinatam, ac dominatur secundum voluntatem est tyramnis.

4 *Cùm igitur ea eligantur, quæ ad finem sunt, non oportet vniuscuiusque finem ignorare. Popularis ergo status finis est libertas: paucorum vero, diuitiæ: optimatum autem, quæ ad disciplinam, & ad leges pertinent: tyrannidis vero, custodia. Quare patet ad hos fines vniuscuiusque mores, & commoda, & quæ legibus constituta sunt, esse diuidenda: siquidem ad hos referentes eligunt.*

5 *Verum quoniam non solum rationibus, sed etiam oratione affecta, & morata fidem facimus (credimus enim eo facilius, quo qualis quidam orator videtur, id est si vir bonus, si beneuolus, aut vtrunque) non oportebit ciuitatum nos ignorare mores. Probantur enim vniuscuiusque mores, si ad ciuitatis mores accommodantur. Ij autem reperientur ex ijsdem. Ex voluntate enim, ac electione mores aperiuntur: voluntas vero, ac electio ad finem refertur.*

6 *Quæcunque igitur vel futura, vel præsentia suadentibus, expetenda sunt, & ex quibus de vtili fidem facimus, ad hæc de ciuitatum moribus, ac institutis, itemque quibus, & quo pacto inueniemus, quantum ad præsens opus est, dictum est. Diligentius vero de his in politicis explanauimus.*

4 Oportet etiam, vt oratorem non lateat, quis sit vniuscuiusque politiæ finis. Cũ enim qui in vnaquaque politia deliberant, eligant ea, quæ conducunt ad finem, perspecto fine, scire poterit, quæ nam sint illis eligibilia, qui in singulis politijs versantur. Democratiæ finis est libertas; finis oligarchiæ sunt diuitiæ; finis aristocratiæ, ac regni est, vt vita instituatur secundum disciplinam, & leges ciuitatis; finis tyramnidis est custodia, siquidem tyramnus omnia consilia dirigit ad conseruationem tyramnidis. Quia verò in vnaquaque politia ciues habent mores, & eligunt instituta consentanea fini, debet etiam orator distinguere mores, & instituta vnicuique politiæ consentanea, vt possit deliberantibus in vnaquaque politia persuadere id, quod tali politiæ est consentaneum.

5 Addit Aristoteles, quod quia fidem facimus eorum, quæ dicimus, non solum ostendendo ea, quæ persuademus, esse auditoribus vtilia, sed etiam oratione morata, per quam videmur tales, puta boni, vel amici, vel boni simul, & amici (fidem

enim adhibemus probis, & amicis), etiam ex hoc capite debet orator scire mores vnicuique politiæ consentaneos, vt possit per orationem similes mores exprimere: ex. gr. vt possit ad populum loquens exhibere mores populares &c. In vnaquaque enim politia mores tali politiæ consentanei sunt maximè idonei ad obtinendam fidem; sed vnusquisque tales habet mores, qualia sunt ea, quæ eligit, & omnes eligunt consentanea fini; ergo ex fine, & electione cuiusque politiæ poterimus scire, qui nam mores sint tali politiæ consentanei, adeoque debeant exprimi in oratione nostra.

6 Concludit Aristoteles epilogando dicta. Explicatum est, quæ nam debeant appetere, ac sibi proponere qui de futuris, aut iam instantibus suadent; traditi sunt loci, ex quibus possumus desumere argumenta ad ostendendum aliquid esse vtile; actum est de politiarum moribus, & institutis, ac dictum est, quorum auxilio possimus acquirere copiam eorum, quæ ad hæc spectant. Hæc autem omnia prout rhetoricæ congruunt, sunt pertractata, siquidem exactior de ipsis disputatio ad politicam spectat. Cum igitur expedierimus ea, quæ pertinent ad genus deliberatiuum, agendum est de ijs, quæ spectant ad genus demonstratiuum.

De ijs, quæ proponere sibi debet laudans, ac vituperans, hoc est de honesto, ac turpi, virtute, ac vitio. Caput IX. Art. I.

1 *Nunc autem de virtute, ac vitio, honesto, ac turpi dicamus. Laudantes enim, ac vituperantes hæc intendunt: Continget etiam si de ijs dicemus, illa simul aperire, quibus quales quidem moribus putabimur: quod secundo loco fidem facere diximus. Ex eisdem enim & de nobis, & de alijs virtutis opinionem facere poterimus. Verum quoniam accidit ioco, vel serio laudare sæpe non solum hominem, aut Deum, sed etiam inanimata, aliorumque animalium quodlibet, de ijs quoque propositiones eodem modo accipiendæ. Quare veluti exempli gratia hæc etiam percurramus.*

2 *Honestum igitur est, quod cum propter se eligibile sit, laudabile est: aut quod cum bonum sit, idcirco iucundum est, quoniam bonum. Quod si sic est, necesse est virtutem honestum esse. Nam cùm sit bonum, laudabilis quoque est.*

3 *Est autem virtus, vt videtur, vis quædam productiua, aut conseruatiua rerum bonarum. Item vis benefaciendi multa, ac magna, & omnia in omnibus.*

1 Ex dictis cap. 3. num. 4. sicut finis generis deliberatiui est, vt ostendat id, quod suadet, ac dissuadet esse vtile, vel perniciosum, ita finis generis demonstratiui est, vt ostendat id, quod laudat, aut vituperat, esse honestum, vel turpe; ergo sicut agentes de genere deliberatiuo, egimus de bono, & vtili, ac præmissis definitionibns boni, & vtilis, proposuimus loca, ac propositiones, quibus vti possimus ad ostendendum aliquid esse bonum, & vtile, vel esse magis bonum, ac magis vtile; ita nunc de genere demonstratiuo differentes, debemus agere de honesto, ac turpi, ac præmissis hoc capite definitionibus tum honesti, ac turpis, tum virtutis, ac vitij, nec non singularum virtutum, ac vitiorum in particulari, debemus capitibus sequentibus proponere loca, ad ostendendum aliquid esse honestum, aut turpe, ac magis, vel minus honestum, aut turpe. Hæc porro de virtutibus, ac vitijs tractatio non solum est vtilis ad laudandum, & vituperandum, quæ duo spectant ad genus demonstratiuum, sed etiam ad suadendum, vel dissuadendum, quæ pertinent ad genus deliberatiuum. Cum enim ad persuadendum conferat, vt per orationem ostendamus nos probos, ac fide dignos; per virtutes autem efficiamur probi, ac fide digni; si virtutes perspectas habeamus, intelligemus, quo pacto tum nos, tum alij probi, ac fide digni efficiamur. Quia verò contingit, vt aliquando adhibito studio, aliquando verò nullo studio adhibito laudemus non solum homines, sed etiam Deum, & quædam animalia, immo & res inanimatas, ideo ponendæ sunt propositiones, & loca, ex quibus possimus studiosè, atque ex arte laudare, vel vituperare. Ac primo quidem ponendæ sunt definitiones, per quas non exactè, sed ruditer, ac veluti exemplariter honestum, ac turpe, virtutes, ac vitia describamus.

Ho-

2 Honestum definitur dupliciter: primo definitur, *quod cum per se eligibile sit, laudabile est*: secundo definitur, *quod cum bonum sit, est iucundum, quia bonum*. Per hoc igitur honestum differt à iucundis, quæ non sunt honesta, quod hæc non sunt iucunda, quia bona simpliciter; at honestum, quia est bonum simpliciter, ideo est iucundum. Ex tradita definitione honesti infertur virtutem esse honestam; nam cum bona sit, est etiam laudabilis.

3 Virtus definiri potest, *facultas, quæ parat bona, & conseruat*; vel *facultas, quæ beneficia facit multa, & magna, & omnia in omnibus*. Sola igitur virtus parat, & conseruat quæ sunt simpliciter bona; sola facit beneficia multa, & simpliciter magna; sola demum præstat omnia in omnibus, cum facultates, quæ non sunt virtutes, parent, & conseruent bona *secundum quid*, & parua, & insufficientia.

4 *Huius partes iustitia, fortitudo, modestia, magnificentia, magnanimitas, liberalitas, mansuetudo, prudentia, sapientia. Necesse autem est, siquidem virtus benefaciendi vis est, maximas eas esse virtutes, quæ plurimum alijs conferunt. Quapropter iustos, ac fortes maxime laudant: cùm alij bello, alij etiam in pace vtiles hominibus sint. Deinde liberales. Non enim contendunt de pecunijs, sed largiuntur eas, quas summopere cæteri cupiunt.*

5 *Iustitia igitur est virtus, qua singuli sua secundum leges possident. Iniustitia est, per quam aliena contra leges retinent. Fortitudo est, per quam actiui bonarum rerum, vt leges iubent, in periculis sumus: estque legibus administratiua, obtemperatiuaque. Huius contrarium timor est. Liberalitas est pecunijs benefactiua. Illiberalitas contrarium. Magnanimitas est magnorum beneficiorum effectiua virtus. Magnificentia est virtus magnitudinis sumptuum effectiua. Harum contraria modicitas, & pusillanimitas. Prudentia est mentis virtus, qua de malis, ac bonis, quæ ad felicitatem pertinent, bene possumus consulere. De virtute igitur, ac vitio uniuersaliter, & de partibus satis in præsentiarum dictum est.*

4 Partes subiectiuæ, seu species virtutis sunt iustitia, fortitudo, temperantia, magnificentia, magnanimitas, liberalitas, mansuetudo, prudentia, sapientia. Quia verò virtus est facultas beneficia faciens, necesse est illas virtutes esse maximas, quæ sunt vtilissimæ. Ideo valde honorantur iusti, ac fortes, nam fortitudo maximè est vtilis in bello, iustitia verò maximè est vtilis in pace: honorantur etiam liberales, quia non contendunt de pecunijs, sed largiuntur eas, quas alij summopere cupiunt. Sed afferendæ sunt singularum virtutum, ac contrariorum vitiorum definitiones.

5 Iustitia est *virtus, per quam singuli habent, quæ sua sunt secundum legem*: Iniustitia est, *per quam quis habet aliena, & non secundum legem*. Fortitudo est, *per quam, qui illam habent, actiui sunt honestorum operum in periculis, prout lex iubet, atque sunt administri legis*: Timiditas est contrarium, hoc est *per quam in periculis sunt actiui turpium, & contra legem*. Temperantia est *uirtus, per quam homines quoad uoluptates corporis ita se habent, sicut lex præcipit*: Intemperantia est contrarium temperantiæ, *per quam nimirum homines indulgent uoluptatibus corporis contra legem*. Liberalitas est *uirtus benefactiua in pecunijs*: Auaritia est contrarium. Magnanimitas est *uirtus magnorum effectiua benificiorum*: Pusillanimitas est contrariam. Magnificentia *est uirtus in sumptibus magnitudinis effectiua*: Paruificentia est contrarium. Prudentia est *uirtus rationis, per quam homines bene consultare possunt de bonis, ac malis, quæ spectant ad felicitatem*. Hæc autem in præsentia de virtute, ac vitio in vniuersali, ac de singulis virtututibus, ac vitijs in particulari dicta sufficiant, siquidem exactior de ipsis tractatio non spectat ad rhetoricam, sed ad moralem.

De locis, seu propositionibus, quibus vti possumus ad ostendendum aliquid esse honestum. Cap. IX. Art. II.

6 *De cæteris autem non est difficile perspicere. Perspicuum enim est, & uirtutis effectiua, quoniam ad uirtutem, & quæ à uirtute fiunt, laudabilia esse. Huiusmodi autem sunt indicia uirtutis, & opera. Quoniam ergo indicia, & similia, quæcunque sunt boni uiri opera, uel passiones, lau-*

laudabilia sunt, necesse est quæcunque fortitudinis opera, uel indicia sunt, aut fortiter gesta sunt, hæc omnia laudabilia esse. Iusta quoque similiter, & quæ iuste facta sunt: sed passiones nequaquam. Nam in hac una uirtute non semper quod iuste fit, honestum est. Cum enim damnantur, turpe magis est, si iuste fit, quam si iniuste: eodemque modo in reliquis uirtutibus.

7 *Item ea, quorum præmium honor est, omnia laudabilia sunt. Et ea magis, quorum honor, quam ea, quorum pecunia.*

8 *Item quæcunque eligibilium non sui quispiam gratia gerit.*

9 *Et quæ simpliciter bona sunt, ut quæcunque pro patria quispiam facit, sua contemnens.*

10 11 *Et quæ natura bona sunt.* * *Et quæ bona, sed non sibi. Nam quæ sibi, sui gratia facit.*

12 *Et quæcunque mortuum magis consequuntur, quam uiuum. Nam quæ uiuos consequuntur, ea sui gratia facere magis uidentur.*

13 *Item quæcunque opera laudis fiunt gratia. Nam hæc minus sui gratia sunt.*

14 *Item quæ non sibi, sed alijs utilitati*
15 *sunt, & benefactoribus magis. Iustum enim & beneficia, quoniam in alios.*

6 PRæmissis definitionibus honesti, ac virtutis in communi, nec non singularum virtutum in particulari, proponit Aristoteles loca, seu propositiones, quibus vti possumus ad ostendendum aliquid esse honestum. Prima ergo propositio, seu locus est: quandoquidem virtus primo, & principaliter est honesta, etiam quæ sunt effectiua virtutis, ex. gr. actus, qui virtutem generant, & quæ à virtute efficiuntur, sunt honesta. A virtute porro efficiuntur, tum operationes virtutis, tum virtutis signa: signa verò virtutis sunt voluptas, & dolor, per quas delectamur, ac dolemus sicut oportet. Quia verò vniuersim signa virtutis, & quæcunque sunt boni viri actiones, aut passiones honesta sunt, etiam signa, & opera, ac passiones virtutum particularium honesta sunt, ac proinde signa, & opera fortitudinis, & quæ quis fortiter agit, aut patitur honesta sunt: signa etiam, & opera iustitiæ, ac quæ quis iustè gerit, honesta sunt; quæ tamen quis iustè patitur non sunt honesta. In sola enim iustitia non semper quod iustè se habet honestum est: ex. gr. cum quis damnatur, turpius est, si damnetur iustè, quam si damnetur iniustè. Quod diximus de fortitudine, dicendum est etiam de alijs virtutibus.

7 Secunda propositio est: ea, quorum præminm est honor, honesta sunt: honesta etiam sunt ea, quorum præmium est honor simul, ac pecunia, sed magis honor. Ratio est, quia honor est præmium proprium virtutis, atque eius signum.

8 Tertia propositio est: ea, quæ cum sint eligibilia, adhuc non sui, sed aliorum gratia quis gerit, honesta sunt: ex. gr. honestum est benefacere amicis, non sui, sed ipsorum gratia.

9 Quarta propositio est: quæ cum simpliciter bona sint, pro patria, vel pro ciuibus agit quis, contemnens proprium commodum, honesta sunt.

10 Quinta propositio est: quæ ex suæ natura bona sunt, honestiora sunt ijs, quæ habent bonitatem quamdam non naturalem: ex. gr. pulchritudo naturalis honestior est pulchritudine fucata.

11 Sexta propositio est: quæ non sunt bona agenti, honestiora sunt ijs, quæ sunt agenti bona. Ratio est, quia vnusquisque quæ bona sunt sibi, vt plurimum agit gratia sui, quæ verò non sunt bona sibi, agit gratia aliorum; sed honestius est agere gratia aliorum, quam gratia sui; ergo honestiora sunt, quæ non sunt bona agenti, quam quæ bona sunt agenti.

12 Septima propositio est: quæ mortuo contingunt magis, quam viuenti, honestiora sunt: ex. gr. honores, qui decernuntur mortuis, honestiores sunt honoribus, qui decernuntur viuentibus. Ratio est, quia ea, ex quibus quis consequitur præmia, dum viuit, magis videntur facta gratia proprij commodi, quam ea, ex quibus præmia consequitur solum post mortem.

13 Octaua propositio est: quæ fiunt gratia aliorum sunt honestiora; minus enim fiunt gratia propriæ vtilitatis.

14 Nona propositio est: prosperè conficere aliena negotia, quæ ad nostram non referuntur vtilitatem, honestius est, quam prosperè conficere negotia propria; præcipuè verò honestum est bene conficere negotia illorum, à quibus beneficia recepimus; id enim continet quamdam iustitiam.

15 Decima propositio est: vniuersim be-

beneficia alijs conlata honesta sunt: non enim ad propriam referuntur vtilitatem.

16 *Item his opposita, quibus aut dicentes, aut facientes, aut dicturi, aut facturi erubescunt. Turpia enim uerecundantur, & dicentes, & facientes, & facturi. Quemadmodum Alcæo dicenti, Vellem tibi aliquid dicere, sed pudor impedit: Sappho respondit: Si bona, laudabiliaque cuperes, nec lingua aliquid turpe dicere meditareris, nullus oculos pudor retineret.*

17 *Item ea, de quibus trepidant, etiam si non timeant. Sic enim his bonis maxime afficiuntur, quæ ad gloriam ducunt.*

18 *Item virtutes, ac opera eorum, qui natura excellunt, laudabiliores: veluti viri*
19 *magis, quàm mulieris. * Et quibus alij magis fruuntur, quàm ipsi. Quamobrem iustum, & iustitia laudantur.*

20 *Item inimicos vlcisci potius, quàm reconciliari. Nam malum pro malo reddere, iustum est, & iustum omne laudabile. Et ad hæc fortis est inuictum esse.*

21 *Quare victoria, & honor laudabilium sunt. Nam etiamsi inutilia sint, eligibilia tamen sunt, & virtutem eximiam ostendunt.*

18 Decima tertia propositio est: virtutes, & opera eorum, qui natura meliores sunt, honestiora sunt: ex. gr. honestiores sunt virtutes, & operationes virorum, quam mulierum.

19 Decima quarta propositio est: quæ maiorem afferunt iucunditatem alijs, quam habenti, & exercenti, honesta sunt: ex. gr. iustitia, & iustum etiam ex hoc capite sunt honesta, quia tum iustitia, tum iustum, maiorem affert voluptatem alijs, quam homini iusto, ac iusta facienti.

20 Decima quinta propositio est: inimicos vlcisci, ac non reconciliari cum ipsis honestius est, quam reconciliari. Ratio est, quia vltio inimicorum videtur continere actus iustitiæ, & fortitudinis: iustitiæ quidem, quia par referre iustum est: fortitudinis verò, quia non cedere ad fortitudinem spectat.

21 Decima sexta propositio est: victoria, & honor inter honesta referuntur. Ratio est, quia quæ eligenda sunt, etiamsi nullam afferant vtilitatem, atque excellentiam virtutis declarant, honesta sunt; sed victoria, & honor eligenda sunt, etiamsi nullam afferant vtilitatem, & excellentiam virtutis declarant; ergo &c.

16 Vndecima propositio est: honesta sunt ea, de quorum contrarijs homines erubescunt. Ratio est, quia homines erubescunt de turpibus, non solum dum illa dicunt, aut faciunt, sed etiam dum sunt illa dicturi, vel facturi; sed contraria turpibus sunt honesta, ac pulchra; ergo contraria ijs, de quibus homines erubescunt, sunt honesta. Quod verò homines erubescant etiam cum turpia sunt dicturi, vel facturi, confirmat Aristoteles exemplo. Cum enim Alcæus dixisset sappho: *Volo tibi aliquid dicere, sed retinet pudor*, respondit Sappho: *Si venisses in bonarum, & honestarum rerum desiderium, nec dicere linguæ tentasset malum, pudor nequaquam occupasset oculos, sed sine vllo pudore iusta loquutus fuisses.*

17 Duodecima propositio est: ea, pro quibus decertant, & anguntur homines non timidi, honesta sunt. Homines enim non timidi solent angi, ac decertare pro ijs, quæ gloriam afferunt; sed quæ gloriam afferunt honesta sunt; ergo ea, de quibus homines non timidi solent decertare, honesta sunt.

22 *Item memorationes, ac monumenta: & quæ magis, magis. Magis autem quæ ad defunctum consequuntur, & quibus honos maior connectitur. Item quæ superuacanea sunt, & soli insunt, laudabiliora. Digniora enim memoratu.*

23 *Item non frugifera prædia. Liberius nanque id magis.*

24 *Singulorum quoque propria, laudabilia sunt.*

25 *Et quæcunque indicia eorum sunt, quæ apud eos, quibuscum viuis, laudantur: veluti apud Laconas comam nutrire, laudabile est. Nam quoniam non est facile seruile aliquod opus facere crinitum hominem, libertatis id apud eos indicium est.*

26 *Item nulla vti arte fabrili. Liberum nanque non viuere ad aliam.*

22 Decima septima propositio est: memorabilia honesta sunt, memorabiliora autem honestiora: honesta sunt etiam ea bona, quæ hominem sequuntur post mortem; & quæ consequitur honor; & quæ habent quamdam excellentiam; & quæ

soli adsunt honestiora sunt, quia valde sunt memorabilia.

23 Decima octaua propositio est: possessiones non frugiferæ sunt honestiores frugiferis, quia sunt liberaliores, sicut frugiferæ sunt vtiliores.

24 Decima nona propositio est: quæ propria sunt singulorum, laudabiliora sunt, adeoque etiam honestiora, quam quæ communia sunt alijs.

25 Vigesima propositio est: honesta sunt, quæ signa sunt eorum, quæ apud quosque laudantur: ex. gr. *comam alere* honestum erat apud Lacedæmones, quia erat signum libertatis, quæ apud Lacedæmones laudabatur. Ratio verò, cur comam alere signum erat libertatis est, quia non est facile, vt qui comam alit, seruilibus ministerijs se exerceat, cum coma ministerijs seruilibus afferat impedimentum.

26 Vigesima prima propositio est: honestum est nullam exercere artem operosam, per quam necesse sit, vt qui illam exercet, præsto sit requirentibus eius operam. Ratio est, quia spectat ad libertatem nequaquam ad alterius arbitrium viuere.

De alijs locis, quibus possumus vti ad laudandum, vel vituperandum. Cap. IX. Art. III.

27 *EA quoque accipienda sunt, quæ honestis propinqua sunt, tanquam ad laudem, vel vituperationem conferentia: vt si moderatum, ac mitioris animi, tumidum, & insidiatorem appelles: & insensatum frugi: & mansuetum, eum, qui dolorem animi non sentit. Et hoc modo, à consequentibus ad optimum semper: vt puta iracundum, ac furiosum simplicem, & arrogantem, magnificum, atque honestum. Eos quoque, qui excedunt, quasi virtuosi essent: vt ferocem fortem esse, prodigum liberalem. Nam & pluribus ita videtur: & apparentem ex causa potest habere rationem. Nam si vbi necesse non est, pericula suscipit, multò magis videbitur in re honesta, ac laudabili: & si in quoslibet profusus, quanto magis in amicos? virtutis enim eximiæ est cunctis benefacere.*

28 *Oportet etiam apud quos laudamus considerare: sicut Socrates dicere solebat, non esse difficile Athenienses apud Athenienses laudare. Et quod apud singulos honori est, id oportet affirmare: vt apud Scythas, apud Laconas, apud Philosophos: ac vniuersaliter honorabile asserere oportet, quod honestum sit: propinqua enim esse videntur.*

27 AD laudandum, vel vituperandum possumus vti non solum propositionibus, quibus ostenditur aliquid verè esse honestum, vel inhonestum, sed etiam alijs locis, qui valent ad causandam quamdam apparentiam honestatis, vel inhonestatis. Primus igitur locus est ex propinquis. Explicatur. Non solum debemus laudi, aut vituperationi vertere ea, quæ verè sunt honesta, vel inhonesta, sed etiam propinqua, quasi sint eadem cum illis: ex gr. quia cautelæ propinqua est timiditas, qui vituperat hominem cautum, vocabit illum timidum: quia animositati, per quam quis est fortis ad aggrediendum, affinis est audacia, per quam audacter ex insidijs aggreditur, qui vituperat hominem fortem, vocabit illum insidiatorem. E conuerso qui laudat hominem hebetis ingenij, vocabit illum bonum; hominem nimis insensatum in tolerandis iniurijs, vocabit mansuetum: & vniuersim ex ijs, quæ quadam propinquitate se consequuntur, id vnicuique tribuet, quod optimum est, ita vt eum, qui iracundus est, ac furiosus, & plus æquo liber, simplicem, ac sincerum appellet; contumacem, ac tumidum magnificum dicat, & grandem; & eos, qui peccant per excessum, laudet, ac si medium virtutis tenerent, audaces celebrando vt fortes, prodigos vt liberales. Nam præter quam quod multis audaces videbuntur fortes, ac prodigi videbuntur liberales, poterit etiam fieri paralogismus ad id ostendendum per aliquam apparentem rationem. Cum enim audax paratus sit ad subeunda pericula, etiam cum nulla est necessitas, aut honestas talia pericula subeundi, videtur multo magis subiturus pericula, cum honestum est pericula subire, quod est proprium fortis: & cum prodigus largiatur quibuslibet, etiam cum non oportet, multo magis videtur largiturus amicis, & cum oportet, quod est proprium liberalis. Omnibus enim benefacere pecunijs, vt prodigi faciunt, videtur quidam excessus liberalitatis, atque virtutis.

28 Secundus locus est ex ijs, quæ in vna-

vnaquaque regione sunt in honore. Licet enim apud aliquas ciuitates quędam sint in honore, quæ verè non sunt honesta, adhuc cum quis apud tales nationes laudatur, laudari debet ex ijs, quasi verè essent honesta. Considerandum igitur est apud quos laudetur quis. Debet enim laudari ex ijs, quæ apud auditores in honore sunt, puta apud Athenienses laudandus est ex ijs, quæ in honore sunt apud Athenienses: apud Scythas, vel Lacedæmonios, ex ijs, quæ in honore sunt apud ipsos: apud Philosophos ex ijs, quæ in honore sũt apud Philosophos, ideoque bene dicebat Socrates, non esse difficile laudare Athenienses apud Athenienses.

29 *Item quæcunque vt conueniens est, veluti si maioribus digna, si inceptis. Ad honestatem nanque, ac fœlicitatem pertinet honoris accessio. Aut etiam si præter id, quod conueniens est, ad melius, atque honestius: vt si quis vtitur secunda fortuna, is moderatus sit: & qui aduersa, is magnanimus. Aut si cum ad maiora conscendit, frugi tamen magis, ac facilior sit: quale illud est Iphicratis: o quæ sunt ex quibus: & illius, qui deuicit Olympia: qui prius duram ferebam in humeris. Et illud Simonidis: cuius mulieris pater, ac maritus tyrannorum fratres fuerunt.*

30 *Verùm quoniam laus ex operationibus est, virtuosique proprium electione agere, ita dicendum, vt ostendatur electione ipsum gessisse, quæ gesserit. Quam ad rem confert, vt sæpius fecisse demonstretur. Quare quæ casu, aut fortuna facta sunt, consilio, ac iudicio attribuenda. Nam si multa, similiaque connectuntur, virtutis, atque iudicij videbuntur esse indicium. Cùm vero laus sit, magnitudinem virtutis ostendens oratio, oportet operationes extollere. Laus igitur operum est. Ea vero, quæ afferuntur extra, vt fidem faciant dicuntur, vt nobilitas, doctrina. Verisimile nanque est bonum esse ex bonis, & sic educatum eiusmodi esse. Laudamus ergo eos, qui fecerunt: quoniam facta signa sunt habitus. Nam etiam eum, qui non fecit, laudaremus, si talem esse crederemus. Beatio vero, & felicitatio ipsis quidem eadem, his autem non eadem: sed vt felicitas virtutem, sic continet hæc felicitatio.*

29 Tertius locus est ex eo, quod quis se gesserit, vt decebat, vel præterquam decebat, in meliorem tamen, atque honestiorem partem: ex. gr. si quis cum esset nobilis, & ante egregiè se gesserit, de nouo aliquid egregium fecerit, laudandus est ex eo, quod gesserit digna maioribus, ac rebus antea gestis, & prout decebat. Ad felicitatem enim spectat, & honestum est honorem à maioribus acceptum, vel alijs factis acquisitum adaugere. Si quis autem in prospera fortuna sit moderatus, in aduersa magnanimus, aut cum euaserit maior, factus sit melior, & placabilior, laudandus est ex eo, quod se gesserit præterquam conuenire videbatur, sed meliorem in partem, & præterquam plerique se gerere consueuerunt. Ad hunc locum reduci potest illud Iphicratis relatum cap. 7. num. 38. qui cum ex patre natus sutore maximos honores obtinuisset, de se ipso dicebat, *ex quibus ad quæ?* & illud Olimponicæ ibidem relatum: *Prius quidem ambolus humeris &c.* & illud Simonidæ, laudantis quamdam mulierem, quæ cum tam prospera fortuna fuisset vsa, vt eius parens, frater, & vir fuerint fratres regum, adhuc non sit facta insolentior.

30 Quartus locus est: quia laus ex actionibus manat, proprium autem est viri probi honesta agere ex electione, conandum est, vt ostendamus eum, quem laudamus ex electione, egisse res honestas. Ad ostendendum autem, quod ea etiam, quæ casu, & fortuito contigerunt, ex electione patrauerit, vtile erit si sæpe appareat similia egisse. Si enim multa, ac similia afferantur, erunt signum virtutis, atque electionis. Quia verò Aristoteles dixit laudem ex actionibns manare, affert definitionem laudis, ex eaque id probat. Laus est *oratio indicans magnitudinem virtutis*; sed non potest indicari magnitudo virtutis, nisi ostendatur actiones esse tales, vt non potuerint nisi ex magna virtute procedere; ergo qui laudat debet ostendere actiones fuisse valde honestas. Hoc autem est encomium, quod propriè versatur circa actiones, atque opera, & eorum honestatem ostendit. Quæ verò circumstant eum, qui laudatur, ex. gr. nobilitas, & educatio referuntur ad verisimiliter ostendendam virtutem eius, qui laudatur. Verisimile enim est virum nobilem, quique ex probis, ac claris genitoribus sit ortus, pro-

probum esse, atque à progenitoribus non degenerem, ac virum bene educatum, virtute præditum euasisse. Ideo laudamus etiam eos, qui honesta patrarunt, quia opera sunt signa virtutis, atque habitus, ac proinde etiam eum, qui honesta non egit, laudaremus, si censeremus illum habere habitum virtutis. Macarismus porro & Eudæmonismus, hoc est illa prædicatio, per quam aliquos vt felices, & beatos celebramus, inter se quidem non differunt, at differunt à propria laude, quæ tribuitur virtuti, sicut felicitas differt à virtute. Quemadmodum enim felicitas ita continet virtutem, vt sit aliquid virtute maius, ac melius, ita illa prædicatio, per quam aliquem vt felicem celebramus, ita continet laudem, vt sit aliquid maius laude.

31 *Habent autem communem speciem laudis cum deliberatione. Nam quæ in admonendo diceres, ea dictione orationis commutata, laudem constituunt. Cùm ergo habeas quæ agenda sint, & qualem quendam esse oporteat, hæc quasi admonendo dicta, verbis commutanda, transponendaque sunt: vt in admonitione, consilioque sic: non oportet secunda fortuna confidere nimium, sed ijs, quæ à seipso sunt: in laude sic: non secunda fortuna, sed seipso plurimum confidebat. Quas ob res laudando quid admoneas, & consulendo quid laudes considera, & opposita necessario dictione vtaris, cùm tam probibens, quàm non probibens commutaueris.*

32 *Vtaris autem & eorum, quæ amplificant pluribus, vt si solus, si primus, aut cum paucis, aut quod maxime factum est. Laudabilia enim hæc omnia. Præterea, quod ex tempore, atque occasione est, quæ sunt præterquam conuenit. Ad hæc, si sæpius eandem rem gessit. Magnum nanque id, nec à fortuna, sed ab eo ipso profectum videtur. Si quibus ad virtutem inflammamur, & quibus honoramur, hæc ab eo inuenta, constitutaque sunt. Si primus omnium laudatus est, sicut Hippolocho, & Harmodio, ac Aristogitoni in foro statuæ primum positæ. Et in contrarijs similiter.*

31 Quintus locus est ex consilijs. Explicatur: consilium, & laus conueniunt in aliqua veluti specie communi, in quantum ea ipsa, quæ consulendo præciperes, mutata dictione encomia fiunt. Quoniam igitur ex ijs, quæ de virtutibus dicta sunt, comperta habemus, quæ oporteat agere, qualemque oporteat esse virum probum, postquam illa per modum præcepti protulerimus, dictionem transponentes debemus in laudes conuertere. Sicut enim si dixeris non oportere valde gloriari ijs, quæ à fortuna proficiscuntur, sed ijs, quæ in nostra sunt potestate, præceptum est; sic si dixeris, valde gloriabatur non ijs, quæ à fortuna proficiscuntur, sed ijs, quæ in eius potestate constituta erant, laus erit. Quare cum laudare vis, vide quid præciperes; cum autem vis præcipere, vide quid laudares. Dictio porro, qua præcipis ex necessitate erit opposita dictioni, qua laudas; siquidem dictio prohibens mutatur in dictionem non prohibentem, eo pacto, quo in exemplo allato dum dicitur, non oportere gloriari, prohibetur gloriatio &c, dum verò dicitur, *non gloriabatur*, nihil prohibetur.

32 Sextus locus est ex ijs, quæ ad res amplificandas, atque augendas conferunt: vt si solus, aut primus id gessit, aut paucos habuit facti socios, aut præcipuos inter eos, qui gesserunt, fuit. Omnia enim hæc sunt valde honesta, ac dignitatis plena. Augetur etiam laus ex consideratione temporum, & occasionum; vt si difficillimis temporibus, & cum nulla apparebat rei bene gerendæ occasio, egregia perpetrauit. Videtur enim id pertinere ad locum laudis, qui desumitur ex eo, quod quis se gesserit præterquam decebat, meliorem in partem, de quo loco dictum est num. 3. Laudi etiam tribuendum, quod sæpe idem rectè gesserit. Videbitur enim id magnum, ac non à fortuna, sed à virtute profectum. Ad laudem etiam pertinet, si ea, quæ valent ad incitandos homines ad virtutem, atque eos, qui rectè se gesserunt, ornandos, propter ipsum fuerint primo inuenta, & instituta, eo pacto, quo Hippolochus omnium primus encomio fuit ornatus; Harmodio, & Aristogitoni primis in foro statuæ sunt collatæ. Sicut verò hæc omnia valent ad augendam laudem, sic valent ad augendam vituperationem laudi contrariam.

33 *Quòd si ex eo ipso non facile adinuenire potes, alijs compara: quod Isocrates ex consuetudine declamandi faciebat. Sed oportet illustribus comparare. Amplificat enim id,*

id, maximèque laudabile est, cùm virtuosis melior ostendatur. Cæterum amplificatio merito in laudes incidit. Excellentia enim est, & excellere laudabile. Quapropter cum excessus ipse virtutem ostendere videatur, & si non illustribus, attamen alijs comparandum.

34 *E generibus igitur omni rationi communibus amplificatio demonstrationi accommodatior. Nam cùm res gestas quasi certas accipiant, reliquum est, vt magnitudinem eis, ac ornamentum afferant. Exempla vero deliberatiuis aptiora sunt. Ex præteritis enim futura conijcientes iudicamus. Enthymemata autem iudicialibus magis conueniunt. Nam quod factum est, & causam, quare factum est suscipit, & probationem patitur, quoniam incertum est. Ex quibus igitur laus, ac vituperatio fermè omnis, & ad quænam respicientes laudare, ac vituperare oporteat, & ex quibus commendationes, & opprobria fluant, hæc sunt. Nam horum contraria non latent. Vituperatio enim ex contrarijs est.*

33 Septimus locus est ex comparatione. Cum igitur in eo, quem laudas, non habes copiam rerum laude dignarum, ipsum cum alijs compara, vt Isocrates faciebat propter consuetudinem scribendi orationes declamatorias, in quibus præcipuè comparationum est vsus. Oportet verò eum, quem laudas, cum illustribus conferre. Comparatio enim cum illustribus magnum habet ad laudes augendas momentum, si quidem valde honestum est, quod ipsis viris valde probis melior fuerit. Vniuersim igitur amplificatio, per quam ostenditur excellentia rei, est ad laudandum aptissima, siquidem excellentia recensetur inter honesta, & laude digna, ideoque cum non possumus aliquem comparare, ac præferre viris illustribus, saltem debemus cum alijs non illustribus comparare, ac præferre: siquidem vniuersim hoc, quod est *alijs excellere* videtur indicare virtutem.

34 Addit Aristoteles, quod cum tres sint formæ communes tribus dicendi generibus, deliberatiuo nimirum, demonstratiuo, & iudiciali, quæ formæ sunt amplificationes, exempla, & enthymemata; amplificatio maximè accommodatur generi demonstratiuo; exempla maximè accommodantur generi deliberatiuo; enthymemata maximè accommodantur generi iudiciali. Ratio est, quia in genere demonstratiuo actiones honestæ, vel inhonestæ solent esse in confesso; ergo non tam opus est exemplis, & enthymematibus ad illas probandas, quam amplificationibus ad addendum illis magnitudinem, & honestatem. In deliberatiuis agitur de futuris; sed ex præteritis conijcimus futura: ergo in deliberatiuis præcipuè vtendum est exemplis. In iudicialibus demum quæstio solet esse de aliquo præterito obscuro, de quo ambigitur, an sit factum, nec ne? ergo præcipuè per enthymemata ex verisimilibus, ac signus probandum est illud fuisse factum, vel non fuisse factum. Explicatum est igitur vnde laudes, & vituperationes ducantur fere omnes: ad quæ debeant laudantes, vel vituperantes respicere; & ex quibus encomia conficiantur, ac probra. Dictum siquidem est, quod laudes, ac vituperationes ducuntur ex locis assignatis; laudantes, ac vituperantes respicere debent ad honestatem, atque inhonestatem; & quod encomia, ac vituperationes fiunt ex actionibus rectis, vel prauis. Neque verò fuit necesse, vt specialiter ageretur de vituperatione. Cum enim vituperatio sit contraria laudi, ducitur ex locis contrarijs locis laudum. Iam agendum est de genere iudiciali.

Quid sit iniuria, & quas ob causas iniuriæ fiant. Caput X.

1 *NVnc de accusatione, ac defensione, ex quibus, & quot ratiocinationes faciundæ sunt, dicendum videtur. Tria igitur sumenda sunt. Primum, quot, & quorum gratia iniuriam inferunt. Deinde, quomodo affecti. Tertium, quales, & quomodo se habentes. Si ergo iniuriam primum definierimus, de reliquis deinceps explicabimus.*

2 *Sit ergo iniuriari, sponte præter leges officere. Legum autem alia propria, alia communis. Propriam dicimus, qua ciues scripta vtuntur: communem vero, quæ nonnulla etiam si scripta non sunt, apud omnes tamen valere videntur. Sponte autem facimus, quæcunque scientes, & non coacti facimus. Quæ igitur sponte facimus, non omnia eligimus: quæ autem eligimus,*

gimus, omnia cognoscimus: nemo enim ignorat quæ eligit. Ea vero, quibus officere, ac praua præter leges committere statuunt, improbitas sunt, & intemperantia. Si enim vitium habeant vnum, aut plura, in quo improbi sunt, in eo etiam iniusti: veluti prodigus in pecunijs, intemperatus in voluptatibus corporis, mollis in desidia, timidus in periculis. Deserit enim periculorum socios propter timorem. Ambitiosus etiam propter honores iniustus est: iracundus propter iram: contentiosus cupiditate victoriæ: acerbus propter vltionem: stultus, quoniam circa bonum, & iustum decipitur: eodemque modo cæteri, vnusquisque in suo subiecto. Verum hæc partim ex ijs, quæ de virtutibus dicta sunt, perspicua sunt, partim ex ijs, quæ de affectibus dicentur, patebunt.

1 CVm iam egerimus de genere deliberatiuo, & demonstratiuo, sequitur, vt agamus de genere iudiciali; sed partes generis iudicialis sunt accusatio, & defensio; ergo agendum est de accusatione, ac defensione, atque exponendum, ex quot, ac quibus locis possint fieri syllogismi tum accusatorij, tum defensorij; sed tum accusatio, tum defensio versantur præcipuè circa iniurias, accusatio siquidem *est iniuriarum, delictorumque expositio coram iudice facta*; defensio *est iniuriarum, ac delictorum, quæ in accusationem, vel suspicionem venerint dissolutio*; ergo præmittenda sunt aliqua de iniurijs, ac proposita definitione iniuriæ tria circa iniurias sunt explicanda; primo quot, & quorum causa homines iniuriam faciant; secundo quo pacto homines affecti iniuriam faciant; tertio quibus, & quomodo affectis iniuriam faciant. Hoc igitur capite præmissa definitione iniuriæ, explicabimus quas ob causas homines iniurias faciant: quia verò concludetur homines præcipuè iniuriam facere propter iucunda, cap. seq. 11. agemus de iucundis; capitibus deinde 12. & 13. explicabimus, quo pacto homines affecti, & quibus, & qualiter affectis iniuriam faciant.

2 *Iniuria afficere* est *nocere alteri sponte, & contra legem*. Lex duplex est, alia propria, alia communis. Lex propria est *secundum quam cum sit scripta, ciues vniuscuiusque ciuitatis vitam dirigunt, quæ vocatur etiam lex ciuilis*. Lex communis est, *quæ licet scripta non sit, adhuc ab omnibus gentibus consensu quodam recepta videtur*, quæ dicitur etiam lex naturalis, & lex gentium. Sponte homines, ac voluntariè faciunt *quæcunque faciunt scientes, & non coacti*. Spontaneum porro, & voluntarium latius patet, quam electio, siquidem licet omnia, quæ fiunt ex electione, fiant etiam sponte, & voluntariè, adhuc non omnia, quæ fiunt spontè, & voluntariè, fiunt ex electione, vt magis explicatum est lib. 3. Ethic. cap. 4. Omnia, quæ homines faciunt ex electione, faciunt etiam scientes: nam nemo ignorat quod eligit. Sed potest quæri, quæ nam sint ex parte hominis, quæ illum impellunt ad sponte nocendum, & ad praua contra legem committenda. Respondet Aristoteles, quod homines ad sponte nocendum, & ad praua committenda impelluntur à vitio, & ab incontinentia. Probatur ex signo: videmus enim, quod qui vno vitio laborant, aut pluribus, in eo vitio, in quo improbi sunt, solent etiam esse iniuriosi; ergo vitium impellit homines ad faciendas iniurias. Probatur antecedens inductione: auarus enim iniurias facit circa pecunias; intemperans circa voluptates; mollis in desidia; timidus in periculis, siquidem socios deserit propter metum; ambitiosus propter honorem; iracundus propter iram; contentiosus, ac victoriæ cupidus propter victoriam; amarus propter vltionem; imprudens, quia decipitur in iusto, & bono; impudens propter contemptum famæ; & vniuersim omnes circa eamdem materiam, circa quam sunt improbi, solent esse iniuriosi; ergo homines à vitijs impelluntur ad sponte nocendum. Verum hæc possunt esse manifesta partim ex ijs, quæ iam de virtutibus dicta sunt, partim ex ijs, quæ de passionibus, atque affectibus libro secundo dicentur.

3 *Quare reliquum est, vt cuius gratia, quomodoque se habentes, & quibus iniurientur, tractemus. Primum ergo diuidentes dicimus, quæ sunt, quæ appetimus, & qualia sunt quæ vt fugiamus iniuriam facere conamur. Perspicuum enim est considerandum esse accusatori, quot & quæ reo insunt ex ijs, quæ omnes appetunt, qui iniuria cæteros afficiunt. Defensori autem, quæ, & quot eorum non insunt.*

4 *Quæ igitur agunt, alia omnes propter*

seip-

seipsos agunt, alia non propter seipsos: & istorum alia casu, alia necessitate: horum etiam quædam vi, quædam natura. Quare quæcunque non propter seipsos faciunt, aut casu, aut natura, aut vi faciunt; quæcunque autem propter seipsos, quorum scili. et ipsi causa sunt, alia propter consuetudinem agunt, alia propter appetitum: & horum quædam appetitu rationali; quædam irrationali. Nam voluntas appetitus est boni cum ratione. Nullus enim aliquid vult, nisi cùm bonum esse putauerit. Appetitiones vero irrationabiles, ira, & cupiditas. Quare quæcunque homines agunt, septem eos de causis agere oportet: fortuna, vi, natura, consuetudine, ratione, ira, cupiditate.

3 Proposita, & explicata definitione iniuriæ, superest, vt hoc capite explicemus, quas ob causas homines iniurias faciant, capitibus deinde sequentibus explicaturi, quomodo se habentes iniurias faciant, & quibus faciant; sed manifestum est, quod aliquid expetentes, vel fugientes iniuria alios afficimus; ergo explicandum est, quænam expetamus, aut fugiamus, dum conamur alios iniuria afficere. Hæc autem tractatio erit vtilis tum ad accusandum, tum ad defendendum. Accusator siquidem vt verisimiliter ostendat reum iniuriam fecisse, debet considerare, quot, & qualia reo conueniant ex ijs, propter quæ homines iniuria proximum afficiunt. Defensor è conuerso, vt verisimiliter ostendat reum nullam iniuriam intulisse, debet perpendere, quot, & qualia reo non insint ex ijs, propter quæ homines sunt iniurij. Verum vt explicemus causas faciendi iniurias, res est altius repetenda, atque vniuersim sunt considerandæ causæ, propter quas omnes omnia agunt.

4 Omnes omnia agunt vel per se, vel non per se. Quæ agunt non per se, vel agunt ex fortuna, vel ex necessitate. Quæ agunt ex necessitate, vel agunt ex vi, seu violentia extrinsecus necessitante contra intrinsecam inclinationem; vel agunt ex natura, & ex necessitate mouente per intrinsecam inclinationem. Vniuersim igitur tres sunt causæ agendi non *per se*: fortuna, violentia, & natura. Quæ homines per se agunt, ita vt ipsi sint causæ agendi, vel agunt propter consuetudinem, vel propter appetitum, Quæ agunt propter appetitum, vel agunt per appetitum rationalem, qui dicitur voluntas; est autem voluntas appetitio boni cum ratione; vel agunt per appetitum irrationalem, qui vocatur appetitus sensitiuus. Quæ agunt per appetitum sensitiuum, vel agunt propter iram, vel propter concupiscentiam, seu cupiditatem. Necesse est igitur septem esse causas, propter quas homines omnia agunt; fortunam, vim, seu violentiam, naturam, consuetudinem, voluntatem, seu rationem, iracundiam, cupiditatem.

5 *Neque oportet secundum ætates, aut habitus, aut talia quædam ea, quæ aguntur distinguere. Nam si accidit, vt iracundi, aut cupidi iuuenes sint, non tamen propter ætatem agunt, quæ agunt, sed propter cupiditatem, ac iram. Neque diuites, ac pauperes propter diuitias, & paupertatem, sed accidit, vt pauperes propter egestatem pecunias cupiant, diuites vero propter licentiam voluptates non necessarias. Itaque ij etiam non propter diuitias, aut egestatem agunt, sed propter cupiditatem. Eodemque modo iusti, & iniusti, cæterique, qui secundum habitus agere dicuntur, propter hæc omnia agent. Nam aut propter rationem, aut propter affectum, sed quidam moribus, & affectibus bonis, quidam contra. Accidit autem, vt ad hos quidem habitus alia, ad illos vero alia consequantur. Forsan enim statim modestum propter modestiam ipsam tam opiniones, quam cupiditates probæ circa voluptates consequuntur. At immodestum circa easdem ipsas contrariæ. Quapropter huiusmodi diuisionibus supersedendum est, & considerandum, quæ quos sequi soleant. Nam si albus, aut niger, aut magnus, aut paruus, nihil ex eis consequitur. Sin autem iuuenis, aut senex, aut iustus, aut iniustus, iam inter se differunt: & omnino quæcunque accidentium mores hominum differentes efficiunt: vt si quis diuitem se, aut inopem putat, & felicem, aut infelicem, idipsum vero nonnullam faciet differentiam. Sed de his postea: nunc de alijs dicamus.*

5 Aliqui vt assignent causas agendi, distinguunt ætates, vel conditiones, vel habitus, vel alia quædam. Sed hæc distinctio videtur superuacanea. Licet enim accidat iuuenibus, vt sint iracundi, vel cupidi, adhuc

huc non agunt propter iuuentutem, ſed propter cupiditatem, vel iram. Similiter licet accidat ſæpe, vt pauperes propter indigentiam ſint cupidi pecuniarum, diuites verò propter abundantiam ſint cupidi voluptatum non neceſſariarum, adhuc non agunt propter diuitias, vel paupertatem, ſed propter cupiditatem. Demum iuſti, & iniuſti, alijque, qui dicuntur agere propter habitus, agunt propter aliquam ex ſeptem cauſis enumeratis, hoc eſt propter rationem, vel propter affectum; & qui quidem boni ſunt, ad agendum impelluntur à moribus, & affectibus bonis; qui verò mali ſunt, ad agendum impelluntur à moribus, atque affectibus contrarijs, hoc eſt malis; ergo patet cauſas immediatas agendi non eſſe ætates, conditiones, vel habitus, ſed ſeptem à nobis enumeratas. Non tamen eſt negandum ad ætates, conditiones, & habitus, licet non ſint cauſæ immediatæ agendi, conſequi plerunque aliquas ex ſeptem enumeratis cauſis agendi: ex. gr. eo ipſo, quod aliquis ſit temperans, ex habitu temperantiæ ſequitur, vt circa voluptates habeat opiniones, & cupiditates rectas, à quibus ad bene agendum impellatur: ex eo verò, quod ſit intemperans, ſequitur, vt circa voluptates habeat opiniones, & cupiditates non rectas, à quibus impellatur ad malè agendum, ideoque omiſſis diuiſionibus, per quas ætates, conditiones, & habitus afferuntur vt cauſæ agendi, potius eſt conſiderandum quænam ex ſeptem enumeratis cauſis agendi ad varias ætates, conditiones, habitus, & alia huiuſmodi conſequantur. Neque verò immorandum eſt in eorum conſideratione, ex quibus nihil determinatè conſequitur ad mores pertinens, eo pacto, quo ex eo, quod aliquis ſit albus, vel niger, magnus, aut paruus, nihil determinatè ſequitur in genere moris; ſed ea ſolum ſunt conſideranda, ex quibus vt plurimum aliquid ſequitur in genere moris, quod ſit cauſa agendi, eo pacto, quo ex eo, quod aliquis ſit iuuenis, aut ſenex, iuſtus, vel iniuſtus, diues, aut pauper, fortunatus, vel infortunatus &c. certi mores vt plurimum ſequuntur. Verum de moribus, qui ſequuntur ad ætates, conditiones, & alia huiuſmodi agemus inferius lib. 2: nunc incepta ſunt perficienda, ac ſingulæ ex enumeratis cauſis agendi ſunt explicanda.

6 *Fortuna igitur fiunt, quæcunque ita fiunt, vt cùm eorum cauſa indeterminabilis ſit, nec huius gratia, nec ſemper, nec vt plurimum, nec ordine fiunt: quæ omnia fortunæ ipſius definitione patent. Natura fiunt, quæ cauſam, & ordinem in ſeipſis habent. Nam aut ſemper, aut vt plurimum ſic eueniunt. Nam quæ præter naturam fiunt, ea vtrum ſecundum quandam naturam, an alia cauſa fiant, non oportet inquirere: quamuis etiam fortuna cauſa horum eſſe videatur. Vi autem, quæcunque per cupiditatem, ac rationem per ipſos agentes fiunt. Conſuetudine vero, quæcunque ideo faciunt, quoniam ſæpe fecerunt. Ratione autem, quæ cùm ſint ex bonis iam dictis, conferreque videantur, vel vt finis, vel vt ad finem, propter vtilitatem aguntur. Nam quædam intemperantes etiam agunt vtilia, verum non propter vtilitatem, ſed propter voluptatem. Ira vero fiunt, quibus vlciſcimur. Differunt autem pœna, & vltio. Nam pœna eius, qui patitur gratia fit: vltio vero eius, qui facit, vt expleatur. Verum ex quibus ira fit, ex ijs, quæ de affectibus dicemus patebit. Cupiditate autem aguntur, quæcunque iucunda videntur. Verum & conſuetudo, & ea, in quibus aſſueti ſumus, iucunda ſunt. Nam multa etiam eorum, quæ natura iucunda non ſunt, cum voluptate faciunt, qui aſſueti ſunt.*

6 Prima igitur agendi cauſa eſt fortuna. A fortuna fieri dicuntur, quorum cauſa eſt indefinita, & indeterminata, & quæ non fiunt gratia finis, neque ſemper, neque plerumque, neque ordinatè, vt patere poteſt ex definitione fortunæ, quam tradidimus l. 2. Phyſ. t. 52. Secunda cauſa agendi eſt natura. A natura fiunt, quorum cauſa in ipſis eſt, & eſt ordinata, ſiquidem aut ſemper, aut plerumque eodem modo operatur. De ijs verò, quæ aliquando præter naturam fiunt, cuiuſmodi ſunt monſtra, non eſt hic exactè diſputandum, vtrum fiant ab aliqua natura, vel ab alia cauſa? Videtur enim etiam fortuna poſſe eſſe cauſa talium, vt monſtrorum, aliorumque ſimilium. Tertia cauſa agendi eſt vis, ſeu violentia. Per violentiam fiunt, quæcunque fiunt contra cupiditatem, & voluntatem, ſeu rationem eorum, per quos fiunt. Quarta cauſa agendi eſt conſuetudo. Conſuetudine fiunt, quæcunque homines ideo fa-

faciunt, quia sæpe fecerunt. Quinta causa agendi est ratio. Propter rationem fiunt, quæcunque ex bonis explicatis ideo fiunt, quia videntur esse agenda, vel quia sint bona finalia, vel quia sint bona vtilia ad finem, cum ideo fiunt, quia videntur agenda. Hoc autem additum est, quia etiam intemperates faciunt aliqua, quæ sunt facienda, & tamen quia non ideo faciunt, quia sunt facienda, sed propter voluptatem, causa cur faciant non est ratio, sed cupiditas. Sexta causa agendi est ira. Propter excandescentiam, & iram fiunt, quæ ad vltionem spectant. Differt autem vltio à castigatione in hoc, quod castigatio fit gratia illius, qui castigatur, vt scilicet peccare desinat; at vltio fit gratia vlciscentis, vt iram expleat. Circa quam verò materiam versetur ira, explicabitur lib. 2. cum agetur de affectibus, seu passionibus. Septima demum causa agendi est cupiditas, seu concupiscentia. Propter concupiscentiam aguntur, quæ ideo fiunt, quia apparent iucunda. Porro non solum aliqua sunt iucunda propter naturam, sed etiam propter consuetudinem, siquidem multa, quæ ex natura sua non sunt iucunda, assuetis iucunda sunt; ideoque etiam ea, quæ fiunt ex consuetudine, & assuefactione, inter iucunda recenseri debent.

7 *Quare vt breuiter dicam, quæcunque propter seipsos agunt, omnia vel bona sunt, vel bona esse videntur: & aut iucunda, aut videntur iucunda. Verum quoniam quæ propter seipsos agunt, hæc sponte agunt: non sponte autem, quæ non propter seipsos: omnia, quæ volentes agunt, bona erunt, vel apparentia bona: & aut iucunda, aut apparentia iucunda. Ponimus autem malorum etiam, vel apparentium malorum reiectionem, aut minoris pro maiore assumptionem, in bonorum numero, cùm eligibilia quodammodo sint: & similiter doloris, vel apparentis doloris reiectionem, aut minoris pro maiore assumptionem in iucundis numeramus.*

8 *Quare quot, & qualia vtilia sint, aut iucunda, sumendum est. Sed cum de vtilibus, quando de deliberatione tractabamus, satis dictum sit, de iucundis impræsentiarum agamus. Oportet autem definitiones has sufficientes putare, si ita se habent, vt de vnoquoque, neque obscuræ sint, neque exactæ.*

7 Ex dictis Aristoteles infert omnia, quæcunque homines per se agunt, vel ideo agere, quia sunt bona, aut apparent bona; vel ideo, quia sunt iucunda, aut apparent iucunda. Probatur: omnes homines quæcunque per se agunt, ita vt ipsi sint sibi causa agendi, agunt sponte, & voluntariè, quæ verò agunt non sponte, non agunt per se; sed quæcunque agunt sponte, vel agunt quia sunt bona, aut apparent bona, vel quia sunt iucunda, aut apparent iucunda; ergo omnia, quæ homines agunt per se, vel ideo agunt, quia sunt bona, aut apparent bona, vel ideo, quia sunt iucunda, aut apparent iucunda. Porro inter bona vera, vel appatentia recensendæ sunt etiam depulsiones eorum, quæ sunt mala, vel apparent mala, & assumptiones minoris mali loco maioris: inter iucunda verò numerandæ sunt depulsiones eorum, quæ sunt molesta, vel videntur molesta, & assumptiones minus molesti loco magis molesti, siquidem minus malum, ac minus molestum respectu maioris habet rationem boni, & eligibilis.

8 Quia igitur omnia agunt homines vel propter bona, & vtilia, vel propter iucunda, etiam iniurias faciunt propter aliquid ex his; ergo vt sciamus, propter quæ homines iniurias faciant, considerare debemus, quot, & qualia sint vtilia, vel iucunda; sed de vtilibus disseruimus supra agentes de genere deliberatiuo; ergo nunc agendum est de solis iucundis, ac conandum, vt afferamus definitiones non obscuras, neque omnino exactas, siquidem afferre definitiones omnino exactas non pertinet ad rhetoricam, sed ad scientias.

Quid sit voluptas, & quænam sint iucunda. Caput XI.

1 *SVpponatur igitur nobis voluptatem esse motum animi quendam, & affectionem, totam simul, & sensibiliter in naturam proficiscentem, & dolorem vero contrarium.*

2 *Quare si hoc voluptas sit, patet id iucundum esse, quod dictam affectionem efficit: triste vero, ac dolorosum, vel eius corruptiuum, vel contrariæ affectionis effectiuum.*

Quia

1 QVia homines iniurias faciunt propter iucunda, vt sciamus propter quæ iniurias faciunt, præmissa definitione voluptatis, & iucundi, debemus explicare, quæ nam sint iucunda. Supponatur igitur nunc voluptatem esse motum quemdam animi, & constitutionem subitam, atque sensibilem in statu naturæ conueniente. Voluptas igitur imperfecta, de qua sola hic loquimur, *consistit in quodam transitu sensibili ad statum naturæ conuenientem*, & quo hic transitus citius absoluitur, eo voluptas est maior: ex. gr. voluptas cibi, ac potus consistit in eo sensibili transitu, per quem natura ab indigentia alimenti transit sensibiliter ad hoc, vt amplius alimento non indigeat; & quia citius fit transitus per potum, ideo voluptas ex potu est maior, quam ex cibo. Hanc definitionem Aristoteles ipse examinat, & corrigit lib. 10. eth. cap. 4. Sed quia communiter admittebatur ab antiquis, & ad rhetoricæ institutum est sufficiens, ideo ipsa vtitur in præsentia. Dolor voluptati contrarius *est motus animi, & constitutio sensibilis in statu naturæ inconueniente*.

2 Ex traditis definitionibus voluptatis, ac doloris potest inferri, quid sit iucundum, ac molestum. Iucundum est *quod est effectiuum illius dispositionis, in qua dictum est voluptatem consistere*. Molestum è conuerso est *quod est corruptiuum illius affectionis, ac dispositionis, in qua voluptas consistit, vel est contrariæ affectionis, ac dispositionis effectiuum*.

3 *Ita iucundum necessario est, tam quod secundum naturam, vt plurimum proficiscitur.*

4 *Ac maxime cùm quæ natura fiunt, iam naturam suam, & consuetudinem consequuta sunt. Quod enim vsitatum est, quasi iam innatum esset, gignitur. Nam cum sæpe ipsum ipsi semper propinquum sit, & ipsius quidem semper natura sit, ipsius vero sæpe consuetudo, naturæ consuetudo similis est.*

5 *Et quod violentum non est. Vis enim præter naturam est. Itaque tristis necessitas est, rectèque dicitur violentum omne natura dolorem efficere. Quare curæ, seriæ, conatus, tristia sunt. Necessitudine enim, ac vi fiunt, nisi qui faciunt, assueti sint. Horum verò contraria iucunda sunt. Idcirco desidia, iocus, quies, accubationes, somnus, in iucundis sunt: cùm nihil eorum vi fiat.*

6 *Præterea cuius cupiditas inest, omne iucundum: nam cupiditas iucundi appetitio est. Cupiditatum autem aliæ sine ratione sunt, aliæ cum ratione. Irrationales dico, quas ex nulla cogitatione cupiunt, quales sunt quæ natura esse dicuntur: vt quæ sunt per corpus, veluti alimenti sitis, & fames. Est autem in singulis etiam alimenti speciebus cupiditas, & in gustabilibus, atque venereis, & vniuersaliter in tangibilibus, & in olfactu odoris, & in auditu, atque visu. Rationales vero cùm quædam persuasi cupiunt. Nam multa & expetere, & possidere cupiunt, cùm audiuerint, persuasique fuerint.*

3 Sed iam explicandum est, quæ nam sint iucunda. Primo ergo necesse est, vt iucundum sit accedere ad id, quod est secundum naturam; cum verò res iam acceperit perfectionem suæ naturæ, quæ secundum ipsam fiunt, sunt iucundissima; ex. gr. quia secundum naturam hominis est, vt discurrat, iucundum homini est discurrere, ac tum est iucundissimum cum iam est perfectus secundum naturam discursiui.

4 Secundo iucunda sunt quæ secundum consuetudinem fiunt. Ratio est, quia sicut natura facit, vt semper eodem modo operemur, ita consuetudo facit, vt sæpe eodem modo operemur; sed *sæpe*, ac *semper* sunt propinqua, siquidem *sæpe* est *quasi semper*; ergo consuetudo est similis naturæ, & est quasi altera natura; ergo sicut quæ secundum naturam fiunt sunt iucunda, ita quæ fiunt secundum consuetudinem sunt iucunda.

5 Tertio iucunda sunt, quæ non sunt violenta. Ratio est, quia illud est iucundum, cuius contrarium est molestum; sed violentum, cum sit contra naturam, est molestum; ergo non violenta sunt iucunda. Quia vero extrinsecæ necessitates sunt violentæ, sunt etiam molestæ, ac tristes, ideoque bene dictum est:

Iniuaue est etenim fieri quodcunque necesse est.

Quia rursus sedulitas, per quam magna diligentia quidquam tractatur, studia, ac contentiones, includunt quamdam necessitatem, & violentiam, ideo sunt tristia, & molesta, nisi quis assueuerit. Consuetudine enim sicut fiunt quodammodo naturalia,

ralia, ita redduntur iucunda. Ex opposita ratione contraria his iucunda sunt, ideoque inter iucunda recensentur socordia, laboris detrectatio, non curantia, lusus, quies, somnus, & alia huiusmodi, per quæ quis nullam sibi ipsi violentiam, aut necessitatem infert.

6 Quarto iucunda sunt, quorum nobis cupiditas inest. Ratio est, quia cupiditas est desiderium iucundi. Porro cupiditatum aliæ sunt irrationales, aliæ cum ratione. Cupiditates irrationales voco, *per quas non ideo concupiscimus res, quia per rationem opinamur illas esse nobis conuenientes*. Tales sunt eæ cupiditates, quas naturales vocamus, vt quæ corpus delectant: ex. gr. fames, ac sitis alimenti in genere, & etiam cupiditas huius, vel illius alimenti secundum speciem, & quæ spectant ad gustum, & quæ ad venerea, atque vniuersim tangibilia, & quæ spectant ad odoratum, quo percipimus suaues odores, & quæ ad auditum, & gustum. Cupiditates rationales sunt, *per quas aliqua appetimus propter persuasionem, qua opinamur illa esse nobis conuenientia*. Multa enim, vt aurum, argentum &c. appetimus videre, ac possidere, non ex instinctu naturæ, sed quia audiuimus, ac persuasi sumus illa esse nobis conuenientia.

7 *Verum quoniam voluptate frui tum est, cùm aliquo sensu afficimur, imaginatioque sensus quidam est debilis, & recordantem, ac sperantem eius rei sequitur imaginatio, quam recordatur, ac sperat: quoniam igitur hæc ita sunt, patet voluptates inesse recordantibus valde, atque sperantibus, siquidem & sensus. Quare necessarium est iucunda omnia, vel in sentiendo præsentia esse, vel in recolendo præterita, vel in sperando futura: siquidem præsentia sentimus, præterita meminimus, futura speramus. Quæ igitur meminimus, iucunda sunt, nec solum quæ cùm aderant voluptatem afferebant, verum etiam nonnulla eorum, quæ dolorem, si post illa bonum, ac laudabile quid habeamus. Hinc illud dictum est: iucundum est seruato meminisse periculi: & illud: lætatur enim vir post labores, cùm multa tulisse, multaque gessisse recordetur. Cuius causa est, quoniam malum etiam non habere, iucundum est. Eorum autem, quæ in spe sunt, quæcunque delectationem, aut vtilitatem afferre non paruam cùm adsunt, aut sine dolore iuuare videntur, & omnino quæcunque cùm adsunt, delectationi sunt, ea inquam omnia sperantibus quoque, ac recordantibus, vt plurimum iucunda sunt.*

8 *Idcirco irasci quoque iucundum. Vnde Homerus etiam dixit de ira, quòd defluente melle multò sit dulcior. Nemo enim illis irascitur, quos vlcisci putat impossibile. Illis etiam, qui potentia excedunt, aut non irascuntur, aut minus irascuntur.*

7 Quinto quia in sentiendis quibusdam affectionibus voluptas inest, actus autem phantasiæ est quædam debilis sensatio eorum, quæ imaginamur, qui autem recordatur, aut sperat, consequenter habet quamdam imaginationem eius, quod recordatur, & sperat, à primo ad vltimum sequitur magnas voluptates inesse recordantibus, ac sperantibus, siquidem inest ipsis quædam sensatio eorum, quorum memoriam habent, ac sperant; ergo necesse est etiam, vt omnia iucunda delectationem afferant vel ex eo, quod illa sentimus vt præsentia, vel ex eo, quod illa recordamur vt præterita, vel ex, quod illa speramus vt futura. Sicut enim sentimus præsentia, sic recordamur præterita, & speramus futura. Addit Aristoteles, quod non solum per sui memoriam delectant ea, quæ iucunda fuerunt, cum erant præsentia, sed etiam aliqua, quæ cum erant præsentia, non fuerunt nobis iucunda, si aliquod ex ipsis honestum, aut bonum fuerimus consecuti. Ideo bene dixit Eurypides.

Vnde & delectat saluum meminisse laborum;

Et Homerus lib. 15. Odyss. cecinit

Nam delectatur memor est quicunque laborum,
Cum res est multas passus, multasque peregit.

Ratio autem huius est, quia etiam carere malis iucundum est; ergo non est mirum, si iucunda sit nobis memoria præteritorum malorum, ex quibus iam euasimus. Ex ijs, quæ spe percipimus ea delectant, quæ videntur, cum sunt præsentia, aut delectare, aut multum prodesse, aut sine molestia prodesse. Vniuersim verò eorum, quorum præsentia est iucunda, vt plurimum memoria etiam, & spes delectationem affert.

8 Sexto quia ex dictis spes est iucunda, etiam ira est iucunda, siquidem includit spem vltionis. Idcirco Homerus de ira cecinit: *Quæ melle effuso longe est dulcior*. Quia verò nemo sperat vlcisci, cum vltio apparet impossibilis, ideo nemo irascitur, cum vltio apparet impossibilis. Quia rursus nihil, aut parum speramus nos vlturos eorum, qui sunt multo potentiores nobis, ideo vel illis non irascimur, vel parum irascimur.

9 *Ad hæc ingentes quoque cupiditates voluptas quædam consequitur. Nam cum se assequutos meminerint, aut sperent assequuturos, voluptate quadam afficiuntur. Veluti qui febricitant, siti oppressi memoriæ habentes, quod biberint, sperantesque se bibituros, gaudent. Similiter amantes cùm alloquantur, aut scribant, aut quicquam aliud faciant ad eum, quem absentem amant, gaudent. In omnibus nanque his quasi sentire putant eum, quem amant, cùm eius recordentur. Idque amoris initium omnibus est, si non solum cùm adest lætantur, sed absentis etiam memoriam tenentes, amant. Idcirco etiam cùm mœsti sunt, quoniam non adest, & in luctu, ac fletu, inest quædam voluptas. Mœror enim in eo est, quod non adest: voluptas autem, quod recordentur, ac illum quodammodo videant, & quæ agebat, & qualis erat. Vnde illud dictum est,*

Sic fatus, flendi cunctis immisit amorem.

10 *Vlcisci etiam iucundum est. Nam, quod si non assequeris, triste, si assequeris, id iucundum est. Punire delectabile est. Id enim adipisci iucundum, cuius frustratio est tristis. Qui vero irascuntur, magnopere dolent non vlti: sperantes autem gaudent.*

9 Septimo plerasque cupiditates sequitur quædam voluptas. Qui enim aliquid concupiscunt, delectatione quadam afficiuntur, tum recordantes, quo pacto aliquando eo sint potiti, tum sperantes se potituros. Explicatur exemplis. Primum exemplum est eorum, qui febri laborantes sitiunt. Recordantes enim, quod aliquando biberint, & sperantes se bibituros, gaudent. Secundum exemplum est amantium, qui cum de amatis loquuntur, aut scribunt, vel aliquid faciunt ad ipsos spectans, non mediocriter delectantur. Ratio est, quia in omnibus his, dum eorum, quos diligunt, recordantur, putant se quodammodo illos sentire vt præsentes; talis autem præsentia illis accidit iucunda. Omnibus igitur illud est principium amoris, cum non solum præsenti gaudent, sed etiam absentem in memoriam reuocantes, amant. Hinc oritur, vt cum quis dolore afficitur, quod amicus non adsit, etiam in luctibus, ac lamentationibus quædam voluptas exoriatur ex eo, quod amicus non adsit; voluptas verò ex eo, quod per memoriam habet eum, quem diligit quodammodo præsentem, ac quasi illum videt, & quæ gerit, ac qualis sit intuetur, ideoque Homerus cum induxisset Achillem narrantem visum sibi in somnis Patroclum, dicit.

Sic ait, & cunctis lachrymarum accendit amorem.

Sicut enim Græci memoria Patrocli delectabantur, sic eius absentia dolebant, atque in lachrymas erumpebant.

10 Octauo vlcisci iucundum est. Ratio est, quia iucundum est consequi id, quod non consequi est molestum; sed irati vehementissimè dolent, nisi vlciscantur, sperantes autem se vltionem sumpturos lætantur; ergo vehementer lætantur, dum vltionem sumunt, adeoque vltio accidit illis valde iucunda.

11 *Vincere quoque iucundum est, nec contentiosis solum, sed omnibus. Excessus nanque imaginatio fit: cuius res omnes, aut moderate, aut magis etiam, quam oporteat, cupidi sunt. Verum quoniam iucundum vincere est, ludos etiam omnes, qui pugnæ, aut contentionis speciem habent, iucundos esse necesse est (sæpe nanque in ipsis victoria inest) vt tesseras, aleam, pilam, tabulam, ludos quoque liberos similiter. Nam eorum alij iucundi fiunt, si quis assuescit, alij statim iucundi, vt venatio, & omnis bestiarum persequutio. Vbi enim certatio est, ibi victoria quoque est. Quapropter forum, disputationesque assuetis, atque potentibus iucunda.*

11 Nono victoria delectationem affert, non solum contentiosis, atque ijs, qui sunt victoriæ amantes, sed etiam alijs. Ratio est, quia ex victoria oritur quædam phantasia excellentiæ, quam omnes cupiunt, vel intensè, vel remissè. Quia verò iucundum est

est vincere, necesse est etiam illos ludos iucundos esse, qui spectant ad pugnas, vel tybias, vel ad contentiones (sæpe enim in ijs accidit vincere); ludos etiam talorum, & pilæ, & aleæ, & tesserarum. Ex ludis etiam serijs alij iucundi fiunt assuetudine, alij verò iucundi sunt etiam ante omnem assuetudinem, vt venatio, & omnis ferarum insectatio. Vbi enim certamen est, ibi etiam est victoria, ideoque etiam iudicialis, ac contentiosa disputatio iucunda est ijs, qui propter assuetudinem iam acquisiuerunt facultatem in iudicijs, atque in disputationibus decertandi.

12 *Honor etiam, atque gloria iucundissimorum est. Fit enim vnicuique imaginatio talem se esse, ac virtuosum, præsertim cum ij asserant, quos non existimant mentiri, quales domestici potius sunt, quàm alieni: deinde familiares, ac noti, & ciues potius, quàm peregrini: & qui sunt, potius, quam futuri: prudentes potius, quam fatui, & multi, quàm pauci. Hos enim veraciter prædicare verisimilius est, quàm oppositos. Nulla enim cura est, vt ab ijs, quos quispiam nimium despicit, veluti a pueris, aut à bestijs, honor, aut gloria conquiratur: non inquam ipsius gloriæ, sed forsan cuiusdam alterius gratia.*

13 *Amicus quoque iucundum est: nam & amare, iucundum. Nullus enim vinum amat, qui vino non lætatur. Amari etiam iucundum. Imaginatio enim his quoque fit bonum sibi inesse, quod qui sentiunt, omnes cupiunt.*

14 *Admirationi etiam esse, iucundum: quoniam & honorari.*

15 *Assentationibus quoque aures præbere. Ideo etiam adulator iucundum: nam & admirari, & amare videtur.*

12 Decimo honor, & gloria inter iucundissima sunt recensenda. Ratio est, quia cum honor, & gloria sint signa virtutis, qui videt se honorari, imaginatur se esse honore dignum, adeoque probum; sed hæc imaginatio summam affert voluptatẽ; ergo honor, & gloria summam afferunt voluptatem. Porro honor, quo suam alij de nostra virtute opinionem testantur, tanto est nobis iucundior, quanto magis existimamus illos per hanc opinionem à veritate non aberrare: & quia verisimilius est in hac opinione non aberrare vicinos, quam longinquos, familiares, notos, & ciues, quam externos, præsentes, quam futuros, prudentes, quam imprudentes, multos, quam paucos, ideo iucundius est honorari à vicinis, quam à longinquis; à familiaribus, notis, & ciuibus, quam ab externis; à præsentibus, quam à futuris; à prudentibus, quam ab imprudentibus; à multis demum, quam à paucis. Honorem autem nobis exhibitum ab ijs, quos valde contemnimus, puta à pueris, vel belluis nihili facimus, ipsius honoris, & existimationis gratia, sed solum aliquando habemus in pretio propter aliquod aliud emolumentum, quod ex tali honore speramus nos consecuturos.

13 Vndecimo amicus quoque est inter iucunda. Ratio est, quia tum amare, tum amari iucunda sunt; sed amicum ita amamus, vt censeamus nos ab illo redamari; ergo &c. Probatur prima pars maioris, quod nimirum amare sit iucundum: nemo enim amat id, quo non delectatur, ex. gr. nemo amat vinum, qui non delectetur vino; ergo nemo amat amicum, qui non delectetur amico, adeoque amor habet adiunctam delectationem. Probatur iam secunda pars minoris, quod nimirum etiam amari sit iucundum: cum enim amari sit *carum alicui esse propter se, & propter suam bonitatem*, qui videt se amari, imaginatur sibi adesse bonitatem, propter quam sit amabilis; sed hæc imaginatio est iucunda, siquidem omnes, qui sensum habent, cupiunt sibi adesse bonitatem, propter quam sint amabiles; ergo etiam amari est iucundum.

14 Duodecimo in admiratione esse, ac suspici, iucundum est, quia per admirationem exhibetur honor, hoc est signum virtutis excellentis.

15 Decimo tertio tum adulator, tum ipsa adulatio voluptatem afferunt. Ratio est, quia adulator videtur amicus, & admirator; sed ex iam dictis tum amari, tum suspici iucunda sunt; ergo etiam adulator est iucundus.

16 *Idem etiam sæpius agere, iucundum.*
17 *Consuetudo nanque iucunda erat.* * *Varietas quoque, ac vicissitudo iucunda: in naturam enim mutatio fit. Quodcunque autem vno modo semper se habet, constituti, atque fixi habitus satietatem generat: vnde dictum est, vicissitudinem rerum* om-

omnium iucundam esse. Idcirco etiam quæ interuallo temporis magno videntur, iucunda sunt, tam res, quàm homines. Mutatio enim præsentium fit. Et simile etiam est, quod magno temporis interuallo interposito fit.

18 *Discere quoque, & admirari iucundum vt plurimum est. In admirando enim discendi cupiditas inest: quare admirabile desiderabile est: in discendo autem reditus inest in naturam.*

19 *Beneficium etiam tam conferre, quàm accipere, ex iucundis est. Nam qui recipit, quod cupit adipiscitur: qui autem confert, habet, abundatque ijs, quæ vterque appetit. Verum quoniam bene mereri iucundum est, idcirco subuenire quoque propinquis, & manca supplere, suaue hominibus est.*

16 Decimo quarto eadem sæpius agere iucundum est. Ratio est, quia ex dictis num. 4. consuetum est iucundum; sed quæ sæpius agimus sunt consueta; ergo sunt iucunda.

17 Decimo quinto permutatio est iucunda. Ratio est, quia redire ad naturalem constitutionem est iucundum; sed per mutationem redimus ad naturalem constitutionem; ergo mutatio est iucunda. Probatur minor: nam hoc, quod est *in eodem permanere* nimis auget habitus, ac tandem satietatem affert; ergo per mutationem redimus ad naturalem statum. Bene igitur dictum est apud Euripidem, *omnium rerum mutatio dulcis*. Hinc oritur, vt res, quæ per interualla fiunt, & homines, qui per interualla visuntur, afferant quamdam voluptatem. Cum enim hæc suis temporibus recurrunt, mutatio quædam fit à statu præsenti; & quia rarius ijs fruimur, delectabiliora sunt.

18 Decimo sexto: discere, & admirari iucunda sunt. Ratio est, quia admirabile excitat quamdam cupiditatem sciendi ipsum; ergo admiratio includit cupiditatem discendi; sed cupiditatem plerumque sequitur aliqua voluptas, vt dictum est num.9; ergo admiratio affert voluptatem, atque est iucunda. Iucundum est etiam addiscere, siquidem discendo transimus ab ignorantia ad scientiam, quæ est secundum naturam humanam, siquidem omnes homines naturaliter scire desiderant, vt dicitur initio metaphysicorum.

19 Decimo septimo: tum beneficia conferre, tum beneficijs affici iucundum est. Ratio est, quia cum beneficijs afficimur, consequimur ea, quæ optamus; sed iucundum est consequi quæ optamus; ergo &c. At beneficia conferendo ostendimus nos possidere bona, & eorum possessione excellere alijs, quibus beneficia conferimus; sed iucundum est tum possidere bona, tum alijs excellere, ideoque vtrumque appetunt homines; ergo beneficia conferre iucundum est. Quia verò iucundum est beneficia conferre, iucundum est etiam peccantes corrigere, atque id, in quo alij defecerunt, perficere, siquidem hoc quoque beneficium est.

20 *Et quoniam discere, atque admirari iucundum, necesse est, vt quæ imitatione assequuti sumus, iucunda sint: vt pingendi, atque fingendi artes, & Poetica similiter, omneque, quod imitatione fit, etiamsi iucundum id non sit, quod imitantur. Non enim illo lætantur, sed quoniam ratiocinationem faciunt, quod hoc illud est: quare aliquid discere accidit. Euadere quoque à periculis, tanto iucundius, quanto propius periculo. Admirabilia enim omnia hæc sunt.*

21 *Et quoniam quod secundum naturam est, iucundum est, omniaque genere inter se coniuncta, secundum naturam coniuncta sunt, idcirco vt plurimum, quæ similia sunt, ac genere coniuncta, iucunda sunt, vt homo homini, equus equo, adolescens adolescenti. Hinc & prouerbia celebrata sunt quod æqualis æqualem delectat: quòdque semper à simili simile amatur: & quòd belua beluam cognoscit: & quod semper merula ad merulam: & quæcunque huiusmodi.*

20 Decimo octauo, quia tum discere, tum admirari, tum cætera huiusmodi iucunda sunt, necesse est, vt omnia imitatiua, ex. gr. pictura, statuaria, & poetica iucunda sint, & id, quod bene imitatione est expressum afferat iucunditatem, etiamsi id, quod exprimitur, non sit iucundum. Ratio est, quia licet non delectemur re expressa, adhuc delectamur ratiocinatione, qua ex eo, quod alterum imitatur, cognoscimus, quid sit id, quod exprimitur, adeoque addiscimus aliquid. Peripetiæ etiam, hoc est subitæ in contraria mutationes, atque ex periculis euadere,

re, cum penè hominem oppresserint, iucunda sunt, quia admirabilia, ideoque hæc studio præcipuo poetæ debent imitari.

21 Decimo nono: quia quæ sunt secundum naturam, iucunda sunt; homogenea autem sunt secundum naturam; ideo plerumque vnumquodque delectatur homogeneis, ac similibus: ex.gr. homo delectatur homine, equus equo, iuuenis iuuene &c. Hinc orta sunt prouerbia, quibus dicitur, quod æqualis delectat æqualem; quod semper simili amicum est simile; quod fera cognoscit feram; quod semper graculus cum graculo, & alia huiusmodi.

22 *Verum quoniam quod simile, & eiusdem generis est, sibitpsi iucundum est, idque maxime vnusquisque ad seipsum habet, necesse est omnes, alios plus, alios minus seipsos amare. Nam omnia illa vnicuique ad seipsum maxime insunt. Quòd si omnes seipsos amant, sua quoque vnicuique iucunda esse necesse est: vt opera, orationes. Quare assentatorum vt plurimum, atque amatorum amici sunt. Ambitiosi quoque, ac liberorum amore victi. Nam liberi opera sua sunt. Manca quoque supplere iucundum: quoniam opus iam suum fit.*

23 *Et quoniam principari iucundissimum est, ideo sapientem esse iucundum videtur: nam sapere principantis est. Sapientia autem multarum, ac mirabilium rerum scientia est.*

24 *Præterea quoniam vt plurimum ambitiosi sunt, necesse est increpare quoque alios iucundum esse.*

25 *Item in quo vnusquisue sibi optimus esse videtur, in eo versari: vt Euripides ait: in id adducitur magnam diei partem ei attribuens, vt ipse se ipso fruatur, cùm sit optimus.*

26 *Insuper cùm ludus, ac iocus ex iucundis sint, otium quoque omne, ac risus, & ridicula iucunda necessario sunt, & homines, & verba, & opera. Sed de ridiculis in ijs, quæ de arte Poetica dicta sunt, determinatum est. Verum de iucundis hæc dicta sint. Dolorem autem inferentia, ex contrarijs horum patent. Quorum igitur gratia iniuriantur, hæc sunt.*

22 Vigesimo: quia vnicuique iucundum est id, quod est ipsi simile, ac cognatum, vnusquique verò maximam habet cum se ipso affinitatem, & cognationem, necesse est, vt omnes delectentur se ipsis, ac sint amatores sui, magis, aut minus. Quia verò omnes se ipsos amant, ideo suis etiam rebus delectantur, puta suis operibus, suis orationibus &c. Hinc oritur, vt plerique ament adulatores. Sicut enim amant se ipsos, ac res suas, ita etiam amant eos, qui ipsos, ac res eorum admirantur, vel simulant se admirari, quales sunt adulatores. Ex eadem etiam ratione oritur, vt plerumque homines diligant amatores, & appetant honorari, ac magno amore prosequantur filios, quos vt opera sua contemplantur. Delectatur etiam vnusquisque, dum quæ alter imperfecta reliquit, perficit, quia iam per hoc id suum opus videtur euasisse.

23 Vigesimo primo: quia iucundum est principem inter alios esse, iucundum est etiam videri sapientem, siquidem sapientes principatum quemdam inter imperitos tenent. Est autem sapientia rerum multarum, & admirabilium scientia.

24 Vigesimo secundo: quia plerumque homines cupidi sunt honoris, ideo iucundum ipsis est proximos, atque alios quoscunque arguere: videntur enim sibi per hoc in honore esse.

25 Vigesimo tertio: iucundum est versari in eo, in quo quis existimat se esse meliorem se ipso, itaut in nulla alia re tantum valeat; ideoque bene Euripides dixit: singuli se ostentant, ac maiorem diei partem consumunt in ijs, in quibus ipsi se ipsis præstantiores sunt, vt semetipsos in ijs tractandis vincant.

26 Vigesimo quarto, & vltimo: quia ex dictis tum ludus, tum omnis animi remissio, atque omnis risus inter iucunda recensentur, necesse est etiam omnia ridicula iucunda esse, adeoque ridiculos homines, ridiculas orationes, atque opera ridicula quamdam voluptatem afferre. De ridiculis porro in Poetica agetur ex professo. Et hæc de iucundis dicta sufficiant, ex quibus patere etiam potest, quid sit dicendum de molestiis, quæ sunt contraria iucundis. Quia verò homines iniurias faciunt propter iucunda, explicatæ satis sunt causæ, propter quas homines iniurias faciunt.

Quinam, & quomodo affecti iniurias faciant. Cap. XII. Articulus I.

1 *NVnc autem quomodo se habentes, & quibus exponamus. Ipsi ergo cum rem geri possibilem arbitrantur, & sibi possibilem, siue celare sperent, siue deprehensos non daturos pœnas: aut daturos quidem, sed minus sibi, vel suis futurum supplicium, quam emolumentum. Verum quæ possibilia, quæque impossibilia videantur, posterius explanabitur. Communia enim sunt omnibus rhetoricæ partibus.*

2 *Ipsi autem posse se absque damno iniuriari arbitrantur, si orationis copiam habeant: si actiui sint: si multis in certaminibus experti: si amicis abundant: si diuites sunt, aut ipsi maxime, aut saltem si huiuscemodi sibi amici, aut ministri, aut socij sint. Nam hæc propter & celare, & facere, & non dare pœnas possunt.*

3 *Præterea si amici sunt ijs, qui iniuriam perpetiuntur, aut iudicibus. Nam et amici nec obseruant iniuriantes amicos, & reconciliari malunt, quam accusare, et iudices ijs gratificantur, quos amant, & aut omnino absoluunt, aut parui condemnant.*

4 *Celare autem facilius possunt, partim qui ad ipsa crimina incommodi sunt: vt si imbecillus pulsasse hominem accusetur, aut inops, aut deformis adulterij.*

5 *Et quæ in aperto, & ante oculos posita sunt. Nam quæ nemo putat, nemo seruat. Et quæ tot & tanta sunt, vt ea nullus. Nam & hæc minime obseruantur. Omnes enim homines, quibus vsitatissimæ iniuria sunt, ab eis cauent: veluti etiam à morbis, qui solent inuadere; quo autem nondum aliquis laborauit, ab eo nemo cauet.*

1 PRopositis causis, propter quas homines iniurias faciunt, sequitur, vt hoc, & sequenti capite explicemus, qui nam, & quomodo affecti, & quibus iniurias faciant. Primo tum homines solent iniurias alijs facere, cum arbitrantur fieri posse, vt res conficiatur, & vt ab ipsis conficiatur, præsertim si sperent se laturos, aut etiam si non latuerint, pænas non daturos, aut daturos quidem, sed ita, vt minorem ex pæna damnum patiantur, quam ex iniuria lucrum acceperint, aut ipsimet, aut ij, quorum causa ad ipsos spectat. Porro loca ad ostendendum, quid fieri possit, vel non possit, quia non sunt propria generis iudicialis, sed sunt communia omnibus tribus generibus, tradentur inferius lib. 2. cap. 2. adeoque nunc solum est explicandum, qui nam arbitrentur posse se inferre alijs iniurias sine proprio damno, & qui nam putent se latituros.

2 Secundo igitur ij arbitrantur se posse absque proprio damno iniuriam alijs inferre, qui sunt potentes sermonē, vel operе; & qui experientiam habent, eo quod in pluribus certaminibus sint versati; & qui abundant amicis, vel diuitijs. Porro ij, qui ipsimet sunt potenres opere, vel sermone, putant se per se ipsos posse damnum effugere; ij verò, quibus hæc potentia adest per amicos, aut per ministros, vel socios, putant se horum auxilio posse iniurias facere, & latere, ac pœnas non dare.

3 Tertio etiam ij, qui sunt amici, vel iniuriam patientibus, vel iudicibus, putant se posse damnum effugere. Ratio est, quia facile est amicis iniuriam inferre, quia non cauent, & iniuria illata facile est vitare pœnam, ac damnnm, quia reconciliantur, atque acceptas iniurias iudicio non persequuntur: iudices verò amicis indulgent, & eorum delicta vel condonant, vel mitius puniunt.

4 Quarto idonei ad latendum sunt, qui videntur ita habere dispositionem contrariam delictis, quæ patrarunt, vt videatur impossibile illos talia delicta patrasse. Ex. gr. qui valde est imbecillis, si alterum fortiorem se verberauerit, potest latere, quia videtur impossibile, vt verberauerit: potest etiam ex eadem ratione latere pauper, ac deformis, si adulterium cum muliere nobili, ac pulcherrima commiserit.

5 Quinto possunt etiam latere delicta, quæ nimis in aperto, ac veluti in oculis omnium fiunt. Ratio est, quia nemo illa obseruat, cum omnes existiment fieri non posse. Ex eadem ratione possunt occultari delicta tanta, & talia, vt nemo hactenus illa patrarit, quia nemo ab ijs cauet. Sicut enim homines cauent solum à morbis consuetis, sic cauent solum ab vsitatis iniurijs; & sicut nemo reformidat morbos, quibus nemo hactenus laborauerit, sic nemo

mo reformidat iniurias, quibus nemo hactenus fuerit affectus.

6 *Partim ij, quibus inimicus nullus est, aut plurimi. Alij enim celaturos se putant, quod non obseruentur: alij quòd non videantur aggressuri fuisse, cùm obseruentur, habentque defensionem hanc, quod non fuissent aggressuri.*

7 *Partim quos vel mores, vel affectio, vel locus commode celant.*

8 *Partim ij, qui si celare non potuerint, propellere omnino iudicium possunt, aut in longius prorogare, aut iudices corrumpere. Partim ij, qui si pecunia damnabuntur, vel solutioni superſedere possunt, aut in longius producere, vel ob inopiam nihil habent, quod perdant.*

9 *Partim quibus emolumenta quidem aperte aduenıunt, vel magna, vel de propinquo: damna vero è contra, vel occulta, vel parua, vel de longe. Partim quibus maior est vtilitas, quàm vt par supplicium excogitari queat: quod tyrannis consequuta videtur. Partim quibuſcunque iniuriæ lucra quidem sunt, condemnationes autem opprobria solum. Et contra quibus iniuriæ quidem laudi quodammodo sunt, vt si alicui simul contigerit parentem vlcisci, velut Zenoni, condemnationes vero, aut exilij, aut pecuniæ, aut alterius huiusmodi. Iniuriantur enim vtrique ij, siue hoc, siue illo se pacto habeant, sed non vt ijdem ipsi sunt, verum vt oppositi in moribus.*

10 *Partim qui sæpe, aut celarunt, aut condemnati non sunt. Item quibus sæpius aggressis parum successit. Sunt enim nonnulli tales in iniuriando, quales in re bellica, qui iterum, atque iterum pugnas inceptant.*

6 Sexto existimant etiam homines se latituros, si iniurias fecerint, aut ijs, qui nullos, aut ijs, qui multos habent inimicos. Si enim aggrediantur eos, quibus nulli sunt inimici, putant se latituros, quia illi neminem obseruant, atque à nullo cauent; si verò aggrediantur eos, qui multos habent inimicos, putant se latituros, quia incredibile videtur ipsos ausos fuisse aggredi eos, qui omnia obseruant, atque ab omnibus cauent: quod si aliqua perpetrati criminis suspicio suboluerit, paratam habent defensionem ex eo, quod nunquam fuissent aggressi hominem suæ custodiæ totis viribus excubantem.

7 Septimo faciles sunt ad iniurias per furta inferendas, qui possunt, quæ sustulerint nullo negotio occulere, aut ita quoad colorem, figuram &c. commutare, vt non videantur eadem; aut in alium locum transferre; aut etiam vendere. Facile enim his vijs obtinent, vt latrocinium non detegatur.

8 Octauo confidenter iniurias faciunt, qui si forte facinus celare non possint, adhuc possunt iudicium vitare, vel per dilationem in aliud tempus differre, vel iudices corrumpere; ij etiam, quibus etiamsi à iudicibus mulcta pecuniaria fuerit irrogata, possunt effugere, aut differre solutionem, vel propter paupertatem nihil habent, quod amittant.

9 Nono illi quoque iniurias non dubitant facere, qui ex iniurijs quidem lucra aperta, magna, & propinqua consequuntur, pœnas autem timent solum paruas, vel obscuras, vel longinquas, ac nonnisi post longum tempus inferendas. Præsertim verò aggrediuntur illa facinora, quibus non est proposita pœna par commodo, quod ex ijs reportatur, quale facinus videtur occupatio tyramnidis; vel illa, per quæ ex iniurijs reportant quæstum, & lucrum, ex pœnis verò ignominias tantum, sine rei familiaris detrimento; vel illa è conuerso, per quæ ex iniustitia reportant quamdam laudem, sicut cum vlciscuntur iniurias patri, aut matri illatas, vt Zeno fecit, mulctantur verò solum exilio, pecunijs, alijsque talibus pœnis, quæ nullam inurunt infamiam. Vtrumque igitur facinorum genus, sed ab hominibus contrarijs moribus præditis, perpetratur. Illi siquidem, qui contempta fama, lucris solum anhelant, in eas iniurias erumpunt, per quas cum reportent quæstum, sola puniuntur infamia. E conuerso qui studiosi sunt honoris, & gloriæ, aliorum ius violant, cum ex iniuria laudem consequuti, ex pœna damno tantum, sine vlla tamen ignominia afficiuntur.

10 Decimo: audaces sunt ad iniurias inferendas, tum qui sæpius similibus facinoribus perpetratis, ex quodam fauore fortunæ, aut deprehensi non sunt, aut pœnas non dederunt, tum qui fortuna ipsis aduersante deprehensi sunt, ac dederunt pœnas. Sicut enim multi sunt, qui sæpius victi, adhuc belli fortunam tentare cupiunt;

Quinam, & quomodo affecti iniurias faciant. Cap. XII. Articulus I.

1 *NVnc autem quomodo se habentes, & quibus exponamus. Ipsi ergo cum rem geri possibilem arbitrantur, & sibi possibilem, siue celare sperent, siue deprehensos non daturos pœnas: aut daturos quidem, sed minus sibi, vel suis futurum supplicium, quam emolumentum. Verum quæ possibilia, quæque impossibilia videantur, posterius explanabitur. Communia enim sunt omnibus rhetoricæ partibus.*

2 *Ipsi autem posse se absque damno iniuriari arbitrantur, si orationis copiam habeant: si actiui sint: si multis in certaminibus experti: si amicis abundant: si diuites sunt, aut ipsi maxime, aut saltem si huiuscemodi sibi amici, aut ministri, aut socij sint. Nam hæc propter & celare, & facere, & non dare pœnas possunt.*

3 *Præterea si amici sunt ijs, qui iniuriam perpetiuntur, aut iudicibus. Nam et amici nec obseruant iniuriantes amicos, & reconciliari malunt, quam accusare, et iudices ijs gratificantur, quos amant, & aut omnino absoluunt, aut parui condemnant.*

1 PRopositis causis, propter quas homines iniurias faciunt, sequitur, vt hoc, & sequenti capite explicemus, quinam, & quomodo affecti, & quibus iniurias faciant. Primo tum homines solent iniurias alijs facere, cum arbitrantur fieri posse, vt res conficiatur, & vt ab ipsis conficiatur, præsertim si sperent se laticuros, aut etiam si non latuerint, pænas non daturos, aut daturos quidem, sed ita, vt minorem ex pæna damnum patiantur, quam ex iniuria lucrum acceperint, aut ipsimet, aut ij, quorum causa ad ipsos spectat. Porro loca ad ostendendum, quid fieri possit, vel non possit, quia non sunt propria generis iudicialis, sed sunt communia omnibus tribus generibus, tradentur inferius lib. 2. cap. 2. adeoque nunc solum est explicandum, qui nam arbitrentur posse se inferre alijs iniurias sine proprio damno, & qui nam putent se latituros.

2 Secundo igitur ij arbitrantur se posse absque proprio damno iniuriam alijs inferre, qui sunt potentes sermonẽ, vel opere; & qui experientiam habent, eo quod in pluribus certaminibus sint versati; & qui abundant amicis, vel diuitijs. Porro ij, qui ipsimet sunt potenres opere, vel sermone, putant se per se ipsos posse damnum effugere; ij verò, quibus hæc potentia adest per amicos, aut per ministros, vel socios, putant se horum auxilio posse iniurias facere, & latere, ac pœnas non dare.

3 Tertio etiam ij, qui sunt amici, vel iniuriam patientibus, vel iudicibus, putant se posse damnum effugere. Ratio est, quia facile est amicis iniuriam inferre, quia non cauent, & iniuria illata facile est vitare pœnam, ac damnnm, quia reconciliantur, atque acceptas iniurias iudicio non persequuntur: iudices verò amicis indulgent, & eorum delicta vel condonant, vel mitius puniunt.

4 *Celare autem facilius possunt, partim qui ad ipsa crimina incommodi sunt: vt si imbecillus pulsasse hominem accusetur, aut inopi, aut deformis adulterij.*

5 *Et quæ in aperto, & ante oculos posita sunt. Nam quæ nemo putat, nemo seruat. Et quæ tot & tanta sunt, vt ea nullus. Nam & hæc minime obseruantur. Omnes enim homines, quibus vsitatissimæ iniuriæ sunt, ab eis cauent: veluti etiam à morbis, qui solent inuadere, quo autem nondum aliquis laborauit, ab eo nemo cauet.*

4 Quarto idonei ad latendum sunt, qui videntur ita habere dispositionem contrariam delictis, quæ patrarunt, vt videatur impossibile illos talia delicta patrasse. Ex. gr. qui valde est imbecillis, si alterum fortiorem se verberauerit, potest latere, quia videtur impossibile, vt verberauerit: potest etiam ex eadem ratione latere pauper, ac deformis, si adulterium cum muliere nobili, ac pulcherrima commiserit.

5 Quinto possunt etiam latere delicta, quæ nimis in aperto, ac veluti in oculis omnium fiunt. Ratio est, quia nemo illa obseruat, cum omnes existiment fieri non posse. Ex eadem ratione possunt occultari delicta tanta, & talia, vt nemo hactenus illa patrarit, quia nemo ab ijs cauet. Sicut enim homines cauent solum à morbis consuetis, sic cauent solum ab vsitatis iniurijs; & sicut nemo reformidat morbos, quibus nemo hactenus laborauerit, sic nemo

mo reformidat iniurias, quibus nemo hactenus fuerit affectus.

6 *Partim ij, quibus inimicus nullus est, aut plurimi. Alij enim celaturos se putant, quod non obseruentur: alij quòd non videantur aggressuri fuisse, cùm obseruentur, habentque defensionem hanc, quod non fuissent aggressuri.*

7 *Partim quos vel mores, vel affectio, vel locus commode celant.*

8 *Partim ij, qui si celare non potuerint, propellere omnino iudicium possunt, aut in longius prorogare, aut iudices corrumpere. Partim ij, qui si pecunia damnabuntur, vel solutioni supersedere possunt, aut in longius producere, vel ob inopiam nihil habent, quod perdant.*

9 *Partim quibus emolumenta quidem aperte adueniunt, vel magna, vel de propinquo: damna vero è contra, vel occulta, vel parua, vel de longe. Partim quibus maior est vtilitas, quàm vt par supplicium excogitari queat: quod tyrannis consequuta videtur. Partim quibuscunque iniuriæ lucra quidem sunt, condemnationes autem opprobria solum. Et contra quibus iniuriæ quidem laudi quodammodo sunt, vt si alicui simul contigerit parentem vlcisci, velut Zenoni, condemnationes vero, aut exilij, aut pecuniæ, aut alterius huiusmodi. Iniustantur enim vtrique ij, siue hoc, siue illo se pacto habeant, sed non vt ijdem ipsi sunt, verum vt oppositi in moribus.*

10 *Partim qui sæpe, aut celarunt, aut condemnati non sunt. Item quibus sæpius aggressis parum successit. Sunt enim nonnulli tales in iniuriando, quales in re bellica, qui iterum, atque iterum pugnas inceptant.*

6 Sexto existimant etiam homines se latituros, si iniurias fecerint, aut ijs, qui nullos, aut ijs, qui multos habent inimicos. Si enim aggrediantur eos, quibus nulli sunt inimici, putant se latituros, quia illi neminem obseruant, atque à nullo cauent; si verò aggrediantur eos, qui multos habent inimicos, putant se latituros, quia incredibile videtur ipsos ausos fuisse aggredi eos, qui omnia obseruant, atque ab omnibus cauent: quod si aliqua perpetrati criminis suspicio suboluerit, paratam habent defensionem ex eo, quod nunquam fuissent aggressi hominem suæ custodiæ totis viribus excubantem.

7 Septimo faciles sunt ad iniurias per furta inferendas, qui possunt, quæ sustulerint nullo negotio occulere, aut ita quoad colorem, figuram &c. commutare, vt non videantur eadem; aut in alium locum transferre; aut etiam vendere. Facile enim his vijs obtinent, vt latrocinium non detegatur.

8 Octauo confidenter iniurias faciunt, qui si forte facinus celare non possint, adhuc possunt iudicium vitare, vel per dilationem in aliud tempus differre, vel iudices corrumpere; ij etiam, quibus etiamsi à iudicibus mulcta pecuniaria fuerit irrogata, possunt effugere, aut differre solutionem, vel propter paupertatem nihil habent, quod amittant.

9 Nono illi quoque iniurias non dubitant facere, qui ex iniurijs quidem lucra aperta, magna, & propinqua consequuntur, pœnas autem timent solum paruas, vel obscuras, vel longinquas, ac nonnisi post longum tempus inferendas. Præsertim verò aggrediuntur illa facinora, quibus non est proposita pœna par commodo, quod ex ijs reportatur, quale facinus videtur occupatio tyramnidis; vel illa, per quæ ex iniurijs reportant quæstum, & lucrum, ex pœnis verò ignominias tantum, sine rei familiaris detrimento; vel illa è conuerso, per quæ ex iniustitia reportant quamdam laudem, sicut cum vlciscuntur iniurias patri, aut matri illatas, vt Zeno fecit, mulctantur verò solum exilio, pecunijs, alijsque talibus pœnis, quæ nullam inurunt infamiam. Vtrumque igitur facinorum genus, sed ab hominibus contrarijs moribus præditis, perpetratur. Illi siquidem, qui contempta fama, lucris solum anhelant, in eas iniurias erumpunt, per quas cum reportent quæstum, sola puniuntur infamia. E conuerso qui studiosi sunt honoris, & gloriæ, aliorum ius violant, cum ex iniuria laudem consequuti, ex pœna damno tantum, sine vlla tamen ignominia afficiuntur.

10 Decimo: audaces sunt ad iniurias inferendas, tum qui sæpius similibus facinoribus perpetratis, ex quodam fauore fortunæ, aut deprehensi non sunt, aut pœnas non dederunt, tum qui fortuna ipsis aduersante deprehensi sunt, ac dederunt pœnas. Sicut enim multi sunt, qui sæpius victi, adhuc belli fortunam tentare cupiunt;

piunt; sic aliqui non desunt, qui sæpius spe, ac voto frustrati, adhuc similia aggrediuntur, quasi meliorem fortunam habituri.

11 *Præterea qui voluptatem, aut lucrum statim assequuntur, dolorem, aut damnum postea: quales incontinentes sunt. Inest enim incontinentia circa omnia, quæ appetuntur. Et contra qui dolorem, aut damnum statim perpetiuntur, voluptatem vero, aut emolumentum postea, & tardius. Continentes enim, ac solertiores hæc persequuntur.*

12 *Partim qui videri possunt, vel fortuna, vel necessitudine, vel natura, vel consuetudine fecisse: & in summa errasse, sed non iniuriatos fuisse. Partim qui ius suum haud aliter obtinere possunt.*

13 *Partim qui eguerint. Sunt autem egentes dupliciter. Nam aut necessarijs, vt inopes: aut superuacaneis, vt diuites.*

14 *Partim qui præclari, aut infames sunt: alij quoniam non videbuntur, alij quoniam non magis videbuntur. Ac ipsi quidem sic se habentes aggrediuntur.*

11 Vndecimo: aliqui proni sunt ad aggredienda facinora ex eo, quia statim consequuntur voluptatem, aut lucrum, dolorem verò, vel damnum post aliquod temporis interuallum sentiunt. Tales verò sunt incontinentes. Versatur autem incontinentia latè sumpta non solum circa voluptates tactus, sed circa omnia, quæ homines concupiscunt. Alij è conuerso ea sectantur, quæ licet statim dolorem, aut damnum afferant, post aliquod tempus voluptatem, atque vtilitatem ex ijs consequuntur. Talia verò persequuntur homines continentes, atque prudentia præstantes.

12 Duodecimo: ij quoque iniuriosi sunt, qui videri possunt, aut casu fecisse, aut ex necessitate, aut natura, vel assuetudine impellente, aut denique errore lapsi, non autem scientes, volentesque iniuriam intulisse. Facile etiam iniurias faciunt, qui impetrare possunt, vt non tam ex iure, quam ex æquo, & bono secum agatur.

13 Decimotertio: indigentes sæpe ab ipsa indigentia ad aliorum ius violandum impelluntur. Neque verò arbitretur aliquis indigentiam in solos pauperes cadere. Cum enim duplex sit indigentia, altera rerum necessariarum, altera superuacanearum, & immodicarum, prima in pauperes, secunda in diuites cadit, adeoque tum pauperes, tum diuites aliquando ex indigentia sunt ad iniurias faciendas proni.

14 Decimoquarto demum, & qui in optima, & qui in pessima sunt opinione aliquando sunt ad iniurias faciendas procliues: illi quidem, quia arbitrantur neminem credituros ipsos scelus perpetrasse: isti verò, quia putant ex eo, quod noua flagitia fecerint, non posse homines peiorem de ipsis opinionem concipere. Explicatum est igitur, quo pacto se habeant qui iniurias faciunt: capite sequenti est explicandum aduersus quos, & quibus in rebus faciant.

Quinam, & quomodo affecti, ac quibus in rebus iniurijs afficiantur. Cap.XII. Art.II.

15 *Iniuria verò afficiunt hos, & in his. Primum habentes ea, quibus ipsi egeant, vel vt necessitatem expleant, vel vt abundent, vel fruantur. Deinde tam longe absentes, quàm prope. Ab alijs nanque cito auferunt, ab alijs tardius puniuntur: veluti qui Carthaginiensibus furantur.*

16 *Præterea non obseruantes, neque cauentes, sed credulos. Nam omnes hos celare facile. Ad hæc negligentes. Nam vlcisci diligentis est. Verecundos etiam. Non enim pugnant de lucro.*

17 *Eos quoque, qui affecti à multis iniuria, non curarunt de vltione. Nam (vt trito prouerbio dicitur) Mysorum ij præda sunt. Insuper eos, quos nunquam, & quos sæpius. Vtrique enim incauti: illi quòd nunquam, ij quòd non amplius.*

18 *Item eos, qui aduersis rumoribus, vel opprimuntur, vel facile possunt opprimi. Nam ij nec volunt, cùm timeant iudices, nec persuadere queunt: cuiusmodi sunt, & quos multi oderunt, & quibus multi inuident.*

15 Primo homines improbi iniurias faciunt ijs, qui ea possident, quibus ipsi indigent, vel ad vitæ necessitates, vel ad abundantiam, & luxum, vel ad delicias, & fruitionem: ex his verò libenter expilant, tum propinquos, tum remotos; propin-

pinquos quidem, quia velox eorum est expilatio; remotos autem, quia tarda est vltio iniuriarum aduersus remotos factarum, ideoque multi Græcorum aduersus Carthaginenses valde longinquos latrocinia exercent.

16 Secundo iniurijs aggrediuntur incautos, quique seipsos, ac res suas non custodiunt, sed creduli sunt, ac simplicis ingenij. Facile enim est à talibus non deprehendi. Iniuria etiam afficiunt homines desides, atque inertes, nec non natura verecundos: desides quidem, quia non desidis, sed industrij hominis est iniurias sibi illatas iudicio persequi: verecundos autem, quia pudet eos per lites de pecunia, ac quæstu contendere.

17 Tertio eos inuadunt, qui cum à multis fuerint iniuriam passi, ius suum iudicio persecuti nunquam sunt, quasi iuxta vetus prouerbium tales homines sint *Mysorum præda*. Sæpe etiam lædunt tum illos, quos nunquam, tum illos, quos sæpè alias læserunt; vtrique enim incauti sunt. Ij siquidem quia nunquam ante sunt læsi, sperant nec in posterum læsum iri; isti autem, quia sæpius sunt læsi, putant finem lædendi factum.

18 Quarto iniurias faciunt ijs, qui vel ante fuerunt accusati, atque in iudicium vocati, vel facile possunt accusari, atque in iudicium vocari. Hi siquidem neque audent iudicio contendere, quia timent iudices; nec si audeant, possunt iudicibus persuadere. Tales autem sunt, qui vel odio populari, vel inuidia laborant.

19 *Item aduersus quos causam habuerunt, vel ex ipsis, vel ex parentibus, vel ex amicis, qui male, aut fecerunt, aut facturi erant vel sibi, vel parentibus, vel ijs, qui sibi curæ sunt, sicuti prouerbio fertur: Improbitas causam quærit.*

20 *Item amicos, atque inimicos. Alios nanque facile, alios iucunde. Item eos, qui amicos non habent. Item eos, qui nec ad dicendum, nec ad faciendum multum valent. Nam ij aut vlcisci negligunt, aut reconciliantur, aut non ad finem vsque persequuntur. Præterea quibus inutile est, dum iudicia, & compensationem expectant, tempus consumere: quales sunt aduenæ, ac opifices, qui iniuriantes sibi paruo absoluunt, & facile cessant.*

21 *Præterea eos, qui aut ipsi alijs sæpe iniuriam intulerunt, aut iniuria talia fecerunt, qualia patiuntur. Nam id non videtur ferè iniuria, cùm tale quid perpessus quispiam fit, quale ipse est solitus facere: vt si quis contumeliari solitum verberauerit: vel eos, qui male aut fecerunt, aut voluerunt, aut facturi sunt. Nam & voluptatem id, & laudem habet, nec ferè iniuria esse videtur.*

19 Quinto eos præcipuè homines iniurijs violant, contra quos aliquem habent prætextum, eo quod vel ipsi, vel eorum maiores, aut amici iniurias intulerint, vel inferre tentauerint, vel ipsis, vel eorum maioribus, aut ijs, quorum curam gerunt: siquidem iuxta prouerbium improbitas ad faciendas iniurias solo indiget prætextu.

20 Sexto tum amicos, tum inimicos aliquando homines lædunt: amicos quidem, quia facile, inimicos autem, quia iucundum est eos iniuria afficere. Lædunt etiam eos, qui amicis carent, & dicendo, vel agendo non valent. Isti enim vel non tentant acceptas iniurias iudicio persequi, aut reconciliantur, aut etiamsi iudicio contendant, nihil proficiunt. Ex eadem ratione iniurijs patent ij, quibus vtile non est tempus consumere expectando finem iudicij, vel solutionem mulctæ, quales sunt opifices, ac peregrini; siquidem hi parua accepta pecunia, vel compensatione, iniurias remittunt, ac facilè mitigantur.

21 Septimo libenter homines iniurias faciunt ijs, qui sæpè iniurias alijs fecerunt, aut tales iniurias, quales nunc patiuntur, intulerunt. Videtur enim propè non iniuriam facere, qui aliquem lædit in ijs, in quibus ille alios lædere consueuit, vt cum quis lædit eum, qui solet alijs contumelias inferre. Ex eadem ratione libenter homines iniurijs afficiunt eos, qui mala fecerunt, vel facere voluerunt, vel volunt facere, vel sunt facturi. Iucundum enim est tales lædere, & habet quamdam speciem honesti, & quasi non videtur vllam iniuriam continere.

22 *Item eos, quorum iniuria vel amicis, vel dominis, vel in summa quibus ipsi viuunt, grata videtur. Item eos, à quibus sperant veniam se consecuturos. Præterea eos, de quibus conquesti sunt, vt Calippus in Dionem fecit. Hæc enim ad iniuriandum ac-*

accedere videntur.

23 *Praeterea eos, quos etiamsi ipsi dimitterent, ab alijs tamen opprimerentur, quasi non sit amplius possibile consilium adhiberi: vt Aenesidemus ad Gelonem, cùm ab eo Gotabia oppidum depopulatum fuisset, scripsisse fertur: quòd scilicet eum vrbem illam depopulaturum paulo praeuenisset.*

24 *Praeterea eos, quibus iniuriati potuerunt, iuste agere multa quasi facile relaturi: vt Iason Thessalus dixit opus esse in quibusdam iniuriari, vt iure quoque multa facere possis.*

22 Octauo eos homines libenter lædunt, quos lædendo, gratificantur amicis; vel ijs, quos admirantur, aut amant; vel dominis; vel ijs, ad quorum arbitrium viuunt; vel ijs, à quibus sperant se aliquid boni consecuturos. Eos etiam inuadunt, quos falsis criminibus obruere sunt conati; & à quibus cum ante essent amici dissociati sunt, vt Calippus fecit in Dionem. Videntur enim tales iniuriæ propemodum non esse iniuriæ.

23 Nono eos opprimunt, qui nisi ab ipsis opprimantur, ab alijs videntur opprimendi, quasi non amplius sit locus consultationi: vt Aenosidemus, cum Catabia oppidum depopulatus fuisset, scripsisse fertur Geloni, se ipsum præuenisse, cum alioquin Gelon eam vrbem depopulaturus fuisset.

24 Decimo iniurias faciunt ijs, quos si iniurijs affecerint, poterunt multa iusta facere, ac quodammodo iniusta alijs iustis resarcire; ideoque Iason Thessalus dixit oportere se nonnulla iniusta facere, vt posset deinde multa iusta facere.

25 *Item ea facilius committunt, quae multi factitant. Veniam enim se consecuturos in his putant.*

26 *Item ea, quae celari vbique commodius possunt: qualia sunt quae vel cito consumuntur, vt edulia: vel facile figura, colore, complexione immutantur: vel quae celari vbique possunt: & quae facile portantur, & paruis in locis reconduntur. Item ea, quorum similia multa iniurians possidebat.*

27 *Et quae perpessum dicere pudet: vt vxorum adulteria, contumeliaque sui, vel liberorum.*

28 *Et in quibus qui accusat, litium studiosus videtur: qualia sunt parua & in quibus venia dari solet. Ac quomodo se habentes iniuriantur, & quibus, & quomodo, & cur, haec ferè sunt.*

25 Hactenus explicauimus, quibus personis homines iniurias faciant. Sequitur, vt breuiter indicemus, in quibus rebus iniurias faciant. Primo igitur iniurias inferunt in ijs, in quibus omnes, aut plerique iniurias facere consueuerunt. Putant enim se veniam facile consecuturos.

26 Secundo improbi proni sunt ad faciendas iniurias in ijs, quæ facile occultantur, cuiusmodi sunt quæ celeriter consumuntur, vt esculenta; vel quæ facile mutantur quoad figuram, colorem, ac temperamentum, ita vt agnosci non possint; vel quæ vbique celantur, vt quæ facile huc, illucque feruntur, & in paruis etiam locis abduntur; vel quæ talia sunt, vt qui ea abstulit, antequam auferret, haberet plura similia, à quibus ea, quæ abstulit discerni non possunt.

27 Tertio in eo etiam genere iniuriarum sæpe homines improbi versantur, quæ eos, qui tales iniurias acceperunt, pudet proferre, & vulgare, cuiusmodi sunt contumeliæ illatæ in corpora, in vxores, in filios &c.

28 Quarto demum, atque vltimo iniurias inferunt in ijs, quæ si qui iniuria est affectus, iudicio persequatur, reprehensionem incurret, quasi sit litium studiosus. Huiusmodi autem sunt, quæ videntur parua, ac venia digna. Patet igitur ex dictis, quomodo sint affecti qui iniurias alijs inferunt; in quibus rebus; contra quos; & quorum gratia iniurias inferant.

De iustis, & iniustis, eorumque differentijs, ac de æquo, & bono. Caput XIII.

1 *Sed iniuria, iureque facta omnia distinguamus, hinc primum incipientes. Determinantur itaque iusta, atque iniusta primum duabus legibus: deinde quibus fiunt, dupliciter.*

2 *Legem autem dico, alteram propriam esse, alteram communem. Et propriam quidem, quae singulis inter ipsis determinata est; & hanc aliam scriptam, aliam non,*

non. Communem vero, quæ ſecundum naturam eſt. Eſt enim quoddam natura iuſtum, & iniuſtum, quod omnes vaticinantur, etiam ſi nulla inter ſe ſocietas, aut pactio ſit: quale Antigone apud Sophoclem dicere videtur, cùm iuſtum eſſe aſſerat, ſepultura, Polynicem tradere. Non enim, inquit, nunc aut nudiuſtertius, verum ſemper id viget, nemoque ſcit, ex quo ita conſtitutum eſt. Et vt Empedocles dicit de non interficiendis animatis: non enim id apud quoſdam iuſtum, apud quoſdam vero iniuſtum, ſed apud omnes, inquit, legitimum, ac per æthera latum, terraſque iacentes conſtitutum eſt. Et vt Alcidamas etiam in Meſeniaco dicit.

3 *Quibus autem determinata ſunt, dupliciter determinata ſunt. Nam aut ad communem ſocietatem, aut ad vnum certum ſocietatis agenda, aut non agenda ſpectant. Idcirco dupliciter etiam iure, ac iniuria facere poſſumus. Nam aut vnum, ac certum, aut ciuitatem lædimus. Qui enim adulteratur, aut hominem cædit, certum quendam lædit: qui vero militiam deſerit, ciuitatem.*

QVia genus iudiciale verſatur vniuerſim circa iuſta, & iniuſta, Ariſtoteles agit de iuſtis, atque iniuſtis, eorumque differentijs, atque etiam de æquo, & bono, quod eſt iuſtnm quoddam ſecundum legem naturalem. Primo ergo diſtinguit iuſta, & iniuſta ſecundum duplicem legem, & ſecundum hoc, quod vel reſpiciunt priuatas perſonas, vel totam communitatem: ſecundo repetita, & magis explicata definitione iniuriæ, quam tradiderat ſupra cap. 10. proponit quædam, quæ circa particulares ſpecies iniuriarum debet orator ſcire: tertio demum agit de iuſtis, & iniuſtis ſecundum legem naturalem, ac de æquo, & bono.

1 Quoad primum: debemus diſtinguere iuſtè, & iniuſtè facta in ſua genera, & in ſuas ſpecies; ſed iuſtè, & iniuſtè facta definiuntur, atque ad inuicem diſtinguuntur per hoc, quod dicunt ordinem ad duplicem legem, & per hoc, quod dupliciter reſpiciunt perſonas, circa quas verſantur, priuatim nimirum, aut publicè; ergo incipiendum eſt ab explicatione duplicis legis, ac duplicis modi, per quos iuſta, & iniuſta reſpiciunt perſonas, aut priuatim, aut publicè.

2 Duplex eſt lex, propria, & communis. Lex propria eſt, quam ſingulæ ciuitates, ac nationes ſibi ex quodam pacto ſtatuerunt. Huius autem alia pars eſt ſcripta, alia in conſuetudinibus, ac moribus hominum ſine vllo ſcripto conſeruatur. Lex communis eſt, quæ à natura ipſa ante omne pactum conſtituta eſt, & animis hominum impreſſa. Quod detur hæc lex naturalis, probatur: omnes enim homines veluti diuino ſpiritu afflati, pronunciant aliqua eſſe iuſta, vel iniuſta, etiamſi nulla inter homines ſocietas, nullum pactum exiſteret; ergo datur aliquod iuſtum, & iniuſtum, quod eſt tale, non per ordinem ad leges ab hominibus poſitas, ſed per ordinem ad legem naturalem. De hoc iuſto videtur loquuta Antigone apud Sophoclem, cum interrogata, quo iure Polynicem fratrem contra Creontis regis interdictum ſepeliſſet, reſpondit, quod id natura iuſtum erat. Non enim nunc, aut nudius tertius, ſed ſemper id viget, ac nemo ſcit ex quo tempore ortum habuerit. Empedocles quoque agens de non interficiendis animatis iuxta opinionem Pythagoræ dicit. Hoc enim non quibuſdam quidem iuſtum eſt, alijs non eſt iuſtum, ſicut ea, quæ ex lege humana iuſta ſunt, ſed omnibus eſt legitimum, ac per latum æthera ad omnes nationes diffuſum. Hoc idem de lege naturali Alcidamas in ſua oratione Meſſeniaca docuit.

3 Duplex eſt modus, quo ea, quæ ſunt agenda, vel non agenda reſpiciunt perſonas, iiſque definiuntur: vel enim reſpiciunt communitatem, vel vnum aliquem ex communitate. Proportionaliter igitur dupliciter poſſumus facere iuſta, & iniuſta, vel in communitatem, vel in aliquem ex communitate: ex. gr. qui adulteratur, vel aliquem verberat, iniuriam facit priuatæ perſonæ: qui verò cum teneatur pugnare, non pugnat, iniuriam facit communitati.

4 *Cùm igitur quæ iniuſte fiunt, omnia ita bipartito diſtribuantur, ſi prius quid ſit iniuriam pati repetierimus, cætera dicemus. Iniuriam pati ergo eſt, cùm à volentibus iniuſta inferuntur. Iniuriari enim, voluntarium eſſe iam definitum eſt.*

5 *Verum quoniam neceſſe eſt eum, qui iniuſte patitur, lædi, neque ſponte lædi: læſioneſque ex ijs, quæ iam diximus, patent*

(*bona*

accedere videntur.

23 *Praeterea eos, quos etiamsi ipsi dimitterent, ab alijs tamen opprimerentur, quasi non sit amplius possibile consilium adhiberi: vt Aenesidemus ad Gelonem, cùm ab eo Gotabia oppidum depopulatum fuisset, scripsisse fertur: quòd scilicet eum vrbem illam depopulaturum paulo praeuenisset.*

24 *Praeterea eos, quibus iniuriati potuerunt, iuste agere multa quasi facile referturi: vt Iason Thessalus dixit opus esse in quibusdam iniuriari, vt iure quoque multa facere possis.*

22 Octauo eos homines libenter lædunt, quos lædendo, gratificantur amicis; vel ijs, quos admirantur, aut amant; vel dominis; vel ijs, ad quorum arbitrium viuunt; vel ijs, à quibus sperant se aliquid boni consecuturos. Eos etiam inuadunt, quos falsis criminibus obruere sunt conati; & à quibus cum ante essent amici dissociati sunt, vt Calippus fecit in Dionem. Videntur enim tales iniuriæ propemodum non esse iniuriæ.

23 Nono eos opprimunt, qui nisi ab ipsis opprimantur, ab alijs videntur opprimendi, quasi non amplius sit locus consultationi: vt Aenosidemus, cum Catabia oppidum depopulatus fuisset, scripsisse fertur Geloni, se ipsum præuenisse, cum alioquin Gelon eam vrbem depopulaturus fuisset.

24 Decimo iniurias faciunt ijs, quos si iniurijs affecerint, poterunt multa iusta facere, ac quodammodo iniusta alijs iustis resarcire; ideoque Iason Thessalus dixit oportere se nonnulla iniusta facere, vt posset deinde multa iusta facere.

25 *Item ea facilius committunt, quæ multi factitant. Veniam enim se consecuturos in his putant.*

26 *Item ea, quæ celari vbique commodius possunt: qualia sunt quæ vel cito consumuntur, vt edulia: vel facile figura, colore, complexione immutantur: vel quæ celari vbique possunt: & quæ facile portantur, & paruis in locis reconduntur. Item ea, quorum similia multa iniurians possidebat.*

27 *Et quæ perpessum dicere pudet: vt vxorum adulteria, contumeliaque sui, vel liberorum.*

28 *Et in quibus qui accusat, litium studiosus videtur: qualia sunt parua & in quibus venia dari solet. Ac quomodo se habentes iniuriantur, & quibus, & quomodo, & cur, hæc ferè sunt.*

25 Hactenus explicauimus, quibus personis homines iniurias faciant. Sequitur, vt breuiter indicemus, in quibus rebus iniurias faciant. Primo igitur iniurias inferunt in ijs, in quibus omnes, aut plerique iniurias facere consueuerunt. Putant enim se veniam facile consecuturos.

26 Secundo improbi proni sunt ad faciendas iniurias in ijs, quæ facile occultantur, cuiusmodi sunt quæ celeriter consumuntur, vt esculenta; vel quæ facile mutantur quoad figuram, colorem, ac temperamentum, ita vt agnosci non possint; vel quæ vbique celantur, vt quæ facile huc, illucque feruntur, & in paruis etiam locis abduntur; vel quæ talia sunt, vt qui ea abstulit, antequam auferret, haberet plura similia, à quibus ea, quæ abstulit discerni non possunt.

27 Tertio in eo etiam genere iniuriarum sæpe homines improbi versantur, quæ eos, qui tales iniurias acceperunt, pudet proferre, & vulgare, cuiusmodi sunt contumeliæ illatæ in corpora, in vxores, in filios &c.

28 Quarto demum, atque vltimo iniurias inferunt in ijs, quæ si qui iniuria est affectus, iudicio persequatur, reprehensionem incurret, quasi sit litium studiosus. Huiusmodi autem sunt, quæ videntur parua, ac venia digna. Patet igitur ex dictis, quomodo sint affecti qui iniurias alijs inferunt; in quibus rebus; contra quos; & quorum gratia iniurias inferant.

De iustis, & iniustis, eorumque differentijs, ac de æquo, & bono. Caput XIII.

1 *SEd iniuria, iureque facta omnia distinguamus, hinc primum incipientes. Determinantur itaque iusta, atque iniusta primum duabus legibus: deinde quibus fiunt, dupliciter.*

2 *Legem autem dico, alteram propriam esse, alteram communem. Et propriam quidem, quæ singulis inter seipsis determinata est; & hanc aliam scriptam, aliam*

non. Communem vero, quæ secundum naturam est. Est enim quoddam natura iustum, & iniustum, quod omnes vaticinantur, etiam si nulla inter se societas, aut pactio sit: quale Antigone apud Sophoclem dicere videtur, cùm iustum esse asserat, sepultura, Polynicem tradere. Non enim, inquit, nunc aut nudiustertius, verum semper id viget, nemoque scit, ex quo ita constitutum est. Et vt Empedocles dicit de non interficiendis animatis: non enim id apud quosdam iustum, apud quosdam vero iniustum, sed apud omnes, inquit, legitimum, ac per æthera latum, terrasque iacentes constitutum est. Et vt Alcidamas etiam in Meseniaco dicit.

3 *Quibus autem determinata sunt, dupliciter determinata sunt. Nam aut ad communem societatem, aut ad vnum certum societatis agenda, aut non agenda spectant. Idcirco dupliciter etiam iure, ac iniuria facere possumus. Nam aut vnum, ac certum, aut ciuitatem lædimus. Qui enim adulteratur, aut hominem cædit, certum quendam lædit: qui vero militiam deserit, ciuitatem.*

QVia genus iudiciale versatur vniuersim circa iusta, & iniusta, Aristoteles agit de iustis, atque iniustis, eorumque differentijs, atque etiam de æquo, & bono, quod est iustnm quoddam secundum legem naturalem. Primo ergo distinguit iusta, & iniusta secundum duplicem legem, & secundum hoc, quod vel respiciunt priuatas personas, vel totam communitatem: secundo repetita, & magis explicata definitione iniuriæ, quam tradiderat supra cap. 10. proponit quædam, quæ circa particulares species iniuriarum debet orator scire: tertio demum agit de iustis, & iniustis secundum legem naturalem, ac de æquo, & bono.

1 Quoad primum: debemus distinguere iustè, & iniustè facta in sua genera, & in suas species; sed iustè, & iniustè facta definiuntur, atque ad inuicem distinguuntur per hoc, quod dicunt ordinem ad duplicem legem, & per hoc, quod dupliciter respiciunt personas, circa quas versantur, priuatim nimirum, aut publicè; ergo incipiendum est ab explicatione duplicis legis, ac duplicis modi, per quos iusta, & iniusta respiciunt personas, aut priuatim, aut publicè.

2 Duplex est lex, propria, & communis. Lex propria est, quam singulæ ciuitates, ac nationes sibi ex quodam pacto statuerunt. Huius autem alia pars est scripta, alia in consuetudinibus, ac moribus hominum sine vllo scripto conseruatur. Lex communis est, quæ à natura ipsa ante omne pactum constituta est, & animis hominum impressa. Quod detur hæc lex naturalis, probatur: omnes enim homines veluti diuino spiritu afflati, pronunciant aliqua esse iusta, vel iniusta, etiamsi nulla inter homines societas, nullum pactum existeret; ergo datur aliquod iustum, & iniustum, quod est tale, non per ordinem ad leges ab hominibus positas, sed per ordinem ad legem naturalem. De hoc iusto videtur loquuta Antigone apud Sophoclem, cum interrogata, quo iure Polynicem fratrem contra Creontis regis interdictum sepelisset, respondit, quod id natura iustum erat. Non enim nunc, aut nudius tertius, sed semper id viget, ac nemo scit ex quo tempore ortum habuerit. Empedocles quoque agens de non interficiendis animatis iuxta opinionem Pythagoræ dicit. Hoc enim non quibusdam quidem iustum est, alijs non est iustum, sicut ea, quæ ex lege humana iusta sunt, sed omnibus est legitimum, ac per latum æthera ad omnes nationes diffusum. Hoc idem de lege naturali Alcidamas in sua oratione Messeniaca docuit.

3 Duplex est modus, quo ea, quæ sunt agenda, vel non agenda respiciunt personas, iisque definiuntur: vel enim respiciunt communitatem, vel vnum aliquem ex communitate. Proportionaliter igitur dupliciter possumus facere iusta, & iniusta, vel in communitatem, vel in aliquem ex communitate: ex. gr. qui adulteratur, vel aliquem verberat, iniuriam facit priuatæ personæ: qui verò cum teneatur pugnare, non pugnat, iniuriam facit communitati.

4 *Cùm igitur quæ iniuste fiunt, omnia ita bipartito distribuantur, si prius quid sit iniuriam pati reperierimus, cætera dicemus. Iniuriam pati ergo est, cùm à volentibus iniusta inferuntur. Iniuriari enim, voluntarium esse iam definitum est.*

5 *Verum quoniam necesse est eum, qui iniuste patitur, lædi, neque sponte lædi: læsionesque ex ijs, quæ iam diximus, patent*

(bona

(bona enim, & mala prius diuisa sunt, voluntaria etiam dictum est ea esse, quae scientes faciunt) necesse est peccata omnia, vel ad ciuitatem, vel ad priuatos spectare: & haec aut à nesciente, aut à nolente, aut à volente, atque sciente fieri: & horum quaedam electione, quaedam affectu. Ac de his quidem in tractatu de affectibus explanabitur: quae vero eligunt, & quomodo se habentes, iam explanatum est.

6 *Verum quoniam saepe concedentes fecisse, aut intentionem accusatoris negant, aut id, de quo est intentio, vt cepisse, sed non furatum fuisse: verberatum, sed non contumeliatum esse: fuisse vna, sed non adulteratum fuisse: aut furatum esse, sed non commisisse sacrilegium: non enim rem diuinam attigisse: aut sustulisse, sed non publica: aut colloquutum cum hostibus fuisse, sed non prodidisse: propterea oportebit etiam quid furtum sit, quid contumelia, quid adulterium, determinare: vt siue esse, siue non esse iustum velimus ostendere, facere queamus. Nam de omnibus his quaestio est, vtrum iniustus sit, & improbus, an non. Est enim in electione improbitas, atque iniuria, & huiusmodi nomina elegisse ostendunt: veluti contumelia, furtum. Nec enim si verberauit, statim contumelia affecit, sed si alicuius gratia, vt si aut vituperandi alium, aut voluptatis suae. Nec si clam accepit, statim furatus est, sed si vt alteri damnum, sibi vtilitatem afferret: similiterque de alijs.*

4 Quoad secundum: cum diuiserimus vniuersim genera iniuriarum, ac dixerimus alias esse contra communitatem, alias contra vnum, aut plures ex priuatis, sequitur, vt resumentes, ac magis explicantes, quid sit iniuriam pati, prosequamur reliqua, quae circa iniurias, & earum species à rhetore tractanda sunt. Iniuria affici est à volentibus iniusta pati. Cum enim non possit quis iniuria affici, nisi aliquis faciat iniuriam, iniuriam autem facere sit inferre damnum sponte, vt dictum est cap. 10, non potest quis iniuriam pati, nisi alter sponte, & volens damnum inferat contra legem.

5 Ex allata definitione iniuriae patet, quae nam pro perfecta eius intelligentia ad oratoris vsum sint explicanda, quorum quaedam iam sunt explicata, quaedam iam explicabuntur, de alijs inferius agetur. Quia igitur necesse est, vt qui iniuria afficitur, damnum patiatur non sponte, sed inuitus, agendum esset de damnis, & explicandum, quid sit spontaneum, vel inuitum. Verum quae spectant ad damna, patere possunt ex ijs, quae de bonis, ac malis, eorumque differentijs dicta sunt prius. Damna siquidem inter mala, ac bonorum priuationes comprehenduntur. Quid sit spontaneum, vel inuitum explicatum est supra cap. 10. num. 2. vbi dictum est spontaneum esse, quod facimus volentes, & scientes. Quia rursus iuxta dicta in definitione, ac diuisionibus iniuriae, necesse est omnia delicta vel esse contra communitatem, vel contra priuatos; vel fieri ab ignorantibus, atque inuitis, vel à scientibus, ac volentibus; & quae fiunt à scientibus, & volentibus, vel fieri ex electione, vel ex passione; deberet agi singillatim tum de ijs, quae fiunt ex electione, tum de ijs, quae fiunt ex passione. Sed de ijs, quae fiunt ex passione irae agemus inferius libro secundo, cum differemus de affectibus, seu passionibus; de ijs, quae fiunt ex passione concupiscentiae, egimus cap. 11. tractantes de iucundis, quae sunt obiecta concupiscentiae: cap. 12. explicauimus qualia eligentes, & quomodo se habentes homines iniurias faciant; ergo de his generibus iniuriarum nihil hoc loco est addendum.

6 Quia tamen aliquando qui accusantur, confitentes factum, negant nomen, quo accusator factum vocauit, & accusationem inscripsit, vel negant rem ipsam, quae per tale nomen significatur: ex. gr. confitentes se rem alienam accepisse, negant fuisse furatos; confitentes se percussisse, negant intulisse contumeliam; confitentes se congressos, negant adulteratos; confitentes se furatos, negant commisisse sacrilegium, eo quod nihil diuino cultui sacrum acceperint; confitentes se sustulisse, negant sustulisse publica; confitentes se cum hostibus collocutos, negant prodidisse; ideo non sufficit, vt orator sciat explicata genera iniuriarum, sed necesse est, vt cognoscat etiam singulas species, adeoque possit determinare, quid sit furtum, quid contumelia, quid adulterium &c. vt seu debeat ostendere reum esse iustum, & insontem à furto, contumelia, alijsque allatis iniuriarum speciebus, seu debeat ostendere eumdem esse iniustum, & his scele-

ſceleribus contaminatum, poſſit id ex talium ſcelerum definitione demonſtrare. Porro dum quęritur, vtrum qui accepit, fecerit, vel non fecerit furtum, vtrum qui percuſſit, fecerit, vel non fecerit contumeliam, dubitatur vtrum ita fecerit tales actiones, vt ſit improbus, & iniuſtus malitia furti, & contumeliæ, vel non. Ratio eſt, quia improbitas, atque iniuria non conſiſtunt in ſolis actionibus externis, ſed etiam in electione; ſed nomina furti, contumeliæ, & alia huiuſmodi non ſignificant ſolas actiones externas, ſed etiam electionem; ergo furtum, contumelia, & alia huiuſmodi continent improbitatem, atque iniuſtitiam, adeoque dum eſt quæſtio de furto, contumelia &c. eſt quæſtio de improbitate, atque iniuſtitia. Probatur minor: ad contumeliam enim non ſufficit, vt aliquis verberauerit alterum, ſed requiritur, vt verberauerit ex fine illum ignominia afficiendi, vel delectationem ſumendi ex eius malo: ad furtum non ſufficit, vt quis clam rem alienam ſuſtulerit, ſed requiritur, vt ſuſtulerit ex animo illum damnificandi, ac quod ſuſtulit ſibi aſciſcendi: idemque dic de alijs huiuſmodi; ergo furtum, contumelia, & alia huiuſmodi non ſignificant ſolas actiones externas, ſed etiam prauam intentionem. Debet igitur orator compertas habere horum definitiones.

7 *Quoniam verò duæ iuſtorum, atque iniuſtorum partes erant (quædam enim ſcripta, quædam non ſcripta) de ijs quidem de quibus leges ſcribunt, dictum eſt.*

8 *Ea vero, quæ ſcripta non ſunt, bipartito diſtribuimus. Nam alia ſunt per exceſſum virtutis, aut vitij, in quibus vituperationes, honores, infamiæ, donationeſque ſunt: veluti gratiam habere benemerito, paratum eſſe amicis, cæteraque huiuſmodi. Alia legum ſcriptarum defectus. Nam æquum, & bonum iuſtum eſſe videtur: æquum autem, & bonum eſt, quod præter legem ſcriptam iuſtum eſt, idque accidit partim volentibus, partim inuitis legumlatoribus: inuitis quidem, cùm ſe effugerit: volentibus autem, & cum nequeant determinare, ſed neceſſe ſit vniuerſaliter dicere, quod non ita, ſed vt plurimum. Et cùm determinatio propter infinitatem facilis non ſit, vt ſi ferro percuſſit, quanto, & quali quodam, Tempus enim deerit enumeranti. Si ergo de quo determinari non poteſt, de eo lex ferenda eſt, neceſſario ſimpliciter dicendum. Quare, ſi cùm annulatus ſit, manum extollat, vel percutiat, lege quidem ſcripta reus eſt, & iniuriatus eſt, vere autem non eſt iniuriatus; & id eſt æquum, ac bonum.*

7 Quoad tertium: dictum eſt duas eſſe iuſtorum, & iniuſtorum ſpecies. Prima eſt eorum, quæ continentur in legibus ſcriptis, ac de his iam egimus: ſecunda eſt eorum, quæ non continentur in legibus ſcriptis, ac de his iam eſt agendum.

8 Iuſtorum igitur, atque iniuſtorum, non ſcriptorum duæ ſunt ſpecies. In prima ſpecie continentur quædam actiones excellentis virtutis, ac vitij, quæ laudantur, ac vituperantur, honoribus, & ignominijs, ac donis, ſeu præmijs afficiuntur; & quia manifeſtam habent honeſtatem, ita ſunt impreſſæ mentibus hominum, vt ſcriptione non egeant: ex. gr. iuſtum ſecundum naturam, & ante omnem legem ſcriptam eſt, gratiam habere benefactoribus, ijſque, qui beneficia contulerunt, cum poſſis, beneficia referre; paratum eſſe ad opitulandum amicis, atque alia huiuſmodi. Secunda ſpecies iuſti non ſcripti eſt, cum aliquid in propria, ac ſcripta lege omiſſum eſt. Aequum nimirum videtur iuſtum eſſe: eſt autem æquum id iuſtum, quod eſt præter legem ſcriptam, adeoque omiſſum eſt à legislatore. Porro legislatores quædam æqua, ac ſecundum naturam iuſta omittunt nolentes, & inuiti, eo quod in mentem non venerint, ſi veniſſent in mentem, non omiſſuri: alia omittunt ſponte, & ſcientes, cum non poſſunt ſingula determinare, ſed neceſſe eſt vniuerſim ſtatuere, quod non ſemper, ſed plerumque ita ſe habet. Vt cum lex vniuerſim ſtatuit peregrinos, qui muros ciuitatis aſcendunt, capite eſſe plectendos, quia vt plurimum interdicendum eſt peregrinis aſcendere muros ciuitatis; & tamen ſi hoſte irruente peregrini aſcendant muros ad ciuitatem defendendam, iuſtum, & æquum eſt ſecundum naturam, vt non plectantur capite, ſed præmio afficiantur. Omittunt etiam legumlatores ſcientes, & volentes, quæ propter infinitatem difficile eſt determinare: ex. gr. dum grauem pœnam ſtatuunt ijs, qui ferro alterum percuſſerint, deberent determinare, quanto, & quali; ſed quia hoc eſſet infi-

infinitum, simpliciter statuunt, vt qui ferro percusserit graui pœna puniatur. Si igitur aliquis habens in digito annulum ferreum, manum extulerit, & alterum annulo percusserit, iniustus est contra legem scriptam, ac reus pœnæ statutæ per legem; at secundum veritatem non est iniustus, neque puniendus est pœna statuta per legem scriptam. Aequum igitur ex dictis est iustum secundum naturam omissum à lege scripta.

9 *Si ergo quod dictum est, æquum, ac bo-*
10 *num est, * patet æquum etiam esse, ne tanti errores fiant, quanti iniuria: nec quæ aduersa fortuna eueniunt, tanti, quanti errores. Dicuntur autem aduersa fieri fortuna, quæcunque cùm præter opinionem fiant, non fiunt ex prauitate: errore autem, cum nec præter opinionem, nec ex prauitate: iniuria verò, cùm non præter opinionem, & ex prauitate. Nam quæ cupiditate fiunt, ex prauitate fiunt.*
11 *Aequum etiam est rebus humanis ad ignoscendum commoueri, & non legem, sed legis scriptorem, ac non verba, sed sen-*
12 *tentiam spectare. * Nec factum, sed voluntatem: nec partem, sed totum: nec quis nunc, sed quis semper, aut ferè semper fue-*
13 *rit, considerare. * Et meminisse bonorum magis, quæ in se collata sunt, quàm malorum: & eorum bonorum magis, quæ recipit, quàm quæ fecit: & non iniquo animo iniuriam ferre: & oratione disceptare potius velle, quàm re: & in arbitrium magis, quàm in forum velle descendere. Nam arbiter ad æquum, & bonum, iudex ad legem spectat: & hac de causa arbiter eligitur, vt æquum, & bonum præualeat. Ac de æquo, & bono sic determinatum sit.*

9 Ex tradita definitione æqui potest inferri qualia sint æqua, vel non æqua, & quales sint homines non æqui. Primo igitur æqua sunt omnia facta, ac dicta, quibus oportet ignosci, etiamsi qui illa commisit, videatur contra legem peccasse.

10 Secundo æquum est, vt non æquali pœna censeantur digna errata, & iniuriæ, vel errata, & infortunia. Sed explicandum, quæ sit differentia inter infortunia, errata, & iniurias. Infortunia sunt, quæ accidunt præter rationem, adeoque non poterant præuideri, & non procedunt ex improbitate, seu voluntate inferendi malum; vt cum aliquo supra tectum ambulante, casu decidit tegula, & interficit transeuntem. Errata sunt, quæ non accidunt præter rationem, adeoque poterant præuideri, sed non procedunt ex improbitate, seu voluntate inferendi malum, sed ex imprudentia; vt cum quis iaciens sagittam in feram, interficit hominem, quem vidit esse propinquum feræ; debuisset enim præuidere, & cauere periculum illum interficiendi. Iniuriæ sunt, quæ cum non sint præter rationem, fiunt ex improbitate, seu voluntate nocendi; vt cum quis interficit iacta sagitta ex animo interficiendi. Porro quæ fiunt ex concupiscentia, fiunt ex malitia.

11 Tertio æquum est humanis, hoc est ijs, quæ ex naturæ imbecillitate contingunt, ignoscere, ac non tam legem, quam legislatorem spectare, adeoque cum licet lex condemnet, legislator daret veniam, veniam indulgere: ad æquitatem etiam spectat non tam verba, quam mentem legislatoris considerare.

12 Quarto æquum est, non tam considerare factum, quam electionem, atque intentionem facientis, ac non tam partem facti, in qua quis deliquit, quam totum, in quo fortasse bene se gessit. Ex eadem æquitate non tam debet perpendi, qualis nunc sit reus in aliqua circumstantia particulari, quam qualis semper, vel vt plurimum fuerit.

13 Quinto æqui viri proprium est, vt magis recordetur bonorum, quam malorum, quæ ab altero accepit, ac magis beneficiorum, quibus fuit affectus, quam eorum, quæ in alterum contulit; vt potius iniuriam patienter ferat, quam vlciscatur; & controuersiam potius velit verbis iudicari, quam factis, adeoque non facile ruat ad vim, & arma; vt demum arbitrio potius bonorum virorum, quam suffragijs iudicum rem committat. Arbitri porro munus est videre, quid sit secundum naturalem æquitatem; iudicis munus est inspicere, quid sit secundum leges scriptas, ideoque inuentum est arbitrium, vt æquum indagetur. Hoc igitur pacto de æquo determinasse sufficiat.

De maiori, ac minori iniuria. Cap. XIV.

1 *Iniuria vero maior, quæ à maiore proficiscitur iniquitate. Quocirca quæ minima sunt crimina, maxima interdum videntur: vt Menaloppum Callistratus accusabat, quòd templi custodes decepisset, triaque vascula è sacris minimi ponderis sustulisset. Contra vero est in ipsa iustitia. Hæc autem ita sunt, quoniam viribus excedunt. Nam qui sacra vascula parui ponderis furatus est, is quauis in re peccabit.*

2 *Interdum igitur sic magna iniuria, interdum ex magnitudine damni æstimatur, vt illa, cui nullum potest supplicium exæquari, sed omnis pœna minor inuenitur, & cui remedium afferri non potest: acerbum enim, atque inauditum. Et in qua non potest qui passus est, pœnam sumere, cùm res nullum remedium patiatur. Nam vltio, atque pœna remedium est. Et si qui perpessus est, turpitudinem ferre non potuit: maiore nanque supplicio, qui fecit, dignus est: vt Sophocles cùm Euctemonis causam ageret, ac ille non ferens contumeliam, se ipsum interemisset, non æstimare se contumeliam minoris, inquit, quam quanti qui passus est, æstimauit.*

Sicut Aristoteles supra agens de genere deliberatiuo non solum tradidit loca, & propositiones ad ostendendum aliquid esse bonum, atque vtile absolutè, sed etiam ad ostendendum aliquid esse magis, aut minus bonum, magis, aut minus vtile: sic in præsentia agens de genere iudiciali, postquam tradidit definitiones, & propositiones ad ostendendum aliquod factum continere iniuriam, proponit propositiones, ex quibus potest demonstrari iniuriam fuisse maiorem, aut minorem.

1 Magnitudo iniuriarum desumi potest vel ex magnitudine habitus iniustitiæ, à quo procedunt; vel ex magnitudine damni, quod inferunt; vel ex circumstantijs. Primo igitur ex primo capite maiores iniuriæ sunt, quæ ex maiore habitu iniustitiæ procedunt. Et quia aliquando iniuriæ, alioquin minimæ, quia versantur circa minima, videntur procedere ex maximo habitu iniustitiæ, ideo propter hoc ipsum, quia sunt minimæ, sunt maximæ. Hoc loco vsus est Callistratus Menaloppum accusans, quod in tribus semiobolis fraudasset opifices templi: hæc enim inquit iniuria, licet re ipsa sit minima, virtute est maxima. Qui enim tres semiobolos furatus est, videtur tam magnum habitum iniustitiæ habere, vt quamlibet iniuriam cuilibet fecisset, dummodo potuisset. In habitu iustitiæ contrarium accidit. Neque enim ex eo, quod quis in re minima fuerit iustus, argui potest illum habere magnum habitum iustitiæ.

2 Secundo aliquando è conuerso magnitudo iniuriæ desumitur ex magnitudine damni illati, atque iniuria censetur maior, quæ maius damnum intulit; & cui nulla pœna est æqualis, vt proditio patriæ; & cuius non est remedium, quia difficillimum vel impossibile est tale remedium adhibere; & cuius non potest pœnas iudicio, vel alia ratione capere is, qui iniuria est affectus; eo enim ipso est immedicabilis, siquidem iudicium, & pœna sunt medicina iniuriarum; & propter quam ille, qui iniuriam, ac damnum est passus, grauiter in se ipsum animaduertit; maiori enim pœna dignus videtur is, qui iniuriam fecit. Hoc loco vsus est Sophocles, qui cum causam ageret Euctemonis, qui iniuria affectus, dolorem non ferens, se ipsum interfecerat, dixit eum, qui iniuriam fecerat, non esse mitius puniendum, quam is, qui passus fuerat iniuriam, se ipsum puniuisset.

3 *Et si solus, aut primus fecit, aut si pauci admodum eo crimine contaminati sunt. Idem etiam sæpius peccare permagnum. Similiter maxime is peccat, cuius causa quærantur, ac excogitentur quæ prohibeant, vt supplicia, & cruciatus: sicut ij, propter quos carcer exædificatus est. Et apud Argiuos pecunia is mulctatur, propter quem lex posita est. Maius etiam est, quod beluarum magis est: & quod ex præmeditatione magis: & quod qui audiunt, timent magis, quàm misereantur.*

4 *Amplificantia vero illa sunt, quòd multa iusta euertit, aut contempsit iusiurandum, datam dexteram, hospitium, fidem, affinitates. Multorum namque criminum exaggeratio fit. Ad hæc non parum sibi peccare, vbi puniuntur iniusti, quod falsi testes faciunt. Vbi enim non peccabunt, qui vel apud iudices peccant? Præterea*

ea

liceat, quam ad partem iustum, ad quam vtile accomodabitur, ac ita demum ipsa vti. Et si res, de quibus lex lata est, non similiter se habeant, lex autem ita, tunc vero id ipsum significandum est, ostendendumque sibiipsi eam repugnare.

1 Dictum est cap. 2. num. 2. persuasiones, per quas possumus fidem facere diuidi in artificiales, atque inartificiales, ac fusè actum est de probationibus artificialibus. Sequitur igitur, vt breuiter percurrentes persuasiones inartificiales, hunc primum librum concludamus. Porro de probationibus inartificialibus hoc præcipuè loco est differendum, quia proprijssimæ sunt generis iudicialis, licet possimus ipsis vti in alijs etiam generibus.

2 Quinque sunt genera probationum inartificialium, quæ nimirum orator non inuenit, sed solum ijs vtitur: leges, testes, pacta, quæstiones, seu torturæ, & iusiurandum. De singulis agendum est per singula capita, ac primo de legibus est explicandum, quo pacto debeat ijs orator vti ad suadendum, vel dissuadendum, accusandum, vel defendendum. Et quia leges aliquando aduersantur, aliquando fauent rei nostræ, idcirco primo explicandum est, quid sit faciendum, cum leges rei nostræ aduersantur; secundo, quid cum rei nostræ fauent.

3 Quoad primum: cum lex scripta rei nostræ aduersatur, tum ad eius auctoritatem minuendam, & eleuandam, recurrendum est ad legem communem, hoc est ad ius naturale, & ad æquum, quod est naturaliter iustum, ijsque tanquam lege scripta iustioribus est vtendum. Primo igitur quia Athenis iudices antequam causas audirent, iurabant, se secundum leges, ac mente, & sententia optima iudicaturos, dicendum est, quod mente, ac sententia optima iudicare est, non de cunctis sententiam proferre secundum legem scriptam, sed de aliquibus secundum legem naturalem, ac secundum æquitatem. Addendum, quod lex communis, necnon & æquum semper manent, ac numquam mutantur, siquidem secundum naturam sunt; leges autem scriptæ sæpius mutantur, ideoque Antigone apud Sophoclem ex eo defendit, quod fratrem Polynicem sepellisset, quod fecerat quidem contra legem Creontis, at non fecerat contra legem non scriptam, & de hac lege naturali addit: neque enim nunc erat, aut nudius tertius, sed semper fuit, ideoque ego dum hanc obseruo, nullum virum timeo. Potest etiam dici id iustum esse, quod verum, & vtile sit, non quod speciem tantum veri habeat, adeoque legem scriptam vix legis nomine vocandam esse, cum opus legis sæpe non efficiat, ac verum iustum non complectatur, sed solum sequatur vmbram veri. Tum oratio ad iudices est conuertenda, ac dicendum, iudices constitutos esse, vt quodammodo fungantur munere argentarij. Sicut enim argentarius debet distinguere argentum verum ab argento adulterino, sic iudices debent distinguere iustum verum, quod in lege naturæ continetur, à iusto simulato, quod sæpe latet in legibus scriptis; ac proinde melioris viri esse non tam scriptis, quam non scriptis legibus vti, ac stare.

4 Secundo considerandum est, an lex, qua premimur, sit sibi ipsi, vel alteri legi probatæ contraria, atque ex hoc ipso eius auctoritas est minuenda. Porro aliquando existunt tales contrarietates in legibus, vt cum altera lex iubet rata esse quæcunque homines pepigerint, altera vetat pactiones fieri contra leges. Perpendendum est etiam, an lex sit ambigua, & ad vtramque partem possit distorqueri, ac tum est inspiciendum, cui sensui quadrabit iustum, aut vtile, ac sic lege in rem nostram est vtendum. Si verò res, quarum causa lex lata est, amplius non maneant, lex autem adhuc seruetur, conandum est, vt hoc ipsum notum fiat, & sic oppugnanda lex est, ostendendo, quod rebus mutatis, lex quoque mutanda, atque abroganda est.

5 *Sin vero lex scripta rebus conueniat, tunc optima sententia dicendum non esse legem positam, vt præter leges iudices, sed ne ignorando quod leges volunt, peieres. Et quòd nemo eligit, quod simpliciter bonum est, sed omnes quod sibi. Et quòd non differat, vel nullas esse leges, vel non vti. Et quòd etiam in morbis non conferat aduersus medicum cauillari, quamuis non tantum medici error officiat quantum si non obaudire principibus assuescimus. Et quòd probatæ leges id maxime vetant, ne quis se legibus prudentiorem velit ostendere. Ac de de legibus quidem sic determinatum sit.*

5 Quoad secundum: si lex scripta nobis faueat dicendum, quod iusiurandum de iudicando secundum leges, & optima mente, ac sententia inductum est, non vt iudices iudicent contra legem scriptam, sed vt, si ignorent, quid lex decernat, aut satis legem non intelligant, iudicando optima mente, atque sententia, periurium effugiant; adeoque non esse abutendum hoc iureiurando, iudicando contra legem, quæ nota sit, & clara. Addendum est, quod sicut nemo eligit quod est bonum simpliciter, sed quod est bonum sibi, sic in ciuitatibus non est persequendum illud bonum, atque vtile simpliciter, quod in lege communi continetur, sed illud, quod cuique ciuitati est bonum, ac iustum, & in legibus proprijs cuiusque ciuitatis collocatum est. Potest etiam dici, quod frustra leges tanta cura conditæ sunt, si deinde ijs non vtamur: & quod sicut in alijs artibus non expedit contra earum magistros disputare, ex. gr. non expedit ægroto disputare contra leges à medico præscriptas, quia licet medicus errare possit, adhuc magis nocet ægroto assuetudo non parendi medico præcipienti, quam aliquis error medici; sic non est disputandum contra leges, quia licet leges possint errare, adhuc magis nocet Reipublicæ assuetudo non parendi legibus, quam error legis; ideoque probatæ, ac laudatæ leges interdicunt, ne quis velit esse legibus sapientior. Hæc igitur de legibus dicta sufficiant.

De Testibus. Cap. XV. & vlt. Articulus II.

6 *Testes autem, alÿ veteres, alÿ iuniores: & horum cum alÿs periculum commune est, alÿ omnino extra periculum sunt.*

7 *Veteres igitur dico poetas, cæterosque claros, quorum sententiæ approbantur, sicuti Homero teste de Salamine Athenienses vsi sunt. Tenedÿ quoque nuper aduersus Sigienses Periandro Corinthio, & Leophron in Critiam Solonis vsus est elegÿs; vt ostenderet iam ex priscis temporibus domum eius impudicam fuisse. Non enim scripsisset Solon, Flauo Critiæ dicendum mihi est, vt patri auscultet. Hi ergo testes de præteritis sunt. De futuris vero oraculorum etiam interpretes: vt Themistocles, quod muri lignei nauali vtendum esse pugna moneant. Præterea prouerbium quoque (vt dictum est) testimonium quoddam est: veluti si quis, cùm consulat senem non esse in amicitia suscipiendum, prouerbium huic attestari dicat, quo fertur, nunquam beneficium in senem collocandum: cùm vero liberos cum parentibus interficiendos, Fatuus, qui patre cæso, liberis pepercit.*

8 *Iuniorum etiam, qui clari sunt, sententia litigantibus conferunt, sicuti Eubulus in iudicio Platonicum quiddam aduersus Chareta protulit, quod Plato in Archibium dixit, increuisse tam propter illum in ciuitate, vt prauos se omnes esse fateantur. Et quibuscunque commune periculum est, si mentiri viderentur. Verum ÿ de huiusmodi solummodo testes sunt, factum ne sit, an non, & vtrum sit, an non, de qualitate vero minime: vt puta, si iustum, si iniustum: vtile, an inutile. Prisci autem etiam de qualitate. Nam cùm corrumpi non possint, fide dignissimi sunt.*

6 Secundum genus probationum inartificialium desumitur ex testibus. Testes diuiduntur in antiquos, & nouos. Testes noui subdiuiduntur in eos, qui sunt participes periculi, itaut si de mendacio conuicti fuerint, pænas luant; & in eos, qui non sunt participes vllius periculi.

7 Testes antiquos appello poetas, aliosque scriptores claros, quorum iudicia, ac sententiæ sint manifestæ. Vt igitur testes antiqui fidem faciant, duæ requiruntur conditiones. Prima est, vt sint scriptores clari; secunda est, vt eorum iudicia, & sententiæ non sint ambiguæ, sed manifestæ. Plura exempla eorum, qui cum iudicio decertarent, testibus antiquis sunt vsi, Aristoteles affert. Primum est Atheniensium, qui cum Megarensibus de Salamine contendentes, prolato in sui fauorem Homeri versu, victoriam obtinuerunt. Secundum est Tenediorum, qui cum Sigiensibus disceptantes Periandri veteris scriptoris testimonio sunt vsi. Tertium est Cleophonis, qui in oratione, quam habuit contra Critiam, vt ostenderet familiam Critiæ iam olim contumacem fuisse, testimonium Solonis adduxit, dicens: nisi enim ita se res haberet, nunquam Solon in suis elegis cecinisset.

Dic

Dic flauo Critiæ, vt studeat parere parenti.

Iam sicut antiqui scriptores adduci possunt vt testes præteritorum, sic augures, & qui fundunt oracula, adduci possunt vt testes futurorum, ideoque Themistocles dicens confugiendum esse ad naues, sententiam suam confirmauit oraculo dicente murum ligneum hostibus opponendum, hoc est naues. Ad testes etiam priscos reduci possunt antiqua prouerbia. Ex. gr. si quis suadeat alteri, vt non faciat amicitiam cum homine sene, potest id confirmare prouerbio, quo dicitur: beneficium ne conferas in senem; & si quis suadeat, vt qui sustulit parentem, auferat etiam filios, potest adducere prouerbium, quo dicitur.

Stultus qui natos, occiso patre, relinquit.

8 Testes noui, ac recentes, qui non veniunt in partem periculi sunt, qui cum sint clari, suam de aliqua re sententiam prodiderunt: iudicium siquidem eorum vtile est ad confirmandum id, de quo dubitatur. Hoc testium genere vsus est in iudicio Eubulus, dum contra Charetem protulit vocem à Platone vsurpatam contra Archiuium, nimirum, quod increbuit iam in ciuitate, vt quotidie plures veluti gloriabundi fateantur se improbos esse. Testes noui, ac participes periculi sunt, qui puniuntur, si conuicti fuerint de mendacio. Porro testes, qui participes sunt periculi, admittuntur solum ad testificandum, vtrum aliquid sit factum, vel non sit factum? sit, vel non sit? at eorum testimonium nullius est momenti, si velint suam opinionem proferre de qualitate facti, puta si dicant id, de quo agitur, esse iustum, aut vtile, vel iniustum, ac perniciosum. E conuerso testes, qui procul sunt à periculo; cum sint homines clari, magnæ sunt authoritatis ad faciendam fidem, etiam dum suam sententiam proferunt de qualitate facti, illudque asserunt esse iustum, aut iniustum. Maximè verò fide digni sunt testes antiqui, quia sunt incorrupti: testibus verò magis incorruptis, maior debetur fides.

9 *Qui ergo testes non habet, ijs præsidijs vtetur, quod ex probabilibus iudicandum sit. Id enim est optima sententia iudicare, quòd pecunia corrumpi probabilia non possint, quòd falsi nunquam testimonij crimine accusentur.*

10 *Qui autem habet, aduersus non habentem bis vtetur, quòd ad ferendam sententiam probabilia non sufficiant: quòd testibus nunquam opus esset, si ratione res satis cognosci posset. Sunt autem testimonia, vel de nobis, vel de aduersarijs: & alia de re, alia de moribus.*

11 *Quare patet testimonij conferentis inopiam nunquam futuram: erit nanque de re quidem, vel pro nobis, vel contra aduersarios: de moribus autem, de bonitate nostra, vel de aduersariorum nequitia.*

12 *Cætera vero de testibus, amicis, aut inimicis, aut neutris, vel probis, vel improbis, vel neutris, ac de quibuscunque alijs huiusmodi testium differentijs, ex ijs locis quærendum, ex quibus enthymemata etiam ipsa manant.*

9 Diuisis generibus testium, superest, vt explicemus, quo pacto ijs sit vtendum, & qua ratione, cum suppetunt testes nostræ causæ fauentes, eorum auctoritas sit augenda, cum desunt testes, eorum auctoritas sit minuenda. Cum igitur nullos pro causa testes possumus adducere, dicere debemus iudicandum esse ex verisimilibus, & hoc esse optima mente sententiam proferre, iuxta iusiurandum à iudicibus præstitum. Addendum est, quod verisimilia non possunt argento corrumpi, sicut testes, ac nunquam de falso testimonio fuerunt redarguta.

10 E conuerso qui pro sua causa habet testes, cum aduersarius non habeat, debet dicere magis credendum testibus, quam verisimilibus; siquidem testes si mentiantur, possunt iudicio subijci, & puniri; verisimilia è conuerso si fallant, iudicio subijci nequeunt. Addi potest, quod si rationes ex verisimilibus sufficerent, non esset vtendum testibus; sed homines communiter vtuntur testibus; ergo signum est, quod rationes non sufficiunt.

11 Addit Aristoteles vix vnquam posse contingere, vt testibus pro causa, quam tuemur, vti non possimus. Ratio est, quia vel poterimus afferre testem pro reo, vel contra aduersarium, vel vt testimonium perhibeat de facto, vel vt testimonium perhibeat de moribus; ergo vix poterit contingere, vt non possimus vti aliquo teste. Si enim non adsit testimonium de re vel nobis fauens, vel aduersario contrarium, saltem non deerit testimonium de

moribus, quo vel nostram probitatem, vel aduersarij nequitiam probemus.

12 Reliqua, quæ circa personam testis considerari possunt, atque illum reddunt fide dignum, vel indignum, cuiusmodi sunt, vtrum sit amicus, inimicus, vel neuter? vtrum sit bonæ, vel malæ conditionis, vel neutrius? & alia huiusmodi, ex iisdem locis desumi possunt, ex quibus fiunt enthymemata, ideoque nihil hic est addendum.

De Pactis. Cap. XV. & vlt. Articulus III.

13 *DE pactis autem is orationis vsus est, vt augeas, aut extenues, & vel credibilia, vel incredibilia ostendas. Nam si pro nobis sunt, credibilia & vera: sin pro aduersarijs, contra. Qui ergo probabilia, vel contra, ostendere vult, ea considerabit, quæ de testibus diximus. Nam ex qualitate eorum, qui in pactis conscripti sunt, aut qui seruare ea debent, credibilia, vel contra sunt.*

14 *Cùm vero conceditur pactum sic intercessisse, si pro nobis est, amplificatione vtendum. Pactum enim lex quædam de particulari est: ac leges quidem non approbantur à pactis, pacta vero cùm legitima sint, à legibus comprobantur. Et omnino lex ipsa pactum quoddam est. Quare qui non credit, euertitque pactum, leges euertit. Præterea commutationes rerum vltro, ac citro, similiter quæ voluntaria sunt, pactis, vt plurimum facimus. Quare si quis pacta infirmat, is vsum hominum inter se penitus euertit. Cetera vero hanc ad rem accommodata, facilia intellectu sunt.*

15 *Sin autem pro aduersarijs sint, primum omnia, quæ in legem contrariam quispiam dicet, accommodari possunt. Est enim absurdum, si legibus, cùm non recte, sed iniuste, ac dolo malo latoris positas cognouerimus, non stabimus, & pactis necessario stabimus. Deinde si iudex iusti distributor est, non est considerandum, quod iustum est, sed quod iustius. Et iustum quidem, nec deceptione, nec necessitate verti potest, quoniam innatum sit: pacta vero, & à deceptis, & à coactis fiunt. Ad hæc perspiciendum, si pacta alicui legum, vel scriptarum, vel non scriptarum, si iustis, si honestis, ac demum si alij pacto priori, vel posteriori contradicunt. Nam aut priora vera sunt, & posteriora falsa: aut recte se habent posteriora, sed priora fefellerunt. Itaque altero istorum ex re nostra vtemur. Denique altius inspiciendum, si aliquo modo iudicibus inutilia sunt: cæteraque huiusmodi. Facilia nanque inuentu similiter sunt.*

13 TErtium, vnde desumuntur probationes inartificiales, sunt pacta, circa quæ debet ita orator versari, vt fidem illis adiungat, aut eripiat, pactorum auctoritem, & valorem augeat, aut minuat. Fidem pactis adiunget, ostendendo pacta, quæ feruntur, verè facta fuisse, atque ita litigantes olim conuenisse. Fidem demet, ostendendo pacta commentitia, ac ficta esse. Ad ostendendum porro pacta fide digna esse, vel indigna, eadem argumenta sunt adhibenda, quibus ostenditur testes esse fide dignos, aut indignos; siquidem quales sunt qui pactis subscripserunt, eaque signarunt, fide digni, vel indigni, talia sunt pacta, fide digna, vel indigna.

14 Si verò in confesso sit apud litigantes pacta fuisse inita, si faueant causæ, augenda est pactorum auctoritas; si causæ aduersentur, eorumdem auctoritas est minuenda. Ad augendam igitur pactorum auctoritatem, ac valorem, orator dicet pacta esse legem quamdam priuatam, & particularem, adeoque non minus esse seruanda, quam leges. Addet pacta priuata non firmare leges communes, at leges communes firmare pacta priuatorum iuxta leges facta, iisque robur adiungere, adeoque pacta quodammodo esse firmiora lege, siquidem & à se ipsis, & à lege firmitudinem habent. Concludet ipsam legem nihil aliud tandem esse, quam pactum quoddam, adeoque eum, qui pactis aufert fidem, illaque euertit, legem simul euertere, ac tollere. Confirmabit hoc idem ex inconuenienti. Plerique enim ex contractibus voluntarijs fiunt per pacta; ergo si pacta irrita sint, tolletur mutuum inter homines commercium. Alia, quæ pactis confirmandis idonea sint, per se videre poterit orator.

15 Si pacta causæ aduersentur, ad minuendam auctoritatem pactorum, primo poterimus vti locis allatis ad minuendam auctoritatem legum. Absurdum enim est, vt putemus non esse obediendum legibus non

non rectè, sed per dolum positis, pactis verò non rectè constitutis necessariò obediendum esse censeamus. Secundo dicemus iudicem esse dispensatorem iusti, adeoque prouidere debere, vt fiat non id, quod pactis est constitutum, sed id, quod iustius est, etiamsi videatur esse contra pacta: præsertim cum iustum, vtpote naturale, neque dolo, neque vi, ac necessitate possit distorqueri; pacta autem sæpe fiant & à deceptis per dolum, & à coactis per vim. Tertio considerandum est, an pacta contraria sint aliquibus legibus scriptis, ac proprijs ciuitatis, vel legibus naturalibus, & communibus, vel iustis, & honestis, vel alijs pactis, quæ ante, aut post ab ijsdem facta sunt. Si enim pacta contraria sint legibus, eo ipso sunt irrita: si contraria sint alijs pactis, si posteriora sunt rata, priora sunt irrita; si priora sunt rata, posteriora sunt irrita; adeoque hac pactorum contrarietate poterimus vti ad pacta causæ nostræ contraria euertenda. Quarto expedit etiam videre, an pacta contraria sint iudicibus, & alia huiusmodi dictis similia, quæ facile poterit orator per se ipsum perspicere.

De quæstionibus, seu torturis. Capitis XV. & vltimi. Articulus IV.

16 *QVæstiones autem testimonia quædam sunt, videnturque fidem facere, quoniam cogũt: quas non est difficile percipere, ac ea, quæ hinc inueniri, dicique possunt, conspicere. Nam si pro nobis sunt, amplificatione vtendum est, quòd ex testimonijs sola hæc vera sint. Sin vero aduersus nos, & pro aduersarijs: dissoluemus, quæ vera sunt, de vniuerso genere quæstionum disserentes. Nam qui coguntur, non minus falsa dicunt, quàm vera: & tum tolerantes vera occultant, tum falsa dicentes credunt se citius euasuros. Sed oportet hoc exemplis comprobare, quæ ipsis iudicibus non ignorentur.*

16 QVartum genus probationum inartificialium desumitur ex quæstionibus, seu torturis. Hoc igitur genus continet testimonia eorum, qui torquentur, qui videntur fide digni, quia per tormenta imponitur ipsis quædam necessitas dicendi verum. Non est igitur difficile quæ ad testimonia eorum, qui torturæ subijciuntur, spectant, videre, ac proferre. Si igitur causæ faueant, eorum auctoritas augenda est, dicendo ex omni testium genere, eos solum, qui in tortura testimonium perhibent, veraces esse. Si verò contrarij sint causæ, & faueant aduersario, poterit quis eorum veritatem, atque auctoritatem impugnare, disserendo in genere de quæstionibus, atque torturis, atque asserendo, quod ij, quibus per tormenta vis affertur, nihilo minus dicunt falsa, quam vera, & aliquando obstinatè tolerant tormenta, ne proferant verum, aliquando falsa mentiuntur, vt citius à tormentis liberentur. Oportet autem, vt orator possit afferre exempla iudicibus nota eorum, qui per tormenta interrogati, falsa dixerunt.

De Iureiurando. Cap. XV. & vltimi. Articulus V.

17 *DE iureiurando autem quadripartito distribuere possumus. Nam aut offert, & suscipit, aut neutrum, aut alterutrum: id est, aut offert, sed non suscipit: aut suscipit, sed non offert. Præterea de ijs ipsis aliter, si iam iuratum est, & sic vel ab hoc, vel ab illo.*

18 *Non offerre igitur se dicet, quoniam homines cum ab eis pecunia petitur, facile peierant: & quoniam qui iurauit non reddit: qui non iurauit, eum facilius condemnari putant: & quoniam minus periculum iudicibus causam committere, cùm his credat, illi minime.*

19 *Non suscipit vero, quoniam pro pecunia iusiurandum est. Et cùm sit melius aliqua de causa prauum esse, quàm de nulla, iurasset profecto si prauus esset. Nam iurando habebit, non iurando non habebit: quare non ne peieret, sed propter virtutem non suscipit. His consentaneum illud Xenophanis, non parem esse hanc prouocationem impio ad pium, sed similem, ac si robustus ad inferendum, suscipiendumque ictum, imbecillem prouocaret.*

20 *Qui suscipit, non aduersarijs, sed sibi ipsi asseuerabit. Illud quoque Xenophanis conuertendo, dicet par esse, si impius offerat, & pius suscipiat. Graue esse repellere iuratos, cùm iudices iuratos eadem de re velit*

sit sententiam ferre.

21 *Qui offert, pium affirmabit esse, vt Dijs velis committere. Praeterea non esse opus aduersario alijs iudicibus, cùm sibiipsi iudicium permittatur. Ad haec iniquum esse iusiurandum repellere, cùm eadem de re alios velit iurare.*

17 QVintum, & vltimum genus probationum inartificialium desumitur ex iureiurando. Quadrupliciter porro circa iusiurandum habere nos possumus. Aut enim iusiurandum offerimus simul, & accipimus, itaut & nos petamus, vt aduersarius iuret, & nos ad instantiam aduersarij iuremus; aut neque iuramentum offerimus, neq; accipimus; aut offerimus quidem, sed non accipimus; aut accipimus, sed non offerimus. Rursus aut nos antea iurauimus, & ab aduersario arguimur de periurio; aut aduersarius iurauit, ac de periurio insimulatur. Explicandum est igitur, quo pacto quolibet ex his modis nos habeamus, causam nostram tueri possimus.

18 Primo igitur qui iusiurandum aduersario non offert, potest dicere se ideo iusiurandum non offerre, quia homines improbi saepe peierant: & quia si aduersarius iurabit, pecuniam, de qua est controuersia, non reddet, si verò non iurabit, arbitratur iudices ipsos causam sibi adiudicaturos, atque aduersarium ad pecuniam soluendam condemnaturos. Addet se fidem habere iudicibus, vtpotè probis, diffidere aduersario, vtpotè improbo, adeoque quoniam res periculo est committenda, melius censere ipsam committere iudicibus, qui iurati sententiam proferent, quam aduersario.

19 Secundo qui iuramentum oblatum non accipit, factum suum tuebitur dicens, nolle se iurare pro pecunia, re scilicet vili. Addet, quod si prauus esset, iuraret vtique, siquidem melius est alicuius gratia esse prauum, quam nullum ex prauitate lucrum reportare, ac per iuramentum lucraretur pecunias, quas nisi iuraret, obtinere non posset: ex virtute igitur, ac religione, non ex metu periurij procedere, vt non iuret. Poterit etiam ad hanc rem accommodare dictum Xenophanis, quod non est aequalis prouocatio, cùm impius pium prouocat ad iurandum, sed est similis prouocationi, per quam robustus prouocat imbecillem ad decertandum pugnis: ideoque sicut imbecillis à forti prouocatus pugnam recusat, sic pium, ac superos verentem, iusiurandum detrectare.

20 Tertio qui iusiurandum accipit, dicet se ideo iusiurandum acceptare, quia fidit sibi ipsi, ac scit se fide dignum; licet iuramentum aduersario non offerat, quia de eius probitate diffidit, eumque fide arbitratur indignum, ac scit peieraturum. Dictum etiam Xenophanis num. 19. allatum contrario modo est afferendum, ac dicendum aequum esse, vt impius iusiurandum offerat, pius accipiat, ac iuret, siquidem nullum est periculum, ne pius peieret. Addet indignum esse, vt de ea re nolit ipse iurare, de qua dignum existimat, vt iudices iurati sententiam proferant.

21 Quarto qui iuramentum aduersario offert, dicet sanctum, ac pium esse rem totam superis, ac religioni iurisiurandi committere. Addet non oportere, vt aduersarius alios iudices deprecetur, siquidem ipsi aduersario per iusiurandum causae iudicium committitur: absurdum autem videri, vt aduersarius nolit de eo iurare, de quo dignum existimat, vt iudices iurati sententiam proferant.

22 *Quoniam igitur per singula quid dicendum sit, aperuimus, patet etiam in coniunctis: vt si suscipit, & nolit offerre: aut si offert, & non suscipit: aut si offert simul, & suscipit: aut neutrum. Nam cùm haec ex illis coniungantur, horum etiam rationes ex rationibus illorum coniungi necesse est.*

23 *Quod si ab aduersario quispiam deceptus est, patet id periurium non esse. Iniuria enim ex voluntarijs est, & periurium iniuria est: cuncta vero, quae vi, vel deceptione fiunt, inuoluntaria. Hinc colligitur, quid peierare sit. Est enim mente, sed non ore. Quod si iam ab aduersario iuratum sit, omnia dicemus eum conuertere, qui non seruat, quae iurauit. Nam idcirco legibus etiam vtimur prius iurantes. Et cùm iudices dignum putemus, vt vos iudicando ea seruetis, quae iurastis, ipsi non seruabimus? Caeteraque huiusmodi, quae amplificando quispiam dicet. Verum de comprobatione inartificiali tot dicta sint.*

22 Quinto quatuor modi explicati possunt quadrupliciter combinari. Vel enim quis iuramentum accipit, & non dat; vel dat, & non accipit; vel dat simul, & accipit;


cipit; vel neque dat, neque accipit. Quid porro cum fiunt istæ combinationes modorum dicendum sit, patet ex ijs, quæ docuimus esse dicenda, cum singuli modi ponuntur seorsim. Combinatis enim modis, rationes etiam combinandæ sunt. Ex. gr. cum quis iuramentum simul dat, atque accipit, rationem facti sui afferet, producendo tum rationes, quibus vti debet, qui iuramentum dat, tum rationes, quibus vtitur, qui iuramentum accipit.

23 Sexto si quis antea iurauit, ac nunc arguitur, quod egerit contra iuramentum, adeoque peierauerit, vt defendat se non peierasse, dicet periurium esse speciem iniustitiæ: iniustitiam autem non nisi sponte committi: quæ vero fiunt per vim, & dolum, non esse spontanea, adeoque non continere iniustitiam, neque periurium. Se igitur cum per vim, ac dolum coactus fuerit ad iurandum, ore iurasse, non mente, periurium verò non ore, sed mente committi. Si verò aduersarius ante iurauerit, ac nunc nolit stare iuratis, dicendum est eum, qui stare nolit iuratis, omnia peruertere, siquidem propterea constitutum est, vt de legibus non nisi à iuratis iudicibus tractetur, quia censemus omnino standum esse iuratis. Ad hanc rem amplificandam addet: dignum existimamus vos iudices debere stare ijs, quæ concepto iureiurando iudicaueritis, nos autem ijs, quæ iurauimus, non stabimus? Poterit etiam alia ad hoc augendum adijcere. Hæc igitur de probationibus inartificialibus dicta sufficiant. Et per hæc Aristoteles concludit librum primum Rhetoricorum.

ARISTOTELIS RHETORICORVM LIBER SECVNDVS.

Ostenditur orationem debere esse moralem, & affectiuam, adeoque agendum esse de affectibus. Caput Primum, Articulus Primus.

1 *EX quibus igitur suadere, ac dissuadere, vituperare, ac laudare, accusare, ac defendere oporteat, & quæ ad faciendam in eis fidem opiniones & propositiones conducunt, hæc sunt. De his enim, & ex his, vt seorsum de vnoquoque genere orationis tractemus, enthymemata ducuntur.*



VIA orator debet persuadere non solum probationibus, sed etiam moribus, & affectibus, ideo Aristoteles postquam lib. 1. egit de probationibus, prima parte lib. 2. agit de affectibus, & moribus. Præmittit procemium, in quo primo epilogat, quæ libro primo dicta sunt de propositionibus, ac locis, ex quibus duci possunt probationes singulorum generum propriæ: secundo ostendit orationem non solum debere esse probatiuam, sed etiam moralem, & affectiuam, adeoque agendum esse de affectibus, & moribus.

1 Quoad primum: diximus lib. primo, cap. 13, num. 6. quod quandoquidem finis generis deliberatiui est, vt ostendat aliquid esse vtile, vel perniciosum; finis generis demonstratiui est, vt ostendat aliquid esse honestum, vel turpe; finis generis iudicialis est, vt ostendat aliquid esse iustum, vel iniustum; necesse est, vt in Rhetorica ponantur propositiones de omnibus his. Ca-

pitibus deinde sequentibus, vt huic rhetoricæ muneri satisfaceremus, assignauimus primo propositiones, & opiniones de vtili, & inutili: subiunximus propositiones, & opiniones de honesto, ac turpi: ac demum tradidimus propositiones de iustis, & iniustis, & per hæc absoluimus doctrinam de ijs, circa quæ versantur, & ex quibus fiunt enthymemata singulorum generum propria.

2 *Verum quoniam iudicij causa rhetorica est: nam & in deliberationibus iudicant, & in foro iudicium est: necesse est non solum dare operam, vt ratio fide digna, demonstratiuaque sit, sed vt ipse quoque, ac iudex, qualis quidam efficiatur. Nam id in consilijs præcipuè, deinde & in iudicijs ad fidem faciendam plurimum pertinet, vt qualis quidam videatur qui dicit, puteturque ab auditoribus affectus quodammodo erga ipsos esse: ad hæc, vt & ipsi auditores affecti quodammodo sint. Verum consulenti magis confert, vt ipse qualis quidam esse videatur: auditoris autem affectus litiganti vtilior. Non enim eadem iudicibus videntur, cùm diligant, & cùm oderint, nec iratis, & quietis, sed vel omnia diuersa, vel magnitudine diuersa. Nam reus aut nullam, aut paruam fecisse iniuriam amanti videtur: contra vero ei, qui oderit. Cupienti autem, speranti que, si quod dicitur futurum, iucundum sit, & fore, & bonum fore videtur: contra vero ei videtur, qui aspernatur, atque desperat. Vt igitur dicentes ipsi fide digni videantur, tres causæ sunt.*

3 *Tria enim sunt, quæ præter demonstrationem fidem faciunt, prudentia, virtus, beneuolentia. Nam qui dicunt, aut consulunt, vel propter hæc omnia, vel propter aliquid horum, fallunt. Aut enim propter stultitiam non rectè opinantur: aut rectè sentientes, propter improbitatem non dicunt, vt sentiunt: aut quamuis rectè sentiant, virtuosique sint, tamen cùm beneuoli non sint, facile creduntur sponte non optime consulere. Hæc igitur sunt, quare fallunt, & præterea nihil. Quare necesse est, si quis omnia hæc videtur habere, fide dignum esse apud audientes. Verum vnde prudentes, ac virtuosi videri poterunt, ex ijs, quæ de virtutibus dicta sunt, sumendum est. Nam ex eisdem tam alium, quam seipsum huiuscemodi quispiam efficiet. De beneuolentia vero, & amore, ac vniuersaliter de affectibus, nunc dicendum.*

2 Quoad secundum: finis rhetoricæ est auditorem inducere ad aliquid iudicandum; sed ad hoc, vt orator inducat auditores ad iudicandum, non solum debet efficere orationem probatiuam, & credibilem, sed etiam debet ostendere seipsum fide dignum, ac disponere auditorem ad iudicandum; hoc autem est efficere orationem non solum probatiuam, sed etiam moralem, & affectiuam; ergo rhetorica debet docere artem non solum efficiendi orationem probatiuam, sed etiam moralem, & affectiuam. Probatur, & explicatur minor: ad hoc enim, vt auditores fidem adhibeant dicenti, multum refert, qualis orator videatur absolutè, bonus nimirum, an malus, prudens, an imprudens; & qualiter videatur erga auditores affectus, beneuolus nimirum, an maleuolus: magis enim, non solum in consilijs, in quibus hoc præsertim locum habet, sed etiam in iudicijs, creditur probis, prudentibus, atque beneuolis, quam imprudentibus, improbis, & maleuolis. Rursus multum refert ad iudicandum, quo pacto auditores afficiantur. Neque enim eadem videntur amantibus, & odio habentibus, iratis, & non iratis, sed aut videntur diuersa omnino, vel saltem diuersa secundum magnitudinem: ex. gr. amanti is, de quo iudicat, videtur vel non egisse iniustè, vel parum iniustè egisse: odio habenti videtur contrarium: cupienti, ac speranti id, de quo deliberatur, quia iucundum est, etiam fore, ac bonum fore videtur; ei verò, qui desiderio, & expectatione rei non tenetur, id, de quo deliberatur, nec fore, nec bonum fore videtur; ergo &c. Addit Aristoteles, quod hoc, quod est dicentem apparere talem, maiorem vim habet ad fidem faciendam in consilijs, quam in iudicijs: è conuerso hoc, quod est audientes taliter per affectus disponi, maiorem vim habet in iudicijs, quam in consilijs. Ratio est, quia in consilijs deliberamus de proprijs, in iudicijs iudicamus de alienis; sed qui deliberat de proprijs, plurimum considerat, qualis sit is, qui consilium dat, bonus, an malus, prudens, an imprudens, beneuolus, an maleuolus; qui statuit de alienis, præcipuè ducitur affectu amoris, aut odij; ergo &c.

3 Iam

3 Iam verò tria sunt, propter quæ homines efficiuntur fide digni, ita vt ipsis credatur, non solum propter probationes, quas afferunt, sed etiam propter auctoritatem dicentium; prudentia nimirum, virtus, ac beneuolentia. Probatur ex contrario: eatenus enim aliquis in ijs, quæ dicit, indignus est fide, quatenus censemus ipsum vel falli propter imprudentiam, vel non ea, quæ sentit, dicere propter improbitatem, aut quia non est beneuolus, neque aliud est, propter quod quis fide indignus esse possit; ergo necesse est, vt qui simul prudens est, probus, ac beneuolus omnino sit dignus fide; ergo vt doceamus, quo pacto possit quis apparere fide dignus, debemus explicare, quo pacto possit quis apparere prudens, probus, ac beneuolus; sed ex ijs, quæ libro primo de prudentia, & virtutibus dicta sunt, patere potest, quo pacto nos possimus apparere prudentes, ac probi; ex ijsdem enim, ex quibus laudantes ostendimus alios esse prudentes, ac probos, poterimus nos etiam tales apparere, si nobis insint; ergo reliquum est solum, vt explicemus, quo pacto possimus apparere beneuoli; sed beneuolentia, & amor sunt quidam affectus; ergo de affectibus est agendum, vt sciamus, non solum quo pacto debeamus auditores disponere ad iudicandum, sed etiam quo pacto nos ipsi possimus apparere beneuoli: ac primo quidem tradenda est definitio affectus.

Quid sint affectus, ac quæ circa illos sint consideranda. Cap. I. Art. II.

4 *Affectus igitur sunt, quibus homines commoti differenter iudicant, quos quidem affectus voluptas, aut dolor consequitur: vt ira, misericordia, timor, cæteraque huiusmodi, & his opposita.*

5 *Sed oportet, quæ circa vnumquemque sunt, in tria distribuere: veluti quæ circa iram, quomodo affecti irascuntur, quibus irasci soleant, qualibus in rebus. Nam si vnum horum, aut duo, & non omnia habeamus, non erit nobis possibile in iram audientes impellere. Similiterque in alijs. Ac sicut in superioribus propositiones ipsas conscripsimus, sic in his quoque faciemus, distribuentes, vt diximus.*

4 Affectus sunt: *quibus im mutati non eodem modo de ijsdem rebus iudicamus, & ad quos sequitur dolor, & voluptas.* Hæc definitio describit affectus per duos effectus, quorum alterum causant in intellectu, alterum in appetitu. Effectus, quem passiones causant in intellectu est, vt cum aliqua passione perturbamur, diuersimodè de rebus iudicemus, ac cum non perturbamur. Effectus, quem causant in appetitu, est voluptas, ac dolor, ex quibus oritur, vt aliter de rebus iudicemus. Exempla affectuum sunt ira, misericordia, timor &c. Ex affectu iræ sequitur dolor, si quis non vlciscatur: ex hoc autem dolore oritur, vt iratus iudicet multa esse facienda, quæ si non perturbaretur ira, censeret non esse facienda. Ex affectu misericordiæ sequitur dolor de miseria eius, cuius misseremur: ex hoc autem dolore sequitur, vt iudex cum misericordia est correptus, iudicet reum non esse condemnandum, quem nisi misericordia correptus fuisset, condemnandum iudicasset. Idem dic de alijs.

5 Quia affectus disponunt homines ad sic, vel sic iudicandum, orator, vt auditores inducat ad iudicandum prout voluerit, debet excitare affectus; ergo in rhetorica debet tradi ars excitandi affectus; sed non possumus habere hanc artem, nisi sciamus qualiter dispositi homines proni sint ad hos, vel illos affectus; erga quas personas, & quibus de causis talibus affectibus commoueantur; ergo circa singulos affectus, præmissa eorum definitione, tria hæc sunt consideranda: ex. gr. præmissa definitione iræ considerandum est primo, qualiter dispositi homines proni sint ad iram; secundo quibus personis irascantur; tertio quibus de causis irascantur. Horum enim trium aliquo non perspecto, licet reliqua teneamus, affectus excitare nequibimus. Sicut igitur vt traderemus artem probandi, attulimus propositiones, ex quibus possumus probationes conficere; sic vt tradamus artem excitandi affectus, afferemus ea, quæ proponenda sunt auditoribus, vt illos ad hos, vel illos affectus commoueamus.

De

De ira, ac de arte iram excitandi. Cap. II.

1 *Sit ergo ira apparentis vltionis appetitus cum dolore propter apparentem immerito vel in se, vel in suos contemptum. Quoniam igitur id ira est, necesse est cum quis irascitur, cuidam semper ex singulis irasci, vt Cleoni, sed non homini: & quoniam ei, vel suorum alicui aliquid fecit, vel facturus erat.*

2 *Et ad omnem iram quandam sequi voluptatem propter spem vltionis. Iucundum enim est, si quis putat ea se consequuturum, quæ expetit. Nemo enim quæ sibi videntur impossibilia, expetit. Quare iratus possibilia sibi expetit. Itaque recte illud de ira dictum est, quòd defluente melle dulcior in virorum pectoribus gliscat. Consequitur enim voluptas etiam quædam & propter hæc, quæ diximus, & quoniam in vlciscendi cogitatione immorantur, quæ imaginatio voluptatem similem ei efficit, quæ in somnijs accedit.*

1 Ira definiri potest *apparentis vltionis appetitus cum dolore coniunctus, propter apparentem immerito in se, vel in suos contemptum.* Quia verò nemo existimat se contemni, nisi ab aliquo singulari, propter hoc, quod sibi, vel alicui suorum aliquid fecit, vel facturus fuit, ideo nemo irascitur homini vniuersali, sed solum alicui homini singulari, putà Cleoni, qui aliquid contra ipsum, vel aliquem suorum videatur fecisse, vel esse facturus.

2 Addit Aristoteles, quod licet iuxta traditam definitionem, ira includat dolorem de contemptu, adhuc ex ipsa sequitur etiam quædam voluptas orta ex spe, & imaginatione vltionis. Explicatur. Nemo appetit, quæ putat fieri non posse; sed iratus appetit vltionem; ergo iratus sperat se posse vlcisci; sed vnicuique iucundum est existimare, ac sperare se posse consequi id, quod appetit; ergo iratus voluptatem sumit ex spe vltionis, ideoque bene de ira dictum est ab Homero: *ira defluente melle dulcior in pectoribus virorum gliscit.* Præterea qui iratus est, dum cogitat de sumenda vindicta, imaginatur se talem vindictam sumere; hæc autem phantasia similis phantasiæ, qua somniantes imaginantur se vindictam sumere de inimicis, valde est iucunda.

Iam quia causa iræ est contemptus immeritus, explicandum est primo, quid sit contemptus, & quot sint eius species: secundo quando nam contemptus censeatur immeritus: tertio magis in particulari est explicandum, quo pacto dispositi, quibus, & ob quæ homines irascantur.

3 *Quoniam vero contemptus est actus opinionis in id, quod nihili dignum æstimatur (mala enim, & bona, quæque ad ea tendunt, non paruifacimus, sed ea nihili pendimus, quæ aut nulla sunt, aut minima)*

4 ** tres contemptus partes erunt, despectus, detractio, contumelia. Nam & despiciens contemnit. Quæ enim nihili ducunt, hæc despiciunt: contemnunt autem rei dignæ nullius. Et qui detrahit, contemnere videtur. Est enim detractio, cum alicuius voluntati quispiam impedimento est, non vt sibi quicquam, sed ne illi. Quoniam ergo nihil sibi quærit, ideo contemnit. Quod inde patet, quod sibi nec obfuturum existimat: (nam si putaret, timeret, & non contemneret:) nec in re, de qua curandum sit, profuturum: daret enim operam, vt ab eo diligeretur. Et qui contumeliatur, similiter contemnit. Contumelia enim est damno, atque dolore in ijs afficere, in quibus turpe patienti est, non vt aliud quoddam sibi fiat, quàm quod factum est, sed vt voluptate afficiatur. Qui enim par pari reddunt, non contumeliantur, sed vlciscuntur. Est autem voluptatis contumeliantibus causa, quòd arbitrentur malefaciendo eis, magis excellere. Quapropter iuuenes, & diuites contumeliatores sunt: longe nanque putant contumeliando excellere. Contumeliæ autem vituperatio propria. Contemnit enim qui vituperat. Nam quod nullius rei dignum est, nullius est pretij, neque boni, neque mali. Propterea iratus Achilles dicit: Nullius existimarunt: meum nanque honorem abstulit ipse, ac me priuauit, vt quendam nullius pretij exulem: quasi hæc propter irascatur.*

3 Quoad primum: contemptus, siue paruipensio *est actus significatiuus opinionis, qua opinamur alterum nulla, vel parua existimatione dignum videri.* Bona enim, & mala, & quæ ad illa conducunt, non despicimus, sed magno studio bona esse pro-

prosequenda, mala fugienda opinamur; ergo illa solum pro nihilo censemus habenda, quæ vel nihili esse, vel admodum putamus esse pusilla.

4 Ex hac definitione oritur tres esse contemptus, siue paruipensionis species, despicientiam, incommodationem, & contumeliam. Quod despicientia sit species paruipensionis, probatur: qui enim despicit, paruipendit, siquidem ea solum despicimus, quæ nullius pretij digna existimamus; ergo despicientia est quædam paruipensio, ac quidam despectus. Quod etiam incommodans videatur paruipendere, ac despicere, adeoque etiam incommodatio sit quædam paruipensio, atque despectus, probatur ex definitione incommodationis: est enim incommodatio *studium alteri aduersandi, & eius desideria impediendi, non vt nos aliquid commodi consequamur, sed ne ille voti compos fiat*: qui igitur alteri aduersatur, ne voti compos fiat, illum paruipendit: manifestè enim existimat se ab eo lædi non posse; si enim existimaret se lædi posse, illum non despiceret, sed timeret: existimat præterea se in nulla re ab eo posse iuuari; alioquin curaret, vt illi esset amicus; ergo censet illum in nullo pretio esse habendum. Demũ quod etiam qui contumeliam infert, paruipendat, adeoq; contumelia sit species paruipensionis, probatur ex definitione contumeliæ: contumelia enim *est alterum lædere, & dolore afficere in ijs, ex quibus patienti sequitur dedecus, non vt damnum inferens aliquid commodi consequatur, neque quia aliquid mali sit passus, sed vt delectetur dedecore, & malo patientis*. Particula illa *non quia aliquid mali sit passus*, addita est, quia qui damnum aut dedecus infert, quia est passus, non infert contumeliam, sed vlciscitur; sed qui dedecus infert solum, vt alterius malo delectetur paruipendit; ergo contumelia est paruipensio. Causa porro, cur contumelia alios afficientes delectentur est, quia existimant se magis illis excellere, cum inferunt aliquid mali; sed iucundum est excellere; ergo iucundum est contumeliam inferre; ideo adolescentes, ac diuites, quia amant excellentiam, proni sunt ad contumelias inferendas. Ad contumeliam reducitur dehonoratio, & etiam qui dehonorat paruipendit. Quod enim nullam habet dignitatem, in nulla est existimatione, neque in ea, in qua sunt res bonæ, neque in ea, in qua sunt res malæ. Idcirco Achilles iratus apud Homerum de contumelia sibi ab Agamemnone illata, cũ matre conquerens, dicit: *dehonorauit me, ac præmium mihi ab exercitu datum ipse retinet*; & alibi dicit: *tanquam aliquem exulem inhonoratum me tractauit*.

5 *Multi enim fieri se oportere arbitrantur à minoribus genere, potentia, virtute, ac omnino in quo multum excellunt: vt diues in pecunijs pauperem superat, & orator in oratione verborum inopem, & princeps subditum, & qui se principatu dignum putat dignum seruire. Vnde dictum est: animus autem magnus est in regibus diuis: & illud: sed iram etiam postea seruat, vt vlciscatur. Moleste nanque ferunt, quoniam excedunt. Adhac à quibus oportebat gratiam referri. Hi autem sunt, quibus aut benefecit ipse, vel suorum aliquis, vel propter ipsum aut vult, aut iam voluit.*

5 Quoad secundum: tum homines censent immerito se contemni, ac paruipendi, cum contemnuntur, & paruipenduntur ab ijs, à quibus arbitrantur se debere magni fieri; sed homines existimant se debere magnifieri ab inferioribus genere, potentia, virtute, & vniuersim ab ijs, quibus in aliquo genere valde excellunt: ex. gr. quia diues valde in diuitijs excellit pauperi, putat se magnifaciendum à paupere; ex eadem ratione eloquens arbitratur se magnifaciendum ab ineloquente; imperans ab eo, cui imperatur; & is, qui existimatur dignus imperare, ab eo, qui existimatur dignus imperio subesse; ergo omnes isti cum contemnuntur, existimant se immerito contemni, ideoque vehementer irascuntur. Quare Homerus cecinit: *magna est ira a Ioue natorum regum*, & alibi: *postea retinent iram*: stomachantur nimirum, quia cæteris excellunt. Censent etiam homines se immerito contemni ab ijs, à quibus existimant se debere recipere beneficia; & quia existimant se debere recipere beneficia ab ijs, quibus beneficia contulerunt, vel conferunt, vel voluerunt, aut volunt conferre, aut ipsi, aut aliqui ad eos pertinentes; ideo cum à talibus contemnuntur, existimant se immerito contemni, ac vehementer irascuntur.

Ex

6 *Ex his igitur patet, quomodo se habentes irascuntur, & quibus, & quas ob res. Nam ipsi quidem, quando dolent. Nam qui dolet, aliquid expetit. Siue in oppositum quis se obyciat, veluti sitienti ne bibat, siue non, ex opposito idem videtur facere, & siue contrafaciat quispiam, siue non adiuuet, siue aliud quoddam perturbet, omnibus, cùm sic se habeat, irascitur. Quapropter ægrotantes, pauperes, amantes, sitientes, ac vniuersaliter cupientes, & non assequentes iracundi sunt, ac facile incenduntur, primum quidem, ac maxime aduersus eos, qui propter præsentem fortunam se contemnunt: veluti ægrotus eos, qui propter morbum, pauper eos, qui propter pecuniam, militans eos, qui propter militiam, amans eos, qui propter amores, ac in cæteris similiter. Præparatur enim quilibet, vt unicuique irascatur, à turbatione, quæ in ipso est. Deinde si forte opposita expectabat. Maiorem enim infert dolorem, quod magnum est, & præter opinionem: quemadmodum etiam delectat, si præter opinionem factum sit quod optant. Hinc tempora quoque, ac dispositiones, et ætates patent, quanam aptiores ad iram sint, & qui facile mobiles ad iram, et quando, & vbi. Et quo in his magis sunt, eo etiam magis mobiles sunt. Ipsi ergo sic se habentes, facile mobiles ad iram sunt.*

6 Quoad tertium: ex his potest explicari magis in particulari, quo pacto homines affecti irascantur, quibus, & quas ob causas. Homines igitur cum dolent, procliues sunt ad iram. Ratio est, quia qui dolet, alicuius rei cupiditate tenetur; ergo non est mirum, si irascatur omnibus, qui cupiditati eius aduersanter, siue directè, vt cum quis aduersatur sitienti ne bibat; siue licet non directè aduersetur, aliquo modo videatur aduersari. Irascuntur etiam cum quis illis refragatur, vel non suffragatur, vel alio modo turbationem affert. Idcirco ægrotantes, paupertate laborantes, amantes, sitientes, & vniuersim aliquid desiderantes, cum res illis è sententia non procedunt, iracundi sunt, ac facilè excandescunt, præsertim aduersus eos, qui videntur illos contemnere in ijs, quæ ad præsentem eorum miseriam spectant. Ex. gr. ægrotantes vehementer excandescunt, cum contemnuntur in ijs, quæ spectant ad egestatem; bello conflictati, cum paruipenduntur ab ijs, quæ spectant ad bellum; amantes, cum nemo ipsis presto est in ijs, quæ spectant ad amorem &c, idemque dic de alijs. Vnusquisque enim præparatur ad irascendum de hoc, vel illo, ab insito dolore, & desiderio, quo laborat. Porro hi ipsi magis irascuntur, cum ipsis accidunt spei, & opinioni contraria: sicut cum voti compotes præter opinionem efficiuntur magis delectantur. Ex dictis potest inferri, quibus horis, temporibus, dispositionibus, & ætatibus homines sint ad iram procliuiores, adeoque facilius concitari possint. Per hæc igitur patet, quo pacto homines affecti, sint ad iram proni.

7 *Irascuntur autem deridentibus primum, & subsannantibus, atque conuiciantibus: omnes enim contemnunt. Deinde ijs, qui ita efficiunt, vt contumeliæ causa facere videantur. Huiusmodi autem facta sunt, quæ neque alicuius rei gratia, & inutilia sunt facientibus. Hæc enim contumeliæ causa fieri videntur. Præterea maledicentibus, aut vilipendentibus ea, quibus ipsi maxime student: vt qui philosophia gloriantur, philosophiam: qui forma, formam contemnentibus: ac in cæteris similiter. Longe vero magis in his irascuntur, si suspicati fuerint non esse in eis, vel penitus, vel non valde, vel opinione hominum ea, in quibus increpantur: cùm vero vehementer sibi ea inesse putant, non perturbantur. Ad hæc amicis magis, quàm inimicis. Putant enim oportere magis ab illis sibi benefieri, quàm non. Et assuetis honorare, ac multifacere, si non similiter erga ipsos se habeant. Paruipendi enim ab his arbitrantur. Idem faciunt etiam, si qui non remunerant, nec æqualia reddunt. Et opposita facientibus, si minores sunt. Nam ij omnes contemnere videntur, hi quidem quasi minores, illi vero quasi à minoribus. Et ijs maxime, qui nullius opinionis sunt, si contemnunt. Nam & suppositum est iram esse, cùm quis immerito contemnitur, & par est ne à minoribus maiores contemnantur. Amicis autem si non benedicunt, aut faciunt: ac multo magis, si contra vel dicunt, vel faciunt: & si non animaduertunt egere ipsos: sicuti & Plexippus Antiphontis Meleagro. Nam cùm quæ nobis curæ sunt, non latent, contemptus signum est non animaduertere. Et ijs,*

qui

qui in aduersa sua fortuna gestiant, aut omnino contenti esse videantur. Nam vel inimicitiarum, vel contemptus id signum est. Et ijs, qui non curant, si dolorem intulerunt: qua de re malorum nuntijs etiam irascuntur. Et ijs, qui vel audiunt, vel oculis mala eorum cernunt: quippe cùm aut contemnentibus, aut inimicis simillimi videantur. Amici enim condolent, ac omnes, qui sua mala considerant, dolent. Præterea ijs, qui apud hos quandoque contemnunt, apud quos honorari cupiunt, quos admirantur, quibus mirabiles videri cupiunt, quos verentur, & demum apud illos, qui eos verentur, apud hos homines, si quis contemnat, ei valde irascuntur. Et ijs, qui eos contemnunt, quibus nisi succurrant, turpe est: vt parentes, liberos, vxores, subditos. Et ingratis: contemnunt enim, qui non agunt, vt par est. Et illudentibus studia sua apud studiosos. Nempe illusio ex contemptu proficiscitur. Et ijs, qui cum in cæteros liberales sint, erga se non sunt. Contemni enim videtur, cùm solus indignus iudicatus sit. Ad hæc omnia obliuio quoque iram efficit, veluti & nominum, quamuis res minima sit: quippe cùm ipsa quoque signum esse contemptus videatur. Proficiscitur enim ex negligentia: negligentia vero contemptus est. Quibus igitur irascuntur, qualiterque se habentes, et quas ob res, dictum est. Patet autem opus esse, vt oratione tales orator præparando efficiat, quales sunt, qui ad irascendum sunt apti: aduersariosque ijs rebus reos, propter quas irascuntur, ac tales, quales quibus irascuntur.

7 Explicandum est iam, quibus homines irascuntur. Primo homines irascuntur irridentibus, subsannantibus, & illudentibus; siquidem à talibus contumelia afficiuntur. Secundo irascuntur ijs, qui eos damno afficiunt in quibusdam, quæ contumeliæ signa sunt. Necesse autem est, vt sint signa contumeliæ, quæcunque ita alteri nocent, vt nocentibus non prosint, neque ad vllum alium finem videntur ordinari. Tertio irascuntur vituperantibus, ac contemnentibus in ijs, quibus ipsi maximè student: ex. gr. qui in philosophia cupiunt excellere, irascuntur ijs, qui in hoc ipso eos spreuerint; qui multum sibi tribuunt in forma, & pulchritudine, irascuntur ijs, qui eorum pulchritudinem contemnunt. Porro hi multo magis excandescunt, si suspicentur eas dotes, quibus student, vel sibi non adesse, vel se illis non excellere, vel ab alijs existimari, quod non excellant: cum verò certo existimant se talibus dotibus præstare, nihil curant eos, qui sibi in talibus illudunt. Quarto magis adhuc irascuntur, si aliquid dictorum patiantur ab amicis, quam ab alijs, quos amicorum loco non habent. Existimant enim se ab amicis beneficia debere recipere, non autem vllo incommodo, vel contumelia, aut dolore affici. Quinto irascuntur ijs, qui cum consueuerint ipsos honorare, eorumque curam, ac patrocinium gerere, postea idem non faciunt, quia arbitrantur se despici: nisi enim despicerent, consuetis honoribus videntur illos prosecuturi. Sexto irascuntur ijs, qui beneficijs affecti, vel beneficia non referunt, vel non referunt æqualia; in eos etiam excandescunt, qui cum inferiores sint, ipsis aduersantur. Ratio est, quia omnes isti videntur contemnere. Qui enim ipsis aduersantur, videntur eos inferiores existimare, alioquin aduersari non auderent: qui verò beneficia non rependunt, vel rependunt minora, videntur existimare se ab inferioribus, adeoque obsequia debentibus accepisse. Septimo magis adhuc irascuntur, si arbitrantur se despici ab ijs, qui in nulla sunt existimatione. Ratio est, quia in definitione iræ positum est iram esse propter contemptum immeritum; sed qui in nulla sunt existimatione immerito contemnunt; ergo maximè prouocant ad iram. Octauo irascimur amicis, nisi verbis nos ornent, aut factis de nobis benemereantur, & magis adhuc, si contraria his faciant, vel si nos indigere non sentiant: ideoque apud Antiphontem Plexippus iratus est Meleagro, quod quibus ipse rebus egebat, non intellexerit. Ratio est, quia signum contemptus videtur, quibus amicus indigeat non perspicere: ea enim, quorum solliciti sumus, non latent. Nono irascuntur ijs, qui in eorum calamitatibus aut lætantur, aut nihil commouentur: qui enim lætantur, hostilem; qui non commouentur, contemnentem animum præferunt. Ex eadem ratione excandescunt in eos, qui cum dolent, non curant, ideoque succensent infortuniorum nuncium afferentibus. Decimo irascuntur ijs, qui æquo animo audiunt, aut vident

co-

eorum mala: similes siquidem sunt inimicis, aut contemnentibus. Sicut enim omnes dolent spectantes propria mala, sic amici dolent spectantes mala amicorum. Vndecimo magis excandescunt contra eos, à quibus contemnuntur apud quinque hominum genera; primo apud eos, cum quibus de honore, ac gloria contendunt; secundo apud eos, quos admirantur; tertio apud eos, quibus cupiunt admirationi esse; quarto apud eos, quos reuerentur; quinto demum apud eos, quibus venerationi sunt. Duodecimo irascuntur ijs, qui contemnunt ipsos, lædendo eorum parentes, filios, vxores, subditos, aliosque, quos non adiuuare, & ab omni iniuria defendere turpe est ipsis. Decimo tertio irascuntur gratias non referentibus: videntur enim contemnere, & immerito contemnere. Decimo quarto succensent ijs, qui cum serio agentibus ironia, & dissimulatione vtuntur: ad contemptum enim spectat talis dissimulatio, & ironia. Decimo quinto irascuntur ijs, qui cum alijs pene omnibus beneficia contulerint, ipsos beneficiorum participes non efficiunt: dum enim eos indignos arbitrantur beneficijs, quibus cæteros pene omnes dignos censent, despectui videntur habere. Decimo sexto mouet etiam ad iram obliuio, vt si pene nomen alicuius obliti fuerimus; obliuio enim videtur signum contemptus, siquidem ea, quæ curæ sunt, è memoria nunquam elabuntur. Patet igitur ex dictis qualiter affecti homines irascantur, & quibus, ac quas ob causas irascantur. Ex his autem infertur oratorem, vt ad iram moueat, debere auditores oratione tales efficere, quales sunt, qui ad iram sunt procliues, & ostendere aduersarios ijs rebus, ac culpis affines esse, quæ ad iram concitant, ac tales esse, quales sunt, quibus irasci homines consueuerunt.

scuntur, contemptusque voluntarius est, manifestum est ijs, qui nihil horum faciunt, aut inuiti faciunt, aut huiusmodi videntur, mansuetos, ac mites esse.

3 *Et ijs, qui contra vellent, quàm fecerint: & omnibus, qui in seipsos etiam huiusmodi sunt, cùm nemo seipsum contemnere videatur: & ijs, quos pœnitet, & fatentur. Nam quasi pœnas sumpserint, quòd dolent factum, cessant ab ira. Huius signum in punitione seruorum sumere possumus. Negantes enim, atque contradicentes multò magis punimus: cùm vero iure se puniri fatentur, cessamus ab ira. Cuius causa est, quoniam manifesta negare, impudentia est: impudentia vero contemptio est, atque despectus. Quare quos valde despicimus, eos non veremur. Præterea ijs, qui humiliter se gerunt, neque contradicunt iratis. Videntur enim minores se fateri: minores vero metuunt, & metuens nullus contemnit. Quòd autem humilitate ira sedatur, canes quoque ostendunt, qui sedentes non mordent. Et ijs, qui studiosi erga studiosos sunt. Non enim contemni, sed multifieri videntur. Et ijs, qui maiora largiti sunt. Et rogantibus, atque deprecantibus: humiliores enim. Et ijs, qui nec contumeliatores, nec subsannatores, nec contemptores, aut nullius, aut non bonorum, aut non talium, quales ipsi. Vniuersaliter vero ex contrarijs mitigantia consideranda sunt. Præterea ijs, quos timent, & quos verentur. Nam quandiu sic se habent, non irascuntur. Impossibile enim est timere simul, atque irasci. Ad hæc ijs, qui ira concitati fecerunt, aut non irascuntur, aut minus irascuntur. Non enim videntur contemptu fecisse: quippe cum nullus iratus contemnat. Est enim contemptus absque dolore: ira vero non sine dolore. His etiam, qui ipsos verentur.*

De placabilitate, ac de arte placandi iram. Cap. III.

1 *VErum quoniam irasci, & mansuetum esse, contraria sunt, & ira mansuetudini contrarium, dicendum nunc est, quomodo se habentes mansueti sunt, et quibus, & quas ob res.*

2 *Sit igitur mansuetudo, depressio iræ, atque sedatio. Si ergo contemnentibus ira-*

1 QVia irasci, & placari contraria sunt, adeoque placatio contraria est iræ, sequitur, vt cum egerimus de ira, agamus de placabilitate, atque eius definitione præmissa, explicemus, quo pacto affecti homines sint placabiles; quibus sint placabiles; & per quas causas placentur.

2 Placabilitas, seu lenitas definiri potest, *iræ sedatio atque remissio*. Quia igitur homines irascuntur contemnentibus, contemptus verò prouocans ad iram debet esse

esse voluntarius, atque spontaneus, placabiles erunt ijs, qui nihil faciunt pertinens ad contemptum, vel non sponte faciunt, vel videntur non sponte fecisse.

3 Sed adhuc debet magis in particulari explicari, quibus homines sint placabiles, quo pacto affecti placentur, & per quas causas placentur. Primo igitur homines sunt placabiles ijs, qui etiamsi ipsos læserint, adhuc non voluerunt lædere, sed potius voluerunt contrarium: eo enim ipso apparet læsionem non ex contemptu, sed ex infortunio fuisse profectam. Secundo sunt placabiles ijs, qui tales sunt erga se ipsos, quales erga alios fuerunt. Cum enim nemo contemnat se ipsum, qui ita se cum altero gerit, sicut cum se ipso, videtur alterum non contemnere. Tertio placabiles sunt homines ijs, qui se fecisse fatentur, & quos pænitet fecisse: quasi enim dolor, quo afficiuntur, sit loco pænæ, quam irati expetunt, cessant ab ira. Signum huius est, quod dum famulos cædimus, negantes, & contradicentes magis cædimus; cum verò fatentur se iustè plecti, placamur ab ira. Ratio verò est, quia negare quæ manifesta sunt, est quædam impudentia; sed impudentia continet contemptum, siquidem apud eos tantum nos non pudet, quos valde contemnimus; ergo qui negat manifesta, prouocat ad iram. Quarto placamur ijs, qui se ipsos humiliant, nec audent contradicere. Eo enim ipso se fatentur inferiores; sed inferiores timent, adeoque non contemnunt; nemo enim contemnit eum, quem timet; ergo &c. Quod autem ira placetur, cum quis se humiliat, patet ex canibus, qui eos, qui se humi abiecerunt, non mordent. Quinto sicut qui ironicè agunt cum serio agentibus, videntur contemnere, ideoque prouocant ad iram, sic serio agentes placabiles sunt cum serio agentibus, quia videntur eos studio, non contemptu dignos existimare. Sexto placabiles sunt ijs, qui si in aliquo læserint, postea maiori in re gratificantur. Septimo placamur rogantibus, ac deprecantibus. Humiliores enim sunt, adeoque omnem contemptus suspicionem abstergunt. Octauo placamur ijs, qui non solent contumelia afficere, subsannare, vel despicere vllum, vel saltem non solent contemnere bonos, aut tales, quales non sumus: eo enim ipso interpretamur nos non fuisse læsos ex animo contemnendi. Vniuersim igitur placamur ex causis contrarijs ijs, quæ mouent ad iram. Nono placabiles sunt ijs, quos timent, & reuerentur: neque enim fieri potest, vt dum aliquem timemus, eidem irascamur. Decimo non irascimur ijs, qui nos læserunt irati: neque enim videntur ex contemptu læsisse. Contemptus siquidem dolore vacat, ira est cum dolore; ergo qui irascitur non despicit. Vndecimo neque irascimur ijs, qui nos reuerentur, cum veneratio sit contraria contemptui. Patet igitur ex dictis, quibus homines sint placabiles.

4 *Præterea qui modo se contrario habent quàm qui irascuntur, eos patet mites esse, veluti in ludo, in ioco, in die festo, in felicitate, in successu, in consummatione, ac in totum in non dolendo, & in laudabili voluptate, ac spe honesta. Insuper eos, qui iam diu est, ex quo perturbati fuerunt. Sedat enim iram tempus. Sedat autem etiam maiorem hominis iram, sumptum ab alio prius supplicium. Quocirca rectè Philocrates, cùm ei quidam dixisset: cur te iratæ plebi non purgas? nondum, inquit, opportunum. Quando igitur? cùm alium, inquit, condemnatum videro. Mansuescunt enim, cùm iram in alium effuderint: quod Ergophilo contigit, quem, quamuis magis in eum furerent, quàm in Callisthenem, quoniam tamen pridie Callisthenem morte damnarant, facile absoluerunt. Si præterea maiora incommoda passi sunt, qui deliquerunt, quàm irati eos affecissent. Quasi enim supplicium sumpsisse arbitrantur. Ad hæc si intulisse ipsi putant iniuriam, ac ideo non iniuria vexari. Non enim ex iure facto, aut dicto, ira proficiscitur. Cùm ergo immerito vexari arbitrantur (quod ira erat) oratione castigandi sunt. Quare vel serui sic castigati minus molestè ferunt, cùm puniuntur. Item si ignoraturos putant, quòd propter ipsos, atque pro ijs, quæ passi sunt. Vt enim ex definitione patet, ira in singulos est. Quare rectè dictum est à poeta, Vlyssem dic vrbium expugnatorem, quasi non vltus, nisi & à quo, & quamobrem cognouisset. Quare nec cæteris, qui non sentiunt, irascuntur: nec defunctis, quasi iam extrema passi, nec dolituri, nec cognituri sint, quod irati cupiunt. Quapropter probe poeta cùm Achillis iram sedare vellet, quam in Hectorem iam mortuum gerebat, dixit:*

Sur-

Surdam enim terram iratus vexas.

5 *Iam ergo patet, si sedare iram volumus, ex his locis ita dicendum esse, vt & auditores huiusmodi faciamus, & quibus irascuntur, eos aut timendos, aut verendos, aut rogatos, aut inuitos fecisse, aut factum dolentes, ostendamus.*

4 Superest vt explicemus, quo pacto homines affecti facile placentur. Primo igitur homines placabiles sunt, cum sunt in dispositione iræ contraria; sed dum ludo vacant, ac risui, dum diem festum, ac faustum celebrant, dum aliquod negotium feliciter peregerunt, dum saturi sunt, & vniuersim dum dolore vacant, ac voluptate non contumeliosa, bonaque spe perfruuntur, sunt in dispositione contraria iræ; ergo dum ita se habent, sunt facile placabiles. Secundo placabiles sunt qui non recenter irascuntur, sed diu morati sunt in ira: tempus enim placat iram. Tertio placabiles sunt qui paulo ante de altero vltionem sumpserunt. Vltio enim sumpta de altero, etiam cui minus fuerimus irati, habet vim placandi maiorem iram aduersus alterum conceptam. Ideo bene Philocrates cum quidam interrogasset, cur populo aduersus ipsum irato non responderet? inquit: nondum est tempus respondendi, sed tum populo satisfaciam, cum alium videro in crimen vocatum. Placabiles enim homines vni fiunt, cum iram in altero puniendo consumpserint, vt Ergophilo contigit. Cum enim populus Atheniensium Ergophilo magis, quam Callistheni succensuisset, quia tamen pridie Callisthenem capitis damnauerat, Ergophilum dimisit. Quarto cum quis alterum apertè conuicerit, aut videt eum, qui læsit, maius malum fuisse passum, quam ipsemet intulisset, facile placatur: putat enim se pœnam quodammodo sumpsisse. Quinto placabiles sunt qui se iniustè egisse arbitrantur, ac iustè pati. Non enim irascimur iuste lædentibus, quia non putamus nos immerito pati; ira autem, vt in eius definitione dictum est, oritur ex eo, quod quis existimat se immerito contemni. Idcirco rationabiliter oportet eos, qui castigādi sunt castigare; nam ipsimet serui, cum non sine ratione puniuntur, minus iniquè ferunt. Sexto placabiles sunt qui putant eos, de quibus vltionem sument, non intellecturos se ab ipsis puniri. Ratio est, quia vt ex definitione iræ est manifestum, ira appetit vltionem de eo homine singulari, qui contempsit, vt punitus doleat se contempsisse, ac desinat contemnere; ergo cum putamus non intellecturum, deferuescit ira. Idcirco bene Homerus lib. 9. Odysseæ Vlyssem induxit, postquam oculum Cyclopi eruit, id ipsi manifestantem, ac dicentem: *si quis Cyclops te interrogauerit, quis oculum eruerit, dicito Vlyssem vrbium euersorem eruisse:* quasi non esset de Polyphemo vltus, nisi sciuisset à quo, & cuius gratia tam malè mulctatus fuisset. Hinc oritur, vt non irascamur ijs, qui non sentiunt, neque mortuis, quasi iam vltimum malorum fuerint passi, & non sint vltionem sensuri, neque dolituri: irati autem appetunt, vt is, quem puniunt, sentiat, ac doleat se puniri. Bene igitur Homerus, cum furorem Achillis aduersus Hectorem mortuum mitigare vellet, dicit: surdam, ac non sentientem terram verberas.

5 Quia igitur homines cum sic afficiuntur, sunt placabiles, debet orator conari, vt illos sic affectos reddat. Et quia facile placantur ijs, qui tales sunt, debet ostendere eos, quibus irascuntur, esse tales, puta metuendos, vel veneratione dignos, vel de ipsis benemeritos, vel læsisse inuitos, vel valde dolere, quod læserint &c.

De amore, & odio, amicitia, atque inimicitia; ac de arte mouendi ad amorem, & odiū. Caput IV.

1 *QVos autem amant, aut oderunt, amicitiam, & amare ipsum prius definientes, dicamus.*

2 *Sit igitur amare, velle alicui quæ bona putat, illius, non sui gratia, eorumque actiuum esse inquantum potest. Amicus autem est, qui amat, & redamatur. Itaque amicos se putant, qui sic se adinuicem habere putant.*

3 *His ita suppositis, eum, qui & in bonis congratulatur, & in dolore condolet, non alia de causa, nisi illius, amicum esse necesse est. Omnes enim gaudent, si vt volunt fit: si contra, dolent. Quare dolores, ac voluptates, voluntatis signum sunt. Præterea quibus iam eadem bona, ac mala sunt, & qui eisdem amici, & qui eisdem ini-*

inimici: nam his eadem velle necesse est. Qui vero eadem sibi, ac alij vult, hac ipsa de causa illi amicus esse videtur.

1 Sequitur, vt agamus de amore, & odio, amicitia, atque inimicitia, & vt explicemus, quales homines, quibusque de causis, amore, vel odio prosequamur. Primo igitur præmittendum est, quid sit amare, quid amicitia, & quid amicus: secundo ponendæ sunt propositiones, ex quibus potest ostendi aliquos esse inuicem amicos: tertio explicandum est, quosnam soleamus amore prosequi: quarto assignandæ sunt species, & causæ amicitiæ: quinto agendum est de inimicitia, atque odio, & de differentia iræ ab odio.

2 Quoad primum: *amare est velle alicui, quæ bona quis putat, non sui, sed illius gratia, eorumque actiuum esse in quantum potest.* Duæ igitur conditiones requiruntur ad amorem. Prima est, vt velimus alicui bona; secunda vt talia bona faciamus in quantum possumus. Amicus *est qui alterum ita amat, vt redametur.*

3 Quoad secundum: ex traditis definitionibus possumus inferre propositiones, seu locos vtiles ad ostendendum aliquos esse inuicem amicos. Prima propositio est: necesse est illum esse alteri amicum, qui bonis illius congaudet, malis condolet. Ratio est, quia vnusquisque gaudet, cum fit vt vult, dolet verò, cum fit non vt vult, ideoque dolores, & voluptates sunt signa voluntatis; ergo qui gaudet bonis alterius, dolet malis, vult illi bona, non vult mala; sed in hac voluntate consistit amor; ergo amat, adeoque si mutuo congaudent bonis, & condolent malis, mutuo se amant, ac sunt amici. Secunda propositio est: ij, quibus eadem bona, & mala sunt, amici sunt inuicem: amicorum enim omnia communia. Tertia propositio est: ij sunt amici, qui ijsdem sunt amici, atque inimici: eo enim ipso eadem volunt. Quarta propositio est: qui eadem, quæ vult sibi, vult etiam alteri, videtur amicus illius. Ratio est, quia amicitia est, per quam quis ita est erga alterum affectus, sicut erga seipsum.

4 *Amant etiam eos, qui vel benefecerunt aut ipsis, aut ijs, qui sibi curæ sunt: præsertim si magna, si libenter, si temporibus huiusmodi, suique gratia: vel quoscunque benefaciendi voluntatem habere opinantur.*

5 *Insuper amicorum amicos, & amantes, quos ipsi amant, & amatos ab ijs, qui à seipsis amantur, & eisdem inimicos, & eos, qui oderunt, quos ipsi odio habent, & inimicos inimicorum. Nam his omnibus eadem esse bona, & sibi videntur: quare bona ipsis volunt, quod erat amici.*

6 *Ad hæc beneficos in pecunia, & salute. Quocirca liberales, ac fortes colunt: iustos quoque. Tales autem esse putant eos, qui non aliunde viuunt, quales qui ab operando, horumque, qui ab agricultura, aliorum vero opifices maxime. Modestos etiam, quoniam non iniusti. Et propterea etiam non curiosos. Et eos, quibus amici esse volunt, si velle videntur: quales sunt qui virtute excellunt, & clari, vel apud omnes, vel apud optimos, vel apud eos, quos ipsi admirantur, & in ijs, in quibus ipsos admirantur.*

4 Quoad tertium: explicandum iam est, quosnam soleamus amore prosequi. Primo amare solemus eos, qui nobis, aut ijs, qui nostræ curæ commissi sunt, benefecerunt, vel in magnis, vel libenter, & magna animi promptitudine, vel in quibusdam occasionibus, in quibus eorum ope indigebamus, vel etiamsi non benefecerint, habent voluntatem benefaciendi, non propter suum, sed propter nostrum commodum.

5 Secundo amamus amicorum nostrorum amicos, eosque, qui amant eos, qui à nobis amantur, & ab ijs amantur, quos nos amamus, nec non inimicos ijs, quibus nos inimici sumus, & odio habentes eos, quos nos odio habemus, & odio habitos ab ijs, quos nos odio prosequimur. Ratio est, quia ijs, qui sunt eorumdem amici, vel inimici &c. videntur esse eadem bona, ac mala; ergo conuenimus cum ipsis in hoc, vt eadem velimus, ac nolimus, & vt ea velimus ipsis, quæ volumus nobis ipsis; sed amici proprium est velle alteri, quæ vult sibi; ergo non est mirum, quod qui ita sunt affecti, se mutuo ament, ac proni sint ad amicitiam ineundam.

6 Tertio amamus beneficos in pecunijs, & in ijs, quæ spectant ad vitam. Quia verò liberales benefici sunt in pecunijs, fortes benefici sunt in ijs, quæ spectant ad vitam, ideo liberales, & fortes apud

apud omnes in amore, & honore solent esse. Iustos etiam diligimus, quia tribuunt vnicuique quod suum est. Iustos autem præcipuè existimamus eos, qui ex alieno non viuunt: & quia maximè videntur ex alieno non viuere, qui suo labore victum comparant, vt agricolæ, & ex artificibus, qui manibus operantur, ideo tales homines iustissimos dicimus. Temperantes quoque amore prosequimur, quia non solent esse iniusti; & ex eadem ratione amantur illi, qui vitam quietam, & à negotijs alienam ducunt. Vniuersim diligimus eos, quibus volumus esse amici, si parem in ijs voluntatem perspexerimus; sed volumus esse amici viris virtute præstantibus, & probatis, vel apud omnes, vel apud optimos, vel apud eos, quos admiramur, vel apud eos, qui nos admirantur; ergo diligimus virtute præditos, & probatos.

7 *Præterea iucundos in consuetudine diurna, quales sunt faciles, & neque peccata redarguentes, neque contentiosi, neque pertinaces. Omnes enim hi pugnaces sunt: pugnantes vero non eadem, sed opposita velle videntur. Ad hæc tam illudere, quàm sufferre apti. Ad eadem enim vtrique tendunt amici, cùm & illudi, & illudere aptè possint.*

8 *Item eos, qui præsentia bona laudant, & ea maxime, quæ ipsi timent amittere. Mundos quoque facie, veste, tota vita, & non exprobrantes, nec errores, nec beneficia: vtrique enim arguendi cupidi.*

9 *Item eos, qui maleficia obliuiscuntur; quoniam crimina memoria non tenent, sed facile reconciliantur. Nam quales erga cæteros esse putamus, tales etiam in nos futuros arbitramur. Item non maledicos, & tam aliorum, quàm sua mala ignorantes, sed non bona: id enim agere, boni est. Præterea non contradicentes irascentibus, aut studiose quicquam agentibus. Pugnaces enim, qui sic faciunt.*

10 *Et eos, qui erga nos sic affecti sunt, vt nos admirentur, virtuososque putent, nobisque gaudent, ac ita maxime ijs in rebus affecti sunt, in quibus magnopere volumus studiosi, admirationeque digni, ac iucundi videri. Præterea similes, eademque profitentes, nisi turbent, & nisi eadem ex re vitæ subsidia consequantur. Hoc enim pacto illud fieret, Figulus figulo. Eadem etiam cupientes, si possibilia sint simul ipsos participare. Quod si non, idem Hesiodicum similiter sequitur.*

7 Quarto diligimus homines in conuictu, & consuetudine iucundos. Iucundi porro sunt, qui facili sunt ingenio, nec proni ad alios reprehendendos, si in quoquam peccauerint, neque sunt concertandi studiosi, ac tales, vt vix vnquam in aliorum sententiam veniant. Ratio est, quia omnes isti sunt pugnaces; sed qui verbis, aut dictis pugnant, contraria videntur velle; ergo non sunt apti ad amicitiam, quæ includit concordiam voluntatum; ergo ex opposito qui his vitijs non laborant, iucundi sunt, & ad amicitiam apti, ideoque solent amari. Sunt etiam in conuictu iucundi, qui idonei sunt tum ad facetè alijs illudendum, tum ad ferendum vt alij in ipsos facetijs ludant. Cum enim & ipsi possunt lepidè iocari, & iocos aliorum ferre, videntur conspirare in idem studium eos, cum quibus versantur, delectatione afficiendi.

8 Quinto diligimus eos, qui laudant bona, quæ nobis insunt, atque ea præcipuè, quæ an nobis insunt dubitamus: amamus etiam mundos facie, veste, ac totius vitæ cultu.

9 Sexto amore etiam prosequimur eos, qui alieni sunt à quibusdam vitijs, quæ odium conciliant, puta qui neque peccata à nobis commissa, neque beneficia in nos conlata nobis exprobant: siquidem vtrique sunt ad reprehendendum procliues. Ex eadem ratione diligimus eos, qui non videntur præterita mala recordari, vel crimina aduersus eos commissa in memoria retinere, sed facile ijs, qui ipsos læserint, reconciliantur. Ratio est, quia quales illos in alios esse cernimus, tales in nos fore arbitramur; sed vnusquisque vult amicos esse sibi placabiles; ergo amat eos, quos videt placabiles alijs, ac libenter cum ijs amicitiam init. Amamus etiam eos, qui non solum non sunt maledici, sed neq; studiosi sunt sciendi mala nostra, vel propinquorum, sed sola bona; id enim à viro probo faciendum existimamus. Et quia qui irascentibus, atque aliquo studio occupatis contradicunt, contentiosi sunt, adeoque parum amabiles, ideo diligimus eos, qui iratis, atque in aliquo studio occupatis non contradicunt.

10 Septimo amamus eos, qui ita erga nos

nos affecti sunt, vt nos admirentur, ac virtute præditos putent, quique maximè sunt affecti erga eas res, in quibus admiratione digni, studiosi, ac iucundi videri volumus: ex. gr. qui vult videri fortis, amat eos, qui valde sunt affecti erga bellicam fortitudinem. Ex eadem ratione amamus eos, qui eadem profitentur, nisi nobis impedimento sint, eo quod ex eadem arte victum, ac lucrum quærant, adeoque nobis lucrum adimant: tum enim eos potius odio habemus, ideoque figulus figulum odit. Amore etiam prosequimur eos, qui eadem appetunt, si tamen vtrique eorumdem participes esse possimus.

11 *Eos præterea, erga quos ita se habent, vt non vereantur, si non ea contemnant, quæ ad gloriam pertinent. Et eos, apud quos ea verentur, quæ ad veritatem.*

12 *Et eos, apud quos iactabundi sunt. Et eos, quos æmulatores, sed non inuidos habere vellent, aut amant, aut illis amici esse vellent. Et quibus bona cooperantur, ne sibiipsis maiora eueniant mala.*

13 *Item eos, qui absentes similiter, atque præsentes diligunt. Quocirca qui in defunctos huiusmodi sunt, hos cuncti amant. Et vniuersaliter studiosos nimium in amicos, neque derelinquentes. Nam ex omnibus bonis boni amici summopere diliguntur.*

14 *Et eos, qui nihil eis fingunt, neque dissimulant, cuiusmodi sunt, qui vel mala sua nobis aperiunt. Dictum enim est non vereri homines, si apud amicos, quæ ad gloriam. Si ergo qui veretur, non amat, qui non veretur amanti similis est.*

15 *Præterea non timendos, & quibus confidimus. Nullus enim amat quem metuit.*

16 *Sunt autem amicitiæ species, sodalitium, familiaritas, propinquitas, & quæcunque huiusmodi. Amicitiam vero efficiunt gratia, & si feceris non rogatus, & non significaris cùm feceris. Sic enim ipsius causa videris, & non ob aliud fecisse.*

11 Octauo diligimus eos, apud quos nos non pudet eorum, quæ solum secundum opinionem turpia sunt, at pudet eorum, quæ turpia sunt secundum veritatem. Videntur enim æqui rerum æstimatores.

12 Nono diligimus eos, apud quos in honore, ac pretio optamus esse; & quos imitatores, atque æmulos, non autem inuidos, & obtrectatores habere cupimus; & quos nostro studio parati sumus adiuuare ad consequenda bona, nisi maiora ex eorum bonis nobis obuentura mala timeamus.

13 Decimo diligimus eos, qui amicos tum præsentes, tum absentes amant, ideoque omnes amore prosequuntur illos, qui amant amicos, etiam mortuos, & vniuersim valde sunt amicorum amatores, ac nunquam eos derelinquunt. Cum enim amemus homines in quolibet genere bonos, præsertim diligimus eos, qui boni sunt in genere amici.

14 Vndecimo amamus eos, qui cum nobiscum agunt, nulla fictione, ac simulatione vtuntur, quales præsertim videntur qui res suas etiam malas amicis patefacere non erubescunt. Ratio est, quia ex dictis num. 11. nos apud amicos non pudet eorum, quæ secundum opinionem tantum turpia sunt; ergo si is, quem pudet, non est amicus, is, quem non pudet, aut est amicus, aut amicus videtur.

15 Duodecimo amamus homines, qui metuendi nobis non sunt, eosque, quibus confidimus. Ratio est, quia sicut nemo amat eum, quem metuit, sic procliues sumus ad eos, quos non metuimus, diligendos.

16 Quoad quartum: plures sunt amicitiæ species: sodalitas nimirum, familiaritas, cognatio, atque aliæ huiusmodi, de quibus actum est lib. 8. Ethic. ideoque nihil hic est addendum. Amicitiæ causæ sunt gratiæ, seu beneficia in alterum collata, præsertim si quis illa contulerit non rogatus, & postquam contulit non indicauerit. Tum enim maximè videtur id contulisse gratia alterius, non autem gratia sui.

17 *De inimicitia autem, & odisse patet ex contrarijs esse perspiciendum. Huius efficientia sunt, ira, detractio, calumnia.*

18 *Sed ira ex ijs est, quæ ad seipsum pertinent: inimicitia vero etiam sine illis. Nam si talem esse suspicabimur odimus. Præterea ira semper in singulos, vt Socratem, Calliam: odium vero etiam in genera. Omnes nanque calumniantem, atque furem oderunt. Et alterum tempore sanabile, alterum non. Ad hæc ira dolorem inferre cupit: odium vero affligere potius. Nam qui irascitur, cognosci vult: hic vero non*

curat. Sunt autem cuncta, quæ dolorem faciunt, sensibilia; quæ vero maxime vitia sunt, ea minime sunt sensibilia, veluti iniustitia, & amentia. Non enim infert dolorem præsentia vitij. Itaque alterum cum dolore est, alterum absque dolore. Dolet enim qui irascitur: qui odit, non dolet: & ille multis modis miserebitur: hic nullo pacto. Nam ille inuicem dolere ipsum vult, cui irascitur; hic vero non esse, quem odit.

19 *Ex his igitur patet, quòd sit possibile inimicos, atque amicos, & cùm sint ostendere, & cùm non sint facere, & cum se esse significant, dissoluere: & vel propter iram, vel propter inimicitiam dubios, vtram in partem velis impellere. Quare autem timeant, & quæ, quomodoque habentes, nunc erit manifestum.*

17 Quoad quintum; sequitur, vt de odio, & inimicitia differamus; sed vnum contrarium potest cognosci ex alio contrario; ergo de odio, atque inimicitia philosophari debemus proportionaliter, ac philosophati sumus de amore, & inimicitia. Inter cæteras odij, atque inimicitiæ causas enumerari potest etiam ira, & ea, quæ iram causant, cuiusmodi sunt incommodatio, ac criminatio, & alia huiusmodi, ideoque sæpe non solum contemnentibus irascimur, sed illos etiam odio habemus.

18 Iam licet odium, atque inimicitia habeant quamdam affinitatem cum ira, adhuc in pluribus differunt ab ira. Primo differunt, quod ira concipitur solum propter ea, quæ ad nos referuntur; at inimicitia, atque odium propter ea etiam oriuntur, quæ nos non respiciunt, adeoque sæpe aliquos odio prosequimur vt tales, puta vt fures, etiamsi nihil mali ab ijs passi fuerimus. Secundo ira semper respicit aliquem hominem singularem, puta Socratem, aut Calliam; odium verò potest concipi etiam aduersus aliquod totum genus, ideoque omnes odio habemus fures, & calumniatores in genere. Tertio ira est sanabilis tempore, odium autem est insanabile. Quarto ira præcipuè appetit dolorem inurere, iratus siquidem vult vltionem sentiri; odium è conuerso intendit præcipuè malum eius, quem odio prosequitur, ideoque qui odit, vult alteri inferre mala, seu sensum doloris causent, seu non, neque curat, vt is, cui infert mala, sciat à quo, & cuius causa hæc illi mala inferantur. Porro præter mala dolorifera dantur etiam mala non dolorifera. Mala dolorifera sunt, *quæ quando adsunt, cum sensu doloris sentiuntur adesse*: at dantur maxima mala, quæ cum adsunt, nullo nos dolore afficiunt: ex. gr. iniustitia, imprudentia, atque alia vitia. Præsentia enim vitij non est molesta illi, cui vitium inest. Quinto ira habet sibi adiunctum dolorem, odium non habet. Qui enim irascitur, dolet de contemptu; at sæpe qui odit, non dolet. Sexto qui iratus alicui est, si multis illum videat ærumnis obrutum, miseretur illius; at qui odio habet, non miseretur. Ratio est, quia iratus vult eum, cui irascitur, talionem pati pro dolore, quem inussit; ergo cum videt eum multo maiora mala pati, iram in miserationem conuertit; è conuerso qui aliquem odit, vult illum non esse; ergo quodcunque malum patiatur, adhuc ab odio non desistit.

19 Ex his igitur possumus vel ostendere aliquos esse amicos, aut inimicos, vel eos, qui non sunt amici, aut inimici, tales efficere, vel dissoluere rationes, quibus aduersarius conatur ostendere aliquos amicos, vel inimicos inuicem esse; & cum est controuersia, vtrum aliquid ex ira, vel ex odio sit factum, vtrumlibet demonstrare. Agendum iam est de metu, atque explicandum, quænam, quos, & quo pacto affecti homines metuant.

De timore, & audacia, ac de arte hos affectus excitandi. Caput V.

1 *Sit ergo timor, ex imaginatione futuri mali corruptiui, aut dolorem inferentis, perturbatio quædam, aut dolor. Non enim cuncta timemus mala: vt si erit iniustus, aut tardus: sed quæcunque vel magnos dolores, vel corruptiones adducunt. Et ea, quæ non longe absunt, sed prope videntur, vt iam impendeant. Remota nanque nimium, non timent. Omnes enim sciunt se morituros: verum quoniam non prope, idcirco non curant.*

VT de timore, & audacia differamus, primo præmittenda est definitio timoris;

moris: secundo explicandum est, quænam sint metuenda: tertio quo pacto homines affecti proni sint ad timendum: quarto eadem circa audaciam sunt explicanda, atque afferenda est definitio audaciæ; tum proponenda ea, quæ audaciam, & confidentiam causant, atque explicandum est, quo pacto homines affecti soleant audere, & confidere.

1 Quoad primum: Timor definiri potest *dolor, & perturbatio ex imaginatione futuri mali corruptiui, vel doloriferi.* Ex hac definitione patet primo non omnia mala timorem causare, sed ea solum, quæ possunt dolores magnos, vel interitum afferre: & quia iniustitia, ac tarditas licet sint mala, neque interitum afferunt, neque dolorem, ideo nemo timet ne fit iniustus, aut tardus. Patet secundo hæc ipsa tum solum timeri, cum apparent propinqua, non autem cum apparent remota, ideoque licet omnes sciamus nos morituros, adhuc non timemus mortem, quia non contemplamur mortem vt propinquam, sed vt remotam.

2 *Si ergo id timor est, necesse est ea terribilia, timendaque esse, quæcunque ingentes videntur habere vires corrumpendi, aut ita nocendi, vt nocumentum ad ingentem tendat dolorem. Quare signa quoque istorum timenda. Prope nanque ostendunt esse, quod timetur. Id vero periculum est. Est enim periculum, timenda rei appropinquatio. Talia vero sunt inimicitia, & ira potentium quippiam facere. Nam cùm non lateat velle, ac posse ipsos, prope iam ad faciendum sunt.*

4 *Item iniustitia vires habens. Eo enim, quòd velit iniustus, iniustus est.*

5 *Virtus quoque, si contumelijs afficitur, viresque habeat. Patet enim, quòd vult, cùm semper improperetur.*

6 *Potest enim nunc & timor potentium quicquam facere. Nam in præparatione quoque huiusmodi homines esse necesse est.*

7 *At quoniam plures lucro seruiunt, timendique in periculis sunt, idcirco in potestate alterius esse, timorem inferre, vt plurimum natum est. Quare conscij quempiam perperam fecisse, timentur, ne aut dicant, aut deferant.*

2 Quoad secundũ: ex tradita definitione timoris possumus inferre, quænam sint metuenda. Primo igitur quandoquidem timor oritur ex imaginatione futuri mali corruptiui, vel doloriferi, necesse est, vt ea sint metuenda, quæ habent magnam vim interimendi, vel afferendi damna, quæ possint magno dolore nos afficere. Hinc oritur, vt etiam signa talium rerum sint formidanda, eo pacto, quo ipsa signa tempestatum timorem nauigantibus incutiunt. Ratio est, quia ex signis apparet prope esse id, quod est metuendum; sed cum prope est res metuenda, versamur in periculo, siquidem periculum est rei metuendæ appropinquatio; periculum autem timorem incutit; ergo &c.

3 Secundo metuenda est ira, atque inimicitia potentium. Ratio est, quia qui potest, & vult malum nobis inferre, prope est, vt inferat, adeoque iam tale malum videtur propinquum; sed irati, atque inimici volunt inferre malum; ergo cum ij, qui possunt malum inferre, irascuntur, aut sunt nobis inimici, iam malum est propinquum.

4 Tertio metuenda est iniustitia habens potentiam inferendi iniurias. Ratio est, quia iniusti dicuntur ex eo, quod plerumque eligant iniurias inferre; ergo cum possunt, prope est, vt iniuriam inferant, adeoque malum est propinquum, ac metuendum.

5 Quarto metuenda est virtus contumeliam passa, & potens de illa sumere vltionem. Ratio est, quia virtus, ac fortitudo contumeliam passa vult vlcisci, si potest; sed supponitur posse; ergo prope est, vt vlciscatur, ac malum inferat.

6 Quinto metuendus est ipse metus eorum, qui possunt malum inferre. Ratio est, quia necesse est ipsos esse paratos, vt suam salutem custodiant; ergo periculum est, ne præueniant inferendo mala, quæ timent, ne sibi inferantur.

7 Sexto metuendum est, cum nostra salus ab alijs pendet. Ratio est, quia plerique hominum sunt deteriores, auidiores lucri, atque in periculis timidi; ergo cum nostra salus ab alijs pendet, periculum est, ne vel ex malitia, aut ex lucri cupiditate nos prodant, vel ex timore nos in periculis deserant. Idcirco flagitiorum conscij metuendi sunt ijs, qui aliquod facinus atrox perpetrarunt, ne vel facinus indicent, vel ipsos in periculis derelinquant.

8 *Præterea potentes semper iniuriari, illis terribiles, qui possunt iniurijs affici. Homines nanque vt plurimum cum possunt, iniuriantur.*

9 *Ad hæc qui passi iniuriam sunt, aut pati se putant. Semper enim opportunitatem expectant. Qui etiam iniuriam intulerunt, si vires habeant, terribiles, timentes ne contra referatur: quod terribile, ac timendum esse suppositum erat.*

10 *Et qui de eisdem certant, cùm vtrisque simul eadem esse non possunt. Hi enim semper pugnant. Et qui à maioribus timentur, ij etiam à minoribus, cùm possint minoribus magis, quàm maioribus obesse.*

11 *Et quos maiores timent: & qui maiores interemerunt: & qui minores, quàm ipsi sunt, aggrediuntur, eadem de causa. Nam aut iam terribiles, aut cùm creuerint.*

12 *Præterea ex affectis iniuria, & inimicis, ac aduersarijs, non qui acutæ iræ sunt, atque minaces, sed tranquilli, dissimulatores, versuti. Latent enim qui prope: quare nunquam timendum, quod procul.*

13 *Cuncta vero, quæ timorem inferre possunt terribiliora sunt, si cùm errauerint, non possint corrigi, verum aut omnino impossibilis sit correctio, aut non in seipsis, sed in aduersarijs. Item ea, in quibus auxilia non sunt, aut non facile sunt.*

14 *Ac (vt simpliciter dicam) terribilia, timendaque sunt, quæ cum in alios fiant aut immineant, miserabilia sunt. Terribilia igitur, & quæ timemus, hæc ferè maxima sunt.*

8 Septimo qui possunt iniuriam facere metuendi sunt ijs, qui possunt ab ijs iniuriam pati. Ratio est, quia homines plerumque iniuriam faciunt, cum possunt.

9 Octauo metuendi sunt ij, qui vel iniuriam sunt passi, vel existimant se iniuriam passos. Ratio est, quia semper obseruant occasiones referendi talionem. Hinc oritur, vt etiam qui fecerunt iniuriam, si potentiam habeant, sint formidandi: timent enim talionem; sed dictum est num.7. quod ij, qui timent, sunt metuendi; ergo &c.

10 Nono metuendi sunt competitores earum rerum, quæ non possunt à nobis simul, & ab illis obtineri. Ratio est, quia semper pro talium rerum consecutione decertant.

11 Decimo qui metuendi sunt hominibus præstantioribus, quam nos simus, etiam nobis sunt metuendi. Si enim possunt nocere præstantioribus, multo magis nocere poterunt nobis. Ex eadem ratione timere debemus eos, quos nobis præstantiores timent, & qui necem firmioribus, quam nos simus, intulerunt. Imo etiam ij, qui minores, quam nos simus, aggressi sunt, metui nobis esse possunt. Vel enim iam sunt metuendi, vel saltem tum erunt, cum sublatis inimicis, animos auxerint.

12 Vndecimo ex ijs, qui fuerunt à nobis iniurijs affecti, & vniuersim ex inimicis, atque aduersarijs, maximè timendi sunt non iracundi, atque in loquendo liberi, sed sedati, dissimulatores, ac vafri. Ratio est, quia cum consilia sua callide tegant, obscurum semper est, quid machinentur.

13 Duodecimo illa maximè sunt horribilia, in quibus si peccatum fuerit, emendari non possunt; vel enim nullum potest ipsis afferri remedium, vel tale remedium non in nostra, sed in aduersariorum est potestate, cuiusmodi sunt mors, & captiuitas. Remedium enim mortis nullum est; remedium captiuitatis est in hostium potestate. Illa etiam sunt valde formidanda, quorum auxilia, aut nulla expectari possunt, aut ardua sunt.

14 Decimo tertio, & vltimo: vt vno verbo dicamus, metuenda sunt, quæ cum alijs euenerunt, aut impendent, miserabilia sunt. Hæc igitur sunt metuenda, quæque homines, vt plurimum metuunt, vel saltem hæc sunt maxima timendorum.

15 *Quomodo vero affecti timemus, nunc dicamus. Si ergo timor est cum expectatione corruptiuæ passionis, manifestum est neminem timere, cum arbitratur nihil se passurum: nec ea, quæ non putat pati: nec eos, à quibus non putat: nec tunc, quando non putat. Quare necessarium est eos timere, qui se aliquid passuros arbitrantur, & ab ijs, & hæc tunc. Non putant autem quicquam posse pati, nec qui ampla in fortuna sunt: qui idcirco contumeliatores, contemptores, ac audaces sunt. Tales vero efficiunt diuitiæ, vires, potentia, amicorum multitudo. Nec qui iam perpessos omnia se grauia putant, quorum spes extincta: veluti qui iam in supplicio sunt: sed opus est salutis subesse spem, pro quo perhorrescant. Cuius signum, quod timor ad con-*

sti-

sultandum inducit. Nemo enim de re consulit, de qua nulla spes apparet.

16 *Quare opus est; quando melius sit auditores in timorem inducere, tales ipsos reddere, vt credant se pati posse, cùm & alij maiores passi: similes quoque aut pati, aut passos ostendemus, & ab his, à quibus non putabant, & hæc, & tunc, cùm non putabant.*

15 Quoad tertium: sequitur iam, vt explicemus, quo pacto affecti homines metuant. Si igitur iuxta allatam definitionem metus habet adiunctam expectationem mali, quod valeat interimere, vel magnum dolorem inferre, manifestum est neminem ex ijs metuere, qui arbitrantur se nihil passuros, vel saltem non metuere illa mala, quæ se non passuros existimant, nec ab ijs timere, à quibus nihil se passuros putant, ac demum tum non timere, cum nullum malum sibi impendere persuasum habent. Necesse est igitur, vt ex opposito ij metuant, qui arbitrantur se aliquid passuros; & illa mala, atque ab ijs, & tum metuant, cum talia mala ab his se passuros existimant. Porro duo sunt hominum genera, qui nihil se passuros arbitrantur, adeoque nihil timent. In primo genere sunt, qui valde prospera fortuna vtuntur, ideoque tales homines contumeliosi sunt, aliorum contemptores, & audaces; atque ad hæc vitia plurimum conferunt diuitiæ, robur, multitudo amicorum, & potentia. In secundo genere sunt, qui iam se omnia horribilia passos existimant, & ad futura mala obriguerunt, vt qui ad supplicium ducuntur. Oportet igitur, vt timenti spes aliqua supersit salutis, atque ex ijs malis, quibus angitur, euadendi. Probatur autem ex signo. Qui enim metuunt, consultare solent de modo euadendi ex malis, quæ timent; sed nemo consultat de ijs, quæ desperat; ergo timor est coniunctus cum aliqua spe euadendi.

16 Cum igitur expedit auditores timore concuti, orator vt timorem excitet, ostendat tales eos esse, vt multa mala, atque incommoda pati possint. Id autem persuadebit, ostendendo alios ipsis maiores, ac præstantiores magna mala fuisse perpessos, nec non multos æquales grauia damna sustinere, ac sustinuisse ab ijs, à quibus se talia mala passuros non arbitrabantur, & tum, cum nihil sibi putabant imminere periculi.

17 *Ac quoniam patet, quid timor sit, & quid timendum, & quomodo se habentes singuli timeant, ex his etiam manifestum est, quid confidere sit, & in quibus homines confidant, & quo pacto fidentes affecti sunt. Vt enim fiducia timori contrarium est, sic id, quo confidimus, ei, quod timemus.*

18 *Quare spes est simul cum imaginatione rerum salutarium, quæ prope adsint, cùm terribilia, vel non sint, vel longe absint.*

19 *Sunt autem in quibus confidendum est, & pericula, cùm longe absunt, & secunda, cùm prope adsunt. Correctiones quoque si sunt, & præsidia, vel multa, vel magna, vel vtrunque. Item si neque affecerint, neque affecti iniurijs sint, si aduersarij omnino non sint, aut non habeant potentiam, aut si habeant, amici sint, vel benemeriti de nobis, vel de quibus nos benemeriti. Item confert, si plures in eisdem sunt, aut meliores, aut vtrunque.*

17 Quoad quartum: quia vnum contrarium facile cognoscitur ex alio, nos autem satis iam explicauimus, quid sit timor, quæ sint timenda, adeoque timorem incutiant, & quo pacto homines dispositi procliues sint ad timendum: possumus ex dictis facile explicare, quid sit audere, & confidere, quod est timori contrarium: quænam audaciam, & confidentiam afferant; & quo pacto homines affecti proni sint ad confidendum, atque audendum.

18 Audacia igitur, seu confidentia timori contraria *est spes, ex imaginatione, quod ea, quæ possunt nobis salutem afferre, prope iam sint, ea autem, quæ timorem incutiunt, aut non sint, aut sint remota.*

19 Confidentiæ effectiua sunt primo, cum quæ possunt timorem afferre, sunt remota, quæ possunt confidentiam afferre sunt propinqua. Secundo cum mala, quæ imminent, possunt resarciri, ac corrigi. Tertio cum ad mala repellenda præsto sunt auxilia multa, vel magna, vel multa simul, & magna. Quarto cum neque vlli sunt, qui à nobis affecti fuerint iniurijs, neque qui nobis iniurias intulerint, ac præterea vel omnino caremus æmulis, ac competitoribus, aut si competitores habemus, potentiam nocendi non habent, ijque, qui talem habent potentiam, amici sunt, aut beneficia acceperunt, vel contulerunt. Quinto cum ij, quibus eadem vtilia sunt, ac nobis, plures sunt, vel

præstantiores, vel plures simul, & præstantiores.

20 *Ipsi vero fidentes sunt, si ita se habeant, vt multa gessisse se putent, & non periclitasse, si sæpius in pericula deuenerint, & euaserint. Dupliciter enim impassibiles homines solent fieri, aut quòd experti non sunt, aut quod auxilium habent: veluti in periculis marinis, & qui inexperti tempestatem sunt, confidunt de futuris, & qui opitulari sibi possunt, quoniam experti.*

21 *Præterea si non terribile paribus sit, aut minoribus, & quibus meliores se putant. Putant autem ijs se meliores, quos ipsos, vel eorum pares, aut etiam meliores superarant.*

22 *Si plura, & maiora sibi inesse arbitrantur, quibus cum excedant, timendi sunt. Ea sunt pecuniæ magnitudo, corporum vires, opes regionis, & amicorum, apparatus quoque bellici, aut omnes, aut maximi.*

23 *Si neminem iniurijs affecerunt, aut non multos, aut non tales, quales metuerent. Et vniuersaliter si pij in Deos sunt, & tam ad cætera, quæ Dijs attribuuntur, bene se habent, quàm ad omina, & oracula. Nam ira eiusmodi est, vt ea confidere possint. Non afficere autem iniurijs, sed affici, iræ effectiuum est. Porrò Deus iniuria vexatis opitulari creditur.*

24 *Ad hæc cùm præuenientes, vel nihil se passuros, vel perfecturos arbitrantur. Vnde de terribilibus, & de ijs, quibus confidunt, dictum est.*

20 Fidentes, atque audaces in periculis sunt, qui existimant se plura rectè effecisse, atque ea ad optatum exitum perduxisse, nec quidquam in ijs detrimenti sustinuisse: & qui sæpe in magna pericula coniecti, ex ijs euaserunt. Ratio est, quia ex duplici causa homines afficiuntur ita, vt in periculis non perturbentur: primo quia mala non sunt experti; secundo quia licet fuerint experti, parata habent remedia, per quæ ab ijs euadant; sed qui nihil vnquam mali sunt passi, sunt malorum inexperti; qui sæpe in pericula coniecti ex ijs euaserunt, existimant se propter experientiam posse ex periculis euadere; ergo non est mirum, si vtrique audaces sint, ac præfidentes. Ita in periculis maris sperant se euasuros tum ij, qui nunquam tempestates, ac procellas sunt experti, tum ij qui sæpius experti, propter longum vsum habent in se parata præsidia euadendi ex periculis.

21 Tertio homines animo confirmantur, cum aduertunt rem, quæ videtur metuenda, timorem similibus, ac paribus non afferre, imo neque minoribus, quibusque se præstantiores putant. Existimant autem homines se præstantiores ijs, quos superarunt, aut si illos non vicerunt, vicerunt tamen alios ipsis vel præstantiores, vel pares, ac similes.

22 Quarto euadunt homines audaces, ac præfidentes, cum putant plura, vel potiora se possidere ex ijs bonis, in quibus qui alijs præstant, formidolosi sunt cæteris: cuiusmodi bona sunt magnitudo pecuniarum, corporis robur, amicorum multitudo, regionis amplitudo, & apparatus eorum vel omnium, vel maximorum, quæ ad bellum gerendum pertinent.

23 Quinto audaces, ac præfidentes sunt, qui vel nullis, vel non multis, vel saltem non ijs, à quibus metuunt, iniuriam fecerunt, & vniuersim qui bene se habent circa ea, quæ ad superos spectant, nec non circa ea, quæ ad signa, & oracula referuntur. Ratio est, quia ira confidentiam affert, atque audaciam; sed ij irascuntur, non qui iniuriam fecerunt, sed qui sunt passi; ergo non est mirum, si ij, qui iniuriam sunt passi, audaces sint, ac præfidentes; præsertim cum numen, ac superi ijs auxiliari censeantur, qui iniuria afficiuntur.

24 Sexto demum confidentes sunt qui arbitrantur se nihil mali passuros, imo etiam rectè acturos, si præuenire hostes potuerint, ac prius aggredi, quam ab ipsis aggrediantur. Atque hæc de timore, & audacia, ac de ijs, quæ timorem afferunt, vel audaciam, dicta sufficiant.

De verecundia, & inuerecundia, ac de arte verecundiam excitandi. Cap. VI.

1 *QVæ autem verecundentur, & quæ non, & quos, & quomodo se habentes, hinc planum erit.*

2 *Sit igitur verecundia, dolor quidam, atque perturbatio ex malis, aut præsentibus, aut*

aut præteritis, aut futuris, quæ infamiam inferunt. Inuerecundia vero, contemptus quidam eorum, atque impassibilitas.

1 AGendum iam est de verecundia, seu pudore, ac de inuerecundia, siue impudentia, ac primo quidem præmittendæ sunt definitiones: secundo explicandum est, quæ verecundemur: tertio apud quos verecundemur, vel non verecundemur: quarto demum quo pacto affecti verecundemur.

2 Quoad primum: verecundia, seu pudor est *dolor quidam, atque perturbatio ex malis præsentibus, præteritis, aut futuris, quæ videntur infamiam, atque ignominiam afferre*. Inuerecundia, atque impudentia è conuerso est, *contemptus, atque impassibilitas quædam in malis præsentibus, præteritis, aut futuris, quæ infamiam, atque ignominiam videntur afferre.*

3 *Si ergo id verecundia est, necesse est in ijs malis erubescere, quæ vel ipsis, vel ijs, qui sibi curæ sunt, dedecori esse videntur.*

4 *Qualia sunt, quæ à vitio proficiscuntur, vt scutum amittere, aut fugere: quoniam ex metu: negare depositum, quoniam ex iniustitia: commisceri quibus non oportet, vel vbi non oportet, vel quando non oportet, quoniam ex libidine: præterea lucra ex paruis assequi, aut à turpibus, aut ab impotentibus, veluti à pauperibus, vel defunctis; vnde prouerbium quoque illud est: vel mortuo auferre, quoniam ab auaritia, & illiberalitate. Ad hæc non opitulari pecunia cùm possis, aut minus, quàm possis, & iuuari ab ijs, quibus minor facultas est: & mutuo accipere, cùm petere videaris, & petere cum exigere, & exigere, cum petere, & laudare, vt petas: nec minus his petere, & non consequi. Hæc enim omnia illiberalitatis indicia sunt: præsentem autem laudare, adulationis. Item si bona nimis laudes, & praua delenias. Ad hæc si vehementius dolenti condoles, cæteraque huiusmodi. Cuncta enim adulationis sunt signa. Ad hæc si labores non feras, quos, aut seniores, aut qui in delicijs viuunt, aut qui maiore sunt in potestate, ac vniuersaliter imbecilliores. Omnia enim mollitiei hæc signa. Præterea ab alio beneficia suscipere, & sæpius, quæ tu benefeceris, exprobrare. Hæc enim omnia pusillanimitatis, deiectionisque signa sunt. De se quoque multa dicere, ac polliceri, & aliena sua esse prædicare: arrogantis enim. Eodemque modo in cæteris morum vitijs, opera, signa, comparia. Turpia enim sunt, & effectiua verecundiæ.*

3 Quoad secundum: quia ex dictis verecundia est dolor, ac perturbatio ex malis, quæ ignominiam, atque infamiam afferunt; illa autem mala, quæ turpia sunt, ignominiam, atque infamiam afferunt; sequitur, vt homines verecundentur mala, quæ videntur turpia, vel ipsismet, vel ijs, quorum curam gerunt. Porro mala turpia reduci possunt ad tres classes, ad actiones, priuationes, & perpessiones turpes.

4 Ad actiones igitur turpes, quarum proinde homines pudet, reducuntur omnes actiones, quæ procedunt ab aliquo vitio. Primo igitur turpe est in bello clypeum, & arma abijcere, ac fugere, quia id procedit à timiditate. Secundo turpe est depositum negare, quia est actio iniustitiæ. Tertio turpe est commisceri cum quibus non oportet, quando non oportet, vbi non oportet, quia sunt actiones intemperantiæ. Quarto turpe est lucrum quærere ex paruis, aut turpibus, aut ab impotentibus, puta à pauperibus, & mortuis, ideoque prouerbio de auarissimis dicitur, quod etiam ex mortuis lucrum ferunt: omnia enim hæc à turpi quæstu, & auaritia procedunt. Ex eadem ratione turpe est indigentibus non opem ferre pecunijs, cum possis; aut minus opem ferre, quam possis; nec non auxilium in pecunijs accipere à minus diuitibus; mutuam pecuniam accipere, cum amicus videtur à te mutuum petiturus, vt cum petierit, possis te excusare, dicendo te fuisse coactum ad mutuam pecuniam accipiendam; petere ab amico nouum mutuum, cum videtur ille antiquum mutuum repetiturus; repetere mutuum ab amico, cum videtur ille propter rei familiaris angustias nouum mutuum petere; ita aliquid laudare, vt videaris illud petere, & cum repulsam fueris passus, adhuc tacitæ, vel apertæ petitioni insistere: omnia enim hæc sunt signa quædam, & indicia auaritiæ, atque illiberalitatis. Quinto turpe est præsentes laudare: ad adulationem enim spectat. Adulationis etiam signa sunt alterius bona supra modum extollere, mala autem extenuare; cum quisquam dolet plusquam oportet condolere; & alia

& alia huiusmodi. Sexto turpe, ac pudendum est labores non tolerare, quos etiam seniores ferunt, ac delicati, atque in maiori potestate, ac dignitate constituti, nec non imbecilliores: nam omnia hæc quamdam animi mollitudinem indicant. Septimo turpe est ab alijs sæpe, & promptè beneficia accipere, & beneficia in alterum conlata exprobrare: pusillanimitatis enim, nimiæque abiectionis argumenta hæc sunt. Octauo pudendum etiam est suas res libenter prædicare, ac de se magna polliceri, nec non aliena facta sibi attribuere: ad arrogantiam enim, inanemque iactationem hæc spectant. Proportionaliter turpia sunt omnium aliorum vitiorum opera, & signa, nec non quæ quamdam habent cum vitijs affinitatem.

5 *Ad hæc eorum esse bonorum expertem, de quibus omnes, aut pares omnes, aut plurimi participant. Pares vero dico eiusdem genus, ciuitatis, ætatis, propinquitatis, & vniuersaliter in æqualitate constitutos. Turpe nanque si non participes, veluti de disciplina, & in tantum, similiterque alijs. Quæ omnia maiorem inferunt ignominiam, si eorum in causa sis, siue præteritorum, siue præsentium, siue futurorum.*

6 *Patientes autem, aut passi, aut passuri, quæcunque in ignominiam, atque opprobria ducunt, verecundantur: quæ sunt, quæ ad ministeria pertinent, vel corporis, vel operum turpium, quæ vituperationem pariunt: & quæ quidem ad libidinem pertinent, & volentes, & inuiti: quæ vero ad vim, inuiti. Ignauiæ enim, timiditatisque, sufferre, ac perpeti, & non se defendere. Quæ igitur verecundantur, hæc, atque alia talia sunt.*

5 Ad priuationes turpes, adeoque pudendas spectat, si quis earum rerum honestarum non sit particeps, quarum participes sunt vel omnes omnino, vel omnes similes, aut saltem ex similibus plerique. Similes porro dico eos, qui eiusdem sunt nationis, atque ciuitatis, aut ætatis, aut vniuersim in aliquo æquales. Ratio est, quia turpe est ijs honestis carere, quibus æquales non carent, ex. gr. carere eruditione, cuius omnes pene æquales sunt participes. Iam hæc omnia maiori dedecori videntur esse, cum quis ipsemet sibi harum turpitudinum causa videtur extitisse. Tum enim ex vitio, ac culpa hominis magis profluxisse videntur, cum ipse sibi præsentium, præteritorum, ac futurorum malorum causa fuit.

6 Demum aliquæ etiam perpessiones turpes sunt. Pudet igitur homines, cum ea perpetiuntur, aut perpessi sunt, aut perpetientur, quæ infamiam, ac probrum afferunt patienti. Talia verò sunt, cum quis corpore, vel fædis muneribus alteri inseruit, ex quibus patienti dedecus inuritur. Porro quæ ad intemperantiam spectant, tum voluntariè, tum inuoluntariè homines aliquando patiuntur, & vtroque modo patiantur, turpe illis est ea pati. E conuerso quæ spectant ad vim, solum, inuoluntariè perferunt, vt cum quis inuoluntariè cæditur: & hæc ita perferre turpe est. Quod enim volentiam perpessus, illam toleret, ab ignauia, ac timiditate proficiscitur. Hæc igitur sunt, quorum homines pudet.

7 *Verum quoniam verecundia imaginatio est de ignominia, & de hac sui gratia, sed non propter euentus, nemoque de opinione curat, nisi propter opinantes, eos verecundari necesse est, quos multi faciunt. Multi autem faciunt admirantes, & quos admirantur, & quos de se admirari vellent, & à quibus honorari cupiunt, & quorum opinionem non contemnunt, mirari de se hos volunt. Mirantur autem eos, qui aut bonorum honorabilium quicquam habent, aut earum rerum domini sunt, quas ipsi vehementer cupiunt, vt amantes ad pares quidem gloriantur: prudentes vero tanquam veraces magnifaciunt, quales sunt senes, aut docti.*

8 *Verecundantur præterea, tam quæ oculis cernunt, quàm quæ patent. Vnde prouerbium quoque fertur: Verecundia est in oculis. Idcirco semper affuturos magis verecundantur, & obseruantes ipsos: quoniam vtrique præ oculis.*

9 *Et eos, qui eidem turpitudini non sunt obnoxij. Persuadent enim sibi errantes contraria illis videri. Et eos, qui non facile ignoscunt. Non enim indignamur, cùm alij ea faciunt, quæ nos ipsi. Quare si non faciunt, patet quòd indignamur.*

7 Quoad tertium: explicandum iam est, quosnam homines verecundemur. Quoniam

niam igitur verecundia est *imaginatio quædam, ac viuida præsentis, vel imminentis ignominiæ apprehensio, ac reformidatio, propter ipsam ignominiam, ac non solum propter ea, quæ ex ignominia accidunt*; nemo autem bonam, aut malam existimationem curat, nisi quia in pretio habet eos, qui bonam, aut malam de ipso existimationem habent; necesse est primo, vt eos homines verecundemur, quorum rationem habemus, ita vt aliquo apud nos in pretio sint. Illorum porro rationem habemus, qui nos admirantur, & quos nos admiramur; & quibus optamus admirationi esse; ac cum quibus de dignitate, atque honore contendimus; ac quorum existimationem, ac iudicium non contemnimus. Illis autem optamus admirationi esse, eosque vicissim admiramur, qui possident aliquod ex bonis honorabilibus, vel à quibus vehementer optamus impetrare aliquid, quorum ipsi sunt domini, ideoque amantes admirantur eos, quos amant. De honore contendimus cum similibus, & æqualibus. Rationem habemus prudentium, vtpote qui in suis opinionibus falli non solent: prudentes verò censemus senes, & eruditos. Hos igitur omnes verecundamur.

8 Secundo quia eorum præcipuè nos pudet, quæ in oculis versantur, ideoque prouerbio dicitur, *pudorem in oculis habitare*: idcirco eos præsertim verecundamur, qui semper nobiscum sunt futuri, quique nos obseruant: vtrique enim semper oculis obseruari videntur.

9 Tertio verecundamur eos, qui ijsdem criminibus non sunt obnoxij: perspicuum enim est eos cum contraria nobis sentiant, ac sequantur, nostra crimina non probare. Confirmatur, quia verecundamur eos, qui non ignoscunt ijs, in quibus peccare videmur; sed nemo solet in alijs stomachari, quæ ipsemet facere consueuit, sed ea, quorum ipse reus non est; ergo qui ijsdem, ac nos criminibus non sunt obnoxij, talia crimina stomachantur, nec facile ignoscunt, adeoque nos tales homines verecundamur.

10 *Et eos, qui ad multos libenter efferre solent, quæ perceperunt. Nihil enim interest inter non videri, & non efferri. Huiusmodi autem sunt, & iniurijs oppressi, quoniam obseruant: & maledici. Nam si etiam innocentibus, multò magis nocentibus. Et eos, qui vitam in peccatis aliorum agere videntur, quales sunt, qui omnia irridere solent, vt Satyrici, & Comœdi. Maledici enim, ac libenter efferentes.*

11 *Ad hæc, quos nihil vnquam frustra rogarunt. Quasi enim admiratione sui affectos illos putant. Idcirco eos quoque, qui nunc primum aliquid rogarunt, verecundantur, quoniam nondum quicquam ab ipsis petierunt: quales sunt, & qui modo volunt amorem alicuius sibi conciliare. Quæ enim optima sunt, perspexerunt. Ideo probe Syracusanis respondit Euripides. Et veteres familiares si nullius rei conscij sunt.*

12 *Pudet igitur homines non dictarum solummodo rerum, sed etiam signorum: vt non solum rem veneream agentes, verum etiam venerea signa: nec solum turpiter facientes, sed dicentes quoque. Similiter non solum prædictos verecundantur, sed eis etiam significaturos, vt seruos, atque amicos eorum.*

13 *Omnino autem non pudet, nec eorum, de quibus communis opinio est, quod vere non dicant. Vnde neminem bestiarum, puerorumque pudet, nec notorum hominum, nec ignotorum, quamuis non in eisdem. Sed notorum in ijs, quæ ad veritatem pertinere videntur, ignotorum vero in ijs, quæ ad legem.*

10 Quinto verecundamur eos, qui si in nobis aliquid flagitij deprehenderint, illud euulgant, ac multis produnt. Ratio est, quia perinde est nostra flagitia non euulgari, ac non deprehendi: dum enim non diuulgantur, infamiæ nobis non sunt; ergo cum verecundia sit metus infamiæ, eos maximè verecundamur, qui si nostra flagitia deprehenderint, illa euulgando, nobis infamiam creant. Porro procliues sunt ad aliorum flagitia euulganda, tum qui ab ijs iniuria fuerunt affecti, tum maledici. Ratio est, quia qui iniuria affecti ab aliquo fuerunt, solent illum obseruare, vt vlciscantur; ergo si quid in ipso flagitij deprehenderint, euulgant, vt sic illi infamiam creent. Maledici verò cum etiam non peccantibus falsa delicta affingant, multo magis vera peccantium delicta euulgant. Ex eadem ratione verecundamur eos, quorum vita in aliorum delictis commemorandis, ac deridendis versatur, quales sunt subsannatores, ac comici. Maledici enim sunt, ac quidquid criminis depre-

prehenderint, in publicum produnt.

11 Quinto verecundamur eos, apud quos nunquam repulsam passi sumus, sed quæcunque voluimus, impetrauimus. Ratio est, quia cum idcirco ab ijs omnia impetrauerimus, quia in optima apud ipsos existimatione sumus, ac quodammodo suspicimur, nolumus hanc apud ipsos existimationem amittere. Ex eadem ratione verecundantur homines eos, qui primo ab ipsis aliquid petunt, ac pudet negare: nollent enim minus liberales videri, cum nihil adhuc commiserint, ex quo bonam apud ipsos existimationem perdiderint. Tales etiam sunt, vt apud ipsos quadam verecundia afficiamur ij, qui recenter nobiscum amicitiam inire affectant. Cum enim in nobis optima conspexerint, propter quæ nostram desiderant amicitiam, hanc præclaram existimationem veremur amittere, adeoque bene quoad hoc Eurypides Syracusijs eius amicitiam desiderantibus respondit. Ex ijs autem, qui olim sunt nobis noti, eos potissimum verecundamur, qui nullius nostri criminis sunt conscij.

12 Addit Aristoteles, quod non solum homines verecundantur turpia, de quibus iam disseruimus, sed etiam turpium signa: ex. gr. non solum ipsos pudet, cum rebus venereis vacant, sed etiam cum aliqua talis turpitudinis signa produnt; nec solum cum turpia faciunt, sed etiam cum dicunt. Proportionaliter non solum eos, quos diximus, homines verecundamur, sed etiam eorum seruos, vel amicos, aliosque, qui si quid flagitij deprehenderint, videntur indicaturi.

13 Ex his patere potest, quos homines non verecundemur. Apud eos nullo pudore afficimur, quorum existimationem valdè contemnimus, eo quod plerumque ipsos in suis opinionibus falli censemus, ideoque non verecundamur pueros, & bestias. Aduertendum tamen est, quod non rerum earumdem nos pudet apud notos, & apud ignotos: nam apud notos maximè pudet eorum, quæ secundum veritatem turpia sunt; at apud ignotos pudet eorum, quæ turpia sunt secundum opinionem, & legem.

14 *Ipsi autem sic affecti erubescunt. Primum siquidem tales ad eos sunt, quales esse diximus, quos verecundantur. Erant autem ij, aut quos admirantur, aut qui de seipsis admirantur, aut quos vellent de se admirari, aut quorum in re aliqua egent, quam non assequentur, si erunt infames, aut illi, vel oculis videntes: sicuti Cydias de Samiorum diuisione agrorum ad populum dixit. Rogabat enim Athenienses, vt circunstare Græcos omnes fingerent, nec quasi audituros solum, verumetiam iam videntes decretum suum. Vel si prope illi sunt, vel si sensuri sunt. Idcirco cùm in aduersa fortuna sunt, nunquam vellent ab æmulis videri. Admirari enim de æmulis solent.*

15 *Præterea cùm res gestas habent, quas contaminare videntur, aut suas, aut maiorum, ac aliorum, quibus cum nonnulla sit ipsis necessitudo, & omnino pro quibus ipsos puderet, quales sunt, quos iam significauimus, & qui ab eis instituti sunt quorum doctores, aut consiliarij fuerunt, & si*

16 *qui alij huiusmodi sunt,* quos sibi honorificos putant. Multa enim cum propter illos pudeat, & faciunt, & non faciunt.*

17 *Item cum visum iri necesse sit, in apertoque versari, verecundi magis propter conscientiam sunt. Hinc poeta quoque Antipho ad supplicium à Dionysio missus, cum eos vidisset qui secum morituri erant, capita velasse per portas exeuntes, quid ita faciem inquit, occultatis? an ne eras quispiam horum vos videat? Ac de pudore quidem hæc. De impudentia vero patet ex contrarijs esse inueniendum.*

14 Quoad quartum: superest, vt explicemus, quo pacto homines affecti verecundentur. Primo igitur homines pudore afficiuntur, cum præsentes sunt aliquibus ex ijs, quos vt diximus, verecundantur: ex. gr. cum præsentes sunt ijs, quos admirantur, vel quibus ipsi admirationi sunt, vel quibus admirationi cupiunt esse, vel à quibus cupiunt aliquid impetrare, quod non impetrabunt, nisi in bona apud ipsos existimatione sint. Porro homines licet tum maxime pudore afficiantur, cum à talibus videntur, adhuc etiam tum verecundantur, cum ij, licet non videant, prope sunt, ac quæ fecerint, censentur rescituri. Idcirco Cydias orator cum apud Athenienses de Colonia Samum deducenda verba faceret, vt in ijs pudorem excitaret, petijt, vt imaginarentur circumstare Græcos vniuersos, atque ea, quæ decreuissent non solum audituros, sed etiam visu-

suros. Hinc oritur, vt qui aduersa fortuna vtuntur, ab æmulis videri nolint: æmuli enim admirantur; sed pudet vnumquemque eum ab admirantibus videtur; ergo &c.

15 Secundo pudore homines afficiuntur, cum aliquid ipsis adest, quod eorum actiones, ac res dedecorat, vel labem aspergit progenitoribus, aut alijs, cum quibus propinquitate sunt coniuncti, aut vniuersim alicui ex ijs, pro quibus verecundantur, eo quod infamiam eorum ad se quoque pertinere putant. Porro non solum progenitorum, ac propinquorum infamiam ad nos pertinere existimamus, sed etiam magistri, ac consiliarij putant ad se spectare infamiam discipulorum, & eorum, quos suis consilijs instruxerint.

16 Tertio pudore afficiuntur etiam qui pares aliquos, ac similes habent, quibuscum de honore, ac dignitate decertant: æmulorum enim causa ex pudore multa faciunt, quæ alioquin non facerent, ac plura, quæ facerent, omittunt.

17 Quarto demum maiori adhuc pudore afficiuntur, qui post acceptam ignominiam existimant se semper futuros in oculis eorum, quos ignominiæ conscios, ac testes habuerunt; ideoque Antiphon Poeta, cum ad supplicium duceretur iussu Dionysij, ac videret vna morituros caput obnubere, cum ex ianuis carceris prodirent, dixit: quid vos obnubitis? An aliquis horum cras nos amplius videbit? Hęc igitur de verecundia, & pudore dicta sufficiant. De inuerecundia enim, atque impudentia ex contrarijs patet, quid sit dicendum.

De gratia, seu beneficio, ac de arte gratiam, seu beneficium amplificandi, ac diminuendi. Caput VII.

1 G*Ratiam autem, quibus habent, & de quibus, & qualiter se habentes, si gratiam quid sit definierimus, manifestum erit. Sit igitur gratia, per quam dicuntur roganti gratis aliquid facere, non pro re aliqua, nec vt sibi quicquam, qui faciunt subueniant, sed vt cui faciunt.*

2 *Magna vero erit, aut quia rogantes egeant nimium, aut quia magna, & difficilia rogant, aut quia in temporibus huiusmodi, aut quia solus, aut quia primus, aut quia maxime. Rogationes autem appetitiones sunt, harumque maxime, quæ sunt cum dolore aliter facti, quales sunt cupiditates, vt amores, & in afflictionibus corporis, & in periculis. Periclitans enim cupit, similiter & dolens. Quas ob res, qui in paupertate, ac in exilio affuerunt, etiamsi parua fecerint, tamen propter petitionis magnitudinem, atque tempora grati sunt: vt ille, qui in Lycio fiscellam dedit. Oportet igitur in ijs maxime subuenisse: quod si non, at in æqualibus, vel maioribus.*

3 *Quare si manifestum est, quando, & in quibus gratia fit, & qualiter habentibus, patet hinc esse demonstrandum alios, vel esse, vel fuisse in huiusmodi inopia, & dolore, alios in ea inopia succurrisse, tale quid facientes. Patet etiam hinc, quibus locis tollere gratiam possumus, ac non gratificatos ostendere. Nam, aut quoniam sui causa faciunt, aut fecerunt, quod gratia non erat: aut quoniam forte incidit, vt facerent, aut quoniam coacti fecerunt, aut quoniam reddiderunt, non dederunt, siue sciuerunt, siue non: vtroque enim modo quid pro quo. Quare, nec sic vlla erit gratia. Considerandum autem per prædicamenta omnia. Gratia enim est, vel quia hoc, vel quia tantum, vel tale, vel quando, vel vbi. Signum vero, si minus non fecit, & si inimicis, vel hæc, vel æqualia, vel maiora. Patet enim nec ista nostri causa facta esse. Aut si praua cognouerit. Nemo enim rogare de prauis fatetur. Ac de gratia quidem quo pacto facta, vel non facta est, dictum sit.*

1 DE affectu gratitudinis iam est agendum, ac præmissa definitione beneficij, seu gratiæ, explicandum est, quibus homines gratias habeant, seu se gratos exhibeant, & quo pacto dispositi. Gratia igitur, seu beneficium est, *per quam qui possidet, dicitur gratis dare indigenti, non quia aliquid ab ipso receperit, neque vt aliquod danti commodum accedat, sed vt bene sit ipsi indigenti.*

2 Gratia, ac beneficium alteri collatum ex pluribus capitibus potest crescere, atque euadere maius in ratione beneficij. Primo enim crescit ex eo, quod collatum fuerit valde indigenti: secundo ex eo, quod præ-

præstita fuerint magna, & difficilia: tertio ex eo, quod præstita fuerint valdè opportunè: quarto ex eo, quod quis solus, aut primus, aut omnium maximè benefecerit. Sed explicandum est, quæ sint magnæ indigentiæ, & quando nam homines valde indigeant. Indigentiæ igitur sunt appetitiones, ideoque cum valde quis aliquid appetit, magnopere indiget. Ex appetitionibus verò illæ maiorem includunt indigentiam, quæ trahunt dolorem, nisi quod cupimus consequamur; ac tales sunt concupiscentiæ, ex. gr. amor, ideoque amans vehementer, dolet, nisi id, quod amat, consequatur. Qui etiam cruciatus corporis patitur, vel in periculis versatur, valde concupiscit à cruciatibus liberari, atque è periculis euadere, ideoque qui in paruis etiam rebus opitulantur hominibus in paupertate versantibus, vel à patria eiectis, propter indigentiæ magnitudinem, atque opportunitatem temporis, magnum beneficium contulisse existimantur, vt ille, qui in lyceo stoream præbuit. Qui igitur valdè vult esse alteri beneficus, in explicatis circumstantijs beneficia conferat necesse est. Quod si non in his, in æqualibus, vel etiam maioribus, ita vt æquale, vel maius beneficio pondus addant.

3 Iam quia ex dictis patet, quando, à quibus, & quomodo affectis gratia, seu beneficium confertur, manifestum est, quod his est vtendum ad beneficia augenda, vel minuenda, adeoque ad excitandum, vel extinguendum in Auditoribus affectum gratitudinis. Vt igitur in Auditoribus affectum gratitudinis excitemus, amplificanda sunt beneficia ipsis collata, ostendendo alios quosdam aliquod beneficium gratis, ac tali tempore auditoribus contulisse, cum in indigentia, ac mærore versarentur. E conuerso, vt in Auditoribus affectum gratitudinis extinguamus, minuenda sunt beneficia ipsis collata, atque ostendendum illa gratis, & animo benefico data non fuisse, sed vel conlata propter commodum conferentis; quod autem datur propter commodum conferentis, non datur gratis, adeoque non est gratia; vel casu, aut necessitate tributa; vel gratiam non fuisse datam, sed redditam à scientibus, vel nescientibus: vtroque verò modo euertitur ratio gratiæ. Cum enim *quid* pro *quo* retribuitur, non datur gratis. Siue autem beneficia augeamus, siue minuamus, per singula prædicamenta est discurrendum. Beneficium enim, & gratia consistit vel in tribuendo hoc, vel in tribuendo tantum, aut tale, vel in tribuendo hoc loco, aut tempore &c. Porro aliqua sunt signa ad ostendendum beneficium animo benefico, ac causa accipientis non fuisse collatum. Primum signum est, quod etiam maiora non nostri, sed sui causa contulerit. Secundo cum quis eadem, aut paria, vel maiora contulit inimicis, signum est, quod non contulit ex amore, sed proprium commodum intendens. Tertium est, si res contulit inutiles, ac nullius pretij. Beneficium enim est, cum aliquid confertur indigenti; sed nemo profitetur se indigere rebus inutilibus, ac nullius pretij; ergo &c. Atque hæc de gratia, ac beneficio dicta sufficiant.

De misericordia, ac de arte miserationem excitandi. Caput VIII.

1 *QVæ vero miserabilia sint, & quorum miserentur, & qualiter ipsi se habentes, modo dicamus.*

2 *Sit ergo commiseratio dolor quidam ex apparente malo corruptiuo, ac dolorem inferente, in non dignum pati, quod ipse putabit se pati, vel suorum aliquem: idque fit, vt propinquum videatur.*

1 SEquitur, vt de misericordia differentes, primo eius definitionem proponamus: secundo explicemus, quo pacto homines affecti misereantur: tertio quas ob res misereantur: quarto quas personas misereantur: quinto demum proponenda sunt aliqua, quæ ad miserationem augendam conferunt.

2 Quoad primum: misericordia est *dolor ex apparenti malo corruptiuo, vel dolorifico eius, qui non est dignus pati, quod malum nos quoque, aut aliquem nostrorum existimamus posse pati, idque cum videatur propinquum*. Hæc definitio explicat qualis sit actus misericordiæ; quale sit obiectum mouens ad misericordiam; qualis sit persona, cuius miseremur; & qualiter debeat disponi is, qui miseretur. Actus misericordiæ est quidam dolor; obiectum ad misericordiam mouens est malum corruptiuum, vel doloriferum; conditio personæ,

ſonæ, cui miſeremur eſt, vt ſit indigna malis, quæ patitur; conditio perſonæ miſerentis eſt, vt exiſtimet ſe quoque, vel aliquem ſuorum poſſe pati ea mala, quæ alter patitur, & vt exiſtimet talia mala non eſſe omnino remota, ſed aliquatenus propinqua.

3 *Palam enim ſi miſeraturus ſit, eum huiuſmodi eſſe oportet, vt putare poſſit, aut ſe, aut ſuorum aliquem mali quicquam habiturum, malumque huiuſmodi, quale definiendo, diximus, aut idem, aut ſimile.*

4 *Quapropter nec omnino perditi miſerentur. Nihil enim ſe amplius paſſuros arbitrantur, vltima iam paſſi. Nec qui ſe felices eſſe credunt, ſed contumeliantur. Nam ſi omnia ſibi bona adeſſe opinentur nihil ſe mali pati poſſe profecto exiſtimant: cum id quoque ex bonis ſit.*

5 *Sic autem ſe habent, vt ſe poſſe pati putent, qui iam pertulerunt, ac euaſerunt. Senes etiam, tum quia prudentes ſunt, tum quia experti, & imbecilliores, ac timidiores. Docti quoque: nam recte ratiocinantur. Præterea qui parentes habent, aut liberos, aut vxores. Sua enim hæc, & poſſibilia pati propter illa, quæ dicta ſunt.*

6 *Item qui non ſunt in fortitudinis affectu, vtputa in ira, vel fiducia. Non enim faciunt hi de futuro rationem. Similiter, qui in contumeliandi affectu non ſunt. Nam & hi nihil ſe paſſuros arbitrantur: ſemper ergo inter hos medij. Sed nec rurſus, qui valde timent. Non enim miſerentur, qui perterriti ſunt, cum perturbatione propria moueantur.*

7 *Præterea qui putant probos quoſdam eſſe. Nam qui neminem probum eſſe ducit, omnes malo dignos exiſtimabit. Ac vniuerſaliter cum ſic ſe habet, vt poſſit talia, vel recordari, aut ſibi, aut ſuis accidiſſe, vel timere futura ſibi, aut ſuis. Qualiter igitur ſe habentes miſerentur, dictum eſt.*

3 Quoad ſecundum: ex tradita definitione poteſt inferri, quo pacto ſe habeant, qui miſerentur. Primo vniuerſim neceſſe eſt eos, qui miſerentur, ita eſſe diſpoſitos, vt putent ſe, aut aliquem ſuorum poſſe pati aliquid mali, ac poſſe pati tale malum, quale explicatum eſt in definitione, hoc eſt corruptiuum, aut doloriferum, vel ſimile, aut propinquum his.

4 Secundo hinc oritur, vt neque aliorum miſereantur, qui ſe putant omnino perditos, ac miſeros, neque qui ſe ſupra modum beatos cenſent. Ratio eſt, quia qui ſe omnino miſeros putant, nihil ſe mali paſſuros timent, ſiquidem iam omnia paſſi ſunt: qui verò ſe cenſent ſupra modum felices, putant ſibi iam adeſſe omnia bona; ſed ſecuritas ab omni malo eſt aliquod bonum; ergo exiſtimant ſe nihil paſſuros mali, ac proinde proniores ſunt ad contumelias inferendas, quam ad miſerandum.

5 Tertio quia exiſtimant ſe poſſe pati aliquid mali, tum qui iam ſunt paſſi, & euaſerunt, tum ſenes propter prudentiam, & experientiam, tum debiles, ac timidi, tum diſciplinis expoliti, quia accuratè conſiderant mutabilitatem rerum humanarum, tum quibus parentes ſunt, aut filij, aut vxores, quia eorum mala propria cenſent; idcirco omnes hi ſunt ad miſerendum proni.

6 Quarto procliues ad miſerandum ſunt, qui neque in ijs conſtituti ſunt affectibus, qui ad fortitudinem conducunt, puta in affectu iræ, vel audaciæ; neque in affectibus incitantibus ad contumeliam inferendam; neque in affectibus extremè contrarijs, in quibus ſunt, qui vehementi timore concutiuntur, ſed medio quodam modo diſponuntur. Ratio eſt, quia qui ſunt in affectu iræ, vel audaciæ, de futuris non cogitant; ſed ad miſerandum requiritur, vt quis cogitet poſſe ſibi euenire ea mala, quæ alter patitur; ergo &c. Ex proportionali ratione non miſerentur ij, qui ad contumelias incitantur. Nihil enim ſe paſſuros exiſtimant. Qui verò magno metu ſunt perculſi, proprijs malis occupati, non commouentur alienis.

7 Quinto procliues ad miſerandum ſunt, qui exiſtimant aliquos eſſe viros æquos, ac bonos, adeoque malis indignos. Qui enim neminem putant eſſe bonum, neminem putant eſſe malis indignum, adeoque nullius miſerentur. Vniuerſim tum homines ſunt ad miſerendum diſpoſiti, cum memoria reuoluunt ſibi, vel ſuis accidiſſe talia, qualia vident alterum pati, aut expectant ſibi, vel ſuis euentura. Et per hæc ſatis eſt explicatum, quo pacto ſe habeant, qui miſerentur.

8 *Miſerabilia vero quæ ſint, patet ex defini-*

finitione. Sunt enim quæcunque ex ijs, quæ dolorem inferunt, corruptiua sunt, & quæcunque possunt interimere. Similiter omnia mala, quorum fortuna est causa, si magnitudinem habeant. Sunt autem corruptiua, dolorisque effectiua, mortes, verbera, corporis afflictiones, senectus, morbi, cibi inopia. Mala vero, quorum fortuna est causa, hæc sunt: si neminem habeas amicum, aut quam paucissimos. Quare diuelli quoque à socijs, atque amicis miserabile est. Præterea turpitudo, imbecillitas, mancum esse, & si unde oportebat bonum quippiam contigisse, inde malum acciderit, & si sæpius tale: & si cum iam passus sit, bonum quoddam collatum est, vt quæ Diopithi à rege missa sunt, quæ ipso iam mortuo delata sunt. Et si nullum bonum contigerit: aut si contigerit, nulla eius fruitio. Miserabilia igitur hæc, atque huiusmodi sunt.

8 Quoad tertium: ex definitione misericordiæ patere etiam potest, quæ nam sint miserabilia, adeoque affectum misericordiæ in nobis excitent. Primo igitur ex malis, quæ ita ægritudinem animo, ac dolorem corpori afferunt, vt sint corruptiua, sunt miserabilia. Secundo miserabilia sunt, quæ vim habent interimendi etiam sine dolore. Tertio miserabilia sunt illa mala, quorum fortuna plerumque est causa, cum magna sunt. Mala interitum, ac dolorem afferentia sunt mortes, verberationes, corporum cruciatus, senectus, morbi, carentia alimenti &c. Mala, quorum fortuna est causa sunt spoliari amicis, aut cum paucis relinqui, ideoq; miserabile est ab amicis, ac familiaribus diuelli; turpitudo, infirmitas, imbecillitas, & vnde bona expectari debuerunt, inde obuenisse mala, atque id sæpius accidisse. Illud etiam est miserabile, atque à fortuna manans, aliquid boni, atque auxilij aduenisse, cum nullum ex eo commodum posset reportari, vt Diopitho contigit, ad quem ea, quæ fuerunt ipsi missa à Rege, tum peruenerunt, cum iam mortuus fuisset. Miserabile etiam est, cum nihil boni alicui accidit, vel non data est copia ijs, quæ acciderunt, bonis perfruendi. Hæc igitur sunt miserabilia, quæque ad misericordiam mouent.

9 *Miserantur autem notos, nisi valde propinqui, atque sui sint. Nam erga hos sic se habent, quemadmodum & in se ipsos. Quare Amasis quoque cum ad mortem filius duceretur, non effudit lachrymas, vt fertur: at cum amicum mendicare aspexisset, effudit. Est enim hoc miserabile, illud terribile. Terribile enim aliud à miserabili est, & ipsius commiserationis expulsiuum, ac ideo aduersario sæpius vtile. Præterea miserantur, cum terribile appropinquat:*

10 *Similium quoque miserentur, secundum ætates, & morum secundum habitus, & dignitatum secundum genera. In omnibus enim his sibi quoque futurum maxime videtur. Illud enim oportet vniuersaliter sumere, quod quæcunque sibi ipsis timent, his, cum in alios fiunt, in miserationem impelluntur.*

11 *Quoniam vero afflictiones tunc miserabiles sunt, cum oculis cernuntur: quæ autem mille annis antea fuerunt, vel futuræ sunt, etiam si timeant, aut memoria habeant, vel omnino non miserantur, vel non similiter: necesse est, qui motu corporis, voce, veste, ac vniuersim actione simulata talia consequuntur, eos esse miserabiliores. Efficiunt enim hi, vt ante oculos esse malum videatur, siue quasi futurum, siue quasi præteritum. Ad hæc quæ nuper facta sunt, aut cito futura, hæc eadem de causa miserabilia sunt. Signa quoque, ac facta, vt vestes eorum, qui passi sunt, cæteraque huiusmodi, & verba, cum iam morerentur, ac maxime si magno in his temporibus animo fuerunt. Nam hæc omnia quoniam propinquiora videntur, ac ante oculos calamitates ponunt, simulque indignos fuisse ostendunt, miserationem mouent.*

9 Quoad quartum: primo miserentur homines familiarium, atque notorum, nisi valde sint ipsis sanguinis cognatione propinqui: siquidem erga mala eorum, qui sunt nobis valde propinqui, eodem pacto, ac erga mala nostra afficimur, adeoque non tam miseremur, quam eorum mala putamus nostra. Idcirco Amasis, vt aiunt, in casu filij, qui ducebatur ad mortem, lachrymas non effudit; in casu verò amici, qui mendicabat, lachrymas effudit, quia mendicitas amici videtur amico miserabilis, filij autem nex parenti non videtur miserabilis, sed atrox. Atrox autem differt à miserabili, & aliquando habet vim misericor-

ricordiam pellendi, & in in contrarium affectum perducendi. Addit Aristoteles, quod familiarium miseremur, non solum cum mala miserabilia patiuntur, sed etiam cum talia mala videntur illis proximè imminere.

10 Secundo miseremur æqualium ætate, moribus, habitibus, dignitate, ac genere. Ratio est, quia cum videmus pati æquales, tum maximè cogitamus nos posse pati similia; ergo &c. Illud igitur vniuersim est statuendum, tum nos præcipuè misereri, cum quæ nobis timemus, alijs videmus accidere.

11 Quoad quintum: quia mala, resque omnes acerbæ, cum prope videntur esse, tum præcipuè miserationem gignunt, è conuerso quæ decem ab hinc annorum millibus acciderunt, vel accident post decem millia annorum, ea memoria recolentes, vel expectantes, aut non miseramur, aut parum miseramur, ideo quæ representantur ijsdem corporis gestibus, viribus, ac vestitu, quibus aliqui in malo sustinendo fuerunt vsi, & vniuersim imitatione scænica ob oculos ponuntur, miserabiliora videntur. Ratio est, quia talis imitatio facit, vt res miserabiles propinquiores appareant, ac veluti ab oculos versentur, ac si fierent, vel iam iam essent faciendæ. Ex eadem ratione miserabiliora sunt, quæ nuper sunt facta, aut paulo post fient. Signa etiam, actiones, vestes, quibus homines miserabiles sunt vsi, sermones, quos dum in miserijs versarentur, puta dum animam agerent, effuderunt, & alia huiusmodi ad miserationem augendam conferunt. Præsertim verò augetur miseratio, si eos, qui crudeliter interfecti sunt, vt fortes, ac virtute præditos orator exhibeat. Ratio est, quia tum & qui patitur videtur malis indignus, & res tota ante oculos constituitur.

De indignatione, eiusque differentia ab inuidia, ac de arte mouendi ad indignationem. Caput IX.

1 *Miserationi autem maxime id opponitur, quod indignari nuncupant. Dolere nanque propter res aduersas, quæ indigne illatæ sunt, illi quodammodo est oppositum, ab eisdemque proficiscitur moribus, quod est rebus secundis indigne collatis dolere: suntque perturbationes hæ bonorum ambæ morum. Oportet enim condolere, cùm quis indigne vexatur, similiterque propter illos indignari. Nam quod preter dignitatem fit, iniustum est. Ac idcirco Dijs quoque ipsis indignatio attribuitur.*

AGit iam Aristoteles de indignatione, quæ est affectus misericordiæ contrarius: ac primo explicat, quid sit indignatio, & quo pacto ita misericordiæ opponatur, vt vterque affectus sit honestus, ac laudabilis in genere moris: secundo quia indignatio habet quamdam propinquitatem cum inuidia, exponit, quo pacto differat ab inuidia: tertio explicat, quas ob causas, ac quibus indignemur: quarto demum docet, quinam homines sint ad indignationem procliues.

1 Quoad primum: ex ipsis definitionibus misericordiæ, & indignationis patet hos affectus ita esse oppositos, vt vterque sit honestus, ac laudabilis in genere moris. *Misereri enim est dolere propter mala, quæ quis indignè patitur*: indignari est *dolere propter bona, quæ quis indignè obtinet*; sed dolori de malis opponitur quodammodo dolor de bonis; ergo affectus indignationis quodammodo opponitur affectui misericordiæ; sed oportet dolere tum de malis, tum de bonis, quæ accidunt hominibus præter dignitatem, siquidem quod est præter dignitatem, est iniustum; ergo oportet tum misereri, tum indignari, adeoque vterque affectus est honestus; ex quo oritur vt indignatio etiam superis tribuatur.

2 *Sed inuidia etiam eodem miserationi opponi modo videri poterit, quasi proximum, idemque sit cum indignatione. Sed aliud est. Nam & inuidia dolor perturbans est propter res secundas, sed non indigni, verum æqualis, atque similis. Oportet autem, ne quid ipsi accidat aliud, sed propter ipsum proximum æqualiter omnibus inesse. Nam si propterea dolor, atque perturbatio inest, quoniam ab alterius felicitate mali quicquam sibi futurum sit, non erit amplius hoc indignatio, illud inuidia, sed timor.*

3 *Perspicuum autem est contrarias ad hæc sequi affectiones. Nam qui dolet, quoniam non digni vexantur, is voluptate*

afficietur, aut certe non dolebit, cum illis contrarij vexantur: veluti cùm parricidæ, ac scelesti puniuntur, nemo probus dolebit, cum oporteat eorum gaudere supplicio. Similiter quoque si secunda ei contingunt, qui dignus est. Iusta enim vtraque, ac probis gaudium afferunt, cum necesse sit, vt sperent sibi quoque posse contingere, quæ similibus. Proficiscuntur igitur omnia hæc ex eadem animi constitutione: horum vero contraria ex contrarijs. Idem enim est, qui peruerse gaudet, atque inuidus. Nam quo quispiam dolet, cum fiat, & sit, hunc necesse est priuatione eius, atque corruptione gaudere.

4 *Quapropter omnia hæc miserationis prohibitiua sunt, quæ quamuis propter expositas iam causas inter se differant, eodem tamen omnia modo ad eijciendam miserationem conferunt. Primum igitur de indignatione, quibus indignantur, & in quibus, & qualiter ipsi se habentes: deinde de reliquis dicamus.*

2 Quoad secundum: quia etiam inuidia opponitur misericordiæ, videbitur opponi eodem modo, ac indignatio, adeoque videbitur affectus inuidiæ ita esse propinquus affectui indignationis, vt inuidia sit idem cum indignatione. Dicendum tamen, quod indignatio differt ab inuidia, vt patet ex vtriusque affectus definitione. Indignatio enim *est dolor propter prosperitatem indigni*: inuidia est *dolor propter prosperitatem non indigni, sed æqualis, aut similis*; sed dolor de prosperitate indigni differt à dolore de prosperitate æqualis, ac similis; ergo indignatio differt ab inuidia, atque affectus indignationis est honestus, affectus inuidiæ est turpis. Conueniunt tamen isti duo affectus in hoc, quod vterque dolet de prosperitatibus alterius, quia illius prosperitates sunt, & non quia ex talibus prosperitatibus aliquid nobis obuenturum sit mali: affectus verò, quo dolemus prosperitatibus alterius, quia aliquid ex ipsis obuenturum nobis est mali, neque est indignatio, neque ira, sed timor.

3 Addit Aristoteles, quod cum inuidia, & indignatio sint dolor de prosperitatibus alterius, ad ipsas consequetur affectus gaudij de contrarijs; sed contraria prosperitati est calamitas, contrarium bono est malum; ergo sicut indignans dolet prosperitatibus impiorum, sic gaudebit, vel saltem non dolebit calamitatibus improborum. Vterque autem affectus est honestus, ideoque nullus probus dolet, cum parricidæ, atque sicarij supplicio afficiuntur. Quemadmodum enim gaudendum est, cum probi fruuntur bonis, quibus sunt digni, sic gaudendum est, cum improbi incidunt in mala, quibus sunt digni: siquidem vtrumque est iustum, ac viro probo gaudium affert, quippe qui sperat se consecuturum eadem illis, quæ videt à similibus in probitate obtineri. Iam sicut omnes affectus consequentes ex indignatione sunt honesti, sic omnes affectus consequentes ex inuidia sunt inhonesti. Sicut enim turpe est dolere prosperitatibus æqualis, ac similis, quia æqualis est, ac similis, sic turpe est gaudere calamitatibus, ac malis æqualis, ac similis, quia æqualis est, ac similis; sed inuidus sicut dolet prosperitatibus æqualium, sic necesse est, vt eorum calamitatibus gaudeat; necesse est enim, vt cuius generatione, ac præsentia dolemus, eiusdem priuatione, ac corruptione gaudeamus; ergo inuidus in vtroque peccat, & quod dolet prosperitatibus, & quod gaudet calamitatibus æqualium.

4 Iam affectus indignationis eamdem vim habent impediendi affectum misericordiæ, ideoque orator siue ad indignationem, siue ad inuidiam auditorem excitarit, efficiet, vt quæ quis est passus, non videantur miserabilia. Quia verò non possumus scire artem mouendi ad indignationem, vel inuidiam, nisi sciamus, quo pacto homines affecti, quibus, & quas ob causas indignentur, vel inuideant, ideo hæc sunt hoc capite explicanda de indignatione, capite autem sequenti de inuidia.

5 *Patet autem ex dictis. Nam si indignari est dolere, quòd cuidam secunda indigne contingant, primo perspicuum est non esse possibile de bonis omnibus indignari. Nemo enim indignatur, si iusti, si fortes, vel si omnino virtutem aliquam habeant: miserationes enim non sunt in horum contrarijs, sed indignantur diuitijs, potentia, & huiusmodi, quibus (vt simpliciter dicam) bonis indigni sunt.*

6 *Deinde si quæ secundum naturam bona sunt, habeat, veluti nobilitatem, formam, cæteraque huiusmodi. Et quoniam vetus*

ijs, quæ secundum naturam sunt, propinquum videtur, necessarium est, si qui bonum id habeant, nuperque adepti sint, ac ideo beati putentur illis magis indignari. Magis enim perturbant, qui modo diuitias assequuti sunt, quam qui olim & à genere receperunt. Similiter principes, potentes, gratiosi, bonos habentes liberos, ac huiusmodi alia. Et si propter hæc alius quoddam bonum ipsis contingat similiter. Nam his indignantur magis, qui nuper ditati sunt, cum propter diuitias principantur, quam qui diuites ex maioribus fuerunt. Eodemque pacto in alijs. Eius causa est, quoniam alij sua possidere videntur, alij minime. Nam quod semper sic se habere videtur, verum esse videtur. Quamobrem non videntur illi sua possidere.

7 *Ac quoniam non quilibet vnoquoque bono dignus est, sed proportio quædam, atque quid idoneum consideratur: vt arma pulcherrima non iusto, sed forti consentanea, & excellentes nuptiæ non nuper ditatis, sed nobilibus. Si ergo cum probus sit, quæ congruunt, non consequitur, indignares est.*

8 *Et si peior cum meliore contendat, ac maxime si in eodem. Vnde id quoque dictum est: sed Aiacis Telamoniadæ vitabat congressum: Iupiter nanque ei, quòd viro cum fortiore pugnaret, indignatus est. Si vero non, etiam si qualitercunque peior cum meliore, veluti si musicus cum iusto. Nam iustitia melior, quàm musica est. Quibus igitur indignentur, & quas ob res, ex his adapertum est. Hæc enim, & huiusmodi sunt.*

5 Quoad tertium: ex definitione indignationis potest planum fieri, propter quæ homines indignentur. Cum enim *indignari sit dolere eo, quod aliquis videatur prospere agere, cum sit indignus*, perspicuum est non posse hunc affectum excitari ob cuncta bona. Primo enim nemo indignatur eo quod alter iustus sit, aut fortis, vel aliam virtutem consequatur. Ratio est, quia nemo simul habet bonum virtutis, & est indignus tali bono. Confirmatur, quia ea bona mouent ad indignationem, quibus contraria sunt mala, quæ mouent ad miserationem; sed vitia virtutibus contraria non mouent ad miserationem, quia nemini accidunt indignè; ergo &c. Indignamur igitur, cum improbi possident diuitias, potentiam, & alia huiusmodi, quorum viri probi sunt digni.

6 Secundo neque etiam solemus indignari ijs, qui ea bona possident, quæ natura dare hominibus consueuit, qualia sunt nobilitas, pulchritudo, & alia huiusmodi. Quia verò quæ antiquitus possidentur, affinia videntur ijs, quæ naturaliter possidentur, ideo cum plures eadem bona possident indignè, magis indignamur ijs, qui recenter, quam qui antiquitus ea bona sunt consecuti; ideoque maiori nos dolore afficiunt, qui nunc de nouo diuitias sunt consecuti, quam qui diuitias à maioribus acceptas possident; ac similiter maiorem nobis tristitiam inurunt, qui de nouo principatus, ac potentiam sunt adepti, ac multitudine amicorum, & optima prole, alijsque talibus prosperitatibus nunc primum florere inceperunt, quam qui diu in his versati sunt, atque ea veluti hæreditaria possident. Ratio est, quia maiori tristitia afficimur, cum quis videtur possidere non sua, quam cum videtur possidere sua; sed quod semper videtur fuisse ab aliquo possessum, verè videtur illius; quod de nouo possidetur, non videtur verè possidentis; ergo &c.

7 Tertio quia non quilibet bonorum virorum est dignus indifferenter quocunque bono, sed solum eo, quod est ipsi proportionatum, idcirco indignamur etiam, cum viri probi consequuntur bona ipsis improportionata: ex. gr. quia pulchra arma sunt quidem proportionata viro forti, non autem viro iusto; coniugia eximia proportionata sunt nobilibus, non autem ijs, qui recenter diuitias sunt consecuti; ideo indignamur, si vir iustus obtineat pulchra arma, vel recenter diues eximia coniugia consequatur.

8 Quarto indignamur, si inferior cum superiore contendat, præsertim de eo, in quo est inferior. Idcirco Homerus cecinit: *Declinabat autem pugnam cum Aiace Telamonis filio, quia Iuppiter indignabatur, quod cum viro præstantiore congrederetur*. Nec solum indignamur, cum quis contendit cum superiore de eo, in quo est inferior, sed etiam cum contendit in alijs quibuslibet: ex. gr. quia musicus est inferior homine iusto, indignamur, si musicus audeat contendere cum homine iusto. Ex his igitur patet, quibus, & propter quæ indignemur.

9 *Ipsi autem indignatiui sunt primum, si maximis digni sunt bonis, eaque possidentes. Non enim iustum est, vt non similes similia consequantur. Deinde si cum boni sint, studiosi quoque sunt. Iudicant nanque probe, oderuntque quod iniustum est. Praeterea si ambitiosi, quarundamque operationum appetentes, ac maxime si in ijs ambitiosi sunt, quae & alij cum sint indigni, tamen assequuntur. Et vniuersim qui seipsos quibusdam rebus dignos putant, quibus alios putant indignos, illis indignantur, & horum causa. Quocirca seruiles, praui, & honorem contemnentes, indignatiui non sunt, cum nihil huiusmodi sit, vt eo se dignos arbitrentur.*

10 *Ex his patet, quibus in rebus si aduersa vtuntur fortuna, & affliguntur, aut non consequuntur, gaudere, aut absque dolore esse congruit. Nam ex dictis, quae sint opposita, patet. Quare si & iudices ita oratio praeparabit, & petentes, vt sui misereatur, & quibus in rebus indignos, quod volunt assequi ostendet, quia condigni, vt nihil consequantur, impossibile erit misereri.*

9 Quoad quartum: ad indignationem procliues sunt primo ij, qui digni sunt maximis bonis, & ea possident. Iniustum enim existimant homines ipsis dissimiles censeri dignos similibus bonis, ac si id accidat, indignantur. Secundo proni sunt ad indignationem homines probi, ac virtute praediti. Cum enim rectè iudicent, & iniustos odio habeant, cum vident improbos obtinere bona, quibus indigni sunt, indignantur. Tertio ij etiam, qui sunt honoris, ac quarumdam rerum studiosi, & appetentes, indignantur, praecipuè cum indigni consequuntur ea, quorum ipsi sunt studiosi. Quarto vniuersim ij sunt ad indignationem procliues, qui existimant se dignos bonis, quibus alios censent indignos, ac tum praecipuè indignantur, cum alij talia bona consequuntur. Ex opposita ratione homines perditi, ac mancipijs similes, atque honorem contemnentes, quia nullis se bonis dignos putant, non sunt ad indignationem procliues.

10 Infertur ex dictis, quibus oporteat non misereri, non dolendo, imo gaudendo, cum infortunijs conflictantur, ac mala patiuntur, nec in vlla re voti compotes fiunt. Nimirum sicut dolendum est, cum improbi consequuntur bona, quibus sunt indigni, sic gaudendum est, cum ijdem premuntur malis, quibus sunt digni. Si igitur orator indignationem in iudicibus excitarit, atque ostenderit eos, qui iudicum misericordiam implorant, & causas praetexunt, propter quas videri volunt misericordia digni, indignos esse misericordia, iudices misericordia moueri non poterunt.

De inuidia, ac de arte mouendi ad inuidiam. Cap. X.

1 *Patet etiam, quibus inuident, & quibus in rebus, & quomodo se habentes:*
2 ** siquidem inuidia est dolor quidam, quoniam similes boni aliquid adepti videantur, non vt quicquam sibi, sed propter*
3 *illos. * Hi enim inuidebunt, quibus aut sunt quidam, aut videntur similes. Similes vero dico genere, propinquitate, aetate, habitu, gloria, diuitijs. Item ij, quibus parum deest, ne omnia teneant. Quocirca maxima gerentes, & feliciter, inuidi sunt, cum putent sua ab omnibus auferri. Et qui valde in aliqua re honorantur, ac maxime in sapientia, & felicitate. Et ambitiosi magis inuident, quam non ambitiosi. Et qui se sapientes videri putant. Ambitiosi nanque in sapientia. Et vniuersaliter qui ex re aliqua gloriam quaerunt, de illa sunt inuidi: & pusillanimi, quoniam eis magna omnia videntur.*

4 *De quibus igitur inuident bonis, iam dictum est. De quibuscunque enim operibus honorem, atque gloriam quaerunt, & quarum rerum gloriam concupiscunt, ac de quibuscunque feliciter actis. Nam de omnibus ferè inuidia est praesertim si aut appetunt ipsi, aut putant ea se habere oportere, aut si earum rerum possessione ipsi parum superant, vel parum deficiunt.*

1 Misericordiae opponitur non solum indignatio, sed etiam inuidia, ideoque cum egerimus de indignatione, agendum est de inuidia: ac primo proponenda est definitio inuidiae: secundo explicandum est, qui nam homines sint ad inuidendum procliues: tertio quas ob res inuideant: quarto demum quibus inuideant.

2 Quoad primum: inuidia est *dolor, quo angimur de apparente similium prosperitate quoad bona capite superiori, numero quinto explicata, non propter nos, sed propter* ip-

ipsos, quos ægrè ferimus talibus bonis esse cumulatos. Hæc definitio explicat genus, in quo inuidia conuenit cum indignatione, ac differentiam, per quam ab eadem differt. Conuenit cum indignatione in hoc, quod vtraque est dolor de aliena prosperitate, non propter nos, sed quia aliena prosperitas est: differt ab indignatione, quia indignatio est dolor de prosperitate indignorum, quia indigni sunt; inuidia est dolor de prosperitate similium, quia similis sunt.

3 Quoad secundum: ex tradita definitione infertur, qui nam sint ad inuidendum procliues. Primo ergo quia inuidia est dolor de prosperitate similium, ij sunt ad inuidendum procliues, quibus aliqui sunt, aut videntur similes. Similes autem dico, qui conueniunt genere, cognatione, ætate, habitibus, puta scientijs, & artibus, gloria, & extrinsecis copijs. Secundo ij etiam inuident, quibus parum abest, quin omnia adsint: & quia qui magna gesserunt, & prospera fortuna vtuntur tales sunt, vt parum videatur abesse, quin omnia ipsis adsunt, ideo solent esse inuidentiores, ac videntur putare sibi eripi, quidquid alijs accesserit. Tertio inuidi sunt, qui ob aliquam rem, ac præsertim ob sapientiam, & felicitatem eximiè honorantur. Quarto ambitiosi, atque honorum appetentes inuidentiores sunt inambitiosis. Quia verò qui appetunt videri sapientes, appetunt honorem, qui ex sapientia consequitur, ideo solent alijs inuidere. Vniuersim autem qui in vnaquaque re appetunt in pretio esse, in ea sunt inuidi. Quinto etiam pusillanimi sunt inuidi, Ratio est, quia cum cuncta illis videantur magna, quidquid in alijs vident, admiratione simul, & inuidia afficiuntur.

4 Quoad tertium: ex dictis patere potest, ob quæ maximè aliorum bona gignatur inuidia. Primo ergo inuidia circa ea potissimum bona, atque opera versatur, in quibus homines primi haberi volunt, ac pro quibus de honore contendunt, eorumque gloriam appetunt, quæque fortunæ dona sunt. Secundo inuidemus alijs ea bona, quæ nos vehementer appetimus, atque habere nos oportere existimamus: nec non ea, in quibus aut parum alios vincimus, aut parum ab alijs superamur.

5 *Patet autem & quibus inuident. Simul enim dictum est. Nam qui proximi sunt tempore, loco, ætate, gloria, ijs inuident Vnde illud dictum est: propinquitas inuidere solet. Et quibuscunque de honore contendunt. Contendunt autem quibus cum diximus. Cum ijs vero, qui antea mille annis fuerunt, & cum mortuis nemo contendit, nec cum ijs, qui apud Herculis columnas habitant, nec cum ijs, de quibus vel suo vel aliorum iuditio multum putant deficere: nec cum ijs, quos non parum excedere: similiter nec cum ijs, & de talibus. Verum quoniam cum aduersarijs, & riualibus, ac vniuersaliter cum ijs, qui eadem cupiunt, contendunt, necesse est ijs maxime inuidere. Vnde dictum est: figulus figulo inuidet, faberque fabro. Et ijs, qui cito obtinuerunt, qui aut vix, aut nequaquam consecuti sunt, inuident. Praterea ijs, qui si possideant, aut si perficiant, ipsis opprobrium est. Nam & hi prope similes sunt. Patet enim eorum causa bonum ipsos non consequi: quæ res cum dolorem inferat, inuidiam mouet. Ijs etiam, qui ea possident, aut habent, quæ ipsos oportuit, vel quæ ipsi aliquando possidebant. Quapropter iunioribus seniores inuident. Ad hæc qui multa, ijs qui pauca eadem pro re consumpserunt.*

6 *Perspicuum etiam est, quibus isti rebus gaudeant, & quibus hominibus, qualiterque se habentes. Nam quemadmodum non habentes dolent in contrarijs, si sic se habeant, voluptate afficientur. Quare si & ipsi, vt ita se habeant, præparentur, & qui vt sui misereantur, vel vt boni aliquid consequantur, rogant, tales sint, quales iam dicti, palam est, quòd non consequentur.*

5 Quoad quartum: ex dictis demum apparet, quibus plerumque homines inuideant. Primo igitur homines inuident propinquis tempore, loco, ætate, existimatione, ideoque prouerbio dicitur: *Quod enim cognatum est, atque affine, inuidere scit*. Secundo vnusquisque inuidet ijs, cum quibus de honore decertat; sed homines de honore decertant solum cum propinquis tempore, loco &c; ergo etiam ex hoc capite homines inuident propinquis. Quod autem homines de honore decertent solum cum propinquis tempore, loco, existimatione &c. patet: nemo enim de honore decertat cum ijs, qui decem millibus ab hinc annis fuerunt, vel erunt; neque cum mortuis; neque cum ijs,

ijs, qui ad herculeas habitant columnas; neque cum ijs, à quibus longo interuallo putant se suo, vel aliorum iudicio superari; neque cum ijs, quibus se longe præstare arbitrantur, idemque dic de alijs; ergo solum cum propinquis de honore decertamus, adeoque solis propinquis inuidemus. Quia verò maximè cum competitoribus, ac riualibus contendimus, idcirco ijs maximè inuidemus; vnde dicitur, *figulus inuidet figulo*. Tertio ijs, qui celeriter, ac nullo labore aliquid sunt adepti, inuident, qui sero, multisque cum laboribus vix idem obtinuerunt, vel ne obtinuerunt quidem. Quarto inuidemus ijs, qui si aliqnid obtinere potuerint, dedecori nobis est futurum: & quia si propinqui, ac similes quædam eximia bona consequantur, nobis est dedecori, siquidem eo ipso apparet nostra nos culpa, atque ignauia similia bona non consecutos, hoc autem cum molestum sit, inuidiam efficit; idcirco propinquis, ac similibus inuidemus. Quinto inuidemus ijs, qui ea possident, quæ nobis conueniebant, ac quæ olim possedimus, ideoque senes iunioribus inuident. Sexto qui magnos sumptus in re aliqua comparanda fecerunt, inuident ijs, qui paruo sumptu eadem sunt consecuti.

6 Iam quoniam explicuimus quibus rebus, & quomodo se habentes inuidi doleant, in aperto est, quo pacto se habentes, & quibus rebus gaudeant. Sicut enim inuidi dolent, dum ipsi non habent bona, quæ habentur à similibus; sic gaudent, cum ipsi habent bona, quibus similes carent. Si igitur orator disposuerit iudices eo pacto, quo affecti sunt inuidi, ostenderit autem eos, qui misericordiam implorant, aut petunt aliquod bonum, tales esse, quales diximus esse eos, quibus inuidemus, manifestum est, quod misericordiam à iudicibus, aut dominis non consequentur.

De æmulatione, ac de contemptu æmulationi contrario. Caput XI.

1 *QVomodo autem se habeant æmulantes, & in quibus, & quibus, hinc erit manifestum.*

2 *Nam æmulatio est dolor quidam, quoniam bona, & honorabilia, quæ ipse quoque assequi possit, natura similibus adesse videantur, non quoniam alijs sunt, sed quoniam non ipsi quoque. Ideo & probum quiddam æmulatio est, & proborum: inuidia vero improborum, & improbum. Alteri enim vt ad consequenda bona se præparent, æmulatione concitantur: alteri propter inuidiam proximis impedimento sunt.*

3 *Necesse est ergo eos esse æmulatiuos, qui se ijs bonis dignos arbitrantur, quæ non habent. Nullus autem se dignum putat impossibilibus, si sic apparent. Idcirco iuuenes, atque magnanimi huiusmodi sunt.*

4 *Et qui ea bona possident, quibus præclari viri digni sunt, quæ sunt diuitiæ, multorum gratia, principatus, & huiuscemodi. Quasi enim suum sit bonos esse, quoniam hæc bona bonorum sunt, æmulantur in ipsis.*

5 *Praeterea ij, quos cæteri dignos arbitrantur.*

6 *Et quorum maiores, aut cognati, aut domestici, aut gens, aut patria, præclara, hi de ijs æmulatiui sunt. Sua enim hæc putant, & se ijs esse dignos.*

1 VT de æmulatione agamus, primo proponenda est definitio æmulationis, eiusque ab inuidia discrimen: secundo explicandum est, qui nam homines sint ad æmulandum procliues: tertio circa quæ præcipuè bona æmulatio versetur: quarto quos homines æmulemur: quinto demum agendum est de contemptu æmulationi contrario: ac per hæc tractatum de affectibus absoluemus.

2 Quoad primum: Aemulatio est *dolor ortus ex eo, quod bona quædam honorabilia, quibus nos caremus, & quæ possumus assequi, videantur inesse similibus natura, ita vt non ideo angamur, quia talia bona similibus insunt, sed quia à nobis non insunt.* Ex hac definitione patet primo, in quo æmulatio conueniat cum inuidia, & in quo ab inuidia differat. Conuenit cum inuidia in hoc, quod vtraque dolet, cum quædam bona, quibus nos caremus, similibus adsunt; differt, quia inuidia dolet, quia talia bona adsunt similibus, æmulatio è conuerso non dolet, quia similibus adsunt, sed quia non adsunt etiam nobis. Patet secundo affectum æmulationis esse bonum, ac proprium viri probi; affectum inuidiæ esse

esse malum, ac proprium improbi. Ratio est, quia probus æmulatione excitatus bona procurat sibi, non impedit alteri: improbus è conuerso ex affectu inuidiæ conatur bona aliorum impedire.

3 Quoad secundum: quia ex dictis æmulatio est dolor, eo quod careamus ijs bonis honorabilibus, quæ similibus insunt, ac nobis quoque inesse possunt, primo necesse est, vt ij sint ad æmulationem procliues, qui se existimant dignos bonis, quibus carent. Cum enim nemo se existimet dignum ijs, quæ videtur consequi non posse, eo ipso, quod se existimat aliquibus bonis dignum, existimat se posse illa consequi, adeoque æmulatione excitatur ad ea consequenda. Quia verò iuuenes, atque magnanimi magis bonis se dignos putant, ideo procliues sunt ad æmulationem.

4 Secundo æmulatores etiam aliorum sunt, qui ea possident bona, quæ honestis viris videntur conuenire, cuiusmodi bona sunt diuitiæ, multitudo amicorum, magistratus, & alia huiusmodi. Ratio est, quia cum existiment sibi conuenire, vt boni sint, æmulantur viros probos, qui similia bona possident.

5 Tertio etiam ij, quos alij existimant dignos bonis, quibus carent, proni sunt ad æmulationem.

6 Quarto ij, quorum proaui, aut cognati, aut domestici, aut ciuitas, aut natio in aliquo bonorum genere excelluerunt, in eo genere sunt ad æmulandum procliues. Existimant enim se ijs bonis, vtpote domesticis, ac proprijs esse dignos, eaque sibi apprimè conuenire.

7 *Quod si honorabilia bona æmulabilia sunt, necesse est virtutes huiusmodi esse, ac quæcunque alijs vtilia, & ad benefaciendum apta. Benefacientes enim, atque probos simi iter honorant. Insuper ea bona, quibus fruuntur, vt diuitiæ, ac formæ magis quam sanitas.*

8 *Hinc etiam patet, qui sunt apti, vt eos æmulentur. Sunt enim qui hæc, taliaque possident, veluti fortitudinem, sapientiam, principatum. Nam principes multis benefacere possunt, vt duces, rectores, omnesque, qui talia possunt. Præterea ij, quibus multi vellent similes esse, aut quibus sunt noti, aut amici multi, aut quos multi admirantur, aut quos ipsi. Ad hæc, quorum laudes vel à poetis, vel à scriptoribus decantantur.*

9 *Hos igitur æmulantur, contrarios verò contemnunt. Contemptus enim æmulationi contrarium est. Aemulari quoque, atque contemnere contraria sunt. Est autem necessarium, qui sic se habent, vt nonnullos æmulentur, aut ipsos alij, hos aptos esse ad eos contemnendos, qui ea mala habeant, quæ bonorum æmulabilium contraria sunt. Quapropter sæpenumero contemnunt fortunatos, cum absque honorabilibus bonis adest eis fortuna. Quibus igitur rebus affectus mouentur, & quibus dissoluuntur, & vnde fit fides, dictum est.*

7 Quoad tertium: quia æmulatio versatur præcipuè circa bona honorabilia, virtutes autem omnes inter bona honorabilia sunt recensendæ, ideo æmulatio versari potest circa omnes virtutes. Quia rursus non solum virtus est honorabilis, sed etiam omnia ea, quæ sunt alijs vtilia, atque ad benefaciendum apta, vt patet ex eo, quia non solum probi, sed etiam benefici apud omnes in honore sunt, ideo æmulatio versatur vniuersim circa ea, quæ sunt alijs vtilia, atque ad benefaciendum idonea. Ex eadem ratione versatur circa ea bona, quibus magis fruuntur alij, quam qui ea possidet: & quia diuitijs, & pulchritudine magis fruuntur alij, quam qui diuitias, & pulchritudinem possident; è conuerso sanitate magis fruitur, qui sanus est, quam alij; idcirco diuitiæ, & pulchritudo sunt bona honorabiliora, ac magis ad æmulationem prouocantia, quam sanitas.

8 Quoad quartum: facile iam est explicare, quos nam homines æmulemur. Primo igitur æmulamur eos, qui possident bona honorabilia, quæ ad æmulationem prouocant; sed ex dictis hæc bona sunt fortitudo, sapientia, magistratus: siquidem qui magistratus gerunt, in multis possunt esse benefici; ergo hos æmulamur, nec non imperatores, oratores, & omnes eos, qui talia possunt exercere, qualia isti exercent. Secundo æmulamur eos, quibus multi volunt esse similes, familiares, & amici, nec non quos multi admirantur. Tertio æmulamur eos, quorum laudes, & encomia prædicantur à poetis, vel orationum scriptoribus.

9 Quoad quintum: quemadmodum homines æmulantur eos, qui bonis hono-

rabilibus sunt cumulari, ita talibus bonis destitutos, ac contrarijs vitijs inquinatos despiciunt. Ratio est, quia despicientia contraria est æmulationi; sed æmulatio versatur circa eos, qui bonis honorabilibus sunt præditi; ergo necesse est, vt despicientia versetur circa eos, qui bonorum honorabilium sunt expertes; ergo necesse est, vt qui alios emulantur, vel alijs æmulationi sunt propter bona honorabilia, contemptores sint eorum, qui habent mala opposita, ideoque sæpe despiciunt homines fortunatos, cum ita prospera fortuna vtuntur, vt bonis honorabilibus careant. Quibus igitur modis excitentur, aut excitati dissoluantur affectus, qui disponunt auditores ad fidem nobis habendam, satis est explicatum.

De moribus iuuenum. Caput XII.

1 *QVales vero quidam moribus, affectibus, habitibus, ætatibus, ac denique fortunis sint, deinceps scribamus. Affectus autem dico, iram, cupiditatem, cæteraque huiusmodi, de quibus iam diximus. Habitus vero, virtutes, ac vitia, de quibus etiam dictum est: & ad hæc, quæ singuli eligunt, quorumque actiui sunt. Ætates vero sunt, iuuentus, virilitas, senectus. Fortunam autem appello nobilitatem, diuitias, potentiam, & horum contraria, & vniuersaliter secundam, & aduersam fortunam,*

1 ORator ad persuadendum non solum debet vti oratione affecta, sed etiam accommodata moribus auditorum; sed diuersi mores sequuntur ad diuersos affectus, habitus, ætates, ac fortunas; ergo orator debet scire, qui nam mores sequantur ad diuersos affectus, habitus, ætates, atque fortunas. Quod diuersi mores sequantur ad diuersos affectus &c. probatur explicando simul, quid nam horum nomine intelligamus. Nomine affectuum intelligimus cupiditatem, iram, aliasque perturbationes, de quibus hactenus egimus. Nomine habituum intelligimus virtutes, & vitia, de quibus disputauimus lib. primo cap. 9. & seq. Differentiæ ætatum sunt iuuentus, virilitas, senectus. Differentiæ fortunæ sunt nobilitas, diuitiæ, potentia, & vniuersim prospera, atque aduersa fortuna. Cum igitur agentes de affectibus, egerimus de moribus, qui ad vnumquemq; sequuntur affectum; agentes de virtutibus, ac vitijs, egerimus de moribus, qui ad vnumquemque sequuntur habitum; superest solum, vt disseramus de moribus, quæ diuersas consequuntur ætates, atque fortunas. Per sex igitur capita agemus primo de moribus iuuenum: secundo de moribus senum: tertio de moribus eorum, qui in media constituuntur ætate; quarto de moribus nobilium: quinto de moribus diuitum: sexto demum de moribus potentium, ac fortunatorum.

2 *Iuuenes ergo huiusmodi moribus sunt, vt aptissimi ad cupiendum sint, potentesque facere quæcunque cupiant. Maxime autem ex cupiditatibus eius sequaces sunt, quæ ex rebus venereis est, & in hac incontinentes. Mutabiles vero sunt in cupiditatibus, citoque fastidientes. Et vehementer quidem cupiunt, cessant autem cito. Voluntates enim acutas habent, & non magnas, veluti ægrotantium sitis, aut fames.*

3 *Ad hæc, ad irascendum apti sunt, & acuta ira, potentesque appetitiones sequi. Vincuntur autem ira, quoniam ex ambitione contemni non patiuntur, sed moleste ferunt, cum putant iniuriam sibi fieri.*

4 *Ambitiosi etiam sunt, imo contentiosi. Excedere nanque iuuentus cupit, & victoria excessus quidam est. Sunt autem horum duorum magis, quàm pecuniarum studiosi. Pecuniarum studiosi minime. Non enim adhuc inopiæ periculum fecerunt, sicut elogium Pittaci in Amphiaraum continet.*

5 *Nec malitiosi, sed simplices. Nondum enim versutias multas inspexerunt. Creduli etiam sunt, quoniam nondum in multis decepti. Spei quoque bonæ. Sic enim à natura perualidi iuuenes sunt, quemadmodum qui vino pleni sunt, & simul quoniam nondum in multis aberrarunt.*

2 Iuuenes primo sunt cupidi, atque ad ea, quæ cupiunt, efficienda parati. Licet autem cupiditates corporeas toto impetu sectentur, adhuc præsertim delectationes venereas persequuntur, in ijsque sunt incontinentes. Mutabiles tamen in suis sunt cupiditatibus, ac cito eorum, quæ con-

concupierunt, fastidio capiuntur: adeoque vehementer concupiscunt, sed eorum cupiditates cito sedantur. Desideria siquidem eorum sunt acuta, sed non magna, ac diuturna, nec altè animis hærentia, ac similia fami, ac siti ægrotantium.

3 Secundo iuuenes sunt ad excandescendum procliues, ac leuibus de causis excandescunt, & cum excanduerint, sunt ad impetum sequendum parati. Inferiores sunt ira, atque ab ea pene semper vincuntur. Ratio est, quia cum honoris appetentes sint, ferre non possunt se despici, sed molestissimè ferunt, cum se iniuria affici arbitrantur.

4 Tertio iuuenes studiosi sunt honoris, sed magis victoriæ. Ratio est, quia alijs excellere iuuentus cupit; sed per victoriam victor excellit victis; ergo &c. Iam honori, ac victoriæ magis student, quam pecunijs, siquidem iuuenes parum sunt pecuniarum studiosi, quia nondum indigentiam, ac penuriam sunt experti, vt dicitur in quodam Apophthegmate Pittaci in Amphiaraum.

5 Quarto iuuenes non sunt malitiosi, itaut cuncta malam in partem interpretentur, sed simplices, itaut pleraque bonam in partem trahant. Ratio est, quia improbitatem hominum adhuc non sunt experti. Sunt etiam creduli, quia adhuc in multis non fuerunt decepti. Sunt bonæ spei pleni. Quemadmodum enim temulenti vino, sic iuuenes feruore ætatis incalescunt, ac calore ad sperandum incitantur. Illud etiam iuuenes ad bene sperandum disponit, quod sua spe non sunt sæpe frustrati.

6 *Viuunt igitur maxime spe. Spes enim futuri est, memoria vero præteriti. Ac iuuenibus futurum quidem multum restat, præteritum autem breue est. Nam primo die nihil meminisse putant, sperare vero cuncta. Qua de causa, vt facile quoque decipiantur, idonei sunt, quoniam facile sperant.*

7 *Fortiores etiam, quoniam facile irascuntur, & bene sperant: quorum alterum ne timeant, alterum vt confidant facit. Nam neque cum irascitur quispiam, timet: & cum boni aliquid sperat, confidit.*

8 *Præterea verecundi. Nondum enim alia esse honesta existimant, sed legibus solum castigati. Magnanimi quoque. Nam nec vnquam vita ipsos deiecit, sed periculorum expertes sunt: & dignum se magis putare, magnanimitas est, id vero bene sperantis.*

9 *In agendo autem honesta potius eligunt, quam vtilia. Moribus enim viuunt magis, quam ratiocinatione. Ratiocinatio autem vtilium est, virtus vero honesti.*

10 *Amicorum quoque studiosi sunt, atque sodalium, multo magis, quàm cæteræ ætates. Gaudent nanque in conuiuendo, nondumque ad vtilitatem aliquid iudicant: quare nec amicos.*

6 Quinto iuuenes magna ex parte spe viuunt. Ratio est, quia spes est futuri, memoria præteriti; sed iunioribus multum videtur superesse vitæ futuræ, parum antecessit præteritæ; ergo vitam ducunt sperando futura, non autem præterita recolendo, ideoque prima die nullius recordari, at omnia videntur sperare. Et quia facile sperant, facile etiam decipiuntur.

7 Sexto quia iuuenes ex dictis iracundi sunt, ac bonæ spei pleni, ideo sunt etiam fortes. Ratio est, quia iracundia metum pellit, spes confidentiam creat; sed fortis est non timere, sed confidere; ergo iracundia, & spes ad fortitudinem conferunt. Quod autem iracundia metum pellat, spes confidentiam creet, probatur, quia qui irascitur non timet; spes autem bonorum audaces homines reddit.

8 Septimo iuuenes sunt verecundi, atque magnanimi. Ratio, cur sint verecundi est, quia non cognoscunt alia honesta, quam ea, in quibus per legem, ac disciplinam sunt eruditi, adeoque ea censent honesta, quæ talia sunt ex opinione, ea censent turpia, quæ turpia censentur; ergo magni faciunt opinionem, quod est proprium verecundi. Ratio, cur sint magnanimi est, quia cum vitæ necessitates non sint experti, non dum à viuendi consuetudine coacti sunt ad dimisse sentiendum de se ipsis. Confirmatur, quia magnanimus existimat se magnis dignum; sed bene sperans existimat se dignum magnis, iuuenes autem ex dictis num. 5. pleni sunt bonæ spei; ergo iuuenes sunt magnanimi.

9 Octauo iuuenes eligunt magis agere honesta, quam vtilia. Ratio est, quia iuuenes morem potius, atque indolem, ac naturalem propensionem sequuntur, quam ra-

ratiocinationem; sed secundum indolem, virtutem, & naturalem propensionem ducimur ad honestatem, ac dignitatem, ratiocinatio verò ad vtilitatem impellit; ergo eligunt magis honesta, quam vtilia.

10 Nono iuuenes supra homines aliarum ætatum sunt amicorum, ac sodalium studiosi. Ratio est, quia apprimè gaudent conuictu; & cum alia non referant ad vtilitatem, nec in amicitia vtilitatem quærunt.

11 *Omnia etiam nimis, vehementiusque peccant, contra Chilonis dictum. Nimis enim agunt in omnibus, nimis amant, nimis oderunt: cætera omnia similiter. Scire quoque omnia putant, atque affirmant: quod etiam causa est, vt omnia nimis.*

12 *Iniurias etiam in contumeliam faciunt, non in malignitatem.*

13 *Ad commiserationem quoque parati, quoniam probos, ac bonos omnes arbitrantur. Sua enim simplicitate cæteros metiuntur. Itaque indigna ipsos pati facile credunt.*

14 *Risui etiam student: idcirco & dicaces sunt. Dicacitas enim castigata contumelia est. Iuuenum igitur mores tales sunt.*

11 Decimo iuuenes in omnibus per excessum, ac nimietatem peccant contra dictum Chilonis, *ne quid nimis*. Quidquid enim faciunt, nimis faciunt: nimis igitur amant, nimis oderunt, atque in omnibus nimij sunt. Ratio est, quia omnia se scire existimant, ac contendunt, quod causa est, vt in omnibus nimij sint.

12 Vndecimo iuuenes iniuriam inferunt ad contumeliam, non ad malitiam, itaut eorum iniuriæ ad dignitatem potius violandam, quam ad aliud detrimentum afferendum, tendant.

13 Duodecimo iuuenes sunt ad miserendum procliues. Cum enim ex sua innocentia cæteros metiantur, omnes existimant probos, ac meliores, quam sint, adeoque indigna pati arbitrantur.

14 Decimo tertio iuuenes studiosi sunt risus, ideoque sunt etiam faceti. Facetia enim eruditum conuicium est. Iuuenum igitur mores tales sunt.

De moribus senum. Cap. XIII.

1 *Seniores autem, ac ætate prouecti horum ferè contrarios mores vt plurimum habent. Nam quoniam multos iam annos vixerunt, & errauerunt in pluribus, deceptique fuerunt, ac insuper quoniam rerum plurimæ vitiosæ sunt, neque affirmant quicquam, & multo minoris cuncta existimant, quàm oporteat. Sciunt autem nihil, sed ambigentes, semper forsan, ac fortassis addunt, & sic omnia dicunt, firmiter vero nihil.*

2 *Malitiosi quoque sunt. Malitia vero est, in peiorem cuncta partem suspicari. Suspitiosi nanque sunt, quoniam increduli, increduli vero, quoniam experti. Quapropter neque amant, neque oderunt nimium, sed secundum Biantis præceptum, & amant vt osuri, & oderunt vt amaturi.*

3 *Præterea pusillanimi sunt, vitaque ductu deiecti. Nullum enim magnum, neque superuacaneum, sed quæ ad vitam necessaria sunt, cupiunt. Illiberales etiam sunt, quoniam substantia vnum ex necessarijs est, simulque quoniam experti non ignorant difficilem quidem esse acquisitionem, iacturam vero facilem.*

1 Senes, quique vigorem ætatis amiserunt, contrarijs plerumque, ac iuuenes præditi sunt moribus. Primo igitur cum iuuenes existiment se omnia scire, ac cuncta firmiter asseuerent, senes è conuerso, quia multis vixerunt annis, ac sæpe sunt decepti, atque errarunt, expertique sunt res vt plurimum aliquo vitio laborare, nihil affirmant, ac minoris cuncta æstimant, quam oporteat: se suspicari dicunt, nihil autem scire, ac dubitantes semper addunt *forsan*, & *fortassis*, nihil autem firmiter asseuerant.

2 Secundo senes sunt malitiosi. Est autem malitia, *per quam omnia deteriorem in partem accipimus, atque interpretamur*. Sunt etiam suspiciosi propter incredulitatem, increduli verò propter experientiam, per quam recordantur se sæpius fuisse deceptos. Ex eadem ratione neque vehementer amant, neque vehementer oderunt, sed iuxta Biantis præceptum, amant tanquam osuri, oderunt tanquam amaturi.

3 Ter-

3 Tertio senes sunt pusillanimi. Longa enim ætas docuit eos humiliter, ac demissè de se sentire: ideoque nihil magnum, aut eximium, sed ea tantum, quæ necessaria sunt ad vitam, cupiunt. Ex eadem ratione sunt auari. Cum enim cupiant necessaria ad vitam, opes autem sint ad viuendum necessariæ, valde cupiunt opes, quod est proprium auaritiæ. Illud etiam ad eorum auaritiam augendam accedit, quod experientia didicerunt, quam difficile sit opes parare, quam facile illas amittere.

4 *Ad hæc timidi sunt, & ad pertimescendum cuncta parati. Contrario enim modo, quàm iuuenes dispositi sunt. Sunt enim frigidi, cum illi calidi sint. Itaque senectus viam timori præparauit. Timor enim frigiditas quædam est.*

5 *Vitæ quoque cupidi sunt, ac maxime in extremo die. Cupiditas enim rei absentis est, & cuius egent, id summopere cupiunt.*

6 *Accusandi quoque studiosi magis, quàm oporteat. Nam id etiam pusillanimitas quædam est.*

7 *Viuuntque ad vtile, non ad honestum, magis quàm oporteat, quoniam seipsos maxime amant. Vtile nanque sibi, honestum vero simpliciter bonum est.*

8 *Inuerecundi quoque magis, quàm verecundi. Nam quoniam non similiter de honesto, atque vtili curant, existimationem contemnunt.*

9 *Malæ quoque spei sunt, tum propter experientiam, quoniam plurimæ rerum vitiosæ sunt, multæque ad peius tandem deueniunt, tum propter timiditatem.*

10 *Viuuntque memoria magis, quàm spe. Nam futurum vitæ breue sibi est, præteritum multum. Spes autem futurorum est, memoria vero præteritorum. Quod causam etiam loquacitatis sibi affert. Perseuerant enim præterita narrantes: quoniam recordantes voluptate afficiuntur.*

4 Quarto senes sunt timidi, ac mala antequam aduenìant, expectant, & metuunt. Ratio est, quia disponuntur contrario modo, ac iuuenes, adeoque sicut iuuenes sunt calidi, sic senes sunt frigidi; sed timor est quoddam frigus; ergo senectus senes refrigerans disponit eos ad timiditatem.

5 Quinto senes valdè cupidi sunt viuendi, & quo magis extremæ diei propinquant, eo maiori desiderio vitam producendi tenentur. Ratio est, quia desiderium est eorum, quibus ita caremus, vt ijs indigeamus; sed senes vita indigent, eaque iamiam sunt cariturì; ergo.

6 Sexto senes queruli sunt magis, quam oportet. Ex pusillanimitate enim oriuntur querimoniæ.

6 Septimo senes ad vtilitatem potius, quam ad honestatem vitam dirigunt. Ratio est, quia sunt amatores sui magis, quam oportet; sed qui se ipsum magis amat, quam oportet, non tam prosequitur quod est bonum simpliciter, quam quod est bonum sibi; ergo senes non tam prosequuntur quod est bonum simpliciter, quam quod est bonum ipsis; sed honestum est bonum simpliciter, vtile bonum est nobis; ergo senes magis prosequuntur vtile, quam honestum.

8 Octauo senes inuerecundi potius sunt, quam verecundi. Ratio est, quia magis curant de bono vtili, quam de honesto; ergo opinionem etiam aliorum parui faciunt, nec sua interesse putant, quales alijs videantur.

9 Nono senes difficile inducuntur ad bene de rerum euentibus sperandum. Ratio est, quia experientia didicerunt res humanas vt plurimum esse malas, ac deteriorem in partem cadere. Accedit etiam timiditas senibus innata, quæ à bene sperando ipsorum animos auertit.

10 Decimo senes memoria magis viuunt, quam spe. Ratio est, quia memoria est futuri, spes autem præteriti; sed senibus parum superest vitæ futuræ, plurimum antecessit vitæ præteritæ; ergo vitam transigunt magis in cogitatione præteritorum, quam in spe futurorum. Id autem est causa loquacitatis in senibus. Sermones enim producunt præterita narrantes, quia nimirum ea memoria recolendo summopere delectantur.

11 *Ira vero acuta quidem est, sed infirma. Cupiditates quoque aliæ defecerunt, aliæ infirmæ sunt: Quare neque cupidi sunt, neque secundum cupiditates, sed secundum lucrum actiui. Idcirco ad modestiam quoque apti grandes natu videntur. Nam & cupiditates deferbuerunt, & ipsi lucro seruiunt. Viuuntque magis ratiocinatione, quàm*

4 Quarto in sumptibus neque nimis sunt parci, neque nimis prodigi, atque profusi, sed quod decet, ac congruit personis, & temporibus seruant: quoad iram quoque, & cupiditatem mediocriter se habent.

5 Quinto temperantia, ac fortitudo, quæ in iuuenibus, ac senibus disiungi solent, in viris ætate vigentibus copulantur. Cum igitur iuuenes fortes sint, sed intemperantes, senes temperantes sint, sed timidi, qui in ætate virili versantur, sunt cum fortitudine temperantes, ac cum temperantia fortes.

6 Sexto demum, vt vniuersim mores hominum ætate vigentium explicemus, ea bona hæc ætas habet coniuncta, quæ iuuentus, ac senectus possident diuisa: in ijs autem, in quibus senectus, ac iuuentus peccant per excessum, ac defectum, ætas virilis mediocriter, ac conuenienter se habet. Viget autem corpus ab anno trigesimo vsque ad trigesimum quintum: animus autem vsque ad quadragesimum nonum. Atque hæc de moribus iuuentutis, senectutis, atque ætatis virilis dixisse sufficiat.

De moribus nobilium. Caput XV.

1 *De moribus autem, qui fortunæ bonis quales quidam efficiantur, deinceps dicamus. Nobilitatis igitur mores sunt, vt ambitiosior sit, qui nobilior est. Nam omnes cum quid adsit, ad id solent coaceruare. Nobilitas vero quadam maiorum claritas est.*

2 *Præterea nobiles ad contemnendos maiorum suorum similes parati sunt. Nam ea, quæ iam diu gesta sunt, honoratiliora sunt, ad inflationemque aptiora, quam quæ nuper facta.*

3 *Est autem nobile secundum virtutem generis: generosum vero secundum quod non recedit à natura: quod non contingit vt plurimum nobilibus, sed multi humiles, atque deiecti sunt. Est autem etiam in virorum generibus fertilitas quidam, sicut in agris aliquando: ac interdum si genus bonum fuerit, viri præstantes generantur, rursumque genus deijcitur. Deueniunt autem ingeniosa quidem genera in mores furiosos magis, vt qui ab Alcibiade, quique à superiore Dionysio sunt: quieta verò in segnitiem, veluti qui à Cimone, Pericle, ac Socrate sunt.*

1 Agendum deinceps est de ijs fortunæ bonis, propter quæ mores hominum accidit tales fieri: & primo de moribus nobilium. Primo igitur nobiles magis, quam alij, studiosi sunt honoris. Ratio est, quia commune est omnium hominum, vt augere studeant bona, quæ possident; sed nobilitas est dignitas maiorum, qui magnos honores sunt consecuti; ergo non est mirum, si nobiles dignitatem, atque honorabilitatem à maioribus acceptam augere studeant.

2 Secundo proprium est nobilium, vt despiciant non solum homines abiectos, sed etiam illos, qui de nouo consecuti sunt ea bona, quæ olim nobilium progenitores fuerunt adepti. Ratio est, quia hæc bona maius decus, maioremque gloriandi caussam antiquitus possessa, quam de nouo acquisita videntur afferre.

3 Iam licet nobile habeat quamdam affinitatem cum generoso, adhuc ab illo differt. Nobile enim dicitur à generis virtute, generosum verò dicitur ex eo, quod à natura, atque ingenio maiorum non degenerat; ideoque ij sunt generosi, ac similes maioribus, qui ex nobili familia orti, maiorum virtutem imitantur. Neque verò semper contingit, vt nobiles sint generosi, ac similes maioribus, sed sæpe humili, abiectoque sunt animo. Ratio est, quia in generibus, ac familijs prouentus illustrium virorum se habent, sicut in agris prouentus fructuum; ergo sicut agri post plurium annorum fæcunditatem sterilescunt, sic in bonis familijs nascuntur per aliquod tempus eximij, ac præstantes viri, deinde verò videtur earum fæcunditas retro referri. Porro eæ familiæ, quæ viris acri, ac viuido ingenio præditis floruere, degenerant in homines quodammodo insanos, vt contigit generi Alcibiadis, ac Dionysij superioris: illæ autem, in quibus vbertas fuit hominum stabili, ac pacato ingenio præstantium, degenerant in quamdam socordiam, vt videre est in familijs Cimonis, Periclis, ac Socratis.

De

etiam meliores. Sunt enim potentes secundum mores ambitiosi, ac viriliores, quam diuites, eo quod operationes eas expectant, quas ipsis propter potentiam gerere licet.

2 *Diligentes quoque magis. Nam coacti quæ potentiæ sunt considerare, in cura sunt.*

3 *Honestiores etiam, quàm morosiores. Moderantur enim sibi, cum propter honores coram alijs viuant. Est autem honestas mollis, compositaque morositas.*

4 *Et si iniuriantur, non in paruis, sed in magnis iniuriantur.*

5 *Secunda vero fortuna dictorum morum habent secundum partes. Ad hanc enim tendunt, quæ secunda videntur fortuna contingere. Et ad hæc ad proborum liberorum procreationem, corporis quoque bona secunda contingunt fortunæ. Superbi ergo magis, & minus rationales propter secundam fortunam sunt: quamuis mos melior hanc fortunam vnus sequitur. Sunt enim erga Deum pij, afficiunturque quodammodo ad ipsum propter bona, quæ sibi à fortuna præbentur, credentes. De moribus igitur ætatum, & fortunæ dictum est. Contraria enim horum ex contrarijs manifesta sunt, veluti pauperis, infortunati, ac impotentis mores.*

1 MOres, qui ex potentia sequuntur, in aperto ferè sunt: siquidem potentes partim ijsdem, quibus diuites præditi sunt moribus, partim melioribus. Primo igitur potentes cupidiores sunt honoris, ac fortiores diuitibus. Ratio est, quia potentia est facultas res magnas efficiendi; sed vnusquisque desiderat efficere opera, quorum habet facultatem; ergo potentes appetunt res magnas efficere; sed ad magnas res gerendas requiritur fortitudo, & ex gestis sequitur honor; ergo potentes cupidi honoris, ac fortes sunt.

2 Secundo potentes studiosiores sunt diuitibus. Ratio est, quia cum cogantur semper cogitare de ijs, quæ ad potentiam retinendam, atque exercendam pertinent, in assidua quadam cura, & meditatione, studioque versantur.

3 Tertio grandiores sunt, quam grauiores. Dignitas enim eorum illos magis conspicuos reddit, ideoque granditatem quamdam, ac curam tuendæ dignitatis sectari coguntur, ac mediocritatem quamdam, modumque in rebus seruant. Est autem granditas mollis quædam, remissa, atque elegans grauitas.

4 Quarto si quempiam iniuria affecerint, non paruis in rebus, sed in magnis iniurias inferunt.

5 Quinto quia prosperitas fortunæ, si magna sit, ex nobilitate, opulentia, & potentia, tanquam ex partibus constat, ideo valde fortunati mores habent ex nobilium, diuitum, ac potentium moribus conflatos. Addit autem prospera fortuna supra tria explicata bonam etiam prolem, & alia, quæ bona corporis appellantur, puta sanitatem, pulchritudinem, robur &c. Qui igitur prospera fortuna vtuntur, superbiores sunt, atque in rebus agendis parum considerati; suæ siquidem fortunæ confidunt. Illud in fortunatis propter prosperitatem fortunæ boni inest, quod bene erga cultum diuinum sunt affecti. Bene autem de Deo sentiunt, ac credunt, quia existimant se prosperitatem fortunæ Dei beneficio, ac voluntate consecutos. Hæc igitur de moribus, quæ ex ætatibus, ac fortunis consequuntur, dicta sufficiant. Cum enim ex contrarijs fortunis contrarij sequantur mores, ex dictis de moribus eorum, qui quia prospera fortuna vtuntur, nobiles, diuites, ac potentes sunt, patet, quid sit dicendum de moribus eorum, qui quia aduersa fortuna vtuntur, sunt ignobiles, pauperes, atque impotentes.

Epilogantur dicta, & ostenditur agendum esse de communibus, atque explicatur, quæ sint communia. Cap. XVIII.

1 *VErum quoniam probabilis orationis vsus ad iudicium spectat (nam quæ iam scimus, ac iudicauimus, nulla egent amplius oratione) ac quoniam etsi quis cum suadeat ad vnum, oratione vtatur, vt admonentes, aut hortantes faciunt, nihilominus ille vnus iudex est: nam cui persuadendum est, is (vt simpliciter dicam) iudex est: & siue ad litigantes, siue ad causam quispiam dicat, similiter: vti nanque oratione necesse est, & contraria euertere, ad quæ, tanquam in aduersarium, orationem facit: eodemque modo in demonstratiuis: nam ad spectantem quasi ad iudicem oratio componitur, ac vniuersaliter*

faliter solus est, vt simpliciter iudex, qui in ciuili certamine quæsita iudicat: nam & de quibus litigant, & de quibus consultant, omnia quomodo se habeant, inquiruntur: 2 ** quoniamque de ciuitatum moribus dictum iam prius est in deliberatiuo, fit vt determinatum iam sit, quo pacto, & quibus moratam orationem faciemus. Et quoniam alius quidem in vnoquoque orationis genere finis erat, ac de omnibus opiniones, propositionesque sumptæ sunt, ex quibus deliberantes, demonstrantes, litigantes fidem faciunt, & ad hæc quoniam ex quibus moratam, affectamque orationem facere possibile sit, determinatum est.*

POstquam Aristoteles egit de ijs, quæ sunt propria trium generum dicendi, deliberatiui nimirum, demonstratiui, ac iudicialis, acturus deinde de ijs, quæ sunt cunctis generibus communia, præmittit proœmium, in quo epilogat dicta, ac proponit, quæ supersint dicenda.

1 Quia igitur orationes persuasiuæ cuiuscunque generis sint, ac siue ad vnum dirigantur, siue ad plures, ordinantur ad hoc, vt auditores inducant ad iudicandum id, quod ipsis volumus persuadere; ex quo oritur, vt non sit amplius oratione vtendum cum eo, qui iam scit, ac iudicat id, quod ipsi volumus persuadere; ideo explicuimus omnia singulorum generum propria, quæ spectant eo, vt auditores inducamus ad id, quod volumus, iudicandum. Quod autem omnes orationes persuasiuæ ordinentur ad hoc, vt auditores iudicent id, quod illis persuadere volumus, confirmat Aristoteles inductione orationum omnium generum. Primo enim si quis ad vnum tantum orationem dirigat, illique aliquid suadere, vel dissuadere conetur, vt admonentes, atque exhortantes faciunt, adhuc ille vnus se habet vt iudex, ac debet de eo, quod suademus, iudicare, assentiendo, vel dissentiendo: neque quoad hoc refert quicquam, an contra certum hominem, cum quo controuersetur, quis disserat, an causam positam defendat: semper enim debet oratione vti ad probandum intentum, contrariasque rationes dissoluere, contra quas, quasi contra aduersarium, est disserendum, adeoque semper cum auditore, tanquam cum iudice est agendum, ac conandum, vt pro eo, quod persuadere nitimur, iudicet, ac quodammodo sententiam proferat. Secundo si ad plures habeamus orationes generis demonstratiui, ad eos, qui spectatores adsunt, tanquam ad iudices, sermo noster est dirigendus. Illi siquidem oratore audito, quid sibi videatur, iudicabunt, ac statuent. Tertio demum etiam qui in ciuilibus concertationibus iudicant de ijs, de quibus est controuersia, iudices sunt, imo ijs solum iudicis nomen simpliciter, & absolutè conuenit, siquidem in talibus concertationibus quæritur, ac consultatur de rebus quibusdam dubijs, quo pacto se habeant, ac deliberantium sententia, ac iudicium expectatur; ergo patet omnes orationes persuasiuas eo dirigi, vt auditores iudicent id, quod illis volumus persuadere.

2 Quod autem explicauerimus omnia singulorum generum propria, patebit epilogando hactenus dicta. Quia enim ad persuadendum conducit, vt afferamus orationes moratas, hoc est moribus auditorum accommodatas, mores autem sunt diuersi secundum varias politias, seu formas gubernationis, ideo agentes de genere deliberatiuo, disseruimus de varijs politijs, ac moribus ipsarum, atque est explicatum, quomodo, & per quæ effici possint orationes moratæ. Quia orationes diuersorum generum, diuersos sibi proponunt fines, orationes siquidem generis deliberatiui proponunt sibi vtile; orationes generis demonstratiui proponunt sibi honestum; orationes generis iudicialis proponunt sibi iustum; ideo egimus de vtili, honesto, ac iusto, & proposuimus loca, opiniones, & propositiones, ex quibus deliberantes, iudicio contendentes, ac demonstrantes possunt suas rationes efficere, atque etiam disputauimus de ijs, ex quibus possumus orationes reddere morales, & effectiuas; ergo patet satis esse explicata ea, quæ sunt trium generum propria.

3 *Restat iam, vt de communibus tractemus. In oratione igitur omnibus necessarium est, vt possibili, atque impossibili vtantur, alijsque quod fuit, alijsque quod erit, conentur ostendere. MAgnitudo quoque omni orationi communis est. Omnes enim siue suadeant, aut dissuadeant, siue laudent, aut vituperent, siue accusent, aut defendant, amplificatione, atque attenuatione*

tione vtuntur. Quibus determinatis, de enthymematibus communiter, atque exemplis conabimur dicere, vt quæ restant apponentes, quod ab initio intendimus, consequamur. Est autem ex communibus amplificatio demonstratiuo accommodatissima, præteritum vero iudiciali, possibile autem, & futurum deliberatiuo, vt dictum est.

3 Reliquum igitur est, vt addamus ea, quæ sunt omnibus tribus generibus communia. Sed antequam de singulis agamus, præmittendum est, quæ sint communia. Primo igitur necesse est, vt in orationibus cuiuscunque generis aliquando agatur de possibili, & impossibili, atque ostendatur quædam fieri potuisse, vel non potuisse: Secundo necesse est, vt demonstretur quædam facta fuisse, vel non fuisse; futura esse, vel non esse. Tertio necesse est, vt agatur de magnitudine rei, siquidem omnibus generibus communis est amplificatio, ac diminutio, ijsque vtuntur tum suadentes, ac dissuadentes, tum laudantes, ac vituperantes, tum accusantes, ac defendentes; sed amplificans debet ostendere rem esse magnam, aut paruam; ergo &c. Agendum est igitur primo de possibili, & impossibili; secundo de facto, ac non facto; tertio de futuro, ac non futuro; quarto de amplificatione, ac diminutione, ac de locis, quæ vsui esse possunt ad hæc. His expeditis agendum est de exemplis, atque enthymematibus. Et quia iam proposuimus loca propria, afferenda sunt loca cunctis generibus communia, & per hæc secundum hunc librum absoluemus. Addit Aristoteles, quod licet amplificatio, ac diminutio sit communis omnibus generibus, adhuc specialiter accommodatur generi demonstratiuo, siquidem laudans præsertim, ac vituperans debet res dicendo augere, vel diminuere. Rursus quia in iudicio quæstio est de facto, in genere præsertim iudiciali probandum est aliquid factum fuisse, vel non fuisse: atque ex proportionali ratione quia deliberatio est de futuris, specialiter in genere deliberatiuo debet ostendi id, de quo agitur, fore, vel non fore.

De locis, quibus ostendi potest aliquid esse possibile, vel impossibile. Cap. XIX. Art. I.

1 *PRimum igitur de possibilibus, & impossibilibus dicamus. Si ergo contrarium esse, vel fieri possibile sit, contrarium quoque possibile profecto esse videbitur: vt si sanari hominem possibile est, erit etiam ægrotare. Ea enim contrariorum potentia est, quæ est contraria.*

2 *Item si simile possibile est, erit & dissimile. Præterea si quod difficilius est, possibile est, & quod facilius etiam. Insuper si studiosum, aut pulcbrum fieri possibile, omnino quoque fieri possibile. Nam difficilius est pulchram fieri domum, quàm domum.*

3 *Item cuius principium fieri possibile, huius & finis possibilis. Nihil enim eorum fit, neque incipit fieri, quæ impossibilia sunt: vt commensurabilem esse diametrum, nec fieri vnquam incipiet, nec iam fit. Et conuersim cuius finis, huius etiam principium. Cuncta enim ex principio sunt.*

4 *Ad hæc si quod substantia posterius est, aut generatione, id fieri possibile, & prius quoque: velut si virum fieri possibile, & puerum quoque. Hoc nanque fit prius. Quòd si puerum, & virum etiam: principium enim illud.*

1 PRimo igitur afferenda sunt loca, seu propositiones, quibus ostendi potest aliquid fieri potuisse, vel non potuisse. Primus locus, seu prima propositio est: si vnum contrarium potuit esse, vel fieri, etiam aliud contrarium videtur posse esse, vel fieri: ex. gr. si fieri potuit, vt homo conualuerit, etiam fieri potest, vt ægrotauerit. Ratio est, quia contrariorum, quatenus contraria sunt, eadem est potentia.

2 Secunda propositio est: si fieri potest vnum simile, etiam aliud simile fieri potest; & si fieri potest difficilius, à fortiori fieri potest facilius: ex quo sequitur vlterius, quod si aliquid pulchrum, vel bonum fieri potest, etiam simpliciter fieri potest: ex. gr. si fieri potest domus pulchra, & bona, potest etiam fieri, domus simpliciter, siquidem difficilius est efficere domum bonam, vel pulchram, quam effi-

efficere domum quomodocunque.

3 Tertia propositio est: eorum, quorum principium fieri potest, etiam finis fieri potest; & è conuerso quorum finis fieri potest, etiam principium fieri potest. Ratio est, quia impossibilia neque fiunt, neque incipiunt fieri: ex. gr. quia impossibilis est diameter quadrati commensurabilis costæ, ideo neque fiet vnquam, neque incipiet fieri. Rursus omnia fiunt ex principio; ergo si finis fieri potest, etiam principium fieri potest.

4 Quarta propositio est: si posterius substantia, ac generatione fieri potest, etiam prius fieri potest: ex. gr. si fieri potest vir, qui est puero posterior generatione, atque substantia, etiam puer, qui est prior viro fieri potest: si verò potest fieri puer, potest etiam fieri vir, siquidem puer est principium, vir est finis generationis: ex propositione autem superiori, cum potest fieri principium, potest etiam finis fieri.

5 *Præterea quorum amor, aut cupido secundum naturam est. Nemo enim amat impossibilia, nec ea cupit vt plurimum.*

6 *Insuper ea, quorum est ars, aut scientia, & esse, & fieri possibile est.*

7 *Item ea, quorum generationis principium in ijs est, quos vel cogere possumus, vel persuadere. Ii vero sunt, quibus aut meliores sumus, aut domini, aut amici.*

8 *Ad hæc quorum partes possibiles, & totum. Et quorum totum, partes quoque vt plurimum. Nam si lacinia & manicæ, cæteræque partes fieri possunt, & vestis quoque tota: & si tota vestis, lacinia quoque, atque manica.*

5 Quinta propositio est: quorum naturaliter datur amor, ac desiderium, ea possibilia sunt. Plerumque enim impossibilia nec amamus, nec desideramus.

6 Sexta propositio est: quorum efficiendorum dantur scientiæ, & artes, ea sunt possibilia: siquidem non potest dari scientia, vel ars efficiendi impossibile.

7 Septima propositio est: ea sunt nobis possibilia, quorum efficiendorum principium est in ijs, quos possumus cogere, vel persuadere. Et quia domini possunt cogere seruos, meliores possunt persuadere deteriores, & amici amicos, ideo ea sunt nobis possibilia, quorum principium est in deterioribus, seruis, vel amicis.

8 Octaua propositio est: si partes fieri possunt, etiam totum fieri potest: & è conuerso si totum fieri potest, etiam partes fieri possunt: ex. gr. quia obstragula, & ligula sunt partes calcei, si illa fieri possunt, etiam calceus fieri potest, & si calceus fieri potest, etiam solea, obstragula, & ligula fieri possunt.

9 *Præterea si vniuersum genus ex possibilibus, species quoque fieri possibilis. Et si species, genus quoque: vt si nauem fieri possibile, triremem etiam: & si triremem, nauem quoque.*

10 *Præterea si alterum eorum, quæ nata sunt ad inuicem referri, alterum quoque: vt si duplum, medium etiam: & si medium, duplum quoque.*

11 *Præterea si absque arte, ac præparatione possibile quippiam fieri, id multo magis arte, ac cura fieri possibile. Hinc apud Agathonem dictum est. Atqui quæ vos fortuna facitis, hæc nobis arte, necessitateque sunt.*

12 *Et quod peioribus, aut minoribus, aut imprudentioribus possibile, id contrarijs horum multo magis, vt Isocrates dixit graue esse, si quod Euthymius didicit, ipse non poterit inuenire. De impossibilibus autem palam, quòd ex contrarijs istorum sunt.*

9 Nona propositio est: si potest fieri genus, etiam species fieri potest; & si potest fieri species, potest fieri etiam genus: ex. gr. quia nauigium est genus triremis, si potest fieri nauigium, potest etiam fieri triremis: & si potest fieri triremis, potest etiam fieri nauigium.

10 Decima propositio est: si eorum, quæ ex sua natura sunt ad inuicem relatiua, vnum est possibile, etiam alterum est possibile, & è conuerso: ex. gr. si duplum est possibile, etiam dimidium est possibile, & si dimidium est possibile, etiam duplum est possibile.

11 Vndecima propositio est: si aliquid potest fieri, etiam sine arte, & sine instrumentorum apparatu, multo magis fieri potest adhibita cura, & arte, ideoque Agathon cecinit: *quædam enim fortuna fieri licet, quædam necessitate, & arte.*

12 Duodecima propositio est: quod potest fieri à deterioribus, inferioribus, & imprudentioribus, à fortiori fieri potest à me-

melioribus, maioribus, & prudentioribus. Hoc loco vsus est Isocrates, cum dixit indignum esse, si quæ parui, aut nullius ingenij homo Euthymius didicerit, ipse inuenire, atque excogitare non posset. His igitur locis ostenditur rem esse possibilem: contrarijs autem locis possumus vti ad impossibilitatem demonstrandam.

De locis, quibus ostendi potest aliquid fuisse factum, vel non fuisse factum, esse futurum, vel non esse futurum. Capitis XIX. Articulus II.

13 *SI vero factum sit, aut non, ex his considerandum primum. Si quod minus fieri natum est, id factum est, & quod magis natum, id quoque factum.*

14 *Deinde si quod posterius fieri solet, factum est, & quod prius: vt si oblitus est, didicit aliquando.*

15 *Præterea si & volebat, & poterat, fecit. Nam omnes si possunt: cum voluerint, a-*
16 *gunt. Nihil enim impedimento est. * Si volebat etiam, & extraneorum nihil impe-*
17 *diebat. * Et si poterat, & cupiebat.*
18 ** Et si poterat, & delectabatur. Nam quibus delectantur, ea vt plurimum si possunt, efficiunt, improbi quidem ex intemperantia, probi vero, quoniam proba desiderant.*

19 *Et si facturus erat, & fecit. Probabile nanque fecisse ipsum, quod facturus erat.*

13 AD ostendendum aliquid fuisse factum, vel non fuisse factum, primus locus, seu prima propositio est: si quod minus aptum est, vt fiat, adhuc est factum, quod magis aptum est, vt fiat, etiam ipsum est factum: ex. gr. difficilius est lædere alium factis, quam verbis; ergo si quis læsit alterum factis, læsit etiam verbis.

14 Secunda propositio est: si factum est posterius, factum est etiam prius: ex. gr. posterius est obliuisci quæ quis didicerit, quam illa discere; ergo si quis oblitus fuit, etiam didicit ea, quorum est oblitus.

15 Tertia propositio est: si quis potuit, & voluit aliquid facere, fecit. Quicunque enim aliquid non facit, vel non facit, quia non potest, vel non facit, quia non vult; ergo si potuit, & voluit, nihil est, cur non fecerit.

16 Quarta propositio est: si voluit facere, & non fuit vllum impedimentum exterius, fecit. Ratio est, quia voluntas faciendi aufert omnia impedimenta interiora; ergo si præterea nihil impediuit exterius, fecit.

17 Quinta propositio est: qui potuit lædere, & iratus fuit, læsit. Ratio est, quia irati vt plurimum lædunt, cum possunt.

18 Sexta propositio est: qui poterat, & cupiebat, fecit. Ratio est, quia homines cum possunt, vt plurimum faciunt ea, quæ cupiunt; praui quidem ex incontinentia, probi verò, quia honesta solum desiderant.

19 Septima propositio est: quod quis fuerat facturus, probabile est, quod fecerit.

20 *Et si facta sunt quæcunque nata sunt ante aliquid fieri, aut illius gratia: vt si coruscauit, tonuit. Et si tentauit, etiam fecit. Ad hæc si facta sunt, quæcunque posterius nata sunt, vel id, cuius gratia fuerit prius quoque, & hoc, cuius gratia ante hoc factum est: vt si tonuit, etiam coruscauit: & si fecit, etiam tentauit. Horum autem omnium alia necessaria sunt, alia vt plurimum ita se habent.*

21 *Ex contrarijs autem istorum patet si factum non sit. De futuro quoque manifestum ex eisdem est. Nam & quod in potestate est, erit. Et quod in cupiditate, ira, cogitationeque est simul cum potestate propter hæc similiter. Præterea si est in appetitione faciendi, vel cura. Nam vt plurimum sæpius fiunt, quæ curæ sunt, quàm quæ non sunt. Et si iam facta sunt, quæ prius fieri nata sunt: vt si nubibus cælum obtegitur, verisimile est vt pluat. Et si quod huius gratia factum est, verisimile vt hoc quoque fiat: vt si fundamenta iacta sunt, fiet domus.*

20 Octaua propositio est: si facta sunt, quæ sunt apta fieri post aliquid aliud, vel illius gratia, etiam illud est factum: ex gr. quia tonitruum aptum est fieri post coruscationem, si tonuit, etiam coruscauit. Rursus quia homines tentant aliquid facere, vt illud faciant, si quis aliquid fecit, etiam conatus est illud facere. Concludit Aristoteles, quod ex locis allatis aliqua con-

 clu-

cludunt ex necessitate, & semper, alia concludunt plerumque; & quod ex locis contrarijs potest ostendi aliquid non fuisse factum.

21 Proportionales sunt propositiones ad ostendendum aliquid esse faciendum, siue esse futurum. Prima propositio est: quod aliquis potest, & vult facere, fiet, & erit. Secunda est: quod quis potest facere, & cupit, ac meditatur facere ex concupiscentia, vel ira, fiet, & erit. Tertia est: quæ desiderio, ac curæ sunt, erunt. Vt plurimum enim potius fiunt, quæ curæ sunt, quam quæ curæ non sunt. Quarta est: si facta sunt quæ debent fieri prius, fiet etiam quod debet fieri posterius: ex. gr. quia antequam pluat, nubes debent congregari, si nubes sunt congregatæ, verisimile est, quod pluet. Quinta est: si factum est aliquid, quod est gratia alterius, fiet etiam illud, cuius gratia est: ex. gr. quia fundamentum est gratia domus, si factum est fundamentum, verisimile est, quod fiet etiam domus.

De locis ad amplificandum, & diminuendum. Cap. XX.

1 *DE amplificatione autem, ac attenuatione rerum, maiorisque, atque minoris, & omnino magnarum, atque paruarum, ex ijs, quæ iam diximus, manifestum. Dictum est enim in deliberatiuo & de bonorum magnitudine, & de maiore simpliciter, atque minore. Quare si in vnoquoque causarum genere bonum est finis, vt puta vtile, honestum, ac iustum, perspicuum est horum omnibus amplificationes esse sumendas. Quærere vero præter hæc quicquam de magnitudine simpliciter, ac excessu, id est verba incassum effundere. Singularia enim ad vsum præstantiora vniuersalibus sunt. Ac de possibili quidem, ac impossibili, & factumne sit, an non, & erit, an non erit: præter a de amplificatione, & attenuatione rerum hæc dicta sint.*

1 SVperesset iam, vt ageremus de amplificatione, ac diminutione, & de locis, qui vsui possunt esse ad amplificandum, ac diminuendum. Verum cum supra lib. 1. cap. 7. agentes de genere deliberatiuo egerimus de magnitudine, ac de paruitate rerum, ac de maiori, & minori, & vniuersim de magnis, ac paruis, ex ijs, quæ ibi tradidimus, desumi possunt loca ad amplificandum, ac diminuendum. Cum enim amplificare nihil sit aliud, quam ostendere magnitudinem, vel maioritatem rei; diminuere nihil sit aliud, quam ostendere paruitatem, vel minoritatem; loca, per quæ probatur magnitudo, vel maioritas, vtilia sunt ad amplificandum; loca, per quæ ostenditur paruitas, vel minoritas, sunt vtilia ad diminuendum. Confirmatur, quia omnia tria genera dicendi proponunt sibi vt finem aliquod bonum. nam genus deliberatiuum proponit sibi bonum vtile; genus demonstratiuum proponit sibi bonum honestum; genus iudiciale proponit sibi iustum; ergo omnes amplificationes debent versari in ostendenda magnitudine talium bonorum. Qui verò loco tradendi propositiones ad probandam magnitudinem talium bonorum, diuertunt ad disputandum de magnitudine, & maioritate ideali, quam vocant *per se magnitudinem*, ac *per se maioritatem*, vanè, & inutiliter disserunt, siquidem propositiones de magnitudine bonorum particularium vtiliores sunt ad orationes conficiendas, quam propositiones de magnitudine vt sic, & vniuersali. Hæc igitur de possibili, & impossibili; de facto, ac non facto; de futuro ac non futuro; ac de magnitudine, & paruitate dicta sufficiant.

De exemplis, eorum speciebus, atque vsu. Caput XXI.

1 *REstat autem de fide communiter dicere, quoniam de proprijs iam dictum est. Est autem communis fides genere duplex, exemplum & enthymema: nam sententia pars enthymematis est. Primum igitur de exemplo dicamus, quoniam inductioni simile est, inductio autem principium.*

2 *Exemplorum ergo species duæ sunt. Altera, si res præteritas dicas: altera si ipse fingit. Et huius aliud similitudo, aliud apologi, sicut Aesopi & Libyci.*

3 *Exemplum igitur tale quid est, vt si quispiam ducat oportere apparatum aduersus regem fieri, qui faciat, ne potiatur Aegypto. Nam si Darius non prius traiecit,*

quam

quàm Aegyptum cepit, & cum cepisset, statim traiecit, is quoque si ceperit, traijciet: quare non est ipsi permittenda Aegyptus.

4 *Similitudo vero Socratica est, vt si quis dicat non oportere magistratus sortiri: simile nanque esse, si quis athletas sortiatur, non eos, qui certare possint, sed qui forte euenerint: aut si e nautis sorte gubernatorem constituat: quasi vero sorte potius, quàm scientia constituendus sit.*

1 AGendum iam est de persuasionibus communibus, siquidem iam supra disseruimus de proprijs. Probationes communes reducuntur ad duo genera, exempla nimirum, & enthymemata, siquidem sententia, qua etiam possumus vti ad probandum, pars est enthymematis, ideoque de ea agendum est cap. sequenti, antequam agamus de enthymemate. Primo igitur disserere debemus de exemplo, quod simile est inductioni. Nam sicut in scientijs vtimur inductione vt principio ad probanda vniuersalia, sic in rhetoricis vtimur exemplo ad eadem ostendenda.

2 Exemplorum duæ sunt species. Prima species est, cum re præsertim simili verè antea gesta vtimur ad probandum id, quod intendimus. Secunda species est, cum nos ipsi fingimus aliquid simile ad id, quod volumus, ostendendum. Exemplum à nobis fictum subdiuiditur in alias duas species, Parabolam nimirum, seu similitudinem, & Apologum, seu fabulam, cuiusmodi sunt fabulæ Aesopicæ, ac Lybicæ, quibus nimirum Africani vtebantur.

3 Exemplum argumentationis petitæ ex præteritis historijs est sequens. Cum Rex Persarum Aegyptijs bellum inferret, quidam rem illam græcis periculosam putans, autor fuit Græcis, vt arma contra Regem Persarum pararent, nec sinerent, vt Aegyptum in suam potestatem redigeret, ac suum consilium ex præteritis historijs sic probauit. Superioribus temporibus Darius cæpit Aegyptum, ac deinde in Græciam traiecit: Xerses non nisi post Aegyptum captam, aggressus est Græciam; ergo etiam præsens Rex Persarum, si Aegyptum redegerit in potestatem, bellum inferet Græcis, adeoque ad auertendum periculum, non est permittendum, vt Aegypto potiatur.

4 Exempla argumentationum desumptarum ex parabolis passim apud Socratem inueniuntur. Posset ex parabolis, seu similitudinibus sic aliquis ostendere, quod magistratus non sunt creandi sorte. Creare magistratus sorte simile est, ac si quis athletas designaturus, non illos eligeret, qui pollent viribus ad pugnandum, sed illos, qui sorte prodirent ex vrna; vel si quis ex nautis designaturus gubernatorem nauis, non eligeret eum, qui peritus esset gubernandæ nauis, sed sorte, & fortuito; sed est manifestum, quod athletæ, & gubernatores nauium non debent eligi sorte; ergo neque magistratus eligendi sunt sorte.

5 *Apologus talis est Stesichori ad Phalarim, & Aesopi pro Demegoro. Nam Stesichorus, cum Himeræi Phalarim Imperatorem constituissent, custodesque corporis daturi essent, postquam alia disseruit, apologum eis dixit. Equus, inquit, prata solus obtinebat: quorum cum ceruus adueniens pascua deuastasset, de vltione cerui equus hominem consuluit, si vna secum pœnas posset ex ceruo sumere. At ille, facile, inquit, si frænum patieris, & ego in te hastam tenens ascendero. Accipit equus conditionem: ascendit ad ipsum homo: ita pro vltione homini equus seruiuit. Quamobrem & vos (inquit) cauete, ne cum velitis hostem vlcisci, idem, quod equus, patiamini. Frænum iam recepistis, quando imperatorem dictatorem constituistis. Si vero custodiam quoque dederitis, ac ascendere permiseritis, seruietis profecto Phalaridi. Aesopus autem cum in Samo primatem quendam populi capitis accersitum defenderet, dixit vulpem, cum fluuium transiret, in foueam decidisse, eique longo ibi tempore, cum exire non posset, afflictæ multas caninas muscas insedisse. Eam transiens aspexit hericius, misertusque rogauit, si vellet, vt ab ea caninas muscas euelleret: cumque ipsa negasset, causam miratus quærebat. Tunc illa, iam, inquit, hæ saturatæ parum sanguinis trahunt: quod si has tu excuties, famescentes venient aliæ, quæ quod mihi sanguinis restat, totum ebibent. Sic igitur, dixit, vobis quoque viri Samij nihil iam iste locupletatus officit: si vero hunc interimetis, pauperes alij locum eius occupabunt, qui ciuitatis pecuniam facile furando consument.*

5 Exempla argumentationum petitarum ex fabulis, seu apologis possunt esse illa, quibus vsus est Stesichorus contra Phalarim, & Aesopus pro quodam populi ductore. Cum Himerenses Imperatorem suarum copiarum elegissent Phalarim, ac vellent illi custodiam corporis dare Stesichorus dissuasit, ac sequenti fabula ad dissuadendum est vsus. Cum equus dominus esset prati, ceruus pratum aggressus, illud deuastauit, ac pascua corrupit. Equus indignatus ceruo, ac volens de illo vltionem sumere, quæsiuit ab homine, an coniunctis cum equo viribus, posset ceruum punire. Respondit homo, posse se armatum iaculis in ceruum impetum facere, dummodo equus sumeret frænum, ac permitteret hominem ipsi insidere. Equus probata conditione accepit frænum, atque homo iaculis armatus ipsi insedit, sed loco sumendi vltionem de ceruo, equum redegit in seruitutem. Sic & vos Himerenses cauete, ne dum optatis de hostibus vlcisci, patiamini aliquid simile equo. Frænum enim iam suscepistis, dum Phalaridi demandastis imperium copiarum militarium: si verò dando illi custodiam, permiseritis ipsum vobis insidere, proculdubio Phalaridi seruietis. Aesopus cum quemdam populi ductorem de capite periclitantem apud Samios defenderet, hac fabula est vsus. Vulpes traijciens fluuium decidit in voraginem, ac cum non posset ex illa emergere, diu malè affecta est, ac multæ muscæ caninæ ipsi adhæserunt. Accidit, vt Herinaceus illac transiens, cum vulpem vidisset, misericordia motus illam interrogaret, num vellet vt muscas caninas abigeret? Abnuit vulpes, atque Herinaceo sciscitanti causam respondit: quia hæ muscæ, cum meo sanguine iam sint saturatæ, parum sanguinis hauriunt; si verò has abegeris, aliæ famelicæ me inuadent, ac totum, qui reliquus est, cruorem ebibent. Sic viri Samij, hic ductor populi, cum iam sit ditatus, atque opibus saturatus, non amplius vobis nocet. At si hunc interfeceritis, succedent alij pauperes, qui publica bona depeculabuntur.

6 *Huiusmodi ergo apologi ad populum maxime accommodati sunt habentque hanc præstantiam, cum difficile sit res præteritas similes inuenire, apologos facillimum est fingere. Nanque opus est hoc modo inuenire, vt & similitudines, modo possis quod simile est perspicere, quod Philosophia facile præstat. Non est igitur difficile apologos inuenire. Verum ad consultationem res gestæ multo vtiliores sunt. Nam vt plurimum futura præteritis similia sunt.*

7 *Exemplis igitur, siquidem non habeas enthymemata, quasi demonstrationibus vtendum: si vero habeas, quasi testimonijs post enthymemata in perorationibus. Cum enim præponuntur, similia inductionibus sunt: inductio autem orationi oratoriæ, præterquam in paucis, non est idonea. Postposita vero, testimonijs assimilantur. Testis autem vbique ad fidem vtilis. Præterea præponenti multa dicere necesse est: postponenti autem vnum etiam sufficit. Nam testis probus, vel vnus satisfacit. Quot igitur species exemplorum sint, & quo pacto, & quando ipsis vtendum, dictum est.*

6 Explicatis tribus speciebus exemplorum, comparandæ sunt inter se, atque eorum vsus est proponendus. Apologi, seu fabulæ valde sunt accommodatæ concionibus popularibus, atque in hoc præstant exemplis desumptis ex historijs veris, quod difficile est veras historias inuenire, at fabulas facilius est afferre, cum possit vnusquisque illas suo arbitratu fingere. Ex eadem ratione facilis est vsus parabolarum, ac similitudinum, dummodo possit quis quod simile est conspicere; ad quod conspiciendum multum confert Philosophia. Verumtamen licet fabulæ facilius inueniantur, exempla ex historijs petita vtiliora sunt ad consultandum, ac deliberandum: cuius ratio est, quia plerumque futura sunt similia præteritis.

7 Iam cum non suppetunt nobis enthymemata ad propositum ostendendum, vti debemus exemplis vt demonstrationibus. Cum verò suppetunt enthymemata, postquam enthymematibus ostenderimus intentum, debemus afferre exempla tanquam testimonia ad confirmandum verum esse, quod per enthymemata est ostensum; adeoque debemus vti exemplis in epilogis, seu clausulis enthymematum. Ratio est, quia exempla cum per se proponuntur, vt concludant, debent esse similia inductionibus; at in rhetoricis paucæ possunt afferri inductiones, cum propter varietatem re-

rerum humanarum semper occurrant multæ instantiæ in contrarium; ergo difficile est, vt exempla per se proposita concludant. At cum exempla afferuntur in confirmationem eorum, quæ sunt conclusa per enthymemata, æquiualent testimonijs: testimonia verò magnam semper habent vim ad confirmandum propositum. Adde, quod si exempla per se afferantur, necesse est afferre plura exempla, si verò afferantur ad confirmandum quod fuit iam per enthymemata probatum, sufficit vnicum, sicut sufficit vnicus testis fide dignus. Patet igitur ex dictis, quæ sint species exemplorum, quomodo, & quando sit ipsis vtendum.

De sententijs, earum speciebus, vsu, atque vtilitate. Cap. XXII.

1 *DE sententijs autem adhibendis, si quid sententia sit, dixerimus facile patebit, quibus de rebus, & quando, & quibus consentaneum est in oratione sententijs vti.*

2 *Sententia igitur est non de singularibus, vt qualis quidem Iphicrates sit, sed de vniuersali enunciatio: nec de omnibus vniuersalibus, vt rectum obliquo contrarium esse, sed de quibuscunque operationes sunt, quæ ad agendum eligenda, vel fugienda sunt. Quare quoniam enthymemata syllogismi de istis sunt, tam conclusiones enthymematum, quàm principia, syllogismo remoto, sententia ferè sunt: vt illud: Oportet prudentem virum non nimium in sapientia liberos, erudire. Id igitur sententia est, cui si causa quamobrem accesserit, totum enthymema erit. Nam ad otium quod habent, perniciosam etiam sibi hominum inuidiam attrahunt. Et illud: Non est qui felix omnibus in rebus sit: &, Nullus hominum liber est: nam aut pecuniæ, aut fortunæ seruit.*

1 QVia sententia est pars enthymematis, antequam agamus de enthymemate, debemus agere de sententia, ac primo debemus explicare, quid sit sententia: secundo quotuplex sit: tertio debemus agere de eius vsu, atque vtilitate.

2 Quoad primum: sententia est quædam enunciatio. Non tamen omnis enunciatio est sententia, siquidem enunciationes de singularibus non sunt sententiæ: ex. gr. sententiæ nomen tribui non debet enunciationi, per quam explicetur, qualis fuerit Iphicrates Atheniensis, qui cum esset humili loco natus, industria, ac virtute ad summum dignitatis gradum ascendit. Ad sententiam igitur requiritur, vt sit enunciatio de vniuersalibus. Sed neque sufficit, vt sit enunciatio de vniuersalibus, siquidem enunciatio, qua quis dicat *rectum esse contrarium curuo* est de aliquo vniuersali, & tamen non est sententia, sed sententia debet esse enunciatio de ijs vniuersalibus, circa quæ versantur actiones, quæque sunt eligenda, vel fugienda. Est igitur sententia, *enunciatio de aliquo vniuersali eligendo, vel fugiendo, circa quod versantur actiones*: & quia enthymemata rhetorica sunt syllogismi circa eligenda, vel fugienda, ideo & conclusiones, & præmissæ, seu principia rhetoricorum enthymematum, in quantum considerantur seorsim, & extra syllogismum, solent esse sententiæ: ex. gr. sententia est, quam Medea apud Eurypidem protulit, dicens: *non est viri prudentis liberos in studijs litterarum diù occupatos tenere, ac curare vt ad summum sapientiæ perueniant*: si verò huic sententiæ addatur causa, quam eadem Medea addidit, dicens: *nam liberi, dum diu studijs occupantur, ita euadunt inertes, vt non possint deinde ab otio, cui assueuerunt, auelli, & præterea concivium in se inuidiam concitant*; ex sententia, & ratione fiet integrum enthymema. Est etiam sententia illa Aristophanis: *nemo est, qui omnino sit fœlix*; & quam apud Euripidem protulit Hecuba dicens: *nullus vir omnino est liber*; cui rationem subiungens: *quilibet enim aut pecuniarum, aut fortunæ est seruus*; fecit integrum enthymema.

3 *Si ergo sententia est, quod diximus, quatuor sententiæ species esse necesse est. Nam aut cum ratione erit, aut sine ratione. Quæ igitur egent demonstratione, cum ratione sunt: quæcunque vero nihil mirum continent, absque ratione. Quarum aliæ necessario, quoniam ratione præsciantur, non egent: vt illud: Bene valere præstantissimum hominibus est, vt nobis videtur. Id enim ita iam multis videtur. Aliæ simul*

cum dicantur, patent perspicienti: vt illud: Nemo amator est, qui non semper amet. Earum vero, quæ cum ratione sunt, aliæ pars enthymematis sunt: vt, Oportet prudentem virum esse. Aliæ enthymematicæ quidem sunt, enthymematis autem pars non sunt, quæ maxime probantur.

4 *Huiusmodi autem sunt, in quibuscunq; causa inest, vt in illo: iram immortalem, cum sis mortalis, non serua. Nam quòd ira seruanda semper non sit, sententia est: adiectum vero, cum sis mortalis, quamobrem significat. Cui simile est: mortalia mortalem, non immortalia curare oportet. Perspicuum igitur est, quot sint sententiæ species, & quibus vnaquæque rebus accommodetur.*

5 *Rebus enim ambiguis, aut nouis, & præter opinionem accommodabitur. Sed aut ratione præposita sententia vtemur concludendo: vt si quis dicat, Ego igitur, quoniam nec inuidiosum, nec otiosum esse conducit, non oportere doceri assero: aut hoc præposito reliqua postponemus. Quæ vero etsi præter opinionem non videantur, sunt tamen incerta, ea rotundissime dicentur, si quamobrem præposueris, quibus etiam Laconica dicta accommodantur, & ænigmata: vt si quis dicat, quod Stesichorus apud Locros dixit: Non oportere contumeliatores esse, ne Cicadæ humi canant.*

3 Quoad secundum: ex tradita definitione sententiæ sequitur quatuor esse sententiarum species. Probatur diuidendo, ac subdiuidendo sententiam per membra contradictoria. Primo ergo vel per sententiam pronunciatur aliquid controuersum, ac præter opinionem, vel aliquid non controuersum, nec præter opinionem si pronunciatur aliquid controuersum, & præter opinionem, debet addi ratio eius, quod dicitur: si pronunciatur aliquid non controuersum, nec præter opinionem, non debet afferri vlla ratio eius, quod dicitur; ergo sententia diuiditur tanquam in duo genera, in eam, quæ affertur cum ratione, & in eam, quæ affertur sine ratione; sed vtrumque genus subdiuiditur in duas species; ergo sententia diuiditur in quatuor species. Probatur, & explicatur assumptum: sententia enim, quæ non indiget ratione, vel ideo non indiget ratione, quia quod per illam pronunciatur, ante est notum; vel quia licet ante non sit notum, adhuc statim, ac pronunciatur, apparet esse verum; ergo duæ sunt species sententiarum sine ratione: altera continet eas, per quas pronunciatur aliquid antea notum; altera continet eas, per quas pronunciatur aliquid, quod statim apparet esse verum. Exemplum sententiæ, per quam pronunciatur aliquid antea notum est, per quam dicitur, quod homini optimum est valere. Exemplum sententiæ, per quam pronunciatur aliquid, quod statim cognoscitur esse verum est, per quam Hecuba apud Euripidem in Troade dixit, quod nemo verè est amator, qui non semper amet. Rursus sententia, quæ profertur cum ratione, vel est pars enthymematis, qualis est illa Medeæ num. 2. allata: *non est prudentis viri liberos in studijs litterarum &c.* vel est enthymematica, quia in ea apparet ratio eius, quod pronunciatur, sed adhuc non est pars enthymematis.

4 Harum sententiarum, quas maximè ait probari, duo exempla Aristoteles affert. Primum exemplum est: *mortalis cum sis, immortalem iram ne custodias*. Dum enim asseritur immortalem iram non esse custodiendam, affertur sententia: dum verò additur, *mortalis existens*, indicatur ratio sententiæ. Secundum exemplum simile est: *mortalem oportet sapere mortalia, non autem immortalia*. Ergo vniuersim quatuor sunt species sententiarum. Prima species est, per quam pronunciatur aliquid sine ratione, quia est antea notum. Secunda est, per quam pronunciatur sine ratione aliquid, quia statim apparet verum. Tertia est, per quam pronunciatur aliquid cum ratione, ita vt sit pars enthymematis. Quarta est, per quam pronunciatur aliquid cum ratione, ita vt non sit pars enthymematis.

5 Addit Aristoteles duo. Primum est, quod ratio sententiæ potest afferri dupliciter. Primo ita, vt prius afferatur ratio tanquam præmissa, deinde inferatur sententia tanquam conclusio. Ex. gr. sententiam Medeæ nu. 2. allatam possumus præmissa ratione sic afferre: *Quoniam summo studio debemus ignauiam, & inuidiam declinare: qui autem toti in sapientiæ studijs occupantur, sæpe euadunt ignaui, & in inuidiam ciuium incurrunt, debemus cauere, ne liberi in sapientiæ studijs toti occupentur*. Secundus modus est, vt pronunciemus sententiam, ac deinde afferamus ratio-

tionem, dicendo ex. gr. *debemus cauere ne liberi in sapientiæ studijs toti occupentur, ne euadant ignaui, & in inuidiam ciuium incurrant*. Secundum, quod Aristoteles addit est, quod cum proferuntur aliqua, quæ licet non sint præter opinionem, adhuc sunt obscura, debet reddi aliqua ratio, per quam declarentur. Ad sententias obscuras reduci possunt Apophthegmata, hoc est nonnulla breuia, & acuta dicta, quæ vocantur Laconica, eo quod apud Lacedæmones præsertim vsui erant, & ænigmata, quale fuit quod Stesichorus apud Locrenses protulit dicens: *non oportere contumeliosum esse, ne Cicadæ humi canant*. Significauit autem hoc ænygmate periculum esse, ne si Locrenses contumelias populis potentibus inferrent, ab ijs eorum regio ita deuastaretur, vt excisis arboribus, Cicadæ in nuda humo canere cogerentur.

6 *Sententias autem dicere ætate prouectis maxime congruit, de rebus inquam, quarum quis vsum habet. Nam qui tantus non est, eum dedecet sententias dicere, sicuti fabulas. Qui autem de ijs, quorum vsum non habet, is ineptus, atque indoctus est. Signum huius sufficiens, quòd agrestes maxime sententiarum fictores sunt, facileque enunciant.*

7 *Vniuersaliter autem proferre, quod vniuersale non est, conquæstioni, ac amplificationi conuenit, & in his aut cum incipias, aut cum iam demonstraueris.*

8 *Verum peruulgatis etiam sententijs, atque communibus vtendum est, si vtiles sunt. Nam quoniam communes sunt, quasi omnes ita concedant, rectè se habere videntur: vt hortanti ad subeunda pericula inauspicato, vna est auis optima, pro patria pugnare: cumque pauciores sint, Martem esse communem: & ad occidendos inimicorum liberos nihil iniuriantes: Stolidus, qui cum patrem occiderit, liberis pepercit. Propterea prouerbiorum nonnullæ sententiæ quoque sunt & quasi testimonia, sicut, Atticus aduena.*

6 Quoad tertium: tradita sententiarum diuisione, explicat Aristoteles earum vsum, & vtilitatem. Primo igitur præcipue decet, vt sententias proferant, qui sunt ætate seniores, ac non nisi de ijs pronuncient, quorum sunt periti. Quod verò qui non sunt ætate prouecti sententias afferant, vel fabulam narrent, est indecorum: quod de ijs quis pronunciet, quorum est imperitus, stultum est, atque hominis inerudit proprium, vt patet etiam ex eo, quod præsertim homines rustici, atque agrestes facile sententias pronunciant.

7 Secundo cum quis de sua fortuna conqueritur, potest vniuersaliter proferre, quod non vniuersaliter est verum, eo pacto, quo Ariadna dum conquereretur de Theseo, à quo fuerat derelicta, vniuersaliter pronunciauit, *viris quantumuis iurantibus non esse credendum à fœminis*. Possunt verò qui talibus affectibus agitantur tales sententias afferre vel initio, vel vt clausulas enthymematum.

8 Tertio vtendum est etiam peruulgatis, ac communibus sententijs, cum vtiles ad rem nostram fuerint. Tales enim sententiæ, quia sunt communiter receptæ, ex confessione omnium videntur veræ. Ex. gr. qui adhortantur milites ad pugnandum, licet non sacrificauerint, vti potest dicto communi, *optimum augurium est, cum quis pugnat pro patria*: cum quis hortatur ad pugnam eos, qui inferiores sunt copijs, poterit vti illo effato, *mars est communis*: cum quis hortatur ad auferendos filios inimicorum, licet nullam faciant iniuriam, poterit vti eo carmine.

Stultus qui natos occiso Patre, relinquit.

Ad sententias communiter receptas possunt etiam quædam prouerbia reduci, quale est illud, *Atticus inquilinus*, quod dicebatur de ijs, qui duris moribus aduersus vicinos sunt, eo quod Athenienses, qui Samum vocati fuerant, antiquos incolas expulerint.

9 *Oportet autem sententias tunc vel contra peruulgata dicere. (Peruulgata verò dico vt, Cognosce te ipsum, &, Nihil nimis) cum aut meliores poterunt mores videri, aut ex perturbatione dicetur. Ex perturbatione quidem, si quis iratus dicat falsum esse, quòd oporteat seipsum cognoscere: nam hic si seipsum cognouisset, nunquam magistratum petijsset. Mores verò meliores, quòd non oporteat sic amare, vt fertur, quasi osurus sit, sed potius odisse, quasi amaturus. Opus est autem, vt cum habitu voluntatem ostendas. Si verò non, ratio statim afferenda est, vt si aut hoc pacto dicas, quòd amare oporteat non vt fer-*

fertur, sed quasi semper amaturum: insidiatoris enim illud est: aut sic: Non enim probatur mihi quod fertur: nam amicum verum sic oportet amare, quasi semper amaturus sis: sed neque illud: nihil nimis: cum oporteat nimis odisse saltem improbos.

9 Quarto aliquando debemus pronunciare sententias contrarias sententijs communiter receptis, quales sunt illæ, *nosce te ipsum, ne quid nimis*. Præcipuè verò tales sententias debemus proferre, cum aliquo affectu agitamur, vel illas proferendo mores præferimus meliores. Ex. gr. cum quis stomachatur, quod aliquis, cum esset indignus, imperium petierit, & obtinuerit, potest pronunciare: *falsum est, quod oporteat cognoscere se ipsum: iste siquidem si seipsum cognouisset, imperium nunquam petijsset, ac proinde nec obtinuisset*. Rursus si quis dicat, *non oportet, vt aiunt, amare tanquam osurum, sed odisse tanquam amaturum*, meliores mores præfero. Porro cum contradicimus sententijs receptis, vel debemus ipso modo contradicendi ostendere nos habere contrarios mores, & contrariam electionem, vel debemus rationem afferre, propter quam talibus sententijs contradicamus: ex. gr. rationem afferimus si dicamus: *oportet amare non tanquam osurum, sed tanquam semper amaturum; qui enim amat vt osurus, videtur amico insidiari*: At contrarios mores ostendimus, si dicamus: *non placet mihi, quod communiter dicitur, quod oportet amare tanquam osurum: Verus enim amicus debet amare tanquam semper amaturus: neque placet mihi illud dictum commune; ne quid nimis: Oportet enim malos nimio odio prosequi.*

10 *Afferunt autem orationi vires magnas sententiæ, partim quia maxime per eas auditores capiuntur. Gaudent enim si quis vniuersaliter dicens, in eas opiniones forte deueniat, quas illi particulariter habent. Quod autem dico, hinc erit manifestum, & simul quo pacto ipsas venari conueniat. Nam sententia, vt dictum est, vniuersalis enunciatio est. Gaudent autem, cum id vniuersaliter dicitur, quod particulariter ipsi opinantur: vt si quis vicinos, aut liberos prauos habeat, gratum profecto illud sibi videbitur, Nihil vicino molestius; vel, Nihil procreatione liberorum stultius. Quare coniectura primum sequendum est quid præopinentur: deinde in vniuersum de ipso dicendum. Hic igitur vnus sententiæ vsus est. Alter, & melior, quòd moratam facit orationem. Affecta enim oratio est, qua dicentis voluntas apparet. Quod omnis sententia ideo facit, quoniam qui eam dicit, vniuersaliter de eligibilibus enunciat. Quare si sententiæ probæ sunt, faciunt, vt proborum qui dicit morum videatur. Verum de sententia, & quid est, & quot eius species, & quando his vtendum, quamque vtilitatem afferat, hæc dicta sint.*

10 Tradito vsu sententiarum, explicat Aristoteles earum vtilitatem. Duabus de causis vtiles ad persuadendam sunt sententiæ. Prima causa fundatur in vano ingenio auditorum. Quia enim auditores propter quamdam vanitatem valde rebus suis delectantur, seque prudentes putant, gaudent, si orator pronunciet aliquam vniuersalem sententiam consentaneam opinionibus, quas ipsi circa quædam particularia conceperunt, ideoque facile sibi ab oratore talibus sententijs vtente persuaderi sinunt. Explicatur, ac simul indicatur ratio, ac via sententias venandi, quæ ab auditoribus probentur. Sententia ex dictis est vniuersalis enunciatio. Cum igitur auditores audiunt vniuersaliter pronunciari aliquid conforme ijs, quæ circa suas res particulares ipsi enunciant, tali sententia delectantur, eamque vt veram probant: ex. gr. qui habet vicinos, ac filios improbos, ac molestos, probabit oratorem dicentem, *nihil est vicinis molestius, nihil est stultius, quam ad filiorum procreationem incumbere*. Vt igitur venemur sententias auditoribus gratas, debemus prius indagare, quid auditores sentiant circa particularia, ac deinde sententias vniuersales proferre consentaneas priuatis opinionibus auditorum: & hæc est prima sententiarum vtilitas, eiusque ratio. Secunda vtilitas maior est, quod per sententias efficiemus orationes moratas. Explicatur. Illæ orationes sunt moratæ, per quas manifestatur, quos circa res agendas sensus, & quos mores, ac propensiones habeat orator; sed sententiæ cum vniuersaliter pronuncient de eligibilibus, explicant sensus, ac mores oratoris circa eligibilia; ergo sententiæ efficiunt orationes moratas; & si sen-

si sententiæ sint bonæ, ostendunt etiam oratorem esse bonis moribus præditum, adeoque esse dignum fide. Satis igitur per hæc est explicatum, quid sit sententia; quot sint eius species; quis earum vsus; ac quæ vtilitas.

De enthymemate. Cap. XXIII.

1 *NVnc vero de enthymematibus primum vniuersaliter, quo pacto quærendum sit dicamus: deinde locos exponemus. Alia enim vtriusque horum species est.*

2 *Quòd igitur enthymema syllogismus quidam sit, dictum est prius, & quomodo syllogismus, & in quo à dialecticis differat. Non enim de longe, nec omnia sumentem oportet colligere. Nam alterum propter prolixitatem obscuritatis est: alterum quoniam manifesta dicuntur, nugationis. Et hæc causa est, vt apud vulgus probabiliores indocti sint: veluti etiam poetæ aiunt; concinnius rudes in vulgo dicere. Communia enim afferunt, atque vniuersalia: illi vero ex quibus sciunt, & proxima. Non ergo ex omnibus, quæ videntur, dicendum, sed ex certis aut ipsis iudicibus, aut ijs, quos multi faciunt, idque quoniam sit aut omnibus, aut plurimis perspicuum esse videatur. Nec solum ex necessarijs colligendum, sed etiam ex ijs, quæ vt plurimum sunt.*

1 EGimus de sententia, quæ est pars enthymematis: sequitur vt agamus de ipso enthymemate. Et quidem hoc capite debemus vniuersim explicare, ex quibus enthymemata sint conficienda: capitibus verò sequentibus tradenda sunt enthymematum loca.

2 Vt igitur explicemus ex quibus enthymemata sint conficienda, supponenda sunt quædam, quæ dicta sunt lib. 1. cap. 7. & sequentibus. Primo dictum est enthymema esse quemdam syllogismum. Secundo explicatum est; quo pacto enthymema sit syllogismus, & in quo differat a syllogismo dialectico. Inter alias differentias enthymematis à syllogismo dialectico illa præcipuè spectat ad propositum præsens, quod in enthymemate non debeat assumi ad probandum, quæ sunt valde remota, neque omnia propinqua. Ratio, cur non debeant assumi, quæ sunt valde remota est, quia hæc sunt obscura, nec accommoda captui vulgi. Ratio, cur non debeant assumi omnia propinqua est, quia quædam notissima ab ipsis auditoribus subintelliguntur, ac proinde debent omitti ab oratore, ne videatur in vitium garrulitatis incidere. Hinc verò potest afferri ratio, cur vt Poetæ dicunt, ineruditi sint aptiores ad persuadendum multitudini, quam eruditi. Ineruditi enim ad persuadendum vtuntur quibusdam communibus, & captui multitudinis accommodatis: eruditi è conuerso afferunt propria, atque ipsis nota, quæ proinde excedunt captum vulgi. Hinc patet enthymemata rhetorica non esse conficienda ex omnibus, quæ qoomodocunque sunt probabilia, sed solum ex quibusdam certis, quæ sunt probabilia auditoribus, vel ijs, quorum iudicia ab auditoribus probantur. Neque verò requiritur, vt hæc probentur omnibus auditoribus, sed sufficit, vt vel probentur omnibus, vel pluribus. Rursus non solum sunt afferenda ea, quæ semper, ac necessario concludunt, sed etiam ea, quæ vt plurimum concludunt.

3 *Primum ergo id nobis sumendum est, quòd de quo generetur, dicere, atque ratiocinari oportet, siue syllogismo ciuili, siue quocunque alio necessarium est, quæ in eo sunt vel cuncta, vel saltem aliqua tenere. Nam si nihil habes, vnde colligas non habebis. Quo enim pacto, bellandumne sit an non, Athenienfibus consulere poteris, nisi quæ sint ipsorum copiæ teneas: vtrum nauales, an pedestres, an vtrunque, & quantæ: vectigalia etiam quæ sint, aut socij, aut hostes, & ad hæc, quæ bella gesserunt, & quomodo, cæteraque huiusmodi. Laudare quoque quomodo poteris, nisi habeas naualem apud Salamina pugnam, & prælium apud Marathona, vel quæ pro Herculis nepotibus gesta sunt, vel alia huiusmodi? Omnes enim ex ijs bonis, quæ alicui adsunt, vel adesse videntur, laudant. Similiter etiam vituperant ex contrarijs, perspicientes si quid tale in ipsis est, aut esse videtur: vtputa, quoniam Græcos in seruitutem redegerunt, & Aeginetas, & Potideatas, qui cum eis aduersus Barbarum pugnarunt, præclareque gesserunt, sibi subiecerunt. & si quid huiusmodi erratum in ipsis est. Eodem modo accusantes quoque, ac defendentes ex ijs quæ*

sunt,

sunt, & accusant, & defendunt. Nihil autem differt de Atheniensibus, aut de Lacedamonijs, & vel de homine, vel de Deo idipsum agere. Nam si Achilli consuleres, aut si eum laudares, vel vituperares, vel defenderes, qua sunt, aut quæ videntur esse sumeres, vt ex eis diceres laudans, aut vituperans, si quid honestum, aut turpe sibi gestum est: accusans vero, aut defendens, si quid iustum, aut iniustum: consulens autem, si quid vtile inest, aut noxium. Similiter ijs de quacunque re alia, vt de iustitia, vtrum bonum, an non, ex his, quæ in iustitia sunt, aut in bono. Verum quoniam & ita omnes ostendere videmus, siue recte, siue minus recte syllogismo vtantur: non enim ex omnibus, sed ex ijs, quæ in vnoquoque sunt, sumunt: & ratione perspicuum, quòd impossibile sit aliter demonstrare.

3 Sed iam explicandum est, quid debeat facere orator, vt habeat copiam eorum, ex quibus possit construere enthymemata. Dicendum, quod primo debet scire omnia, vel plurima spectantia ad rem, de qua agit, & circa quam debet aliquid concludere syllogismo politico, vel alio quolibet. Ratio est, quia ex nihilo nihil potest inferri; ergo qui nihil scit spectans ad aliquam rem, nihil poterit circa ipsam concludere. Explicatur inductione, discurrendo per omnia tria genera dicendi. Primo in genere deliberatiuo, quo pacto potest orator Atheniensibus ex. gr. persuadere bellum esse suscipiendum, vel non esse suscipiendum, si ignoret, quæ, & quantæ sint ipsorum copiæ; nauales ne, an terrestres, an partim nauales partim terrestres; qui reditus, & vectigalia; qui amici, vel inimici; quæ bella gesserint, & quomodo &c. Secundo quo pacto in genere demonstratiuo potest orator Athenienses laudare, si ignoret naualem pugnam ab ijs contra Persas apud Salaminam feliciter gestam, prælium in Marathone fortiter pugnatum, quæ pro Heraclidis sunt patrata, & alia huiusmodi, siquidem omnes ex honestis, quæ ipsis insunt, vel videntur inesse, debent laudari, & ex contrarijs, hoc est ex inhonestis debent vituperari. Quo igitur pacto posset aliquis eosdem Athenienses vituperare, si ignoraret, quæ turpiter videntur egisse, quale est, quod Græcos in seruitutem redegerunt; quod subegerunt eos, qui simul cum ipsis aduersus barbaros pugnarunt, atque egregiè se gesserunt, Aeginetas nimirum, & Potideatas, & alia huiusmodi, in quibus Athenienses videntur peccasse. Tertio etiam in genere iudiciali qui aliquem accusant, ac defendunt, ex ijs, quæ vnicuique insunt, accusant, ac defendunt, ac proinde debent illa habere perspecta. Iam sicut nihil possumus circa Athenienses ostendere, nisi sciamus quæ ad ipsos spectant, ita nihil possumus demonstrare circa Lacedæmonios, vel alios populos, circa quemcumque hominem, vel Deum, nisi sciamus quæ spectant ad ipsos: ex. gr. siue debeamus consilium dare alicui homini singulari, puta Achilli, siue debeamus ipsum laudare, vel vituperare, siue debeamus accusare, vel defendere, debemus assumere quæ ipsi insunt, vel videntur inesse, vt ex honestis laudemus, ex inhonestis vituperemus; ex iustis defendamus, ex iniustis accusemus; ex vtilibus, vel inutilibus suadeamus, aut dissuadeamus. Vniuersim verò de nulla re possumus disserere, nisi ex ijs, quæ ipsi insunt: ex. gr. non possumus disserere de iustitia, ostendendo illam esse bonum, vel non esse bonum, nisi ex ijs, quæ insunt iustitiæ, aut bono.

4 *Patet igitur necessarium esse, sicut in Topicis, primum vt electa de possibilibus, atque opportunissimis circa vnumquodque habeantur: vt proxime facta eodem pacto quæramus, respicientes non in indefinita, sed in ea, quæ in illis sunt, de quibus habetur oratio: vt præterea plurima, & proxima rebus circunscribenda sint. Nam quanto plura eorum quæ in re sunt teneas, tanto facilius demonstrabis: & quanto propinquiora, tanto propria magis, ac minus communia.*

5 *Communia vero dicimus, vt si Achillem laudes, quoniam homo quoniam semideus, quoniam in Troianos traiecit. Hæc enim alijs multis insunt: quare non Achillem magis, quàm Diomedem laudas. Propria vero, quæ nemini, quàm Achilli contigerunt: vt quoniam Hectora qui Troianorum erat fortissimus, interfecit, & Cygnum, qui cum esset inuulnerabilis, omnes ne descenderent, inhibebat: & quoniam adolescens, nec iureiurando adstrictus, militauit, cæteraque huiusmodi. Vnus igitur eligendus modus, primusque is locus est.*

4 Quo-

4 Quoniam igitur est ostensum, quod omnes, qui de re aliquid demonstrant, demonstrant non ex quibuslibet, sed ex ijs, quæ insunt tali rei, licet alij concludant melius, alij minus bene; patet necessarium esse, sicut etiam dictum est in Topicis, vt orator sciat quæ insunt illis rebus, de quibus sæpe disputatio contingit. Cum verò proponitur ad differendum aliquid repentinum, necesse est, vt pro temporis ratio- [illegible] quærat non quæcunque, sed quæ insunt [illegible] qua est agendum, & vt conetur te- [illegible] ma, ac præsertim proxima rei. [illegible] quia quo plura tenebit, eo faci- [illegible] strabit intentum; & quo tene- [illegible] quiora, eo magis demonstrabit [illegible], minusque ex communibus. [illegible] quoniam mentionem fecimus [illegible], & communium, explicare [illegible], quænam dicantur proprja rei, & [illegible] communia. Propria sunt *quæ non con[ueniunt] alijs*, communia sunt, *quæ conueniunt etiam alijs*: ex.gr. qui laudaret Achillem ex eo, quod fuerit homo, quod fuerit semideus, quod pugnauerit contra Ilium &c. laudaret Achillem ex ijs, quæ conueniunt etiam alijs, puta Diomedi, ideoque non magis laudaret Achillem, quam Diomedem. E conuerso qui laudaret Achillem ex eo, quod interfecerit Hectorem Troianorum fortissimum, & Cygnum, qui cum esset inuulnerabilis, prohibebat Græcos, ne ex nauibus in terram descenderent; ex eo quod admodum adolescens militauerit, licet iuramento non teneretur contra Troianos pugnare, sicut tenebantur reliqui Principes Græcorum &c. hic laudaret Achillem ex proprijs. Et per hæc explicauimus primum ex ijs, quæ numero primo proposuimus, hoc est ex quibus facienda sint enthymemata.

6 *Nunc vero enthymematum elementa dicamus. Elementum autem enthymematum, atque locum idem dico. Sed prius de ijs dicamus, de quibus necesse est prius dicere. Sunt enim enthymematum species duæ. Nam quædam quod sit, vel non sit, approbatiua sunt: quædam ἐλεγκτικά Græcè appellantur: id Latinè dicere possumus redarguendi potestatem habentia, differuntque sicut in dialecticis syllogismus & elenchus. Est autem approbatiuum quidem enthymema, cum ex concessis colligitur: Elenchicum vero; cum repugnantia colliguntur. Ferè igitur nobis in vnoquoque genere vtili, atque necessario, loci dicti sunt. Quare quibus enthymemata ex locis elicienda sunt, de bono, aut malo, honesto, aut turpi, iusto, aut iniusto, de proprijs etiam affectibus, eodem modo sumpti sunt nobis iam prius loci, ex quibus. Verum nunc alio modo de omnibus communiter sumamus, atque dicamus, qui approbatiui, quique elenctici sunt, annotantes eos etiam, qui sunt apparentium enthymematum, quæ tamen non sunt enthymemata, quoniam nec syllogismi. Quibus explicatis, de obiectionibus, solutionibusque dicemus, vnde enthymemata elicienda sunt.*

6 Vt sequentibus capitibus tradamus elementa, seu loca, ac propositiones, ex quibus conficienda sunt enthymemata, debemus aliqua præmittere. Primum est, quod pro eodem sumimus loca, & elementa enthymematum. Secundum est, quod duæ sunt enthymematum species. Prima species continet enthymemata ostensiua: secunda continet redargutiua, quæ differunt eo pacto, quo in dialecticis differunt syllogismus, & elenchus. Enthymema ostensiuum est, *per quod ex propositionibus concessis concludimus intentum*; redargutiuum est, *per quod cogimus aduersarium ad concedendum sibi inuicem repugnantia*. Tertium est, quod elementa, seu loca enthymematum sunt in duplici genere; propria nimirum, & communia. Et propria quidem loca satis ferè tradidimus, partim libro primo, partim initio huius libri secundi. Libro siquidem primo tradidimus primo loca pro genere deliberatiuo ad ostendendum aliquid esse bonum, vel malum, vtile, vel inutile: secundo tradidimus loca pro genere demonstratiuo ad ostendendum aliquid esse honestum, vel turpe: tertio tradidimus loca pro genere iudiciali ad ostendendum aliquid esse iustum, vel iniustum: quarto libro secundo tradidimus loca ad disserendum de moribus, affectibus, & habitibus bonis, vel malis. Reliquum igitur est, vt tradamus loca communia omnibus tribus generibus dicendi. Primo ergo tradenda sunt loca ad conficienda enthymemata tum ostensiua, tum redargutiua, seu refutatiua: secundo tradenda sunt loca ad conficienda enthymemata apparentia, quæ verè non sunt enthymemata, sicut syllogismi apparentes verè

cludunt ex necessitate, & semper, alia concludunt plerumque; & quod ex locis contrarijs potest ostendi aliquid non fuisse factum.

21 Proportionales sunt propositiones ad ostendendum aliquid esse faciendum, siue esse futurum. Prima propositio est: quod aliquis potest, & vult facere, fiet, & erit. Secunda est: quod quis potest facere, & cupit, ac meditatur facere ex concupiscentia, vel ira, fiet, & erit. Tertia est: quæ desiderio, ac curæ sunt, erunt. Vt plurimum enim potius fiunt, quæ curæ sunt, quam quæ curæ non sunt. Quarta est: si facta sunt quæ debent fieri prius, fiet etiam quod debet fieri posterius: ex. gr. quia antequam pluat, nubes debent congregari, si nubes sunt congregatæ, verisimile est, quod pluet. Quinta est: si factum est aliquid, quod est gratia alterius, fiet etiam illud, cuius gratia est: ex. gr. quia fundamentum est gratia domus, si factum est fundamentum, verisimile est, quod fiet etiam domus.

De locis ad amplificandum, & diminuendum. Cap. XX.

1 *De amplificatione autem, ac attenuatione rerum, maiorisque, atque minoris, & omnino magnarum, atque paruarum, ex ijs, quæ iam diximus, manifestum. Dictum est enim in deliberatiuo & de bonorum magnitudine, & de maiore simpliciter, atque minore. Quare si in vnoquoque causarum genere bonum est finis, vtputa vtile, honestum, ac iustum, perspicuum est horum omnibus amplificationes esse sumendas. Quærere vero præter hæc quicquam de magnitudine simpliciter, ac excessu, id est verba incassum effundere. Singularia enim ad vsum præstantiora vniuersalibus sunt. Ac de possibili quidem, ac impossibili, & factumne sit, an non, & erit, an non erit: præter a de amplificatione, & attenuatione rerum hæc dicta sint.*

1 SVpereſſet iam, vt ageremus de amplificatione, ac diminutione, & de locis, qui vsui possunt esse ad amplificandum, ac diminuendum. Verum cum supra lib. 1. cap. 7. agentes de genere deliberatiuo egerimus de magnitudine, ac de paruitate rerum, ac de maiori, & minori, & vniuersim de magnis, ac paruis, ex ijs, quæ ibi tradidimus, desumi possunt loca ad amplificandum, ac diminuendum. Cum enim amplificare nihil sit aliud, quam ostendere magnitudinem, vel maioritatem rei; diminuere nihil sit aliud, quam ostendere paruitatem, vel minoritatem; loca, per quæ probatur magnitudo, vel maioritas, vtilia sunt ad amplificandum; loca, per quæ ostenditur paruitas, vel minoritas, sunt vtilia ad diminuendum. Confirmatur, quia omnia tria genera dicendi proponunt sibi vt finem aliquod bonum. nam genus deliberatiuum proponit sibi bonum vtile; genus demonstratiuum proponit sibi bonum honestum; genus iudiciale proponit sibi iustum; ergo omnes amplificationes debent versari in ostendenda magnitudine talium bonorum. Qui verò loco tradendi propositiones ad probandam magnitudinem talium bonorum, diuertunt ad disputandum de magnitudine, & maioritate ideali, quam vocant *per se magnitudinem*, ac *per se maioritatem*, vanè, & inutiliter disserunt, siquidem propositiones de magnitudine bonorum particularium vtiliores sunt ad orationes conficiendas, quam propositiones de magnitudine vt sic, & vniuersali. Hæc igitur de possibili, & impossibili; de facto, ac non facto; de futuro ac non futuro; ac de magnitudine, & paruitate dicta sufficiant.

De exemplis, eorum speciebus, atque vsu. Caput XXI.

1 *REstat autem de fide communiter dicere, quoniam de proprijs iam dictum est. Est autem communis fides genere duplex, exemplum & enthymema: nam sententia pars enthymematis est. Primum igitur de exemplo dicamus, quoniam inductioni simile est, inductio autem principium.*

2 *Exemplorum ergo species duæ sunt. Altera, si res præteritas dicis: altera si ipse fingis. Et huius aliud similitudo, aliud apologi, sicut Aesopi, & Libyci.*

3 *Exemplum igitur tale quid est, vt si quispiam ducat oportere apparatum aduersus regem fieri, qui faciat, ne potiatur Aegypto. Nam si Darius non prius traiecit, quam*

quàm Aegyptum cepit, & cum cepisset, statim traiecit, is quoque si ceperit, traijciet: quare non est ipsi permittenda Aegyptus.

4 *Similitudo vero Socratica est, vt si quis dicat non oportere magistratus sortiri: simile nanque esse, si quis athletas sortiatur, non eos, qui certare possint, sed qui sorte euenerint: aut si e nautis sorte gubernatorem constituat: quasi vero sorte potius, quàm scientia constituendus sit.*

1 Agendum iam est de persuasionibus communibus, siquidem iam supra disseruimus de proprijs. Probationes communes reducuntur ad duo genera, exempla nimirum, & enthymemata, siquidem sententia, qua etiam possumus vti ad probandum, pars est enthymematis, ideoque de ea agendum est cap. sequenti, antequam agamus de enthymemate. Primo igitur disserere debemus de exemplo, quod simile est inductioni. Nam sicut in scientijs vtimur inductione vt principio ad probanda vniuersalia, sic in rhetoricis vtimur exemplo ad eadem ostendenda.

2 Exemplorum duæ sunt species. Prima species est, cum re præsertim simili verè antea gesta vtimur ad probandum id, quod intendimus. Secunda species est, cum nos ipsi fingimus aliquid simile ad id, quod volumus, ostendendum. Exemplum à nobis fictum subdiuiditur in alias duas species, Parabolam nimirum, seu similitudinem, & Apologum, seu fabulam, cuiusmodi sunt fabulæ Aesopicæ, ac Lybicæ, quibus nimirum Africani vtebantur.

3 Exemplum argumentationis petitæ ex præteritis historijs est sequens. Cum Rex Persarum Aegyptijs bellum inferret, quidam rem illam græcis periculosam putans, autor fuit Græcis, vt arma contra Regem Persarum pararent, nec sinerent, vt Aegyptum in suam potestatem redigeret, ac suum consilium ex præteritis historijs sic probauit. Superioribus temporibus Darius cæpit Aegyptum, ac deinde in Græciam traiecit: Xerses non nisi post Aegyptum captam, aggressus est Græciam; ergo etiam præsens Rex Persarum, si Aegyptum redegerit in potestatem, bellum inferet Græcis, adeoque ad auertendum periculum, non est permittendum, vt Aegypto potiatur.

4 Exempla argumentationum desumptarum ex parabolis passim apud Socratem inueniuntur. Posset ex parabolis, seu similitudinibus sic aliquis ostendere, quod magistratus non sunt creandi sorte. Creare magistratus sorte simile est, ac si quis athletas designaturus, non illos eligeret, qui pollent viribus ad pugnandum, sed illos, qui sorte prodirent ex vrna; vel si quis ex nautis designaturus gubernatorem nauis, non eligeret eum, qui peritus esset gubernandæ nauis, sed sorte, & fortuito; sed est manifestum, quod athletæ, & gubernatores nauium non debent eligi sorte; ergo neque magistratus eligendi sunt sorte.

5 *Apologus talis est Stesichori ad Phalarim, & Aesopi pro Demegoro. Nam Stesichorus, cum Himeræi Phalarim Imperatorem constituissent, custodesque corporis daturi essent, postquam alia disseruit, apologum eis dixit. Equus, inquit, prata solus obtinebat: quorum cum ceruus adueniens pascua deuastasset, de vltione cerui equus hominem consuluit, si vna secum pœnas posset ex ceruo sumere. At ille, facile, inquit, si frenum patieris, & ego in te hastam tenens ascendero. Accipit equus conditionem: ascendit ad ipsum homo: ita pro vltione homini equus seruiuit. Quamobrem & vos (inquit) cauete, ne cum velitis hostem vlcisci, idem, quod equus, patiamini. Frenum iam recepistis, quando imperatorem dictatorem constituistis. Si vero custodiam quoque dederitis, ac ascendere permiseritis, seruietis profecto Phalaridi. Aesopus autem cum in Samo primatem quendam populi capitis accersitum defenderet, dixit vulpem, cum fluuium transiret, in foueam decidisse, eique longo ibi tempore, cum exire non posset, afflictæ multas caninas muscas insedisse. Eam transiens aspexit hericius, misertusque rogauit, si vellet, vt ab ea caninas muscas euelleret: cumque ipsa negasset, causam miratus querebat. Tunc illa, iam, inquit, hæ saturatæ parum sanguinis trahunt: quod si has tu excuties, famescentes venient aliæ, quæ quod mihi sanguinis restat, totum ebibent. Sic igitur, dixit, vobis quoque viri Samij nihil iam iste locupletatus officit: si vero hunc interimetis, pauperes alij locum eius occupabunt, qui ciuitatis pecuniam facile furando consument.*

5 Exempla argumentationum petitarum ex fabulis, seu apologis possunt esse illa, quibus vsus est Stesichorus contra Phalarim, & Aesopus pro quodam populi ductore. Cum Himerenses Imperatorem suarum copiarum elegissent Phalarim, ac vellent illi custodiam corporis dare Stesichorus dissuasit, ac sequenti fabula ad dissuadendum est vsus. Cum equus dominus esset prati, ceruus pratum aggressus, illud deuastauit, ac pascua corrupit. Equus indignatus ceruo, ac volens de illo vltionem sumere, quæsiuit ab homine, an coniunctis cum equo viribus, posset ceruum punire. Respondit homo, posse se armatum iaculis in ceruum impetum facere, dummodo equus sumeret frænum, ac permitteret hominem ipsi insidere. Equus probata conditione accepit frænum, atque homo iaculis armatus ipsi insedit, sed loco sumendi vltionem de ceruo, equum redegit in seruitutem. Sic & vos Himerenses cauete, ne dum optatis de hostibus vlcisci, patiamini aliquid simile equo. Frænum enim iam suscepistis, dum Phalaridi demandastis imperium copiarum militarium: si verò dando illi custodiam, permiseritis ipsum vobis insidere, proculdubio Phalaridi seruietis. Aesopus cum quemdam populi ductorem de capite periclitantem apud Samios defenderet, hac fabula est vsus. Vulpes traijciens fluuium decidit in voraginem, ac cum non posset ex illa emergere, diu malè affecta est, ac multæ muscæ caninæ ipsi adhæserunt. Accidit, vt Herinaceus illac transiens, cum vulpem vidisset, misericordia motus illam interrogaret, num vellet vt muscas caninas abigeret? Abnuit vulpes, atque Herinaceo sciscitanti causam respondit: quia hæ muscæ, cum meo sanguine iam sint saturatæ, parum sanguinis hauriunt; si verò has abegeris, aliæ famelicæ me inuadent, ac totum, qui reliquus est, cruorem ebibent. Sic viri Samij, hic ductor populi, cum iam sit ditatus, atque opibus saturatus, non amplius vobis nocet. At si hunc interfeceritis, succedent alij pauperes, qui publica bona depeculabuntur.

6 *Huiusmodi ergo apologi ad populum maxime accommodati sunt habentque hanc præstantiam, cum difficile sit res præteritas similes inuenire, apologos facillimum est fingere. Nanque opus est hoc modo inuenire, vt & similitudines, modo possis quod simile est perspicere, quod Philosophia facile præstat. Non est igitur difficile apologos inuenire. Verum ad consultationem res gestæ multo vtiliores sunt. Nam vt plurimum futura præteritis similia sunt.*

7 *Exemplis igitur, siquidem non habeas enthymemata, quasi demonstrationibus vtendum: si vero habeas, quasi testimonijs post enthymemata in perorationibus. Cum enim præponuntur, similia inductionibus sunt: inductio autem orationi oratoriæ, præterquam in paucis, non est idonea. Postposita vero, testimonijs assimilantur. Testis autem vbique ad fidem vtilis. Præterea præponenti multa dicere necesse est: postponenti autem vnum etiam sufficit. Nam testis probus, vel vnus satisfacit. Quot igitur species exemplorum sint, & quo pacto, & quando ipsis vtendum, dictum est.*

6 Explicatis tribus speciebus exemplorum, comparandæ sunt inter se, atque eorum vsus est proponendus. Apologi, seu fabulæ valde sunt accommodatæ concionibus popularibus, atque in hoc præstant exemplis desumptis ex historijs veris, quod difficile est veras historias inuenire, at fabulas facilius est afferre, cum possit vnusquisque illas suo arbitratu fingere. Ex eadem ratione facilis est vsus parabolarum, ac similitudinum, dummodo possit quis quod simile est conspicere; ad quod conspiciendum multum confert Philosophia. Verumtamen licet fabulæ facilius inueniantur, exempla ex historijs petita vtiliora sunt ad consultandum, ac deliberandum: cuius ratio est, quia plerumque futura sunt similia præteritis.

7 Iam cum non suppetunt nobis enthymemata ad propositum ostendendum, vti debemus exemplis vt demonstrationibus. Cum verò suppetunt enthymemata, postquam enthymematibus ostenderimus intentum, debemus afferre exempla tanquam testimonia ad confirmandum verum esse, quod per enthymemata est ostensum; adeoque debemus vti exemplis in epilogis, seu clausulis enthymematum. Ratio est, quia exempla cum per se proponuntur, vt concludant, debent esse similia inductionibus; at in rhetoricis paucæ possunt afferri inductiones, cum propter varietatem re-

rerum humanarum semper occurrant multæ instantiæ in contrarium; ergo difficile est, vt exempla per se proposita concludant. At cum exempla afferuntur in confirmationem eorum, quæ sunt conclusa per enthymemata, æquiualent testimonijs: testimonia verò magnam semper habent vim ad confirmandum propositum. Adde, quod si exempla per se afferantur, necesse est afferre plura exempla, si verò afferantur ad confirmandum quod fuit iam per enthymemata probatum, sufficit vnicum, sicut sufficit vnicus testis fide dignus. Patet igitur ex dictis, quæ sint species exemplorum, quomodo, & quando sit ipsis vtendum.

De sententijs, earum speciebus, vsu, atque vtilitate. Cap. XXII.

1 *DE sententijs autem adhibendis, si quid sententia sit, dixerimus facile patebit, quibus de rebus, & quando, & quibus consentaneum est in oratione sententijs vti.*

2 *Sententia igitur est non de singularibus, vt qualis quidem Iphicrates sit, sed de vniuersali enunciatio: nec de omnibus vniuersalibus, vt rectum obliquo contrarium esse, sed de quibuscunque operationes sunt, quæ ad agendum eligenda, vel fugienda sunt. Quare quoniam enthymemata syllogismi de istis sunt, tam conclusiones enthymematum, quàm principia, syllogismo semoto, sententiæ ferè sunt: vt illud: Oportet prudentem virum non nimium in sapientia liberos erudire. Id igitur sententia est, cui si causa quamobrem accesserit, totum enthymema erit. Nam ad otium quod habent, pernitiosam etiam sibi hominum inuidiam attrahunt. Et illud: Non est qui felix omnibus in rebus sit: &, Nullus hominum liber est: nam aut pecuniæ, aut fortunæ seruit.*

1 QVia sententia est pars enthymematis, antequam agamus de enthymemate, debemus agere de sententia, ac primo debemus explicare, quid sit sententia: secundo quotuplex sit: tertio debemus agere de eius vsu, atque vtilitate.

2 Quoad primum: sententia est quædam enunciatio. Non tamen omnis enunciatio est sententia, siquidem enunciationes de singularibus non sunt sententiæ: ex. gr. sententiæ nomen tribui non debet enunciationi, per quam explicetur, qualis fuerit Iphicrates Atheniensis, qui cum esset humili loco natus, industria, ac virtute ad summum dignitatis gradum ascendit. Ad sententiam igitur requiritur, vt sit enunciatio de vniuersalibus. Sed neque sufficit, vt sit enunciatio de vniuersalibus, siquidem enunciatio, qua quis dicat *rectum esse contrarium curuo* est de aliquo vniuersali, & tamen non est sententia, sed sententia debet esse enunciatio de ijs vniuersalibus, circa quæ versantur actiones, quæque sunt eligenda, vel fugienda. Est igitur sententia, *enunciatio de aliquo vniuersali eligendo, vel fugiendo, circa quod versantur actiones*: & quia enthymemata rhetorica sunt syllogismi circa eligenda, vel fugienda, ideo & conclusiones, & præmissæ, seu principia rhetoricorum enthymematum, in quantum considerantur seorsim, & extra syllogismum, solent esse sententiæ: ex. gr. sententia est, quam Medea apud Eurypidem protulit, dicens: *non est viri prudentis liberos in studijs litterarum diù occupatos tenere, ac curare vt ad summum sapientiæ perueniant*: si verò huic sententiæ addatur causa, quam eadem Medea addidit, dicens: *nam liberi, dum diu studijs occupantur, ita euadunt inertes, vt non possint deinde ab otio, cui assueuerunt, auelli, & præterea concitium in se inuidiam concitant*; ex sententia, & ratione fiet integrum enthymema. Est etiam sententia illa Aristophanis: *nemo est, qui omnino sit fœlix*; & quam apud Euripidem protulit Hecuba dicens: *nullus vir omnino est liber*; cui rationem subiungens: *quilibet enim aut pecuniarum, aut fortunæ est seruus*; fecit integrum enthymema.

3 *Si ergo sententia est, quod diximus, quatuor sententiæ species esse necesse est. Nam aut cum ratione erit, aut sine ratione. Quæ igitur egent demonstratione, cum ratione sunt: quæcunque vero nihil mirum continent, absque ratione. Quarum aliæ necessario, quoniam ratione præsciantur, non egent: vt illud: Bene valere præstantissimum hominibus est, vt nobis videtur. Id enim ita iam multis videtur. Aliæ simul*

cum dicantur, patent perspicienti: vt illud: Nemo amator est, qui non semper amet. Earum vero, quæ cum ratione sunt, aliæ pars enthymematis sunt: vt, Oportet prudentem virum esse. Aliæ enthymematica quidem sunt, enthymematis autem pars non sunt, quæ maxime probantur.

4 *Huiusmodi autem sunt, in quibuscunq; causa inest, vt in illo: iram immortalem, cum sis mortalis, non serua. Nam quòd ira seruanda semper non sit, sententia est: adiectum vero, cum sis mortalis, quamobrem significat. Cui simile est: mortalia mortalem, non immortalia curare oportet. Perspicuum igitur est, quot sint sententiæ species, & quibus vnaquæque rebus accommodetur.*

5 *Rebus enim ambiguis, aut nouis, & præter opinionem accommodabitur. Sed aut ratione præposita sententia vtemur concludendo: vt si quis dicat, Ego igitur, quoniam nec inuidiosum, nec otiosum esse conducit, non oportere doceri assero: aut hoc præposito reliqua postponemus. Quæ vero etsi præter opinionem non videantur, sunt tamen incerta, ea rotundissime dicentur, si quamobrem præposueris, quibus etiam Laconica dicta accommodantur, & ænigmata: vt si quis dicat, quod Stesichorus apud Locros dixit: Non oportere contumeliatores esse, ne Cicadæ humi canant.*

3 Quoad secundum; ex tradita definitione sententiæ sequitur quatuor esse sententiarum species. Probatur diuidendo, ac subdiuidendo sententiam per membra contradictoria. Primo ergo vel per sententiam pronunciatur aliquid controuersum, ac præter opinionem, vel aliquid non controuersum, nec præter opinionem si pronunciatur aliquid controuersum, & præter opinionem, debet addi ratio eius, quod dicitur: si pronunciatur aliquid non controuersum, nec præter opinionem, non debet afferri vlla ratio eius, quod dicitur; ergo sententia diuiditur tanquam in duo genera, in eam, quæ affertur cum ratione, & in eam, quæ affertur sine ratione; sed vtrumque genus subdiuiditur in duas species; ergo sententia diuiditur in quatuor species. Probatur, & explicatur assumptum: sententia enim, quæ non indiget ratione, vel ideo non indiget ratione, quia quod per illam pronunciatur, ante est notum; vel quia licet ante non sit notum, adhuc statim, ac pronunciatur, apparet esse verum; ergo duæ sunt species sententiarum sine ratione: altera continet eas, per quas pronunciatur aliquid antea notum; altera continet eas, per quas pronunciatur aliquid, quod statim apparet esse verum. Exemplum sententiæ, per quam pronunciatur aliquid antea notum est, per quam dicitur, quod homini optimum est valere. Exemplum sententiæ, per quam pronunciatur aliquid, quod statim cognoscitur esse verum est, per quam Hecuba apud Eurypidem in Troade dixit, quod nemo verè est amator, qui non semper amet. Rursus sententia, quæ profertur cum ratione, vel est pars enthymematis, qualis est illa Medeæ num. 2. allata: *non est prudentis viri liberos in studijs litterarum &c.* vel est enthymematica, quia in ea apparet ratio eius, quod pronunciatur, sed adhuc non est pars enthymematis.

4 Harum sententiarum, quas maximè ait probari, duo exempla Aristoteles affert. Primum exemplum est: *mortalis cum sis, immortalem iram ne custodias.* Dum enim asseritur immortalem iram non esse custodiendam, affertur sententia: dum verò additur, *mortalis existens*, indicatur ratio sententiæ. Secundum exemplum simile est: *mortalem oportet sapere mortalia, non autem immortalia.* Ergo vniuersim quatuor sunt species sententiarum. Prima species est, per quam pronunciatur aliquid sine ratione, quia est antea notum. Secunda est, per quam pronunciatur sine ratione aliquid, quia statim apparet verum. Tertia est, per quam pronunciatur aliquid cum ratione, ita vt sit pars enthymematis. Quarta est, per quam pronunciatur aliquid cum ratione, ita vt non sit pars enthymematis.

5 Addit Aristoteles duo. Primum est, quod ratio sententiæ potest afferri dupliciter. Primo ita, vt prius afferatur ratio tanquam præmissa, deinde inferatur sententia tanquam conclusio. Ex. gr. sententiam Medeæ nu. 2. allatam possumus præmissa ratione sic afferre: *Quoniam summo studio debemus ignauiam, & inuidiam declinare: qui autem toti in sapientiæ studijs occupantur, & sæpe euadunt ignaui, & in inuidiam ciuium incurrunt, debemus cauere, ne liberi in sapientiæ studijs toti occupentur.* Secundus modus est, vt pronunciemus sententiam, ac deinde afferamus ratio-

tionem, dicendo ex. gr. *debemus cauere, ne liberi in sapientiæ studijs toti occupentur, ne euadant ignaui, & in inuidiam ciuium incurrant*. Secundum, quod Aristoteles addit est, quod cum proferuntur aliqua, quæ licet non sint præter opinionem, adhuc sunt obscura, debet reddi aliqua ratio, per quam declarentur. Ad sententias obscuras reduci possunt Apophthegmata, hoc est nonnulla breuia, & acuta dicta, quæ vocantur Laconica, eo quod apud Lacedæmones præsertim vsui erant, & ænigmata, quale fuit quod Stesichorus apud Locrenses protulit dicens: *non oportere contumeliosum esse, ne Cicadæ humi canant*. Significauit autem hoc ænygmate periculum esse, ne si Locrenses contumelias populis potentibus inferrent, ab ijs eorum regio ita deuastaretur, vt excisis arboribus, Cicadæ in nuda humo canere cogerentur.

6 *Sententias autem dicere ætate prouectis maxime congruit, de rebus inquam, quarum quis vsum habet. Nam qui tantus non est, eum dedecet sententias dicere, sicuti fabulas. Qui autem de ijs, quorum vsum non habet, is ineptus, atque indoctus est. Signum huius sufficiens, quòd agrestes maxime sententiarum fictores sunt, facileque enunciant.*

7 *Vniuersaliter autem proferre, quod vniuersale non est, conquæstioni, ac amplificationi conuenit, & in his aut cum incipias, aut cum iam demonstraueris.*

8 *Verum peruulgatis etiam sententijs atque communibus vtendum est, si vtiles sunt. Nam quoniam communes sunt, quasi omnes ita concedant, rectè se habere videntur: vt hortanti ad subeunda pericula inauspicato, vna est auis optima, pro patria pugnare: cumque pauciores sint, Martem esse communem: & ad occidendos inimicorum liberos nihil iniuriantes: Stolidus, qui cum patrem occiderit, liberis pepercit. Propterea prouerbiorum nonnulla sententiæ quoque sunt & quasi testimonia, sicut, Atticus aduena.*

6 Quoad tertium: tradita sententiarum diuisione, explicat Aristoteles earum vsum, & vtilitatem. Primo igitur præcipue decet, vt sententias proferant, qui sunt ætate seniores, ac non nisi de ijs pronuncient, quorum sunt periti. Quod verò qui non sunt ætate prouecti sententias afferant, vel fabulam narrent, est indecorum: quod de ijs quis pronunciet, quorum est imperitus, stultum est, atque hominis ineruditi proprium, vt patet etiam ex eo, quod præsertim homines rustici, atque agrestes facile sententias pronunciant.

7 Secundo cum quis de sua fortuna conqueritur, potest vniuersaliter proferre, quod non vniuersaliter est verum, eo pacto, quo Ariadna dum conquereretur de Theseo, à quo fuerat derelicta, vniuersaliter pronunciauit, *viris quantumuis iurantibus non esse credendum à fœminis*. Possunt verò qui talibus affectibus agitantur tales sententias afferre vel initio, vel vt clausulas enthymematum.

8 Tertio vtendum est etiam peruulgatis, ac communibus sententijs, cum vtiles ad rem nostram fuerint. Tales enim sententiæ, quia sunt communiter receptæ, ex confessione omnium videntur veræ. Ex. gr. qui adhortantur milites ad pugnandum, licet non sacrificauerint, vti potest dicto communi, *optimum augurium est, cum quis pugnat pro patria*: cum quis hortatur ad pugnam eos, qui inferiores sunt copijs, poterit vti illo effato, *mars est communis*: cum quis hortatur ad auferendos filios inimicorum, licet nullam faciant iniuriam, poterit vti eo carmine.

Stultus qui natos occiso Patre, relinquit.

Ad sententias communiter receptas possunt etiam quædam prouerbia reduci, quale est illud, *Atticus inquilinus*, quod dicebatur de ijs, qui duris moribus aduersus vicinos sunt, eo quod Athenienses, qui Samum vocati fuerant, antiquos incolas expulerint.

9 *Oportet autem sententias tunc vel contra peruulgata dicere. (Peruulgata vero dico, vt, Cognosce te ipsum, & Nihil nimis) cum aut meliores poterunt mores videri, aut ex perturbatione dicetur. Ex perturbatione quidem, si quis iratus dicat falsum esse, quòd oporteat seipsum cognoscere: nam hic si seipsum cognouisset, nunquam magistratum petijsset. Mores vero meliores, quòd non oporteat sic amare, vt fertur, quasi osurus sit, sed potius odisse, quasi amaturus. Opus est autem, vt cum habitu voluntatem ostendas. Si vero non, ratio statim afferenda est, vt si aut hoc pacto dicas, quòd amare oporteat non vt fer-*

fertur, sed quasi semper amaturum: insidiatoris enim illud est: aut sic: Non enim probatur mihi quod fertur: nam amicum verum sic oportet amare, quasi semper amaturus sis: sed neque illud: nihil nimis: cum oporteat nimis odisse saltem improbos.

9 Quarto aliquando debemus pronunciare sententias contrarias sententijs communiter receptis, quales sunt illæ, *nosce te ipsum, ne quid nimis*. Præcipuè verò tales sententias debemus proferre, cum aliquo affectu agitamur, vel illas proferendo mores præferimus meliores. Ex. gr. cum quis stomachatur, quod aliquis, cum esset indignus, imperium petierit, & obtinuerit, potest pronunciare: *falsum est, quod oporteat cognoscere se ipsum: iste siquidem si seipsum cognouisset, imperium nunquam petijsset, ac proinde nec obtinuisset*. Rursus si quis dicat, *non oportet, vt aiunt, amare tanquam osurum, sed odisse tanquam amaturum*, meliores mores præfert. Porro cum contradicimus sententijs receptis, vel debemus ipso modo contradicendi ostendere nos habere contrarios mores, & contrariam electionem, vel debemus rationem afferre, propter quam talibus sententijs contradicamus: ex. gr. rationem afferimus si dicamus: *oportet amare non tanquam osurum, sed tanquam semper amaturum; qui enim amat vt osurus, videtur amico insidiari*: At contrarios mores ostendimus, si dicamus: *non placet mihi, quod communiter dicitur, quod oportet amare tanquam osurum: Verus enim amicus debet amare tanquam semper amaturus: neque placet mihi illud dictum commune; ne quid nimis: Oportet enim malos nimio odio prosequi*.

10 *Afferunt autem orationi vires magnas sententiæ, partim quia maxime per eas auditores capiuntur. Gaudent enim si quis vniuersaliter dicens, in eas opiniones forte deueniat, quas illi particulariter habent. Quod autem dico, hinc erit manifestum, & simul quo pacto ipsas venari conueniat. Nam sententia, vt dictum est, vniuersalis enunciatio est. Gaudent autem, cum id vniuersaliter dicitur, quod particulariter ipsi opinantur: vt si quis vicinos, aut liberos prauos habeat, gratum profecto illud sibi videbitur, Nihil vicino molestius; vel, Nihil procreatione liberorum stultius. Quare coniectura primum sequendum est quid praopinentur: deinde in vniuersum de ipso dicendum. Hic igitur vnus sententiæ vsus est. Alter, & melior, quòd moratam facit orationem. Affecta enim oratio est, qua dicentis voluntas apparet. Quod omnis sententia ideo facit, quoniam qui eam dicit, vniuersaliter de eligibilibus enunciat. Quare si sententiæ probæ sunt, faciunt, vt proborum qui dicit morum videatur. Verum de sententia, & quid est, & quot eius species, & quando his vtendum, quamque vtilitatem afferat, hæc dicta sint.*

10 Tradito vsu sententiarum, explicat Aristoteles earum vtilitatem. Duabus de causis vtiles ad persuadendum sunt sententiæ. Prima causa fundatur in vano ingenio auditorum. Quia enim auditores propter quamdam vanitatem valde rebus suis delectantur, seque prudentes putant, gaudent, si orator pronunciet aliquam vniuersalem sententiam consentaneam opinionibus, quas ipsi circa quædam particularia conceperunt, ideoque facile sibi ab oratore talibus sententijs vtente persuaderi sinunt. Explicatur, ac simul indicatur ratio, ac via sententias venandi, quæ ab auditoribus probentur. Sententia ex dictis est vniuersalis enunciatio. Cum igitur auditores audiunt vniuersaliter pronunciari aliquid conforme ijs, quæ circa suas res particulares ipsi enunciant, tali sententia delectantur, eamque vt veram probant: ex. gr. qui habet vicinos, ac filios improbos, ac molestos, probabit oratorem dicentem, *nihil est vicinis molestius, nihil est stultius, quam ad filiorum procreationem incumbere*. Vt igitur venemur sententias auditoribus gratas, debemus prius indagare, quid auditores sentiant circa particularia, ac deinde sententias vniuersales proferre consentaneas priuatis opinionibus auditorum: & hæc est prima sententiarum vtilitas, eiusque ratio. Secunda vtilitas maior est, quod per sententias efficiemus orationes moratas. Explicatur. Illæ orationes sunt moratæ, per quas manifestatur, quos circa res agendas sensus, & quos mores, ac propensiones habeat orator; sed sententiæ cum vniuersaliter pronuncient de eligibilibus, explicant sensus, ac mores oratoris circa eligibilia; ergo sententiæ efficiunt orationes moratas; & si sen-

si sententiæ sint bonæ, ostendunt etiam oratorem esse bonis moribus præditum, adeoque esse dignum fide. Satis igitur per hæc est explicatum, quid sit sententia; quot sint eius species; quis earum vsus; ac quæ vtilitas.

De enthymemate. Cap. XXIII.

1 *Nunc vero de enthymematibus primum vniuersaliter, quo pacto quærendum sit dicamus: deinde locos exponemus. Alia enim vtriusque horum species est.*

2 *Quòd igitur enthymema syllogismus quidam sit, dictum est prius, & quomodo syllogismus, & in quo à dialecticis differat. Non enim de longe, nec omnia sumentem oportet colligere. Nam alterum propter prolixitatem obscuritatis est: alterum quoniam manifesta dicuntur, nugationis. Et hæc causa est, vt apud vulgus probabiliores indocti sint: veluti etiam poetæ aiunt; concinnius rudes in vulgo dicere. Communia enim afferunt, atque vniuersalia: illi vero ex quibus sciunt, & proxima. Non ergo ex omnibus, quæ videntur, dicendum, sed ex certis aut ipsis iudicibus, aut ijs, quos multi faciunt, idque quoniam sit aut omnibus, aut plurimis perspicuum esse videatur. Nec solum ex necessarijs colligendum, sed etiam ex ijs, quæ vt plurimum sunt.*

1 Egimus de sententia, quæ est pars enthymematis: sequitur vt agamus de ipso enthymemate. Et quidem hoc capite debemus vniuersim explicare, ex quibus enthymemata sint conficienda: capitibus verò sequentibus tradenda sunt enthymematum loca.

2 Vt igitur explicemus ex quibus enthymemata sint conficienda, supponenda sunt quædam, quæ dicta sunt lib. 1. cap. 7. & sequentibus. Primo dictum est enthymema esse quemdam syllogismum. Secundo explicatum est; quo pacto enthymema sit syllogismus, & in quo differat a syllogismo dialectico. Inter alias differentias enthymematis à syllogismo dialectico illa præcipuè spectat ad propositum præsens, quod in enthymemate non decet assumi ad probandum, quæ sunt valde remota, neque omnia propinqua. Ratio, cur non debeant assumi, quæ sunt valde remota est, quia hæc sunt obscura, nec accommodata captui vulgi. Ratio, cur non debeant assumi omnia propinqua est, quia quædam notissima ab ipsis auditoribus subintelliguntur, ac proinde debent omitti ab oratore, ne videatur in vitium garrulitatis incidere. Hinc verò potest afferri ratio, cur vt Poetæ dicunt, inerudití sint aptiores ad persuadendum multitudini, quam eruditi. Inerudití enim ad persuadendum vtuntur quibusdam communibus, & captui multitudinis accommodatis: eruditi è conuerso afferunt propria, atque ipsis nota, quæ proinde excedunt captum vulgi. Hinc patet enthymemata rhetorica non esse conficienda ex omnibus, quæ qoomodocunque sunt probabilia, sed solum ex quibusdam certis, quæ sunt probabilia auditoribus, vel ijs, quorum iudicia ab auditoribus probantur. Neque verò requiritur, vt hæc probentur omnibus auditoribus, sed sufficit, vt vel probentur omnibus, vel pluribus. Rursus non solum sunt afferenda ea, quæ semper, ac necessariò concludunt, sed etiam ea, quæ vt plurimum concludunt.

3 *Primum ergo id nobis sumendum est, quòd de quo generetur, dicere, atque ratiocinari oportet, siue syllogismo ciuili, siue quocunque alio necessarium est, quæ in eo sunt vel cuncta, vel saltem aliqua tenere. Nam si nihil habes, vnde colligas non habebis. Quo enim pacto, bellandumne sit an non, Atheniensibus consulere poteris, nisi quæ sint ipsorum copiæ teneas: vtrum nauales, an pedestres, an vtrunque, & quantæ: vectigalia etiam quæ sint, aut socij, aut hostes, & ad hæc, quæ bella gesserunt, & quomodo, cæteraque huiusmodi. Laudare quoque quomodo poteris, nisi habeas naualem apud Salamina pugnam, & prælium apud Marathona, vel quæ pro Herculis nepotibus gesta sunt, vel alia huiusmodi? Omnes enim ex ijs bonis, quæ alicui adsunt, vel adesse videntur, laudant. Similiter etiam vituperant ex contrarijs, perspicientes si quid tale in ipsis est, aut esse videtur: vtputa, quoniam Græcos in seruitutem redegerunt, & Aeginetas, & Potideatas, qui cum eis aduersus Barbarum pugnarunt, præclareque gesserunt, sibi subiecerunt, & si quid huiusmodi erratum in ipsis est. Eodem modo accusantes quoque, & defendentes ex ijs quæ sunt,*

sunt, & accusant, & defendunt. Nihil autem differt de Atheniensibus, aut de Lacedæmonijs, & vel de homine, vel de Deo idipsum agere. Nam si Achilli consuleres, aut si eum laudares, vel vituperares, vel defenderes, quæ sunt, aut quæ videntur esse sumeres, vt ex eis diceres laudans, aut vituperans, si quid honestum, aut turpe sibi gestum est: accusans vero, aut defendens, si quid iustum, aut iniustum: consulens autem, si quid vtile inest, aut noxium. Similiter ijs de quacunque re alia, vt de iustitia, vtrum bonum, an, non, ex his, quæ in iustitia sunt, aut in bono. Verum quoniam & ita omnes ostendere videmus, siue recte, siue minus recte syllogismo vtantur: non enim ex omnibus, sed ex ijs, quæ in vnoquoque sunt, sumunt: & ratione perspicuum, quòd impossibile sit aliter demonstrare.

3 Sed iam explicandum est, quid debeat facere orator, vt habeat copiam eorum, ex quibus possit construere enthymemata. Dicendum, quod primo debet scire omnia, vel plurima spectantia ad rem, de qua agit, & circa quam debet aliquid concludere syllogismo politico, vel alio quolibet. Ratio est, quia ex nihilo nihil potest inferri; ergo qui nihil scit spectans ad aliquam rem, nihil poterit circa ipsam concludere. Explicatur inductione, discurrendo per omnia tria genera dicendi. Primo in genere deliberatiuo, quo pacto potest orator Atheniensibus ex. gr. persuadere bellum esse suscipiendum, vel non esse suscipiendum, si ignoret, quæ, & quantæ sint ipsorum copiæ; nauales ne, an terrestres, an partim nauales partim terrestres, qui reditus, & vectigalia; qui amici, vel inimici; quæ bella gesserint, & quomodo &c. Secundo quo pacto in genere demonstratiuo potest orator Athenienses laudare, si ignoret naualem pugnam ab ijs contra Persas apud Salaminam feliciter gestam, prælium in Marathone fortiter pugnatum, quæ pro Heraclidis sunt patrata, & alia huiusmodi, siquidem omnes ex honestis, quæ ipsis insunt, vel videntur inesse, debent laudari, & ex contrarijs, hoc est ex inhonestis debent vituperari. Quo igitur pacto posset aliquis eosdem Athenienses vituperare, si ignoraret, quæ turpiter videntur egisse, quale est, quod Græcos in seruitutem redegerunt; quod subegerunt eos, qui simul cum ipsis aduersus barbaros pugnarunt, atque egregiè se gesserunt, Aeginetas nimirum, & Potideatas, & alia huiusmodi, in quibus Athenienses videntur peccasse. Tertio etiam in genere iudiciali qui aliquem accusant, ac defendunt, ex ijs, quæ vnicuique insunt, accusant, ac defendunt, ac proinde debent illa habere perspecta. Iam sicut nihil possumus circa Athenienses ostendere, nisi sciamus quæ ad ipsos spectant, ita nihil possumus demonstrare circa Lacedæmonios, vel alios populos, circa quemcumque hominem, vel Deum, nisi sciamus quæ spectant ad ipsos: ex. gr. siue debeamus consilium dare alicui homini singulari, puta Achilli, siue debeamus ipsum laudare, vel vituperare, siue debeamus accusare, vel defendere, debemus assumere quæ ipsi insunt, vel videntur inesse, vt ex honestis laudemus, ex inhonestis vituperemus; ex iustis defendamus, ex iniustis accusemus; ex vtilibus, vel inutilibus suadeamus, aut dissuadeamus. Vniuersim verò de nulla re possumus differere, nisi ex ijs, quæ ipsi insunt: ex. gr. non possumus disserere de iustitia, ostendendo illam esse bonum, vel non esse bonum, nisi ex ijs, quæ insunt iustitiæ, aut bono.

4 *Patet igitur necessarium esse, sicut in Topicis, primum vt electa de possibilibus, atque opportunissimis circa vnumquodque habeantur: vt proxime facta eodem pacto quæramus, respicientes non in indefinita, sed in ea, quæ in illis sunt, de quibus habetur oratio: vt præterea plurima, & proxima rebus circumscribenda sint. Nam quanto plura eorum quæ in re sunt teneas, tanto facilius demonstrabis: & quanto propinquiora, tanto propria magis, ac minus communia.*

5 *Communia vero dicimus, vt si Achillem laudes, quoniam homo quoniam semideus, quoniam in Troianos traiecit. Hæc enim alijs multis insunt: quare non Achillem magis, quàm Diomedem laudas. Propria vero, quæ nemini, quàm Achilli contigerunt: vt quoniam Hectora qui Troianorum erat fortissimus, interfecit, & Cygnum qui cum esset inuulnerabilis, omnes ne descenderent, inhibebat: & quoniam adolescens, nec iureiurando adstrictus, militauit, cæteraque huiusmodi. Vnus igitur eligendus modus, primusque is locus est.*

4 Quo-

4 Quoniam igitur est ostensum, quod omnes, qui de re aliquid demonstrant, demonstrant non ex quibuslibet, sed ex ijs, quæ insunt tali rei, licet alij concludant melius, alij minus bene; patet necessarium esse, sicut etiam dictum est in Topicis, vt orator sciat quæ insunt illis rebus, de quibus sæpe disputatio contingit. Cum verò proponitur ad differendum aliquid repentinum, necesse est, vt pro temporis ratione quærat non quæcunque, sed quæ insunt rei, de qua est agendum, & vt conetur tenere plurima, ac præsertim proxima rei. Ratio est, quia quo plura tenebit, eo facilius demonstrabit intentum; & quo tenebit propinquiora, eo magis demonstrabit ex proprijs, minusque ex communibus.

5 Sed quoniam mentionem fecimus propriorum, & communium, explicare debemus, quænam dicantur proprja rei, & quæ communia. Propria sunt *quæ non conueniunt alijs*, communia sunt, *quæ conueniunt etiam alijs*: ex.gr. qui laudaret Achillem ex eo, quod fuerit homo, quod fuerit semideus, quod pugnauerit contra Ilium &c. laudaret Achillem ex ijs, quæ conueniunt etiam alijs, puta Diomedi, ideoque non magis laudaret Achillem, quam Diomedem. E conuerso qui laudaret Achillem ex eo, quod interfecerit Hectorem Troianorum fortissimum, & Cygnum, qui cum esset inuulnerabilis, prohibebat Græcos, ne ex nauibus in terram descenderent; ex eo quod admodum adolescens militauerit, licet iuramento non teneretur contra Troianos pugnare, sicut tenebantur reliqui Principes Græcorum &c. hic laudaret Achillem ex proprijs. Et per hæc explicauimus primum ex ijs, quæ numero primo proposuimus, hoc est ex quibus facienda sint enthymemata.

6 *Nunc vero enthymematum elementa dicamus. Elementum autem enthymematum, atque locum idem dico. Sed prius de ijs dicamus, de quibus necesse est prius dicere. Sunt enim enthymematum species duæ. Nam quædam quod sit, vel non sit, approbatiua sunt: quædam ἐλεγκτικὰ Græcè appellantur: id Latinè dicere possumus redarguendi potestatem habentia, differuntque sicut in dialecticis syllogismus & elenchus. Est autem approbatiuum quidem enthymema, cum ex concessis colligitur: Elenchicum vero; cum repugnantia colliguntur. Ferè igitur nobis in vnoquoque genere vtili, atque necessario, loci dicti sunt. Quare quibus enthymemata ex locis elicienda sunt, de bono, aut malo, honesto, aut turpi, iusto, aut iniusto, de proprijs etiam affectibus, eodem modo sumpti sunt nobis iam prius loci, ex quibus. Verum nunc alio modo de omnibus communiter sumamus, atque dicamus, qui approbatiui, quique elenctici sunt, annotantes eos etiam, qui sunt apparentium enthymematum, quæ tamen non sunt enthymemata, quoniam nec syllogismi. Quibus explicatis, de obiectionibus, solutionibusque dicemus, vnde enthymemata elicienda sunt.*

6 Vt sequentibus capitibus tradamus elementa, seu loca, ac propositiones, ex quibus conficienda sunt enthymemata, debemus aliqua præmittere. Primum est, quod pro eodem sumimus loca, & elementa enthymematum. Secundum est, quod duæ sunt enthymematum species. Prima species continet enthymemata ostensiua: secunda continet redargutiua, quæ differunt eo pacto, quo in dialecticis differunt syllogismus, & elenchus. Enthymema ostensiuum est, *per quod ex propositionibus concessis concludimus intentum*; redargutiuum est, *per quod cogimus aduersarium ad concedendum sibi inuicem repugnantia*. Tertium est, quod elementa, seu loca enthymematum sunt in duplici genere; propria nimirum, & communia. Et propria quidem loca satis ferè tradidimus, partim libro primo, partim initio huius libri secundi. Libro siquidem primo tradidimus primo loca pro genere deliberatiuo ad ostendendum aliquid esse bonum, vel malum, vtile, vel inutile: secundo tradidimus loca pro genere demonstratiuo ad ostendendum aliquid esse honestum, vel turpe: tertio tradidimus loca pro genere iudiciali ad ostendendum aliquid esse iustum, vel iniustum: quarto libro secundo tradidimus loca ad differendum de moribus, affectibus, & habitibus bonis, vel malis. Reliquum igitur est, vt tradamus loca communia omnibus tribus generibus dicendi. Primo ergo tradenda sunt loca ad conficienda enthymemata tum ostensiua, tum redargutiua, seu refutatiua: secundo tradenda sunt loca ad conficienda enthymemata apparentia, quæ verè non sunt enthymemata, sicut syllogismi apparentes verè

verè non sunt syllogismi: tertio demum agendum est de solutionibus enthymematum, ac de instantijs, quibus possumus enthymemata contraria labefactare.

De locis verorum enthymematum. Cap. XXIV.

1 *VNus igitur approbatiuorum locus ex contrarijs est. Nam inspicere oportet, si contrario contrarium confirmanti quidem inest, confutanti autem, si non inest: vt temperantiam bonum esse, quoniam intemperantia malum: vt in Messeniaca. Nam si bellum horum malorum causa est, per pacem hæc emendabimus. Item quòd si non ijs, qui inuiti obfuerunt, irasci par est: nec ijs qui coacti profuerunt, gratia est habenda. Item quòd si multa etsi hominibus credibilia sint, falsa tamen sunt: contrarium quoque credendum est, multa quamuis mortalibus incredibilia sint, vera tamen esse.*

2 *Alius ex similibus casibus. Similiter nanque esse, & non esse oportet: vt si dicas non omne iustum bonum esse. Nam quicquid est iuste, id bene esset: nunc vero iuste mori, non est appetibile.*

1 PRimus locus est ex contrarijs: si enim vni contrariorum inest vnum contrarium, alteri contrariorum inerit alterum contrarium. Hic locus est vtilis tum ad probandum, tum ad refellendum. Ex eo enim, quod vni contrariorum inest vnum contrarium, possumus ostendere, quod alteri inest aliud contrarium: & ex eo, quod vni contrariorum non inest vnum contrarium, possumus refellere dicentem, quod alteri contrariorum inest aliud contrarium. Quatuor huius loci exempla affert Aristoteles. Primum est, quo ostendimus, quod temperanter viuere sit vtile ex eo, quod intemperanter viuere sit perniciosum. Secundum exemplum est, quo Alcidamas in Messeniaca, hoc est in oratione pro Messenijs, ex malis, quæ passi fuerant in bello, suasit pacem dicens: si bellum malorum, quæ vos premunt, causa est, oportet paci studere, si ea mala vultis corrigere. Tertium est, quo Poeta quidam Tragicus quatuor senarijs Græcis sic est argumentatus: si his, qui nolentes, atque inuiti malè fecerunt, æquum non est irasci, neque etiam si quis coactus benè fecerit, debemus gratiam habere. Quartum exemplum est: si apud mortales quædam sunt falsa, quibus fidem adhibemus; è conuerso etiam quædam accidunt vera, quæ videntur fide indigna.

2 Secundus locus est ex similibus casibus: quod enim verificatur, aut non verificatur in vno similium casuum, verificatur, vel non verificatur etiam in alio. Ex hoc loco possumus sic ostendere, quod non omne, quod est iustum, est etiam bonum: si omne iustum esset eligendum, ac bonum, omne, quod iustè fit, esset eligendum, ac bonum; sed non omne, quod iustè fit, est eligendum: neque enim est eligendum iustè mori; ergo neque omne iustum est eligendum: nam non est eligenda iusta mors.

3 *Alius ex ijs, quæ ad inuicem. Nam si alteri iuste, ac bene agere inest, alteri pati inerit: & si imperasse, etiam fecisse: vt de publicanis Diomedon Publicanorum princeps. Nam si vobis locare turpe non est, nec nobis conducere. Nam si qui passus est, iuste, ac bene id passus est: ergo & qui fecit: & si qui fecit; ergo & qui passus est. Sed potest in hoc cauillatio fieri. Nam si iuste occisus est, iuste passus, sed forte non abs te. Quare seorsum perspiciendum, si pati dignus fuit qui passus est, & facere qui fecit. Deinde vtendum quomodocunque congruit. Nam interdum id dissonat, nihilque prohibet: veluti & Alcmæoni apud Theodectem Matrem vero tuam nemo mortalium oderat. Ait autem respondens. Sed distinguentes considerare oportet. Interrogante vero Alphesibœa cur illam quidem morte dignam iudicarunt, se vero iniuria interfecisse. Et veluti iudicium de Demosthene, & eorum, qui Nicanora interemerunt. Nam quoniam iure interfecisse iudicati sunt, iure cæsus iudicatus est. Et vt de interfecto Thebis, de quo iudicium fieri volebat, si occidi dignus erat, quasi non sit contra ius eum occidere, qui iure cæsus est.*

3 Tertius est ex relatiuis: si enim aliquis honestè, ac iustè aliquid fecit, alter honestè, ac iustè passus est. Plura huius loci exempla affert Aristoteles. Primum est, quo Diomedon publicanus de suo ordine ad populum loquens, sic est argumentatus: si vobis non est turpe vendere nobis

bis vectigalia, nec nobis publicanis turpe est illa emere, atque exigere. Secundum exemplum est, quo posset quis probare, quod aliquis honestè, ac iustè damnum alteri intulit, sic: si hic honestè, ac iustè damnum est passus, ille alter honestè, ac iustè damnum intulit. Possemus è conuerso sic ostendere, quod aliquis iustè sit passus damnum ex eo, quod alter iustè intulerit. Tertio possumus etiam ex hoc loco paralogizare. Potest enim contingere, vt quis iustè sit passus, vel interfectus, sed non iustè sit passus, aut interfectus ab hoc, ideoque cum volumus hoc paralogismo vti, debemus considerare seorsim, an aliquis iustè sit passus, vel iustè fecerit, & sic inferre quod nobis congruit. Cæterum potest contingere, vt quis iustè sit occisus, & tamen qui interfecit, iniustè interfecerit. Hoc pacto in Alcmæone Theodectis, mater Alcmæonis digna fuit, quæ occideretur, quippè cum virum suum necasset, & tamen Alcmæon filius iniustè illam interfecit, ac matrem interficiendo in parricidij scelus incidit. Adhuc tamen aliquis paralogismo vsus est ad Alcmæonem defendendum dicens: quis non matrem suam odio prosequebatur, eamque morte dignam iudicabat? Quasi ex eo, quod Alcmæonis mater digna esset morte, sequeretur, quod Alcmæon iustè illam occidere potuerit: ideoque ipse Alcmæon respondens fassus est matrem suam dignam morte fuisse, sed adhuc quærenti Alphesibææ: quo pacto ergo te iudices condemnarunt? respondit Alcmæon, quia iudices statuerunt illam quidem dignam morte fuisse, at me non potuisse meam matrem interficere. Ex hoc eodem loco in iudicio Demosthenis, & aliorum, qui Nicanorem interfecerant, ex eo, quod Nicanor visus est iustè necatus, decretum est interfectores eum iustè interfecisse. Similiter cum quidam Thebis fuisset interfectus, quæsitum est in iudicio, num ille iustè fuisset interfectus? quasi eo ipso, quod ille iustè fuisset interfectus, interfectores eum iustè necassent.

4 *Alius ex eo, quod magis, & minus: vt ne Dij quidem omnia sciunt, quonam pacto homines? id enim est, si cui magis inesse deberet non inest, nec cui minus. Illud vero, vicinos ab eo verberari, à quo vel pater ipse, ex eo, quod si minus est, & maius est, vtrunque ostendere opus sit, siue quod sit, siue quod non. Præterea si neque magis, neque minus. Vnde dictum est, tuus pater cum liberos amiserit, miserabilis est: Oeneus vero non est, qui filium amisit totius Græciæ præclarissimum? Et si Theseus iniuriatus non est, neque Alexander. Et si nec Tindaridæ, nec Alexander. Et Patroclum Hector, & Achillem Alexander. Et si cæteri artifices praui non sunt, nec Philosophi. Et si duces praui non sunt, quia sæpe superantur, nec sophistæ. Et si oportet priuatos existimationis vestræ curam habere, & vos Græcorum existimationis.*

4 Quartus locus est à maiori, & minori. Exemplum argumenti à maiori ad minus est: si nec Dij omnia sciunt, multo minus homines omnia scient: ex eo enim, quod scientia omnium non insit Dijs, quibus magis debet inesse, arguitur, quod nec inest hominibus, quibus minus debet inesse. Exemplum argumentationis à minori ad maius est: si patrem verberat, quem minus debuisset verberare, multo magis propinquos verberabit. Hic porro locus non solum valet ad probandum, sed etiam ad refellendum. Loco ex maiori, ac minori connectitur etiam locus à pari, quod neque est maius, neque minus. Plura exempla argumentorum à pari ab Aristotele afferuntur. Primum desumitur ex quadam Tragædia, in qua cum mulier dixisset parentem suum amisso filio esse omnium virorum misertimum, quidam sic contra illam argumentatur: num tuus pater est miserandus, quia filium amisit, Oeneus autem non erit æquè miser, cum amiserit filium Meleagrum, inter Græcos præstantissimum? Secundum exemplum est, quo quis ad defendendum Paridem, siue Alexandrum sic est argumentatus: Si Theseus Helenam rapiens non iniustè se gessit, nec Alexander, qui eamdem rapuit: Rursus si non iniustè se gesserunt Tyndaridæ, hoc est Castor, & Pollux, qui Leucippi filias rapuerunt, nec Alexander iniustè se gessit. Tertium exemplum est: si Hector Patroclum hostem sine culpa necauit, Paris etiam Achillem sine culpa interemit. Quartum exemplum est: si neque alij artifices nihili homines habentur, neque philosophi nullius pretij homines debent censeri. Quintum exemplum est: duces exercituum belli administratores mali non censentur, etiamsi ali-

aliquando in bello vincantur, nec sophistæ debent censeri disputandi imperiti, etiamsi aliquando in disputationibus superentur. Sextum demum exemplum est: si decet singulos priuatos suæ gloriæ seruire, vos quoque gloriæ Græcorum studiosos esse oportet.

5 *Alius à temporis consideratione, vt Iphicrates pro Harmodio. Et si statuam peteris antequam faceret dedissetis, nunc cum fecerit, non dabitis? Num igitur accepturi quidem pollicemini cum vero acceperitis, tunc aufertis? Et rursus ad illud, an Thebani Philippum in Atticam patientur pertransire: si antequam auxilium eis aduersus Phocenses tulerit, petijsset, sponderent profecto: incredibile igitur, si quia prodidit, ac credidit, idcirco transitum ei esse negaturos.*

6 *Alius ex ijs, quæ quispiam dixit, in seipsum reiectis. Sed modus differt, vt Iphicrates in Teucro aduersus Aristophonta fecit. Nam cum Aristophon, si proderet naues pecunia, rogatus, negasset, intulit deinde: Tu qui Aristophon es, non prodidisses: ego vero, qui sum Iphicrates, prodidissem? Oportet autem, vt magis ille facturus videatur. Nam aliter ridiculum videbitur: vt si aduersus Aristidem accusantem id quispiam dixerit. Verum ad detrahendum accusatori fidem. Omnino enim accusator defensore melior esse vult. Ad id igitur vniuersaliter reprobandum is locus est, quòd alius quispiam facere reprehendat, quæ ipse vel non facit, vel non faceret: aut facere hortetur quæ vel non facit ipse, vel non faceret.*

5 Quintus locus desumitur ex circumstantia temporis. Primum huius loci exemplum est, quo vsus est Iphicrates in oratione contra Harmodium: si priusquam facerem ea, quæ pro vobis feci, statuam postulassem, dummodo facerem, vos eam mihi concessissetis; cum verò iam fecerim, non concedetis? Quod igitur beneficium expectantes promitteretis, beneficio accepto denegabitis? Secundum exemplum est. Auxilium miserat Philippus Thebanis contra Phocenses, deinde verò petijt ab ipsis, vt fineret eum per agros suos cum exercitu aduersus Athenienses iter facere. Potuisset igitur aliquis Thebanis persuadere, vt transitum Philippo permitterent, sic arguens ex circunstantia temporis: Vos Thebani, si Philippus antequam vobis auxilia mitteret, petijsset à vobis facultatem per vestros agros cum exercitu transeundi, id permisissetis: nunc autem quia conlato vobis beneficio petijt, non permittetis?

6 Sextus locus desumitur ex moribus, ac vita eius, contra quem agimus. Hic locus est valde illustris, eoque vsus est contra Aristiphontem Iphicrates in Teucro, hoc est in quadam Tragædia, vel oratione sic inscripta. Cum enim Iphicrates Aristiphontem interrogasset, num ipse proditurus fuisset naues ob pecunias? Aristiphon autem negasset se fuisse proditurum; Iphicrates sic contra illum arguit: Ergo ne tu, qui es Aristiphon, non proderes, ego verò, qui sum Iphicrates, prodidi? Aduertit autem Aristoteles, quod ad hoc, vt aliquis hoc loco rectè vtatur contra aduersarium, necesse est, vt aduersarius communiter existimetur deterior, & iniustior, alioquin ridiculus esset, si quis eo loco aduersus Aristidem, qui existimabatur valde iustus, vteretur. Tum igitur præcipuè hoc loco possumus vti, cum qui nos accusat, suspectus est eius criminis, de quo nos accusat, siquidem vniuersim accusator debet esse melior reo. Partes igitur eius, qui accusatur, erunt, vt ostendat se esse innocentiorem accusatore: eo enim ipso stultus, atque impudens videbitur accusator; siquidem stultus est, qui alium accusat de ijs, quæ ipsemet facit, aut faceret, vel suadet ea facienda, quæ ipse non facit, vel non faceret.

7 *Alius ex definitione, vt si dicas, dæmonium nihil est aliud, nisi Deus, aut Dei opus. Atqui si quis putat Dei opus esse, hunc putare necesse est Deos quoque esse. Et sicut Iphicrates dixit generosissimum eum esse, qui optimus est. Nihil enim Harmodio, & Aristogitoni generosum erat, antequam generose gesserant. Et quod propinquior ipse. Nam gesta mea Harmodij, atque Aristogitonis gestis propinquiora sunt, quam tua. Et vt in Alexandro, omnes profecto concedemus non vnius fruitionem corporis impuros cupere. Id etiam, quod Socrates dixit nolle ad Archelaum proficisci. Turpe nanque similiter aiebat esse, si beneficio affectus non possis referre, quemadmodum si maleficio. Omnes enim isti, cum definierint, acceperintque quid sit,* tunc

8 *tunc de quo dicunt, ratiocinantur.* * *Alius ex eo, quod multipliciter: vt in Topicis de*
9 *eo, quod recte.* * *Alius ex partitione, vtputa si omnes trium causa iniuriantur, aut huius, aut istius, aut illius rei gratia: & propter hæc quidem impossibile: propter tertium autem neque ipsi dicunt.*

7 Septimus locus desumitur ex definitione. Primum exemplum est, quo Plato ostendit Socratem falso fuisse accusatum, quasi putaret non esse Deum. Socrates enim dicebat se in omnibus sequi Dæmonium, adeoque arbitrabatur Dæmonium esse; sed dæmon nihil est aliud, quam aut Deus, aut opus Dei, quorum neutrum verificari potest, nisi Deus sit; ergo Socrates arbitrabatur Deum esse. Secundum exemplum est Iphicratis, qui contra Harmodium quemdam ex nobilissima familia ortum, qui Iphicrati exprobrarat ignobilitatem generis, ex definitione nobilitatis, seu generositatis sic est argumentatus: Ille est verè nobilis, ac generosus, qui est optimus, ac præclara gessit: siquidem ipse Harmodius senior, & Aristogitenes, quibus tanquam principibus sui generis gloriabatur Harmodius iunior, tum primum nobiles, ac clari euaserunt, cum præclara egerunt, ac sustulerunt tyramnum; sed ego in præclaris rebus gerendis sum similior Harmodio seniori, quam Harmodius iunior, qui nihil vnquam præclari gessit; ergo ego sum nobilior Harmodio iuniore. Tertium exemplum est, quo quis Alexandrum, siue Paridem defendit à crimine intemperantiæ, ex definitione intemperantis sic arguens: ex communi confessione intemperantes non vnius mulieris corpore contenti sunt ad delectationem; sed Paris vna Helena fuit contentus; ergo Paris non fuit intemperans. Quartum exemplum est, quo Socrates excusauit se, quod ad Archelaum Regem, à quo fuerat vocatus, ire noluisset, dicens se ire noluisse, ne quoddam genus dedecoris cogeretur perferre. Sicut enim dedecus est, cum quis accepto maleficio non potest referre par maleficium, sic est quoddam genus dedecoris, cum quis accepto beneficio non potest referre beneficium æquale; sed ego si ad Archelaum iuissem, tot ab eo beneficia accepissem, vt æquale beneficium referre non possem; ergo cogerer quoddam genus dedecoris, ac contumeliæ subire,

8 Octauus locus desumitur ex declaratione, qua explicatur, quotupliciter aliquod nomen dicatur, eo pacto, quo in Topicis ducitur argumentum ex eo, quod rectè se habere, multipliciter dicitur.

9 Nonus locus desumitur ex diuisione. Exemplum est: omnes trium rerum causa iniuriam faciunt, hoc est gratia vel huius, vel huius, vel huius; sed hic duorum priorum gratia iniuriam non fecit, vt probatum est, ipsi verò aduersarij fatentur eum non fecisse iniuriam gratia tertij; ergo &c.

10 *Alius ex inductione, vt ex Peparethia, quòd mulieres vbique de liberis vere discernunt. Nam tum Athenis Mantiæ oratori ambigenti de filio mater asseruit: tum Thebis Ismenia, & Stilbone ambigentibus, Ismenia filium esse Dodonis confirmauit, ac idcirco Thessaliscum Ismeniæ filium putarunt. Rursus ex Theodectis lege. Qui de alienis equis paruam curam habuerunt, ijs suos non tradunt, neque ijs, qui naues alienas euerterunt, aliquis tradit suas. Si ergo id ita in omnibus fit, ijs etiam, qui aliorum salutem neglexerunt, in custodiam sui vtendum non est. Et vt Alcidamas: omnes, inquit, quomodocunque sapientes honorant. Nam Parij Archilochum, quanquam eos vituperasset, honorarunt: & Chij Homerum, quanquam ciuis suus non esset: & Mitylenei Sappho, quamuis fœmina fuerit: & Lacedæmonij, quanquam minime Philosophorum studiosi sunt, Chilonem tamen è senibus fecerunt: Itali quoque Pythagoram: Lampsaceni vero Anaxagoram, & si peregrinus esset, magnifice tamen sepelierunt, & ad hunc vsque diem venerantur: Athenienses etiam quousque Solonis legibus vtebantur, beati fuerunt: & Lacedæmonij Lycurgi legibus vsi: Thebis quoque qui præfuerunt, Philosophi erant, & ciuitas erat in felicitate.*

10 Decimus locus est ex inductione. Primum huius loci exemplum desumi potest ex oratione quadam, quæ inscribitur Peparethia, in qua probatur inductione, quod cum quæritur, cuius viri aliquis filius fuerit, credendum est matri: Athenis enim cum orta esset lis de patre Mantiæ oratoris, creditum est matri: Thebis cum Ismenes, ac Stilpo disceptarent, vter eorum esset

esset pater Thessalisci, Dodonis mater sententiam tulit pro Ismene, ac proinde Thessaliscus deinde existimatus est filius Ismenis. Secundum exemplum desumitur ex lege Theodectis, vbi inductione probatur non esse committendam salutem suam ijs, qui salutem alienam sibi commissam malè curarunt: nemo committit equos suos ijs, qui malè curarunt alienos equos; nemo committit suas naues ijs, qui alienas naues euerterunt; ergo neque debemus committere nostram salutem ijs, qui male curarunt salutem alienam. Tertium exemplum est, quo Alcidamas inductione sic probauit, quod omnes honorant sapientes: Parij Archilochum honore affecerunt ob sapientiam, quamuis esset maledicus: Chij honorarunt Homerum, quamuis non esset ciuis: Mitylenæi honorarunt Sapphonem, quamuis esset mulier: Lacedæmonij, quamuis litteris non delectarentur, adhuc Chilonem in senatorum numerum cooptarunt: Itali Pythagoram magnis honoribus donauerunt: Lampsaceni Anaxagoram peregrinum sepulchro decorarunt, ac etiam nunc honorant: Athenienses, ac Lacedæmonij, Solonis, ac Ligurgi legibus vsi felices fuerunt: Thebis statim, atque præsides philosophi sunt electi, felix ciuitas fuit; ergo &c.

11 *Alius ex iudicato, aut eodem, aut simili, aut contrario, præsertim si omnes, & semper, aut si saltem plurimi, aut sapientes, & ij vel omnes, vel clariores, aut etiam si ipsi iudices, vel qui ipsi grati sunt, vel ij aduersus quos iudicare non possunt, vt domini, vel aduersus quos iudicare turpe sit, vt Dij, pater, doctor: veluti Autocles dixit in Mixidemidam: Si furijs, quæ sunt Deæ, suffecit pœnas in Areopago dare, Mixidemidæ vero minime. Aut sicuti Sappho: malum esse mortem. Dij nanque, nisi sic iudicassent, morerentur. Aut sicut Aristippus ad Platonem acerbius, vt putabat. Atqui sodalis noster, inquit, nihil tale, de Socrate dicens. Hegesippus quoque oraculo prius in Olympo vsus, Delphis postea querebat ab Apolline, si quæ patri, eadem quoque sibi videantur, quasi turpe sit contradicere. Isocrates etiam de Helena scribit pulcherrimam fuisse: siquidem Theseus ita iudicauit. Et de Alexandro, quem Dij præposuerunt. Euagoram quoque virtute præclarum fuisse, quòd Conon cum in calamitatem incidisset, relictis cæteris, Euagoram solum petijt.*

12 *Alius à partibus, sicut in Topicis, quod mouet anima. Nam hæc, aut illa. Exemplumque hoc fit ex Socrate Theodectis. Quod ille sacrum non pie coluit? quos Deos despexit, quos ciuitas Deos esse arbitretur?*

11 Vndecimus locus desumitur ex eo, quod ita præteritis temporibus statuerunt de eadem re, vel de simili, aut contraria, vel omnes, vel plerique, vel sapientes omnes, aut plerique; vel probi viri, vel ij ipsi, qui nunc iudicant, vel ij, quorum iudicia ipsi recipiunt, ac probant; vel ij, quibus nefas est iudicibus contrarium iudicare; vel ij, quorum sub potestate constituti sunt iudices; vel ij, quibus indecorum est contraria sentire, quales sunt parentes, Dij, ac magistri. Plura huius loci exempla Aristoteles affert. Primum exemplum est Autoclis, qui contra Mixidemidem in Areopago causam dicere recusantem, sic arguit: Eumenides Deæ sibi honestum putarunt causam suam in Areopago tractari: Mixidemides verò id indecorum iudicabit? Secundum exemplum est, quo Sappho ostendit mori malum esse ex eo, quod Dij sic iudicarunt: alioquin mori voluissent. Tertium exemplum est Aristippi, qui contra Platonem asseuerantius quiddam proferentem, dixit: atqui sodalis noster Socrates nihil huiusmodi. Quartum exemplum est Hegesippi, qui cum prius accepisset oraculum Iouis Olympici, interrogans Apollinem Delphicum, quæsiuit, num eadem viderentur filio, quæ visa fuerant Patri? quasi turpe esset, vt filius dissentiret à Patre. Quintum exemplum est Isocratis, qui probauit Helenam virtute præstantem fuisse ex eo, quod Theseus illam virtute præstantem iudicarit: Paridem vero, siue Alexandrum fuisse bonum iudicem formæ ex eo, quod tres Deæ de pulchritudine certantes, ab illo iudicari voluerunt: & Euagoram virtute præstantem fuisse ex eo, quod Conon aduersa fortuna vsus, omnes alios prætermittens, ad Euagoram confugerit.

12 Duodecimus locus est à partium enumeratione. Hoc loco in Topicis libro 2. cap. 2. n. 19. vsi sumus ad refellendam opinionem dicentem animum esse motum: si enim animus esset motus, vel esset alteratio, vel latio, vel augmentatio, vel generatio; nullum ex his est; ergo animus non est

est motus. Eodem loco vsus est Theodectes in oratione, quam habuit pro Socrate, ad refellendum crimen, de quo accusabatur, quod Deos esse non crederet: quod enim templum Socrates violauit? quos Deos non coluit ex ijs, quos ciuitas veneratur?

13 *Alius quoniam in pluribus accidit, vt bonum quid, aut malum inde consequatur, à consequentibus suadere, vel dissuadere, accusare, vel defendere, laudare, vel vituperare. Vt eruditionem inuidia malum consequitur, sapientia bonum: quare non oportet erudiri, ne habeamus inuidos, aut oportet: sapientem enim esse oportet. Hic locus totum Calippi artificium est, si possibile, cæteraque, vt dictum est, addideris.*

14 *Alius, cum de duobus oppositis suadendum, vel dissuadendum sit, hoc modo de vtrisque dicere, quomodo exposuimus. Differt autem, quoniam ibi quæ forte oblata sunt, opponuntur, hic vero contraria. Vt sacerdos quidam filium vetabat ad populum orationem habere. Nam si iniusta suades (inquit) Dij: si vero iusta, homines te odio habebunt. Imò vero habenda est ad populum oratio. Nam si iniusta, homines: sin vero iusta dicam, Dij me amabunt. Hoc autem idem est illi prouerbio, quo fertur, oleum, ac salem emi oportere. Et commutatio quidem est, cum ad vtrunque duorum contrariorum bonum, ac malum consequuntur, alterum alteri contrarium.*

13 Decimus tertius locus est ex consequentibus bonis, aut malis. Quia enim accidit, vt ex qualibet re sequatur aliquid boni, & aliquid mali, bonis consequentibus possumus vti ad suadendum, laudandum, ac defendendum; malis verò consequentibus possumus vti ad dissuadendum, vituperandum, & accusandum: ex. gr. quia ad studia litterarum sequitur tum inuidia, tum sapientia, possumus studium litterarum vituperare, quia ex eo sequitur inuidia, ac possumus idem laudare, quia ex eo sequitur sapientia: ex eo, quod sequatur inuidia possumus à studio litterarum dehortari; ex eo, quod sequatur sapientia, possumus ad idem hortari. Hic locus est ita amplus, vt ex eo totam suam artem rhetoricam deduxerit Callippus, addens solum aliqua spectantia ad possibile, vel impossibile, & quædam alia, de quibus dictum est supra.

14 Decimus quartus locus etiam ex consequentibus est: cum ex vtroque contrariorum sequuntur contraria, possumus ijs vti ad suadendum, vel dissuadendum vtrum libet contrariorum. Hic locus differt à superiori in hoc, quod per illum vtimur oppositis quomodocunque, per hunc vtimur contrarijs. Exemplum est: quidam sacerdos dissuadebat filium ab arte oratoria ad populum exercenda, & vtebatur argumento ducto ex malis, quæ ex ea arte sequuntur: vel enim suadebis iusta, vel iniusta; si iusta homines te odio habebunt; si iniusta Dij. Retorsit argumentum filius, ac dixit: immo si suasero iusta, Dij me amabunt, si iniusta homines; ergo oratoria est exercenda. Addit Aristoteles hoc esse idem cum eo, quod dicitur communiter, cum quæritur, vtrum sit emendum oleum, & sal? Quid hoc sit, Aristoteles non explicat. Videtur verò esse huiusmodi. Si emeris oleum, & sal ad exercendam mercaturam, vel illa communicabis amicis, propinquis, ac vicinis, vel non; si communicabis, amittes lucrum; si non communicabis, amittes amicos; ergo oleum, & sal non sunt emenda. Retorquetur argumentum: si enim communicabo, acquiram amicos; si non communicabo, acquiram pecunias; ergo sunt emenda. Potest verò argumentum hoc pacto inuerti, ac retorqueri, cum ex vtroque contrariorum sequuntur bona, & mala contraria, eo pacto, quo ex oratoria, siue iustè, siue iniustè exerceatur, sequitur amor, & odium, ita tamen, vt si exerceatur iustè, sequatur amor Deorum, & odium hominum, si iniustè sequatur amor hominum, & odium Deorum.

15 *Alius quoniam non eadem occulte, atque aperte laudant, sed aperte quidem quæ iusta sunt, atque honesta maxime, occulte autem malunt, quæ conferunt, dare operam, vt ex his alterum colligatur. Nam hic locus, eorum, quæ præter opinionem sunt, principalissimus est.*

16 *Alius quoniam ita ex proportione conueniat: vt Iphicrates cum censores filium eius puerum adhuc ætate, quoniam statura longus erat, ciuitatis onera ferre cogerent: si longos ex pueris, inquit, viros pu-*

rabunt, breues ex viris pueros esse profecto censebunt. Et Theodectes in lege, cum tributa pendentes, veluti Strabaca, & Charidemum, propter probitatem ciues faciatis, non expelletis eos ex ciuitate, qui in tributarios nefanda commiserunt?

17 *Alius à consequenti, si idem sit, quod & à quibus consequitur, eadem sint, vt Xenophanes dicebat, similiter eos impios esse, qui Deos asserant factos, quemadmodum eos, qui morituros affirmant, cum vtrinque accidat Deos aliquando non esse. Omnino autem quod ex vtroque accidit, quasi semper idem capiatur. Iudicaturi autem estis, non de Socrate, sed de professione, an philosophandum sit. Et quod dare terram, & aquam, id seruire sit. Et communis esse participem pacis, id est iussa facere. Sumendum autem alterutrum, quod accommodatius est.*

15 Decimus quintus locus est ex ijs, quæ homines laudant in aperto, vel in occulto. Explicatur: homines in aperto laudant, ac præferunt honesta, in occulto laudant, ac præferunt vtilia; siue ergo quis præferat vtilia, seu honesta, possumus ostendere, quod repugnet opinionibus hominum. Nam si præfert honesta, repugnat opinionibus occultis; si vtilia, repugnat opinionibus manifestis. Hic igitur locus est valde opportunus ad ostendendum opinionem aduersarij esse paradoxicam.

16 Decimus sextus locus desumitur ex proportione. Hoc loco vsus est Iphicrates. Cum enim Athenienses filium Iphicratis iuniorem, qui propter ætatem à publicis muneribus erat immunis, cogere vellent ad publica munera subeunda, eo quod grandis esset corpore, contra illos Iphicrates argumentum duxit ex debita proportione dicens: si pueros grandes corpore censetis viros, ideoque cogitis ad publica munera subeunda; viros paruos corpore debetis reputare pueros, ac proinde debetis illos à publicis muneribus obeundis liberare. Hoc eodem loco vsus est Theodectes in lege dicens: si stipendiarios milites, vt Strabacam, & Charidemum propter morum probitatem Ciuitate donatis, eosdem stipendiarios, qui nefariè fecerunt, debetis extorres è ciuitate eijcere.

17 Decimus septimus locus est, cum ex eo, quod ex duobus eadem sequuntur, ostendimus illa pro eodem esse reputanda. Hoc loco vsus est Xenophanes ad ostendendum eamdem esse impietatem eorum, qui dicebant Deos nasci, ac qui dicebant Deos mori. Impietas enim dicentium Deos mori consistit in hoc, quod sequitur Deos aliquando non extituros; sed etiam ex eo, quod Dij nascantur, sequitur illos aliquando non extitisse; ergo eadem est impietas amborum. Eodem loco vsus est quidam in defensione Socratis. Dixit enim, quod idem erat damnare Socratem, ac damnare philosophiam. Sicut enim si damnaretis philosophiam, absterreretis omnes à nauanda deinceps opera philosophiæ, sic hoc idem sequetur, si damnaueritis Socratem. Tertium exemplum est: Persarum Reges, cum volebant aliquam vrbem sibi tradi, petebant terram, & aquam. Quia ergo eadem incommoda sequebantur, seu tales Ciuitates traderent Persis terram, & aquam, seu traderent se ipsos in seruitutem, poterat dici, quod idem erat tradere Persis terram, & aquam, ac se tradere in seruitutem Persarum. Quartum exemplum est: quia aliquæ Ciuitates potentiores Græciæ, quando inibant fœdus cum Ciuitatibus minoribus, cogebant illas imperata facere, quidam orator dissuadens tale fœdus, dixit, quod idem erat fœdus inire, ac velle potentioribus Ciuitatibus parere. Cum igitur ex duobus idem sequitur, possumus hoc argumento vti ad ostendendum id, quod nobis conducit.

18 *Alius ex eo, quod non idem ab eisdem semper eligitur, sed oppositum prius, aut posterius, veluti hoc enthymema. Si exulantes pugnabamus, vt reduceremur reducti sponte exulabimus, ne pugnemus? Aliquando enim pugnare, vt domi essent eligebant: aliquando non esse domi, ne pugnarent.*

19 *Alius si cuius gratia id factum non sit, huius gratia esse, aut factum fuisse dicere, vt si quis afferat cuipiam aliquid, vt cum abstulerit, doleat. Vnde illud dictum est: Multis non ex beneuolentia Deus ingentes præstat prosperitates, verum vt nobiliores suæ fiant calamitates. Et illud Antiphontis ex Meleagro: Non vt feram occiderent, sed vt de virtute testes Meleagro ad Græciam essent vniuersam. Et Theodectis ex Aiace, quòd Diomedes non vt honoraret elegit Vlyssem, sed vt minor esset,*

set, ac sequeretur. Possibile nanque est huius gratia fecisse.

20 *Alius litigantibus & consulentibus communis, vt suasoria, & dissuasoria consideres, & ea, quorum gratia vel agunt, vel fugiunt. Hæc enim sunt, quæ si insunt, agendum est: vtputa si possibile, si vtile, si facile aut sibi, aut amicis, vel si nocuum, damnique illatiuum inimicis, aut si iactura minor est emolumento. Ex his enim suadent, ex contrarijs autem dissuadent: ex his etiam ipsis & accusant, & defendunt: & defendunt quidem ex dissuasorijs, accusant vero ex suasorijs. Est autem hic locus Pamphili, atque Calippi ars vniuersa.*

18 Decimus octauus locus desumitur ex eo, quod ijdem homines non eadem elegerint ante, & post. Hoc loco vsus est Lysias dicens: mirum esset Athenienses, quod nos, qui cum exules essemus, pugnauimus, vt in vrbem rediremus, nunc à Ciuitate fugeremus, ne pugnaremus. Desumpsit ergo argumentum Lysias ex eo, quod Athenienses aliquando elegissent pugnare, vt in vrbem redirent, deinde verò vellent vrbem relinquere, ne pugnarent.

19 Decimus nonus locus est, cum affirmamus aliquid factum esse propter aliquam causam, propter quam fieri potuisset, licet verè non sit factum propter talem causam. Plura huius loci exempla Aristoteles affert. Primum est, si quis det aliquid alteri, possemus interpretari, quod det, non vt gratificetur, sed vt deinde auferens maiorem dolorem inurat. Vnde in quadam Tragædia dicitur, quod fortuna multis maxima commoda largitur, non ex beneuolentia, sed vt miseriæ, in quas illos trudere cogitat, insigniores sint. Secundum exemplum est alterius Poetæ, qui vt Meleagrum laudaret, dixit concursum ex tota Græcia factum fuisse, non vt aprum occiderent, sed vt testes essent virtutis Meleagri. Tertium exemplum est Theodectis, qui in fabula, quæ inscribitur *Aiax*, vt Vlyssem vituperaret, dixit illum à Diomede electum fuisse in socium non honoris causa, sed vt haberet socium inferiorem se.

20 Vigesimus locus, qui vtilis est tum in iudicijs, tum in deliberationibus, desumitur ex ijs, propter quæ homines solent agere, vel non agere. Quæ mouent homines ad agendum sunt, quod res sit possibilis, ac facilis, & vtilis, aut ipsis, aut amicis, vel saltem quod maius afferat emolumentum, quam damnum, & quod sit perniciosa, ac noxia inimicis. Quia ergo homines propter hæc solent agere, ideo ex his possumus suadere ad agendum: & quia propter contraria solent non agere, ideo ex contrarijs possumus ab agendo dissuadere: ex. gr. possumus dissuadere ab aliqua re aggredienda ex eo, quod illa res sit difficilis, vel impossibilis &c. Ex ijsdem, ex quibus suademus, possumus accusando ostendere delictum aliquod fuisse patratum, probando fuisse facile, atque vtile illud patrare: ex ijs, ex quibus dissuademus, possumus defendendo ostendere delictum non fuisse commissum, probando difficillimum, ac perniciosum fuisse illud committere. In hoc autem loco pene totam suam artem rhetoricam fundarunt Pamphilus, atque Callippus.

21 *Alius ex ijs, quæ fieri quidem videntur, incredibilia vero sunt, quoniam non crederentur, nisi aut essent, aut prope essent, & quam maxime. Nam aut quæ sunt, aut quæ probabilia sunt, credunt. Si ergo credibilia, & non probabilia, vera profecto sunt. Non enim quoniam probabilia, ideo credibilia sic videntur. Vt Androcli Pytheo leges reprehendenti exsibilarunt, quoniam dixit lege opus esse legibus, quæ ipsas corrigat: nam & sale piscibus. Non enim probabile, nec credibile videtur, cum in mari enutriantur, salis egere: oliuaceis quoque oleo: quamuis non credibile oleo ea egere, ex quibus oleum gignitur.*

22 *Alius elencticus, quo repugnantia considerantur, partim in aduersario, si quid tempore, factis, oratione repugnat, hoc pacto. Deinde dicit vos amare, qui cum triginta viris coniurauit. Partim in seipso, sic: Deinde litigiosum me ait, litem vero vllam me vnquam suscepisse non potest ostendere. Partim & in seipso, & in aduersario, hoc modo: Et iste quidem nihil vnquam mutuo dedit: ego autem pro multis etiam vestrum solui.*

21 Vigesimus primus locus desumitur ex ipsa incredibilitate rei, de qua agitur. Cum enim aliquid ex vna parte videtur factum, ex alia parte videtur incredibile, ex hoc ipso, quod videtur incredibile, po-

test concludi, quod verè sit factum, sic arguendo. Quidquid videtur factum, aut ideo videtur factum, quia secundum se est credibile, ac verisimile, aut ideo, quia verè est factum; sed hoc videtur factum, & non ideo, quia secundum se sit verisimile, cum potius sit valdè inuerisimile; ergo ideo videtur factum, quia verè est factum. Hoc loco vsus est Androcles Pytheus. Cum enim ageret contra quamdam legem, ac populus illi obstreperet nolens eum audire, dixit, indigent leges lege corrigente, licet videatur incredibile, vt leges positæ ad cætera corrigenda debeant corrigi: nam & pisces indigent sale, licet videatur incredibile, vt qui viuunt in salso, debeant sale condiri; & oliuæ indigent oleo, licet videatur incredibile, vt ex quibus oleum fit, debeant condiri oleo.

22 Vigesimus secundus locus, qui est vtilis solum ad refellendum, desumitur ex eo, quod aduersarius dixerit repugnantia. Primo igitur potest refelli aduersarius ex eo, quod diuersis temporibus repugnet sibi ipsi verbis, vel factis. Hoc loco vsus est Athenis quidam ad refellendum aduersarium, qui dixerat se esse amatorem patriæ, & libertatis, sic arguens. Hic iactat se esse amatorem patriæ, & libertatis, & tamen superioribus temporibus contra patriam, & libertatem vna cum triginta tyrannis conspirauit. Secundo potest refelli accusator ex eo, quod impegerit reo crimen repugnans factis ipsius: ex. gr. aduersarius dixit me esse litigiosum, & tamen non potest ostendere me vlli vnquam litem, aut iudicium intentasse. Tertio potest refelli ex eo, quod dixerit repugnantia, tum ipsi aduersario, tum reo: ex. gr. hic, qui me auaritiæ insimulauit, seque liberalem videri voluit, neminem vnquam pecunia adiuuit, cum ego multos vestrum à captiuitate redemerim.

23 *Alius cum res, aut homines suspecti sunt, vel videntur causam eius afferre, quod suspitionem facit. Est enim aliquid, quare ita videtur. Vt cum reprehenderetur quædam de filio. Nam quoniam osculabatur adolescentem, impudica esse videbatur: causa dicta, soluit suspicionem. Et vt in Aiace apud Theodectem aduersus Aiacem Vlysses dicit, quòd cum sit Aiace fortior, tamen non videatur.*

24 *Alius à causa, si est quod sit, si non est, quod non sit. Simul enim causa, & id, cuius causa, & absque causa nihil est; vt Leodamas se defendens accusante Thrasybulo dixit, quòd in arce quidem constitutus esset, sed erumpere triginta virorum tempore inutile fuisset. Sibi enim magis propter odium in plebem susceptum triginta viri crederent.*

23 Vigesimus tertius locus, qui vtilis est ad depellendam suspicionem aliquam ab hominibus, ac rebus, desumitur ex causa, propter quam aliquid videtur, licet non sit. Duo huius loci exempla affert Aristoteles. Primum est: mulier quædam venerat in suspicionem, quasi impudicè ageret cum quodam adolescente, quia solebat illum osculari. Dissoluta est suspicio, afferendo causam, propter quam illum oscularetur, ac dicendo, quod cum esset mater adolescentis, osculabatur eum, non affectu venereo, sed amore materno. Secundum exemplum est: Vlysses in Tragædia Theodectis, quæ inscribitur Aiax, cum dixisset se esse fortiorem Aiace, quod videbatur paradoxicum, afferens causam, cur Aiax videretur fortior, ac dicens, quod videbatur fortior propter audaciam, ac temeritatem, quæ est contraria veræ fortitudini, paradoxum soluit.

24 Vigesimus quartus locus desumitur à causa. Cum enim causa posita, ponatur effectus, causa non posita, non ponatur effectus, ex eo, quod posita fuerit causa, possumus ostendere effectum positum fuisse; ex eo, quod causa posita non fuerit, possumus ostendere effectum non fuisse positum. Hoc loco vsus est Leodamas defendens se à Thrasibulo. Cum enim Thrasibulus dixisset illum à populo fuisse notatum infamia in quadam columna, quæ erat in arce, sed sub dominatu triginta Tyrannorum, apud quos gratia valebat, impetrasse, vt illa infamis inscriptio eraderetur è columna; respondit Leodamas: immo ego nunquam eo tempore curassem, vt illa inscriptio eraderetur, siquidem maiorem apud triginta tyrannos fidem, & gratiam obtinuissem, dum maneret illa inscriptio meæ cum populo inimicitiæ. Leodamas igitur ex eo, quod nulla fuerit causa delendi illam inscriptionem, ostendit illam abrasam non fuisse, adeoque falsum esse, quod de tali inscriptione Thrasibulus obiecerat.

25 *Alius*

25 *Alius considerare, si possibile erat, aut est melius, quod consulit, aut facit, aut fecit: perspicuum nanque si sic se habent, quòd non facit: cum nemo volens, ac sciens mala eligat. Quod quidem falsum nonnunquam est. Nam sæpe manifestatur postea melius aliter fuisse, quod prius non erat manifestum.*

26 *Alius considerare, si quid factis contrarium facturi sint, vt Xenophanes lugentibus Eleatis, ac rogantibus, an Matutæ sacrificarent, consulebat, si Deam putabant, ne lugerent, sin hominem, ne ipsi sacrificarent.*

27 *Alius à perperam factis accusare, vel defendere: vt in Medea Carcini, hi quidem accusant, quod filios Medea interemerit, quoniam non apparent: errauit enim Medea emissione filiorum: hæc autem se defendit, quòd non filios, sed Iasonem interfecerit: id nanque nisi fecisset, peccasset, siquidem & alterum fecisset. Hic autem locus, ac enthymematis species tota Theodori prior ars est.*

25 Vigesimus quintus locus desumitur ex eo, quod melius, & vtilius fuerit id, de quo quis accusatur, non facere, vel alio modo facere. Tum enim possumus arguere, quod non fecerit, siquidem nemo sponte facit, vel eligit mala, & deteriora. Addit Aristoteles hunc locum esse captiosum, siquidem aliquando postquam aliquid est factum, aduertitur melius fuisse illud non facere, vel aliter facere; antequam verò fieret, id non apparebat.

26 Vigesimus sextus locus est ex eo, quod id, de quo faciendo deliberatur, sit contrarium ijs, quæ ante sunt facta. Hoc loco vsus est Xenophanes. Cum enim Eleates interrogassent, an deberent sacrificare Matutæ, seu Leucotheæ, eamque lugere? respondit Xenophanes, quod si existimarent illam esse Deam, ne lugerent, si hominem, ne sacrificarent: contraria siquidem sunt ei sacrificare, quam lugeas.

27 Vigesimus septimus locus est, cum sumitur argumentum ad aliquem accusandum, aut defendendum ex eo, in quo peccauit. Exemplum Aristoteles affert satis obscurum ex Medea Tragædia à Carcino conscripta. Medea nouis nuptijs Iasonis offensa, communes filios alio amandauerat, & in hoc peccauerat contra Iasonem. Quia filij Medeæ non apparebant, quidam accusabant Medeam, quasi illos interfecisset. Defendit se Medea ex eo, quod si vt de Iasone vlcisceretur, non ipsum Iasonem, sed filios communes interfecisset, procul dubio peccasset, & imprudenter egisset, & sic ex imprudentia, in quam incidisset, occidendo filios, se defendit. Addit Aristoteles, quod Theodorus totam suam primam artem rhetoricam in hoc loco, & in hac specie enthymematis fundauit.

28 *Alius à nomine, vt Sophocles, aperte Sidero, nomenque ipsum ferens. Et vt in Deorum consueuerunt laudibus dicere. Et vt Conon Thrasybulum appellabat. Herodicus quoque in Thrasymachum dicit: Semper tu Thrasymachus es. Et in Polum: Semper Polus es. Et de Dracone legumlatore, quòd leges illæ non hominis essent, sed Draconis: erant enim duræ. Et apud Euripidem Hecuba in Venerem: Nomen quoque tibi rectè inditum: Dea enim es amentiæ præfecta. Et Chæremon Pentheus à futura calamitate appellatur.*

29 *Laudantur autem ex enthymematibus elenctica magis, quam demonstratiua. Nam & breuis contrariorum collectio est enthymema elencticum, & auditori, quæ inter se conferuntur, lucidiora sunt.*

30 *Ex omnibus vero enthymematibus, tam ad demonstrandum, quam ad redarguendum accommodatis, ijs maxime plaudunt, quæ & acuta sunt, & audientes statim cum incœperis percipiunt. Ipsi enim secum gaudent quòd præuiderint, & quæ ita consequuntur, vt non nisi postea, quam dicta sunt, intelligantur.*

28 Vigesimus octauus locus desumitur ex nomine. Plura huius loci exempla Aristoteles affert. Primum est Sophoclis, qui de quadam sæuissima muliere, quæ σιδηρῶ vocabatur, dixit apertum fuisse, quod propter sæuitiem nomen duxerat à ferro. Secundum exemplum est eorum, qui Deos laudant à significatione nominis. Tertium exemplum est Cononis, qui Thrasibulum à significatione nominis solebat incessere, dicendo illum audacem, ac temerarium in capiendis consilijs fuisse. Quartum est Herodici, qui Thrasymachum verè Thrasymachum appellabat, quod audax esset, & litium, ac concertationum amator. Quintum exemplum est eiusdem Herodici, qui Polum sophistam semper Polum esse dicebat, eo quod πῶλος græcè idem

significat, ac pullus equinus. Sextum exemplum est eiusdem, qui de legibus Draconis dixit, quod cum sæuissimæ essent, verè erant leges non hominis, sed Draconis. Septimum exemplum est Hecubæ apud Eurypidem, quæ cum Helena se excusaret dicens, quod quidquid peccauerat, à Venere incitata peccauerat, respondet, quod merito Venus Græcè dicitur, ἀφροδίτης, quod nomen videtur deriuari à dementia, quæ vocatur αφροσύνη, siquidem homines quæcunque stultè agunt, Veneris nomine defendunt. Octauum exemplum est Cheræmonis, qui dixit, quod Pentheus bene vocatus fuit à πένθος, quod significat luctum, siquidem in multas calamitates erat prolapsurus.

29 Traditis locis enthymematum, comparat Aristoteles ad inuicem aliquas enthymematum species. Primo ergo docet, quod enthymemata redargutiua videntur habere maiorem vim, quam ostensiua. Ratio est, quia opposita iuxta se posita magis elucescunt; sed enthymema redargutiuum cum breuiter concludat oppositum eius, quod aduersarius statuerat, opposita iuxta se inuicem constituit; ergo &c.

30 Secundo docet, quod ex enthymematibus tum ostensiuis, tum redargutiuis, illa maximè Auditorem mouent, quæ cum tota non sint prolata, intelliguntur, non quod facile occurrant, sed quia cum difficile occurrant, statim ac incipiunt proferri, se manifestant. Ratio est, quia Auditores gaudent, quod ab initio præuiderint quæ subsequuntur.

De locis enthymematum apparentium, seu sophisticorum. Cap. XXV.

1 *Verum quoniam possibile est alium esse syllogismum, alium non esse, sed videri: necesse est, vt enthymema quoque, aliud enthymema sit, aliud non sit, sed videatur: siquidem enthymema syllogismus quidam est. Loci autem enthymematum quæ non sunt, sed videntur, hi sunt.*

2 *Primus penes dictionem: & huius quidem vna pars, vt & in dialecticis, est, cum non ratiocinatus conclusionem tandem infert: Non est hoc, & hoc: est ergo necesse hoc, atque hoc esse. Nam quod in enthymematibus conuolutim, atque per opposita dictum est, id videtur enthymema. Dictio enim huiusmodi capax enthymematis est, videturque id esse penes figuram dictionis. Est autem vtile ad dicendum dictione syllogistica, multorum syllogismorum capita dicere, hoc pacto. Qui illos seruauit, qui nostros vltus est, qui Græcos liberauit. Quorum vnumquodque ex alijs demonstratum est, sed simul collecta aliquid facere videntur.*

1 Ex dictis in dialectica dantur aliquæ argumentationes, quæ verè sunt syllogismi, ac præterea dantur argumentationes, quæ licet verè non sint syllogismi, videntur syllogismi; sed enthymema rhetoricum est syllogismus quidam; ergo dantur aliquæ argumentationes rhetoricæ, quæ verè sunt enthymemata, ac præterea dantur argumentationes, quæ licet verè non sint enthymemata, adhuc videntur enthymemata. Sicut igitur in dialecticis non solum assignauimus loca verorum, sed etiam apparentium syllogismorum, sic in præsentia assignatis locis verorum enthymematum, debemus assignare loca enthymematum apparentium.

2 Loca apparentium enthymematum alia fundantur in dictione, alia extra dictionem. Ex locis fundatis in dictione primus est, cum vt in dialecticis diximus, licet quis nihil concluserit, adhuc tamen aliquid ad extremum profert, ac si illud concluserit, itaut necessario sequatur ex præmissis, dicens ex. gr. *Non igitur est hoc, & hoc; vel necesse est igitur esse hoc, & hoc*. Cum enim aliquid asseueranter profertur, ac si fuerit conclusum, allucinantur auditores, ac putant illud verè fuisse conclusum. Addit Aristoteles, quod quia præcipuus campus, circa quem versantur enthymemata, sunt opposita, cum quis aliqua contortè, & oppositè profert, videtur enthymematicè dicere, licet verè non dicat enthymematicè. Addit rursus, quod vt quis videatur concludere, vtile est proferre plura capita, seu principia enthymematum, dicendo ex. gr. hos quidem seruauit, alios verò vltus est, Græcos autem in libertatem vindicauit, vt iam seorsim ostendimus, ac deinde ex omnibus simul sumptis conclusionem inferre. Videbitur enim conclusio necessario sequi

ex

ex tam multis simul coaceruatis, licet verè non sequatur.

3 *Alter vero penes æquiuocationem, vt si μῦς laudandus diceretur, quoniam mysteria inde dicantur, quæ sacrorum omnium maxime sunt veneranda: vel initium optimum esse, vnde initiati appellantur. Aut si quis cum canem laudet, de cœlesti simul dicat. Aut de Pane: quoniam Pindarus ait, O felix, quoniam magnum Dei canem, atque varium cœlestes appellant. Aut si nullum esse canem decori est, canem esse dedecori est. Et si dicas Mercurium omnium Deorum esse liberalissimum, cum solus communis Mercurius vocitetur. Et si existimationem optimum esse dicas, quia viri probi non pecunia digni, sed existimatione digni sunt. Nam existimatione dignum non simpliciter dicitur.*

3 Secundus locus desumitur ex æquiuocatione. Plura huius loci exempla affert Aristoteles. Primum exemplum est, si quis diceret murem, qui Græce dicitur Μῦς, esse animal valde studiosum, & honorabile, quia ab eo dicitur mysterium, quod est maximè honorabile inter sacra. Secundum exemplum est, si quis laudans canem, extolleret illum etiam ex ijs, quæ conueniunt cani Cœlesti, & Deo Pani, qui etiam ipse æquiuocè dicebatur canis, vt testatur Pindarus, qui Panem alloquens, dicit: O Beate, quem magnæ Deæ omnifarium canem appellant Dij immortales. Posset etiam quis ad canem laudandum vti æquiuocatione, ac dicere, quod cum inhonorum sit nullum esse canem, manifestum est, quod canis in magno est honore. Quid per hoc exemplum significetur, obscurissimum est. Tertium exemplum est: si quis laudans Mercurium dicat, quod ille est inter Deos maximè κοινωνικός, hoc est egregiorum bonorum communicatiuus, siquidem solus κοινὸς, hoc est communis dicitur. Quartum exemplum est, si quis probaret λόγον, hoc est sermonem esse optimum ex eo, quod viri boni non tam pecunijs, quam λόγου sunt digni, æquiuocatione vteretur. Cum enim dicitur, quod viri boni digni sunt λόγου, non significatur, quod digni sint sermone, sed quod digni sunt, vt eorum maxima ratio habeatur.

4 *Alius si quæ seiuncta sunt, coniunctim: aut quæ coniuncta, seiunctim dicis. Nam quoniam idem esse videtur, cum sæpe idem non sit, vtrum vtilius, id faciendum est. Est autem hæc Euthydemi præceptio: vt scire quia triremis in Pyræo sit. Quilibet enim id nouit. Et quòd qui elementa scit, carmen quoque sciat: idem enim est. Et quoniam si duplum valetudinarium, nec simplex salubre. Nam si duo bona sunt, quomodo eorum alterum malum? Quod ita dictum elencticum est, sic vero demonstratiuum. Non enim possibile est duo esse bona, quorum vnum malum sit. Omnino autem hic locus cauillatorius est. Rursum quod in Thrasibulum Polycrates dixit, quod triginta tyrannos deposuit: coniungit enim. Vel quod in Oreste Theodectis est ex seiunctione, iustum, eam, quæ maritum occiderit, mori: & patris vltionem à filio fieri par est. Ergo hæc facta sunt: quæ si coniunxeris, non forte amplius iustum. Id autem etiam ex defectu esse potest. Non enim dixit à quo.*

5 *Alius amplificatione confirmare, aut refutare. Quod fit, si antequam demonstraueris quod feceris, rem amplifices. Efficit enim, vt videatur, vel quod non fecerit, quando qui causam dicit, amplificat: vel quod fecerit, quando accusator indignatur. Quare enthymema non est. Falso enim colligit auditor factum ab eo esse, aut non esse, cum demonstratum non sit.*

4 Tertius locus desumitur ex compositione, ac diuisione. Possumus hoc loco vti vel a sensu composito arguendo ad diuisum, vel à sensu diuiso arguendo ad coniunctum: & quia videtur idem vterque sensus, licet idem non sit, ideo enthymema videtur concludere, licet non concludat. Plura huius loci exempla affert Aristoteles. Primum est Euthydemi, qui ex eo, quod quidam in Sicilia existens vidisset naues existentes in Pyreo, quod erat verum solum diuisim; siquidem alio tempore existebat in Sicilia, alio tempore viderat naues; intulit coniunctim, quod in Sicilia existens vidisset naues existentes in Pyreo, quod est impossibile propter maximam distantiam Siciliæ à Pyreo. Secundum exemplum est, quo ex eo, quod quis sciat elementa carminum seorsim, infertur, quod sciat carmen, quia carmen nihil est aliud, quam elementa, ac syllabæ, ex quibus componitur. Hoc autem non

non valet. Nam carmen est elementa coniunctim; potest autem quis scire elementa, ac syllabas seorsim, ac nescire coniunctim; ergo potest quis scire syllabas, atque elementa, & nescire carmen. Tertium exemplum est, quo quis ex eo, quod simul sumere duas vncias alicuius meditamenti sit noxium, & morbosum, inferret, quod sumere seorsim vnam, & alteram vnciam non sit vtile, ac sanum, idque confirmaret, quia absurdum est, vt duo bona sint vnum malum; vel ex eo, quod sumere duo medicamenta inuicem temparata sit sanum, inferret, quod etiam sumere singula seorsim, sit sanum, idque confirmaret, quia vnum bonum non potest esse duo mala. Hic locus captiosus est, seu eo vtamur ad probandum, seu ad refellendum. Tertium exemplum est Polycratis, qui laudauit Thrasibulum ex eo, quod sustulisset à Republica Atheniensi triginta tyramnos, atque ita hoc argumentum est prosecutus, acsi singuli seorsim fuissent Tyramni, ac potiti essent rerum, cum non singuli seorsim, sed omnes per modum vnius Tyramnidem exercerent. Quartum exemplum desumitur ex Oreste Tragædia Theodectis, in quo ex eo, quod iustum diuisim sit, vt filius vlciscatur mortem patris, & vt interficiatur mulier, quæ maritum occiderit, concluditur iustum fuisse coniunctim, vt Chytemnestra mater occideretur ab Oreste filio, quod non sequitur. Nam licet iustum sit, vt filius vlciscatur mortem patris, non est iustum, vt vlciscatur occidendo matrem; & licet iustum sit, vt mulier, quæ occiderit maritum, occidatur, non est iustum, vt occidatur à filio. Addit Aristoteles in hoc vltimo sophismate committi etiam aliam fallaciam defectus, quæ consistit in hoc, quod cum dicitur iustum esse, vt mulier, quæ maritum occiderit, occidatur, non exprimitur, à quo sit iustum, vt occidatur: quod si expressum fuisset, dicendo iustum esse, vt occidatur à magistratu, eo ipso tolleretur omnis fallacia.

5 Quartus locus, qui non fundatur in dictione, sed habet fundamentum extra dictionem, & est vtilis tum ad confirmandum, tum ad refellendum desumitur ex exageratione. Cum enim accusator licet non probauerit crimen fuisse commissum à reo, adhuc ac si illum probauerit, contra illud inuehitur, efficit, vt crimen, quod non est factum, videatur factum; & cum reus, vel patronus inuehitur in crimen, de quo reus accusatur, efficit, vt reus videatur innocens, siquidem non inueheretur in crimen, cuius reus particeps fuisset. Orator igitur exagerando videtur fecisse enthymema, & probasse intentum, licet enthymema non fecerit, ac nihil probauerit.

6 *Alius ex signo. Nam id nihil colligit. Vt si quis dicit amores ciuitatibus conducere. Nam Harmodij, & Aristogitonis amores Hipparchi destruxerunt tyrannidem. Aut sic: furatur Dionysius: prauus enim est. Nihil enim colligit, cum non sit omnis prauus fur, sed omnis fur prauus.*

7 *Alius per accidens, sicuti Polycrates de muribus dicit, quòd auxilium tulissent arcuum chordas rodentes. Aut si quis dicat optimum esse in cœnam vocari: nam Achilles cum apud Tenedum vocatus non esset, fuit iratus Achiuis. Constat autem illum quasi neglectum concitatum fuisse, quod inde accidit, quod vocatus non fuit.*

6 Quintus locus desumitur ex signo vel ex puris singularibus ad concludendum vniuersaliter, vel in secunda figura ex puris affirmatiuis, ex quibus nihil necessario sequitur, adeoque non fit syllogismus. Primum exemplum est, si quis probet amatores esse vtiles ciuitatibus ex eo, quod Harmodius, & Aristogitenes fuerunt ciuitati vtiles, & euerterunt Tyramnum Hipparclum. Argumentum non concludit, nam est in tertia figura ex puris singularibus: Harmodius, & Aristogitenes fuerunt vtiles ciuitati; Harmodius, & Aristogitenes fuerunt amatores; ergo amatores sunt vtiles ciuitatibus. Secundum exemplum est, si quis probet Dionysium fuisse furem ex eo, quia fuit improbus, sic: omnis fur est improbus; Dionysius fuit improbus; ergo Dionysius fuit fur: non concludit, quia est in secunda figura ex puris affirmatiuis: concluderet autem, si maior conuerteretur, ac diceretur: Omnis improbus est fur; tum enim argumentum esset in prima figura. Vide quæ dicta sunt 2. Prior. cap. 34.

7 Sextus locus desumitur ex accidenti, vt cum eo, quod per accidens causat aliquem effectum vtimur ita, ac si per se talem effectum causasset. Hoc loco vsus est Polycrates, dum laudans mures, dixit eos opem tulisse ciuitati, corrodendo neruos

nos

nos arcuum, quibus vtebantur hostes. Eodem loco vsus est Polycrates quidam, dum probauit honorificentissimum esse vocari ad cœnam ex eo, quod Achilles in Tenedo succensuit Achiuis, quia ab ijs non fuerat ad cœnam vocatus. At per accidens Achilles succensuit, quia non fuit vocatus, per se verò succensuit, quia non fuit habitus in æstimatione debita.

8 *Alius penes consequens hoc pacto: Alexander magnanimus fuit: despexit enim multorum consuetudinem, & apud Idam secum conuersabatur. Nam quia tales magnanimi sunt, magnanimus etiam is videbitur. Item exornat se delicate, noctuque circumerrat: adulter ergo. His simile, quòd in templis inopes & cantant, & saliunt, quod exulibus licet, vbicunque volunt habitare. Nam cum ijs, qui felices esse videntur, hæc adsint, & ij, quibus adsunt, felices putabuntur. Sed in modo differunt. Quapropter etiam in defectum incidunt.*

9 *Alius penes non causam vt causam, hoc pacto. Quia simul, aut post hoc factum est. Capiunt enim post hoc, quasi propter hoc, & maxime qui Rempublicam gerunt. Vt Demades Demosthenis administrationem omnium malorum causam esse dicebat, quoniam post illam bellum euenerit.*

10 *Alius penes defectum eius, quod est quando, & quomodo, hoc pacto. Non iniuria Helenam abstulit Alexander, cum eligenti à patre daretur. Non enim semper, sed semel. Ad hoc enim vsque in potestate patris erat. Vel sic, Ingens contumelia est liberos homines pulsare. Non enim omnino, sed cum non incœperint, manus inferre.*

8 Septimus locus desumitur ex consequenti, arguendo in secunda figura ex puris affirmatiuis. Primum exemplum est eius, qui probauit Paridem, seu Alexandrum fuisse magnanimum ex eo, quod magnanimi soleant viuere soli; sed Paris sodalibus relictis viuebat solus in monte Ida; ergo &c. Secundum exemplum est, quo quis posset probare aliquem esse adulterum ex eo, quod adulteri se comant, ac soli vagentur noctu; sed hic se comit, & solus vagatur noctu; ergo &c. Tertium exemplum est, quo posset probari mendicos, & exules esse felices ex eo, quod felices cantant, & saltant, & habitant vbi volunt; sed mendici in templis cantant, & saltant, exules autem habitant vbi volunt; ergo mendici, atque exules sunt felices. Addit Aristoteles, quod in hoc vltimo exemplo est etiam fallacia defectus: nam non explicatur, quod mendici canant, & saltent ad mendicandam stipem, quod si fuisset explicatum, eo ipso patuisset consequentiam nullam esse, siquidem felices non canunt, & saltant ad mendicandam stipem.

9 Octauus locus desumitur ex non causa vt causa, cum id, quod factum est simul cum alio, vel post illud, assumitur, ac si factum fuisset causa ipsius. Hoc loco passim vtuntur qui Rempublicam administrant, vt Demades, qui agens contra Demosthenem dixit eius administrationem fuisse causam omnium malorum, siquidem post illam accidit bellum.

10 Nonus locus desumitur ex eo, quod tacetur quando, vel quomodo. Hoc loco vsus est qui dixit Helenam iustè fuisse raptam à Paride, idque probauit ex eo, quod Pater Helenæ dederat filiæ potestatem, vt quem vellet, duceret in maritum: Omisit autem quando Pater dederit Helenæ talem potestatem, quod si expressisset, argumentum nullam vim habuisset. Dedit nimirum Tyndareus Pater Helenæ potestatem ducendi quem vellet, antequam Helena sponte nuberet Menelao. Hoc eodem loco vteretur aliquis dicens, contumeliam esse pulsare homines liberos. Non enim quomodocunque pulsare est contumelia, sed si quis pulset non lacessitus.

11 *Ad hæc sicut in contentiosis penes simpliciter, & non simpliciter, sed quoddam, fit apparens syllogismus: vt in dialecticis, quòd non ens, ens est: nam non ens, est non ens: & quòd scitur ignotum, scitur enim ignotum, quòd ignotum sit: sic etiam in rhetoricis apparens est enthymema penes probabile, non simpliciter, sed probabile quoddam. Id vero est non vniuersaliter, vt Agathon quoque dicit: Forte quis illud probabile putet, multa mortalibus esse non probabilia. At enim hoc præter probabile: quare id etiam probabile, quod est præter probabile. Si vero sic, erit probabile, quod est non probabile. Verum vt in contentiosis secundum quid, aut ad aliquid, aut quomodo, non additum deceptio-*

ptionem facit, ita & hic, quoniam probabile fit non simpliciter, sed quoddam: quo ex loco ars Coracis composita est. Nam siue suspectus non sit, vt si pulsationis imbellis homo accusetur; non enim probabile id: siue suspectus, quoniam robustus, nec id etiam probabile, quoniam probabile videri poterat: & similiter in alijs. Nam vel suspectus, vel non suspectus erit necessario. Vtraque profecto probabilia videntur, sed alterum probabile est, alterum non simpliciter, sed vt dictum est. Inferiorem quoque rationem superiorem facere hoc ipsum est. Hinc iure homines Protagoræ professionem non ferebant. Falsum enim profitebatur, non verum. Sed apparens probabile, nec in arte vlla, sed in rhetorica, & contentiosa. Sed de enthymematibus tam de ijs, quæ sunt, quam de apparentibus, dictum est. Nunc de solutionibus dicendum videtur.

11 Decimus locus desumitur à simpliciter *ad secundum quid*. Explicatur. In sophisticis, & contentiosis arguendo à simpliciter ad secundum quid fit syllogismus non verus, sed apparens, vt cum arguimus; *quod non est, est non ens; ergo quod non est, est*: vel arguimus, *de eo, quod non potest sciri, potest sciri hoc ipsum, quod non potest sciri; ergo id, quod non potest sciri, potest sciri*: ex eo enim, quod aliquid sit non ens, quod est esse secundum quid, arguimus quod sit simpliciter; & ex eo quod de aliquo sciri possit, quod non potest sciri, quod est posse sciri secundum quid, arguimus, quod possit sciri simpliciter. Proportionaliter in rhetoricis possumus facere enthymema apparens, si ex eo, quod aliquid sit verisimile secundum quid, & cum addito, arguimus illud esse verisimile simpliciter, ac sine addito. Porro verisimile secundum quid non accidit vniuersaliter, ac plerunque, sed solum aliquando, vt etiam Agatho cecinit dicens: Fortasse id ipsum aliquis verisimile esse dixerit, mortalibus euenire multa non verisimilia. Hinc posset quis arguere: *verisimile est accidere aliqua non verisimilia; ergo non verisimile est verisimile*. Fallacia est, quia arguitur à verisimili secundum quid, & cum addito, ad verisimile simpliciter, & sine addito. Ideo sicut in sophysticis fit fallacia, cum non additur limitatio restringens ad partem, ad locum, ad tempus, vel significans relationem, sic proportionalis fallacia fit in rhetoricis. Ex hoc loco composuit suam artem rhetoricam Corax. Defendebat enim Corax reum, siue verisimile esset eum commisisse culpam, seu non. Si enim non erat verisimile reum commisisse culpam: ex. gr. non erat verisimile debilem verberasse fortiorem se, ex hoc ipso illum defendebat: si verò videbatur verisimile reum commisisse culpam, eo pacto, quo videtur verisimile, vt fortis percusserit debilem, defendebat illum ex eo, quod non est verisimile eum commisisse delictum, qui videbat se facile deprehendendum propter talem verisimilitudinem, & sic ex non verisimili *secundum quid* inferebat inuerisimile simpliciter. Propter hanc artem iactabundè dicebat Protagoras posse se causam inferiorem reddere superiorem, ideoque homines molestè ferebant hanc artem, quam Protagoras profitebatur. Addit Aristoteles, quod hoc verisimile secundum quid est quoddam verisimile apparens, ac falsum, ac in nulla arte vsum habet, nisi in rhetorica, & sophistica. Et hæc de enthymematibus tum veris, tum apparentibus dixisse sufficiat.

De solutione enthymematum. Cap. XXVI.

1 *Soluimus autem, vel aliud enthymema contra opponentes, vel obiectionem inferentes. Cum igitur aliud opponimus, patet, quòd ex eisdem possumus dicere locis. Syllogismi enim ex probabilibus sunt: probabilia vero multa inter se contraria sunt.*

2 *Obiectiones autem, sicut in Topicis, quatuor ex locis inueniuntur. Sunt enim aut ex eodem, aut ex simili, aut ex contrario, aut ex iudicatis. Ex eodem, vt si enthymema esset de amore, quoniam bonus, obiectio duplex est. Nam vel vniuersaliter dices omnem indigentiam malum esse: vel secundum partem, quòd neque optimi, neque pessimi amores dicerentur, nisi etiam mali essent amores. Ex contrario autem obiectio ducitur: vt si cum enthymema esset, probum virum amicis benefacere: at nec improbos male, responderes. Ex simili vero hoc pacto fit enthymema. Maleficio affecti semper oderunt. At, inquies, beneficio affecti non semper amant. Iudicata vero ea dicimus, quæ clarissimorum virorum*

rum

rum iudicio comprobata sunt. Sit enthymema, quòd oportent ebrijs ignoscere, cum ignorantes peccent. Obiectio: non ergo Pittacus laude dignus esset, qui maiores pœnas in legibus sumi de illis scripsit, qui vino peccent.

1 SVperest iam, vt agamus de solutionibus enthymematum. Duo sunt modi soluendi enthymemata. Primus est cum probamus oppositum. Secundus est cum afferimus instantiam contra id, quod ab aduersario fuit probatum. Oppositum possumus probare ex locis assignatis. Cum enim probationes rhetoricæ desumantur ex probabilibus, dentur autem multa probabilia inter se contraria, vel saltem vtilia ad contraria probanda, non poterunt deesse multæ propositiones vtiles ad probandum contrarium illi, quod aduersarius probauit.

2 Instantiæ possunt quatuor modis afferri, vt in Topicis est dictum. Primo possumus afferre instantiam ex eodem; secundo ex contrario; tertio ex simili; quarto ex aliorum iudicio, atque auctoritate. Instantia ex eodem potest afferri dupliciter; primo vniuersaliter; secundo particulariter. Exemplum instantiæ vniuersalis ex eodem est: ostenderit quis omnem amorem esse bonum; instare possumus; imo omnis indigentia est mala; sed omnis amor est indigentia; ergo omnis amor est malus. Exemplum instantiæ particularis est, quia amor incestus non vocaretur prouerbialiter amor Caunius ex eo, quod Biblis soror fratrem suum Caunum deperierit, nisi darentur amores mali. Exemplum instantiæ ex contrario est: concluserit quis per enthymema bonum virum omnibus amicis benefacere: possumus instare ex contrario. Ita se habet bonus vir ad benefaciendum, sicut malus vir ad malefaciendum; sed malus vir non malefacit omnibus amicis; ergo nec bonus vir benefacit omnibus amicis. Exemplum instantiæ ex simili est: probauerit quis eos, qui malum acceperunt, semper odio habere illos, à quibus acceperunt: possumus instare ex simili. Eodem pacto se habet qui beneficium accepit ad amandum, sicut qui malo est affectus ad odio habendum; sed qui beneficium accepit non semper amat eum, à quo accepit; ergo nec qui malo est affectus, semper odit eum, à quo est affectus malo. Exemplum instantiæ ex iudicio, & auctoritate alicuius clari viri est: concluserit quis temulentis dandam esse veniam, quia peccant ex ignorantia: possumus instare, quia non esset laudandus Pittacus, qui statuit legem, vt si quis peccasset temulentus, grauius puniretur.

3 *Verum quoniam ex ijs quatuor omnia enthymemata fluunt, probabili, exemplo, argumento, signo: & sunt ex probabilibus quidem, quæ colliguntur ex ijs, quæ vt plurimum, aut sunt, aut esse videntur.*

4 *Ab exemplo autem, quæ per inductionem ex vno, vel pluribus similibus, cum vniuersale ceperis, & particularia ratiocinatione collegeris: ex argumento autem sunt, quæ ex ijs inferuntur, quæ necessario indicio sunt.*

5 *Ex signo vero, cum per vniuersale, aut singulare, siue sit, siue non, collegeris. Quoniam igitur probabile non semper, sed vt plurimum verum est, perspicuum est possibile semper esse huiusmodi enthymemata soluere obiectione allata. Quæ quidem non semper vera, sed apparens solutio est. Nam qui obijcit, non dissoluit verisimilitudinem, sed non esse necessariam probat. Quare semper contingit defendentem magis, quàm accusantem abundare propter hanc deceptionem. Nam cum accusator per probabilia confirmet, semperque quod vt plurimum est obiectionem habeat: non enim esset probabile, sed semper, ac necessarium: non est eadem solutio, quòd non sit probabile, & quòd non sit necessarium. Itaque iudex deceptus putat, si ita solutum est, aut probabile non esse, aut sibi non iudicandum, vt dicebamus. Sed non ex necessarijs tantum iudicandum est, verum etiam ex probabilibus. Id enim est optima sententia iudicare. Quare non satisfacit cum soluat, probetque non esse necessarium: sed soluendum est, quod non probabile: quod eueniet, si obiectio magis vt plurimum est. Dupliciter autem potest huiusmodi esse: aut tempore, aut rebus ipsis. Firmissima vero est si vtrisque. Nam quod sæpius fit, id magis probabile est. Refutantur autem & signa, & quæ ex signis sunt enthymemata, etiam si vera sunt, vt prius dictum est. Nullum enim signum syllogismo colligit, vt nobis ex Analyticis patuit. Contra exempla vero eadem, quæ contra probabilia est dissolutio. Nam si*

quid

quid habemus, nec sic solutum est, sed quod non sit necessarium, & aut plura, aut sæpius, alter. Sin vero & plura, & sæpius, sic pugnandum, aut non esse simile id, de quo agitur, aut non similiter, quandamque inesse differentiam.

6 *Argumenta vero, & quæ ex argumentis sunt enthymemata, non possunt solui, quod syllogismo non colligant: quod etiam ex Resolutiuis patuit. Quare restat probare, quod non ita sit, vt dicitur. Quod si patet ita esse, & argumentum esse, insolubile iam id redditur, cum omnia per demonstrationem facta sint certiora.*

3 Sed vt magis explicemus, quo pacto possint afferri instantiæ contra enthymemata, reuocandum est in memoriam, ex quot possint fieri enthymemata. Ex dictis lib. 1. cap. 9. Enthymemata possunt desumi ex quatuor: primo ex verisimilibus; secundo ex exemplis; tertio ex signis non necessarijs; quarto demum ex signis necessarijs, quæ vocantur tecmyria. Enthymemata ex verisimilibus sunt, quæ ducuntur ex eo, quod aliquid plerumque fit, aut videatur; vt si quis arguat, *hæc est mater; ergo amat filium*.

4 Enthymemata ab exemplo sunt, in quibus inductione vnius, aut plurium similium contentorum sub eodem vniuersali, concluditur aliud simile contentum sub eodem vniuersali.

5 Enthymemata ex signis non necessarijs sunt, cum ex aliquo singulari, vel vniuersali non necessario concludunt: vt cum probatur sapientes esse bonos, quia Pittacus fuit sapiens, & bonus: vel probatur aliquem esse furem, quia est improbus: omnis autem fur est improbus. Enthymemata ex verisimilibus, exemplis, & signis non necessarijs semper sunt solubilia, afferendo instantias in contrarium, cum non necessario concludant, vt dictum est lib. 2. Prior. cap. 34. E. G. hoc enthymema: *hæc est mater; ergo amat filium*, solui potest, afferendo instantiam alicuius matris, quæ non amarit filium. Ratio, cur possit afferri instantia est, quia non nituntur dicto *de omni*, sed *dicto de plerisque*; sed contra id, quod non semper, sed plerunque contingit semper potest afferri instantia; ergo &c. Addit Aristoteles, quod per instantiam in contrarium, quamuis semper videatur solui enthymema ex verisimili, adhuc non semper soluitur. Ratio est, quia aliquando per instantiam solum ostenditur enthymema non concludere necessario, at non ostenditur enthymema non concludere verisimiliter; sed ad soluendum deberet ostendi enthymema non concludere verisimiliter; ergo &c. Adhuc tamen quia per quamcumque instantiam ostenditur enthymema non concludere necessario, ideo melior est conditio defendentis, ac respondentis enthymemati ex verisimili, quam accusantis, & arguentis per tale enthymema. Iudex enim quia videt enthymema non concludere necessario, putat ipsum esse solutum, ac nec esse etiam verisimile, vel censet non esse iudicandum ex verisimilibus, sed solum ex necessarijs, quod est falsum, siquidem iudicare ex verisimilioribus, hoc est mente optima iudicare, de quo iudices præstant iuramentum. Vt igitur verè soluatur per instantiam enthymema ex verisimilibus, per instantiam debet ostendi frequentius accidere oppositum eius, quod aduersarius conclusit. Potest autem dupliciter aliquid contingere frequentius, hoc est vel frequentius tempore, vel frequentius rebus. Validissima autem instantia est, qua ostenditur contrarium frequentius contingere tempore simul, & rebus, itaut & sæpius accidat, & in pluribus rebus accidat. Enthymemata ab exemplis soluuntur eodem pacto, sicut enthymemata ex verisimilibus. Si enim possumus afferre contrarium exemplum, in quo non sic acciderit, ostendimus id non necessario concludere: si verò afferamus plura exempla, quam aduersarius, ostendimus id nec probabiliter concludere. Quod si non occurrat contrarium exemplum, tum vel debemus contendere casum, de quo agimus non esse similem, aut non fuisse similes circumstantias, vel interuenire aliquod discrimen, propter quod debeat contrarium contingere.

6 Enthymemata ex signis necessarijs, quæ vocantur tecmyria sunt, per quæ necessario concluditur in prima figura, vt cum probatur aliquam mulierem concepisse, quia lac habet. Hæc enthymemata solui nequeunt. Reliquum igitur est, vt negetur aliqua præmissa. Si verò nulla præmissa possit negari, & appareat enthymema duci ex tecmyrio, eo ipso enthymema est insolubile, ac conclusio per illud est demonstrata.

De

De amplificatione, ac diminutione. Cap. XXVII. & Vltimum.

1 *Amplificatio autem, & attenuatio non est enthymematis elementum. Idem enim elementum dico, & locum. Nam elementum, ac locus est, in quem multa incidunt enthymemata. amplificatio autem, & attenuatio enthymemata sunt, ad ostendendum magnum esse, vel paruum, quemadmodum bonum quoque, ac malum, iustum, ac iniustum, & aliorum quodlibet. Hac vero sunt omnia, de quibus syllogismi, aut enthymemata fiunt. Quare si nihil horum locus enthymematis est, nec amplificatio, ac attenuatio.*

2 *Verum nec refutatiua enthymemata species quedam est alia, quam affirmatiua sunt. Patet namque quòd refutat, aut obiectionem inferens, aut probans. Probant autem quod oppositum est: vt si factum vnus esse ostendit, alter factum non esse: quòd si factum non esse ille, factum esse hic ostendet. Quamobrem non erit hæc differentia, cum eisdem vtrique vtantur. Enthymemata autem afferunt quòd sit, aut non sit.*

3 *Obiectio etiam non est enthymema, sed, sicut in Topicis opinionem quandam dicere, vnde perspicuum fiat, vel quòd non colligit syllogismo, vel quòd falsum quiddam assumpsit.*

4 *Sed de exemplo, de sententia, de enthymematibus, ac omnino de rebus, vnde inueniemus, & quomodo inuenta dissoluemus, hac nobis dicta sint.*

1 POstquam Aristoteles egit de enthymematibus, eorumque locis, ac solutionibus, vt concludat hunc secundum librum, explicat quædam, quæ potuissent fallere rudes, & imperitos. Primo ergo quia posset aliquis putare amplificationem, ac diminutionem, quæ vt dictum est cap. 19, sunt communes omnibus tribus generibus causarum, esse recensendas inter loca, siue elementa enthymematum, Aristoteles docet, ac probat amplificationem, ac diminutionem non esse locum, nec elementum enthymematum. Probat, quia loca, seu elementa sunt propositiones, & maximæ, ex quibus possunt fieri plura enthymemata; sed amplificationes, ac diminutiones non sunt propositiones, ac maximæ, ex quibus possunt fieri plura enthymemata, sed sunt enthymemata ad ostendendum aliquid esse magnum, vel paruum, sicut dantur enthymemata ad ostendendum aliquid esse bonum, aut malum, iustum, aut iniustum &c. ergo sicut enthymemata versantia circa iusta, vel iniusta, bona, vel mala &c. non sunt loca, imo nec loca sunt ipsa iusta, & iniusta, sic amplificatio, ac diminutio non sunt loca, imo nec magnum, & paruum, circa quæ amplificatio, ac diminutio versantur, sunt loca.

2 Secundo posset aliquis existimare, enthymemata, quibus vtimur ad soluenda enthymemata aduersariorum esse diuersæ rationis ab enthymematibus, quibus vtimur ad probandum, adeoque circa ipsa debere tradi diuersam artem. Reijcit Aristoteles hanc opinionem: nam qui soluit, debet ostendere oppositum eius, quod intulit aduersarius; sed eadem est ars, ijdemque loci ad ostendendum opposita; ergo enthymemata non sunt diuersæ rationis, adeoque non indigent diuersis præceptis.

3 Tertio posset aliquis existimare instantiam esse enthymema. Reijcitur hæc opinio: nam ad instantiam sufficit, vt quis exponat enthymema non concludere, vel aliquam propositionem assumptam esse falsam; sed hoc non est enthymema; ergo &c.


4 Concludit Aristoteles hunc librum secundum dicendo, satis iam actum esse de exemplis, de sententijs, ac de enthymematibus, ac vniuersim de ijs, quæ spectant ad inuentionem, afferendo loca, ex quibus possimus abundare enthymematibus, ac soluere enthymemata aduersariorum. Reliquum est, vt explicemus quæ spectant ad dispositionem, & elocutionem. Et per hæc concludit librum secundum rhetoricorum.

ARISTOTELIS RHETORICORVM LIBER TERTIVS.

De elocutione, & actione, earum inuentione, & vtilitate. Caput Primum.

1 *VERVM quoniam tria in oratione requiruntur, primum vnde fiat fides, alterum de eloquutione, tertium de ordine partium orationis: ac de fide iam dictum est, ex quibus, & ex quot, quòd ex tribus, & cur tot solum: aut quia ipsi qui iudicant, quodammodo affecti sunt, aut quia quales quosdam eos, qui dicunt arbitrantur, aut quia quod demonstratum est, omnibus persuadetur: & ad hæc explanatum vnde enthymemata inueniantur: sunt enim species enthymematum, & loci: sequitur nunc, vt de eloquutione dicamus. Non enim sufficit, si habeas quæ dicenda sint, sed necesse est ea, vt oportet dicere: quod plurimum confert, vt oratio qualis quædam esse videatur.*

2 *Primum igitur quæsitum est, quod natura primum est, vnde res ipsæ credibilitatem habeant. Deinde quo pacto in dictione ponenda sunt. Tertio, quòd vires quidem habet ingentes, sed nondum explicatum, quomodo pronunciandum. Nam vel in tragædiam, atque comædiam tardius accessit Ipsi enim poetæ tragædias olim pronunciabant. Quare manifestum est id etiam in rhetorica ita esse, quemadmodum in re Poetica: quod & alij quidam tractarunt, & Glaucus Teius.*



POSTQVAM Aristoteles lib. 1. & 2. egit de inuentione, lib. 3. differit de elocutione, ac dispositione. Capite igitur primo præmittit proœmium, in quo primo epilogat dicta, & proponit dicenda: secundo explicat, quo ordine redigi cæperint ad artem partes oratoriæ, nimirum inuentio rerum, elocutio, ac dispositio earumdem, ac pronunciatio, siue actio: tertio breuiter explicat naturam, & vtilitatem actionis, tum in poeticis, tum in oratorijs: quarto explicat naturam, & vtilitatem elocutionis, eamque comparans cum actione, ostendit elocutionem magis esse capacem artis, quam sit actio: quinto demum ostendit primo inuentam esse elocutionem poeticam, quæ tamen multum differt ab elocutione oratoria.

1 Quoad primum: qui tradit rhetoricam debet primo docere artem inueniendi, quæ sunt apta ad persuadendum: secundo debet agere de elocutione, per quam quæ fuerint inuenta, verbis explicemus: tertio demum debet differere de distributione, per quam partes orationis aptè disponamus. Nos igitur libro primo, & secundo tradidimus omnia, quæ spectant ad inuentionem eorum, quæ sunt apta ad persuadendum, atque explicantes, ex quot, & quibus possimus persuadere, diximus, quod tria sunt, quæ conducunt ad faciendam fidem, & assignauimus rationem, cur sint tria, quæ ratio est, quia omnes persuadentur ita, vt credant dicenti, vel quia ipsi sunt certo modo affecti, ac dispositi ad credendum; vel quia existimant dicentes esse tales, vt sint digni fide, vel quia censent ea, quæ dicuntur, fuisse demonstrata. Egimus præterea de enthymematibus, ac de ijs, ex quibus sunt paranda, de formis nimirum, ac locis, nomine formarum intelligendo propositiones proprias singulorum dicendi generum, nomine locorum communium intelligendo propositiones communes

munes omnibus generibus. Reliquum igitur est, vt lib. 3. agamus de elocutione, sub qua comprehendimus etiam dispositionem. Est autem elocutio valde necessaria: siquidem non sufficit parata habere, quæ dicas, sed necesse etiam est hæc vt oportet dicere: præterquam quod elocutio multum valet ad hoc, vt oratio videatur talis, morata nimirum, puta verax, aut temperans &c.

2 Quoad secundum: partes rhetoricæ quæsitæ sunt, atque inuentæ eo ordine, quo naturaliter ordinantur; sed ex natura rei primo debemus inuenire quæ sunt apta ad persuadendum: secundo debemus inuenta congrua locutione exprimere: tertio demum debemus orationem pronunciare, & agere; ergo non est mirum, quod primo fuerit inuenta, ac tradita ars inueniendi quæ sunt apta ad faciendam fidem: secundo fuerit excogitata ars de ijs, quæ spectant ad elocutionem. Superest nunc tertia pars artis de ijs, quæ spectant ad pronunciationem, siue actionem, quæ licet habeat maximam vim, adhuc à nemine fuit tradita. Nec mirum: nam ars agendi etiam in Poesim Tragicam, & Rapsodiam, seu Epopœiam sero admodum est introducta, siquidem ab initio Tragædiæ non agebantur ab Histrionibus, sed ab ipsis poetis, qui Tragædias scripserant, recitabantur; ergo non est mirum, si proportionalis ars agendi orationes adhuc non sit inuenta, licet de actione poetica scripserint quidam, atque inter cæteros Glauco quidam Teius.

3 *Est autem pronunciatio in voce, quo pacto ipsa in singulis affectibus vtendum sit, veluti quando magna, quando parua, quando mediocri, & accentibus quomodo, sicut acuto graui, mediocri: & quibus in vnoquoque numeris. Tria enim sunt quæ considerant, magnitudo, harmonia, numerus. Præmia ergo ex certaminibus ij penè ferunt. Verum sicut in poeticis certaminibus plusquam ipsi poetæ possunt qui agunt, sic & in ciuilibus propter ciuitatum deprauationem. Sed nondum de ipsa ars composita est. Nam & de eloquutione tardius acceptum.*

4 *Videturque parum honestum esse, si bene examines. Sed tamen cum rhetorica, eiusque præceptio ad opinionem spectet, non quòd rectè se habeat, sed quia necessarium, non est negligendum. Iustum enim est nihil plus in oratione quærere, quam ne aut dolore, aut voluptate afficias. Ita cum par sit ipsis rebus certare, cætera præter demonstrationes superuacanea sunt. Veruntamen nimium faciunt, vt dictum est, propter auditorum prauitatem. Verum eloquutio ipsa habet parum quid in dicendo semper necessarium. Refert enim ad significandum sic, aut sic dicere quamuis non tantum. Verum hæc omnia imaginationis sunt, & ad auditorem: quapropter nemo Geometriam sic docet. Illa igitur cum accesserit, id facit, quod & pronunciatio. Cœperunt autem parum de ipsa quidam dicere, veluti Thrasimachus de commiserationis pronunciatione: sed est naturæ aptum esse, & ad agendum, & minus artificiosum, quam cætera: eloquutio autem artificiosa. Quocirca qui id facere possunt rhetores, ijs quoque, sicut & pronunciantibus, præmia posita sunt. Nam orationes scriptæ vehementiores propter eloquutionem videntur, quam propter sententias.*

3 Quoad tertium: quia mentionem fecimus actionis, debemus aliqua explicare circa naturam, & vtilitatem ipsius. Actio præsertim consistit in voce, ac præcipuum artificium actionis versatur circa hoc, vt sciamus, quo pacto debeamus vti voce ad vnumquemque animi motum exprimendum, ac quando nam debeamus vti voce magna, parua, vel mediocri; quando tono, seu accentu acuto, graui, vel medio; & qui numeri sint ad vnumquemque conceptum, vel affectum exprimendum accommodati. Qui ergo de actione consistente in voce egerunt, tria præsertim considerarunt, nimirum magnitudinem, concentum, siue harmoniam, & numerum. Porro vtilitas actionis tum in poeticis, tum in oratorijs tanta est, vt sicut in poeticis certaminibus præmia plerumque reportant qui magis valent actione, ac histriones plus valent, quam ipsi poetæ, sic in certaminibus forensibus propter improbitatem politiarum, ij oratores causas obtineant, qui actione præstant. Licet actio tanti sit ad oratoriam momenti, adhuc non prodijt ars de actione oratoria. Ratio est, quia vt diximus num. 1. actio est posterior natura, quam elocutio; sed sero, ac non multis ab hinc annis tradita est ars de elocutione oratoria; ergo non est mi-

mirum, quod de oratoria actiore adhuc ars non fuerit tradita.

4 Quoad quartum: explicata aliqualiter natura, & vtilitate actionis, debemus explicare naturam, & vtilitatem elocutionis, atque elocutionem cum actione conferre. Oratoria elocutio secundum se quidem videtur res leuis: sed quia rhetorica tota quanta est opinionibus hominum debet inseruire, ideo magna diligentia suscipienda est cura elocutionis, tanquam summopere necessariæ. Ratio, cur elocutio oratoria secũdum se sit res leuis, est, quia cum sermo ordinetur ad exprimendas res, deberemus solum requirere, vt elocutio talis esset, vt res exprimeret, ipsa verò per se neque molestiam, neque iucunditatem afferret; ergo iustum esset, vt oratores rebus solum pugnarent, non autem lenocinijs verborum; ergo verborum ornatus demonstrationibus additus videtur esse superuacaneus, atque superfluus: sed quia auditores propter quamdam improbitatem non sunt contenti rebus, sed requirunt etiam lenocinia verborum, ideo elocutio de facto multum valet. Et quidem elocutio secundum se aliquid confert ad omnes disciplinas, etiam scientificas, siquidem ad omnes disciplinas refert, quo pacto res declarentur, vno modo, an altero; sed ad cæteras disciplinas non tantum confert, quantum ad oratoriam, quæ tota quanta est pendet à phantasia, & ad auditores refertur. Hinc oritur, vt qui tradunt Geometriam, aliasque disciplinas scientificas, non sint de ornata elocutione solliciti, at qui oratoriam exercent summopere sint solliciti de elocutionis ornatu. Iam verò ars de actione oratoria, cum prodierit, idem efficiet, ac histrionica. Sicut enim histriones magis valent, quam ipsi poetæ, qui Tragædias scribunt, sic actores orationum magis valebunt, quam oratores, qui scribunt orationes. Licet tamen nemo tradiderit artem de actione oratoria, adhuc aliqui conati sunt nonnihil de ipsa dicere, vt Thrasymachus in miserationibus. Porro actio, & elocutio differunt præsertim in hoc, quod ad actionem multum valet natura, non multum ars; è conuerso ad elocutionem plurimum conducit ars: conueniunt verò, quod sicut orationes, quæ recitantur, magis valent propter actionem, quam propter res, sic orationes scriptæ magis valent propter elocutionem, quam propter sententias.

5 *Cœperunt igitur, sicuti natura postulat, id primo poetæ mouere. Nam ipsa nomina imitationes sunt. Est autem & vox nobis ad imitandum omnium particularum aptissima. Quapropter artes quoque constitutæ sunt, rhapsodia & histrionica, & aliæ huiusmodi. Ac quoniam poetæ res friuolas dicentes, propter dictionem videbantur gloriam consequuti, idcirco poetica primo suscepta est dictio, qualis est Gorgiæ: & ad præsens vsque multi minus docti hos optime dicere arbitrantur. Id vero ita non est, sed alia orationis, alia poesis dictio est. Quod inde etiam ostenditur, quod nec ipsi, qui tragadias faciunt, illo modo amplius vtuntur. Verum sicut ex tetrametris ad iambicum transgressi sunt, quoniam metrorum omnium id orationi simillimum est: sic quæcunque nominum præter consuetudinem sunt, ea neglexerunt: & quibus prisci exornabant, & in præsentiarum etiam qui hexametra componunt, prætermiserunt. Quamobrem risu dignum est eos imitari, qui non amplius illo modo vtuntur. Quare perspicuum est, non omnia, quæ de dictione dici possunt, nobis esse examinanda, sed de ea, qua dicimus. De illa vero dictum est in ijs, quæ de arte poetica tractauimus. Ibi ergo perspiciatur.*

5 Quoad quintum: sicut prius inuenta est actio poetica, quam oratoria, sic etiam prius inuenta fuit elocutio poetica, quam oratoria. Ratio est, quia poesis est ars imitatiua; sed nomina, & voces sunt quædam imagines, & imitationes rerum, ac nihil datur in homine magis aptum ad imitandum, quam vox; ergo non est mirum, quod poetæ præcipuo studio versati sint circa voces, atque inuenerint elocutionem poeticam ad imitandum factam, ideoque instituerint artes poeticas, nimirum Rapsodiam, seu Epicam, & Histrionicam, siue Dramaticam, & alias, atque vnicuique suam elocutionem accommodarint. Quia verò poetæ licet canerent res inanes, adhuc magnam sibi gloriam compararunt, ideo primi oratores, qui ornatè eloqui studuerunt, sectati sunt elocutionem poeticam, inter quos recenseri potest Gorgias. Imo etiam nunc non desunt aliqui parum in præceptis artis eruditi, qui arbi-

arbitrantur se pulcherrimè loqui, cum loquuntur poeticè. At isti falluntur. Alia siquidem est elocutio oratoria, alia poetica. Hoc autem probatur ex ipso euentu. Quia enim Tragædijs accommodatur elocutio non multum absimilis locutioni familiari: poetica autem elocutio primo inuenta est valde absimilis locutioni familiari: ideo nunc scriptores Tragædiarum non amplius vtuntur illa antiqua locutione poetica: ac sicut dimissis trimetris, quibus vtebantur, vtuntur Iambis, quia sermo communis est similis Iambis, sic dimissa illa antiqua elocutione poetica, quam etiam nunc adhibent qui scribunt hexametra, vtuntur alia, quæ est similior locutioni familiari. Cum igitur ipsi poetæ Dramatici nunc abiecerint illam antiquam locutionem poeticam, ridiculi sunt oratores, qui eam adhuc vsurpant. Quia ergo elocutio poetica differt ab oratoria, nos autem debemus hic agere de elocutione oratoria, non debemus tradere omnia, quæ spectant ad elocutionem, sed solum ea, quæ spectant ad elocutionem oratoriam: præsertim cum in poetica egerimus de ijs, quæ pertinent ad elocutionem poeticam. Volumus autem hic vt firma supponi, quæ de poetica elocutione tradidimus in poeticis.

De perspicuitate, ac decoro, quæ sunt virtutes elocutionis; quibus nominibus sit vtendum ad reddendam orationem perspicuam, atque decoram, ac præsertim de metaphoris. Cap. II.

1 *Eloquutionis igitur huius virtus dilucriditate definiatur: quod ita esse illud signi est, quoniam nisi oratio significet, non habebit opus suum. Et nec deiectam, & humilem, nec rerum dignitatem excedere, sed accommodatam esse oportet. Poetica enim forte non humilis, sed orationi non accommodata est.*

2 *Dilucidam autem reddunt orationem, quæ propria sunt, siue nomina, siue verba: non deiectam vero, sed ornatam reliqua: de quibus in arte Poetica dicimus. Nam insitata grauiorem reddunt orationem. Quod enim ad peregrinos, atque aduenas patimur, id etiam ipsum ad dictionem sustinemus. Quocirca inusitatoria sunt adhibenda. Hæc enim ex omnibus admiramur: mirabile autem omne iucundum est.*

Incipit Aristoteles agere de virtutibus elocutionis, ac primo quidem probat duas esse virtutes elocutionis, perspicuitatem nimirum, ac decorum: secundo ostendit, quod ad reddendam elocutionem perspicuam, vtendum est nominibus proprijs; ad reddendam eamdem non humilem, sed grandem, ac decoram vtendum est nominibus peregrinis: tertio explicat discrimen carminis à soluta oratione in vsu elocutionis peregrinæ: quarto docet oratorem ita debere sectari peregrinum sermonem, vt id lateat auditorem, ac videatur loqui non ficte, sed naturaliter: quinto ostendit, quod ex nominibus peregrinis, translata, & metaphorica sunt maximè solutæ orationi accommodata: sexto docet, ex quibus sumenda sint translata, ac metaphoræ: septimo demum explicat qualibus appositis, seu epithetis, ac diminutiuis sit vtendum.

1 Quoad primum: prima elocutionis virtus est, vt sit perspicua. Ratio est, quia virtus rei est, per quam res redditur apta ad suum finem, & munus; sed finis, ac munus orationis, siue elocutionis est, vt declaret sensus mentis; ad hunc autem finem requiritur vt sit perspicua; ergo &c. Secunda virtus elocutionis est, vt neque sit humilis, neque nimis elata, ac supra dignitatem, sed seruet decorum. Elocutio poetica non est humilis, adhuc tamen in soluta oratione est vitiosa, quia non seruat decorum.

2 Quoad secundum: ad reddendam elocutionem perspicuam, valde conducunt nomina, ac verba propria: ad reddendam autem non humilem, sed ornatam, & excultam, conducunt nomina peregrina, ac non vulgaria, de quorum speciebus actum est in poetica cap. 20. num. 12. & sequentibus. Ratio est, quia oratio vtens nominibus immutatis, atque à communi consuetudine recedentibus, apparet grandior. Sicut enim ita affecti sumus, vt ciues quidem, ac domestica, quæ semper versantur ob oculos, fastidiamus, & contemnamus, at verò peregrina, & externa admiremur,

& cum delectatione contemplemur: sic ita affecti sumus, vt elocutionem vtentem nominibus consuetis, ac vulgaribus, fastidiamus, elocutionem autem vtentem nominibus peregrinis, atque à vulgo remotis, admiremur, eaque summopere delectemur. Oportet igitur, vt orator peregrino vtatur sermone: ex eo enim admiratio, ex admiratione voluptas sequetur.

3 *In metro igitur multa id faciunt, & commode ibi dicuntur. Nam tam res quam personæ, de quibus habetur oratio, excellentiores sunt. In oratione vero soluta, cum causa minor sit, multo paucioribus vtendum. Nam ibi quoque si seruus, aut adolescens ornatiora diceret, aut de paruis, indecorum esset. Sed est etiam in his imminutio, & incrementum decori.*

4 *Quare oportet id facientes latere, ne fictè dicere videantur, sed innate. Hoc enim verisimilem facit orationem, illud autem contrarium. Nam tanquam insidiantia vituperantur, quemadmodum & vina mixta: quod Theodori vox ad aliorum habet histrionum. Illa enim eius ipsius, qui dicit, esse videtur, hæ alienæ. Celantur autem facile, si quis ex consuetis eligens componat: quod Euripides facit, & primus monstrauit.*

3 Quoad tertium: licet tum poeta in carmine, tum orator in oratione soluta, debeat vti peregrino sermone, adhuc est differentia. Poeta enim multo pluribus vti poterit ad reddendam elocutionem peregrinam, quam orator: atque illa carmen decebunt, quia tum ipsum carmen, tum ea, de quibus poeta agit, valde recedunt à communi consuetudine. E conuerso cum soluta oratio propinquior sit vulgari modo loquendi, atque agat de rebus minus grandibus, quam carmen, parcius debet vti peregrinis, & in ipsis carminibus, si seruus aut valde iuuenis, aut agens de rebus paruis, ac nullius momenti, grandiori, ac nimis ornata oratione vteretur, non seruaret decorum. Decorum igitur dicitur ratione personarum, ac rerum, & suscipit, magis, ac minus, itaut eadem elocutio, quæ respectu aliquarum personarum, ac rerum est decora, respectu aliarum fit indecora, ac peccet, vel eo, quod sit nimis humilis, vel eo quod sit nimis elata.

4 Quoad quartum, ita debet orator sectari elocutionem peregrinam, vt hoc studium lateat auditorem, & videatur loqui non fictè, ac studiosè, sed naturaliter. Ratio est, quia finis oratoris est persuadere; sed elocutio naturalis est apta ad persuadendum, elocutio verò studiosè conficta est ad persuadendum inepta, siquidem à studiosè fingentibus orationem cauemus quasi ab insidiatoribus, ab iisque abhorremus, sicut à vinis non sinceris, sed medicatis; ergo &c. Sicut igitur Theodori histrionis vox probatur præ vocibus aliorum histrionum, quia vox Theodori videtur naturalis, atque eius propria, voces aliorum videntur fictæ, & alienæ; sic elocutio, quæ videtur naturalis, probatur præ elocutione, quæ videtur ficta. Ad hunc autem finem, vt lateat auditores nos sectari sermonem peregrinum, debemus ex consueto sermone seligere optima, ex iisque orationem componere: talis enim oratio quia constabit ex optimis, erit peregrina, quia ex consuetis, videbitur naturalis. Hoc autem egregiè præstitit Euripides, atque aliis suo, exemplo aperuit viam idem efficiendi.

5 *Cum autem nominibus, atque verbis constet oratio, cumque nominum tot sint genera, quot in arte poetica dicta sunt, ex iis priscis quædam, & compositis, atque iteratis nominibus, & fictitiis raro paucis in locis vtendum: sed vbi dicemus postea. Causa quoque dicta est. Ad maius enim, quam decorum est, orationem extollunt. Propria vero, & congrua, & translatio solutæ orationis eloquutioni conueniunt. Cuius signum est, quòd solum his omnes vtuntur. Omnes enim translationibus, & congruis, atque propriis colloquuntur. Quare patet, si quis hæc rectè componat, quòd oratio & clara, & prisca videbitur: & cur prisca, latebit: quæ orationis oratoriæ virtus erat. Nominum vero, quæ sunt æquiuoca, cauillatoriæ conferunt. Aequiuocationibus enim fraudem parat. Quæ vero synonyma sunt, poetis. Dico autem propria, & synonyma, vt proficisci, ac ire: nam hæc ambo & propria, & synonyma sunt adinuicem. Quid autem vnumquodque horum sit, & quot translationis genera sint, & quòd plurimum, tam in re poetica, quam in soluta oratione translationes possint, in arte poetica, vt diximus, dictum est. Tanto autem magis in ipsis oratori*

est

est elaborandum, quanto pauciora præsidia soluta oratio habet, quam metrica. Sed dilucidum quoque, iucundum, ac priscum maxime affert translatio, neque est accipere ipsum ab aliquo.

5 Quoad quintum: cum oratio constet ex nominibus, ac verbis, nominum autem plures sint species, quas enumerauimus in poetica cap. 20. num. 12. & sequentibus, nominibus quidem desumptis ex varijs linguis, seu dialectis, ac similiter nominibus compositis, & innouatis raro vtendum est in soluta oratione. Ratio est, quia vt dictum est num. 4. soluta oratio non debet vti nominibus, quæ nimis recedunt à sermone communi; sed nomina variatum linguarum, seu dialectorum, ac similiter nomina iuncta, seu composita, & innouata nimis recedunt à sermone communi; ergo &c. Quibus verò potissimum locis talibus nominibus sit vtendum, explicabitur inferius cap. 7. num. 8. Relinquitur ergo, vt soluta oratio debeat penè tota constare ex nominibus proprijs, domesticis, ac translatis, siquidem his solis homines vtuntur in communi sermone. Si quis igitur rectè vtatur his tribus generibus nominum, & sermone vtetur peregrino, & latebit auditorem, quod peregrina sectetur, & reddet orationem perspicuam; sed virtus orationis consistit in his; ergo consequetur virtutem elocutionis propriam. Sicut porro oratoribus maximè accommodantur tria explicata genera nominum, sic sophistis, qui volunt decipere, summopere accomodantur nomina ambigua, poetis synonima, quæ cum sint propria idem significant, vt *ire*, ac *proficisci*. Quid sit vnumquodque horum nominum, quot sint species translationum, & quo pacto translationes accommodentur tum solutæ orationi, tum vinctæ, explicatum est in poetica cap. 20. num. 11. & sequentibus. Porro tanto maius studium in translationibus debet ponere orator, quam poeta, quanto pauciora auxilia ad reddendam elocutionem peregrinam habet orator, quam poeta; præsertim quia translatio maximè confert ad reddendam elocutionem perspicuam simul, iucundam, ac peregrinam, & quia translationes non possumus ab alijs accipere, sed proprio ingenio debemus excogitare.

6 *Sunt autem epitheta, & translationes accommodatè adinuicem dicendæ, quod ex proportione fiet: aliter indecorum videbitur. Nam contraria simul collata maxime apparent. Considerandum igitur, vt iuueni purpureum, sic seni quid conueniat. Non enim eadem vtriusque decora est vestis.*

7 *Ad hæc cum laudare velis, à melioribus, cum vituperare, à peioribus, eorum, quæ in genere sunt, ducenda translatio est, veluti si quoniam in eodem genere contraria sunt, mendicantem vouere dicere, & vouentem mendicare. Nam quoniam petitiones ambo sunt, licet quod diximus facere. Sicut etiam Iphicrates dixit Calliam mitragyrtem, sed non daduchum. Dixit autem non fuisse ipsum initiatum. Non enim mitragyrtem ipsum appellasset, sed daduchum. Nam cum vtraque in diuinis sint, alterum laudabile, alterum illaudabile est. Sic etiam Dionysij adulatores, magistros seipsos appellabant. Hæc autem ambo metaphora, hæc quidem sordidantium, hæc autem contrarium. Et prædones quidem seipsos acquisitores vocant nunc. Quapropter licebit etiam dicere iniuriatum errasse, & errantem iniuriari. Furatum quoque, & accepisse, & rapuisse. Quod vero Telephus apud Euripidem dicit, regnare capulos, & in Mysiam delatus, indecorum est. Nam regnare cum dignitatem rerum excedat, non celatur.*

6 Quoad sextum: quia ex dictis orator debet vti translatis, tradendæ sunt regulæ ad bene nomina transferenda. Prima ergo regula communis translatis, & epithetis est, vt tum nomina translata, tum epitheta congruant rebus, quibus tribuuntur: tum autem congruent, quando habebunt proportionem cum re. Si verò nomina non habeant proportionem cum re, tum statim apparet illa non decere rem: siquidem opposita iuxta se posita magis elucescunt. Sicut igitur iuuenem quidem decet vestis purpurea, senem verò non decet, sed illis tribuendum est aliud genus vestis; sic quasdam res decent quædam metaphoræ, atque epitheta, alias res non decent.

7 Secunda regula est, vt cum volumus laudare, desumamus translationes à melioribus, cum volumus vituperare desumamus à deterioribus eiusdem generis: ex. gr.

quia in eodem genere petitionis datur tum precari, quod est melius, tum mendicare, quod est deterius, si velimus petentem laudare, dicemus illum precari, si velimus vituperare, dicemus illum mendicare. Hac regula vsus est Iphicrates. Cum enim diuersa essent munera ministrantium sacris Ideæ matris, quædam sordidiora, quale erat eorum, qui mendicabant stipem pro sacris, qui vocabantur mitragyrtæ, quædam honestiora, quale erat eorum, qui Ideæ matri faces præferebant, qui vocabantur Daduchi, Iphicrates vt vituperaret Calliam vnum ex ministris matris Ideæ, vocauit illum Mitragyrtem: Callias autem respondit satis apparere, quod Iphicrates non fuerat initiatus sacris magnæ matris; si enim fuisset initiatus, sciuisset Calliam non esse Mitragyrtem, sed Daduchum. Eodem artificio vtebantur adulatores Dionysij, dum se non adulatores, sed artifices voluptatum vocabant; quin ipsi latrones vtuntur hoc artificio, dum se ipsos vocant studiosos rei quærendæ. Cum enim adulator, & artifex voluptatum, ac similiter latro, & lucri studiosus, in eodem sint genere, sed prima duo nomina spectent ad laudem, duo posteriora ad vituperationem: callidè adulatores, & prædones ad se ipsos honestandos, tribuunt sibi nomina artificum voluptatis, & studiosorum lucri. Ad idem artificium spectaret qui agens de aliquo, qui fecerit iniuriam, ad ipsum excusandum diceret illum errore lapsum fuisse; vel agens de aliquo, qui per imprudentiam alterum læserit, diceret illum iniuriam intulisse; & qui agens de fure, diceret illum accepisse; agens de eo, qui sumpserit tantum, diceret illum surripuisse. In talibus tamen translationibus debet haberi ratio decori, ideoque Telephus, qui de quibusdam remigibus descendentibus in Mysiam dixit, quod regnabant in remos, peccauit contra decorum, quia vsus est translatione regnantis, quæ longe superat remigum dignitatem. Cum verò quis vtitur translatis supra dignitatem, statim apparet artificium, ideoque apud auditores amittitur fides.

8 *Fit autem in syllabis quoque error, cum suauem vocem non faciunt, veluti Dionysius Chalceus in elegijs Poesim clamorem Calliopes appellat. Nam vtraque voces sunt. Translatio autem per non significantes voces friuola est.*

9 *Præterea non longe repetenda, sed à propinquis, & ijs, quæ eiusdem generis sunt: & innominata per translationem ita nominare oportet, vt cum dicta sint, pateat esse propinqua, vt in illo comprobato ænigmate, æreum vidi virum igniitum viro conglutinatum. Res enim innominata est: sed ambo additio quædam sunt. Conglutinationem igitur ipsius cucurbitæ adhæsionem dixit. Et profecto in comprobatis ænigmatibus commodas possumus inuenire translationes. Nam cum ænigmaticæ orationi translationes congruant, manifestum est probe, ac ex probis esse translatum.*

10 *Pulchritudo autem nominis (vt Lycimnius ait) in sono, aut in significato. Turpitudo quoque similiter. Et ad hæc tertium, quod caullatoriam soluit rationem. Non enim (vt dixit Bryson) nemo turpiter loquitur, cum hocce dixit, si quid dicit, hocce significat. Nam id falsum est, cum aliud alio magis proprium sit, & similius, & aptius, vt rem ante oculos ponat. Præterea non similiter se habens hoc, & hoc significat. Quare vel sic aliud alio pulchrius, & turpius existimandum. Nam vtraque honestum, ac turpe significant, sed non in quantum honestum, aut in quantum turpe: aut hæc quidem sic, sed magis & minus. Translationes vero à pulchris transferendæ, aut voce, aut potestate, aut visu, aut alio quodam sensu. Differt autem, & melius dicitur aurora rosea, quam phœnicea, vel multo ineptius rubea.*

8 Tertia regula est, vt cum vtimur translatione ad significandam rem suauem, eligamus nomina habentia sonum non asperum, sed suauem. Ideo peccauit Dionysius poeta cognomento Chalceus, dum in suis elegijs suauissimum Calliopis cantum vocauit clangorem, quia nomen clangoris, cum sit asperum, etiam ex hoc capite est ineptum ad significandum cantum Calliopis; præterquam quod clangor significat vocem inarticulatam.

9. Quarta regula est, vt nomina non longe ducantur, sed sumantur ex rebus, quæ propinquæ, atque affines inter se sint; hoc autem præsertim obseruandum est, cum tribuimus nomen alicui rei innominatæ. Hanc regulam optimè obseruauit auctor illius probati Aenygmatis, dum de quo-

quodam, qui applicauerat ægroto cucurbiculas ignitas, vulgo *le coppe*, dixit: *Vidi virum igne æs viro agglutinantem*. Quia enim applicatio cucurbiculæ, & agglutinatio conueniunt in genere appositionis, applicatio autem cucurbiculæ caret nomine proprio, transtulit ad illam nomen propinquum agglutinationis. Porro ex probatis Aenygmatibus possumus desumere exempla probatarum translationum. Cum enim ænigmata constent ex pluribus translationibus, si Aenygma approbatur, signum est, quod constat ex translationibus bene factis.

10 Quinta regula est, vt translationes sumantur à rebus honestis, non autem à turpibus. Sed explicandum est, vndenam desumatur honestas, vel turpitudo nominis? Honestas nominis non solum desumitur ex sono, & ex significatione, vt Lycimnius ait, sed etiam ex modo significandi: turpitudo nominis ex ijsdem desumitur. Hinc soluitur sophisticum argumentum Brysonis, qui dicebat nullum nomen esse turpe, ac id probabat quia aliud nomen significans eamdem rem turpem non est turpe; ergo neque est turpe hoc nomen, quod dicis esse turpe. Cum enim vtrumque nomen idem significet, cur vnum est turpe, & obscœnum, aliud non? Potest responderi tripliciter. Prima responsio est: hæc duo nomina significant idem, sed non eodem modo: nam illud, quod est turpe, est magis proprium rei, magis simile, ac magis turpitudinem ponit ob oculos. Secunda responsio est: vnum nomen significat rem turpem, in quantum est turpis, alterum significat rem turpem, in quantum includit aliquid non turpe, ideo vnum est turpe, aliud est honestum. Tertia responsio est: licet vtrumque significet eamdem rem turpem, aliud significat magis, aliud minus. Curandum igitur est, vt translationes desumantur ab honestis, vel voce, vel vi significandi, vel honestate rei, quæ ob oculos, aliosque sensus ponitur. Quia verò dum dicimus auroram esse roseo-digitam, ponimus ob oculos colorem rosæ, qui delectabilior est visui, quam color puniceus, vel color ruber vtcumque, ideo melius aurora dicitur roseo-digita, quam puniceo-digita vel rubro-digita.

11 *In epithetis etiam adiectiones, tam à malo, vel turpi facere possumus, vt matricida, quam à meliore, vt vltor parentis. Et Simonides cum sibi non multum afferebat, qui mulabus vicit, nolebat carmen componere, quasi moleste ferret in laudem mularum id facere. Cum vero multum attulit, componebat, equorum saluete ventipedum filiæ. Atqui asinorum etiam filiæ erant.*

12 *Ad hæc, id ipsum diminuere. Est autem diminutio, quæ tam bonum, quam malum minus ostendit: vt in Babylonijs Aristophanes mordaciter dicit pro auro aurulum, pro veste vesticula, pro conuitio conuitiolum, pro ægrotatione ægrotatiuncula. Cautum autem esse oportet, & in vtrisque seruare mediocritatem.*

11 Quoad septimum: quia etiam epitheta orationem ornant, & habent quamdam similitudinem cum metaphoris, ideo Aristoteles breuiter subiungit quædam de epithetis. Epitheta possunt desumi tum ex melioribus, tum ex deterioribus. Ad laudandum desumenda sunt ex melioribus: ad vituperandum ex deterioribus. Ex. gr. ad vituperandum Orestem debemus illum vocare Matricidam: ad eumdem laudandum, debemus appellare patris vindicem. Simonides etiam poeta, cum quidam, qui in ludis olympicis vicerat mulabus, peteret ab ipso, vt suam victoriam carmine laudaret, ac paruam illi mercedem offerret, respondit, se nolle facere carmen in laudem semiasinarum. Cum verò ille mercedem auxisset, scripsit carmen, ac cecinit: *saluete volucrum filiæ equorum*. Cum igitur mulæ sint filiæ equorum, & asinarum, Simonides vt illas vituperaret, vocauit semiasinas, vt laudaret, vocauit volucrum equorum filias.

12 Potest etiam res ornari, aut vituperari vtendo diminutiuis, ac diminuendo tum bona, tum mala: ad laudandum quidem diminuendo mala, ad vituperandum minuendo bona. Ita Aristophanes in Babylonijs cauillatur minuendo bona, vt cum aurum vocat aurulum, & togam togulam; & minuendo mala conuicium vocat conuiciolum, morbum vocat morbulum. In vtendo tamen diminutiuis, cauendum est, vt modus seruetur.

De frigidis, ac de quatuor capitibus, ex quibus elocutio redditur frigida. Cap. III.

1 *Frigida vero in dictione fiunt quadrupliciter. In nominibus compositis, vt Lycophron multifacies cælos, magniceruicis terra, littus angustoportum. Et vt Gorgias appellabat, mendicimusum adulatorem, & periuros, atque probiiuros. Et vt Alcidamas, referta animum viribus & faciem facta ignicolor: & promptitudinem ipsorum putauit fore finiferam: & orationis vim finiferam constituit, & purpurocolor Thessali pauimentum. Nam omnia hæc propter compositionem poetica videntur. Hæc quidem vna causa est.*

2 *Altera priscis nimium vti, vt Lycophron, Xerses dico, vir montis instar, & Schiron vir vastus. Et Alcidamas ludicrum poesi, & ipsam naturæ stoliditatem, & ardenti mentis ira exacerbatum.*

QVia periculum est, ne oratores, dum conantur reddere elocutionem peregrinam, efficiant illam frigidam, ideo Aristoteles postquam egit de ijs, ex quibus elocutio fit peregrina, disserit de ijs, ex quibus redditur frigida, insipida, & insulsa.

1 Elocutio potest reddi frigida, & insulsa ex quatuor capitibus. Primo ex immodico, & indecoro vsu nominum compositorum. In hoc vitium incidit Lycophron, dum agens de cœlo, terra, & mari, seu littoribus, vocauit *multifacies cælos*, *magnæceruicis*, *vel magniuerticis terram*, & *angustiuadum littus*. In idem vitium incidit Gorgias, apud quem adulator dicitur πτωχόμουσος, quasi pauperscius, & qui bene, vel male iurant, vocantur *beneiuri*, ac *meleiuri*. Frigidus etiam videtur Alcidamas, dum describens quemdam furentem, dixit: *Furore quidem animum repletum vultum verò factum ignicomum*: & dum loquens de quorumdam promptitudine ad pugnandum vsque in finem, vocauit illam *finiferam*; & vim persuadendi vocauit quoque *finiferam*; ac loquens de mari, dixit, quod est *cæruli-color*. Vsus igitur indecorus talium compositionum in soluta oratione facit, vt oratio sit frigida, ac videatur poetica.

2 Secundo elocutio potest reddi frigida propter nimium vsum nominum priscorum, ac dialectorum. In hoc vitium incidit Lycophron, dum Xersem vocauit virum πελώριον, hoc est ingentem: nomen autem πελώριος est priscum, nec in soluta oratione vsitatum; & dum loquens de Cirone, qui fuit latro occisus à Theseo, dixit, quod erat vir σίνμις, hoc est nocuus, quod nomen est priscum. In eumdem errorem lapsus est Alcidamas, cum loquens de poesi, dixit: nihil tale ἄθυρμα, hoc est lusus, poesi est vtile: nomen autem ἄθυρμα est priscum, vel peregrinum, nec in soluta oratione vsurpandum. Idem loquens de natura vocauit ἀτασθαλίαν, seu peccatum naturæ; & loquens de quodam irato vocauit eum ira τεθυγμένον; id est exacerbatum, & in vtroque exemplo vsus est nominibus priscis, & peregrinis, nec in soluta oratione vsurpandis.

3 *Tertium in epithetis, cum aut longis, aut alienis, aut frequentioribus vtimur. In poesi enim decet album lac dicere: in oratione vero soluta nonnulla indecora sunt, nonnulla si crebrius ponantur, arguunt, ac patefaciunt modum poeticum. Sed quoniam opus est ipsis vti (tollunt enim quod vsitatissimum est, & faciunt, vt eloquutio grauior videatur) habenda est mediocritatis cura, ne peius efficiant, quam si frustra dicerentur. Nam male dicere illis efficitur, ijs non bene. Idcirco quæ scripsit Alcidamas, frigida videntur. Non enim quasi bellarijs, sed quasi cibarijs vtitur epithetis valde crebris, ac patentibus, & amplioribus, quam res postulat. Non enim sudorem dicit, sed sudorem humidum: nec in Isthmia, sed in Isthmiorum solennitatem: nec leges, sed ciuitatum leges: nec curribundum sed impetu animi curribundum: nec auditorium, sed naturæ auditorium, & tristem solicitudinem animi: nec gratiæ, sed plebeiæ gratiæ conditor, & gubernator audientium voluptatis: nec ramis, sed syluæ ramis occuluit: nec corpus tegebat, sed pudenda corporis: & honorabilem animi cupiditatem: quod simul & compositum, & epitheton est. Sic igitur poema, & sic prauitatis adinuenerunt excessum. Nam poetæ propter indecorum ridicula, & frigida confingunt, atque componunt. Et ad hæc obscura propter nugatio-*

tionem. Qui enim quamuis auditor intelligat, tamen interponit, diluciditatem obscuritate dissoluit.

3 Tertio elocutio potest reddi frigida propter vsum epithetorum, aut longorum, aut inopportunorum, aut frequentiorum, quam par sit. Ita licet bene in poesi dicatur lac album, adhuc si quis in soluta oratione dixerit *lac album*, efficiet orationem frigidam, siquidem cum omnes sciant lac esse album, illud epithetum inopportunè additur. Quædam igitur ephitheta sunt indecora: alia si nimis frequentia sint, faciunt, vt soluta oratio videatur poesis. Quandoquidem igitur in oratione soluta aliquando vtendum est epithetis, quia cum immutent modum consuetum, orationem reddunt peregrinam, curandum est, vt cum modo illa vsurpemus, præsertim, quia magis peccat qui malè his ornamentis vtitur, quam qui loquitur temerè, ac sine vllis ornamentis: siquidem hic dicit non bene, ille autem dicit malè. In hoc vitium male, ac sine modo vtendi epithetis, incidit Alcidamas, cuius proinde oratio manifestè est frigida. Non enim vtitur epithetis, ac circumlocutionibus vt condimentis, sed vt cibo consueto. Epitheta siquidem illius sunt crebra, & maiora, quam deceant, & manifesta, ita vt non lateat ars. Cum enim loquitur de sudore, non vtitur simplici nomine, sed vocat illum humidum sudorem: cum dicit aliquem iuisse ad Isthmia, vbi celebrabantur ludi Græcorum, vtitur circumlocutione, ac dicit illum iuisse ad Isthmiorum panegyrim: cum facienda est mentio legum, vocat illas Ciuitatum Reginas leges: cum facienda est mentio cursus, vocat illum cursorium animi impetum: loco nominandi musæum, addit naturæ musæum: cum nominat curam, vocat illam tristem animi curam: cum mentionem facit gratiæ, addit epithetum populare, ac dicit popularis gratiæ opifex: oratorem vocat dispensatorem voluptatis audientium: agens de aliquo, qui quamdam rem occultauerat ramis, dicit, quod illam syluæ ramis occultauerat: loquens de quodam, qui velauerat corpus, dicit, quod velauit pudorem corporis: loquens de cupiditate vocat illam ἀντίμιμον hoc est repræsentatricem animi cupiditatem, in quo dupliciter peccauit, & addendo epithetum superfluum, & addendo compositum: loquens de improbitate, vocat illam immensam improbitatis exuperantiam. Creber igitur vsus epithetorum, & circumlocutionum facit, vt soluta oratio videatur poema. Præterea poeticè dicentes & peccant contra decorum, & reddunt elocutionem frigidam, ridiculam, & etiam obscuram. Loquacitas enim, per quam idem inculcatur ei, qui iam percepit, tollit perspicuitatem, ac tenebras offundit orationi.

4 *Vtimur autem compositis, cum & res innominata sit, & dictio ad compositionem apta, vt immorari, parricida. Quod etiam si crebrius fit, omnino poeticum est. Quare composita dictio dithyrambicis est perutilis. Inflati nanque isti sunt. Prisca vero heroicis. Dignitatem enim, ac magnitudinem affert. Translatio autem iambicis, quibus nunc vtuntur, vt dictum est.*

5 *Ad hæc in translationibus quarto frigiditas fit, cum non conueniunt, aut quoniam ridicule, quibus Comici vtuntur, aut quoniam inflate nimis, ac tragice, aut quoniam obscure, quia remotiores, vt Gorgias: Virides res, atque exangues, quas turpiter seminasti, & perperam messuisti. Hoc enim valde poeticum est. Et vt etiam Alcidamas philosophiam vallum legum, atque fossam appellat. Odysseam vero pulcherrimum humanæ vitæ speculum, nihilque tale poesi ludicrum afferens. Cuncta enim hæc parum credibilia, propter ea, quæ dicta sunt. Illud autem Gorgiæ in hirundinem, cum super eum volans, stercus emisit, optime ac tragice dictum est. Dixit enim, Aui quidem philomenæ, si id fecerit, turpe non est, virgini autem turpissimum. Recte igitur obiurgauit, quoniam non quod est dixit, sed quod fuit.*

4 Sed potest quæri, quando nam debeat orator vti verbis compositis, & cui scriptionis generi tum verba composita, tum dialecti, ac nomina prisca, tum etiam metaphoræ maximè accommodentur. Respondet Aristoteles ad primum quæsitum, quod sicut homines in familiari sermone tum solent nomina componere, cum id, de quo agitur, caret proprio nomine simplici, & nomina facile iungi possunt, ideoque vtuntur dictione composita χρονοτριβεῖν, quæ significat terere tempus; sic concur-

currentibus his duabus circumstantijs, possunt etiam oratores cum laude vti dictionibus compositis, dummodo id non faciant crebrius, quam par est: si enim crebrius vtantur vocum compositione, efficient orationem poeticam. Ad secundum quæsitum respondet, quod dictiones compositæ maximè accommodantur Dithyrambis. Cum enim Dithyrambus sit carmen strepitus plenum, congruunt illi voces compositæ, quæ sunt valde sonoræ. Nomina prisca, ac Dialecti accommodantur epicis. Cum enim carmen Epicum sit grande, ac superbum, requirit nomina prisca, & externa, quæ præferunt quamdam granditatem. Demum translationes maximè accommodantur Iambis, quia imitantur consuetum modum loquendi, in quo solemus vti translatis.

5 Quarto demum elocutio potest reddi frigida propter translationes. Possunt enim translationes esse indecoræ, vel quia mouent ad risum, quales sunt quibus vtuntur comici, vel quia sunt nimis grandes, ac nimis tragicæ. Præterea possunt esse obscuræ, si desumantur ab aliquo nimis remoto, qualis fuit translatio, qua vsus est Gorgias dicens quædam negotia esse pallida, & sanguinea. Illud etiam: *tu verò hæc turpiter seminasti, malè autem messisti*, nimis est poeticum. Poetica etiam videntur illa Alcidamantis, quibus philosophiam vocat propugnaculum legum; Odysseam appellat pulchrum humanæ vitæ speculum; ac dum dicit nullum tale ἄθυρμα, id est lusus poesi est vtile: nomen enim ἄθυρμα, & est priscum, vt dictum est num.3. & præterea est translatum translatione nimis longe petita. Quia igitur omnia hæc sunt minus accommodata ad persuadendum propter rationem allatam cap. 2. num. 5. ideo in soluta oratione ab his est abstinendnm. Concludit Aristoteles illud Gorgiæ in hirundinem, quæ in ipsum dimiserat stercus, pulcherrimè, ac Tragicè fuisse dictum. Conuersus enim ad hirundinem dixit: *Turpe sane ò Philomela*. Si enim id dixisset aui vtens nomine auis, fuisset frigidum, siquidem non est turpe aui stercus dimittere in transeuntes: sed quia transtulit sermonem ad Philomelam virginem, quæ iuxta fabulam mutata est in auem, dictum fuit pulcherrimè.

De similitudine, siue imagine. Cap. IV.

1 *IMago etiam translatio est: parum enim à translatione differt. Nam cum Achillem, vt Leonem irruisse poeta dicit, Imago est: cum vero Leonem, Translatio. Nam quoniam vterque viribus excellit, Achillem traducendo Leonem appellauit.*

2 *Accommodantur autem imagines orationi etiam solutæ, sed rarius. Poeticum enim id est. Ducuntur vero sicut translationes. Non enim ab eis differunt, vt dictum est.*

1 SImilitudines, siue imagines sunt quædam translationes, ac solum differunt ex modo, quo proferuntur. Si enim de Achille dicas, quod vt leo in hostes irruit, est similitudo, siue imago: si autem voces Achillem Leonem, ac dicas Græcorum Leonem irruisse in Troianos, est translatio, in qua nomen Leonis transfertur ad Achillem propter similitudinem, quam Leo habet cum Achille in fortitudine. Cum igitur tanta inter translationes, ac similitudines detur affinitas, postquam egimus de translationibus, subiungenda sunt aliqua de similitudinibus, siue imaginibus.

2 Vtilis aliquando in soluta oratione est similitudo, non minus, quam translatio, sed non sunt frequenter adhibendæ, quia magis propriæ sunt poetarum. In similitudinibus autem eliciendis seruandæ sunt eædem regulæ, quas de translationibus tradidimus cap. 2. num. 7: siquidem similitudines sunt quædam translationes differentes solum ex modo proferendi.

3 *Sunt igitur imagines in soluta oratione, vt apud Androtiona in Idriea, similem ipsum esse canibus modo solutis. Nam illæ procidentes mordent, & Idrien ex vinculis solutum infestum esse. Et vt Theodamas Archidamum Euxeno Geometriam ignoranti conferebat, & ex proportione: erit enim Euxenus Archidamus geometricus. Et in Republica Platonis: qui mortuos spoliant, eos canibus similes esse, quæ lapides mordent, & proijcientes non tangunt. Et in plebem, gubernatori similem ipsam esse, robusto quidem, sed subsurdo. Illud quoque in carmina poetarum, formosis*

sit absque pulchritudine similia esse. Nam & illi cum defloruerint, & hæc soluto numero, longe alia, quam fuerint, esse videntur. Et Pericles in Samios, similes ipsos esse pueris, qui panem accipiunt, sed plorantes. Et in Bœotios, quòd ilicibus similes essent. Nam ilices inter seipsas frangi, atque dirumpi, & Bœotios aduersus seipsos pugnantes. Item Demosthenes in plebem, quòd similis nausea laborantibus sit. Et Democrates oratores nutricibus conferebat, quæ deglutientes cibum, saliua pueros inungunt. Antisthenes etiam Cephisodotum tenuem thuri parem esse dixit, quoniam contritum delectet.

4 *Nam hæc omnia, & vt imagines, & vt translationes dicere licet. Quare quæcunque vt translationes dicta probantur, omnia etiam imagines erunt, & imagines translationes erunt ratione indigentes. Verum oportet translationem, quæ ex proportione ducitur, & ad utranque partem, & in ijs, quæ sunt eiusdem generis, reddere: vt si phiala Liberi patris scutum est, commode quoque scutum ipsum Martis phiala dicetur. Oratio igitur ex ijs componitur.*

3 Plura similitudinum, siue imaginum exempla Aristoteles affert. Primum est Androtij, qui de quodam Idrieo, qui ex vinculis, & carcere liberatus, omnibus erat molestus, dixit eum similem esse canibus. Sicut enim canes, cum ex vinculis soluuntur, omnes mordent, sic Idrieus ex carcere liberatus, omnibus negotium facessebat. Secundum exemplum est Theodomantis, qui dicebat Archidamum similem esse Euxeno, sed Geometriam nescienti. Sicut enim Euxenus erat nequissimus, sed Geometriæ peritus, sic Archidamus erat similis Euxeno in nequitia, sed non in Geometriæ peritia. E conuerso potuisset dici Euxenum esse similem Archidamo, sed Geometriæ perito. Tertium exemplum est Platonis, qui in lib. 5. de Rep. dixit, eos milites, qui tempore pugnæ loco irruendi in viuos, spoliant cadauera mortuorum, similes esse canibus, qui lapides in eos iactos mordent, dimissis ijs, qui iecerunt. Quartum est eiusdem, qui lib. 6. de Repub. dixit populum, qui cum Respublica periclitatur, non percipit monita prudentium, similem esse Nauclero robusto, sed surdastro, qui tempore tempestatis non percipit monita bene consulentium circa salutem nauis, adeoque sinit nauim iactari, ac perire. Quintum exemplum est eiusdem Platonis, qui lib. 10. de Rep. dixit versus poetarum esse similes adolescentibus venustis, sed non pulchris. Sicut enim illi cum defloruerint non videntur ijdem, sic carmina cum dissoluta fuerint, non videntur eadem, ac nihil retinent pulchri. Sextum exemplum est Periclis, qui dixit Samios, qui beneficia sibi conlata accipiebant, sed tristes, similes esse infantibus, qui cibum accipiunt flentes. Septimum exemplum est eiusdem Periclis, qui dixit Bœotios similes esse ilicibus. Sicut enim Ilices, dum vento agitantur, se mutuo contundunt, sic Bœotij inter se mutuo pugnabant. Octauum exemplum est Demosthenis, qui dixit populum Atheniensem, qui omnia fastidiebat, similem esse nauigantibus nausea laborantibus. Nonum exemplum est Democratis, qui dixit oratores, qui magna commoda, & lucra sibi acquirentes, parua vtilitate populum afficiebant, similes esse nutricibus, quæ cibum absorbentes, saliua infantes aspergunt. Decimum exemplum est Antisthenis, qui dixit Cephisodotum virum populo infensum, qui paulatim consumebatur macie cum magno gaudio populi, similem esse thuri, quod dum consumitur, affert iucunditatem.

4 Addit Aristoteles, quod omnes allatæ similitudines possent etiam afferri vt translationes. Omnes igitur translationes probatæ mutari possunt in similitudines, siquidem similitudines nihil aliud sunt, quam translationes, in quibus additur particula *vt*, vel alia æquiualens ad exprimendam similitudinem, quam habent cum re, ad quam transferuntur. Porro translationes fundatæ in proportione necesse est, vt possint conuerti, quod idem accidit, cum nomen vnius speciei tribuitur alteri speciei contentæ sub eodem genere: ex. gr. si propter proportionem potest dici, poculum esse clypeum Bacchi, potest etiam dici è conuerso clypeum esse poculum Martis. Et hæc de ijs, ex quibus oratio componitur, dicta sunt.

De prima virtute eloquutionis, quæ est vt sit emendata; ac de requisitis ad elocutionem emendatam. Cap. V.

1 *INitium autem eloquutionis Latinitas est, quæ in quinque fundatur. Primum in coniunctionibus, cum sicuti flagitant prius, aut posterius alteram reddi ad alteram, sic collocantur: veluti ad ipsum Quidem, Vero, vel Autem consequitur. Oportet autem ita eas collocare, vt facile memoria teneantur, & neque longo interuallo redire, neque coniunctionem aliam prius, quam necessariam reddere: quod tamen, quamuis rarius, commode fit, hoc pacto. Ego vero postea quam mihi nunciatum est (venit enim Cleon rogans, atque orans) profectus sum, mecum eos accipiens. Nam hic multæ ante redditionem interiectæ sunt coniunctiones. Quòd si longior interpositio fiat, obscura erit oratio. Primum igitur coniunctiones bene disponantur.*

POstquam Aristoteles egit de ijs, ex quibus componitur eloquutio, descendit ad agendum de ipsa eloquutione, ac de eius virtutibus. Et quia prima virtus elocutionis est, vt sit emendata: secunda vt sit grandis, ampla, ac magnifica: tertia vt sit decora quarta vt sit numerosa: quinta vt sit periodica: sexta vt sit vrbana: septima vt habeat energiam, per quam res ante oculos ponat, ideo de his elocutionis virtutibus seorsim pluribus capitibus disputat, ac deinde examinans, qualis elocutio conueniat singulis generibus dicendi, concludit tractatum de elocutione.

1 Primo igitur ad eloquutionem requiritur, vt sit emendata, ita vt si loquamur Græcè seruemus regulas græcè loquendi, si loquamur latinè, seruemus regulas latinè loquendi. Ad hoc, vt loquutio sit emendata, requiruntur quinque. Primum spectat ad coniunctiones: (nomine coniunctionis comprehendit Aristoteles etiam propositiones, articulos, & cæteras partes orationis, quæ distinguuntur à nomine, & verbo.) Circa coniunctiones igitur duo sunt obseruanda. Primum est, vt coniunctiones disponantur, sicut earum natura postulat, ita vt quæ debent antecedere, præponantur, quæ debent subsequi postponantur. Ex. gr. quia istæ duæ coniunctiones *quidem*, *verò* ita sibi mutuo debent correspondere, vt *quidem* præcedat, *verò* sequatur, & ita vt vtraque non anteponatur, sed postponatur nomini, ideo ad hoc, vt emendatè loquamur, debemus id seruare. Qui igitur dicit: *Ego quidem interrogaui, ille verò respondit*, loquitur emēdatè; qui autem diceret, *quidem ego interrogaui, verò ille respondit*, loqueretur inemendatè, sicut loqueretur etiam inemendatè, qui diceret: *ego verò interrogaui, ille quidem respondit*. Secundum, quod circa coniunctiones obseruari debet, est, vt coniunctiones, quæ sibi mutuo respondent, non nimis distent inter se, nec inter illas tam multa interponantur, vt cum redditur coniunctio priori respondens, iam exciderit è memoria prior coniunctio. Ratio est, quia separatio coniunctionum causat obscuritatem, ideoque raro admodum inter coniunctiones interponendum est aliquid non necessarium. Contra hoc præceptum peccauit, qui dixit: *Ego verò postquam mihi rem narrauit, venit enim Cleon rogans, & obsecrans, profectus sum, cum assumpsissem eos*. Cum enim ad ly *ego verò* referatur *profectus* sum, plura interposuit, ex quorum interpositione oritur obscuritas. Circa coniunctiones igitur hæc sunt obseruanda.

2 *Deinde, proprijs dicendum vocabulis, & non per circuitiones.*

3 *Tertio, non ambigue, nisi consulto ita quispiam faciat: quod faciunt, qui cum nihil habent dicere, aliquid tamen se dicere simulant: vt in poesi fit, & Empedocles facit. Decipit enim circuitio, cum crebra sit, ac ita auditores afficiuntur: sicut multi cum ambigua oracula audiunt, annuunt. Crœsus cum Halyn traiecerit, magnum delebit principatum. Et omnino quoniam minor committitur error, idcirco rem in genere, qui vaticinantur, dicunt. Dicet enim forte aliquis verum magis in ludo, paria, vel imparia dicens, quam quot: & magis quod hoc erit, quam quando. Quocirca aruspices non determinant quando. Hæc ergo omnia, hisque similia fugienda, nisi quis studio faciat.*

4 *Quarto vt Protagoras nomina generum distribuebat, masculina, fœminina, vascula.*

ſcula. Nam hæc quoque rectè oportet reddere. Sic progreſſa, collocutaque prætesſit.

2 Secundum, quod ad emendatam loquutionem requiritur, eſt, vt res proprijs nominibus appellemus, nō autem circumſcribamus ipſas per nomina generica, & communia.

3 Tertium eſt, vt non vtamur vocibus ambiguis. Ratio vtriuſque præcepti eſt, quia tum circumſcriptio rerum per nomina communia, & generica, tum vſus vocum ambiguarum orationem reddunt obſcuram. Tum igitur ſolum oratores, & poetæ de induſtria poſſunt vti circuitu nominum communium, & vocibus ambiguis, cum nihil habent quod dicant, & tamen videri volunt Auditoribus aliquid dicere, vt ſæpe facit Empedocles. Ratio, cur in hoc caſu ſit vtilis circuitus verborum, ac voces ambiguæ eſt, quia tum Auditores decipiuntur, & annuunt dicenti, etiamſi non ſatis intelligant, eo pacto, quo homines vulgares annuunt Ariolis ambigua dicentibus, ſicut Crœſus fidem præſtitit oraculo ambigua loquuto per illud carmen. *Crœſus Halym penetrans magnam peruertet opum vim*: quod cum æque poſſit intelligi *peruertet vires hoſtium*, ac *peruertet vires ſuas*. Crœſus ita eſt interpretatus, quaſi oraculum dixiſſet, *peruertet vim hoſtium*. Ratio, cur cum non habentes, quid dicamus, debeamus vti vocibus genericis eſt, quia ſi vtamur vocibus genericis, exponimur minori periculo dicendi falſum: ex. gr. qui ludit ludo paris, atque imparis, minus exponitur periculo errandi, ſi ſolum dicat numerum eſſe parem, vel imparem in genere, quam ſi determinet, quis numerus ſit, vtrum binarius &c. Et ſimiliter qui prænunciat aliquid eſſe futurum, minus exponitur periculo errandi, ſi ſolum dicat illud eſſe futurum, quam ſi determinet tempus, quo eſt futurum; ideoque Harioli prænunciantes futura non determinant tempus, vt minus exponantur periculo errandi. Vitanda igitur ab oratore ſunt nomina generica, & ambigua, niſi de induſtria cogatur illis vti in caſu aſſignato, vt explicatum eſt.

4 Quartum, quod ad emendatam loquutionem requiritur, eſt, vt quandoquidem ex doctrina Protagoræ nomina diuiduntur in maſculina, fæminina, & neutra, quæ ſolent ſignificare vaſa, & inſtrumenta, hæc ſibi rectè concordent, ita vt maſculinis reddantur maſculina &c. Ex.gr. dicendum eſt *illa verò reuerſa, & colloquuta diſceſſit*: qui verò diceret *illa verò reuerſus &c.* peccaret.

5 *Quinto, vt multa, & pauca, & vnum rectè dicantur, vt, illi profecti hominem pulſarunt.*

6 *Vniuerſaliter autem oportet legibile eſſe, quod ſcriptum eſt, & dictu facile, quod idem eſt. Id autem multæ coniunctiones non habent, nec ea, quæ non facile diſtinguuntur: veluti quæ Heraclitus ſcripſit, quæ quoniam non patet priori ne, an poſteriori quicquam accommodetur, diſtinguere arduum eſt, veluti ſtatim in ipſo initio libri. Ait enim: verbi, quod eſt ſemper imprudentes homines ſunt. Dubium enim eſt vtri ſemper attribuendum ſit.*

7 *Præterea incongrua fit oratio, cum non reddideris, niſi coniunxeris vtrique congruentia, vt ſonum, aut colorem videre quidem commune non eſt, ſentire vero.*

8 *Obſcurum autem etiam cum dicis non apponendo, ſed multa interſerendo, hoc pacto: conſtitui enim, cum tecum hæc, atque hæc, & ſic collocutus eſſem, proficiſci: ſed non hoc pacto: conſtitui enim proficiſci, ſi hæc, & ſic collocutus eſſem.*

5 Quintum eſt, vt quandoquidem apud Græcos in nominibus, ac verbis diſtinguũtur numerus ſingularis, dualis, & pluralis, etiam hi rectè ſibi reſpondeant, dicendo ex. gr: Illi verò *reuerſi verberarunt me*, non autem *illi verò reuerſus*.

6 Addit Ariſtoteles primo vniuerſaliter ad emendatam orationem requiri, vt poſſit facile legi, ac pronunciari. Sed explicandum, quæ neceſſaria ſint ad hoc, vt oratio poſſit facile legi, & pronunciari. Primo oratio non debet abundare multis coniunctionibus: ſecundo debet poſſe facile interpunctionibus diſtingui. Illa ſiquidem oratio, in qua non apparet, quo pacto debeat interpunctionibus diſtingui, qualis eſt oratio Heracliti, eo ipſo difficile pronunciatur, & legitur. Quod autem in oratione Heracliti non appareat, quænam coniungenda ſint parti priori, vel poſteriori, adeoque quo pacto ſit interpungenda, patet ex ipſo libri initio. Sic enim incipit: *Rationis, quæ eſt ſemper imperiti homines*

mines sunt: in qua oratione non apparet, an ly *semper* pertineat ad partem priorem, & sensus sit, quod homines sunt imperiti eius rationis, quæ semper est, an spectet ad partem posteriorem, ac sensus sit, quod homines semper sunt imperiti rationis, quæ est.

7 Addit secundo aliquando in oratione committi solœcismum, cum duabus vocibus non reddimus duas alias voces singulis conuenientes, sed vnicam, quæ vni tantum congruat. Ex. gr. incongruè loqueretur, qui diceret, *strepitum, & colorem videns*: solus enim color videtur, strepitus non videtur, sed auditur: si verò diceret, *strepitum, & colorem sentiens*, loqueretur congruè, quia sentimus tum colorem, tum strepitum.

8 Addit tertio, quod quia si inter vnā partem orationis, & aliam, quæ illi respōdet, multa interijciantur, oratio redditur obscura, ideo ad vitandam obscuritatem, primæ parti orationis subiungenda est immediatè pars, quæ illi respondet, ac deinde cætera subiungenda. Ex. gr. si quis dicat, *debebam loquutus cum ipso hæc, & hæc, & sic &c. proficisci*, oratio erit obscura: ad vitandam obscuritatem dicendum; *debebam proficisci loquutus hæc, & hæc*.

De secunda virtute elocutionis, quæ est, vt sit grandis, ac magnifica; ac de ijs, quæ faciunt elocutionem grandem, ac magnificam, vel tenuem, atque concisam. Cap. VI.

1 *Eloquutionis vero amplitudinem hæc faciunt, si ratione nominis loco vtaris: veluti si non circulum, sed superficiem dicas, in qua medium ab extremis æqualiter vndique distat. Cuius contrarium ad breuitatem confert, si pro ratione nomen.*

2 *Similiter si turpe, aut indecorum. Nam si rationi turpitudo inest, nomen: si vero nomini, rationem dicas.*

3 *Si translationibus, & epithetis significes, modo ne vt poeticum genus incidas.*

4 *Si multa pro vno ponas, vt poetæ faciunt. Nam & si vnum velint significare portum, dicunt tamen portus in Achaicos.*

Secunda virtus elocutionis est, vt sit ampla, grandis, atque magnifica: elocutioni autem grandi, atque magnificæ opponitur elocutio tenuis, humilis, atque concisa. Explicandum igitur est, quæ conducant ad reddendam elocutionem grandem, atque magnificam, vel ad illam efficiendam tenuem, atque concisam.

1 Primo ad faciendam orationem grādem, atque magnificam conducit, vt loco nominis vtamur definitione, seu descriptione: ad reddendam verò orationem tenuē, & concisam conducit, vt loco definitionis vtamur nomine. Ex. gr. si quis loco nominandi circulum, nominet figuram planā, in qua omnes lineæ à medio ad circumferentiam ductæ sunt æquales, faciet orationem magnificam; si autem è conuerso loco definitionis ponat nomen, faciet orationem tenuem, atque concisam.

2 Secundo ad faciendam orationem magnificam nihil debet dici indecorum, ac turpe. Ideo si nomen sit turpe, circumscriptio autem rei significatæ per nomen non sit turpis, loco nominis debemus vti circumscriptione: si rei descriptio sit turpis, nomen autem non sit turpe, loco descriptionis vtendum est nomine.

3 Tertio augetur etiam oratio, si res translationibus, atque epithetis declaremus, dummodo elocutio non euadat poetica.

4 Quarto iuuat ad orationis granditatem, vt loco numeri singularis vtamur plurali, vt etiam poetæ faciunt, dum licet de vnico portu loquantur, vtuntur numero multitudinis, ac dicunt nauim appulisse ad portus Achaicos; & loco nominandi complicationem epistolæ, dicunt complicationes epistolarum.

5 *Si non connectendo dicis, vxoris nostræ, vxoris tuæ: e contra vero breuiter, nostræ tuæque vxoris. Item si cum coniunctione dicis. Sin vero breuiter absque coniunctione, sed non inconnexa, hoc pacto: & profectus, & alloquutus illum sum: profectus, alloquutus illum sum.*

6 *Præterea si quæ non sunt, ea dicis: quod de Teumesso facit Antimachus. Medicus quidam ventosus collis. In infinitum enim sic amplificatio fit tam in bonis quam in malis. Est igitur in vtroque conducibile, si quomodo non habet dicis. Qua ex re verba etiam poetæ deducunt, vt aliud, bar-*

harmoniam infidem, & alyram. Priuatiua enim inferunt. Quod maxime in translationibus, quæ ex proportione sumuntur, probari solet: vt si quis tubam esse dicat canum infidem.

5 Quinto oratio fit grandis, si quæ possemus coniungere seiungamus; & è conuerso fit tenuis, & concisa, si quæ possemus seiungere coniungamus: ex. gr. si dicamus *iniuria affecit mulierem, & meam uxorem*, oratio est grandior: *si verò dicamus iniuria affecit mulierem meam vxorem*, oratio est tenuior, magisque concisa. Similiter grandior est oratio, si dicamus, *& profectus, & locutus est*; quam si dicamus *profectus locutus est*.

6 Sexto vtile est ad orationem augendam explicare ea, quæ res non habet, vt facit Antimachus loquens de Teumesso, mõte quodam paruo. Incipit enim: *est quidam ventosus, paruus collis*; ac pergit explicando multa, quibus Teumessus caret. Quia verò infinita sunt, quibus caret vnaquæque res, ideo hac via oratio potest augeri in infinitum. Addit Aristoteles, quod hac via orationem augendi possumus vti tum in bonis, tum in malis. Cum enim orationem habemus laudatoriã, possumus illam augere explicando mala, & defectus, quibus res caret: cum verò habemus orationem vituperatoriam, possumus illam augere explicando bona, quæ rei desunt. Ideo etiam poetæ aliquando describunt rẽ per negationem, vt cum dicunt sonum tubæ esse concentum achordon, & alyrum, hoc est factum sine chordis, ac lyra. Cum autem aliquod nomen transfertur ad aliquam rem propter proportionem, & analogiam, tum valdè opportunè determinatur per negationem: ex. gr. si sono tubæ applicemus nomen concentus, congruè vocamus talem sonum concentum achordon, & alyrum.

De tertia virtute elocutionis, quæ est, vt sit decora, & de ijs, quæ requiruntur ad reddendam orationem decoram. Caput VII.

1 *DEcorum autem erit in eloquutione, si affecta erit, & morata, & rebus accommodata.* * *Accommodata vero erit,*
2 *si non sit humilis in rebus magnis, nec in paruis ampla, neque humili verbo insit ornatus. Comica enim videtur, vt apud Cleophontem, venerabilis ficus.*

3 *Affecta vero, vt cum contumeliamur iratorum dicto: cum impia, turpiaque dicuntur, moleste quasi & caute dicere: cum laudabilia, cum admiratione: cum miserabilia, humiliter: & in alijs similiter. Hæc enim accommodata dictio rem verisimilem reddit. Nam cum auditores sic se habere homines in huiusmodi rebus considerent, decipiuntur. Quare quanquam non ita sit, vt orator dicit, putant tamen sic esse. Similiterque semper audientes afficiuntur, ac ille, qui affectus dicit, etiam si non vere dicat. Quocirca multi clamantes terrent auditores.*

4 *Verum comprobatio quoque à signis, morata est. Sequitur enim si accommodata est, genera singula, atque habitus. Dico autem genus, ætate, sexu, natione, vt puer, vir, senex, fœmina, Lacedæmonius, Thessalus. Habitum autem, secundum quem qualis quidam in viuendo est. Non enim secundum omnem habitum vita qualis quædam est. Si igitur habitui verba accommodantur, moratum dicendi faciet genus. Non enim eadem, nec eodem modo indoctus, & doctus dicet.*

1 TErtia virtus elocutionis est, vt sit decora. Ad hoc, vt oratio sit decora, requiruntur tria. Primum est, vt sit pathetica, seu affecta: secundum est, vt sit morata: tertium est, vt sit accommodata, ac proportionata rebus, de quibus agitur. Sed explicandum est, quid sit orationem esse accommodatam rebus, affectam, atque moratam.

2 Primo ad hoc, vt oratio sit accommodata rebus, de quibus agitur, requiritur, vt neque de rebus grandibus, atque magnificis loquamur humiliter, ac demissè, neque de rebus humilibus, atque tenuibus loquamur amplè, atque magnificè, adeoque nominibus significantibus res viles non addamus epitheta ornata, & grandia. Qui contra hoc præceptum peccat, non tam videtur scribere orationem seriam, quam ridiculam comœdiam, vt facit Cleophon, qui in rebus tenuibus ornandis ita est intemperans, vt multa dicat, quæ videntur talia, ac si quis ficum vocaret venerandam.

3 Se-

3 Secundo oratio affecta consistit in eo, vt quis vtatur loquutione proportionata affectibus, quos exprimit. Ex.gr. cum quis agit de contumelijs mouentibus ad iram, debet vti oratione tali, qualis solet esse oratio irati; si commemoret turpia, & impia, quæque mouent ad indignationem, debet loqui indignabundè, ac timidè, quasi nec audeat tam nefanda effari; si narrat laudabilia, quæque admirationem excitãt, debet loqui admirabundè; si exponat miserabilia, quæque ad miserationem mouent, debet vti oratione humili, qualis solet esse oratio miserorum: idemque dic de alijs. Porro oratio affecta, & accommodata rebus, de quibus agitur, habet etiam magnam vim tam ad persuadendum, quam ad excitandos affectus in animis Auditorum. Ratio, cur habeat vim persuadendi est, quia cum auditor videt oratorem narrare indigna indignabundè, miserabilia miserabiliter, & vniuersim res eo pacto, quo homines solent illas exponere, cum talia illis acciderunt, decipitur, & putat oratorem verè hæc narrare, etiamsi non verè narret. Ratio, cur habeat vim excitandi affectus in auditore est, quia auditor afficitur eo pacto, quo videt oratorem affici: puta si videt oratorem indignari, indignatur, etiamsi orator nihil dicat, quod possit mouere ad indignationem, ideoque videmus, quod aliqui clamoribus commouent Auditores, & tumultum quemdam excitant.

4 Tertio vt explicetur, quid sit oratio morata, præmittendum est, quod sicut homines differunt inter se tum genere, seu cõditione, tum etiam habitibus, ita habere solent diuersam orationem, ac diuersum modum loquendi vnicuique generi, vel habitui proportionaliter respondentem; ex quo oritur, vt oratio, seu modus loquendi sit signum generis, & habitus. Genera hominum differunt vel ætate, vt puer, vir, ac senex; vel sexu, vt mulier, ac vir; vel patria vt Lacon, ac Thessalus. Habitus differunt secundum varios modos viuendi, secundum quos alius est agricola, alius opifex, alius miles, alius fur, alius liberalis, alius auarus. Proportionaliter alia solet esse oratio pueri, alia viri, alia serui, alia mulieris, alia Thessali, alia Lacedæmonij: alia agricolæ, opificis, militis &c. Neque enim eadem dicet agricola rudis, ac vir disciplinis expolitus. Oratio igitur erit morata, cum erit accommodata vnicuique generi, vel habitui.

5 *Verum auditores ea quoque re afficiuntur, qua scriptores nimium vtuntur: quis nescit, quæ nemo ignorat? Nam cum sic dicitur, quasi vereantur auditor, ne solus ignarus eius rei sit, quam omnes sciunt, annuit. Opportune vero, aut e contra his vti omnium generum commune est.*

6 *Verum in omni excessu illud remedio est, quod vulgo fertur. Oportet enim, vt quisque seipsum castiget. Sic enim fit, vt quod dicitur, verum esse videatur. Nec tamen dicentem latebit, quid sit, quod hoc faciat.*

7 *Præterea si omnibus simul congruentibus vtaris. Sic enim auditor decipitur. Dico autem veluti si aspera verba sint, voce, ac vultu, ac cæteris sic vtendum, vt congruant. Nam aliter vnumquodque quale sit apparet. Si ergo aspere dicuntur lenia, & aspera leniter, nullam habent veri similitudinem.*

8 *Composita vero verba, si plura sunt, & epitheta, & inusitata, ex affectu dicenti congruunt. Ignoscimus enim irato, si malum quid inauditum, incredibile, montisque instar dicat, & tunc maxime quando iam commouit auditores laude, ac vituperatione, odio, aut amore: quod Isocrates in Panegyrico facit circa finem. Fama vero, atque sententia, & si qui passi sunt. Similia enim dicunt omnes commoti: quare similiter dispositi hæc libenter audiunt. Idcirco poesi quoque congruunt. Commoti enim poetæ quoniam furore aguntur. Aut ergo sic oportet, aut illudendo, sicuti Gorgias faciebat, & sicut se habent, quæ in Phædro sunt.*

5 Explicata oratione affecta, morata, & rebus accommodata, subdit Aristoteles aliqua præcepta ad hæc pertinentia. Primum præceptum est: vtile est ad afficiendos auditores ita, vt sibi finant persuaderi quæ dicuntur, vti illa figura, quam nimis frequenter vsurpant Isocrates, & alij, qui orationes scribunt, ac dicere: *quis hoc non intelligit? nonne id omnibus est peruulgatum?* Ratio est, quia auditores pudore affecti, ne soli videantur ignorare, quod omnibus est notum, fatentur id esse verum. Possumus tamen his modis dicendi, sicut & alijs vti opportunè, vel importunè, ita vt modum excedamus, vel non excedamus.

6 Se-

6 Secundum præceptum est: cum videmur dicere aliquid Hyperbolicum, ac supra fidem, remedium est illud passim decantatum, vt hoc ipsum nobis objiciamus, ac nos ipsos reprehendamus, quasi incredibilia dixerimus: deinde verò confirmemus id, quod primo aspectu videtur incredibile esse verum. Tum enim auditores putant id esse verum, siquidem licet videatur incredibile, incredibilitas non latuit dicentem.

7 Tertium præceptum est: quia periculum est, ne si vocem, vultum, gestum, & omnia accommodemus rebus, quas dicimus, manifesta fiat ars, adeoque amittamus fidem apud auditores, non debemus omnia accommodare rebus, sed aliqua debemus negligere: sic enim latebit ars. Quædam tamen sunt, quæ semper debent accommodari rebus: ex. gr. lenia semper debemus dicere leniter, aspera semper debemus dicere asperè; nam si aspera dicamus leniter, vel lenia asperè, eo ipso oratio erit inepta ad persuadendum.

8 Quartum præceptum est: licet ex dictis hoc lib 3. cap. 2. num. 6. in soluta oratione raro sit vtendum nominibus peregrinis, priscis, & compositis, ac raro addenda sint epitheta, adhuc hæc possunt liberalius adhiberi in oratione pathetica, atque affecta. Ratio est, quia qui affectibus concitantur solent his vti. Si igitur orator excandescens ira vocet malum cælum attingens &c. meretur veniam. Ex eadem ratione possumus his vti, cum iam quemdam furorem auditoribus iniecimus, laudando, vel vituperando, ad iram, vel ad amorem excitando, vt fecit Isocrates in Panegyrico prope finem ab ijs verbis: *Famam autem, & memoriam*. Ratio est, quia sicut furore homines perciti hac fanatica ratione loquendi vtuntur, sic libenter audiunt oratorem eadem vtentem. Quia vero poesis est diuina, ac sacro furore concitatur, ideo poetæ cum laude hanc dicendi formam vsurpant. Hoc igitur loquendi modo vtendum est in casibus positis, vel cum loquimur Ironicè, ac fingimus nos sacro furore afflatos, vt faciebat Gorgias, & vt in Phædro facit Socrates apud Platonem.

De quarta virtute elocutionis, quæ est, vt sit numerosa, & qualis numerus conueniat solutæ orationi. Cap. VIII.

1 *Figura igitur orationis illa maxime probatur, quæ nec metrica est, nec sine numero. Alterum enim non verisimile fit, cum fictum esse videatur, & simul distrahit auditorem, cum attendere faciat,*
2 *quando rursus simile dicetur:* * *sicut etiam præcones pueri præueniunt, illumque præoccupant, quem procuratorem eligit, qui Cleonem manumittit: alterum, quod sine numero est, interminatum est. Verum terminari quidem oportet orationem, sed non metro. Infinitum enim, nec iucundum, nec cognoscibile est. Omnia vero numero terminantur. Numerus autem figuræ eloquutionis rhythmus est, cuius mensuræ decisiones sunt. Quare numerum quidem habebit oratio, metrum vero non habebit, ne poema sit: numerum quoque non omnino exquisitum: quod erit, si ad aliquid vsque insit.*

QVarta virtus orationis est, vt sit numerosa. Vt de hac orationis virtute Aristoteles agat, primo ostendit solutæ orationi neque conuenire metrum, neque vt omnino sit expers numeri: secundo examinat, qui nam numerus potissimum congruat solutæ orationi: tertio explicat, qui nam numerus competat principio, qui nam competat fini, eo quod sit aptus ad orationem terminandam.

1 Quoad primum: forma orationis nec debet esse deuincta metris, nec debet esse expers numeri. Ratio, cur non debeat esse deuincta metris est, quia metrum consistit in hoc, vt oratio mensuretur certis mensuris pedum, ac syllabarum; sed ad hoc, vt oratio sit vtilis ad persuadendum, non debet esse alligata certis mensuris pedum, ac syllabarum; ergo &c. Probatur minor, quia locutio certis pedum mensuris adstricta videtur conficta; locutio verò ad persuadendum apta debet videri non ficta, sed naturalis. Confirmatur, quia vt locutio sit apta ad persuadendum, non debet vti ornamentis, quæ auocent auditorem ab eo, de quo agitur; sed locutio me-

metris deuincta auocat auditorem ad hoc, vt expectet numerum ſimilem priori ; ergo &c.

2 Explicatur exemplo. Sicut enim cum præcones populo promulgant ex. gr. aliquem ſeruum manumitti à domino, & eligere ſibi patronum, pueri iam ſcientes, quem manumiſſus elegerit in patronum, præconem præoccupant, ac clamant ex. gr. Cleonem ; ſic ſi oratio eſſet metrica, ac certis numeris deuincta, ſæpe auditores præoccuparent oratorem, ac præuiderent, quid deberet dicere. Ratio, cur oratio non debeat omnino eſſe expers numeri eſt, quia oratio carens numero eſt interminata, itaut non ſit in ſonis vlla ratio, cur debeat potius hic deſinere, quam continuari ; ſed omne interminatum eſt iniucundum ſenſui, & parum aptum cognitioni, ſiquidem facilius, ac delectabilius percipimus res terminatas, quam interminatas ; ergo &c. Maior probatur, quia ſoni terminantur certis proportionibus numerorum ; ergo ſi oratio careat numero, continebit ſonum quemdam interminatum. Cum igitur numerus alius ſit metricus, hoc eſt certis menſuris adſtrictus, alius ſit non metricus, qui poteſt vocari Rhythmus, oratio non debet habere metrum, alioquin erit poema, ſed debet habere Rhythmum, ac non debet habere Rhythmum omnino exquiſitum, ne videatur orator loqui fictè, ſed debet habere Rhythmum aliqualem.

3 *Numerorum autem heroicus, amplus, elegans, & egens harmoniæ. Iambicus vero ipſa oratio multorum eſt. Idcirco ex omnibus metris iambica ex tempore maxime dicunt. Sed opus eſt ampliorem orationem facere, ac vulgo alienam. Trochaicus autem tripudijs aptior. Quod ita eſſe tetrametra oſtendunt.*

4 *Reſtat etiam pæan, quo quaſi ſecreto à Thraſymacho incipientes vtebantur, ſed neſciebant dicere, quis eſſet. Tertius autem eſt pæan, qui ex prædictis conſtat. Sunt enim tria ad duo, cum alter illorum vnum ad vnum ſit, alter duo ad vnum. His igitur proportionibus ſeſquitertia conſtat: & hæc eſt pæan. Reliqui igitur, & propter ea, quæ dicta ſunt quoniam metrici, omittantur. Pæan vero ſumendus, in quo ſolo ex dictis numeris metrum non conſtat. Quare maxime latet.*

3 Quoad ſecundum: numeri nomine intelligitur proportio numerorum in vocibus ; ſed tres ſunt primæ proportiones numerorum : prima eſt proportio vnius ad vnum, quæ dicitur par : ſecunda eſt proportio duorum ad vnum, quæ dicitur dupla : tertia eſt proportio trium ad duo, quæ dicitur ſeſquialtera, & conſiſtit in hoc, vt maius contineat totum minus, & præterea dimidium ipſius, eo pacto, quo tria continent duo, & præterea vnum, quod eſt dimidium duorum ; ergo oratio numeroſa, vel poteſt procedere per voces, ſeu pedes habentes proportionem parem, vel per pedes habentes proportionem duplam, vel per pedes habentes proportionem ſeſquialteram.

Pedes heroici, hoc eſt dactyli, ac ſpondæi habent proportionem parem. Syllaba enim breuis continet vnum tempus, ſyllaba longa continet duo tempora ; ſed ſpondæus conſtat ex duabus longis ; ergo conſtat ex duabus ſyllabis menſuratis æquali tempore, adeoque habet proportionem parem : Dactylus conſtat ex tribus ſyllabis, prima longa, ſecunda, & tertia breui ; ſed ſyllaba longa continet duo tempora ; duæ ſyllabæ breues continent alia duo tempora ; ergo etiam dactylus conſtat ex tribus ſyllabis, quarum duæ poſteriores menſurantur æquali tempore, ac prima ſyllaba, adeoque etiam dactylus habet proportionem parem. Eamdem proportionem habet anapeſtus, qui eſt dactylus inuerſus, cum contineat duas primas ſyllabas breues, tertiam longam. Numerus igitur heroicus dactylorum, ac ſpondæorum propter ſuam æquabilitatem eſt maieſtate plenus, ſonorus, ac grandiloquus, atque eget harmonia, ideoque non eſt ſatis accommodatus ſolutæ orationi, quæ carere debet harmonia, ac debet eſſe minus ſonora, minuſque grandiloqua. Iambi, qui conſtant duabus ſyllabis, prima breui, ſecunda longa, iiſque oppoſiti choræi, ſiue trochæi, qui conſtant ex prima ſyllaba longa, ſecunda breui, habent proportionem duplam. Syllaba enim longa continet duo tempora, ſyllaba breuis continet vnum tempus ; ſed Iambi, & trochei conſtant ex ſyllaba longa, & breui ; ergo conſtant ex duabus ſyllabis, quarum vna habet ad alteram proportionem duorum ad vnum, adeoque habent proportionem duplam. Ex his numerus Iambicus eſt valde

de consuetus loquutioni familiari, ideoque loquutio multitudinis magna ex parte constat ex Iambis; ex quo oritur vt loquentibus nulli versus tam crebro excidant casu, quam Iambi; sed numerus conueniens solutæ orationi debet esse grandior, & grauior, quam numerus conueniens locutioni familiari vulgi; ergo neque numerus Iambicus est admodum accommodatus solutæ orationi. Trochæus, siue choræus est nimis lubricus, ac currens, ideoque dicitur ab Aristotele cordacior, eo quod sit proportionatus saltationi cuidam concitatiori, ac nullam grauitatem habenti, quæ dicebatur cordax. Quod autem numerus Trochaicus nimis sit concitatus, patet ex tetrametis, quæ quia magna ex parte constant ex trochæis, concitatissima sunt, ac pene currunt; sed orationis maiestati dissonat, vt vtatur numero tam concitato; ergo orationis maiestati non accommodatur numerus Trochaicus.

4 Sequitur pes, qui dicitur Pæan, eo quod adhiberetur in Hymnis Apollinis, qui Pæan dicebatur. Est autem pæan pes constans ex quatuor syllabis, vna longa, tribus reliquis breuibus. Si prima syllaba sit longa dicitur pæan primus; si secunda sit longa, dicitur pæan secundus; si tertia sit longa, dicitur pæan tertius; si quarta sit longa dicitur pæan quartus. Aristoteles porro hic distinguit solum pæanem primum, & quartum: alios duos omittit. Pæane primo in soluta oratione præsertim initio vsus est Thrasymachus, quem alij sunt sequuti: sed non potuerunt explicare, quænam esset natura huius numeri, & quam proportionem contineat, ideoque nobis enitendum est, vt id exponamus. Pæan igitur est pes ordine tertius, ac continens tertiam proportionem, hoc est sesquialteram, quæ est proportio trium ad duo. Ratio est, quia continet quatuor syllabas, vnam longam tres breues; sed syllaba longa continet duo tempora; tres breues continent tria tempora; ergo syllabæ breues habent ad syllabam longam proportionem trium ad duo; sed proportio trium ad duo est sesquialtera, & est tertia; ergo pæan continet proportionem sesquialteram, seu tertiam, ideoque ratione proportionis numeralis est tertius pes. Primo enim loco sunt spondæi, Dactyli, & Anapesti, qui continent proportionem parem vnius ad vnum: secundo loco sunt Iambi, ac choræi, seu trochæi, qui continent proportionem duplam duorum, ad vnum: tertio loco pæanes, qui continent proportionem sesquialteram trium ad duo. Positis his, cum Dactyli, Spondæi, & Anapesti, alijque numeri continentes proportionem parem non sint accommodati solutæ orationi, quia nimis sunt sonori, atque grandiloqui; Iambi, & Trochæi, alijque numeri continentes proportionem duplam non sint accommodati solutæ orationi, quia sunt minus sonori, atque grandiloqui, quam oporteret; proportio autem sesquialtera sit media inter parem, & duplam: sesquialterum enim magis excedit, quam par, & minus, quam duplum: sequitur, quod numerus pæan sit maximè accommodatus solutæ orationi, vt pote minus grandis heroico, sed grandior Iambico, ac granditate medius inter heroicum, & Iambicum. Confirmatur, quia in soluta oratione debemus vitare numerum metricum, ac debemus vti numero maximè apto ad latendum; sed numeri heroici, & iambici sunt metrici, & sunt ita manifesti, vt non possint latere; numerus autem pæanis non est metricus, ac potest latere; ergo præcipuè in soluta oratione debemus vti numero pæanis, licet etiam alios pedes possimus aliquando adhibere.

5 *Impræsentiarum itaque vno pæane incipientes etiam vtuntur. Sed oportet exitum à principio differre. Nam cum sint duo inter se opposita pæanis genera, vnum in quo prima producta est, quam tres breues sequuntur, Delogena Dianæ filia Iouis, principijs congruit, sicut & vtuntur. Alterum e contra, in quo tres præcedunt breues, vltima vero producitur: post terras, & aquas, Oceanumque rapit atra nox. Is igitur exitum facit incommodum. Nam breuis cum imperfecta sit, mancum facit, si vltima est. Oportet igitur producta dissepararе, vt finis manifestus sit, non propter scriptorem, nec propter compositionem, sed propter numerum. Quòd igitur non sine numero, sed numerosam oportet esse orationem, & qui sonorum faciunt numerum, & quo pacto dispositi, dictum est.*

5 Quoad tertium: iam vsitatum est apud Oratores, vt orationem inchoent à pæane primo, in quo nimirum prima syllaba est longa, reliquæ tres sunt breues, vt

patet in hoc initio laudationis Apollinis δαλογενὲς, ἢ ἴτε λυκίαν, vbi duo sunt pæanes: vocatur autem Apollo ex Delo genitus, & lyciam incolens. Idem etiam patet in hoc alio initio laudis in eumdem Apollinē χρυσεοκόμα ἑκατε παῖ Διός, hoc est Auricome ò Hecate nate Iouis, vbi etiā sunt duo pæanes; sed finis debet differre à principio, nam illi numeri, à quibus rectè incipit cursus orationis non sunt apti ad orationem sistendam, ac terminandam; ergo pæan quartus, cuius primæ tres syllabæ sunt breues, vltima est longa, erit aptissimus ad orationem terminandam: nam mora, quæ in vltima syllaba longa pronuncianda insumitur, idonea est ad sistendum, ac terminandum cursum orationis, vt patet in sequenti exemplo: humum, & aquā, & oceanum occuluit horrifera nox: vbi pæan *rifera nox*, in quo tres primæ syllabæ sunt breues, vltima est longa, optimè terminat cursum orationis. E conuerso syllaba breuis non bene terminat orationem, quia cum vnum solum contineat tempus, est imperfecta, ac quodammodo mutila, ideoque facit orationem mutilam; ergo oratio terminanda est per syllabam longā, adeoque perfectam, & aptam ad hoc, vt sua mora cursum dicendi abrumpat. Oportet igitur orationem terminari non interpunctione, ac signo scriptoris, sed ipso numero, ita vt ex numero aduertat auris orationem esse terminandam. Ostensum igitur est elocutionem debere esse numerosam, ac non expertem rhythmi: explicatū etiam est, qui nam rhythmi, & quo pacto se habentes efficiant orationem numerosam.

De quinta virtute elocutionis, quæ est, vt sit periodica; quid & quotuplex sit periodus. Caput IX.

1 *NEcessarium autem est, vel pendentem esse orationem, ipsaque coniunctione vnam, vt qui in dithyrambicis ambitus sunt, vel conuolutam, & priscorum poetarum antistrophis similem. Pendens igitur compositio, ac prisca Herodoti est Thurij: qua priores quidem omnes, nunc vero non multi vtuntur.*

2 *Dico autem pendentem, quæ nullum per se habet exitum, nisi res quæ dicitur, in exitum peruenerit, quæ insuauis est, quoniam infinita. Omnes enim finem conspicere volunt. Quocirca etiam in calce expirant, ac resoluuntur. Non enim fatigantur, cum calcem prospiciant. Pendens igitur talis compositio est.*

3 *Conuoluta vero, quæ circuitibus effertur. Circuitum autem, idest Græcè περίοδον, appello compositionem, quæ ipsa per seipsam principium habeat, & finem, magnitudinemque mediocrem: quæ compositio suauis, atque dilucida est. Suauis quidem, quoniam interminato contraria est, & quoniam semper aliquid se habere auditor putat, cum sibi aliquid semper terminatum sit. Nam cum nihil præuideatur, nec expediatur, iniucunda compositio est. Dilucida vero, quoniam memoria facile retineatur, quod habet, quoniam circuitus compositio numerosa est: quæ res omnium aptissima est, vt facile memoria teneatur. Quapropter carmina omnes melius recordantur, quam solutam orationem. Numerum nanque habent, quo mensurantur.*

4 *Oportet autem, vt sensus quoque in circuitu concludatur, nec incidatur, sicuti iambici Sophoclis versus, Calidon hæc est terra Peloponnesiacæ telluris. Contrarium nanque contingit suspicari: vt in eo, quod modo diximus, Calidonem in Peloponneso esse.*

QVinta virtus elocutionis est, vt sit periodica. Hanc orationis virtutem vt explicet Aristoteles, primo distinguens orationem in tractam, seu pendentem, & periodicam, siue ambitu comprehensam, definit vtramque, & ostendit orationem periodicam esse meliorem, ac delectabiliorem: secundo diuidit periodum in simplicem, ac constantem ex membris, & explicat, quid vtraque sit: tertio subdiuidit periodum constantem ex membris in varias species, easque declarat, & exemplis illustrat.

1 Quoad primum: elocutio vel potest esse tracta, ac pendens, & coniunctione vna; vel potest esse periodica, siue ambitu comprehensa. In exemplum orationis tractæ, ac pendentis proponit Aristoteles cantiones Dithyramborum: in exemplum orationis periodicæ, & certo ambitu comprehensæ proponit antistrophas veterum poetarum. Sed quia non satis nobis notæ sunt can-

cantiones Dithyramborum, nec antistrophæ veterum poetarum, ideo vtendum est exemplis magis familiaribus. Exemplum igitur orationis tractæ, atque pendentis potest esse principium Odæ primæ libri quarti apud Horatium de laudibus Drusi: *Qualem ministrum fulminis alitem.* in qua per plures strophas oratio coniunctionibus continuatur, donec absoluatur sententia. Exemplum orationis periodicæ possunt esse pleræque aliæ odæ eiusdem Horatij, in quibus ambitu vnius strophæ solet concludi sententia: ex. gr. *Vides vt altum stet niue candidum &c.* Prisci scriptores, ac præsertim Herodotus Thurius in sua Historia vsi sunt oratione tracta, ac pendente, vt patebit legenti initium historiæ Herodoti: in sacra etiam scriptura libri præsertim Historiales, vtuntur elocutione pendente, ac per solas coniunctiones vna, vt liber Geneseos: *in principio creauit Deus Cœlum, & terram. Terra autem erat inanis, & vacua &c:* vbi oratio nullo ambitu comprehenditur, sed solis coniunctionibus continuatur. Posterioribus temporibus, paucis exceptis, scriptores vsi sunt oratione periodica, & ambitu comprehensa.

2 Sed explicandum est, quid sit oratio pendens, quid periodica. Oratio pendens est, *quæ nullum ex se finem habet, nisi res, quæ exponitur, ad finem peruenerit.* Qui igitur oratione vtitur pendente ita exponit res, vt tum orationem absoluat, cum res ad finem peruenerit; cæterum nullam adhibet curam, vt ipsa oratio secundum se proportionatam habeat magnitudinem, quæ apto principio, ac fine concludatur. Hæc oratio necesse est, vt sit iniucunda. Ratio est, quia nos rebus delectamur habētibus proportionatam magnitudinem, atque apto principio, & fine terminatis; sed oratio pendens ex se est infinita, cum non habeat proportionatam magnitudinem apto principio, & fine conclusam; ergo oratio pendens secundum se est iniucunda. Confirmatur, & explicatur exemplo: videmus enim, quod ij, qui currunt in stadio, quamdiu metam prospicere possunt, nihil videntur laborare: at postquam metam prætergressi, peruenerunt ad flexiones, in quibus non vident amplius metam, ac debent cursum quadrigarum circumflectere, tum vehementer anhelant, ac pene deficiunt. Proportionaliter auditores orationem ex se terminatam, iucundè, ac sine molestia excipiunt, quia finem præuident: at si oratio sit secundum se interminata, quia finem præuidere nequeunt, valdè lassantur. Satis igitur explicatum est, quid sit oratio pendens, & cur sit iniucunda.

3 Oratio periodica, siue ambitu comprehensa est, *quæ periodis constat.* Periodus, seu comprehensio est *oratio, quæ ex se habet principium, & finem, & eam magnitudinem, quæ facile possit vno intuitu conspici.* Oratio igitur periodica differt à pendente per hoc, quod qui pendente vtitur oratione, nullam adhibet curam, vt ipsa oratio secundum se habeat proportionatam magnitudinem, apto principio, fineque conclusam; at qui periodo vtitur, adhibet curam, vt ipsa oratio secundū se habeat proportionatam magnitudinem apto principio, ac fine conclusam. Proportionata porro magnitudo est, *quæ vno intuitu facile potest conspici:* quæ vnico intuitu non facile potest conspici peccat per excessum; contraria huic peccat per defectum. Iam oratio periodica valde est perfecta. Ratio est, quia ad perfectionem orationis spectat vt sit iucunda, & vt facile possit percipi; sed oratio periodica & est iucunda, & facile potest percipi; ergo &c. Quod sit iucunda, probatur, quia delectamur rebus habentibus proportionatam magnitudinē, apto principio, ac fine terminatam; ergo sicut oratio pendens est iniucunda, quia non habet hanc proportionatam magnitudinem, ex quo oritur, vt non possimus finem orationis prospicere, sic oratio periodica, vt pote habens proportionatam magnitudinem, propter quam possumus finem prospicere, est iucundissima. Quod facile percipiatur, probatur, quia quæ facile memoriæ mandantur, facile percipiuntur; sed oratio periodica facile memoriæ mandatur; ergo &c. Probatur minor: oratio enim periodica est numerosa; numerus autem ad memoriam iuuat, vt patet ex eo, quia omnes facilius recordamur carminū, quam solutæ orationis, & non ex alia ratione, nisi quia carmina habent certos numeros, quibus illa metimur.

4 Addit Aristoteles periodum debere continere sententiam absolutam, non autem mutilam, & abruptam. Sententiam abruptam, & mutilam continent illi Iambi Sophoclis: *Hæc est quidem Calydon: solum potitus est quo olim Pelops.* Sententia enim:

patet in hoc initio laudationis Apollinis δαλογενὲς, εἴτε λυκίαν, vbi duo sunt pæanes: vocatur autem Apollo ex Delo genitus, & lyciam incolens. Idem etiam patet in hoc alio initio laudis in eumdem Apollinẽ χρυσοκόμα ἑκατε παῖ Διός, hoc est Auricome ò Hecate nate Iouis, vbi etiã sunt duo pæanes; sed finis debet differre à principio, nam illi numeri, à quibus rectè incipit cursus orationis non sunt apti ad orationem sistendam, ac terminandam; ergo pæan quartus, cuius primæ tres syllabæ sunt breues, vltima est longa, erit aptissimus ad orationem terminandam: nam mora, quæ in vltima syllaba longa pronuncianda insumitur, idonea est ad sistendum, ac terminandum cursum orationis, vt patet in sequenti exemplo: humum, & aquã, & oceanum occuluit horrifera nox: vbi pæan *rifera nox*, in quo tres primæ syllabæ sunt breues, vltima est longa, optimè terminat cursum orationis. E conuerso syllaba breuis non bene terminat orationem, quia cum vnum solum contineat tempus, est imperfecta, ac quodammodo mutila, ideoque facit orationem mutilam; ergo oratio terminanda est per syllabam longã, adeoque perfectam, & aptam ad hoc, vt sua mora cursum dicendi abrumpat. Oportet igitur orationem terminari non interpunctione, ac signo scriptoris, sed ipso numero, ita vt ex numero aduertat auris orationem esse terminandam. Ostensum igitur est elocutionem debere esse numerosam, ac non expertem rhythmi: explicatũ etiam est, qui nam rhythmi, & quo pacto se habentes efficiant orationem numerosam.

De quinta virtute elocutionis, quæ est, vt sit periodica; quid & quotuplex sit periodus. Caput IX.

1 *Necessarium autem est, vel pendentem esse orationem, ipsaque coniunctione vnam, vt qui in dithyrambicis ambitus sunt, vel conuolutam, & priscorum poetarum antistrophis similem. Pendens igitur compositio, ac prisca Herodoti est Thurij: qua priores quidem omnes, nunc vero non multi vtuntur.*

2 *Dico autem pendentem, quæ nullum per se habet exitum, nisi res quæ dicitur, in exitum peruenerit, quæ insuauis est, quoniam infinita. Omnes enim finem conspicere volunt. Quocirca etiam in calce expirant, ac resoluuntur. Non enim fatigantur, cum calcem prospiciant. Pendens igitur talis compositio est.*

3 *Conuoluta vero, quæ circuitibus effertur. Circuitum autem, idest Græcè περίοδον, appello compositionem, quæ ipsa per seipsam principium habeat, & finem, magnitudinemque mediocrem: quæ compositio suauis, atque dilucida est. Suauis quidem, quoniam interminato contraria est, & quoniam semper aliquid se habere auditor putat, cum sibi aliquid semper terminatum sit. Nam cum nihil præuideatur, nec expediatur, iniucunda compositio est. Dilucida vero, quoniam memoria facile retineatur, quod habet, quoniam circuitus compositio numerosa est: quæ res omnium aptissima est, vt facile memoria teneatur. Quapropter carmina omnes melius recordantur, quam solutam orationem. Numerum nanque habent, quo mensurantur.*

4 *Oportet autem, vt sensus quoque in circuitu concludatur, nec incidatur, sicuti iambici Sophoclis versus, Calidon hæc est terra Peloponnesiacæ telluris. Contrarium nanque contingit suspicari: vt in eo, quod modo diximus, Calidonem in Peloponneso esse.*

QVinta virtus elocutionis est, vt sit periodica. Hanc orationis virtutem vt explicet Aristoteles, primo distinguens orationem in tractam, seu pendentem, & periodicam, siue ambitu comprehensam, definit vtramque, & ostendit orationem periodicam esse meliorem, ac delectabiliorem: secundo diuidit periodum in simplicem, ac constantem ex membris, & explicat, quid vtraque sit: tertio subdiuidit periodum constantem ex membris in varias species, easque declarat, & exemplis illustrat.

1 Quoad primum: elocutio vel potest esse tracta, ac pendens, & coniunctione vna; vel potest esse periodica, siue ambitu comprehensa. In exemplum orationis tractæ, ac pendentis proponit Aristoteles cantiones Dithyramborum: in exemplum orationis periodicæ, & certo ambitu comprehensæ proponit antistrophas veterum poetarum. Sed quia non satis nobis notæ sunt can-

cantiones Dithyramborum, nec antistrophæ veterum poetarum, ideo vtendum est exemplis magis familiaribus. Exemplum igitur orationis tractæ, atque pendentis potest esse principium Odæ primæ libri quarti apud Horatium de laudibus Drusi: *Qualem ministrum fulminis alitem.* in qua per plures strophas oratio coniunctionibus continuatur, donec absoluatur sententia. Exemplum orationis periodicæ possunt esse pleraque aliæ odæ eiusdem Horatij, in quibus ambitu vnius strophæ solet concludi sententia: ex. gr. *Vides vt altum stet niue candidum &c.* Prisci scriptores, ac præsertim Herodotus Thurius in sua Historia vsi sunt oratione tracta, ac pendente, vt patebit legenti initium historiæ Herodoti: in sacra etiam scriptura libri præsertim Historiales, vtuntur elocutione pendente, ac per solas coniunctiones vna, vt liber Geneseos: *in principio creauit Deus Cælum, & terram. Terra autem erat inanis, & vacua &c:* vbi oratio nullo ambitu comprehenditur, sed solis coniunctionibus continuatur. Posterioribus temporibus, paucis exceptis, scriptores vsi sunt oratione periodica, & ambitu comprehensa.

2 Sed explicandum est, quid sit oratio pendens, quid periodica. Oratio pendens est, *quæ nullum ex se finem habet, nisi res, quæ exponitur, ad finem peruenerit*. Qui igitur oratione vtitur pendente ita exponit res, vt tum orationem absoluat, cum res ad finem peruenerit; cæterum nullam adhibet curam, vt ipsa oratio secundum se proportionatam habeat magnitudinem, quæ apto principio, ac fine concludatur. Hæc oratio necesse est, vt sit iniucunda. Ratio est, quia nos rebus delectamur habētibus proportionatam magnitudinem, atque apto principio, & fine terminatis; sed oratio pendens ex se est infinita, cum non habeat proportionatam magnitudinem apto principio, & fine conclusam; ergo oratio pendens secundum se est iniucunda. Confirmatur, & explicatur exemplo: videmus enim, quod ij, qui currunt in stadio, quamdiu metam prospicere possunt, nihil videntur laborare: at postquam metam prætergressi, peruenerunt ad flexiones, in quibus non vident amplius metam, ac debent cursum quadrigarum circumflectere, tum vehementer anhelant, ac pene deficiunt. Proportionaliter auditores orationem ex se terminatam, iucundè, ac sine molestia excipiunt, quia finem præuident: at si oratio sit secundum se interminata, quia finem præuidere nequeunt, valdè lassantur. Satis igitur explicatum est, quid sit oratio pendens, & cur sit iniucunda.

3 Oratio periodica, siue ambitu comprehensa est, *quæ periodis constat*. Periodus, seu comprehensio est *oratio, quæ ex se habet principium, & finem, & eam magnitudinem, quæ facile possit vno intuitu conspici*. Oratio igitur periodica differt à pendente per hoc, quod qui pendente vtitur oratione, nullam adhibet curam, vt ipsa oratio secundum se habeat proportionatam magnitudinem, apto principio, fineque conclusam; at qui periodo vtitur, adhibet curam, vt ipsa oratio secundū se habeat proportionatam magnitudinem apto principio, ac fine conclusam. Proportionata porro magnitudo est, *quæ vno intuitu facile potest conspici*: quæ vnico intuitu non facile potest conspici peccat per excessum; contraria huic peccat per defectum. Iam oratio periodica valde est perfecta. Ratio est, quia ad perfectionem orationis spectat vt sit iucunda, & vt facile possit percipi; sed oratio periodica & est iucunda, & facile potest percipi; ergo &c. Quod sit iucunda, probatur, quia delectamur rebus habentibus proportionatam magnitudinē, apto principio, ac fine terminatam; ergo sicut oratio pendens est iniucunda, quia non habet hanc proportionatam magnitudinem, ex quo oritur, vt non possimus finem orationis prospicere, sic oratio periodica, vt pote habens proportionatam magnitudinem, propter quam possumus finem prospicere, est iucundissima. Quod facile percipiatur, probatur, quia quæ facile memoriæ mandantur, facile percipiuntur; sed oratio periodica facile memoriæ mandatur; ergo &c. Probatur minor: oratio enim periodica est numerosa; numerus autem ad memoriam iuuat, vt patet ex eo, quia omnes facilius recordamur carminū, quam solutæ orationis, & non ex alia ratione, nisi quia carmina habent certos numeros, quibus illa metimur.

4 Addit Aristoteles periodum debere continere sententiam absolutam, non autem mutilam, & abruptam. Sententiam abruptam, & mutilam continent illi Iambi Sophoclis: *Hæc est quidem Calydon: solum positus est quo olim Pelops*. Sententia enim:

Hæc est Calydon, abrumpitur addendo, *solum potitus est quo olim Pelops*, ita vt videatur facere sensum, quod Calydon sit solum, seu terra, qua olim potitus est Pelops, adeoque pertineat ad Peloponnesum, cum non pertineat ad Peloponnesum, sed ad Ætoliam. Ne igitur sententiæ videantur facere sensum contrarium, non debent abrumpi, interponendo alia, sed debent absolui. Ex his potest inferri integra periodi definitio, quæ est: *Periodus est oratio, quæ ex se proportionatam habet magnitudinem, apto principio, ac fine conclusam, quæque vno intuitu conspici possit, & absolutam sententiam continet.*

5 *Circuitus autem alius ex membris constat, alius supinus est. Ex membris constare dicitur, cum oratio absoluta sit, & distincta, facilisque respirationis, non in ipso interuallo, vt qui modo dictus est circuitus, sed totus. Membrum vero est altera eius particula. Supinum autem dicimus, qui vno membro constat.*

6 *Verum oportet, ne tam membra, quàm circuitus ipsi, aut manci sint, aut longi. Parua enim quasi cespitare auditorem faciunt. Nam necesse est, quando ad longius, & mediocritatem prospiciat, nec sibi terminum præfixerit, cum subito interuallo retrahatur, quasi cespitationem ex repulsione fieri. Longiora vero sic auditorem relinquunt, sicut qui calcem prætereunt, deambulantes relinquunt. Circuitus igitur longus omnino fit, quod Chius Democritus in Melampodem, qui pro antistrophis suspensionem fecit, mordaciter dixit: it vero malum alij struens, sibiipsi malum fabricatus est: longa enim suspensio facienti pessima. Quod commode in longimembris quoque dicere possumus. Qui vero breuimembres nimium sunt, circuitus non sunt. Præcipitem enim agunt auditorem.*

5 Quoad secundum: periodus diuiditur in simplicem, atque in constantem ex pluribus colis, seu membris. Periodus constans ex membris est *locutio perfecta, a quo in partes distincta, et in qua pronunciando facile possit respirari, non cum periodus abrumpitur, sicut abrumpitur periodus, cuius exemplum attulimus ex Sophocle, sed cum tota periodus profertur.* Tres igitur conditiones requiruntur ad periodum constantem ex membris. Prima est, vt sit perfecta, adeoque contineat sententiam absolutam: secunda est, vt sit distincta in plures partes, seu membra: tertia est, vt qui illam pronunciat, possit facile spiritum ducere, sistendo absolutis singulis membris, ac demum periodum totam non abrumpendo, sed perficiendo. Membra periodi dicuntur singulæ partes periodi. Periodus simplex est, in qua non distinguuntur plura membra, sed vnicum datur membrum.

6 Tum periodi, tum singula periodi membra, neque debent nimia longitudine, neque nimia breuitate laborare, ita vt videantur quodammodo mutila. Ratio, cur non debeant esse admodum breuia est, quia si vel periodi, vel membra sint breuiora, adeoque absoluantur citius, quam auditor expectet, animus auditoris, qui vlterius progrediebatur ad finem, quem sibi proposuerat, oratore sistente, veluti opposito obice, offendit, ac cespitat. Ratio, cur periodi non debeant esse longiores est, quia si orator vltra progrediatur, quam auditor expectet, auditores quodammodo ab oratore relinquuntur, atque aliquid accidit simile, ac dum quibusdam in aliquo spatio deambulantibus, aliquis illorum metam prætergrediens, vlterius procedit, ac comites relinquit. Longiores igitur periodi, similes sunt Dithyramborum cantionibus, de quibus dictum est num. 1: ideoque de oratoribus, qui longas periodos faciũt, dici potest id, quod Democritus Chius per iocum obiecit Melappidi, qui loco antistropharum vsus fuerat anabolis, seu interminatis cantionibus dithyramborum.

Is se ipsum lædit, alium qui lædere quærit:
At carmen longum vati ipsi pessima res est.

Hoc enim ipsum potest transferri ad eos, qui orationem ex longis periodis, ac periodos ex longis membris componũt. Longæ siquidem periodi oratoribus pessimæ res sunt, cum & dicentibus, & audientibus molestiam afferant. Proportionaliter periodi breuiores, ac breuioribus, quam par est, constantes membris, nimis velociter procedunt, atque auditorem secum quodammodo præcipitem agunt, ideoque neque merentur nomen periodi.

7 *Dictio autem, quæ in membro est, alia opposita est alia non opposita. Non opposita quidem, hoc pacto: Sæpenumero eos miratus sum, qui festos dies celebrant, & ago-*

agones gymnicos instituerunt. Opposita vero, cùm in vtroque membro, aut contrarium ad contrarium refertur, aut idem contrarijs adiungitur, hoc pacto: *Vtrisque vtilitatem attulerunt, & ijs, qui remanserunt, & ijs, qui sequuti sunt. Nam illis plura, quam domi habebant, conquisierunt, his sufficientia domi reliquerunt. Contraria vera est remansio sequutioni, sufficiens pluribus: quare pecunia indigentibus, & absumere volentibus, absumptio acquisitioni opponitur. Item accidit etiam sæpius, vt stolidi feliciter, prudentes infeliciter agant: quia illi mox quidem virtuosis dignificati sunt: non multo autem posterius principatum maris acceperunt. Item nauigauit per terras pedibus iuit per maria. Hellespontum enim coniunxit, Atho montem effodit. Item natura ciues, lege ciuitates priuantur. Nam ipsorum alij misere interierunt, alij turpiter exularunt. Item turpe est cùm priuatim Barbaris in famulatu vtamur, multos sociorum ipsis publice seruientes negligere. Item aut viuos amplifices, aut mortuos derelinquas. Item quod ad Pitholaum aliquis dixit, & ad Lycophronem in prætorio: Isti nos domi quidem seruientes vendebant, postea autem, quam venerunt ad nos, empti sunt. In his enim omnibus, quod diximus fit.*

7 Quoad tertium: elocutio periodica composita, atque ex pluribus membris cōstans subdiuiditur in distinctam, & oppositam. Distincta est, *quæ constat ex pluribus membris distinctis sine vlla oppositione.* Exēplum potest esse initium nobilissimæ orationis, quam Isocrates Panegyricum inscripsit, in qua sic habet: sæpius admiratus sum eos, qui celebritates congregarunt, & eos, qui Gymnica certamina instituerunt. Hæc periodus constat ex duobus membris distinctis inter se, sed nullo modo oppositis. Elocutio opposita est, *quæ constat ex pluribus membris, in quibus vel idem componitur cum contrarijs, vel cum contrarijs componuntur contraria.* Plura exempla Aristoteles affert, quæ omnia, excepto vltimo, ex laudato Isocratis Panegyrico desumpta sunt. Primum est, cum laudans Isocrates veteres Athenienses ex eo, quod cum barbaris bellum intulissent, & ijs, qui vna cum ipsis ad bellum profecti sunt, & ijs, qui domi remanserunt multum profuere, dicit: nam his quidem, qui secuti sunt, plura, quam domi possidebant, acquisiuerunt; illis verò, qui domi remanserunt, satis agri, quo se alerent, reliquerunt. In hoc exemplo contraria componuntur contrarijs. Nam *sequi*, & *remanere* contraria sunt, & *plus acquirere*, & *satis relinquere* sunt itidem contraria. Secundum exemplum ex eodem panegyrico, in quo idem componitur contrarijs, est: itaque & pecunias acquirentibus, & frui cupientibus &c. *Acquirere* & *frui* contraria sunt, ijsque componitur aliquid idem. Tertium exemplum eiusdem est: sæpe accidit in huiusmodi rebus, vt & prudentes aduersa fortuna vtantur, & imprudentes prosperè res gerant. Quartum est: statim quidem præmia fortium virorum acquisiuerunt; sed non multo post imperium maris obtinuerunt. Quintum est: terram quidem nauigauit: mare verò ambulauit. Sextum est: Hellespontum quidem coniunxit; Athonem verò perfodit. Septimum est: qui natura ciues essent, lege priuati sunt ciuitate. Ex ijs enim alij malè perierunt, alij turpiter seruati sunt. Octauum est: priuatim quidem seruis vti barbaris; publicè verò pati multos sociorum seruos esse. Nonum est: vel viuentes habere, vel morientes relinquere. Præter hæc exempla desumpta ex Panegyrico Isocratis, decimum, & vltimum desumitur ex quodam, qui in iudicio contra Pitholaum, & Licophronem dixit: hi cum domi essent, vos vendebant; postquam ad nos venerunt, ipsi empti sunt.

8 *Estque suauis huiusmodi dictio, vel quoniam contraria patent aperte, multòque magis cùm ad se ipsa breui referuntur: vel quoniam oratio syllogismo similis videtur. Elenchus enim oppositorum collectio est. Huiusmodi autem oratio contentio dicitur.*

9 *Compar vero, cùm membra æqualia sunt. Assimulatio autem est, cùm vltima vtrisque membris similia sunt. Idque necessario, vel incipiendo, vel desinendo. Et incipiendo quidem in nominibus semper sic: ager erat, qui æger esse dicebatur. Desinendo vero in vltimis syllabis, vel verbi, vel nominis, aut etiam in integra dictione. Ac in verbi quidem vltima syllaba, quod similiter desinens dicitur sic: Putarunt eum bene fecisse, & eum ipsum caussam fuisse. In nominis autem, quod similiter cadens appellatur, hoc modo: erat in*

cogitatione maxima, & in spe minima. In verbo autem integro, quam conuersionem appellamus, hoc pacto: At tu & viuo dicebas male, & nunc in mortuum scribis male. Concurrunt autem in idem nonnunquam contentio, compar, & similiter desinens.

10 *Circuituum vero principia in Theodecticis enumerata ferè sunt. Sed contentiones falsæ quoque inueniuntur, vt apud Epicharmum: Interdum quidem ego illorum eram, interdum vero apud illos ego.*

8 Addit Aristoteles orationem constantem ex oppositis esse valde iucundam. Prima ratio est, quia oratio valde illustris, & valde perspicua, est iucundissima; sed opposita & ex se sunt valde nota, & cum inuicem conferuntur, magis elucescunt; ergo oratio constans ex oppositis est valde illustris, atque perspicua, ideoque est iucundissima. Secunda ratio est, quia oratio, quæ redolet syllogismum, est valde iucunda; sed oratio ex oppositis constans videtur syllogismus elenchi, qui concludit opposita; ergo &c. Hæc igitur oratio, quæ constat ex membris oppositis, vocari potest antithesis, siue oppositio.

9 Sequuntur aliæ species orationis non multum dissimiles ab oratione constante ex membris oppositis. Prima species, quæ vocatur compar est, in qua æqualia membra sunt, ita vt verbis totidem fere verba, ac penè æqualia respondeant. Exemplum est: in bello mortem pater oppetebat; domi nuptias filius parabat. Secunda species, quæ dicitur assimilatio est, in qua membra sunt similia. Hæc subdiuiditur in plures species inferiores. Prima est, in qua similia sunt verborum initia, & dicitur agnominatio. Duo exempla Aristoteles affert. Primum est: agrum accepit quodammodo ægrum, hoc est sterilem. Secundum ex Homero 9. Iliados est:

Placati donis, pacatiue ore fuerunt.

Secunda species est, cum extremæ syllabæ similes sunt, & dicitur similiter desinens. Duo exempla Aristoteles affert. Primum est: non puerum peperisse, sed eius causam extitisse. Secundum exemplum est: in cura quidem plurima, in spe verò minima. Tertia species est, cum membra desinunt in casus ab eodem nomine deriuatos, ac variè commutatos. Exemplum est, in quo de quodam homine abiectissimo, qui proinde non censebatur dignus vno asse, nec vno ære, & tamen existimabat se dignum maximis honoribus, dictum fuit: est profecto dignus ænea statua, qui non est dignus ære. Quarta species est, cum idem nomen repetitur. Exemplum est: Tu cum viueres dicebas malè, & nunc in eum scribis malè. Quinta species est, cum est similitudo solum in vltima syllaba, per quam membra desinunt. Exemplum est: Quod nam passus es malum, si hominem vidisti ignauum? Addit Aristoteles hæc posse simul coniungi, itaut periodus constet non solum ex membris oppositis, sed etiam paribus, ac similiter desinentibus.

10 Pro conclusione capitis duo addit Aristoteles. Primum est, quod cum principia periodorum sint enumerata in libris ad Theodectem, nihil de his est addendum. Secundum est, quod aliquando in oratione datur quædam falsa Antithesis, cum aliqua contraponuntur, ac si essent opposita, licet non sint opposita. Exemplum est illud Epicharmi: Interdum vnus illorum ego eram, interdum apud illos ego: in quo ponuntur tanquam duo opposita; *eram vnus illorum*; *eram apud illos*, cum verè non sint opposita.

De sexta virtute elocutionis, quæ est, vt sit vrbana; ac de ijs, per quæ oratio effici potest vrbana. Caput X.

1 *VErum quoniam de his iam demonstratum est, nunc vnde vrbana ducantur, & ea maxime, quæ probantur, dicendum est. Nam posse facile dicere, aut ingeniosi est, aut exercitati: docere autem, doctrinæ huius. Quare nobis dicenda, enumerandaque sunt, id initium sumentibus. Faciliter discere, ac intelligere, natura omnibus est suaue: verba vero aliquid significant: quare quæcunque ex verbis facile nobis ingerunt disciplinam, hæc suauissima sunt.*

2 *Prisca igitur, ac aliarum gentium non intelliguntur: propria vero, ac nostratia scimus. Translatio autem id maxime facit. Nam cum senectutem quis stipulam dixerit, disciplinam per senectutem, co-*

gni-

gnitionemque fecit: quoniam vtraque defloruerunt.

3 *Verum poetarum etiam imagines idipsum faciunt. Vnde illis vti vrbanum esse videtur, cum sit imago, vt iam dictum est, translatio additione differens.*

4 *Quare minus suauis, quoniam longior: & non dicit hoc illud esse. Quare nec animus id quærit. Necesse igitur est tam dictionem, quam enthymemata ea vrbana esse, quæ velocem nobis cognitionem faciunt.*

1 SExta virtus elocutionis est, vt sit vrbana. Porro formare dicta vrbana, ac venusta, proprium est hominis ingeniosi, ac qui se diu in illis concinnandis exercuerit: at ad rhetoricam spectat tradere præcepta, & aperire fontes, ex quibus possimus illa deducere. Vt igitur hos fontes aperiamus, præmittendum est, quod naturale est homini, vt cum aliquid, quod ignorabat, facile, ac celeriter addiscit, magna voluptate afficiatur; sed licet omnia nomina, & omnes locutiones aliquid significent, tamen quædam nomina, & quædam locutiones habent specialiter quamdam vim efficiendi, vt facile, ac celeriter addiscamus, quæ ignorabamus; ergo talia nomina, talesque locutiones iucundissima sunt, ac vocantur vrbana.

2 Sed explicandum est magis, quæ nomina, quæ sententiæ, seu argumenta, quæ locutionis forma præcipuè conferant ad hoc, vt auditor facile, ac celeriter addiscat quæ ignorabat, adeoque ad hoc, vt oratio euadat vrbana. Dicendum igitur primo, quod cum nomina diuidantur in peregrina, propria, & translata, sola nomina translata, non autem nomina peregrina, & propria, per se conferunt ad reddendam orationem vrbanam. Ratio est, quia illa nomina reddunt orationem vrbanam, quæ faciunt, vt facile, ac celeriter addiscamus aliquid, quod ignorabamus; sed nomina peregrina sunt ignota, nomina propria sunt omnibus nota, adeoque neutra faciunt, vt facile, ac celeriter addiscamus quod ignorabamus: è conuerso nomina translata faciunt, vt addiscamus conuenientiam inter id, ex quo nomen transfertur, & id, ad quod transfertur; ergo &c. Est igitur vrbana locutio, per quam quis senectutem appellat stipulam, quia facit, vt celeriter, ac facile addiscamns conuenientiam senectutis, ac stipulæ in hoc genere, quod vtraque amisit viriditatem.

3 Dicendum secundo, quod etiam imagines, ac similitudines, quibus passim poetæ vtuntur, si bene adhibeantur, efficiunt solutam orationem vrbanam. Ratio est, quia vt dictum est cap. 4. imagines sunt translationes solo modo proferendi differentes; Translatio enim est, per quam Achilles ex. gr. vocatur leo; imago est, per quam dicitur esse sicut leo; ergo imago conuenit cum translatione in hoc, quod faciat auditorem addiscere conuenientiam duarum rerum, adeoque in reddenda oratione vrbana.

4 Addit tamen Aristoteles imaginem esse minus iucundam, adeoque minus vrbanam translatione. Ratio est, quia eo elocutio est iucundior, quo citius facit, vt addiscamus quod ignorabamus; sed citius addiscimus proportionem duarum rerum per translationem, quæ est breuior, quam per imaginem, quæ est longior; ergo &c. Confirmatur, quia iucundior est oratio, per quam aliquid discimus, absque eo quod auertamur ab eo, quod quærimus, quam per quam discimus, itaut ab eo auertamur, quod quærimus; sed per metaphoram, per quam ex. gr. Achilles significatur nomine Leonis, addiscimus conuenientiam Achillis cum Leone, absque eo quod auocemur ab attentione eius, quod quærimus; per imaginem, per quam Achilles dicitur fuisse sicut Leo auertimur; ergo &c.

5 *Idcirco nec quæ superficialia sunt, ex enthymematibus comprobantur. Dicimus autem superficialia, quæ cuilibet patent, nec quicquam habent, quod in eis quærere oporteat. Nec quæcunque dicta ignorantur, sed quorumcunque cognitio, vel simul dum dicuntur fit, etiam si prius non erat, vel non multo post mens ea consequitur. Sic enim quasi disciplinatio fit: illo autem modo neutrum. Verum hæc, atque huiusmodi enthymemata propter sententiam comprobantur.*

6 *Propter dictionem autem dicendi quidem figura, si per oppositionem dicuntur, hoc modo: quam communem aliis pacem, eam suis bellum putabant. Opponitur enim bellum paci. Verbis vero si translatio inest orationi, nec aliena. Difficilis enim hæc intellectu est, nec superficialis: non enim mouet. Præterea si præ oculis*

rem

rem ponit quasi agatur. Cernere enim magis possumus, quæ aguntur, quam futura. Et ad hæc, tria consideranda sunt, translatio, oppositio, principium.

5 Dicendum tertio, quod illa oratio est vrbana, quæ affert argumenta, quæ neque sunt ita obuia, vt facile occurrant, neque sunt ita abstrusa, vt prolata non intelligantur, sed medio modo se habent, ita vt non facile occurrant, & statim ac proferuntur, vel saltem paulo post, ducant nos in cognitionem alicuius, quod ignorabamus. Ratio est, quia illa sola argumenta efficiunt orationem vrbanam, quæ faciunt, vt facile, ac celeriter addiscamus aliquid, quod ignorabamus; sed argumenta obuia, vel quæ non intelliguntur, non faciunt, vt addiscamus quidquam; e conuerso argumenta non obuia, ac quæ facile percipiuntur, faciunt, vt addiscamus quod erat nobis ignotum; ergo &c. Patet igitur, quæ argumenta, quæque sententiæ faciant orationem vrbanam.

6 Dicendum quarto: Tria se tenentia ex parte locutionis efficiunt orationem vrbanam. Primum est, si in locutione contraria contrarijs opponantur, vt fecit Isocrates, dum loquens de quibusdam, qui pacem Græciæ ægrè ferebant, dixit: eam pacem, quæ alijs omnibus communis est, existimant suis priuatis rebus esse bellum. Secundum est, si quoad verba vtamur translatis, neque longe petitis, quia hæc difficile intelliguntur, neque vulgaribus, quia nihil commouent. Tertium est, si rem ipsam ob oculos ponamus, ita vt non tam videamur nobis audire, quid sit faciendum, vel factum, quam videre, quid actu fiat: hæc autem virtus ponendi rem ob oculos Græcè dicitur enargia, Latinè potest vocari euidentia. Tria igitur ex parte locutionis se tenentia maximè valent ad efficiendam orationem vrbanum; Antithesis nimirum, siue oppositio; metaphora, siue translatio; & energia, siue repræsentatio actionis.

7 *Cum autem quatuor translationes sint, maxime quæ secundum proportionem sunt, comprobantur: vt Pericles de iuuenibus, qui in bello perierunt, dixit sic iuuentutem è ciuitate amissam, veluti si quis ver tollat ex anno. Et Leptines de Lacedæmonijs, non permissuros, vt Græcia lusca fiat. Et Cephisodotus cum Chares Olynthiaci belli rationem reddere festinaret, grauiter ferebat, dicens, in laqueo ab eo plebem teneri, cui ratio reddenda est. Idem in Eubœam Athenienses exhortans, sumptis necessarijs, dixit oportere Miltiadæ sententiam exire. Et Iphicrates cum inducias cum Epidaurensibus, & regione maritima Athenienses fecissent, molestè tulit, dixitque neruos belli ab ipsis esse incisos. Et Pericles Æginam dixit tollendam Piræi pestem. Et Esion, Græciam in Ciciliam effuderunt. Translatio enim id, & ante oculos. Item vt Græcia clamet. Nam & id modo quodam ante oculos translatio est. Et Cephisodotus, cauendum esse, ne consilia concursus fiant. Et Isocrates in diem festum concurrentes. Et in funebri, quod dignum esset in sepultura eorum qui apud Salamina ceciderunt, Græciam crines incidere: quoniam vna cum virtute ipsorum libertas quoque sepulta esset. Nam si dixisset, dignum esse lacrymas effundere, cum vna virtus quoque sepeliatur, translatio esset, & ante oculos: sed quoniam vna cum virtute libertatem dixit, quandam habet oppositionem. Et Iphicrates. Via enim est mihi orationis per medias res gestas Charetis. Translatio enim ex proportione est. Et illud, per medias, ante oculos ponit. Et qui dicit pericula ipsa exhortari, vt in periculis succurramus, ante oculos transfert. Et quod Deus in anima lumen intellectus accendit. Vtraque enim significanter dicta sunt. Nec bella dissoluimus, sed in posterum rejcimus. Vtrunque enim futurum, & rejectio, & huiusmodi pax. Item conditiones pacis trophæa sunt multo clariora, quam quæ in prælijs constituuntur, cum hæc pro vno prælio feliciter gesto, illa pro totius belli dispositione. Nam vtraque signa victoriæ sunt. Item magnas vituperatione hominum pœnas dant ciuitates. Pœna enim iustum quoddam damnum est. Dictum igitur est vrbanitates ex translatione per proportionem dici, cum ante oculos ponant.*

7 Addit Aristoteles, quod cum plura sint genera translationum, de quibus actum est in poetica, illæ metaphoræ cæteris præstant, quæ fundantur in analogia proportionis, ac plurima affert talium translationũ exempla, quæ nos afferemus ex Græco, licet

cet non omnia inueniantur in latina versione Trapezuntij. Primum exemplum est Periclis, qui laudans iuuenes, qui in bello perierant, dixit: Ciuitatem iuuentute orbatam ita remanisse, sicut remaneret annus, à quo ver auferretur. Secundum exemplum est Leptinis, qui agens Athenis contra quosdam, qui cum Lacedæmonum vrbs valde esset afflicta, censebant illam esse penitus euertendam, dixit: non oportere pati, vt alter Græciæ oculus erueretur. Significauit nimirum duas Ciuitates, Atheniensium, & Lacedæmonum ita se habere ad Græciam, sicut duo oculi se habent ad pulcherrimam mulierem. Tertium est Cephisidoti, qui cum Chares vellet reddere rationem suæ administrationis tempore belli Olynthiaci, quo bello durante Ciuitas Atheniensis maximè egebat opera Charetis, dixit: Charetem cum in furno populum inclusum haberet, velle reddere rationes. Quartum exemplum est eiusdem, qui cum Miltiades decreuisset bellum contra Euboeam, sed id bellum fuisset diu dilatum propter inopiam frumenti, postquam rei frumentariæ fuit prouisum, dixit; oportere tandem, vt Miltiadis decretum ad expeditionem Euboicam proficisceretur. Quintum est Iphicratis, qui postquam Athenienses fædus percusserant cum Epidauris, atque vniuersa ora maritima, ex qua, bello durante, per excursiones magnam vim annonæ ad bella gerenda comportabant, id ægrè ferens, dixit, eos belli viatica sustulisse. Sextum est Pirolai, qui nauim quamdam Atheniensium, quæ vocabatur Paralus, quia constructa fuerat à quodam Paralo, vocauit Clauam populi, eo quod sicut Hercules claua, sic Athenienses ex naui vires hostium contundebant. Septimum est eiusdem, qui Sestum oppidum Hellesponti, ex quo singulis annis Athenienses magnam vim frumenti in Piræum Athenarum portum, & emporium conuehebant, vocauit arcam frumentariam Piræi. Octauum est Periclis, qui suadebat Atheniensibus, vt Aeginam insulam ex Cicladibus vnam Piræo propinquam, quæque Piræi gloriam obscurare videbatur, tollerent, eo quod esset Piræi lippitudo. Sicut enim lippitudo obscurat fulgorem oculorum, sic ea insula obscurabat splendorem Piræi. Nonum est Meroclis, qui cum decem haberet filios, & accusaretur tanquam improbus fœnerator, eo quod singulis annis decem exigeret pro centum, nominauit quemdam virum probum, qui tres habebat filios, & ex centum exigebat solum tria singulis annis, quod vsuræ genus existimabatur licitum, ac dixit se illo nulla in re esse improbiorem; illum enim ternis fænoribus improbitatem exercere, se verò denis Vsura porro Græcè dicitur τόκος, quod significat etiam filium significauit igitur, quod sicut ille, vt tres filios aleret, exigebat tria pro centum, sic Merocles vt aleret decem filios, exigebat decem pro centum. Decimum est Polyeucti, qui de Speusippo homine inquieto, atque apoplexia correpto dixit, eum non posse conquiescere, quamuis à fortuna in Pentesyringo morbo colligatus esset. Erat autem Pentesyringus instrumentum quoddam, in quo quinque erant foramina, in quæ caput, brachia, & pedes reorum ita inserebantur, vt se mouere nullo modo possent. Quia ergo apoplexia reddit hominem immobilem, vocauit illam Pentesyringum. Vndecimum est Cephisodoti, qui Triremes vocabat Pistrina varia. Sicut enim Pistrina panem, sic Triremes frumentum Ciuitati suppeditabant. Duodecimum est Diogenis Cynici, qui cauponas vocabat attica Phyditia. Sicut enim Lacædemonij frequenter in Phyditijs conuiuia celebrabant ex lege, sic Athenienses, siue Attici frequẽter epulabantur in cauponis. Decimum tertium est Esionis, qui cum Athenienses ad bellum siculum totam pene nobilitatem misissent, dixit eos ciuitatem in Siciliam effudisse; quod dictum continet & translationem, & enargiam, cum rem ob oculos ponat. Addidit Esion, quod ita Athenienses ciuitatem in Siciliam effuderant, vt Græcia clamorem ediderit; quod pariter & translationem continet, & rem oculis subijcit: siquidem facit, vt Græciam quasi mulierem clamantem, & vlulantem cernere videamur. Decimum quartum est Cephisoditi, qui ad populum in concionibus discordem dixit, vt cauerent, ne conciones redderent hostiles concursus. Decimum quintum est Isocratis, qui loquens de sophistis, qui in celebritatibus verba faciebant, dixit eos verba facere apud eos, qui in celebritatibus concurrunt. Decimum sextum est Lysiæ qui in oratione funebri de ijs, qui missi a Corinthijs ad bellum Græciæ commune contra Persas, in

Sala-

Salamine fuerant interfecti, dixit, æquum esse, vt in eorum sepulcho Græcia sibi comam raderet, quoniam vna cum eorum virtute etiam libertas Græciæ sepeliebatur. Addit Aristoteles, quod si Lysias dixisset æquum esse vt Græcia lugeret, quod vna cum eis virtus sepeliebatur, esset solum translatio, & subiectio sub oculos: virtutem enim sepeliri translatio est: quod verò virtus sepeliatur cum militibus, subijcit rem oculis, ita vt videre nobis videamur virtutem cum cadaueribus militum tumulari: at cum dixerit, quod vna cum virtute libertas græciæ sepeliebatur, fit etiam quædam oppositio inter virtutem, & libertatem. Decimum sextum est Iphicratis, qui acturus de rebus à Charete gestis dixit: Iter orationis meæ erit per medias res à Charete gestas: quod dictum & continet translationem proportionis, dum processum orationis vocat iter, & rem ponit ob oculos, dum facit, vt videre videamur orationem per medias res gestas Charetis progredientem. Decimum septimum est eiusdem, qui vt significaret nullam meliorem viam esse ad euadendum ex maximis periculis, quam aliquid periculosum aggredi, dixit; pericula conuocanda sunt, quæ periculis auxilium ferant: quod dictum continet translationem, & rem subijcit oculis. Decimum octauum est Lycoleontis, qui defendens apud populum Chabriam, cui propter res gestas posita fuerat ænea statua, dixit: neque eius æneam statuam reuerebimini, quæ vobis pro illo supplex est? quæ est monumentum rerum pro Ciuitate gestarum? Hic locus continet translationem, per quam statuæ, quæ semper repræsentabat res gestas Chabriæ, tribuitur hoc, quod est *supplicem esse*, dum ille periclitabatur: præterea statuæ inanimatæ tribuitur hoc, quod est *supplicare*, quod est proprium rei animatæ. Decimum nonum est Isocratis, qui in Panegyrico damnans Persas, eo quod in conspectu sui Regis se prosternerent, dixit: quod illi omnibus modis se abiectos reddere curabant. Verbum enim curandi, quod significat curam ad augendum aliquid laudabile, transtulit Isocrates ad significandam curam in aliquo vituperabili. Vigesimum est eius, qui dixit Deum mentis lumen in animo accendisse. Proportio est, quia mens, & lumen conueniunt in illustrando. Vigesimum primum est Isocratis, qui loquens de Græcis sui temporis, qui faciebant paces parum firmas, & parum duraturas dixit: non enim bella dissoluimus, sed differimus. Proportio est, quia sicut qui bellum differt, post aliquod tempus iterum bellum gerit, sic qui pacem parum firmam statuit, post aliquod tempus bellum gerere cogitur. Vigesimum secundum est eiusdem Isocratis in supra laudato Panegyricô, vbi dicit fœdera esse trophæum multo pulchrius, quam ea, quæ in bellis statuuntur. Nomen igitur trophæi translatum est ad fædera propter proportionem, quam habent in hoc, quod tum trophæa, tum fædera sunt insignia victoriæ. Vigesimum tertium demum exemplum est eius, qui dixit, quod ciuitates propter hominum vituperationem graui pæna mulctantur. Proportio consistit in hoc, quod sicut qui violant leges, per mulctam patiuntur detrimentum in pecunijs, sic Ciuitates cum malè se gerunt, per vituperationem patiuntur detrimentum in honore. Explicatum igitur est, quo pacto vrbana dicta duci possint ex translatione, & ex energia, per quam oculis res quodammodo subijciuntur.

De septima virtute elocutionis, quæ est energia, ac de alijs, ex quibus oratio effici potest vrbana. Cap. XI.

1 *SEd nunc dicendum est, quid est, quod dicimus ante oculos, & quid facientibus emergit.*

2 *Præ oculis igitur ponunt, quæcunque significanter geri aliquid ostendunt. Nam si quis bonum virum quadratum dicit, translatione vsus est: Vtrunque enim perfectum est. Sed hæc translatio nihil gerentem significat. Illa vero significat in florentissimo statu, vt illud: at Græci pedibus liberis irruerunt. Nam irruere, & translatio, & actio est. Velocitatem enim ostendit. Et veluti Homerus sæpius facit, dum inanimata, vt animata gerere dicit per translationem. In omnibus igitur si significanter aliquid geri ostendas, comprobatur, vt in istis: ac rursus in campos lapis impudens ferebatur. Item, hastaq; volabat. Item, volare ardebat. Item, fixaque in terra corpore, saturari cupiebant.*

bant. Item, at mucro per pectus ruens traiecit. Nam in his omnibus, quasi animata gerere aliquid videntur. Impudentia enim, & ruere, & cætera actiones sunt, quæ omnia per translationem ex proportione poeta coniunxit. Sic enim lapis se habet ad Sisyphum, vt impudens ad eum, quem impudenter vexat.

1 QVia vt dictum est capite superiori num.5. oratio euadit vrbana, atque iucunda etiam ex eo, quod rem ante oculos ponat, ideo agendum est etiam de hac virtute elocutionis, quæ consistit in hoc, vt rem oculis subijciat: deinde quærendi sunt alij fontes, ex quibus oratio effici potest vrbana.

2 Vt rem ponamus ante oculos, debemus vti energia, hoc est vocibus significantibus actionem. Ex metaphoris igitur quædam non habent energiam, neque ponunt rem ante oculos, quia non significant actionem: aliæ habent energiam, & ponunt rem ante oculos, quia significant actionem. Ex. gr. oratio, per quam quis dicit hominem probum esse quadratum, quia homo probus, & figura quadrata conueniunt in hoc, quod sint aliquid perfectum, & stabile, est metaphorica, sed non habet energiam, quia nomen quadrati non significat actionem. At oratio, qua Isocrates dixit de quodam, quod habebat florentem ætatis vigorem, habet energiam, quia significat actionem florendi. Similiter energiam habet illud Isocratis ad Philippum, in quo illum hortatur, vt totam Græciam suam patriam existimet, tanquam solutus, ac liber à legibus vnius ciuitatis, quia desumptum est ab actione, qua animalia soluta, ac libera, huc, illucque discurrunt, prout ipsis placauerit. Ex eadem ratione Euripides dicens:

Hinc concitati cum impetu Græci ruunt.

vsus est metaphora, & energia, quia nomen concitatus, quod transtulit ad Græcos, qui audito raptu Helenæ decreuerunt bellum, desumptum est ab actione, quam cursores exercent in ipso actu currendi. Homerus sicut sæpe est vsus metaphoris translatis à rebus animatis ad animatas, ita etiam vsus est metaphoris desumptis ex actionibus proprijs animatorum, & hoc genus metaphorarum in eius carminibus maximè probatur. Plura exempla possunt afferri. Primum desumitur ex vndecimo Odysseæ, vbi describens laborem Sisyphi, de saxo ad cacumen montis delato dicit:

Ille pudore vacans iterum lapis ima petebat.

adeoque tribuit lapidi inanimato impudentiam, per quam descendebat ad imum montis, adeoque actionem propriam rei animatæ. Secundum exemplum desumitur ex 13. Iliados, vbi dicit: *Volat ecce sagitta*, adeoque sagittæ tribuit volatum, qui est actio propria auium animatarum. Tertium exemplum desumitur ex eodem loco, vbi post quatuor versus de eadem sagitta dicit: *cupiens attingere*: adeoque tribuit illi actionem vitalem desiderandi. Quartũ exemplum desumitur ex 15. Iliados, vbi de spiculis acutis, & ad bellum præparatis dicit:

Stant terra defixa, optantque in corpora figi
Spicula.

Quintum exemplum desumitur ex 15. Iliados, vbi loquens de hasta, quam Menelaus iaculatus fuerat, tribuit illi furorem dicens.

At cuspis pectus pertransit plena furoris.

Omnes porro istæ metaphoræ fundantur in analogia, & proportione. Nam sicut se habet lapis ad Sisyphum, sic impudens ad eum, quem non verecundatur.

3 *Verum hæc in imaginibus etiam comprobatis de rebus inanimatis facit: suspensos fluctus: moueri enim, ac viuere cuncta ostendit. Actio autem hæc mutatio est.*

4 *Oportet autem vt iam dictum est, à propinquis, & apertis transferre: quale in philosophia quoque simile est: quod vel in multo diuersis perspicere ingeniosi est, atque solertis: vt Archytas dixit idem esse arbitrum, ac aram: quoniam ad vtrunque refugit, qui iniuriam patitur: aut si quis dicat anchoram, & suspensorium idem esse: sunt enim idem quid ambo, sed differunt in eo, quod inferius, atque desuper. Aut exæquatas esse ciuitates. Eadem enim in longe diuersis superficie, ac viribus dicta æqualitas est.*

3 Addit Aristoteles primo, quod Homerus etiam in imaginibus, seu similitudinibus tribuit rebus inanimis actiones proprias animatorum, vt cum 13. Iliados cõparans impetum Troianorum marinæ tempestati, quæ maximos fluctus commouet, loquens de vndis dicit:

Curua,

Curuæ, albescentes, nunc hinc, nunc inde feruntur:

adeoque tribuit vndis actionem huc, illucque currendi, & recurrendi, quæ est propria animatorum. Homerus igitur fingit omnia moueri, & viuere. Et ratio est, quia poesis est imitatio; sed dum tribuimus rebus actionem vitalem, tum maximè imitamur talem actionem; ergo poeta vt maximè imitetur, debet rebus tribuere actionem, præsertim vitalem.

4 Addit secundo, quod vt dictum est supra cap. 2. num. 9. metaphoræ vt plurimum debent desumi ex rebus propinquis, quarum tamen proportio non est obuia. Possunt tamen aliquando desumi etiam à rebus valde distantibus, & remotis. Verum sicut in Philosophia non est cuiuslibet, sed hominis tantum acuti perspicere, quam proportionem habeant inter se res valde distantes, sic in Rhetoricis non est cuiuslibet, sed solum viri valde ingeniosi videre proportionem rerum valde dissimilium, adeoque idoneas metaphoras ex rebus valde dissimilibus desumere. Tria exempla congruarum metaphorarum desumptarũ ex rebus valde dissimilibus possunt afferri. Primum Archytæ, qui dixit, idem esse arbitrum, & altare, quia qui iniuria afficiuntur, tum ad arbitrum, tum ad altare confugere solent. Secundum exemplum posset esse, quod anchora, & cremastra idem sunt. Vocatur autem cremastra vncus in domibus pendens è laqueari, vt in eo res suspẽdantur, quod est simile anchoræ: nam sicut anchora firmat naues infernè, sic cremastra firmat res suspensas supernè. Tertium exemplum est, per quod dicitur Ciuitates esse inæquales. Sicut enim superficies dicitur inæqualis, quia vna pars eminet alteri, sic ciuitates dicuntur inæquales, si aliqui ciues potentia emineant alijs.

5 *Sunt autem vrbanitates etiam per translationem ex deceptione. Manifestius autem fit, quod didicit, quo iam contra opinabatur: videturque animus dicere: ita vere est, ego vero errabam.*

6 *Dicta etiam commoda ex eo, quod non dicit, vrbana sunt, vt illud Stesichori, quod ei Cicadæ humi canent. Eademque de causa, quæ comprobantur ænigmata, iucunda sunt: disciplinatio enim inest.*

7 *Dicitur etiam translatio, vt Theodorus dicit, cum noua dicuntur. Quod fit, cum præter opinionem fit, nec vt ille dicit, si ad priorem opinionem conferas: verum quemadmodum in ridiculis, quæ deprauata sunt, & in salibus, qui ex literarum quadam fiunt deprauatione. Decipitur enim auditor & in metris, cum non consequatur oratio, vt auditor putabat. Ibat autem in pedibus habens vlcera. Auditor autem opinabatur calceos dicturum. Simul enim hæc dum dicuntur, aperiri oportet. Quod vero deprauatione fit, aliud facit, quam dicit, vt illud Theodori aduersus citharœdum Niconem, Turbat te. Dissimulauit enim vellé dicere, quòd te decipiat. Id enim turbat significat. At ille quoniam ex Thracia ipsum esse sciebat, aliud dicebat: quocirca discenti iucundum. Sic & in vrbanis, atque facetis, veluti apud Isocratem principatum ciuitatis principium esse malorum. Quod enim non putabatur dicturus, id dixit. Quæ omnia tunc probantur, cum per æquiuocationem, vel translationem nomen affertur, & commode, si semper bis. Nec oportet peregrinum peregrinum semper esse. Et illud Anaxandridæ, quod in primis fertur. Bonum est mori, ante quam morte dignum quid facias. Idem est enim, ac si dicas: dignum est mori, ante quam sis dignus mori. Genus igitur dictionis in istis idem est.*

5 Superest pro complemento tractatus de oratione vrbana, vt afferamus alia quædam, ex quibus oratio effici potest vrbana. Dictum est, quod plurima dicta vrbana desumuntur ex translatione. Addimus nunc, quod multa etiã desumuntur ex alijs fontibus. Primo desumuntur ex deceptione, atque errore præcedenti. Ratio est, quia dictum vrbanum est, quod delectat, quia facit, vt addiscamus facile, & celeriter, quod ante ignorabamus; ergo dicta, quæ non solum faciunt, vt addiscamus aliquid, quod ante ignorabamus, sed etiam aliquid, circa quod ante decipiebamur, & errabamus, sunt vrbaniora, & iucundiora; siquidem animus transiens ab errore ad veritatem lætatur, ac quodammodo dicit sibi ipsi: quam verum est hoc, quod didici? Ego verò quanto eram in errore?

6 Secundo vrbana desumuntur ex eo, quod aliud significetur, quam primo aspectu verba videntur significare: tum enim delectamur, quia discimus aliquid, quod sub cortice verborum latet. Ex hoc capi-

te iucunda, & vrbana sunt Apothegmata, vt illud Stesichori, cum dicens, *Cicadæ apud eos humi cantabunt*, significauit regionem ita vastatum iri, vt nulla arbor remaneret, in quam Cicadæ ascenderent, adeoque cantaturas humi. Ænygmata quoque sunt iucunda, & vrbana, quia præter quam quod continent translationem, faciunt, vt aliud intelligamus præter id, quod verba significare videntur.

7 Tertio iucundum, & vrbanum est, vt ait Theodorus, nouas res dicere. Tum verò præcipuè hæc nouitas delectat, cum profertur aliquid, quod auditor non opinabatur dicendum, adeoque non est consentaneum eius opinioni. Ex hoc fonte desumuntur ea ridicula, in quibus præter expectationem verba leuiter immutantur; nec non cauilli, in quibus parum mutantur litteræ, ideoque tales cauilli, ac tales ioci sunt vrbani, atque venusti. Plura exempla Aristoteles affert. Primum desumitur ex veteri poeta, qui de quodam cecinit:

Illi namque pedes munibat pernio eunti.

Pernio significat morbum quemdam calcanei. Cum igitur auditor expectaret dicendum, quod eunti munibat pedem calceamentum, vel calcar, poeta præter expectationem asserit, quod pedem munibat pernio. Debet autem hoc genus facetiarum esse planum, atque perspicuum, ita vt statim intelligatur. Secundum exemplum cauilli ridiculi, in quo mutatis parumper litteris, non significatur id, quod nomen primo aspectu significare videtur, est, quo Theodorus vsus est in Niconem Citharædum. Cum enim Nico, vexaretur à quodam, Theodorus illum irridens dixit θράττει σέ, quod videtur significare conturbat te; sed verè significat θράττει, hoc est facit te Thracem: quo dicto falsè obiecit Niconi matrem Thracem, & seruam, ex qua erat ortus. Scientes igitur auditores Niconem ortum ex matre Thracia, adeoque percipientes cauillum Theodori, valde delectati sunt. Tertium exemplum simile est, tu vis illum πέρσαι, quod primo aspectu videtur significare: tu vis illum vexare: sed qui hoc dictum protulit, voluit significare, tu vis illum πέρσαι, hoc est facere fautorem Persarum, & proditorem Græcorum. Aduertit autem Aristoteles, quod cum iocando vtimur ambiguis, vterque sensus verbi ambigui debet conuenire ei, de quo ambiguum dicitur, vt patere potest in allatis exemplis. Quartum exemplum est eius, qui dixit Atheniensibus ἀρχὴν maris non fuisse malorum ἀρχὴν, si quidem ipsis vtilitatem attulit; vel Isocratis, qui dixit Atheniensibus ἀρχὴν maris fuisse principium malorum. Nomen ἀρχὴ significat tum principatum, tum principium; ideoque venustè dicitur ἀρχὴ fuit vel non fuit ἀρχὴ malorum, quia dicitur aliquid præter expectationem, siquidem nemo expectasset dicendum, quod ἀρχὴ fuit, vel non fuit ἀρχὴ, cum non sit sapientis idem affirmare, vel negare de se ipso: sed verè non idem affirmatur, vel negatur, sed luditur in nomine ambiguo. Cum igitur commodè vtimur ambiguitate, vel translatione nominis, dictum euadit vrbanum, ac venustum: ex. gr. (& potest esse quintum exemplum) si quis vocetur Importunus, & dicatur, quod Importunus, non fuit importunus, dictum est venustum: ac vniuersim solet dictum esse venustum cum idem nomen repetitur in diuersa significatione, vt patere potest ex subiectis exemplis. Sextum igitur exemplum est veteris Poetæ, qui cum videret hospitem suum nimis esse verecundum, dixit: O hospes ne sis magis hospes, quam oporteat. Posset similiter dici de aliquo, qui nimis vellet sapere: O sapiens ne sis magis sapiens, quam oporteat: posset dici: non decet hospitem semper esse hospitem. Septimum exemplum est illud celebre Anaxandridæ, qui dixit: pulchrum esse mori, cum nihil morte dignum egisti. Idem enim est, ac si dixisset, dignum est mori, quando quis non est dignus mori: vel dignum est mori, cum quis non est dignus morte, vel non facit digna morte. Omnia igitur allata exempla habent eamdem, vel similem locutionis formam, ideoque deducunt suam venustatem ex eodem fonte.

8 *Verum quanto breuius, & per oppositionem dicta sunt, tanto magis probantur. Cuius rei causa est, quoniam maior disciplinatio, faciliusque propter oppositionem fit: & quoniam paucis, ideo citius. Oportet autem semper, aut ad quem dicitur, aut quod rectè dicitur, significari, si quod dicitur, & verum est, & non superficiale. Separantur enim hæc nonnunquam, hoc pacto: Mori oportet nihil peccantem. Nam id non est vrbanè dictum. Nec id: dignum oportet dignam uxorem ducere. Sed si vtra-*

si vtraque simul habebit, hoc modo. Dignum enim tunc mori, cum non sis dignus mori. Quanto autem plura contineat, tanto vrbanius videtur: vt si & verba per translationem sint, & translatio huiusmodi, & si compositio, comparitasque insit, & si geri videatur.

9 *Imagines quoque, sicut & in superioribus dictum est, translationes quodammodo sunt, & laudantur. Nam aut ex duobus constant, sicut & translatio per proportionem: veluti dicimus clypeum Martis phialam, & arcum lyram insidem. Sic igitur cum dicimus, non simplex fit: cum vero dicimus arcum lyram, aut clypeum phialam, simplex. Fingunt etiam imaginem sic, veluti simiæ pulsanti, aut lupo ad calcar madefacto: vtraque enim colliguntur. Probe vero dicitur, cum translatio insit. Possumus enim clypeum phialæ Martis assimilare. Et Niceratus, Philoctetem esse à pratyo morsu laceratum. Ita enim contulit Thrasymachus cum à Pratye victum vidisset Niceratum, versus barbatum adhuc, atque squalidum decantantem. In quibus maxime poetæ errant, cum non recte reddiderint. Veluti Philamon cum Coryco contendens dixit: Veluti apium tortuosa crura gerit. Et sunt omnia hæc imagines, quas translationes esse iam sæpe dictum est.*

8 Iam circa hæc vrbana, atque venusta Aristoteles quædam aduertit. Primum est: hæc dicta, quo breuiora sunt, & quo maiorem continent oppositionem, eo sunt venustiora, & iucundiora. Ratio est, quia eo dictum est venustius, quo facilius, & celerius addiscimus aliquid præter opinionem, & expectationem; sed quo dictum est breuius, eo addiscimus celerius, quo maiorem continet oppositionem, eo addiscimus facilius, siquidem opposita iuxta se posita facilius, ac melius intelliguntur; ergo &c. Secundum est: ad hæc dicta requiritur, vt ei congruant, in quem proferuntur, & vt venustam, & elegantem verborum structuram habeant. Ratio est, quia si quod dicitur non congruat, dictum non videbitur verum, sed inane, ac vanum, ideoque non delectabit, nec erit venustum. Si verò quod dicitur, congruat, sed non sit dictum eleganter, videbitur verum, sed adhuc non erit vrbanum. Ex. gr. si quis dicat, *mori oportet, nihil in vita peccantem: oportet dignum dignam vxorem ducere*, dicit aliquid verum, sed nihil profert vrbanum. At si dixerit: *Dignum est mori, quando quis non est mori dignus*: profert aliquod verum simul, & concinnè dictum propter antithesim, ideoque dictum est vrbanum. Tertium est: oratio eo erit vrbanior, atque venustior, quo plura continebit eorum, ex quibus vrbanitas desumitur: quia verò orationis vrbanitas desumitur ex probatis translationibus, ex antithesi, ex enargia, siue euidentia subijciente rem oculis, & ex eo, quod constet membris paribus, vt dictum est supra: ideo quo plura simul ex his continebit, eo erit vrbanior, atque venustior.

9 Tertio vrbana desumuntur etiam ex imaginibus, seu similitudinibus, & comparationibus. Imagines, ac similitudines, vt dictum est cap. 4. *sunt insignes quædam translationes*. Translationes fundatæ in proportione significant duo, quæ in aliquo sunt similia: ex. gr. translatio est, per quam dicimus clypeum esse poculum Martis; & arcum esse Citharam sine chordis. Verum cum profertur vtrumque nomen, dicendo clypeum esse poculũ Martis &c. non est simplex translatio: si verò loco nominandi clypeum, nominemus poculum Martis, vel loco nominandi arcum, nominemus citharam sine chordis, tum est simplex translatio. Proportionaliter etiam imagines, ac similitudines significant duo in aliquo conuenientia, ita vt exprimant, quod sicut se habet vnum, ita se habet alterũ, quod translatio non exprimit. Ex. gr. Imago est, per quam dicitur Tibicinem esse similem Simiæ. Sicut enim Simiæ contracto corpore sedere solent, manibus ad os appositis, ita tibicines dũ tibias inflant, videntur imitari simias. Est etiam imago, per quã dicitur lusciosus esse similis lucernæ stillanti. Ex imaginibus illæ præcipuè laudantur, in quibus apparet translatio, præsertim quæ fundatur in proportione. Tria harum similitudinum exempla Aristoteles affert. Primum est, quo dicitur clypeum videri poculum Martis: quia sicut Bacchus semper manibus defert poculum, sic Mars semper defert clypeum. Secundum est, quo dicimus ædificium ruinosum esse veluti pallium attritum; sicut enim pallium attritum paulatim scinditur, sic ædificium ruinosum paulatim dilabitur. Tertium est Thrasimachi, qui dixit Niceratum poetam

à Pra-

à Pratye in certamine carminum deuictum esse sicut Philoctetem à serpente morsum. Sicut enim Philoctetes à serpēte demorsus, in squallore, & sordibus diu vixit, sic Niceratus à Pratye victus sordibus, & coma incompta procedebat. Sicut imagines aptæ laudantur, sic imagines, ac similitudines parum idoneæ vituperantur, in ijsque sæpe peccant poetæ. Duo similitudinum parum idonearum exempla affert Aristoteles. Primum est eius, qui dixit:

Distorta vt apium crura procedens gerit.

Secundum est alterius, qui cecinit:

Sicut Philamnon iuga gerens cum Coryco.

Porro Philamnon, & Corycus erant duo Athletæ, quorum neuter facile superabatur ab altero. Videtur autem inepta similitudo, per quam pugnantes inuicem ex æquo, comparantur bobus trahentibus idem iugum.

10 *Prouerbia quoque translationes ex specie in speciem sunt: vt si quis vt boni aliquid consequatur, id adducat, vnde damnum illatum sit, vt Carpathius, inquit, leporem. Vtrisque enim quod dictum est accidit. Verum vnde vrbana dicuntur, & cur, causa ferè dicta est.*

11 *Sunt autem probatæ quoque causæ superlationes per translationem, vt in vlceribus plenum quidam dixit. Putaui enim ipsum plenam moris plenam fiscellam esse. Nā vlcus rubrum quiddam est, imò valde rubrum. Cum vero dicitur sicuti hoc, atque hoc, superlatio est, modo quodam dicendi differens: vt illud, Philamon Coryco pugnat: putaui autem ipsum Philamonem esse Coryco pugnantem: veluti apium crura esse tortuosa: putaui enim non crura, sed apia eum gerere sic tortuosa. Sunt autem etiam superlationes pueriles, quoniam vehementiam significant. Quocirca irati maxime ita dicunt: nec si mihi tot daret, quot arena, & puluis. Item, Atridæ vero Agamemnonis filiam non ducam, etiam si aurea cum Venere de pulchritudine certaret. Vtuntur autem hoc modo maxime Attici oratores: sed seni sic dicere indecorum est.*

10 Quarto etiam prouerbia sæpe sunt vrbana. Prouerbia solent esse *translationes, in quibus vna species dicitur de altera propter conuenientiam in eodem genere*. Ex. gr. de ijs, qui aliquid domum comportant, vnde commodum sperant, si damnum ex eo accipiunt, dicitur, *Carpathius leporem*. Ratio est, quia vt refert Pollux lib. 1. cum in Carpatho insula nulli essent lepores, Carpathij videntes illud animal esse optimum ad comedendum, par leporum in suam insulam comportarunt. Sed quia lepores sunt fæcundissimi, breui tempore ita multiplicati sunt, vt omnes fere fructus agrorum corrumperent, cum magno Carpathiorum damno. Quia igitur Carphathij magnum detrimentum passi sunt à leporibus, quos in suam insulam comportarunt ex spe commodi, ideo de omnibus, qui damnum reportant ex aliquo, quod domum detulerunt ex spe lucri, dicitur: *Carpathius leporem*. Explicatum igitur est, vnde ducantur dicta vrbana, & quare sint vrbana, ac iucunda.

11 Quinto quia etiam Hyperbole aliquando confert ad vrbanitatem, addenda sunt aliqua de Hyperbole. Hyperbolæ probatæ sunt quædam translationes: ex. gr. Hyperbole, per quam quis dixit de quodam, qui habebat faciem sugillatam, ac varijs maculis rubris interstinctam: *Putassetis faciem illam esse mororum Calathum*, fuit quædam translatio, per quam nomen *Calathus mororum*, propter conuenientiam in rubore fuit applicatum faciei rubris maculis deformatæ. Verum hæc Hyperbole videtur modum excedere, atque esse audacior. Sicut metaphoræ differunt ab imagine ex modo proferendi, ita Hyperbole potest ab alia Hyperbole in solo modo proferendi differre: ex. gr. loco dicendi: sicut Philamnon iuga gerens cum Coryco, potest dici: putassetis illum esse Phylamnonem cum Coryco dimicantem: & loco dicendi: Distorta vt apium crura procedens gerit; potuisset dici: Putabam eum non crura, sed apia habere; ita distorta sunt. Addit Aristoteles Hyperbolas sapere quid iuuenile, quia indicant vehementem animi motum, qui proprius est feruidioris ætatis. Quia verò irati feruidi sunt, ideo irati Hyperbolis vtuntur. Idcirco Homerus dum inducit Achillem iratū, facit illum hyperbolicè loqui. Cum enim Agamemnon ad Achillem placandum misisset illi munera, & per legatos promitteret etiam illi filiam in vxorem, Achilles & munera, & vxorem contemnit, dicens:

Non mihi si tam multa daret, quam magnus arenæ,
Pulueris, & numerus &c.
Non ducam vxorem, mihi crede, Agamemnone natam,
Quamuis ingenio sapientem Pallada vincat:
Et pulchræ Veneri præstanti corpore certet.

Quia igitur Hyperbolæ spirant feruorem quemdam iuuenilem, ideo non videntur decere virum senem, & pacatum, licet illis Attici oratores frequenter vtantur.

Qualis elocutio singulis generibus dicendi conueniat. Cap. XII.

1 *Oportet autem non ignorare, non eandem vnicuique generi eloquutionem congruere. Non enim eadem est historica, & concertatiua: nec deliberatiua, & iudicialis. Vtrunque autem necesse est scire: alterum vt Latinè dicere scias: alterum, ne cum alijs significare velis, tacere cogaris: quod patiuntur qui scribere nesciunt.*

2 *Historica igitur dictio est, quæ maxime propria est. Concertatiua vero, quæ maxime simulata est.*

3 *Cuius duo genera sunt. Nam altera morata est, altera affecta. Quapropter & histriones huiusmodi fabulas eligunt: Poetæ quoque hos, & tales. Sustinentur vero legibiles, vt Charemon, (est enim exquisitus vt historicus) & Lycimnius ex dithyrambicis.*

4 *Cumque conferuntur, historici quidem in certaminibus angusti, oratores autem boni, cum leguntur, agrestes videntur. Causa vero est, quoniam certamini congruunt.*

Explicatis virtutibus elocutionis, Aristoteles vt hunc tractatum absoluat, examinat, qualis nam elocutio singulis orationum generibus conueniat? Ac primo quidem ostendit diuersis generibus diuersam elocutionem conuenire, ac nominatim diuersam elocutionem conuenire scripturæ, diuersam orationi forensi, ac concertatoriæ, & explicat quænam sit locutio propria vtriusque generis: secundo declarat quæ debeat esse elocutio generis deliberatiui, quæ iudicialis, quæ demonstratiui: tertio probat ex dictis posse colligi, quo pacto elocutio possit esse suauis, atque magnifica, & concludit tractatum de elocutione.

1 Quoad primum: Illud exploratum omnibus esse debet, quod diuersis generibus, diuersa congruit elocutio. Neque enim eadem elocutione vtendum est, dum scribimus, quæ alij quiete legant, & contemplentur, ac dum forenses causas magna cum contentione in concionibus, ac iudicijs agimus. Rursus non eadem elocutio est accommodata orationibus deliberatiuis, ac iudicialibus. Verumtamen operæ prætium est, vt vtrumque elocutionis genus teneamus, tum illud, quod est accommodatum scribendo, tum quod est accommodatum causis concertatorijs agendis. Si enim hoc forense ignoremus, causas agentes, non poterimus loqui aptè ad persuadendum: si verò illud quietum, ac priuatum nos lateat, non poterimus quicquam scribere, quod absentibus, ac posteris tradatur.

2 Sed iam explicandum est, qualis elocutio scripturæ, qualis forensi dictioni conueniat. Dicendum, quod scripturis conuenit elocutio quædam exquisitissima: forensibus verò concertationibus conuenit elocutio non tam exquisita, sed ad agendum aptissima. Ratio est, quia quæ scribuntur, ideo scribuntur, vt quietè legantur; sed quietè legentes omnia minutim considerant; ergo elocutio scripturæ debet esse exquisitissima. Ex opposita ratione, quia qui audiunt non singula scrupulosè contemplantur, sed actione maximè capiuntur, ideo orationes concertatoriæ, atque ad agendum destinatæ, non tam requirunt elocutionem exquisitam, quam ad agendum aptissimam.

3 Si verò vlterius quæratur, quænam elocutio sit ad agendum aptissima, dicendum quod duæ species orationis maximè sunt ad agendum aptæ; oratio nimirum ethica, seu moralis, hoc est exprimens mores, & oratio pathetica, siue affectiua, hoc est exprimens affectus. Probatur ex signo: nam Histriones ad agendum potissimum quærunt fabulas, quæ exprimunt mores, atque affectus; ergo signum est, quod oratio morata, & affectiua aptissima est ad agendum: Rursus poetæ optant, vt fabulæ eorum agantur ab histrionibus, qui ex-

excellant in moribus, atque affectibus exprimendis; ergo signum est, quod præcipua virtus actionis consistat in expressione morum, & affectuum. Quia verò fabulæ poetarum ordinantur non solum ad hoc, vt agantur, sed etiam vt legantur, ideo ex poetis ij præ cæteris probantur, quorum fabulæ non solum actæ, sed etiam lectæ delectant, qualis est Chæremon, qui vtitur elocutione non minus exquisita, quam ea, qua vtuntur causarum scriptores, & qualis est Lycimnius, qui sequitur formam dicendi grandem, ac plane Dithyrambicam.

4 Ex eo, quod alia debeat esse elocutio orationum scriptarum, alia forensium, oritur, vt orationes, quæ scriptæ laudantur vt accuratæ, atque concimnæ, si in forensibus concertationibus agantur, videantur humiles, ac ieiunæ: è conuerso si orationes, quæ cum agerentur, auditæ sunt cum plausu, scriptæ oculis subijciantur, videantur incultæ, ac similes orationibus imperitorum: cuius ratio est, quia orationes ad agendum aptæ, exquisitam quamdam diligentiam non requirunt, sed potius respuunt, ac loco eius exigunt elocutionem negligentiorem, sed actioni accommodatam; ergo cum virtus talis elocutionis pendeat ab actione, sublata actione, oratio videtur inculta, ac non satis probatur.

5 *Quam ob causam simulata hæc cum actione remota suum non reddant officium, stolidiora videntur: veluti articuli, & ea, quibus sæpius idem dicitur, rectè in historia reprobantur, at vero in demonstratione oratores vtuntur. Simulata enim sunt. Est autem necessarium commutare, cum idem dicis. Nam id viam prabet actioni, hoc modo: is est, qui vestra furatus est: is qui vos decepit: is qui denique vos prodere conatus est: quod Philemon histrio faciebat in Anaxandrida gerontomania, quandocunque Rhadamanthus, aut Palamedes introducitur: & in præfatione Piorum, ego, ac ego sæpius repetit. Nam si quis hæc non rectè pronunciat, fit qui trabem portat. Et articulos similiter: Veni, offendi supplicaui. Opus enim est actione, nec vt vnum dicere, nec eodem modo, & eadem figura vocis dicere. Præterea articuli, breuiaque dissoluta proprium quiddam habent. In eodem enim tempore multa dicere videntur. Nam cum coniunctio multa faciat vnum, patet e contra, quòd vnum erit multa, si tolletur. Quare amplificant: veni, dixi, supplicaui: sed despexit, quæ dixi, quæ approbaui. Id Homerus quoque facit in illo: Nireus ab Syme, Nireus Aglaiæ, Nireus qui formosissimus. Nam cum de aliquo multa dicuntur, necesse est quoque multoties dici. Quare si multoties, multa quoque videntur. Amplificauit igitur semel eius recordatus propter deceptionem, mentionemque nullibi amplius fecit, cum & in enumeratione postremo eius meminerit.*

5 Inter alia, quæ cum actioni apprimè conueniant, in scripturis merito reprobantur, sunt crebræ repetitiones, ac dictio dissoluta. Crebræ repetitiones ideo reprobantur in orationibus scriptis, quia tum solum iucundæ sunt, cum idem repetendo modus dicendi variatur, ac semper fit vehementior; sed hæc variatio requirit actionem; ergo crebræ repetitiones requirunt actionem, illique viam quodammodo sternunt. Exemplum repetitionis in agendo probatæ est: *Iste est, qui vos expilauit; iste est, qui decepit: iste est, qui vos hostibus prodere conatus est*. Hæc autem repetitio debet pronunciari mutando vocem: quamadmodum Philemon Histrio dum ageret Alexandridæ fabulam, quæ inscribitur Gerontomania, vbi Rhadamanthus, & Palamedes verba faciunt, vocem crebro in repetitionibus mutabat, quod idem faciebat, dum recitaret prologum Piorum, vbi *ego* sæpius repetitur. Si verò tales repetitiones actione non adiuuentur, sequitur, vt actor iuxta prouerbium videatur trabem gestare, dum recitat sine actione, ac motu, ac si magno quodam onere premeretur. Proportionaliter dictio dissoluta, ac coniunctionibus vacans, qualis est *veni, occurri, rogaui* debet actione, ac vocis mutatione adiuuari, ac non debet recitari eodem animi habitu, ac si vna, & eadem res diceretur. Porro dictio dissoluta ad orationem amplificandam valet. Ratio est, quia coniunctio ex multis vnum efficit; ergo oratio dissoluta, & coniunctionibus vacans facit, vt ex vno fiant quodammodo multa; sed ex vno facere multa est quoddam genus amplificandi; ergo oratio dissoluta valet ad amplificandum. Ex. gr. rem amplificat qui dicit: *Veni, narraui, supplicaui,* nec non qui dicit, *videtur omnia negligere, quæ narro, quæ dico,* quia facit, vt

quæ sine coniunctione proferuntur, multa videantur. Similem vim amplificandi continet repetitio: ideoque Homerus egregiè laudes Nirei, de quo in toto suo Poemate nunquam amplius facturus erat mentionẽ, amplificauit tribus versibus, ter eius nomen repetens, ac dicens secundo Iliados, vbi texit catalogum nauium:

Nireus è Symo ternis cum nauibus ibat;
Nireus Aglaiæ, Charopique è sanguine natus;
Nireus aspectu ante alios pulcherrimus omnes.

Vsus est autem hic Homerus fallacia consequentis. Quia enim necesse est, vt sæpius nominetur is, de quo multa dicuntur, Homerus ter repetens nomen Nirei, facit, vt existimemus multa de illo esse in Iliade dicenda, ideoque hac repetitione obtinuit, vt licet in tota Iliade adhuc nihil erat de Nireo dicturus, ita nomen, & famam Nirei memoriæ lectoris impresserit, ac si de ipso multa dixisset.

6 *Deliberatiua vero elocutio adumbrationi, atque picturæ omnino similis est. Nam quanto maior populus sit, tanto longius spectant. Quapropter quæ exquisita sunt, superuacua magis, peioraque in vtrisque videntur.*

7 *Iudicialis autem exquisitior, multoque magis, si apud vnum iudicem. Minimum namque id est in rhetoricis. Nam quod ad rem pertinet, breuis est: aliena vero, & concertatio absunt: quare iudicium purum est. Quapropter nec ijdem in omnibus his comprobantur oratores: sed vbi actionis plurimum, ibi minimum est exquisitæ eloquutionis: id vero vbi voce, ac maxime vbi magna opus est.*

8 *Demonstratiua vero dictio, historica maxime, cuius opus lectio: post hanc iudicialis.*

6 Quoad secundum: superest iam, vt explicemus, qualis nam elocutio congruat generi deliberatiuo, iudiciali, ac demonstratiuo? Dicendum primo: in genere deliberatiuo non debemus sectari elocutionem valdè exquisitam, & minutam, sed solum debemus curam ponere in quibusdam magis eminentibus, & obuijs, quæque etiam ab imperita multitudine perspici possunt. Probatur, & explicatur exemplo. In pictura enim vmbratili, quæque solum ex loco remoto est conspicienda, non debet poni cura in quibusdam minutioribus, quæ solum ex propinquo possunt conspici, sed tantum in maioribus, quæ videntur à longe; sed multitudo imperita, ad quam dirigitur genus deliberatiuum, orationem contemplatur quodammodo à longe, ideoque minutiora non aduertit; ergo in genere deliberatiuo superuacanea est exquisita illa elocutionis concinnitas.

7 Dicendum secundo: in genere iudiciali forma dicendi debet esse accuratior, & exquisitior, quam in deliberatiuo. Ratio est, quia orationes generis iudicialis diriguntur non ad magnam, & imperitam multitudinem, sed ad iudices pauciores, & peritiores, qui proinde & res, quæ dicuntur, & formam dicendi ex propinquo contemplantur. Quod si coram vno tantum iudice res agatur, magis laborandum est in ijs, quæ spectant ad rem ipsam, siquidem minus orator extrinsecis eloquentiæ præsidijs vti potest. Vnus enim iudex facilius perspicit, quid ad causam pertineat, & quid alienum sit, ac remoto studio contentionis potest incorruptè iudicare. Quia non idem genus dicendi congruit deliberationibus, ac iudicijs, ideo non omnes oratores excellunt in vtroque genere, sed aliqui, qui maximè valent actione, ac magnitudine vocis, excellunt in concionibus, quæ habentur ad populum, alij, qui non tam valent actione, quam exquisitiore genere dicendi, excellunt in iudicijs, vbi res debent accuratius tractari.

8 Dicendum tertio: exquisitissima forma dicendi maximè conuenit generi demonstratiuo, ideoque orationes generis demonstratiui sunt aptissimæ ad hoc, vt scribantur. Ratio est, quia orationes demonstratiuæ ordinantur ad hoc, vt legantur; sed orationes, quæ ordinantur ad hoc, vt legantur, debent continere omnia genera ornamentorum; ergo &c. Proximè sequuntur orationes iudiciales, quæ postulant genus dicendi magis exquisitum, quam deliberatiuæ, vt dictum est num. 6.

9 *Superuacuum vero est eloquutionem in iucundam, & in magnificam diuidere. Nam cur id magis, quam in liberalem, & modestam, & in alias morum virtutes? Quæ enim dicta sunt, ea iucundam faciunt: siquidem eloquutionis virtus rectè*

defi-

definita est. Cuius enim gratia non humilem, sed dilucidam, atque decentem oportet esse. Nam si prolixa est, non est dilucida: sed nec etiam si breuis. Patet igitur mediocritatem commodam esse. Iucundam quoque facient, quæ dicta sunt, si trita, & prisca bene collocentur, & numerus, & verisimilitudo ita vt decet. Ac de dictione quidem, ac eloquutione, & communiter de omni, & seorsum de singulorum generum dictum est. Restat modo de ordine dicere.

9 Quoad tertium: cum fusè egerimus de virtutibus elocutionis, superuacaneum iam videtur, vt cum quibusdam rhetorum dicamus elocutionem debere esse suauem, atque magnificam. Et primo quidem dum dicunt orationem debere esse magnificam, similiter se habent, ac si dicerent orationem debere esse liberalem, vel temperantem; sed hæc non dicuntur; ergo neque illud est dicendum, sed sufficit vniuersim asserere orationem debere esse moratam, adeoque debere exprimere mores secundum virtutem. Secundo nos iam explicauimus, quæ sint virtutes elocutionis, ac diximus illam debere esse perspicuam &c; sed si locutio habeat tales virtutes, eo ipso erit suauissima, ac iucundissima; ergo nihil est, cur addamus orationem debere esse suauem. Confirmatur, quia omnes enumeratæ virtutes elocutionis eo tendunt, vt oratio sit suauis; sed nos tales virtutes enumerauimus, ac diximus orationem debere esse perspicuam, sed non humilem; grandem, sed decoram, & cum re conuenientem; neque concisam, ac nimis breuem, neque verbosam, ac nugatoriam, sed mediocriter se habentem; siquidem tum nimia verbositas, tum nimia breuitas aufert orationis perspicuitatem, eaque ablata oratio erit iniucunda: Addidimus omnia esse temperanda, adeoque verba vsitata miscenda cum peregrinis; oratorium numerum debere esse talem, vt seruet decorum, & sit aptus ad persuadendum; ergo abundè docuimus, quo pacto elocutio possit esse suauis, & iucunda. Hæc igitur de elocutione tum communi, tum de ea, quæ singulis generibus conuenit, dicta sufficiant. Reliquum iam est, vt de dispositione, atque ordine elocutionis disseramus.

Quot, & quæ sint partes orationis. Cap. XIII.

1 *SVnt igitur duæ orationis partes. Necesse enim est primo rem exponere, de qua; deinde demonstrare. Idcirco non demonstrare cum exposueris, vel demonstrare antequam exposueris, impossibile. Nam & qui demonstrat, aliquid demonstrat: & qui exponit, demonstrandi gratia exponit. Horum autem alterum propositio est, alterum fides, veluti si quis diuidat, ac dicat alterum esse problema, alterum demonstrationem.*

2 *Nunc autem ridiculose diuidunt. Nam narratio iudicialis solum orationis est. Demonstratiuæ autem & deliberatiuæ, quomodo potest esse narratio, qualis ab his dicitur? aut quæ in aduersarium feruntur, aut demonstrationum enumeratio? Proœmium vero, & collatio, & replicatio tunc in concionibus fiunt, cum controuersia insit. Nam accusatio, atque defensio sæpe: verum non ita deliberatio. Sed epilogus adhuc neque iudiciali omni: veluti si breuis oratio est, aut si res memoratu facilis. Accidit enim ei, vt prolixitatem imminuat. Quare partes necessariæ, propositio, & fides. Propriæ itaque hæ.*

ABsoluto tractatu de elocutione, in hac vltima parte horum librorum Aristoteles agit de dispositione, seu de partibus orationis: ac primo quidem examinat quot sint partes orationis.

1 Dicendum igitur primo, quod partes necessariæ orationis sunt duæ tantum, propositio nimirum, & probatio, seu confirmatio. Ratio est, quia partes necessariæ orationis sunt, sine quibus non potest orator obtinere finem persuadendi; sed non potest obtinere talem finem, nisi primo proponat rem, de qua est agendum, deinde illam probet, & argumentis confirmet: si enim rem solum exponat, ac narret, sed non probet, non persuadebit: & ex alia parte non potest persuadere, quod prius non exposuerit; ergo partes necessariæ orationis sunt duæ: prima per quam res proponitur, & vocatur propositio; secunda, per quam quod propositum est probatur, & vocatur confirmatio. Propositio porro antecedit probationem, & ad il-

stam ordinatur, siquidem ideo rem proponimus, vt probemus, nec possumus probare, nisi ante proposuerimus. Partes agitur orationis proportionaliter correspondent partibus scientiarum demonstratiuarum. Nam sicut in scientijs ex. gr. mathematicis primo ponitur problema, vel Theorema demonstrandum, deinde subiungitur demonstratio; sic in oratione prius res exponitur, deinde probatur.

2 Confirmantur reijciendo sententias aliorum, qui dicunt esse necessarias alias partes, quæ non contineantur in duabus assignatis, puta narrationem, refutationē, perorationem, exordium, contentionem, repetitionem &c. Primo enim narratio est *expositio rei, de qua est agendum*, adeoque continetur in propositione; ac præterea licet in iudicijs soleat res gesta narrari, adhuc in deliberationibus, & in genere demonstratiuo non est vniuersaliter necessaria narratio rei gestæ. Secundo refutatio eorum, quæ dicta sunt ab aduersario, comprehenditur in probatione, seu confirmatione, ac præterea in genere deliberatiuo, & demonstratiuo, cum nullus est aduersarius, nulla requiritur refutatio. Tertio in exornationibus non est vniuersim necessaria peroratio, sed sufficit res laude dignas exponere, & amplificare, & talis amplificatio fungitur munere probationis, seu confirmationis. Quarto procemium, siue exordium tum solum est necessarium, cum auditorum animi sunt præparandi; sed in deliberationibus, ac demonstrationibus auditorum animi plerumque supponuntur iam esse præparati; ergo non est necessarium. Quinto contentio, per quam quæ nos diximus conferuntur cum ijs, quæ dicta sunt ab aduersario, ac repetitio dictorum ab aduersario tum solum requiruntur in deliberationibus, cum controuersia est inter eos, qui sententiam dicunt, in quo casu aliquando etiam datur accusatio, & defensio; sed tum deliberatio habet quamdam speciem iudicij, siquidem deliberantes debent iudicare de sententijs altercantium; ergo non requiruntur in deliberationibus, quatenus deliberationes sunt. Peroratio demum, per quam epilogantur dicta, neque in iudicijs semper est necessaria. Cum enim oratio fuit breuis, vel cum dicta facile memoria tenentur, non requiritur. Patet ergo duas tantum partes orationis esse necessarias; propositionem nimirum, & probationem.

3 *Quæ autem communes, proœmium, propositio, persuasio, & epilogus. Nam quæ in aduersarium feruntur, ad fidem faciundam dicuntur. Collatio vero suorum amplificatio est, Quare pars quædam est eorum, quæ fidem faciunt. Demonstrat enim aliquid qui confert: sed exordium nequaquam, nec enumeratio, sed in memoriam reducit.*

4 *Quare si quis hæc ita diuidit, vt Theodori auditores faciebant, erit aliud narratio, & aliud pranarratio, & aliud supernarratio; elenchus quoque, ac superelenchus. Sed oportet cum speciem quandam dicas, ac differentiam, tunc nomen imponere. Aliter inane, ac nugatorium est: veluti Lycimnius in arte facit, corroborationem appellans, & aberrationem, & ramos.*

3 Dicendum secundo: licet partes necessariæ omni orationi sint solum propositio, & probatio, adhuc aliquando addendæ sunt aliæ duæ, nimirum procemium, siue exordium, & peroratio, adeoque quatuor sunt partes contradistinctæ: exordium, propositio, probatio, & peroratio, siue epilogus. Probatur, quia per exordium neque rem proponimus, neque probamus, sed solum præparamus animum auditoris ad audiendum; ergo contradistinguitur à propositione, & probatione, adeoque est pars contradistincta: peroratio non probat, sed in memoriam reducit, ac disponit ad iudicandum pro nobis; ergo etiam peroratio est pars contradistincta. E conuerso narratio exponit rem, de qua agitur; ergo comprehenditur in propositione: contentio, qua nostræ rationes conferuntur cum rationibus aduersarij, est amplificatio nostrarum rationum, per quā ostenditur illas esse meliores rationibus aduersarij: refutatio, seu reprehēsio probat rationes aduersarij non concludere; ergo cōprehenduntur in probatione; ergo partes necessariæ sunt solæ quatuor assignatæ.

4 Infertur à fortiori reijciendam esse diuisionem Theodori, & eius sectatorum, qui præter has partes distinguebant plures alias, nimirum narrationem, prænarrationem, supernarrationem, reprehensionem, superreprehensionem &c. ad easque nominandas noua nomina fingebant. Sed contra est, quia tum solum noua nomina sunt fingenda, cum noua res, quæ in rebus alijs non comprehendatur, est nominanda; sed

hæc

hæ partes comprehenduntur in alijs, quæ communiter admittuntur; ergo &c. In idem vitium frustra inuehendi noua nomina incidit Lycimnius in sua Rhetorica, vbi fingit nomina irruptionis, qua in aduersarium irruimus; aberrationis, qua studiosè declinamus à proposito; & ramorum, per quos probatio diffunditur.

De proœmio, siue exordio. Cap. XIV.

1 *EXordium igitur est orationis initiū, sicuti in poesi præfatio, & in lyræ pulsatione preludium. Omnia enim hæc initia sunt, & quasi viæ ad sequentia præparatio.*

2 *Pulsationis igitur præludium demonstratiuo exordio simile est. Nam quemadmodum qui fistula canunt, quod cantaturi sunt, id præcantatum coniunxerunt: sic in demonstratiua oratione scribendum est. Quicquid enim velis, oportet cùm statim prædixeris, producere, atque coniungere: idque omnes ita faciunt. Cuius exemplum Isocraticæ in Helenam orationis exordium. Nihil enim contentiosis sermonibus, & Helenæ commune est. Et simul si digredietur, par est, ne tota oratio eiusdem sit speciei.*

ENumeratis partibus orationis, incipit Aristoteles de singulis differere: ac primo quidem agit de proœmio, seu exordio, explicans quid sit, & quale debeat esse, quibusque ex locis duci in singulis generibus, demonstratiuo nimirum, iudiciali, ac deliberatiuo.

1 Proœmium, siue exordium est principium orationis, quod proinde ita se habet, sicut in poesi prologus, in cantu tibicinis proaulium. Sicut enim poeta in comædijs, atque tragædijs præmittit prologum, quo viam sibi munit, ac præparat ad ea, quæ deinde est tractaturus; & sicut tibicen præmittit illam cantionem, quæ dicitur proaulium, quo viam sibi sternit carmini, quod est cantaturus; sic orator præmittit proœmium, quo viam sibi præparat ad ea, de quibus est dicturus. Nimirum sicut cursores, antequam cursum aggrediantur, præparant se quodammodo ad viā, quam debent pertransire; sic oratores, poetæ, ac tibicines antequam orationem, carmen, aut cantionem inchoent, præparatione quadam vtuntur.

2 Sed iam magis in particulari agendum est de proœmio vnicuique generi accommodato, ac primo de proœmio generis demonstratiui. Proœmium demonstratiuarum orationum est maximè liberum, ideoque simile proaulio tibicinum. Sicut enim tibicines quidlibet possunt præcinere, dummodo cum cantu sequenti aptè illud copulent; sic orator scribens orationes generis demonstratiui potest à quolibet orationem inchoare, dummodo cum eo, de quo est agendum, id aptè coniungat. Ita Isocrates encomium Helenæ auspicatus est à vituperatione sophistarum, quod nihil habet commune cum Helenæ laudatione: & tamen quia illud aptè cum argumento coniunxit, laudem obtinuit. Porro hæc exordia ducta ab aliquo separato, illud etiam commodi afferunt, quod orationem reddunt variam, adeoque varietate delectant auditorem.

3 *Fluunt autem demonstratiuorum exordia ex laude, aut vituperatione: vt Gorgias in Olympiaca oratione: admiratione dignum apud multos est ô Græci: laudat enim eos, qui celebres solemnitates constituerunt. Isocrates vero vituperat, quoniam virtutem corporis muneribus honorarunt, prudentiæ autem nullum certamen posuerunt.*

4 *Et à consilio: vt si quis diceret probos viros colendos esse, ac ideo Aristidem laudare, non eos, qui nec probantur, nec improbantur, sed eos, qui cum probi sint latent, vt Alexander Priami. Hic enim consulit.*

5 *Præterea ex iudicialibus exordijs. Id autem est ex ijs, quæ ad auditorem sunt, si aut de re noua, præterque opinionem habeatur oratio, aut de difficili, aut de perulgata, vt ignoscendum sit, vt Chœrilus dicit: Nunc verò cùm omnia forte distributa sint. Demonstratiuæ igitur orationis exordia ex his sunt: ex laude ex vituperatione, ex adhortatione, ex dehortatione, & ijs, quæ ad auditorem sunt: necesseque est vel aliena, vel propria esse, quæ viam orationi faciunt.*

3 Licet exordia in genere demonstratiuo valde sint libera, adhuc operæ pretium erit, vt quædam loca ostendamus, ex qui-

quibus duci possunt. Primo possunt duci à laude, vel vituperatione. A laude duxit exordium Gorgias eius orationis, quam Olympicum inscripsit, eo quod illam habuerit in quinquennali ludorum Olympicorum solemnitate. Laudauit enim Græcos ex eo, quod tales celebritates instituissent, vt patet ex principio orationis, quod est: *Apud multos in admiratione sunt viri Græci*. Isocrates è conuerso Panegyricum suum simili occasione habitum incepit à vituperatione, dicens, non satis prudenter fecisse eos, qui celebritates instituerunt: propterea quod virtutibus tantum corporis præmia statuissent, non autem sapientiæ, ac virtutibus animi, quæ sunt multo præstantiores.

4 Secundo exordia generis demonstratiui duci possunt à deliberatione. Ex. gr. si quis velit Aristidem laudare, potest initium dicendi facere ex eo, quod viri sapientes sint honorandi, afferens rationes ad id probandum, ac deinde subiungere, quod ipse idcirco Aristidem laudandum suscepit. Ex hoc loco duxit procemium, qui scripsit laudationem Paridis. Dixit enim non opus esse laudare illos, qui iam sunt omnibus noti, & ab omnibus celebrantur, siquidem de eorum virtute dubitat nemo; neque laudandos esse improbos, quippe qui non laude, sed vituperatione sunt digni: sed eos esse laudandos, qui cũ probi fuerint, adhuc eorum virtus est ignota, qualis fuit Paris, siue Alexander Priami filius. Qui igitur sic exorditur, deliberat quodammodo, atque consultat de eo, quem laudat.

5 Tertio exordia generis demonstratiui sumenda sunt ex ijs, quæ videntur propria generis iudicialis. Sicut enim in genere iudiciali debemus auditorum animos præparare, sic in genere demonstratiuo, cum auditor non videtur paratus ad audiendum, eo quod de re incredibili, vel ardua, vel iam peruulgatã sumus acturi, debemus auditoris animum præparare. Et quidem cum de re peruulgata agendum est, petere debemus veniam, vt Chœrilus fecit, dicens: *at nunc, cum omnia iam sint vulgata &c.* Concludit Aristoteles epilogando dicta. Ostensum nimirum est exordia generis demonstratiui sumi posse, vel ex laude, vel ex vituperatione, vel ex deliberatione, cuius partes sunt suasio, ac dissuasio, vel ex ijs, quæ personam auditoris respiciunt, & videntur propria generis iudicialis. Dictum præterea est, quod vel possumus exordiri ab ijs, quæ sunt omnino remota, ac separata à materia, de qua agimus; vel ab ijs, quæ sunt tali materiæ propinqua, eiusque propria, & cognata.

6 *Iudicialia vero exordia idem possunt, quod fabularũ præfationes, & poesis exordia. Sed dithyrambicorum demonstratiuis similia sunt: vt illud, Propter te, atque munera tua, imò prædas. In orationibus autem, atque poesi futuræ orationis monstratio sunt, vt audientes non fiant suspensi, sed præsciant, qua de re habetur oratio. Nam quod indeterminatum esse, in errorem adducit. Qui ergo principium quasi in manum dedit, is facit, vt auditor retentus orationem sequatur. Propterea poeta dixit: iram pande mihi: Dic mihi Musa virum: Et, Dux mihi Musa sis, quonam pacto ex Asiatica tellure bellum in Europam ingens irrupit. Tragici quoque fabulam significant, quamuis non statim, vt Euripides. In præfatione tamen ipsa significant, sicut & Sophocles, Mihi pater Polybus erat. Comœdia etiam eodem modo. Exordij ergo id proprium opus est, maximeque necessarium, finem ostendere ipsum, cuius gratia oratio habetur. Quare si patet, & res parua sit, non est vtendum exordio.*

6 Sequitur, vt agamus de exordijs generis iudicialis. Sicut exordia generis demonstratiui sunt similia proaulio tibicinũ, vt dictum est nu. 2. sic exordia generis iudicialis similia sunt prologis fabularum, & heroici carminis initio: principia verò dithyramborum, cum sint maximè libera, similia sunt exordijs generis demonstratiui, eo pacto, quo quidam dithyrambum incepit ab aliquo valde remoto, dicens: *Propter te, tuaque munera, ac spolia &c.* Porro prologus fabularum, & initium carminis heroici ad eum præcipuè finem ordinatur, vt sit specimen futuri carminis, per quod specimen auditor possit præuidere, de quibus rebus futurus sit sermo, adeoque auditoris animus non remaneat suspensus, & incertus. Cum enim animus nescit, de quo determinatè sit agendum, huc, illucque vagatur: quod ne contingat, necesse est, vt Poeta initio auditorem instruat, ac paulatim manuducat per ea, quæ dein-

deinde est narraturus. Ideo Homerus, vt auditorem de dicendis informaret, Iliadem inchoauit, dicens:

Iram diua grauem Pelidæ profer Achillis &c.

Odysseam vero auspicatus est:

Dic mihi musa virum capta post tempora Troiæ:

Alius vero Epicus poeta suum carmen exorsus est, dicens:

Musa age iam alterius dux nobis carminis esto,
Vt magnum ex Asia bellum processit in oras Europæ.

Tragici etiam Poetæ fabulæ argumentum docent vel initio, vt facit Euripides, vel in aliqua parte prologi, vt Sophocles in Oedypo Tyramno, vbi Oedypus inducitur dicens, *Pater mihi fuit Polypus &c.* Eumdem morem sequuntur Poetæ comici. Proportionaliter in genere iudiciali maximè necessarium, ac proprium exordij munus est finem institutæ orationis aperire: ideoque cum causa, de qua agitur, est auditoribus nota, vel parui momenti, licebit procœmium omittere.

7 *Cætera vero genera, quibus vtuntur, communia, & media sunt quæ vel ab ipso dicente ducuntur, vel ab auditore, vel à rebus, vel ab aduersarijs.*

8 *A nobis igitur & ab aduersario quæcunque ad calumniam pertinent, ita ducuntur, vt vel soluantur, vel confirmentur, sed non in eodem loco. Nam qui defendit, primum ad calumniam respondet: qui vero accusat, in peroratione inuehitur. Nec causa latet. Necesse nanque est defendenti, quæ impedimento sunt, primum dissoluere: calumnianti vero in peroratione id facere, vt audientes melius meminerint.*

9 *Auditor autem disponitur, si ad beneuolentiam, vel ad iram prouocatur, & interdum si attentus fit, aut contra contemnent. Non tamen semper conducit attentum facere. Multi nanque conantur ad risum deducere. Ad docilitatem igitur omnia refert, & si quis ita vult etiam, vt probus videatur. His enim magis attendunt. Attenti ergo fiunt rebus magnis, iustis, nouis, iucundis. Quare faciendum, vt de his oratio esse videatur. Ad contemnendum vero aptos faciemus, si rem dicemus paruam, si doloris effectiuam, si nihil ad eos pertinere.*

7 Licet proprijssimum procœmij munus sit, vt rei, de qua agendum, est summã proponat, adhuc in genere iudiciali vtuntur oratores alijs speciebus procœmiorum, quæ nihil aliud sunt, quam quædam remedia, quibus animi iudicum, si forte offensi sint, nobis concilientur, & causæ faueant. Huius generis procœmia omnia ducuntur vel à causa, vel à personis. Et quia tria genera personarũ in iudicijs interueniunt: orator nimirum, qui consideratur, vt faciens vnum cum eo, cuius personam sustinet; auditores, qui iudicant; & aduersarius; ideo exordia duci possunt vel à causa, vel ab oratore, vel ab auditore, vel ab aduersario. Ita tamen ab his possunt exordia duci, vt non solum initio orationis, sed etiam in progressu, & in fine debeat aliquando orator his vti ad auditorem sibi conciliandum, ideoque quæ de his dicentur, non sunt exordij propria, sed latè pertinent ad cæteras etiam partes orationis.

8 Primo igitur ex oratore, vel ex aduersario petuntur, quæ spectant, aut ad inferendum crimen aduersario, aut ad crimen, quod oratori aduersarius impegit, dissoluendum. Hoc loco non eodem modo vti debet accusans, ac defendens. Defendens enim ab ipso orationis initio debet criminibus obiectis occurrere. Accusans verò in orationis fine, ac peroratione debet aduersarium criminari. Ratio est, quia cum reus, ac patronus, qui partes substinet rei, contendat se in gratiam iudicum insinuare, debet initio remouere impedimenta; sed crimina ab aduersario obiecta impedimento sunt, ne reus gratiam iudicum obtineat; ergo ipso orationis initio debet crimina sibi obiecta refellere. Accusator è conuerso debet in fine, ac peroratione aduersarium criminari, vt magis obiecta crimina hæreant memoriæ iudicum.

9 Secundo ad auditorem pertinent, quæ spectant eo, vt vel eum nobis beneuolum faciamus, vel in aduersarium concitemus, vel vt reddamus attentum, vel vt reddamus non attentum. Aliquando siquidem causæ prodest, vt auditor non attendat, sed ad alia diuertat, ideoque oratores aliquando ex hoc fine ad risum commouent. Ad reddendum oratorem docilem confert, si rei summam proponamus, vt dictum est num 6, cum de procœmio proprijssimo disseruimus. Confert etiam, si orator vir bonus

bonus appareat: nam talibus nos attentiores præbemus. Redduntur etiam attenti auditores, cum proponimus ipsis res magnas, ad ipsos pertinentes, admirabiles, ac iucundas: ideoque cum volumus, vt auditores attendant, debemus eos admonere, quod oratio erit de talibus, hoc est de magnis, spectantibus ad ipsos, admirabilibus, atque iucundis. Quod si è conuerso volumus auditores non attendere causæ, debemus dicere rem, de qua agitur, parui esse momenti, nihil ad eos pertinentem, molestam, atque odiosam.

10 *Non oportet autem ignorare extra orationem hæc esse omnia. Ad prauum enim dicuntur auditorem, qui quæ sunt extra rem, libenter audit. Nam si talis non est, non est opus exordio, nisi vt res summatim dicatur.*

11 *Est autem omnium partium communis attentio. Vbique enim magis remittuntur, quam in principijs. Quare ridiculus qui solum in principio collocat, quando maxime omnes attente audiunt. Vbicunque igitur opus erit, dicendum: Animaduertite quæso: nam hæc res non est magis mea, quam vestra. Vel, Dicam enim vobis nouum, atque inauditum crimen, vel rem ita mirabilem. Id vero est, vt Prodicus dixit, cum ad somnum auditores deferuntur, pecuniam inter ipsos spargere.*

12 *Quod vero ad auditorem, non in quantum auditor, patet. Nam omnes vel calumniantur, vel à timore se in exordijs dissoluunt. Dicam, ò Rex.*

10 Iam circa dicta Aristoteles aduertit aliqua notatu digna. Primum est, quod vt dictum est lib. primo cap. 1. hæc omnia, quibus in prœmio, vel in reliquis partibus orationis vtimur ad Auditorem nobis conciliandum, vel in aduersarios concitandum, extra causam sunt; siquidem ad causam spectant ea solum, quibus probatur rem ita, vel ita se habere. Eatenus igitur his vtendum, quatenus agimus cum auditore prauo, quique libenter audit quæ ad rem non spectant. Si verò auditor, ac iudex ita esset rectus, vt ea solum vellet audire, quæ ad rem probandam pertinent, procul dubio non esset opus prooemio, sed sufficeret propositio, qua summatim totius causæ capita comprehenderentur, ad hoc, vt orator in ipso orationis initio totum causæ corpus delineatum quodammodo cerneret.

11 Secundo est aduertendum, quod hoc, quod est reddere auditorem attentum, non est proprium prooemij, sed est commune omnium partium orationis; siquidem in omnibus orationis partibus conandum est, vt cum causæ prodest, auditorem attentum habeamus. Confirmatur, quia auditores magis in progressu, quam in principio orationis animum auocant ab ijs, quæ dicuntur; ergo ridiculum est initio solum, cum auditores solent esse attenti, conatum adhibere, vt eos attentos habeamus: in progressu verò, cum non solent esse adeo attenti, id negligere; ergo in omnibus orationis partibus, cum se præbet opportunitas, captanda est attentio, dicendo ex. gr. *Mihi animum aduertite: neque enim mea magis, quam vestra res agitur*; vel *dicam vobis acerbum facinus nunquam alias à vobis auditum*; *vel certè tale, vt nunquam aliquid æquè admirabile vestras ad aures peruenerint*. Idcirco Prodicus insignis sophista, cum auditores dormitantes videbat, vt ad nouam eos attentionem excitaret, promittebat se illis aliquid dicturum ex illa sua quinquaginta dracmarum demonstratione. Iactabat nimirum Prodicus se quamdam habere demonstrationem, qua qui vteretur, ex omnibus causis victor euaderet; eamque dracmis quinquaginta docere consueuerat. Vt igitur auditores excitaret, promittebat se aliquid illis ex tali demonstratione dicturum, & hac arte nouam ab ijs attentionem obtinebat.

12 Tertio aduertendum est, quod prooemium non dirigitur ad auditorem, quatenus auditor est. Probatur, quia ea solum diriguntur ad auditorem, quatenus auditor est, quæ spectant ad causam, de qua agitur; siquidem auditor, vt auditor vult edoceri de causa, ac de rationibus, quæ sunt pro vtralibet parte; sed oratores in prooemio loco exponendi causã, conantur criminando aduersarium contra ipsum concitare auditorem, vel se excusando, metum, quem conceperunt abijcere; ergo &c. Quod autem oratores soleant adhibere prooemium non tam gratia edocendi auditorem de causa, quam gratia se excusandi &c. probat Aristoteles duobus exemplis. Primum desumitur ex Antigone Sophoclis, vbi nuncius accedens ad Creontem Regem, vt ei narraret, quo pacto Polynicis

lynicis cadauer contra eius edictum fuisset sepulturæ mandatum, exordio vtitur ad ostendendum se culpæ violati edicti immunem fuisse, dicens: Dicam haud equidem ò Rex, quanta diligentia &c. ac multa dicit ad causam non spectantia. Secundum exemplum desumitur ex Euripidis Iphigenia in Tauris, vbi cum Iphigenia longo exordio se excusaret apud Thoantem regem, Thoas illam interturbat dicens: Quid vteris exordio.

13 *Qui vero rem turpem habent, aut habere videntur, his vbiuis immorari confert magis, quàm in re. Quapropter etiam serui non respondent ad interrogata, sed quæ circa illa sunt, ea dicunt, & exordiuntur.*

14 *Vnde autem beneuoli fiant, & de huiusmodi cæteris dictum est. Verum quoniam probe dicitur, ad Phæacas mihi præsta Pallas amicum, miserabilemque venire: hæc duo summopere spectanda sunt.*

15 *In demonstratiuis autem faciundum, vt auditor collaudari, aut seipsum, aut genus, aut studia sua putet, vel alio quodam modo. Nam quod Socrates in funebri dixit, non esse difficile laudare Athenienses apud Athenienses, sed apud Lacedæmonios: id verum est.*

13 Quarto aduertendum est, quod exordium tum maximè est necessarium, cum malam causam habemus, vel habere videmur: tum enim melius videtur de qualibet alia re, quam de causa agere, ideoque longa insinuatione est vtendum, vt paulatim, velut aliud agentes, auditores nobis conciliemus, ac sic demum post varias ambages ad causam descendamus.

14 Quinto aduertendum est, quod cum lib. 2. de affectibus agentes explicauerimus per quæ homines reddantur beneuoli, ijs est vtendum ad hoc, vt auditores nobis beneuolos reddamus. Addimus, quod duo præcipuè spectant ad reddendos auditores reo ita beneuolos, vt eum subleuatum velint. Primum est, vt reus videatur bonus; per hoc enim mouebuntur ad illum amandum: secundum est, vt videatur miserabilis; per hoc enim mouebuntur ad illum subleuandum. Idcirco Vlysses apud Homerũ lib. 14. Odyss. naufragio ad Phæacas eiectus, ita Palladem precatur:

Effice vt aduenia diua ad Phæacas amicus,
Et miserabilis.

Si enim videretur ipsis bonus, adeoque amore dignus, & simul miserabilis, adeoque indigus ope, proculdubio auxilium ab ipsis erat impetraturus.

15 Sextum est: in exordijs generis demonstratiui, vt auditorem reddamus beneuolum, & attentum, conandum est, vt illi se ipsos vna laudari putent, eo quod laudemus genus, studia, & alia huiusmodi, quæ auditoribus etiam sunt communia. Verum siquidem est id, quod apud Platonem in Menexemo Socrates in funebri oratione dixit, quod nimirum non difficile est Athenienses laudare Athenis; libenter enim vnusquisque audit laudationem, quam putat ad se pertinere: at difficile est laudare Athenienses Lacedæmone, quia non libenter audimus ea laudari, quæ ad nos non spectant.

16 *Deliberatiua autem orationis exordia ex iudicialibus rationibus fiunt. Nam propriæ minime habet. Nam cùm de quo sciunt, dicatur, non eget res exordio, nisi aut propter seipsum, aut propter aduersarios, aut si non tantum, quantum vult, sed vel maius, vel minus arbitrantur. Quas ob res vel calumniandum, vel dissoluendum est, & aut amplificandum, aut attenuandum. Horum igitur causa, exordio in deliberatiuis opus est, aut etiam ornatus causa, quoniam manca videntur nisi habeant: qualis Gorgiæ laudatio in Elios. Nam cùm nihil prædixerit, neque commouerit, illico erupit: Elis ciuitas felix.*

16 Superest iam, vt vltimo loco de exordijs generis deliberatiui differamus. Dicendum, quod exordia generis deliberatiui desumenda sunt ex genere iudiciali. Ratio est, quia exordium per se est necessarium ad hoc, vt auditores edoceamus de ijs, de quibus est agendum; sed deliberantes sciunt de quibus instituta est deliberatio; ergo in genere deliberatiuo per se non est necessarium exordium; ergo solum potest esse necessarium per accidens, vel ex eo, quod orator sit suspectus auditoribus propter crimina illi ab aduersario obiecta; vel ex eo, quod aduersarius gratiam, ac fidem apud auditores obtinuerit; vel ex eo, quod auditores existiment rem, de qua agitur, esse maioris, aut minoris momenti, quam orator optet illam censeri. Si igitur adhi-

adhibendum est exordium ex eo, quod aduersarius fidem, & gratiam auditorum obtinuerit, orator debet in prooemio aduersarium criminari; si adhibendum est ex eo, quod orator sit auditoribus suspectus propter crimina ab aduersario obiecta, debet vti exordio ad talia crimina refellenda: demum si exordium censetur necessarium ex eo, quia auditores res existiment maioris, aut minoris momenti, quam orator vellet, debet orator præmittere exordium ad rem amplificandam, vel diminuendam. Potest etiam esse ratio præmittendi exordium, ne si ex abrupto de re agere incipiamus, oratio temerè, ac subito effutita esse videatur. Sicut enim Athletæ dum in certamen descendunt, antequam manus conserere incipiant, quadam cum venustate brachia extendunt, & huc, illucque mouent, vt se ad certamen præparent: sic oratores antequam rem aggrediantur, debent quædã præmittere, per quæ orationi præludant. Contra hoc autem præceptum peccauit Gorgias, dum encomiũ in Elienses scriptum ex abrupto inchoauit dicens: *Elis fortunata Ciuitas*.

De Criminatione, seu de arte crimina aduersario objciendi, & obiecta dissoluendi. Caput XV.

1 *AD dissoluendam vero calumniam vnus quidem locus, vnde quispiam turpem existimationem propulsaret. Nihil enim differt, siue quis inuectus est, siue non: quare id vniuersale.*

2 *Alius locus, vt illata crimina depellas, aut quod non sunt, aut quòd nocua non sunt, aut non huic, aut non tanta, aut non iniusta, aut non magna, aut non turpia, aut non habentia magnitudinem. De his enim quæstio: vt Iphicrates aduersus Nausicratem dixit, fecisse se quod ille dicebat, & nocuisse, sed non fecisse iniuriam.*

3 *Aut aliud alij opponendum, hoc pacto: nocuum, sed honestum: dolorem inferens, sed vtile: cæteraque huiusmodi.*

4 *Alius locus, quòd error, vel aduersa fortuna, vel necessitudo fuit: sicut Sophocles dixit, timere se non vt accusator dixit, vt senex videatur, sed inuitus. Non enim vellet se annos octoginta natum. Præterea finem pro fine opponere: noluit nocere, sed hoc voluit. Et fecisse quidem id, de quo accusatur, nocumentum vero accidisse: par autem odio me haberi, si vt sit eueniret, fecissem.*

1 QVia vt dictum est aliquando orator in exordio debet crimina ab aduersario obiecta dissoluere, & præsertim in peroratione crimina aduersario objcere, ideo agendum est de criminatione, in quantum versatur non solum circa crimina objcienda, sed etiam circa crimina obiecta dissoluenda. Primo igitur illud vniuersim dici potest, quod orator ea debet afferre, quæ valent ad delendam ex animo malam existimationem, seu sponte illam auditores conceperint, seu aduersarius, vel quilibet alius eam animis auditorum ingenerauerit. Perinde siquidem officit causæ, quod malam auditores de oratore habeant existimationem, vndecunque illam comparariut.

2 Sed magis in particulari tradendi sunt loci, ac modi, per quos criminibus obiectis, ac vniuersim malæ existimationi occurratur. Primus modus est, vt ijs vtamur remedijs, quibus vti solemus in rebus controuersis. Cum igitur de aliquo facto est controuersia, multis modis possumus occurrere. Primo enim possumus factum negare: secundo admittendo factum, possumus negare id fuisse perniciosum: tertio admittendo factum fuisse perniciosum, possumus negare id fuisse perniciosum illi, cum quo est controuersia: quarto admittendo hoc ipsum, possumus negare tantopere illud fuisse perniciosum, quantũ aduersarius contendit: quinto hæc admittendo, possumus negare illud fuisse iniustum, aut possumus asserere non magnam continuisse iniustitiam: sexto possumus negare rem fuisse turpem: septimo demum possumus asserere id, de quo agitur, parui esse momenti. Omnibus igitur his possumus vti ad criminationem aduersarij depellendam. Hoc loco vsus est Iphicrates contra Nausicratem; confessus enim se fecisse, quod Nausicrates obiecerat, atque etiam nocumentum intulisse, negauit se iniustè egisse.

3 Secundus modus est, vt fateamur nos aliquid fecisse mali, sed dicamus id compensatum fuisse alijs bonis. Ex. gr. si Imperatori obiectum fuerit, quod malè pugnauc-

gnauerit, poterit se excusare dicendo, quod licet perniciosum fuerit pugnam oblatam suscipere, adhuc honestum fuit, ac plenum dignitatis certamen cum hoste, etiam viribus superiore non detrectare. E conuerso si quis accusetur, quod rem valde molestam, ac periculosam susceperit, poterit se tueri dicendo, se rem quidem molestam, ac periculosam, sed vtilem, ac pene necessariam Reipublicæ suscepisse.

4 Tertius modus est, vt dicatur id, quod obijcitur, errore, vel infortunio, vel necessitate euenisse. Hoc loco vsus est Sophocles. Cum enim fuisset accusatus, & in iudicium veniens toto corpore contremisceret, accusator obiecit eum sponte tremere, vt senior videretur, & iudices ad misericordiam commoueret. Respondit facetè Sophocles se non sponte esse octogenarium, ideoque nec sponte tremere. Possumus etiam nos excusare dicendo, quod non ob eum fecimus finem, quem aduersarius obiecit. Ex. gr. si quis accusatur, quod læserit, potest se excusare dicendo, quod non fecerit animo lædendi, sed accidit, vt alter læderetur. Sicut igitur essem dignus odio, si animo lædendi id fecissem, ita cum hoc non egerim animo, dignus sum excusatione.

5 *Alius, si deprehensus in eo crimine calumniator vel nunc, vel alias, & aut ipse, aut propinquorum aliquis.*

6 *Alius, si alij quoque comprehenduntur, quos aduersarij non esse reos concedunt: vtputa, si adulter mundus est: & hic ergo.*

7 *Alius, si alios quoque calumniatus est, aut si alius ipsum, aut si absque calumnia credebantur, veluti & ipse nunc, qui tamen extra id crimen erant. Alius calumniari calumniantem. Cur enim cum ipse parum credat, huius verba creduntur?*

8 *Alius, si iudicium factum est, veluti Euripides aduersus Hygiænontem in Antidosi accusantem impietatis, quod scripserit peierandum esse cùm dicat: Lingua iurauit, mens vero minime respondit iniuriam facere Hygiænontem, cum iudicia Dionysiaci certaminis in forum ducat. Ibi enim causam dixisse, dicturumque, si accusare voluerit.*

9 *Alius, accusatorem accusando: vtputa quod alia iudicia quærit, quod rebus non credit.*

5 Quartus modus est, vt aduertatur, an aduersarius, vel aliquis eius propinquus, vel nunc, vel antea eius criminis sit particeps, quod obijcit reo. Tum enim criminationem in accusatorem retorquendo nō difficile eludemus.

6 Quintus modus est, si ostendatur sub criminatione comprehendi etiam eos, quos accusator fatetur esse à tali crimine immunes. Si enim illi censentur insontes, etiam reus censendus est insons. Ex gr. si aduersarius fatetur hunc, cum sit adulter, esse sceleris purum, etiam hic, & ille sceleris erit purus.

7 Sextus modus est, si ostendatur accusatorem alios falsi criminis insimulasse; eo enim ipso verisimile fit, quod nunc falso insimulet reum: vel ostendatur eos, qui nunc accusantur, alias fuisse falso accusatos: verisimile enim est, quod etiam nunc falso accusentur. Ad depellendam etiam malam existimationem potest dicere, quod ijdem, cum alias nullo accusante in suspicionem criminis venerint, inuenti sunt innocentes.

8 Septimus modus est, si ostendamus iam factum fuisse iudicium de crimine obiecto, adeoque standum iudicatis. Hoc loco vsus est Euripides contra Higiænontem in causa, quæ Antidosis dicebatur. Cum enim obijceret illi, quod per eum versum:

Iuraui lingua, mentem iniuratam gero:

Doceret peierare; dixit accusatorem iniustè agere, qui iudicia iam olim in certamine Liberi Patris iudicata, in forum adduceret: se enim iam in eo tribunali rationem eius criminis reddidisse, atque iterum redditurum, si vellet ibi accusationem instituere.

9 Octauus modus est, vt digrediamur ad calumnias, ac falsas accusationes vituperandas, ostendendo, quam graue malum sit calumnia, & quantum iudicia perturbet. Hac enim vituperatione obtinebimus, vt auditores ita calumniæ fiant inimici, vt etiam, quæ verè non sit, putent esse calumniam.

10 *Communis autem vtriusque è signis est: veluti Vlysses in Teucrum, quod propinquus esset Priamo: Soror enim Hesione: ille vero: at pater Telamon Priami hostis. Tu autem etiam exploratores non prodidisti.*

Alius

11 *Alius accusatoris proprius, cùm parum laudat, vt magis vituperet: magnum breuiter: aut cùm multa bona præposuit, vt vnum, quod ad rem pertineat, vituperet, quales sunt qui artificiosissimi, atque iniustissimi sunt. Nam per res bonas nocere conantur, cum malis eas permiscentes.*

12 *Commune autem dissoluenti cum calumniatore, quoniam contingit idem multorum gratia factum esse, vt hic deprauando ad peius accipiat, dissoluens autem ad melius, hoc pacto. Diomedes Vlyssem elegit alter dicet, quoniam virum fortem putabat: alter non ideo, sed solum ne concertatorem haberet, tanquam ignauum. Ac de calumnia hæc dicta sint.*

10 Nonus modus criminanti, ac criminationem dissoluenti communis ducitur à signis. Hoc loco vsus est Vlysses in Tragœdia, quæ inscribitur Teucrus. Ibi enim Vlysses Teucrum tanquam Troianorum amicum, eorumque rebus fauentem criminatur, ac criminationem confirmat ex signis: nam Hesione Teucri mater, Priami soror fuit; ergo non est mirum, quod Priamo faueret, qui eum sanguinis cognatione contingeret. Respondit Teucer contrarijs signis criminationem dissoluendo: primo ex eo, quod Telamon pater Teucri Priami semper hostis fuerit: secundo ex eo, quod ipse Teucer, quo tempore Græci speculatores Troiam miserunt, id Troianis minimè indicarit, cum facile potuisset indicare, si rebus Priami fauere voluisset.

11 Decimus modus proprius criminantis est, vt paulum laudet, quo grauius deinde vituperet: & si quid magnum, atque egregium aduersarius gessit, breuiter attingat, ne ex odio videatur omisisse, ideoque maiorem fidem apud auditores obtineat, tanquam vera dicens, seu bona sint, seu mala. Artificiosissimi etiam, & iniquissimi accusatores ea arte vtuntur, vt multa aduersariorum bona, quæ ad causam non pertinent, laudent, vt vnum deinde crimen, quod ad causam facit, proferendo illud auditoribus persuadeant. Hac autem ratione callidissimè aduersarium suis bonis lædere conantur, dum ijs vtuntur ad faciendam fidem criminis obiecti.

12 Vndecimus, & vltimus modus criminanti, ac crimen obiectum depellenti communis est, vt quoniam eadem res potuit pluribus ex causis fieri, qui criminatur, curet eam deteriorem in partem trahere; qui verò crimina repellit, conetur eamdem meliorem in partem interpretari. Ita quod Diomedes Vlyssem socium elegerit, posset quis vel meliorem in partem interpretari, dicens, id ideo factum, quia Diomedes Vlyssem Græcorum optimum existimabat; vel trahere in partem deteriorem, dicens, ideo Diomedem Vlyssem socium asciuisse, quia eum solum, tanquam ignauum, æmulum sibi gloriæ non fore existimabat. Et hæc de criminatione, ac de criminum solutione dicta sufficiant.

De narratione. Cap. XVI.

1 *Narratio autem in demonstratiuis continua non est, sed in partes diuisa. Nam oportet exponere res gestas, ex quibus oratio constituitur. Constituitur autem oratio partim ex eo, quod artificiale non est.*

2 ** Non enim est rerum gestarum orator causa: partim ex eo quod est artificiosum. Id vero est, cùm ostendunt quod sit, presertim si incredibile videretur, aut quale, aut quantum, aut hæc omnia. Quas ob res non semper oportet continue cuncta enarrare: difficile enim est memoria tenere quæ sic demonstrantur: sed ex his fortis, ex his prudens, aut iustus ostenditur. Nam hæc oratio explicatior est, illa vero implicatior, atque multiplex, & minimè plana.*

3 *Oportet autem cùm res notæ sint, in memoriam eas solummodo breuiter reducere. Nam multis narratione opus non est: veluti si Achillem laudes, cuius res gestas omnes perceperunt, cognitis rebus tantum vti oportebit: verum si Critiam laudaturus sis, cùm non multi res eius teneant, narrare necesse est.*

Narratio licet vt dictum est cap. 14. non sit pars orationis necessaria, adhuc sæpe est adhibenda, non solum in genere iudiciali, sed etiam in genere demonstratiuo, ideoque primo dicendum est aliquid de narratione generis demonstratiui: secundo tradenda sunt præcepta de narratione generis iudicialis.

In

1 In genere igitur demonstratiuo narratio non debet esse perpetua, & continens, sed debet esse in plures partes distincta. Ratio est, quia in genere demonstratiuo debent narrari sigillatim actiones, ac res gestæ, & postquam narratæ fuerint amplificari; ergo tot debent esse narrationes, quot gesta sunt narranda, & amplificandæ.

2 Sicut verò in genere iudiciali duæ sunt species probationum, artificiosæ nimirum, & inartificiosæ, vt dictum est lib. primo cap. 2. sic in genere demonstratiuo quædam sunt artificiosa, quædam sine arte. Sine arte sunt res gestæ, quas orator narrat: siquidem harum orator non est inuentor. Artificiosa sunt, quæ orator inuenit; vt cùm aliqua, quæ spectant ad laudem, vel vituperationem, orator probat facta fuisse, vel non fuisse; cum quæ videntur incredibilia, artificiosè persuadet; cùm disserit de qualitate, vel quantitate rerum gestarum, ostendens illas honestas fuisse, vel turpes, magnas, aut paruas &c. Porro tum præcipuè narratio est in plures partes secanda, cùm res narratæ sunt artificiosè amplificandæ, ac confirmandæ. Ratio est, quia si prius narrentur omnia, deinde amplificentur, ac confirmentur, dicendo ex. gr. ex his quidem fortis esse cognoscitur; ex illis sapiens, ac iustus &c. difficile est, vt tot res sic narratæ, & confirmatæ memoria teneantur. At si singula narrentur, deinde amplificentur, & confirmentur, facilius memoria retinentur, ac maiori animum delectatione demulcet. Illa igitur oratio, qua continenter omnia sine vlla confirmatione, & amplificatione exponuntur, simplicior est, minusque artificiosa. Hæc autem, in qua confirmatio, & amplificatio interponitur, magis est varia, ac non exilis, sed magnifica.

3 Addit Aristoteles, quod actiones iam notæ, ac celebres non sunt fusè narrandæ, sed solum in memoriam breuiter reuocandæ. Hinc sequitur, quod in quibusdam laudationibus non est adhibenda narratio rerum gestarum, in alijs est adhibenda. Ex. gr. si laudes Achillem, cuius res gestæ notissimæ sunt, nulla narratione est opus: at si laudes Critiam, cuius res gestæ non ita sunt peruulgatæ, omnino opus est narratione. Repetit hic Aristoteles ijsdem verbis quædam, quæ de laude lib. primo docuerat; quæ quia nos explicuimus lib. 1. cap. 9. nu. 30. & 31. ideo omittimus, præsertim cum Petrus Victorius existimet ea non ab Aristotele hic fuisse repetita, sed ab aliquo Rhetore minus perito importunè fuisse in hunc locum transcripta.

4 *Qui vero breuem esse asserunt narrationem oportere ridiculi sunt: veluti qui interroganti pistori, durumne an mollem pinseret? quid, inquit, est ne impossibile bene pinsere? Oportet enim non esse longam narrationem, nec exordium, nec quæ fidem faciunt: bene dicere tamen, quod est oratoris proprium, nec in longo, nec in breui est, sed in mediocri. Id vero est, si ea dicas, quæ rem significanter exponant, id est, quæ possint efficere, vt vel factum esse, vel iniuria factum esse, vel damno fuisse, vel tantam rem esse, quantam velis, credat auditor. Aduersarijs autem horum contraria.*

5 *Annectenda vero narrationi sunt, quæcunque vel virtutes tuas, vel aduersarij vitia subostendunt, vel auditoribus iucunda sunt: vt si diceres: At ego semper consulebam, quod iustum, ac pium est, non esse deserendos liberos: hic autem reclamabat, vbicunque ipse esset, ibi facile alios sibi liberos futuros: cæteraque huiusmodi, quæ dicit Herodotus transfugas Aegyptijs respondisse.*

6 *Defensori igitur breuior semper narratio, & per quæstionem, aut factum non esse, aut non iniuria, aut non damno fuisse, aut non tantum. Non enim à quæstione recedendum, nisi quid ad illam conducat: vt si factum esset, non esset tamen iniuria factum.*

4 Agendum iam est de narratione generis iudicialis, eiusque præcepta tradenda. Primo ergo aliqui præcipiunt, vt narratio sit breuis. Irridet Aristoteles hoc præceptum. Narratio enim, sicut exordium, confirmatio, & cæteræ partes orationis neque debent esse prolixæ, neque breues, sed debent esse mediocres, ac tales, quales res, de qua agitur, postulat, ita vt si sint maiores, aut minores, eo ipso sint vitiosæ, ac reprehendendæ. Potest igitur ijs, qui dicunt narrationem debere esse breuem, accommodari id, quod quidam respondit Pistori percontanti, vtrum vellet, vt panem faceret durum, vel mollem? Nunquid enim, respondit, non licet fa-

facere panem bene se habentem, ita vt neque durus sit, neque mollis, sed mediocriter se habeat? Sic in casu nostro præcipientes, vt narratio sit breuis, possumus interrogare: nunquid narratio non potest bene se habere, ita vt neque sit breuis, neque longa, sed mediocris? Si verò quæratur, quæ sit narratio mediocris, dicendum, quod illa narratio est mediocris, per quam res ita exponitur, vt satis sit ad illam explicandam, & ad ingenerandam in auditoribus opinionem, quod res fuerit, vel non fuerit facta; quod alter læserit, vel non læserit; quod iniustè se gesserit, vel non se gesserit iniustè &c. prout orator accusans, aut defendens persuadere voluerit. Primum igitur præceptum est, non quidem vt narratio sit breuis, sed vt sit mediocris, ac fini oratoris accommodata, vt explicatum est.

5 Secundum præceptum est, vt orator opportunè narrationi quædam inserat, quæ ipsius probitatem, & aduersarij improbitatem significent: subijciat etiam aliqua, quæ iudicibus sint iucunda. Ratio est, quia debet ita narrare, vt persuadeat; sed narrando quæ ostendunt ipsum esse probum, aduersarium improbum, reddit se fide dignum, aduersarium autem indignum; ergo &c. Quia verò si dixerit iucunda iudicibus, ipsorum gratiam obtinebit, adeoque facilius ipsis persuadebit, ideo debet etiam subtexere aliqua iudicibus iucunda. Affert Aristoteles exemplum, in quo orator narrationi addendo quædam, quæ ostendunt eius probitatem, improbitatem autem aduersarij, fidem sibi conciliat, aduersario adimit. Agat quis contra aliquem, qui filios deseruerit: rem narrando subijciat: Ego quidem nunquam admonere eum destiti de ijs, quæ iusta esse sentiebam, nimirum ne filios desereret: ille verò mihi respondit sibi vbicunque fuerit non defuturos filios, quod Aegyptios respondisse, cum à Rege suo defecissent, scribit Herodotus. Hac narratione orator suam probitatem, aduersarij improbitatem ostendit.

6 Tertium præceptum est: Defensor minus indiget narratione, quam accusator. Ratio est, quia cum iam accusator rem exposuerit, defensor non debet diu in ijsdem narrandis immorari, sed debet transire ad ostendenda ea, de quibus est controuersia, nimirum an res fuerit facta, vel non fuerit facta? an detrimentum attulerit, vel non attulerit? vtrum actum fuerit iniustè, vel non fuerit actum iniustè? vtrum res sit magna, vel non sit magna? Si tamen res aliter exponenda sit, quam aduersarius exposuerit, tum orator longiori vtetur narratione; sed illud debet obseruare, ne immoretur in ijs, quæ certa sunt. Ex. gr. si certum sit rem fuisse gestam, vt aduersarius exposuit, ne in hoc immoretur, sed gradum faciat ad caput controuersiæ, ac admittens rem esse gestam, ostendat non fuisse actum iniustè.

7 *Ad hæc quæ gesta non sunt, si commiserationem, aut indignationem faciunt, perinde vt gesta narranda. Huius exemplum Alcinoi apologus, quod ad Penelopem in sexaginta esset annis factus: & Phayli circulus: & in Oeneum præfatio.*

8 *Oportet autem narrationem maximè moratam, atque affectam esse, quod facile faciemus, si non ignorabimus, quid sit, quod moratam orationem efficiat. Primum igitur est, si ita dicas, vt qualis sit animus hominis, subappareat. Morata autem oratio qualis quadam ideo est, quod voluntas, atque electio qualis quædam est. Huic vero inest qualitas propter finem. Idcirco mathematica oratio affecta esse non potest: quoniam cum cuius gratia non habeat, nulla in ea subapparet electio: Socratica vero quoniam de talibus est, morata est. Moratam igitur orationem efficiunt, quæ mores hominis consequuntur; vt si dicas. Hæc ambulando vociferabatur. Ostendit enim audacem hominem, atque agrestem. Item si non ita vt ratione persuasus, quod multi nunc faciunt, sed vt appetitione. Elegisti: ego vero malui, quod vtilissimum erat, aut quod optimum. Est enim illud prudentis, vtilia persequi: hoc viri boni, honestum præponere.*

7 Quartum præceptum est, vt si narrando rem, incidat in aliquid, quod possit iudices mouere ad miserationem aduersarij, vel ad indignationem contra eum, quem orator defendit, id vel omittat omnino, vel ita cursim indicet, vt tales in iudicibus affectus non sequantur. Tribus exemplis Aristoteles ostendit posse in narratione quædam prætermitti, quæ iudices ad miserationem, vel indignationem commouerent, Primum est Vlyssis apud Home-

merum, qui Apologum, seu narrationem fabulosam, quam apud Alcinoum, & Phæacas ita fusissimè exposuerat, vt omnes ad commiserationem commouerit, iterum apud Penelopem ita sexaginta, vel potius triginta versibus breuissimè exponit, vt nullum affectum commoueat. Secundum exemplum est Phaylli, qui longissimum poema, quod circulus vocabatur, in non multos versus contraxit. Tertium est Euripidis, qui in Prologo Oenei breuiter narrat omnia, quæ deinde in tota tragædia tragicis affectibus amplificat.

8 Quintum præceptum est, vt narratio sit morata, hoc est apta ad exprimendos bonos, vel malos mores eorum, quos defendimus, vel accusamus. Sed quia non possumus efficere orationem moratam, nisi nouerimus, quæ nam mores effingant, explicandum est, quæ mores effingant. Primo mores exprimit bonos, aut malos oratio declarans intentionem finis. Actiones enim factæ propter finem bonum, sunt bonæ; actiones factæ propter finem malum, sunt malæ. Hinc oritur, vt sermones mathematici non sint morati, ac nullam habeant vim ad exprimendos mores. Ratio est, quia in mathematicis non consideratur finis; ergo neque consideratur intentio finis; sed actiones sunt moratæ propter finem, & propter intentionem finis; ergo sermones mathematici non sunt morati. E conuerso sermones, in quibus disputatur de bonis, & malis, ac de honestis, atque inhonestis, qui vocantur Socratici, eo quod Socrates primus de his ex professo disseruit, sunt morati, quia considerant actiones, quæ fiunt propter finem, & ex intentione finis. Secundo mores exprimit oratio declarans ea, quæ mores cuiusque consequuntur: ex. gr. oratio dicens, *hæc autem vociferando recedebas*, exprimit audaciam, & rusticitatem morum: clamare enim, & vociferari proprium est rusticorum: recedere verò adhuc non accepto responso, proprium est audacis, & comminantis. Tertio plurimum confert ad efficiendam orationem moratam, si videamur dicere non antea cogitata, ac multo studio parata, vt hujus temporis oratores faciunt, sed quæ tum, cum dicimus, certo consilio, ac voluntate volumus dicere: ex. gr. morata est hæc oratio: *Ego quidem hoc semper volui; & quamuis mihi non esset utile, tamen honestius esse constitui*. Ratio est, quia non videtur præcogitata, & exprimit intentionem viri probi. Prudens enim, vel potius callidus quærit vtile; at vir probus sectatur honestum.

9 *Quod si parum credibile, quod dicis, videretur, ratio afferenda: vt Antigone apud Sophoclem facit, cum persuadere velit fratrem se viro, atque filijs anteponere. Viro enim, ac filijs amissis, alios facile forsan habebis: frater vero, si parentes obierunt, nunquam tibi nasciturus est. Verum si nulla succurrit ratio, illud dicere poteris, non ignorare te parum credibilia hæc videri, & tamen audacius dicere, quoniam natura huiusmodi sis. Minus autem auditori credibile videtur, si aliud præter vtile nos agere ostendimus.*

10 *Præterea si ea narrando expones, quæ affectus mouent, eorumque consequentia, & præcipue quæ auditores non ignorant, & aut tibi, aut illi insunt, hoc modo: Hic autem cum me illusisset, abijt. Et vt de Cratylo Aeschines, quòd ore personans, manusque quassans, & intonuit, manuque minatus est. Verisimilem enim hæc orationem faciunt: quoniam quæ non ignorantur ab auditoribus, hæc eorum signa fiunt, quæ nesciunt. Huiusmodi vero plurima Homerus nobis suppeditabit. Ast anus, inquit, faciem manibus retinebat. Nam qui lacrymas effundere inceptant, manibus oculos attingunt.*

9 Sextum præceptum est: si rem exponamus, quæ videatur incredibilis, debemus explicare causam, qua explicata, credibilis reddatur. Ita Antigone apud Sophoclem, cum dixisset se cariorem habere fratrem, quam maritum, aut filios, cum dictum videretur incredibile, causam subiecit: si enim inquit maritum, aut filios amisero, possum illos recuperare, ducens alium maritum, ex eoque suscipiens alios filios: at si fratrem amisero, cum vtroque parente iam sim orbata, frater mihi amplius exoriri non poterit. Quod si quis narret aliquid incredibile, ac non possit afferre vllam causam, qua reddat illud credibile, dicet, aduertere se, quod incredibilia narrarit, dicendo se sequi honestum, etiamsi non sit vtile, siquidem homines nō credunt quemquam sponte facere quod sibi vtile non sit, sed se natura ita esse comparatum, vt non possit quidquam turpe

admittere. Hac autem arte facilius fidem apud auditores obtinebit.

10 Septimum præceptum est, vt narratio sit pathetica, siue affecta. Ad narrationem reddendam affectam confert, si exponantur ea, quæ solent agere homines, cum affectibus agitantur, præsertim si hæc nota sint auditoribus, & spectent ad oratorem, vel aduersarium: ex.gr. oratio, qua quis dicat: *Ille verò discedens ad me frequenter oculos conuertebat*, est pathetica, quia perturbati hominis est in discessu frequenter ad aliquem oculos conuertere. Pathetica etiam fuit illa Æschinis narratio de Cratylo, qua dixit eum exsibilare, ac manibus explodere. Cum enim notum sit auditoribus proprium esse hominum impudentium exsibilare, ac manibus explodere, orator narrans hæc persuadet auditoribus impudentiam hominis, quæ fortasse ijs erat ignota. Porro frequentes apud Homerum sunt narrationes, per quas ex signis animi affectiones describit. Ita lib. 10. Odyss. de Euryclea Vlyssis nutrice canit:

Ast anus ad faciem palmas vtrasque tetendit:

Quod signum fuit illam in lachrymas iam erupturam, siquidem qui plorare incipiunt, oculos manibus operiunt.

11 *Post hæc illico te qualem quendam videri latenter facias. Quod facile fieri posse inde patet, quòd de nouarum rerum nuncijs, quamuis eos minime cognoscamus, vi tamen orationis, quales nam sint, suspicamur.*

12 *Est autem opus multis in locis narrare, & nonnunquam in ipso principio.*

13 *In deliberatione vero idcirco narratio non incidit, quoniam de futuris rebus narrandum non est: & cum incidit, rerum iam gestarum est, quibus aut deprimendo, aut efferendo, auditores concitantur, vt illarum memoria de futuris melius consulant. Verum tunc officium consiliarij non adhibetur.*

14 *Quòd si quid minus credibile narratur, dicere statim causam, aut polliceri oportet: vt in Oedipode Carcini Iocaste cum is interrogaret, qui filium quærebat, semper promittit. Similiter apud Sophoclem Aemon.*

11 Octauum præceptum est: narrationis initio debet orator se ostendere virum probum, aduersarium autem improbum, ita vt in tota narratione auditores retineant illam opinionem, quam de oratore, ac aduersario initio conceperint. Sed in his summa arte curandum, vt lateat ars. Si enim illa se prodiderit, amittetur fides. Quod autem possit orator facile ita orationem conformare, vt videatur vir probus, ac fide dignus, patet. Cum enim aliqui nobis quidquam annunciant, etiamsi illud nobis ante esset omnino ignotum, adhuc aliquam de rei narratæ veritate, vel falsitate opinionem concipimus, prout oratio narrantis est ita morata, vt illum probum, vel improbum, fide dignum, vel indignum exhibeat.

12 Nonum præceptum est: aliquando in genere iudiciali multis in locis narrare oportet: aliquando etiam accidit, vt non statim post exordium subiungenda sit narratio: tum ergo faciendum est id, quod res postulat.

13 Decimum præceptum est: in deliberatione per se locum non habet narratio. Ratio est, quia deliberatio est de futuris; sed nemo narrat futura; ergo &c. Aliquando tamen in deliberatione narranda sunt aliqua præterita, non vt de ijs auditores deliberent, sed vt ijs in memoriam reuocatis, ac perspectis, possint melius deliberare de futuris. Si verò accidat oratorem vituperare, vel laudare aliqua præterita, tum non tam fungitur munere deliberantis, quam demonstrantis.

14 Vndecimum, & vltimum præceptū est: dum narramus aliquid, quod videtur incredibile, nec possumus tum illud probare, debemus auditoribus polliceri nos paulo post illud probaturos, vel probationibus allatis auditorum arbitrio relicturos, vt credant, vel non credant, prout ipsis fuerit visum. Ita Iocasta in Oedypode Carcini, cum cuidam, qui eam interrogabat de filio, responderet aliquid incredibile, semper pollicetur se eius probationem allaturam: Æmon etiam apud Sophoclem eadem arte vtitur.

De confirmatione. Cap. XVII. Art. I.

1 *Qvæ vero fidem faciunt, ea vim demonstrandi, quoad eius fieri potest, contineant.*

Et

2 *Et cum quatuor quæstiones sint, si factum est, si obfuit, si tantum, si iure: semper ad id, quod in iudicio quæritur, accommodanda demonstratio est: eodemque modo etiam si de faciundo, aut non faciundo quæstio est. Neque nos fugiat, quòd in hac vna quæstione alterum esse prauum necesse est. Non enim vt si qui de iure, aut iniuria quærent, ignoratio causa est: quare in hoc, non in cæteris immorandum est.*

3 *In demonstratione vero quòd honeste, aut vtiliter gesserit, vt plurimum amplificatio fiet. Nam res quidem ipsæ cùm credi debeant, raro, neque nisi cum vel credibiles videantur, vel alius causam habeat, solent demonstrari.*

4 *In deliberatione autem aut non futura, quæ dicis, respondebit quispiam, aut si futura concedet, tamen vel non iusta, vel non vtilia, vel non tanta fore asseuerabit.*

1 SEquitur, vt cum de narratione egerimus, de confirmatione disseramus. Confirmatio est, *per quam cum rem exponendo, vel narrando proposuimus, illam sic, vel sic se habere probamus*. Circa rationes, quæ afferuntur, illud vniuersim dici potest, quod debent habere vim demonstrandi intentum. Porro cum plura sint, quæ possunt tum in iudicijs, tum in deliberationibus, tum in exornationibus, vel vituperationibus in quæstionem vocari, curandum est, vt rationes colliment ad probandum id, de quo est controuersia. Explicatur discurrendo per singula genera.

2 Primo in genere iudiciali quatuor sunt, de quibus solet esse controuersia. Primum est, vtrum res fuerit facta, vel non? secundum vtrum fuerit facta iustè, vel iniustè? tertium vtrum fuerit damnum illatum, vel non? quartum vtrum res sit magna, vel parua? Si igitur controuersia cum aduersario sit, vtrum res facta fuerit, vel non? argumenta dirigi debent ad ostendendum rem fuisse factam. Si orator concedat rem fuisse factam, sed neget fuisse illatum damnum, ostendendum est non fuisse illatum damnum. Si neget damnum fuisse magnum, vel afferat non fuisse illatum iniustè, hoc ipsum est probandum. Debet autem aduerti, quod in sola controuersia, in qua quæritur, vtrum res fuerit facta, vel non fuerit facta? necesse est, vt alter iudicio contendentium sit improbus. Ratio est, quia si reus non commisit id, de quo accusatur, improbus est accusator, vtpote qui accusat de eo delicto, quod non scit esse patratum: si verò reus commisit delictum, improbus est reus, vtpote qui delictum patrauit, & negat; ergo impossibile est, vt in controuersia facti, vterque litigantium per ignorantiam excusetur ab improbitate. E conuerso in alijs tribus controuersijs potest accidere, vt vterque litigantium, hoc est tum accusator, tum reus per ignorantiam ab improbitate excusetur, siquidem potest accidere, vt reus arbitratus sit se non egisse iniustè, vel damnum non intulisse, vel non intulisse damnum magnum: accusator verò opinetur oppositũ, nimirum reum egisse iniustè &c. sed in hoc casu vterque per ignorantiam excusabitur ab improbitate; ergo &c. Hinc sequitur, vt cum controuersia est de facto, diligentissimè, ac fusissime sit tractanda, cum in ea quæratur, vter litigantium sit improbus?

3 Secundo in genere exornatiuo non solet esse quæstio vtrum res facta fuerit, vel non fuerit? cum id vt plurimum supponatur, sed vtrum quæ facta fuerunt, fuerint honesta, vel vtilia Reipublicæ, an non? & an fuerint magna, vel parua? ideoque argumenta non eo sunt dirigenda, vt ostendatur rem esse factam, vel non esse factam, sed vt ostendatur rem fuisse, vel non fuisse honestam, & vtilem Reipublicæ, magnam, vel paruam. Si tamen quod narratur sit incredibile, vel alius existimetur causa eius extitisse, tum probandum est id fuisse factum, & ab eo, qui laudatur. Idem proportionaliter dic de vituperatione, quæ est altera pars generis demonstratiui.

4 Tertio in genere deliberatiuo solent in controuersiam de futuro vocari illa eadem quatuor, quæ in genere iudiciali quæruntur de præterito: nimirum vtrum res sit futura, vel non? vtrum futura sit iusta, vel iniusta? vtrum futura sit vtilis, vel perniciosa? ac demum vtrum futura sit magna, vel parua? Argumenta igitur dirigenda sunt ad probandum id, circa quod controuersia versatur.

5 *Eritque illud maxime perspiciendum, si quid præter rem falsò dicat: id enim signo esse cætera quoque ipsum mentiri.*

6 *Præterea scire oportet sic exempla deliberationibus maxime accommodari, vt iu-*

dicialibus enthymemata. Nam cum sit omnis deliberatio de futuris, à præteritis per exempla de ipsis necesse est dicere. Iudicia vero de iam factis, aut non factis sunt: quæ demonstrationem idcirco habent, quoniam & necessitatem habent. Præterita enim necessitatem iam habent.

7 *Non oportet autem enthymemata continue dicere, sed alijs permiscere, ne aliud alij officiat. Est etiam quantitatis terminus quidam, vt Homerus quoque ostendit: Amice quoniam tot dixisti, quot sapiens vir attulisset: tot inquit, non eiusmodi.*

8 *Nec enthymematis cuncta tibi probanda, ne tibi necesse sit ex ignotioribus notiora confirmare: quod philosophantium nonnullis accidit.*

9 *Nec cum affectus mouendi sunt, enthymemate vtaris: ne quoniam motus, qui simul fiunt, alter alterum excutiat, vel ambo concidant, vel remissiores reddantur, aut affectus excutiantur, aut frustra sit allatum enthymema. Nec cum moratam orationem efficere velis, enthymema quæras. Nam demonstratio nec animos mouet, nec electionem habet.*

5 Descendit deinde Aristoteles ad tradenda aliqua præcepta in confirmatione obseruanda. Primum præceptum est, vt aduertatur, an aduersarius dixerit aliquid falsi, etiam ad causam non spectans. Ex eo enim tanquam ex signo debemus ducere argumentum ad probandum, quod is mentiatur etiam in ijs, quæ ad causam spectant.

6 Secundum præceptum est, vt in vnoquoque genere vtamur ijs probationibus, quæ sunt tali generi accommodatæ; sed generi deliberatiuo maximè accommodantur exempla; generi iudiciali maximè accommodantur enthymemata; ergo in genere deliberatiuo præcipuè vtendum est exemplis, in genere iudiciali præcipue vtendum est enthymematibus. Ratio, cur generi deliberatiuo potissimum accommodentur exempla, generi iudiciali enthymemata est, quia deliberatio est de futuris, iudicium de præteritis; sed futura contingentia non possumus certis rationibus probare, sed solum possumus ex præteritis illa conijcere; præterita verò, vtpote iam habentia in se ipsis determinationem, ac necessitatem, possumus certis rationibus ostendere; ergo &c.

7 Tertium præceptum est, vt enthymemata non continuentur, ne se vicissim infringant, dum auditorum ingenia obruunt, sed alijs iucundioribus, ac facilioribus admisceantur. Est igitur tenendus modus non solum in qualitate, sed etiam in numero eorum, quæ afferuntur: ideoque Menelaus apud Homerum lib. 4. Odyss. Pisistratum Nestoris filium laudat ab orationis quoque mediocritate, dicens.

Care mihi postquam tot tantum es verba locutus,
Quot solet effari prudens:

Non enim laudat, quod dixerit talia, sed quod dixerit tot.

8 Quartum præceptum est, vt non omnia probemus, sed ea solum, quæ indigent probatione; pro ijs verò, quæ ex se satis sunt manifesta, rationes non afferamus, ne alioquin incidamus in vitium eorum philosophorum, qui dum omnia probare contendunt, magis nota probant per minus nota.

9 Quintum præceptum est: cum volumus affectus in auditoribus excitare, abstinendum est ab argumentatione. Ratio est, quia dum animus argumentis attendit, ab affectibus impeditur, & è conuerso; ergo si simul argumenteris, ac velis affectus excitare, vel alterutrum frustra conaberis, vel neutrum consequeris, vel vtrumque languidius, ac remissius facies, quam par esset. Ex proportionali ratione si velis mores exprimere, ne afferas argumenta, siquidem demonstrationes neque habent vim exprimendi mores, neque exprimendi intentionem finis.

10 *Sententijs autem tam in narratione, quam in concertatione vtendum est. Plurimum enim afficiunt, moratamque orationem reddunt, hoc modo: Commisi ego hæc illi, quamuis scirem omnibus credendum non esse. Et cum affectu sic: nec tamen, etiam si vexatus iniuria sum, me pœnitet, præsertim cum videam huic lucrum, mihi ius superesse.*

11 *Verum deliberatio iudiciali causa multo difficilior est: primum quia illa futurorum, hæc præteritorum est: quæ vaticinantibus saltem (vt Epimenides Cretensis dicere solebat) certiora sunt. Is enim diuinationem futurorum respuebat, præteritorum, quæ occulta erant, solum amplexabatur.*

tur. Deinde quia cum leges iudicialibus supponantur, principium afferunt, vnde inueniendi facultas præbetur. Ad hæc quia non habet multa diuersoria, vtputa in aduersarium, aut de seipso, auditoris in affectum impellendi: quod minime adhibendum est, nisi digrediatur, idque per dubitationem faciendum: vt Athenienses oratores factitant, & Isocrates. Accusat enim in consulendo, vt Lacedæmonios in panegyrica, & Chareta in sociali oratione.

10 Sextum præceptum est: tum in narratione, tum in confirmatione sententiæ sunt admiscendæ. Ratio est, quia curandum est, vt oratio sit morata; sed sententiæ efficiunt orationem moratam; ergo &c. Exemplum narrationis, cui opportunè sententia inferatur est: ego verò pecuniam ei credidi, quamuis scirem nemini fidem habendam esse. Si verò quis velit adhuc orationem efficere vehementiorem, magisque moratam, addere posset: neque tamen me pœnitet, quamuis iniuriam, ac detrimentum acceperim: isti enim lucrum superest, mihi verò æquitas, & iustitia.

11 Vt proponatur septimum præceptum, præmittendum est, quod difficilius est orationes habere generis deliberatiui, quam generis iudicialis. Probatur primo, quia difficiliora sunt futura, quam præterita, ac proinde Augures magis enunciare possunt præterita, quam futura: ex quo ortum est, vt Epimenides Cretensis celeberrimus Augur profiteretur se posse diuinare præterita, licet obscura, non autem futura; sed deliberatio est de futuris, iudicium de præteritis; ergo facilius est in genere deliberatiuo, quam in iudiciali versari. Secundo probatur, quia facilius est inuenire argumenta, cum quis habet quædam principia certa, quam cum non habet; sed lex continet fundamenta, ac principia certa, ex quibus possumus in genere iudiciali discurrere: in genere deliberatiuo nullum datur fundamentum discurrendi æquiualens legi; ergo &c. Tertio probatur, quia in genere iudiciali non solum possumus agere de ijs, quæ spectant ad causam, sed etiam possumus diuertere ad agendum, vel de persona aduersarij, vel de persona nostra: possumus etiam digredi ad excitandos affectus; sed in genere deliberatiuo nisi recedamus à causa non possumus ad hæc digredi; ergo &c. Hoc supposito septimum præceptum pro genere deliberatiuo est, vt non digrediamur ad agendum de persona nostra, vel aduersarij, neque ad affectus commouendos, nisi cum non suppetit nobis, quid de causa dicamus: cum verò non possumus de causa dicere, tum ad hæc est digrediendum, vt Oratores Athenis faciunt, & etiam Isocrates, qui in Panegyrico digreditur ad accusandum Lacedæmonios, in oratione sociali digreditur ad accusandum Charetem, licet vtraque oratio sit generis deliberatiui.

12 *In demonstrationibus autem exterioribus laudibus amplior efficienda oratio est: quod Isocrates facit, aliquid extra semper adducens. Id vero est, quod Gorgias dicere solitus erat, quòd videlicet nunquam sibi deesset oratio. Nam si de Achille dicendum est, inquit, Peleum laudabo, deinde Aeacum, postremo Iouem: eodemque modo, si fortitudinem, aut quoniam hæc atque hæc faciat, quod tale quid est, aut quoniam talis quædam est.*

13 *Cum igitur demonstrationibus non eget, tunc & morate, & demonstrando tibi erit dicendum: cum vero enthymemata non succurrunt, tunc morata maximè tibi erit oratio. Quæ res idcirco bonum virum magis decet, quòd malit ipse probus videri, quam demonstrationes sibi esse certiores.*

14 *Ex enthymematibus vero, quæ redarguunt, magis probantur, quam quæ demonstrant. Nam quoniam contraria ex collatione magis cognoscuntur, idcirco quæ redarguunt, acrius inferuntur. Cum verò iam aduersarij locos aggredimur, non in alia parte, sed in faciunda fide adhuc versamur, ac alios obijciendo, alios argumentando dissoluimus.*

12 Octauum præceptum est: quia in genere exornatiuo non semper satis multa suppetunt propria eius, qui laudatur, vtendum est Episodijs, quibus alia ei, quem laudamus, affinia exornemus, vt sic ampliorem reddamus orationem. Hac arte vtitur Isocrates, qui semper aliquid, quod laudet, adiungit. Eadem arte vtebatur Gorgias, qui idcirco profitebatur sibi nunquam orationem defuturam. Si enim laudat Achillem, digreditur ad celebrandum Peleum Achillis patrem: Æacum auum: Iouem proauum &c. Rursus quia Achilles fuit for-

fortissimus, excurrit in laudes fortitudinis &c.

13 Nonum præceptum est: si possis argumenta inuenire, & etiam mores exprimere, vtrumque facias: si verò argumenta tibi non occurrunt, tum totum studium conferas ad efficiendam orationem moratam, præsertim, cum viri boni proprium magis sit, vt suam exprimat probitatem, eaque persuadeat, quam vt orationem efficiat exquisitissimam.

14 Decimum præceptum est: quia argumenta redargutiua maiorem vim habent, quam probatiua, ideo in illis conficiendis summa cura est insudandum. Ratio, cur argumenta redargutiua maiorem vim habeant ex dictis etiam lib.2. cap.26. ea est, quia opposita iuxta se posita magis elucescunt; sed argumenta redargutiua cum refellunt dicta aduersarij ponunt iuxta se opposita contradictoriè, hoc est dictum aduersarij, & conclusionem contradictoriam contra ipsum allatam; ergo &c. Reuocat autem in memoriã Aristoteles, quod vt lib.2. cap.27. docuerat, argumenta, quæ contra aduersarium afferuntur, non differunt specie ab argumentis, quibus nostra probamus; siquidem aduersarij dicta refellimus, partim ostendendo argumenta ab ipso allata non concludere, partim contrarium probando.

15 Vndecimum præceptum est: tum in deliberatione, tum in iudicio, qui prior causam dicit, primo debet suam causam confirmare, & rationibus euincere, deinde quæ possent in contrarium afferri, soluere, vel extenuare. Si tamen multa sint, quæ in contrariam partem dici possent, prius illa sunt refutanda, vt fecit Callistratus in concione messenica. E conuerso, qui secundo loco dicit, prius debet refutare ea, quæ ab aduersario fuerunt obiecta, præsertim si videntur fidem apud auditores obtinuisse, vel soluendo, vel contrarium probando, deinde debet sua probare. Ratio est, quia sicut non libenter agimus cum ijs, quos multorum criminum reos credimus, ita non libenter audimus orationem, si opinemur aduersarium vera dixisse; ergo vt animum auditoris ad audiendam orationem præparemus, debemus initio ostendere aduersarium falsa dixisse. Postquam igitur aduersarij argumenta reieceris, vel omnia, vel firmissima, vel quæ maximè videntur excellere, vel quæ facilius refelluntur, tum tuam causam debes confirmare; vt etiam apud Euripidem Hecuba fecit, dicens:

Primo refellam, quæ Deis obiecta sunt;
Iunonem ego.

Ex his verò primo refellit infirmissimum. Et hæc de confirmatione dicta sufficiant.

15 *Sunt autem tam in consilio, quam in iudicio nostra primum collocanda, deinde aduersariorum cum contemptione quadam refutanda. Quod si multiplex, & varia est aduersariorum oratio, primum confutabimus: vt Callistratus in consultatione Messeniaca fecit, qui primo, quæ dicere aduersarij possent, confutatis, sua deinde posuit. Si vero secundus dices, refutandum tibi prius erit, soluendo, ac contra arguendo, & maxime si aduersarius persuasisse videretur. Nam quemadmodum infamem hominem animus aspernatur, sic orationem quoque contemnit, si bene dixisse aduersarius videatur. Quare auditor, vel omnium, vel plurium, vel firmissimorum, vel saltem confutatu facilium firmatione præparatas aures nostris dabit, credibilioraque putabit: vt illud: Primum Dijs propugnabo. Nam ego Iunonem. Primum enim, quod honestissimum erat, aggressus est, Verum hæc de fide dicta sint,*

De oratione morata. Cap. XVII. Art. II.

16 *CVm autem morata vtimur oratione, quoniã quæ nobis dicimus, aut inuidiã prouocant, aut longam orationem efficiant, aut obiectionem patiuntur: quæ vero de alijs, vel contumeliosa, vel agrestia videntur: quoniam ergo hæc incommoda consequuntur, alium oportet dicentem introducere. Quod Isocrates in Philippo, & in Antidosi facit. Et vt Archilochus vituperat, cum patrem de filia fingat in iambo dicere: quid non mortales pro pecunijs facturos credimus? aut quid non deieraturos? Sophocles quoque sic Aemona pro Antigone aduersus patrem introducit, vt alij dicere videantur.*

17 *Varia etiam oratione vtendum, vt nunc enthymemata in sententias, nunc sententias in enthymemata commode immutentur: hoc pacto, Conciliari maxime tunc*

opor-

oportet, cum felix sis. Sic enim ex sententia rem tuam conficies. Hanc sententiam sic in enthymema vertemus. Nam si oportet, cum tibi maxime confert, tunc conciliari, nunc id agendum, cum secunda nobis cuncta procedant. Sed de his satis. Nunc de occasione interrogandi dicendum videtur.

QVia orator ad persuadendum non solum debet vti argumentis, sed etiam oratione morata, ideo Aristoteles praeceptis, quae tradidit circa vsum argumentorum, subdit duo praecepta à nobis obseruanda, dum conamur efficere orationem moratam.

16 Primum ergo praeceptum est: quia aliquando debemus quaedam dicere, quae vergant in laudem nostram, & in vituperationem aduersarij; suas autem laudes praedicare loquacitatem quamdam sapit, & inuidiosum est, atque obtrectationibus obnoxium; aliena verò facta carpere, & insectari, spectare videtur ad maledicentiam, atque rusticitatem; ideo cum vel nostras laudes commemorare, vel aliena facta cogimur insectari, satius erit per alienam personam id efficere, atque aliquem oratione conformare, ac fingere, qui nostras laudes, vel aliena probra persequatur. Hac arte vsus est Isocrates in duabus orationibus, quarum altera ad Philippum dirigitur, altera Antidosis inscribitur. Cum enim in oratione ad Philippum vellet eum admonere de suspicione, quam Graeci habebant, ne Graeciam inuaderet, ac libertate priuaret, profert hanc suspicionem non ex se, sed ex persona quorumdam aliorũ. In Antidosi verò, cum de se ipso quaedam praedicare vellet, ait se coactum ab aduersarijs id facere, qui suam famam, ac viuendi rationem calumnijs insectabantur. Archilochus etiã Poeta in Iambicis, quos contra Lycambem, & eius filiam scripsit, quorum principium est:

Nil prorsus est, quod non fiat pecunia,
Vel quod futurum non iurare quis queat:

Lycambem patrem turpissima quaeque filiae persuadentem inducit. In alijs verò Iambis inducit Charonem quemdam fabrum probra cuiusdam commemorantem, quorum Iamborum principium est:

Nil curo opes Gygis.

Æmon quoque Creontis filius, & Antigonae maritus apud Sophoclem, dum Creontem patrem pro vita Antigonae, quã Creon volebat interficere, deprecatur, laudes Antigonae non ex propria, sed ex aliena persona commemorat.

17 Secundum praeceptum est: quia vt dictum est cap. 17. num. 9. Enthymemata moratae orationi non admodũ conueniunt, vt moratam orationem efficiamus, Enthymemata mutanda sunt in sententias: ex. gr. hoc Enthymema: si foedera cum hostibus facere oportet eo tempore, quo sunt vtilissima, ac melioribus conditionibus possunt sanciri, tum profecto maximè facienda sunt, cum prospera fortuna vtimur; mutandum est in sententiam, dicendo: prudentis viri est, cum prospera fortuna vtitur, tum cum hostibus pacem, & foedera sancire, vt sic optimis conditionibus foedera faciat.

Quando, & quomodo sit interrogandum, vel interrogationibus respondendum. Caput XVIII. Art. I.

1 P*Rimum igitur tunc maxime interrogandum, cum ex duobus alterum iam ipse aduersarius protulit, vt altero per interrogationem adducto, absurdum quid consequatur: vt à Pericle de salutis sacrificijs interrogatum Lamponem ferunt respondisse, nefas esse non initiatum audire, Periclemque percontatum si ipse sciret: cumque annueret, & quomodo, dixisse, cum initiatus non sis. Deinde cum propositionum alia manifesta sit, aliam daturos aduersarios non ambigis, tum etiam necesse non est eam propositionem, quae manifesta est, interrogando proponere sed conclusionem inferre: velut Socrates cum Melitus diceret non arbitrari ipsum Deos esse: Atqui, inquit, daemonia esse quaedam fateor: Quod ille cum affirmasset, interrogauit, an daemones Deorum filij essent, vel saltem diuinum quiddam. Quo dato: est igitur, intulit, qui Deorum quidem filios esse, Deos vero non esse arbitretur? Praeterea cum vel contraria, vel praeter opinionem dicere aduersarium demonstraturi sumus. Quarto cum non possit soluere, nisi cauillatorio modo respondeat. Nam si sic respondebit, esse quodammodo, & quodammodo non esse: aut haec quidem sic, illa ve-*

ro non: aut aliquando sic, aliquando non: turbantur dubitantes. Aliter igitur nec conandum quidem est. Nam si instabit, victus iam videbitur. Non enim poterit propter auditoris imbecillitatem de multis simul interrogare. Quapropter enthymemata quoque ipsa quam maxime conuoluenda sunt.

ORatores præsertim in iudicijs dum sua confirmant, & aliena refellunt, aduersarium interrogant, vt responsione vtantur ad aliquid contra ipsum inferendum. Aristoteles igitur hoc loco docet primo, quænam sint opportunitates interrogandi, ac qui nam modus sit in interrogationibus tenendus: secundo explicat, quo pacto sit interrogationibus respondendum, ne aduersarius responsione nostra contra nos ipsos vti possit.

1 Quoad primum: Quatuor sunt opportunitates interrogandi. Prima est cum aduersarius aliquid dixit, & affirmauit ita, vt præuideamus, quod si interrogemus, ex responsione ad interrogationem aliquid absurdum consequetur. Ita Pericles cum ex Lampone sciscitatus fuisset aliquid pertinens ad mysteria Cereris, quæ propter fruges inuentas Dea salutaris vocabatur: ille autem respondisset nefas esse illa audire, nisi quis esset initiatus: iterum Lamponem est percontatus, num ipse ea mysteria sciret? cumque ille annuisset: & quomodo inquit, cum minime sis initiatus? Secunda opportunitas interrogandi est, cum vna præmissa, ex qua sequitur aliquid nostræ causæ fauens, perspicua est, alteram verò aduersarius est certo concessurus, tum debemus de tali præmissa interrogare, ac statim concludere, non interrogando de altera præmissa manifesta. Hac arte in Apologia Platonis vtitur Socrates contra Melitum. Cum enim Socrates à Melito accusatus fuisset de impietate, quod nullos esse Deos putaret: Socrates Melitum interrogauit, an putaret Dæmonium aliquid esse? Cumque Melitus affirmasset: iterum Socrates est sciscitatus: nonne Dæmones vel Deorum filij sunt, vel habent in se aliquid diuinum? ac Melito annuente intulit: fieri ne potest, vt aliquis putet Deorum filios esse, Deos verò esse non putet? Notum autem omnibus erat Socratem fateri dæmones esse, cum frequenter diceret dæmonem quemdam ab ineunte ætate sibi semper astitisse, ideoque de hoc non interrogauit, sed id supposuit. Tertia opportunitas interrogandi est, cum volumus ostendere aduersarium sibi ipsi contraria dicere, vel ea proferre, quæ paradoxica sint, & aliena ab opinione communi. Quarta opportunitas est, cum aduersarius non potest respondere, nisi sophisticè, & captiosè, nimisque subtiliter, dicendo ex. gr. aliquam rem esse, & non esse: vel partim esse, partim non esse: vel aliquo modo esse, aliquo modo non esse. Cum enim auditores, vtpote rudes, non satis penetrent istas subtilitates, perturbantur, ac suspicantur eum, qui talibus responsionibus vtitur, interrogationis laqueis implicatum teneri, atque effugia quærere. Cum nulla ex enumeratis opportunitatibus adest, interrogatione non est vtendum. Ratio est, quia si contingat aduersarium bene respondere, & interrogationem eludere, qui interrogauit, videbitur victus. Debet autem aduerti, quod quia auditores sunt rudes, non sunt multis interrogationibus, sicut nec multis argumentis obruendi.

2 *In respondendo autem si ambigua sunt, non statim soluere, sed prius ratione distinguere oportet.*

3 *Sin vero contraria videntur, statim pro responsione inferenda solutio, anteaquam consequenter aliud interroget, aut ratiocinetur. Nec enim difficile est in quo ratio sit perspicere. Cæterum ex Topicis tam hoc, quam solutiones nobis patebunt.*

4 *Præterea si concludendo conclusionem interrogationem facit, causa dicendi est: vt Sophocles à Pisandro interrogatus, si sibi quoque, vt cæteris consiliarijs visum fuit quadringentos viros constituere, respondit: an hæc improba tibi non videbantur? ait ille: tu ergo hæc improba comprobasti? Ita, dixit: nec enim erant meliora. Et vt Lacedæmonius quidam censuræ rationem redderet, interrogatusque si iure sibi cæteri perempti viderentur, dixit: Ergo tu eadem istis censuisti? ait ille: Ergo tu quoque iure peribis. Minime, inquit: nam illi corrupti pecunia hæc iudicarunt, ego vero nequaquam, sed sententia*

5 *Quapropter nec rursus post conclusionem interrogandum est, nec iterato conclusionem ipsam, si non multum veritatis habet.*

Quoad

2 Quoad secundum: sequitur vt tradamus præcepta bene interrogationibus respondendi, illasque eludendi. Primum præceptum est: si interrogatio sit ambigua, distinguenda est. Vt autem auditores responsionem facilius percipiant, res explicanda est, non quidem oratione breui, & concisa, sed fusa, & ita longa, prout res videtur postulare.

3 Secundum præceptum est: Cum aduersarius interrogando vult nos cogere ad opposita concedenda, siquidem non est difficile præuidere, quid velit inferre, statim solutio apparentis contrarietatis est afferenda, nec expectandum, vt secundam interrogationem addat, & concludat. Debent igitur oratores scire ea, quæ de modo vitandi, ac soluendi captiosas interrogationes in Topicis tradidimus.

4 Tertium præceptum est: si aduersarius ex responsione allata interrogationi aliquid contra nos concluserit, opportunum est in responsione addere causam, per quam satisfiat illi, quod obijcitur. Hac ratione aduersarium eludendi vsus est Sophocles. Cum enim interrogatus fuisset à Pisandro, num ipse cum alijs præconsultoribus sententia sua dominatum quadringentorum confirmasset? fassus est se confirmasse. Cum rursus interrogatus fuisset: nonne res illa tibi videbatur improba? Ita inquit. Cum Pisander demum concluderet; ergo tu sponte rem improbam confirmasti? Certe inquit Sophocles; neque enim erant alia meliora: & sic afferendo rationem, propter quam admiserat aliquid mali ad vitandum maius malum, totam argumentationem elusit. Eadem arte vsus est Lacon ille, qui fuerat Ephorus, seu senator, cum rationem redderet magistratus administrati. Interrogatus enim, an eius collegæ, qui simul magistratum gesserant, iuste viderentur condemnati? respondit videri. Interrogatus rursus: nonne tu ijs consensisti, atque eadem decreuisti? Decreui inquit. Cum aduersarius concluderet: ergo etiam tu iustè condemnari debes? minime ait: nam socij pecunia corrupti illa decreuerunt: ego verò ex animi sententia.

5 Addit Aristoteles, quod postquam conclusimus, non debemus amplius interrogare de aliquo, quod ad id, quod intulimus, spectet; imo neque de ipsa conclusione interrogare debemus, nisi forte ita sit perspicua, vt omnino negari non possit. Ratio est, quia si interrogemus, videmur illa in dubium reuocare.

De vsu ridiculorum. Cap. XVIII. Art. II.

6 *QVoniam vero ridiculorum quoque vsus in certaminibus est, oportereq; Gorgias recte dicebat aduersariorum seria risu praeuertere, & risum serijs: explanatumque in ijs, quæ de re Poetica dicta sunt, quot*
7 *ridiculorum genera sint, * quorum alia liberis congruunt, alia non: inde quæ rei conuenient, orator assumet.*
8 *Est autem illusio scurrilitate libero magis idonea. Nam qui illa vtitur, sui, scurra vero alterius gratia loquitur.*

6 IN iudicijs aliquando est vtendum ridiculis. Bene siquidem Gorgias dixit aliquando oportere, vt serias rationes aduersarij ridiculis diluamus, atque in risum vertamus: si verò aduersarius adhibuerit ridicula, expedire, vt serijs illa rationibus reprehendamus. Agendum igitur hic esset de ridiculis. Sed quia de ridiculis, eorumque speciebus ex professo egimus in Poetica, duo tantum hic sunt aduertenda.

7 Primum est: quia quædam sunt ridicula ingenuo, ac libero homine digna, quædam vero sunt indigna homine ingenuo, ac propria scurrarum, & mimorum, ijs solum ridiculis, quæ nos deceant, est vtendum.

8 Secundum est: cum alia sint ridicula ironica, quibus vtitur quis propriæ voluptatis gratia, alia sint scurrilia, quibus vtitur ad alium oblectandum, virum ingenuum magis decent ridicula ironica, quam scurrilia.

De Peroratione, siue Epilogo. Cap. XIX. & vltimum.

1 *PErôratio autem ex quatuor constat: ex ijs, quæ faciunt, vt bene de nobis, male de aduersarijs auditor sentiat: quæ amplificant, aut extenuant: quibus in affectus auditor impellitur: quibus in memoriam dictorum reducitur.*
2 *Natura enim fit, vt cum te quidem vera-*

ro non: aut aliquando sic, aliquando non: turbantur dubitantes. Aliter igitur nec conandum quidem est. Nam si instabit, victus iam videbitur. Non enim poterit propter auditoris imbecillitatem de multis simul interrogare. Quapropter enthymemata quoque ipsa quam maxime conuoluenda sunt.

ORatores præsertim in iudicijs dum sua confirmant, & aliena refellunt, aduersarium interrogant, vt responsione vtantur ad aliquid contra ipsum inferendum. Aristoteles igitur hoc loco docet primo, quænam sint opportunitates interrogandi, ac qui nam modus sit in interrogationibus tenendus: secundo explicat, quo pacto sit interrogationibus respondendum, ne aduersarius responsione nostra contra nos ipsos vti possit.

1 Quoad primum: Quatuor sunt opportunitates interrogandi. Prima est cum aduersarius aliquid dixit, & affirmauit ita, vt præuideamus, quod si interrogemus, ex responsione ad interrogationem aliquid absurdum consequetur. Ita Pericles cum ex Lampone sciscitatus fuisset aliquid pertinens ad mysteria Cereris, quæ propter fruges inuentas Dea salutaris vocabatur: ille autem respondisset nefas esse illa audire, nisi quis esset initiatus: iterum Lamponem est percontatus, num ipse ea mysteria sciret? cumque ille annuisset: & quomodo inquit, cum minime sis initiatus? Secunda opportunitas interrogandi est, cum vna præmissa, ex qua sequitur aliquid nostræ causæ fauens, perspicua est, alteram verò aduersarius est certo concessurus, tum debemus de tali præmissa interrogare, ac statim concludere, non interrogando de altera præmissa manifesta. Hac arte in Apologia Platonis vtitur Socrates contra Melitum. Cum enim Socrates à Melito accusatus fuisset de impietate, quod nullos esse Deos putaret: Socrates Melitum interrogauit, an putaret Dæmonium aliquid esse? Cumque Melitus affirmasset: iterum Socrates est sciscitatus: nonne Dæmones vel Deorum filij sunt, vel habent in se aliquid diuinum? ac Melito annuente intulit: fieri ne potest, vt aliquis putet Deorum filios esse, Deos verò esse non putet? Notum autem omnibus erat Socratem fateri dæmones esse, cum frequenter diceret dæmonem quemdam ab ineunte ætate sibi semper astitisse, ideoquè de hoc non interrogauit, sed id supposuit. Tertia opportunitas interrogandi est, cum volumus ostendere aduersarium sibi ipsi contraria dicere, vel ea proferre, quæ paradoxica sint, & aliena ab opinione communi. Quarta opportunitas est, cum aduersarius non potest respondere, nisi sophisticè, & captiosè, nimisque subtiliter, dicendo ex. gr. aliquam rem esse, & non esse: vel partim esse, partim non esse: vel aliquo modo esse, aliquo modo non esse. Cum enim auditores, vtpote rudes, non satis penetrent istas subtilitates, perturbantur, ac suspicantur eum, qui talibus responsionibus vtitur, interrogationis laqueis implicatum teneri, atque effugia quærere. Cum nulla ex enumeratis opportunitatibus adest, interrogatione non est vtendum. Ratio est, quia si contingat aduersarium bene respondere, & interrogationem eludere, qui interrogauit, videbitur victus. Debet autem aduerti, quod quia auditores sunt rudes, non sunt multis interrogationibus, sicut nec multis argumentis obruendi.

2 *In respondendo autem si ambigua sunt, non statim soluere, sed prius ratione distinguere oportet.*

3 *Sin vero contraria videntur, statim pro responsione inferenda solutio, anteaquam consequenter aliud interroget, aut ratiocinetur. Nec enim difficile est in quo rat o sit perspicere. Cæterum ex Topicis tam hoc, quam solutiones nobis patebunt.*

4 *Præterea si concludendo conclusionem interrogationem facit, causa dicendi est: vt Sophocles à Pisandro interrogatus, si sibi quoque, vt cæteris consiliarijs visum fuit quadringentos viros constituere, respondit: an hæc improba tibi non videbantur? ait ille: tu ergo hæc improba comprebasti? Ita, dixit: nec enim erant meliora. Et vt Lacedæmonius quidam censuræ rationem reddent, interrogatusque, si iure sibi cæteri perempti viderentur, dixit: Ergo tu eadem istis censuisti? ait ille: Ergo tu quoque iure perîbis. Minime, inquit: nam illi corrupti pecunia hæc iudicarunt, ego vero nequaquam, sed sententia*

5 *Quapropter nec rursus post conclusionem interrogandum est, nec iterato conclusionem ipsam, si non multum veritatis habet.*

Quoad

2 Quoad secundum: sequitur vt tradamus præcepta bene interrogationibus respondendi, illasque eludendi. Primum præceptum est: si interrogatio sit ambigua, distinguenda est. Vt autem auditores responsionem facilius percipiant, res explicanda est, non quidem oratione breui, & concisa, sed fusa, & ita longa, prout res videtur postulare.

3 Secundum præceptum est: Cum aduersarius interrogando vult nos cogere ad opposita concedenda, siquidem non est difficile præuidere, quid velit inferre, statim solutio apparentis contrarietatis est afferenda, nec expectandum, vt secundam interrogationem addat, & concludat. Debent igitur oratores scire ea, quæ de modo vitandi, ac soluendi captiosas interrogationes in Topicis tradidimus.

4 Tertium præceptum est: si aduersarius ex responsione allata interrogationi aliquid contra nos concluserit, opportunum est in responsione addere causam, per quam satisfiat illi, quod obijcitur. Hac ratione aduersarium eludendi vsus est Sophocles. Cum enim interrogatus fuisset à Pisandro, num ipse cum alijs præconsultoribus sententia sua dominatum quadringentorum confirmasset? fassus est se confirmasse. Cum rursus interrogatus fuisset: nonne res illa tibi videbatur improba? Ita inquit. Cum Pisander demum concluderet; ergo tu sponte rem improbam confirmasti? Certe inquit Sophocles; neque enim erant alia meliora: & sic afferendo rationem, propter quam admiserat aliquid mali ad vitandum maius malum, totam argumentationem elusit. Eadem arte vsus est Lacon ille, qui fuerat Ephorus, seu senator, cum rationem redderet magistratus administrati. Interrogatus enim, an eius collegæ, qui simul magistratum gesserant, iuste viderentur condemnati? respondit videri. Interrogatus rursus: nonne tu ijs consensisti, atque eadem decreuisti? Decreui inquit. Cum aduersarius concluderet: ergo etiam tu iustè condemnari debes? minime ait: nam socij pecunia corrupti illa decreuerunt: ego verò ex animi sententia.

5 Addit Aristoteles, quod postquam conclusimus, non debemus amplius interrogare de aliquo, quod ad id, quod intulimus, spectet; imo neque de ipsa conclusione interrogare debemus, nisi forte ita sit perspicua, vt omnino negari non possit. Ratio est, quia si interrogemus, videmur illa in dubium reuocare.

De vsu ridiculorum. Cap. XVIII. Art. II.

6 *QVoniam vero ridiculorum quoque vsus in certaminibus est, oportereq; Gorgias rectè dicebat aduersariorum seria risu præuertere, & risum serijs: explanatumque in ijs, quæ de re Poetica dicta sunt, quot*
7 *ridiculorum genera sint, * quorum alia liberis congruunt, alia non: inde quæ rei conuenient, orator assumet.*

8 *Est autem illusio scurrilitate libero magis idonea. Nam qui illa vtitur, sui, scurra vero alterius gratia loquitur.*

6 IN iudicijs aliquando est vtendum ridiculis. Bene siquidem Gorgias dixit aliquando oportere, vt serias rationes aduersarij ridiculis diluamus, atque in risum vertamus: si verò aduersarius adhibuerit ridicula, expedire, vt serijs illa rationibus reprehendamus. Agendum igitur hic esset de ridiculis. Sed quia de ridiculis, eorumque speciebus ex professo egimus in Poetica, duo tantum hic sunt aduertenda.

7 Primum est: quia quædam sunt ridicula ingenuo, ac libero homine digna, quædam vero sunt indigna homine ingenuo, ac propria scurrarum, & mimorum, ijs solum ridiculis, quæ nos deceant, est vtendum.

8 Secundum est: cum alia sint ridicula ironica, quibus vtitur quis propriæ voluptatis gratia, alia sint scurrilia, quibus vtitur ad alium oblectandum, virum ingenuum magis decent ridicula ironica, quam scurrilia.

De Peroratione, siue Epilogo, Cap. XIX. & vltimum.

1 *PErôratio autem ex quatuor constat: ex ijs, quæ faciunt, vt bene de nobis, male de aduersarijs auditor sentiat: quæ amplificant, aut extenuant: quibus in affectus auditor impellitur: quibus in memoriam dictorum reducitur.*

2 *Natura enim fit, vt cum te quidem vera-*

vacem, aduersarium vero mendacem ostenderis, tunc vel laudes, vel vituperes, & omnino supermoliaris. Est autem horum duorum alterum considerandum, aut quod is semper bonus, aut simpliciter: ille vero quod his infestus, aut simpliciter. Vnde vero tales boni, aut infesti fiant, iam dicti sunt loci.

3 *Post hæc autem natura duce, quod iam demonstratum est, aut amplificandum, aut attenuandum est. Opus enim est, vt quæ facta sunt, pateant, priusquam ipsorum quantitas explicetur. Nam & corporum incrementum ex praexistentibus est. Vnde autem amplificandum, attenuandumque sit, iam pridem expositi loci nobis sunt.*

4 *Postea uero cum iam & qualia sint, & quanta sint, patefactum est, in affectus auditor impellendus est: qui sunt commiseratio, indignatio, ira, odium, inuidia, æmulatio, contentio: quorum etiam loci iam dicti sunt.*

5 *Quare illud iam restat, ut predicta in memoriam reducantur. Quod sic conuenit facere, ficut in exordijs non recte præcipiunt faciundum. Nam ut facilia intellectu sint, sæpius idem dicere iubent. Verum ibi quidem res summatim dicenda, ne auditores de quo sit iudicium ignorent: hic uero ea, quibus demonstratum est, per capita repetenda.*

1 VLtima pars orationis est, quæ græcè epilogus, latinè peroratio nuncupatur. Peroratio constare debet ex quatuor partibus, quæ desuműtur ex quatuor, quæ efficere debemus, postquam per confirmationem ostenderimus vera esse, quæ ab initio proposuimus. Primum est, vt auditores beneuolos nobis, aduersarijs maleuolos reddamus: secundum est, vt quæ dicta sunt amplificemus, aut diminuamus, prout causa postulat: tertium est, vt in auditoribus affectus excitemus: quartum demum est, vt quæ sparsim in decursu orationis sunt dicta, breuiter enumerando in memoriam reuocemus, vt altius mentibus auditorum hæreant.

2 Explicantur singulæ partes. Primo igitur in peroratione debemus auditores nobis quidem beneuolos, aduersarijs maleuolos reddere. Ratio est, quia sicut connaturale est, vt artifices postquam opus fecerunt, illud expoliant: sic connaturale est, vt postquam orator fecit opus suum, ostendendo se vera dicere, aduersarium falsa, vltimam veluti manum operi addat, laudando causam suam, vituperando causam aduersariorum, vt per hoc auditores suæ causæ beneuolos, causæ aduersariorum reddat infestos. Iam verò quia beneuolentia prosequimur vel bonos simpliciter, vel bonos nobis, maleuolentia verò prosequimur vel malos simpliciter, vel malos nobis, vt auditores nobis reddamus beneuolos, debemus ostendere nos, vel esse bonos simpliciter, vel bonos auditoribus: vt eosdem aduersarijs reddamus maleuolos, debemus ostendere aduersarios vel esse malos simpliciter, vel malos auditoribus. Loci ad ostendendum aliquos esse bonos, vel malos traditi sunt lib. 1. cap. 9. ideoque nihil hic est addendum.

3 Secundo in peroratione debemus amplificare, vel diminuere, quæ dicta sunt, & probata. Ratio est, quia sicut natura per generationem dat corporibus esse, deinde per augmentationem eadem auget, & ad debitam magnitudinem perducit; sic connaturale est, vt postquam per confirmationem res ita se habere ostenderimus, per amplificationem, vel diminutionem ostendamus, quanta res sit, magna ne, an parua? Neque enim explicari potest, quanta res sit, nisi compertum sit illam esse. Loci ad amplificandum, vel diminuendum, ostendendo magnitudinem, vel paruitatem rerum, traditi sunt lib. 1. cap. 7.

4 Tertio in peroratione debemus affectus in animis auditorum excitare. Ratio est, quia postquam per confirmationem ostenderimus rem esse, per amplificationem autem, ac diminutionem explicauerimus quanta sit, connaturale est, vt auditorum animos commoueamus. Affectus porro, quos potissimum debemus excitare, sunt misericordia, indignatio, ira, odium, inuidia, æmulatio, contentio, de quibus, & quo pacto excitentur actű est lib. 2. cap. 2. & seq.

5 Quarto demum in peroratione debemus dicta breuiter enumerando in memoriam reuocare. Ratio est, quia excitatis affectibus, nihil aliud superest, nisi vt dicta auditorum animis altius infigamus; sed ad altius infigendum faciendum est, quod aliqui perperam dicunt fieri in exordio debere, dicta nimirum breui sunt enumeratione repetenda; ergo &c. Ratio, cur hæc repetitio non sit facienda in exordio, sed in peroratione est, quia in exordio sufficit

ficit exponere id, de quo agitur, ne lateat auditorem: cum verò probata fuerint, quæ ab initio proposuimus, tum summatim illa repetere, atque in memoriam reuocare debemus.

6 *Initium autem repetitionis, quando persoluit iam quæ pollicitus est, quare & quæ dicenda erant, & de quo dicendum.*


7 *Repetuntur autem per collationem eorum, quæ ab aduersario dicta sunt. Conferuntur igitur, aut quæ de eodem ambo, aut quæ opposita dixerunt: sed hic quidem hæc de hoc, ego uero hæc, & propter hæc. Aut per illusionem: utputa: & hæc quidem hic: ego uero hæc, atque hæc. Et sic: quid iste nunc faceret, si hæc, atque hæc demonstrasset, & non illa? Aut per interrogationem: quid non demonstratum est? Et e contra, quid ab isto demonstratum est? Aut igitur sic, aut per collationem, aut ordine, quo dicta sunt prius tua. Et rursum si ita uis, quæ aduersarij dixerunt, seorsum.*

8 *Fini uero dissoluta maxime, atque per articulum oratio idonea est, ut peroratio non oratio sit: Dixi, audistis, habetis, iudicate.*

6 Explicat deinde Aristoteles, vnde sumendum sit initium enumerationis, qua dicta breuiter repetuntur; quo pacto talis repetitio sit facienda; & qua demum ratione peroratio, ac tota oratio sit concludenda. Primo igitur orator poterit repetitionem inchoare, dicendo ea se præstitisse, quæ pollicitus fuerat; deinde verò explicet, quænam illa sint, & propter quam causam de ijs fuerit agendum.

7 Secundo quatuor sunt præcipui modi dicta enumerandi, quorum tres fiunt conferendo dicta à nobis cum dictis ab aduersario, quartus est simplex, ac sequens ordinem naturæ. Primus modus est, cum enumeramus quæ fuerunt dicta à nobis, & quæ fuerunt dicta ab aduersario, illa inuicem conferendo. Duobus modis possumus hæc inuicem conferre. Primo possumus conferre quæ de eadem re diximus nos, ac dixit aduersarius: secundo possumus conferre quæ non de eadem re diximus nos, ac dixit aduersarius, dicendo ex. gr: *Hic quidem de hac re sic dixit: Ego verò egi de hac alia re, & hac de causa.* Secundus modus enumerandi, atque inuicem conferendi dicta à nobis, & dicta ab aduersario est ironicus, ita vt ironicè quæ fuerunt dicta ab aduersario, augeamus, quæ fuerunt dicta à nobis, deprimamus: dicendo ex. gr: *Iste quidem hæc commemorauit, ego autem hæc. Quid nam ille fecisset, si hæc, non autem illa probasset?* Tertius modus enumerandi, atque inuicem conferendi dicta à nobis, & ab aduersario est per interrogationem, dicendo ex. gr. *Quid est, quod à me non sit demonstratum? Iste verò quidnam probauit ex ijs, quæ probare debuisset.* Quartus demum modus breuiter enumerandi quæ fuerunt dicta est, si sequendo ordinem naturæ sine vlla comparatione prius repetas quæ ipse dixisti, ac probasti, deinde verò seorsim, si libet, enumeres quæ dixit aduersarius.


8 Tertio demum ad perorationem, & totam orationem concludendam videtur aptissimus modus ille, qui vocatur dissolutus, eo quod coniunctionibus careat, dicendo ex. gr: *Dixi; audiuistis; rem tenetis; iudicate.* Et per hæc Aristoteles concludit tres libros Rhetoricorum.



IN ARISTOTELIS POETICAM.

PROOEMIVM, ET SYNOPSIS.

De natura, subiecto, opere, & fine Poeticæ.

1 OETICA est *ars delectabiliter imitandi sermone metrico.* Genus igitur proximum Poeticæ est, vt sit ars imitatiua: differentia, per quam differt ab alijs artibus imitatiuis est modus imitandi. Cum enim cæteræ artes imitatiuæ imitentur alijs modis, poetica imitatur sermone metrico.

2 Ex hac definitione explicante naturam poeticæ, potest breuiter inferri, quod nam sit subiectũ poeticæ, quod eius opus, ac qui finis? Subiectum poeticæ sunt res, vt delectabiliter imitabiles sermone metrico: opus poeticæ est ipsa imitatio: finis est delectatio, quam causat præsertim in phantasia imitatio metrica rerum. Hinc sequitur, quod Poetica præsertim debet imitari ea, quorum imitatio est delectabilissima phantasiæ; sed delectabilissima phãtasiæ est imitatio gestorum admirabilissimorum, ac verisimilium; ergo poetica præsertim debet imitari gesta admirabilissima, ac verisimilia; sed vt hæc imitetur debet primo fingere gesta admirabilia, ac verisimilia; deinde debet illa exprimere oratione ipsis accommodata, hoc est admirabili, qualis est oratio metrica: ergo labor poeticæ debet in his duobus versari: primo in fictione fabulæ, hoc est gestorum admirabilium, & verisimilium; secundo in talibus gestis exprimendis oratione metrica maximè ipsis accommodata, hoc est maximè imitatiua singulorum. Sed hæc sufficiat nunc delibasse vberius in explicatione tractanda.

3 Poeticam Aristoteles tradidit hoc libello, qui communiter apud latinos diuiditur in capita vigintiquatuor. Capite igitur primo explicat, in quo conueniant, ac differant inter se tum poesis, & omnes eius species, tum facultates affines poeticæ. Capite secundo agit de causis, origine, & incremento poeseos, & eius specierum.

4 Distinctis speciebus poeseos, descendit Aristoteles ad agendum de singulis speciebus in particulari, ac præsertim de tragœdia, & Epopoeia, & in fine cap. 2. præmittit, in quo tragœdia, & Epopoeia conueniant, ac differant.

5 Incipit deinde agere in particulari de Tragœdia, & cap. 3. proponit definitionem tragœdiæ. Cap. 4. ex definitione tragœdiæ infert partes tragœdiæ esse sex, nimirum apparatum scœnicum, melopoeiam, dictionem, mores, sententiam, & fabulam, easque conferens inter se, ostendit primam, & præcipuam partem tragœdiæ esse fabulam, secundam mores, tertiam sententiam, quartam dictionem, quintam melopoeiam, sextam apparatum scœnicum; ac omissa tractatione de duabus postremis partibus, cum non spectent ad artificium poeticum, aggreditur agere de quatuor primis, & præcipuè de fabula, quæ est veluti anima Tragœdiæ. Et quia ad hoc, vt fabula rectè se habeat, requiruntur octo conditiones, quarum prima est, vt sit perfecta, & tota; secunda vt habeat certam magnitudinem; tertia vt sit vna; quarta vt sit possibilis, seu verisimilis; quinta vt non sit Episodica, seu digressionibus referta; sexta vt sit admirabilis; septima vt sit implexa; octaua vt sit miserabilis; ideo cap. 5. 6. 7. 8. & 9. de his conditionibus disputat, atque agit etiam de Peripetia, & agni-

agnitione, per quas fabulæ constituuntur implexæ.

6 Assignatis sex partibus tragœdiæ, quę dicuntur qualitatis, & explicata prima, ac præcipua parte, hoc est fabula, commodius Aristoteles acturus inferius de reliquis partibus, cap. 10. breuissimè agit de partibus tragœdiæ, quæ dicuntur quantitatis, quæ partes sunt Prologus, Episodium, Exodus, Chorus ingrediens, Chorus stabilis, & Commus, seu lamentatio.

7 Descendit deinde ad examinandum, quæ nam sint persequenda, vel vitanda ad constituendam tragœdiam optimam, atque pulcherrimam; & cap. 11. examinat, qualis debeat esse persona tragica? qualem fortunæ mutationem, & ex qua causa debeat subire? vtrum melior sit fabula simplex, an duplex? vtrum melius sit, vt actio tragica sit terribilis, ac miserabilis propter apparatum scœnæ, vel propter constitutionem fabulæ? qui nam euentus sint magis, aut minus terribiles, ac miserabiles, adeoque magis, aut minus pulcherrimæ tragœdiæ accommodati? Cap. 12. explicat, quæ nam circa mores, ac circa solutionem fabulæ sint obseruanda. Cap. 13. examinat, quot sint modi, seu species agnitionum, & quæ sit pulcherrima agnitio: cap. 14. & 15. tradit præcepta ad seruandum decorum, ad bene repræsentandos eos, qui affectibus agitantur, & ad fabulam Episodijs, seu digressionibus amplificandam: cap. 16. 17. & 18. agit de duabus partibus tragœdiæ, quæ sunt nodus, & solutio, ac de quatuor tragœdiæ speciebus, implexa nimirum, pathetica, morata, & simplici; & tradit quinque præcepta circa species tragœdiæ, circa eius nodum, & solutionē, circa magnitudinem fabularum, circa res admirabiles, ac circa chorum.


8 His expeditis, agit Aristoteles de duabus reliquis partibus qualitatis, nimirum de sententia, ac de dictione. Cap. igitur 19. breuiter agit de sententia: cap. 20. agit de dictione, seu locutione, ac de octo ipsius partibus, quæ sunt elementum, littera, syllaba, coniunctio, nomen, verbum, articulus, casus, & oratio, atque explicat varia nominum genera. Cap. 21. examinat, quibus nominibus sit vtendum ad reddendam locutionem poeticam perspicuam, ac non humilem.

9 Absoluto tractatu de tragœdia, agit Aristoteles de epopoeia: & quia epopoeia pene totaliter continetur in Tragœdia, cap. 22. breuissimè de epopoeia disserit, & explicat, in quibus epopoeia conueniat cum tragœdia, & in quibus differat à tragœdia, & tradit quædam præcepta circa ea, quæ sunt propria Epopoeiæ. Cap. 23. agit de accusationibus, quæ contra poetas afferuntur, ac de modo eos defendendi, atque excusandi. Cap. 24. & vltimo examinat, vtrum melior sit epopoeia, an tragoedia? Videbatur superesse, vt ageretur de comoedia iuxta ea, quæ Aristoteles proposuit initio cap. 6. Sed hæc tractatio non extat, adeoque hoc opus videtur imperfectum.


ARISTOTELIS POETICA.

ALEXANDRO PACCIO INTERPRETE.

Proponitur de quibus, & quo ordine sit agendum. Caput Primum. Articulus Primus.

1 
E Poetica, eiusque generibus, quam facultatem singula habeant: & quo pacto, vt recte poesis se habeat, componi fabulas oporteat: ex quot etiam, quibusque partibus constet: de omnibus item, quæcunque ad hanc viam, & rationem pertinent, dicamus, initio secundum naturam sumpto, primum à primis.

ARI-

1 RISTOTELES traditurus artem poeticam, cuius opus est poesis, initio proponit se acturum tum de poesi in genere, tum de varijs speciebus poeseos, explicando, quam vim, & naturam habeat vnaquæque species. Et quia non potest poesis rectè se habere, nisi fabulæ bene cōstituantur, addit se declaraturum, quo pacto fabulæ sint constituendæ; dicturum etiam, ex quot, & qualibus partibus poesis constet, ac demum reliqua, quæ ad hanc artem, seu methodum spectant, persecuturum, seruando in his ordinem naturæ, qui postulat, vt prius agatur de prioribus, seu communioribus, deinde de posterioribus, ac minus communibus. Articulo igitur sequenti explicandum est primo, in quo genere conueniant tum poesis, & omnes eius species, tum quædam aliæ facultates affines poeticæ: secundo proponenda sunt tria capita, ex quibus desumuntur differentiæ poeseos à facultatibus affinibus, & variarum specierum poeseos inter se. Articulo 3. 4. & 5. examinandum est, quo pacto dictæ facultates ex allatis capitibus differant, vt ex genere, ac differentijs colligantur definitiones poeseos, eiusque specierum.

In quo genere conueniant poesis, eiusque species, & artes affines, & ex quibus capitibus differant. Cap. Primi. Articulus II.

2 *EPopœia sanè, Tragœdiaque Poesis, Comœdia insuper, ac Dithyrambica, tum pleræque illarum quas ad tibias, citharasue accommodamus, omnes prorsus in hoc vno conueniunt, vt imitatio sint.*

3 *Tribus autem differunt inter se, aut quòd genere diuersis imitantur, aut quod res diuersas, aut quòd modo diuerso, minimeque secundum eamdem rationem.*

2 GEnus commune, in quo conueniunt poesis, ac facultates affines, est imitatio. Probatur: illud enim est genus commune poesi, & facultatibus affinibus, in quo conueniunt omnes species poeseos, & facultatũ affinium; sed omnes species poeseos, & facultatum affinium conueniunt in hoc, quod sint imitatio; ergo &c. Prob. minor: species enim poeseos sunt epopoeia, seu poesis epica; tragoedia, seu poesis tragica; comædia, seu poesis comica; & Dithyrambica, seu poesis Lyrica: facultates affines sunt illæ, quibus poesis vtitur, quales sunt facultates sonatoriæ, quæ diuiduntur in duas classes, in auleticam, sub qua comprehuntur facultates, quæ sonum edunt spiritu, quo inflant quædam instrumenta ori admota; & in Citharisticam, sub qua comprehenduntur illæ facultates, quæ sonum edunt instrumentis manu tactis; sed Epopoeia, tragoedia, comoedia, & Dithyrambica sunt imitatio: Sonatoriarum etiam artium maxima pars, ac præsertim eæ, quibus in theatris vtũtur poetæ, in imitatione consistunt, licet possit etiam quis sonare sine vlla imitatione; ergo omnes species poeseos, & facultates affines conueniunt in hoc, quod sint imitatio, adeoque imitatio est genus proximum poeseos, & facultatum affinium.

3 Differentiæ allatarum facultatum præcipuè desumuntur ex tribus: primo ex eo, quod imitantur instrumentis genere diuersis; secundo ex eo, quod imitantur res diuersas; tertio ex eo, quod imitantur modo diuerso, vt tribus Articulis sequentibus patebit.

Quo pacto species poeseos, & facultates affines differant ex eo, quod imitentur diuersis instrumentis. Cap. Primi. Articulus III.

4 *VT enim coloribus, atque figuris pleraque quidam æmulantes imitantur, hi quidem arte, consuetudine illi, nonnulli etiã voce: ita quoque & in dictis artibus accidit. Etenim omnes imitationem exercent, numero dico, sermone, harmonia, hisque vel separatim, vel promiscue.*

5 *Verbi gratia harmonia simul, & numero tantum vtuntur illa, quæ ad tibias, quæue ad citharas pertinent: tum si quæ aliæ sint, quæ facultatem huiusmodi sortiantur, ut est illa fistularum.*

6 *Numero vero ipso seorsum ab harmonia imitari, saltantium est: quandoquidem hi gesticulationis numerosa varietate mores,*

res, perturbationes, actionesque imitantur.

7 *Nudis autem sermonibus, siue metris solummodo Epopœia vtitur, metrorum quidem hactenus, siue mixtis aliquibus inter se, siue generis eiusdem alicuius.*

4 EX facultatibus imitatiuis quædam imitantur aliquo permanente, hoc est coloribus, & figuris, quædam imitantur aliquo successiuo, hoc est rhythmo, seu numero, oratione, seu sermone, & harmonia. Sicut igitur facultates, quæ imitantur coloribus, ac figuris permanentibus possunt inter se differre per hoc, quod vel imitantur solis coloribus, absque figuris solidis, vt pictura; vel per hoc, quod imitantur solis figuris solidis sine coloribus, vt sculptura; vel per hoc, quod imitantur coloribus simul, & figuris solidis, vt si quis statuis adderet colores: sic poesis, & artes affines, quæ imitantur aliquo successiuo, hoc est numero, oratione, & harmonia, possunt inuicem differre, vel per hoc, quod imitentur aliquo solum ex his, vel pluribus inter se mistis, & combinatis.

5 Primo igitur sonatoria, sub qua comprehenduntur auletica, ac citharistica, & fortasse aliæ facultates habentes similem naturam, vt fistulatoria &c. imitantur solum harmonia, & numero, non autem oratione. Dixi, quod imitantur harmonia, & numero, siquidem in sonis non solum datur harmonia, hoc est concordia discrepantium sonorum, sed etiam datur numerus, cum tales soni debeant habere inter se proportionem quorumdam numerorum.

6 Secundo solo rhythmo, siue numero absque oratione, & harmonia imitatur saltatoria, siquidem saltatores per motus habentes proportionem quorumdam numerorum imitantur mores, actiones, & passiones, siue affectus.

7 Tertio epopoeia imitatur solum nudis sermonibus, hoc est metris, vel varius tantum generis, vt hactenus est factum, siquidem poemata epica scripta fuerunt solum versibus heroicis, vel pluribus generibus metrorum, seu versuum mistis inter se, vt fieri posset. Aristoteles igitur dum dicit epopoeiam imitari sermonibus nudis, seu metris, ly *seu* est ita intelligendum, vt significet idem, ac *hoc est* vt bene explicant Petrus Victorius, & Ludouicus Casteluetrius. Sermones autem, quibus vtitur epopoeia, dicuntur nudi, quia non sunt vestiti harmonia, vel apparatu scoenico, sicut sunt vestiti sermones, quibus vtuntur tragoedia, comoedia, & Dithyrambica.


8 *Nam quod Sophronis, & Xenarchi mimis commune dicamus, sermonibusque Socraticis, aliud prorsus habemus nihil: nec item, si quis trimetris, elegis, aliisue talibus aliquibus imitationem fecerit; quanquam homines, ipsi metro fingere adiungentes, elegorum fictores hos, Hexametrorum illos nominant: non quidem secundum imitationem, sed communiter secundum metrum poetas ipsos appellantes. Etenim si quid medicum, harmonicumue numeris efferunt, hac sane ratione appellare consueuerunt. Homero quoque, atque Empedocli nihil planè præter metrum commune est. Quamobrem legitimus quidem ille poeta, hic physicus potius, quam poeta, merito vocandus est. Similiter quoque si quis metra permiscens vniuersa, imitationem tamen minime fecerit, vt ipse Cheremon, qui Hippocentaurum omnifariam numerorum mixtum centonem edidit, non iam poeta appellandus. De his igitur per hunc modum determinatum sit.*

9 *Sunt vero qui his omnibus promiscuè vtantur, numero dico, harmonia, metro, vt Dithyramborum, Mimorumue poesis, Tragœdia insuper, atque Comœdia: quæ tamen hoc differunt, quòd illæ quidem simul omnibus, hæ vero particulatim vtuntur.*

8 Sequebatur, vt Aristoteles quarto loco explicaret, quo pacto Poesis tragica, comica, ac Dithyrambica vtatur metris simul, harmonia, & numero: sed quia dixit epopoeiam imitari metris, interponit digressiunculam, in qua duo infert. Primum est, quod quandoquidem epopoeia imitatur metris, nomine epopoeiæ non possumus comprehendere mimos Sophronis, ac Xenarchi, & dialogos Platonis, quos vocat sermones Socraticos, quia solet in his induci Socrates disputans. Ratio est, quia licet Dialogi Platonis, ac mimi Sophronis, ac Xenarchi contineant imitationem, adhuc carent metro, cum scripti sint soluta oratione; sed ex dictis epopoeia est imitatio sermone metrico; ergo &c. Secundum est, quod si loquamur conformiter

miter ad naturam epopœiæ, & poeseos vniuersim, nomen epopœiæ, & vniuersim poeseos non debet tribui Trimetris, vel Elegis, vel cuicunque carmini non continenti imitationem. Licet igitur plerique ex vulgo tribuentes nomen poetæ propter versus magis, quam propter imitationem, eos, qui etiam sine imitatione scribunt carmina elegiaca, vocent Poetas elegos, eos, qui scribunt hexametra, vocent poetas epicos, ideoque poetas epicos, vel elegos appellent etiam eos, qui versus scribunt de medicina, vel musica, adhuc tamen verè isti non sunt poetæ. Homerus igitur, & Empedocles non conueniunt nisi in ratione versificatorum per carmina hexametra, in ratione poetæ non conueniunt, ideoque nomen poetæ conuenit soli Homero, qui imitatur, Empedocles non tam est Poeta, quam physiologus, quia non imitatur, sed scribit hexametra de rebus naturalibus. Sicut autem non esset appellandus poeta, qui sine imitatione scriberet hexametra, sic si quis misceret omnia carminum genera, vt Cheræmon facit, qui scripsit Centaurum rapsodiam compositam ex omni carminum genere, nec is Poeta esset dicendus. Sed de his hæc dicta sufficiant. Reuertamur iam eo, vnde sumus digressi.

9 Quarto igitur poesis Dithyrambicorum, & nomorum, nec non Tragœdia, & Comœdia vtuntur omnibus tribus imitationis instrumentis, nimirum numero, harmonia, & oratione: sed adhuc poesis Dithyrambica, & nomica differt à Tragica, & Comica per hoc, quod Dithyrambica simul vtitur harmonia, sermone, ac rhythmo: eodem siquidem tempore, quo recitabantur Dithyrambi solebant addi sonus, & saltatio: at Comœdia, & Tragoedia non simul vtitur his tribus: neque enim eodem tempore imitatio fit recitatione carminum, saltatione, ac sono, sed temporibus diuersis. Potest quæri, quænam esset Poesis nomorum. Dicendum, quod erat genus carminis, quod tali nomine vocabatur, quia eo scriptæ fuerant leges, quæ græcè dicuntur νόμοι.



Quo pacto species poeseos, & facultates affines differant ex eo, quod imitentur diuersa. Cap. Primi. Articulus IV.

10 *HAs igitur artium differentias dico, in quibus imitatio fit.*

11 *Quoniam vero qui imitantur, agentes ipsos imitantur: hos autem vel probos, vel improbos esse oportet, vt quos duntaxat ferè semper ipsi mores concomitentur (etenim per vitium, atque virtutem moribus omnes differunt) necesse est (quod etiam pictores faciunt) vel meliores, vel similes, vel deteriores imitari. Polygnotus quidem meliores, Pauson deteriores, Dionysius vero similes effingebat.*

12 *Ex quo liquido apparet, imitationum supradictarum vnamquanque tales differentias sortiri, planeque diuersam euadere, quòd res diuersas ad hunc modum imitetur. Etenim tum in saltatione, tum in tibiarum, cithararumue modulatione, huiusmodi dissimilitudines fieri contingit. Similiter quoque, & quæ circa sermones, & nuda carmina versantur: exempli gratia Homerus præstantes effingit, Cleophon similes, Hegemon vero ille Thasius (qui primus parodias scripsit) necnon Nicochari, qui Deliadem, viles. Pari ratione & qui per Dithyrambos, & Mimos, vt fecit, & Cyclopas Timotheus, & Philoxenus vtique imitantur. Qua etiam dissimilitudine Tragœdiam à Comœdia differre dicimus: hæc enim humiliores, illa vero præstantiores, quam qui modo sunt.*

10 EXplicauimus, quo pacto facultates imitatiuæ differant ex eo, quod imitentur diuersis instrumentis: iam explicandum est, quo pacto differant ex eo, quod imitentur diuersa.

11 Qui imitantur non solent imitari otiantes, sed agentes, & operantes; sed homines per actiones exhibent mores, qui diuiduntur per virtutes, ac vitia, adeoque in bonos, & malos; ergo qui imitantur solent imitari vel bonos, vel malos, seu improbos, vel virtute præditos; sed imitando probos, ac virtute præditos possumus illos effingere vel meliores, quam nos homines communiter sumus, vel quales nos communi-

muniter sumus: similiter imitando probos, possumus illos effingere vel peiores, quam nos homines communiter sumus, vel quales nos communiter sumus; ergo facultates imitatiuæ ex eo, quod imitantur diuersa, possunt sortiri præcipuè tres differentias. Prima desumitur ex eo, quod imitentur meliores: secunda ex eo, quod imitentur peiores: tertia ex eo, quod imitentur tales, quales nos homines communiter sumus. Confirmatur, quia sicut pictura imitatur habitum corporis, sic poesis, & aliæ facultates affines imitantur habitum animi; ergo sicut Pictores differunt inter se per hoc, quod fingant homines secundum habitum, & pulchritudinem corporis, vel meliores, & pulchriores, quam communiter sint, vt faciebat Polignotus, vel peiores, ac deformiores, vt faciebat Pauson, vel similes, vt faciebat Dionysius: sic poesis, & artes affines præcipuè differunt per hoc, quod vel effingant homines secundum habitum animi meliores, vel deteriores, vel similes.

12 Sed iam magis in particulari est explicandum, quo pacto tum Poesis, eiusque species, tum facultates affines possint sortiri has differentias. Primo per saltationem, ac sonum tibiarum, & fidium potest quis imitari meliores, vel peiores, vel tales, quales homines communiter solent esse. Secundo hoc idem possumus facere per sermones, & nuda carmina: Ex.gr. Homerus quidem vt plurimum imitatur meliores, quam homines communiter sint: Cleophon imitatur similes: Hegemon Thasius, qui primus parodias cecinit, & Nicocharis, qui Deliada versibus descripsit, imitati sunt deteriores. Tertio etiam per poesim Dithyrambicam, & Nomicam possumus imitari meliores, aut deteriores. De facto enim qui canũt Deos, aut heroas, imitantur meliores: Timotheus autem, & Philoxenus canentes Persas Græcorum hostes, & Cyclopas, imitati sunt deteriores: & posset etiam quis imitari pares. Quarto demum duæ species poeseos Dramaticæ, Tragoedia nimirum, & Comoedia differre videntur inter se per hoc, quod Tragoedia præcipuè intendit imitationem meliorum, Comoedia præcipuè intendit imitationem peiorum, ac potest etiam dari Drama medium inter tragoediam, & comoediam exprimens homines, quales communiter sunt.

Quo pacto species poeseos possint differre ex eo, quod imitentur modo diuerso. Cap.I. Articulus V.

13 *Tertia præterea in his differentia est, quo quisq; modo singula imitetur. Fieri enim potest, vt eisdem eadem, diuersa tamen ratione imitetur, aliquando quidem narrantes nos, idque modo alienam personam induti, (quod Homerus facit) modo vt ijdem ipsi non mutati, aliquando vero quasi negotiantes omnes, & agentes introducentes. Atque in his plane tribus differentijs (vt à principio diximus) imitatio est, quibus videlicet, quæ, & quo modo.*

14 *Quo sanè fit, vt ab Homero Sophocles aliquo pacto imitatione non discrepet, quod vterque præstantes imitetur: nec item ab Aristophane, quod vterque negotiantes, & agentes.*

15 *Vnde δράματα, id est actus ipsos, nonnulli ab agentium imitatione appellari dicunt.*

13 Tertia demum differentia est, per quam species poeseos imitantes eadem, & ijsdem instrumentis, hoc est sermonibus metricis, adhuc possunt inter se differre per hoc, quod imitentur modo diuerso. Tres igitur sunt modi imitandi per sermones metricos, quorum primus plerumque conuenit Dithyrambo, seu poesi lyricæ: secundus conuenit epopoeiæ: tertius Tragoediæ, & comoediæ. Primus modus est, cum poeta omnia exponit ex propria persona, nihil, vel pene nihil ex persona alterius. Ita Poetæ lyrici omnia, vel penè omnia dicunt ex propria persona, nihil, vel pene nihil dicunt ex persona alterius, cum paucissimæ apud ipsos inueniantur conciones. Secundus modus est, cum Poeta quædam exponit ex persona propria, quædam ex persona aliorum, quos loquentes inducit. Ita Homerus, alijque Poetæ epici multa dicunt ex persona propria, multa ex personis aliorum, in quos se quodammodo transformant, dum eos loquentes inducunt. Tertius modus est, cum poeta nihil dicit ex persona propria, sed omnia ex persona aliorum, quos indu-

cunt loquentes, & agentes, vt in comoedijs, & Tragoedijs fit. Explicatum est igitur, quo pacto imitationes differant vel ex eo, quod imitentur diuersis instrumentis, vel ex eo, quod imitentur diuersa, vel ex eo, quod imitentur modo diuerso.

14 Infertur primo Tragoediam esse quodammodo mediam inter epopoeiam, & comoediam, ita vt in aliquo conueniat cum epopoeia, in altero cum comoedia. Ex vna parte Tragoedia conuenit cum epopoeia, ac differt à comoedia in eo, quod tum epopoeia, tum tragoedia imitantur præstantes, & virtute præditos, cum comoedia imitetur viles, & vitiosos. Ex alia parte Tragoedia conuenit cum comoedia, ac differt ab epopoeia, quod tum in tragoedia, tum in comoedia, poeta nunquam loquitur ex propria persona, sed semper loquitur ex persona aliorum, quos inducit agentes, & negotiantes: in epopoeia verò poeta sæpe loquitur ex propria persona. Sophocles igitur tragicus in quantum imitatur præstantes, ac probos, conuenit cum Homero; in quantum non loquitur ex propria persona, conuenit cum Aristophane poeta comico.

15 Infertur secundo, cur Tragoedia, & comoedia communi nomine vocentur Dramata. Ratio est, quia δρᾶν idem significat, ac agere; sed in comoedijs, ac Tragoedijs semper inducuntur personæ agentes, & negotiantes; ergo Tragoedia, & comoedia conuenientissimè vocantur Dramata, siue actiones.

16 *Quamobrem Tragœdiam, atque Comœdiam Dorienses sibi vendicant, Comœdiam quidem Megarenses, tam hi, qui hic sunt, vt eo tempore inuentam, quo populari administratione eorum respublica regebatur: quam qui ex Sicilia. Siquidem ab his poeta Epicharmus prodijt, multo sanè prior Chonnida, atque Magnete. Tragœdiam vero quidam in Peloponneso; eiusque rei indicium illi vocabula esse volunt, cum ipsi quidem κώμας vicos appellari dicant, Athenienses vero δήμους, quasi comœdos, non à κωμάζειν hoc est, à comessando, sed tanquam errantes per comas, id est vicos, in vrbe despectui habitos, dictos existimant. Rursus hi quidem facere δρᾶν, Athenienses vero πράττειν dicunt. Ac de imitationis hactenus differentijs, quot videlicet, & quales, hæc dicta sint.*

16 Infertur tertio, cur inuentionem comoediarum, ac Tragoediarum apud Græcos præ Atticis, quorum præcipui sunt Athenienses, sibi vindicent Dores, seu Dorienses. Fundamentum desumunt ex etymologia nominum. Primo enim Tragoedia, & comoedia communi nomine vocantur δράματα à verbo δρᾶν, quod significat agere; sed δρᾶν est verbum Doricum non autem Atticum, siquidem Athenienses, hoc, quod est agere, significant per verbum πράττειν; ergo cum verisimile sit Dramata ab ijs fuisse inuenta, à quibus acceperunt nomen, verisimile est Dramata non ab Atticis, sed à Doribus fuisse, inuenta. Secundo comoedia non tam dicitur ἀ κωμάζειν, quod significat conuiuia, ac festa celebrare, quam ἀ κώμαι, quod significat pagos: Asserunt enim Comoedos dictos fuisse ex eo, quod cum ignominia à ciuitatibus expulsi, per pagos vagabantur; sed Pagos Dores quidem vocabant κώμας, Attici verò vocabant non κώμας, sed δήμους, seu populos; ergo cum comoedia habuerit nomen à Doribus, signum est, quod ab ijs fuit inuenta. Ex Doribus, qui incolunt Græciam, comoediæ inuentionem sibi vindicant Megarenses, ac dicunt eam apud ipsos fuisse exortam, cum status ciuitatis esset popularis, seu democraticus. Cum enim status popularis amet effrenem quamdam libertatem in agendo, introduxit etiam effrenem libertatem in dicendo, qualis fuit in antiqua comoedia. Ex Doribus verò habitantibus extra Græciam, comoediæ inuentionem sibi vindicant qui sunt in Sicilia, ex quibus prodijt Epicharmus comicus antiquissimus, qui multo tempore fuit ante Chonnidem, & Magnetem primos comicos Atheniensium. Tragoediæ inuentionem sibi vindicant ex Doribus quidam, qui incolunt Peloponnesum.

De causis, origine, & incrementis poeseos. Caput II. Articulus Primus.

1 *CAeterum à duabus causis, & quidem naturalibus, videtur Poetica habuisse originem. Nam & insitum est à natura hominibus à pueris imitari: & differunt*

runt à cæteris animantibus, tum quòd aptissimi ad imitationem sunt, tum quòd primas disciplinas imitando acquirunt, & vnusquisque iuxta imitationibus gaudet. Cuius rei, quod in operibus accidit argumentum sit. Etenim quæ ipsi cum molestia aspicimus, eorum imagines affabre factas gaudentes intuemur, vt ferarum formas truculentarum, cadauerumve. Huius vero ratio sit, quòd non solum philosophis, sed etiam cæteris mortalibus addiscere iucundissimum est, quanquam modice in hoc hi communicent; ideoque huiusmodi imagines inspicientes gaudent, quoniam ex illarum contemplatione accidit, vt & discant vnumquodque, & in eis, quòd hoc ipsum sit illud probe ratiocinentur. Alioqui si veras formas neutiquam inspexissent; nullam omnino voluptatem præberet imitatio, præterquam vel opificio, vel colore, vel tali aliqua ratione. Cùm vero nobis natura insita sint imitatio, harmonia, numerus (metra enim numeri partes esse satis apparet) ab initio ad hæc maxime facti, ea paulatim promouentes, ex ipsis quidem extemporarijs Poeticam genuerunt.

EXplicata poesi in genere, eiusque differentijs, agit Aristoteles de ipsius causis, origine, & incrementis. Primo igitur affert duas causas, propter quas homines natura duce impulsi sunt ad inchoandam poesim, seu ad imitandum per sermones metricos: secundo explicat, quo pacto poesis diuisa sit in plures species: tertio demum explicat, quo pacto Comœdia, ac Tragoedia, quæ exortum habuerunt ab epopoeia, paulatim incrementum, ac perfectionem acceperint.

1 Quoad primum: Poesis ex dictis est *imitatio sermone metrico*; sed homines naturaliter sunt propensi tum ad imitandum, tum ad loquendum metricè; ergo istæ duæ propensiones fuerunt causæ, propter quas aliqui cœperunt imitari sermonibus metricis, adeoque inchoauerunt poesim. Quod homines naturaliter sint propensi ad imitandum, probatur quatuor rationibus. Prima ratio est, quia quod est hominibus insitum à pueris, naturale est homini; sed hominibus à pueris insitum est studium imitandi, vt patet experientia; ergo &c. Secunda ratio est, quia id, per quod homines differunt ab alijs animalibus, naturale est homini; sed homo differt ab alijs animalibus per hoc, quod est maximè aptus ad imitandum; ergo &c. Tertia ratio est, quia id, per quod homo addiscit ea, quæ primo illi sunt addiscenda, naturale est homini; sed homo imitando addiscit loqui, & alia huiusmodi, quæ primo illi sunt addiscenda; ergo &c. Quarta ratio est, quia id, quo omnes delectantur, naturale est homini; sed omnes homines delectantur imitatione, ac rebus imitatione expressis; ergo &c. Minor probatur ex signo: nam aliquando res ipsas, puta belluas abiectissimas, & cadauera cum molestia aspicimus, earum verò imagines magno artificio elaboratas cum delectatione contemplamur; ergo signum est, quod imaginibus delectamur non propter res expressas, sed propter ipsam imitationem. Ratio autem à priori, cur omnes delectentur imitatione, ac rebus imitatione expressis est, quia addiscere iucundissimum est non solum philosophis, sed etiam alijs, qui quia non vacant studijs sapientiæ, parum participes sunt addiscendi; sed cum cernimus imagines, & imitationes rerum, addiscimus, atque ex similitudine, quam videmus in imagine cum re repræsentata, arguimus, quod hæc est imago illius; ergo &c. Hinc sequitur, quod si quis cernens imaginem, non ratiocinetur, cuius imago sit, eo quod non viderit rem repræsentatam, nec de illa audiuerit ita, vt habeat in animo impressam speciem illius, non delectatur imagine propter imitationem, sed solum propter artificium, ac studium opificis, vel propter colorem, aut aliud huiusmodi. Quod homines sint etiam naturaliter propensi ad loquendum metricè, probari potest, nam homines sunt naturaliter propēsi ad rhythmum, seu numerum, hoc est ad actiones habentes proportionem quorumdam numerorum, ideoque propensi sunt ad harmoniam, quia in ea datur proportio numerorum in sonis, ad saltationem, seu choreas, in quibus datur proportio numerorum in motibus &c; sed etiam sermo metricus constituitur per rhythmum, seu per proportionem numerorum in vocibus; ergo homines sunt etiam naturaliter propensi ad sermonem metricum; ergo sicut musica ortum habuit ex eo, quod aliqui naturaliter propensi ad harmoniam, cœperunt modulari aliquas cantilenas; saltatoria ortum habuit ex eo, quod aliqui cœperunt saltare aliquas saltationes numerosas; ita

Poesis ortum habuit ex eo, quod aliqui præ alijs facti ad imitandum, ex naturali propensione ad rhythmum cæperunt imitari sermonibus rhythmicis, effundentes extemporaneè aliquos versus imitatiuos. Accedente deinde consuetudine, studio, & arte, fuit promota, & perfecta poesis, proportionaliter, ac promota, & perfecta fuit musica, saltatoria, atque aliæ facultates imitatiuæ.

2 *In diuersa vero abijt pro vniuscuiusque natura. Vt enim actiones honestas digniores, taliumque fortunas imitabantur: ita prauas humiliores, sanè primum conuitijs agentes, quemadmodum superiores hymnis, laudationibusve. Ante vero Homerum nullum omnino tale poema habemus, tametsi plura extitisse credere par est. Extat autem ipsius Homeri (vt ab eo initium sumamus) Margites, & huic consimilia: quibus insuper, quod maxime congrueret, iambicum metrum accessit: iambicumque propterea nunc appellatur, quod his plerunque numeris veteres ἰαμβίζειν, id est, conuitiari inuicem soliti sint. E veteribus aliqui heroici, aliqui iambici poetæ extitere.*

2 Quoad secundum: explicata origine poeseos, explicandum est, quo pacto fuerit diuisa in suas species. Ex hominibus aliqui naturaliter sunt graues, ac seueri, adeoque propensi ad imitandum meliora, hoc est actiones honestas, ac dignitatis plenas: alij è conuerso sunt minus graues, ac naturaliter proni ad imitandum peiora, & turpia. Inuenta igitur poesi, graui ores imitari ceperunt meliora, & per hymnos, atque encomia canere facta Deorum, Heroum, atque illustrium virorum: minus verò graues ceperunt imitari deteriora, canendo psogos, seu vituperationes hominum perditorum, adeoque poesis diuisa est in duas species, hoc est in imitationem meliorum, & imitationem deteriorum, in quas species diuiditur ratione rerum, quas imitatur. Ex poetis aliqui fuerunt ante Homerum, sed eorum nullum possumus poema proferre. Licet enim verisimile sit illos multa poemata scripsisse, omnia perierunt. At si ab Homero incipiamus, possumus ex ipso afferre exempla poematum vtriusque generis, hoc est tum eorum, in quibus imitatur meliora, qualia sunt Ilias, & Odyssea; tum eorum, in quibus imitatur deteriora, qualis est Margites, & alia nonnulla; ex quibus patet Homerum fuisse ingenij versatilis, atque à natura factum ad imitandum tum meliora, tum deteriora. Licet Homerus etiam Margitem poema vituperatorium scripserit carmine hexametro, adhuc quia inuentum est vituperationi magis congruere carmen Iambicum, poetæ post Homerum ceperunt vituperationes scribere carmine Iambico, ideoque carmen vituperatorium etiam vocatur Iambicum, quia prisci illi post Homerum Iambis se mutuo proscindebant, atque omni contumelia afficiebant. Diuisi sunt igitur prisci poetæ in Heroicos, & Iambicos, quia laudes Deorum, & heroum canebant carmine hexametro, vituperationes verò canebant carmine iambico.

3 *At vero ipse Homerus, quemadmodum præcipue heroicus fuit: (solus enim hic non modo recte, sed actionum imitationibus referta poemata condidit:) sic etiam Comœdiæ normam primus tradidit, non quidem probris, sed ridiculis in actionum formam collatis. Et sanè similis in Margite ratio. Hic enim ita se ad Comœdiam habet, vt ad Tragœdiam Ilias, atque Odyssea.*

4 *At vero pro vniuscuiusque ingenio impulsi, ad alteram tantum Poeticæ huius partem animum applicuerunt: sicque nonnulli loco iambicorum comici, nonnulli loco hexametrorum tragici, vt qui circa sublimiorem, honoratioremve dicendi characterem versati sint, Tragœdiæ doctores extiterunt. An vero Tragœdia, quatenus attinet ad ipsa genera, satis adhuc sit absoluta, nec ne, cùm id per se iudicando, tum ad theatra referendo, alia considerandi ratio est.*

3 Quoad tertium: explicandum iam est, quo pacto tragoedia, & comoedia exortum habuerint ab epopoeia, & paulatim incrementum, ac perfectionem acceperint. Homerus fuit maximus poetarum tum in imitatione meliorum, & grauium, tum in imitatione deteriorum, & leuium. Porro in imitatione grauium fuit maximus, non solum quia solus imitatus est bene, sed etiam quia imitatus est Dramaticè, cum in Iliade, & Odyssea inducat passim viros præstantes, agentes, ac mutua colloquia

quia

quia miscentes, & per hoc adumbrauit tragoediam, quæ est imitatio præstantium vt agentium, & colloquentium. Proportionaliter in imitatione peiorum, & leuiũ, vt in Margite, adumbrauit comoediam, tum propter materiam, quam imitatus est, tum propter modum imitandi: propter materiam quidem, quia in Margite loco vituperandi, imitatus est ridicula, quæ sunt aptissima materia comoediæ: propter modum autem imitandi, quia imitatus est ridicula dramaticè, hoc est sæpè inducens personas viles mutua colloquia miscentes. Eodem igitur pacto se habet Margites Homeri ad comoedias, sicut Ilias, & Odyssea se habent ad tragoedias: siquidem & comoedia quodammodo continetur in Margite, & tragoedia quodammodo continetur in Iliade, atque Odyssea, adeoque tum comoedia, tum tragoedia ortæ sunt ex epopoeia Homeri.

4 Postquam in Poematibus Homeri apparuit tum tragoedia, hoc est imitatio quodammodo dramatica meliorum, tum comoedia, hoc est imitatio quodãmodo dramatica deteriorum, Poetæ minus graues, qui propensi erant ad imitandum peiora, loco scribendi iambos vituperatorios, vt ante faciebant, coeperunt scribere comoedias ridiculas: Poetæ verò graues loco scribendi Epica, coeperunt scribere tragoedias, eo quod visus est modus aptior ad imitandum dramaticus, quam epicus. Paulatim deinde tum comoedia, tum tragoedia incrementum acceperunt, donec peruenerunt ad hunc statum, in quo de facto sunt constitutæ. Quia verò non est huius loci examinare, vtrum comoedia, & tragoedia sufficienter se habeant, atque ad debitam perfectionem peruenerint, tum secundum se consideratæ, tum in ordine ad theatra, an potius aliquid ipsis, earumque speciebus addi debeat, ideo hanc quæstionem in præsentia omittentes, subiungemus tantummodo, quo pacto tum comoedia, tum tragoedia incrementum paulatim acceperint, atque ad hanc perfectionem peruenerint.

5 *Cum igitur à principio rudes essent, planeque informes Tragœdia atque Comœdia, illa quidem ab ijs, qui Dithyrambum, hæc autem (quantum seipsa aperiebat) ab ijs, qui Phallica produxerunt, quæ nostra etiam tempestate in vrbibus non paucis in consuetudinem ex lege recepta sunt, paulatim aucta fuere.*

6 *Sicque Tragœdia diuersis mutationibus variata quoad proprios numeros impleret, tandem quieuit. Tunc enim histrionum numerum, ex vno videlicet in duos Aeschylus primus auxit, & ea, quæ circa chorum sunt, imminuit, sermonemque primarum partium instituit, quos Sophocles ipse cum scoenæ ornatu ad tertias vsque produxit. Ad hæc ad magnitudinem ab exiguis fabulis, & ab ridicula dictione, satyris exclusis, ad grauem habitum prouecta, sero tandem quieuit, senariumque metrum ex octonario adoptauit. Hoc enim antea metro vtebantur, quòd satyrica, magisque saltatoria Poesis esset. Itaque elocutioni iam constitutæ natura ipsa proprium adinuenit metrum. Maxime enim sermonibus aptum alternis iambicum esse argumento sit, quòd in differendo plurimi sanè iambi, rarissima vero hexametra mutuo in sermone à nobis proficiscuntur: licet etiam colloquij ipsius harmoniam excedentibus. Ad hæc Episodia quoque plura, cæteraque, vt singula exornata fuisse dicuntur. De his igitur satis. Nimis enim fortasse operosum sit in singulis immorari.*

5 Tum tragoedia, tum comoedia primo exhibitæ sunt extemporario carmine. Aliqui enim extemporaneè repræsentantes quiddam graue, primo exhibuerunt rudem quamdam tragoediam: aliqui extemporaneè repræsentantes quiddam leue, & ridiculum, exhibuerunt rudem quamdam comoediam. Tragoedia cum sic fuisset exorta, incrementum accepit ab ijs, qui canebant dithyrambos, hoc est graue carmen in laudem Bacchi: fortasse quia cum dithyrambici carmini adderent harmoniam, & saltationem, tragoedia primum à dithyrambicis hæc accepit. Comoedia verò aucta est à Phallicis, ab ijs nimirum, qui canebant Phallica: fortasse quia comoedia à Phallicis harmoniam, & saltationem accepit. Erant autem Phallica genus quoddam carminis vile in laudem Deorum rusticorum, quod etiam tempore Aristotelis multis in ciuitatibus ex lege antiqua canebatur. Deinde comoedia accepit alia incrementa, donec peruenit ad hunc statum, in quo modo videmus illam esse constitutam.

6 Tragoedia postquam à dithyrambicis

cis accepit harmoniam, & saltationem, plures mutationes sortita est, donec perducta fuit ad statum, quem modo habet, in quo conquieuit, quia videtur id consecuta, quod ipsius naturæ est accommodatum. Et quidem cum ante Æschylum nunquam plures histriones simul prodirent in scænam, atque inuicem colloquia miscerent, sed vnicus tantum histrio loqueretur, vel per soliloquia, vel respondente choro, qui repræsentabat multitudinem ciuium, Æschylus numerum histrionum auxit, ac cepit duos simul histriones colloquia inuicem miscentes in scænam producere, partes verò chori minuit, transferens ad histriones multa, quæ antiquitus agebantur à choro: ac præterea instituit, vt vnus aliquis ex histrionibus ageret primas partes tragœdiæ. Post Æschylum Sophocles tres simul histriones inuicem colloquentes coepit in scænam producere, & scenæ ornatum, atque apparatum auxit. Sicut verò tragoedia aucta est quoad apparatum scænæ, & quoad numerum histrionum, sic perfecta est in ijs, quæ spectant ad fabulam, ad elocutionem, ad metrum, & ad episodia. Fabulæ enim ex exilibus grandiores effectæ sunt: locutio, quæ erat ridicula, vtpote ex satyrico dicendi genere desumpta, facta est grauior, & honestior: metrum ex tetrametro mutatum est in iambicum. Ratio porro, cur antiqui in tragoedijs vterentur tetrametris, ea est, quia cum primæ fabulæ fuerint satyricæ, prisca tragoedia magna ex parte erat satyrica, adeoque habebat metrum accommodatum saltationibus satyrorum; sed versus tetrametri habent metrum accommodatum saltationibus; ergo non est mirum, quod prisca tragoedia vteretur tetrametris. Postquam verò fabula, & locutio facta est grandior, tragoedia accepit metrum eius naturæ accommodatum: & quia tragoediæ maximè accommodantur versus iambici, ideo tragoedia accepit metrum iambicum. Quod verò iambi accommodentur tragoediæ, probatur, quia cum tragoedia imitetur sermonem familiarem, illud genus metri accommodatur maximè tragoediæ, quod est maximè simile familiari sermoni; sed senarij iambici sunt præ omnibus versibus similes sermoni familiari, vt patet ex signo: nam in sermone familiari sæpe senarij iambi nobis imprudenter excidunt, hexametri verò admodum raro, ac tum oratio non habet harmoniam accommodatam sermoni familiari; ergo tragoediæ maximè accommodantur senarij iambici, ac multo magis, quam versus hexametri. Demum tragoedia etiam quoad multitudinem episodiorum, ac quoad reliqua ornata fuit, atque perfecta. Sed de his dicta sufficiant. Magnum enim opus, laboremque susciperet, qui vellet singula accuratè recensere.

7 *Comœdia autem est (vt diximus) peiorum quidem imitatio, non tamen secundum omne vitij genus: quanquam ridiculum à turpi proficiscitur. Ridiculum enim aliquo pacto peccatum est, & turpitudo sine dolore, minimeque noxia: perinde ac ridicula statim apparet deformis facies distorta sine dolore. Igitur de promotione Tragœdiæ, & per quos satis constat: secus vero de Comœdia, Siquidem initio, quòd parum sui studiosos habuerit, latuit: sero enim ab Archonte comœdorum chorus, vt quisque sese obtulisset, inductus est. Eius vero professores, vbi iam aliquam speciem præ se tulit, memorantur. Quis autem personas, prologos, histrionum multitudinem, cæteraque huiusmodi protulerit, prorsus obscurum. Cæterum confingere fabulas, quod quidem à Sicilia primum manauit, Epicharmus, & Phormis cœperunt: sicuti quoque ex Atheniensibus Crates, iambica prorsus ratione omissa in vniuersum sermones, vel fabulas confinxit.*

7 Proportionali modo etiam comoedia incrementum accepit. Comoedia licet ex dictis sit imitatio peiorum, non imitatur illos secundum quodlibet vitium, sed solum secundum illos defectus, qui mouent ad risum, & constituunt hominem ridiculum. Ridiculum est *defectus quidam, ac turpitudo sine dolore, ac non habens vim interimendi*: ex. gr. facies ridicula est, quæ est turpis, ac distorta, sed ita, vt turpitudo neque dolorem, neque interitum afferat ei, qui habet talem faciem. Quia verò primus Homerus in Margite coepit imitari ridicula, hoc est turpia sine dolore, comoedia orta est ex Margite Homeri, sicut tragoedia orta est ex Iliade, & Odyssea. Quo pacto, & à quibus tragoedia fuerit in melius mutata, atque perfecta, memoriæ proditum fuit, quia tragoedia statim ab initio recepta est, & probata in vni-

ciuitatibus. At quia comoedia sero admodum in ciuitatibus publico consilio probari coepit, vt patet ex eo, quia sero chorum accepit à magistratibus, adeoque diu choro voluntario vti coacta est, ideo ad nostram memoriam non peruenit, à quibus aucta fuerit, atque perfecta, atque in hanc formam, quam nunc habet, redacta. Pauci siquidem Poetæ comici, quorum nomen, & memoria ad nos peruenit, floruerunt, cum iam comoedia formam accepisset, adeoque nescimus, quis personas assignauerit, prologos introduxerit, numerum histrionum simul colloquentium auxerit, ac reliqua, quæ ad comoediam spectant, constituerit. His iam pridem institutis, Epicharmus, ac Phormis Siculi fabulas comicas scribere inceperunt, siquidem in antiquioribus comoedijs vix vllum fabulæ vestigium extabat, ideoque comoedia ex Sicilia videtur in Græciam venisse: Athenis verò Crates primus, cum abiecisset formam illam iambicam comoediæ, quæ tota erat in vituperationibus, atque conuicijs, coepit in vniuersum struere sermones, ac fabulas.

In quo Tragœdia conueniat cū Epopœia, & in quo ab eadem differat. Cap. II. Articulus II.

8 *Itaque Tragœdiæ Epopœia duntaxat similis esse apparet, quòd metrico sermone præstantium imitatio est. Hæc differt, quòd simplici vtitur metro, quòdque enarratio est, longitudine præterea: quoniam Tragœdia quidem intra vnius potissimum solis, vel paulo plus, minusue periodum actio est: quandoquidem Epopœia temporis spatio non vrgetur. Qua sanè libertate in Tragœdijs, perinde ac in hexametris, à principio vsi sunt.*

9 *Circa vero partes, vt hæ ambæ in aliquibus inter se non discrepant, ita propriæ nonnullæ, atque peculiares huius sunt. Quo fit, vt qui de Tragœdiæ virtute, ac vitio dijudicare nouerit, idem quoque & de hexametris nouerit: si quidem quæ hexametrorum sunt, in Tragœdia prorsus inesse apparet: quæ vero Tragœdiæ, in his non omnino. De hexametri igitur imitatione, atque Comœdiæ, post dicemus. Nunc autem de Tragœdia; cuius essentiæ definitionem, veluti iam enatam ex his, quæ dicta sunt, iterum sumentes, hanc esse dicimus.*

Distinctis speciebus poeseos, descendit Aristoteles ad agendum de singulis speciebus in particulari: & quia primæ, ac præstantissimæ species poeseos sunt tragoedia, & epopoeia, de his primo disputaturus, præmittit, in quo conueniant, ac differant.


8 Tragoedia, & epopoeia conueniunt in hoc, quod vtraque est imitatio præstantium, & proborum sermone metrico: at differunt in tribus. Primo enim epopoeia vtitur vnico metro, seu vnico carminum genere, nimirum solis hexametris: tragoedia verò vtitur multiplici metro, & pluribus carminum generibus. Secundo epopoeia est narratio; nam in ea poeta aliquid narrat: tragoedia non est enarratio, sed actio; nam poeta non narrat, sed introducit personas agentes, & colloquentes. Tertio differunt longitudine. Epopœia enim non est definita intra certum tempus, sed potest narrare ea, quæ plurium annorum spatio fuerunt gesta: Tragoedia è conuerso debet eniti, vt repræsentet quæ intra vnam diem naturalem, seu intra viginti quatuor horas, vel non multo plures potuerunt fieri. Licet enim antiquitus non clauderent tragoedias vllis spatijs temporis, sed liberas, ac solutas illas relinquerent, non minus, quam epopoeias, tamen merito id postea improbatum, & correctum fuit.

9 Sicut Tragœdia, & epopoeia consideratæ secundum totum, partim conueniunt, partim differunt, ita quoad partes partim conueniunt, partim differunt. Ex partibus igitur aliquæ sunt communes tragœdiæ, & epopoeiæ, aliquæ sunt propriæ tragœdiæ. Quia verò nihil pene habet epopœia, quod non conueniat tragœdiæ, at quædam habet tragœdia, quæ non conueniunt epopœiæ, ideo qui scit, qualis nam tragœdia bene, vel malè se habeat, scit etiam, qualis nam epopoeia bene, vel malè se habeat, non è conuerso; ideoque accuratissimè agendum est de tragœdia, vtpote in qua vel omnino, vel magna ex parte continetur epopoeia. Acturi igitur inferius de epopoeia, ac de comoedia, de tragoedia nunc disputamus, ac primo ex ijs, quæ diximus, tragoediæ definitionem colligemus.

Proponitur Definitio Tragœdiæ. Caput III.

1 *Tragœdia est imitatio actionis illustris, absolutæ, magnitudinem habentis, sermone suaui, separatim singulis generibus in partibus agentibus, non per enarrationem, per misericordiam vero, atque terrorem perturbationes huiusmodi purgans. Sermonem suauem appello, in quo numerus, harmonia, & melos inest: id vero separatim genere distinctum, cum metro tantum quædam absoluantur, quædam rursum melodia.*

1 Tragoedia definiri potest: *imitatio actionis seriæ, & perfectæ, magnitudinem habentis, sermone condito, seorsim singulis imitandi speciebus in varijs partibus vtens, non per enarrationem, sed per misericordiam, & metum tales passiones purgans.* Hæc definitio explicat primo genus tragoediæ, quod est imitatio: secundo explicat differentiam tragoediæ, quæ desumitur ex tribus, nimirum ex eo, quod imitatur, ex instrumentis, per quæ imitatur, & ex modo imitandi. Id, quod tragoedia imitatur, est actio seria, non ridicula, qualem imitatur comoedia: est actio perfecta, & ad exitum perducta, non inchoata tantum: est actio habens magnitudinem definitam, quæque intra vnum diem possit contineri, non autem habens magnitudinem talem, vt non potuerit, nisi pluribus annis peragi, qualis est actio, quam imitatur epopoeia: demum est actio, quæ per imitationem ob oculos posita possit excitare in spectatoribus timorem, & miserationem, adeoque tales passiones paulatim purgare, & ad mediocritatem reducere: & quia non potest id præstare, nisi includat plura terribilia, & miserabilia, debet esse actio includens plura terribilia, ac miserabilia. Instrumenta, per quæ tragoedia imitatur, explicat Aristoteles per particulas *sermone condito*. Sicut enim cibus conditur, cum redditur suauis condimentis extrinsecus adiacentibus, sic sermo, quo tragoedia vtitur ad imitandum, debet reddi suauis, tribus veluti condimentis extrinsecis, nimirum rhythmo, seu saltatione, harmonia, seu sono, & melodia, seu cantu, quæ tria condimenta deinceps Aristoteles significat vnico nomine melopoeiæ. Addit illas particulas *seorsim singulis imitandi speciebus in varijs partibus vtens*, quia tragoedia licet imitetur sermone, saltatione, sono, & cantu, non imitatur simul his omnibus, sicut Dithyrambica, sed ijs imitatur seorsim; aliquando enim imitatur solo sermone, aliquando saltatione &c. Modum, quo tragoedia imitatur, explicat Aristoteles per illas particulas, *& non per enarrationem*. Licet etiam epopoeia possit imitari actionem seriam, perfectam, terribilem, ac miserabilem, adeoque excitando timorem, & miserationem, adhuc differt à tragoedia ex modo imitandi; nam epopoeia imitatur narratiuè, tragoedia imitatur Dramaticè. Per vltimas particulas explicat Aristoteles finem, & vtilitatem tragoediæ, qui est, vt excitando miserationem, & metum, tales passiones purget, & ad mediocritatem perducat. Sicut enim medicina aliquando per pharmaca humores commouendo turbat corpus, vt illud purget, & humores ad mediocritatem perducat: sic tragoedia excitando passiones timoris, & miserationis, turbat animum, vt eum purget, ac tales passiones ad mediocritatem perducat. Si verò quæratur, quo pacto tragoedia timorem, & miserationem perducat ad mediocritatem, dicendum, quod experientia constat, quod qui non sunt assueti videre terribilia, & miserabilia, cum primo illa vident, nimis timent, nimisque miserentur: qui verò sunt assueti, timent, ac miserentur mediocriter, & vt oportet; sed homines spectando tragoedias assuescunt quodammodo videre terribilia, & miserabilia; ergo assuescunt timere, & misereri mediocriter, & vt oportet, adeoque tragoedia dum mouet spectatores ad timorem, & miserationem, non reddit illos timidos, & molles, vt docuit Plato, qui ex hac ratione Poetas Tragicos à sua Republica iussit abire, sed timorem, & miserationem purgans, assuefacit illos ad timendum, & miserendum mediocriter, & prout oportet.



Osten-

Ostenditur partes Tragœdiæ esse sex, nimirum ornatum, siue apparatum scœnicum, melopœiam, dictionem, mores, sententiam, & fabulam. Caput IV.

1 *Quoniam vero tota imitatio in actione versatur, primum quidem apparatum ipsum, partem Tragœdiæ ponere necesse est, mox melodiam, & dictionem: utpote ex quibus imitationem conficiant. Dictionem appello, illam quidem metrorum compositionem: Melodiam, cuius omnino vis per se ipsam satis apparet. Sed quoniam actionis imitatio est, agiturque ab agentibus quibusdam, quos tum moribus, tum sententia tales esse omnino oportet, sicuti quoque & actiones aliquas esse tales dicimus: manifestum est harum actionum duas esse causas, sententiam, & mores: per quas planè vel voti compotes, vel minime compotes omnes fiunt. Ad hæc actionis imitatio fabula est. Fabulam vero rerum ipsam compositionem appello. Mores, secundum quos agentes tales esse dicimus. Sententiam ex quocunque dicentes, vel aliquid declarant, vel mentem propriam aperiunt.*

2 *Necesse est igitur cuiuslibet Tragœdiæ sex esse partes, secundum quas talis esse nuncupetur. Hæ vero sunt, fabula, mores, dictio, sententia, apparatus, melodia.*

3 *Quarum duæ ad ea pertinent, quibus imitamur: vna tantum ad id, quo pacto imitamur: cætera vero tres ad ea, quæ imitamur: præter hæc, nulla.*

4 *His itaque illorum non pauci partibus (vt sic dixerim) vtuntur. Etenim & apparatum totum ipsum continet, mores videlicet, fabulam, dictionem, melodiam, sententiamque similiter.*

1 EX allata definitione infert Aristoteles, quot, & quæ sint partes tragoediæ. Primo igitur quia tragoedia imitatur non narrando, sed ob oculos ponendo personas agentes; vt autem ob oculos ponat agentes, requiruntur indumenta quædam apta, & totus apparatus, siue ornatus scoenicus; ideo aliqua tragoediæ pars est apparatus, & ornatus scoenicus, qui ad aspectum spectat. Secundo quia Tragoedia ad imitandum non solum vtitur sermonibus metricis, sed etiam melopoeia, quæ complectitur rhythmum, seu saltationem, harmoniam, seu sonum, & melos, seu cantum: ideo secunda, & tertia pars tragoediæ sunt melopoeia, cuius vis est manifesta, & dictio, seu sermo metricus. Tertio tragoedia est imitatio eiusdem actionis factæ à quibusdam agentibus; sed agentes debent esse quales, constituuntur autem quales per mores, per quos sunt boni, vel mali, & per animi sensus, per quos sunt rectè, vel non rectè sentientes, sicut etiam actiones dicuntur quales hoc est bonæ, vel malæ, in quantum procedunt à moribus bonis, aut malis, & à sensibus animi rectis, vel non rectis, quæ duo, mores nimirum, & sensus animi sunt præcipuæ causæ actionum, per quas actiones homines euadunt felices, vel infelices; ergo tragoedia debet etiam exprimere mores agentium, & sensus animi; sed imitatio actionis est fabula, siquidem fabulæ nomine intelligimus constitutionem rerum gerendarum: expressionem morum, per quos agentes se ostendunt bonos, vel malos, vocamus mores: expressionem, per quam agentes patefaciunt sui animi sensus, vocamus sententiam; ergo etiam mores, sententia, & fabula sunt partes tragoediæ; ergo vniuersim partes tragoediæ sunt sex: fabula nimirum, mores, sententia, dictio, melopoeia, & ornatus scoenicus ad aspectum spectans.

2 Addit Aristoteles primo, quod hæ sunt partes qualitatis, non autem quantitatis. Ratio est, quia partes quantitatis dicuntur, quæ ita sunt separatæ, vt vna ponatur post aliam; partes verò qualitatis sunt, quæ sunt simul; sed partes enumeratæ sunt simul; ergo &c. Posset opponi, quod Melopoeia, & dictio non sunt simul; ergo &c. Dicendum, quod quia etiam Melopoeia, ac dictio sunt simul cum alijs quatuor partibus, ideo sunt partes non quantitatis, sed qualitatis.

3 Addit secundo, quod ex his partibus duæ spectant ad instrumenta, quibus tragoedia imitatur, vna ad modum, quo imitatur, tres ad res, quas imitatur. Ad instrumenta, quibus imitatur, spectant dictio, & melopoeia. Ad modum imitandi spectat apparatus. Quia enim imitatur non narrando, sed agendo, & ob oculos ponen-

nendo, vtitur apparatu scoenico. Demum ad res, quas imitatur, spectant mores, sententia, & fabula.

4 Addit tertio, quod non pauci ex Poetis Tragicis faciunt tragoedias habentes omnes dictas partes: vtuntur enim apparatu scoenico ponente rem ob oculos; vtuntur dictione, & melopoeia; & præterea per fabulam imitantur aliquam actionem, exprimendo aliqualiter mores, & animi sensus, licet aliqui melius, aliqui minus bene, ideoque aliquæ tragoediæ sunt magis, aliæ minus moratæ.

Quæ nam sit prima, & præcipua pars tragœdiæ, quæ secunda, quæ tertia &c. Caput IV. Articulus II.

5 *Horum vero maximum est rerum constitutio: cum non hominum imitatio sit Tragœdia, sed actionis, atque vitæ tum felicitatis, infelicitatisue. Quippe felicitas ab actione pendet: finisque ipse actio quædam est, non qualitas. Aliqui vero per mores fiunt tales: at per ipsas actiones sanè felices, vel infelices. Non ergo vt imitentur mores, in actione versantur: sed per actiones mores complectuntur.*

6 *Quapropter actiones, & fabula, Tragoediæ finis esse dicuntur: omnium autem maximum finis est. Etenim sine actione Tragoedia quidem fieri non potest, sine moribus potest: si quidem iuniorum non paucæ morum expertes inueniuntur. Tum poetarum plerique tales omnino sunt, vt etiam ex pictoribus Zeuxim à Polygnoto differre dicimus. Polygnotus enim morum optimus expressor fuit: contra Zeuxidis pictura mores minime referre videbatur. Si quis præterea ordine moratos sermones, dictiones, sententiasque bene formatas afferat, non quidem penitus negotium, quod est ipsius Tragoediæ proprium, assequetur. Id quod illa Tragoedia multo melius præstiterit, quæ talibus vtetur, perinde ac secundo loco necessarijs, cum iam fabulam, rerumque contextum habuerit.*

7 *Ad hæc, quibus maxime mortalium animos Tragoedia delectat, fabulæ quidem partes, peripetiæ, id est, euentus in contrarium, & agnitiones, sunt.*

8 *Eius præterea rei signum est, quòd qui consitere aggrediuntur, exactum illud non ante queunt dictione, atque moribus attingere, quam actiones constituerint. Id quod veteres poetarum fermè omnes facere consueuerunt.*

9 *Est igitur principium, ac velut anima Tragoediæ, fabula.*

ENumeratis sex partibus tragoediæ, comparat illas Aristoteles inter se, & examinat, quæ nam sit prima, & præcipua, quæ secunda, quæ tertia &c.

5 Dicendum: Prima, & præcipua tragoediæ pars est fabula, seu constitutio rerum gerendarum. Probatur pluribus rationibus. Prima ratio est: illa est præcipua pars tragoediæ, quæ est finis ipsius, & ad quam ordinantur reliquæ partes, siquidem finis est præcipuum in rebus; sed finis tragoediæ est fabula, atque ad ipsam ordinantur mores, ac reliquæ partes tragoediæ; ergo &c. Probatur minor: nam finis tragoediæ est, vt imitetur non homines, exprimendo quales sint, sed actiones, & vitam hominum, licet debeat deinde hominibus affingere mores consentaneos actionibus, ac vitæ ipsorum; sed fabula est imitatio actionis, ac vitæ; ergo fabula est finis tragoediæ, morum autem expressio ordinatur ad fabulam tanquam ad finem. Probatur, & explicatur: nam finis tragoediæ est, vt imitetur hominum vitam felicem, vel infelicem; sed licet homines per mores constituantur quales, puta boni, vel mali, adhuc non per mores, sed per actiones iucundas, vel iniucundas constituuntur felices, vel infelices; sunt enim felices, cum agunt, & viuunt vt volunt, sunt infelices, cum agunt, & viuunt non vt volunt, adeoque finis est agere, ac viuere vt volumus; ergo finis tragoediæ est, vt imitetur non mores, sed actiones, ideoque imitationem morum ordinat ad imitationem actionum, ac vitæ, non autem imitationem vitæ ad imitationem morum; ergo fabula, quæ est imitatio actionis, ac vitæ est finis tragoediæ, ac proinde potissima pars ipsius.

6 Secunda ratio est, quia illa pars, sine qua tragoedia non potest existere, est principalior, quam illa, sine qua tragoedia potest existere; sed sine fabula, hoc est sine constitutione actionum, ac rerum gerendarum, tragoedia nullo pacto potest existere, at potest existere sine moribus; nam plures

tra-

tragœdiæ recentiorum non sunt moratæ, & tamen sunt tragoediæ; ergo &c. Addit Aristoteles, quod sicut ex Pictoribus aliqui sunt morati, qualis fuit Polygnotus, qui optimè exprimebat mores, alij non sunt morati, qualis fuit Zeuxis, qui pingebat imagines non moratas; sic ex Poetis aliqui sunt morati, multi non sunt morati. Confirmatur argumentum, quia si quis ordinet quosdam sermones moratos, & quasdam sententias probè confectas, & quasdam dictiones tragicas, quæ nullam contineant fabulam, faciet opus habens tres partes tragoediæ, nimirum mores, sententiam, & dictionem tragicam, & tamen hoc opus non erit tragoedia: è conuerso si quis fabulam concinnet dictione non tragica, neque morata, ac sententijs bene confectis carente, magis faciet tragoediam; ergo in tragoedia potior pars est fabula, quam dictio, sententia, & mores.

7 Tertia ratio est: præcipuum in tragoedia est, quod maximè capit animos hominum; sed fabula per peripetias, & agnitiones, quæ partes fabulæ sunt, maximè capit animos hominum; ergo fabula est præcipua in tragoedia.

8 Quarta ratio desumitur à posteriori ex signo: Videmus enim, quod qui operam dant scribendis tragoedijs, prius acquirunt facultatem res explicandi dictione tragica, morata, atque aptis sententijs referta, quàm fabulas aptè concinnandi, quod etiam antiquis poetis contigit; ergo signum est fabulæ constitutionem esse præcipuum, ac maximum in tragoedia.

9 Ex his concluditur fabulam esse principium, ac veluti animam tragoediæ. Ratio, cur fabula sit principium tragoediæ est, quia principium tragoediæ est illa pars, quam poeta debet primo statuere, vt illi deinde accommodet cæteras partes; sed poeta debet primo concinnare fabulam, vt ipsi deinde accommodet coeteras partes tragoediæ; ergo &c. Ratio, cur fabula sit veluti anima tragoediæ est, quia sicut anima regit, ac sustinet corpus, sic fabula regit, ac sustinet coeteras partes, ex quibus conflatur quoddam veluti corpus tragoediæ.

10 *Secundo verò loco, mores: in quo etiam picturæ similis esse apparet. Si quis enim fucis pulcherrimis tabulam fusim illinat, non æque sanè delectabit, ac si imaginem albo tantum distinxerit. Itaque actionis imitatio est, tum per hanc potissimum agentium.*

11 *Tertio sequitur sententia. Hæc autem est posse explicare, quæ insunt, atque quadrant: id quod in soluta oratione facultatis Ciuilis, atque Rhetoricæ proprium munus est. Sanè veteres ciuiliter dicentes confingebant, nostri vero rhetoricè. Mos vero talis est, quo videlicet qualis voluntas sit in his rebus, in quibus non satis liquet, sectetur ne quid, an fugiat ipse dicens, declaratur: quo fit, vt sermones interdum moribus careant. Sententia in his versatur, quæ quomodo aliquid est, vel non est, ostendunt, vel vniuersè enunciant.*

12 *Quarto sermonum dictio. Appello autem quemadmodum diximus a principio, dictionem, per verba sensus explicationem: id quod in metris æque, ac in soluta oratione eamdem vim habet.*

13 *Reliquarum vero quinque partium sic*
14 *Melodia suauissima est, * vt spectaculum grauissimum. Quod tamen nec artificiosum est, nec ipsius Poeticæ proprium: si quidem Tragoediæ virtus extra quoque scoenam, ac sine histrionibus consistit. Ad hæc ars struendorum apparatuum propria magis chorago, quàm poetis est.*

10 Secunda pars tragoediæ sunt mores. Ratio est, quia sicut pictura primo debet delineare figuram, & imaginem corporis, deinde debet coloribus additis illam imaginem reddere qualem; sic tragoedia primo per fabulam debet actionem exprimere, ac delineare, deinde per mores debet illam actionem reddere moratam, & qualem, puta bonam, vel malam; ergo sicut qui nullam exprimens imaginem, pulcherrimis coloribus tabulam illineret, minus delectaret contemplantem, quam qui albo tantum, hoc est claro, & obscuro, vt aiunt, imaginem exprimeret sine alijs coloribus: sic qui per fabulam exprimit actionem sine moribus, magis delectat, quam qui exprimit mores sine fabula.

11 Tertia pars tragoediæ, est sententia. Facultas sententias concinnandi nihil est aliud, *quam vis quædam aptè dicendi ea, quæ rebus, de quibus agitur, insunt, & congruunt*, quæ vis est propria Politicæ, ac Rhetoricæ. Est propria politicæ, quia qui in ciuilibus sunt versati, propter experientiam

tiam habent facultatem iudicandi, atque enuntiandi de rebus gerendis: est etiam propria Rhetoricæ, quia Rhetorica est ars dicendi aptè de rebus, præsertim gerendis. Hinc ortum est, vt ex Poetis tragicis quidam inducant dicentes politicè, quidam inducant dicentes Rhetoricè. Apud priscos tragicos de rebus enuntiabant ciuiliter, ac tanquam experti. Apud tragicos nostri temporis enuntiant Rhetoricè, hoc est non tanquam experti, sed tanquam habentes facultatem ex cõmunibus sententias quasdam de vnaquaque re proferendi. Ex dictis de moribus, ac sententia, patere potest discrimen inter mores, atque sententiam. Mores, à quibus oratio dicitur morata, consistunt in hoc, *quod quis ita loquatur, vt ex eius oratione iudicetur, quam quis habeat electionem vitæ, & quid habitualiter persequatur, ac fugiat, cum alioquin nisi talem haberet orationem, deprehendi non posset, quid ille persequatur, ac fugiat*. Ex. gr. vt oratio Auari sit morata, debet esse talis, vt ex ea deprehendatur loquentem esse valde cupidum pecuniarum, ac totam pene suam vitam ad pecunias congerendas referre: idemque dic de alijs. Ex quo apparet, orationes, ex quibus deprehendi nequit, quam quis habeat electionem vitæ, quid persequatur, aut fugiat, non esse moratas. Sententia est, *per quam quis significat aliquid ita, vel ita se habere, vel vniuersaliter de rebus enuntiat, adeoque sui animi sensus aperit*.

12 Quarta pars tragoediæ est dictio. Dictio, vt supra etiam est indicatum, consistit in eo, *vt loquens per verba animum, ac mentem interpretetur*. Eamdem autem habet vim mentem interpretandi oratio soluta, ac numeris vincta, qua vtuntur poetæ.

13 Sequuntur aliæ duæ partes orationi extrinsecæ, melopoeia nimirum, & apparatus scoenicus. Quintum igitur locum tenet melopoeia, quæ est maximum condimentorum. Dicitur autem condimentum, quia sicut condimenta extrinsecus adduntur cibis, vt illos reddant suauiores, sic in tragoedia melopoeia debet extrinsecus addi orationi, vt illam efficiat delectabiliorem.

14 Vltimum locum tenet apparatus scoenicus ad visum spectans, qui licet habeat magnam vim alliciendi animos, ac res ob oculos ponendi, adhuc parum habet artis, & si quid continet artis, illa non est propria poetæ: siquidem artificium poeticum totum manet ablato apparatu scoenico, imo etiam ablatis histrionibus, qui tragoediam certatim exhibeant. Præterquam quod in apparatu scoenico magis elucet ars opificis, qui scoenam, aliaque instrumenta construxit, quam ars poetæ, qui tragoediam scripsit.

De conditionibus fabulæ, ac primo de ordine, per quem fabula constituitur perfecta, & tota, ac de eiusdem magnitudine. Caput V.

1 *His absolutis, deinceps dicendum, qualem omnino esse deceat rerum contextum. Hoc enim primum, maxi-*
2 *mumque in Tragœdia est, * propositumque semel nobis, Tragœdiam imitationem esse actionis perfectæ, totiusque magnitudinem*
3 *quidem aliquam habentis: * si quidem*
4 *& totum datur magnitudine carens. * Totum vero est, quod principium, medium, atque finem habet. Principium illud esse dicimus, quod non necessario post aliud est, contra quod posterius aliquod esse, vel fieri natum est: Finem, huic contrarium, illud ipsum, quod post aliud natum est esse, necessario, vel plerunque: Medium, quod aliquo posterius, aliquo prius est. Decet autem rite con extas fabulas minime temere, vndelibet initium sumere: nec item temere vbilibet terminari: vti vero semper supradictis partibus.*

1 Assignatis partibus tragoediæ, debemus agere in particulari de ijs partibus, circa quas versatur artificium poeticum in scribendis tragoedijs; sed artificium poeticum versatur in constitutione fabulæ, in moribus, in sententia, & in dictione, non autem in melopoeia, & in apparatu scoenico, quippe quæ ex alijs artibus tragoediæ accedunt; ergo omissa tractatione de melopoeia, ac de apparatu scoenico, debemus agere in particulari de constitutione fabulæ, de moribus, de sententia, ac de dictione; sed prima, & potissima tragoediæ pars est fabula; ergo primo, & accuratissimè debemus agere de fabulis.

2 Ad hoc, vt fabula rectè se habeat, videntur requiri octo conditiones. Prima est, vt sit perfecta, & tota: secunda vt habeat conuenientem magnitudinem: tertia vt sit vna: quarta vt sit possibilis, seu verisimilis: quinta vt non sit episodica, seu referta digressionibus inutilibus: sexta vt sit admirabilis: septima vt sit implexa: octaua demum vt sit miserabilis. De his conditionibus singillatim est agendum, ostendendo etiam, quo pacto ex definitione tragoediæ allata cap. 3. sequatur has conditiones ad fabulam tragicam requiri.

3 Primo igitur ad fabulam tragicam requiritur, vt sit perfecta, & tota; secundo vt habeat conuenientem magnitudinem. Ratio est, quia vt patet ex definitione, tragoedia est imitatio actionis perfectæ, & magnitudinem habentis; sed actio, quæ non est tota, eo ipso non est perfecta; ergo actio, quam tragoedia imitatur, debet esse tota; sed potest aliquod totum non habere magnitudinem conuenientem; ergo ad actionem tragicam requiritur etiam, vt habeat magnitudinem conuenientem; sed actionem illam, quam tragoedia repræsentat, vocamus fabulam; ergo fabula tragica debet esse tota, ac debet habere conuenientem magnitudinem.

4 Sed explicandum est, quid requiratur ad hoc, vt fabula, siue actio tragica sit tota, & ad hoc, vt habeat conuenientem magnitudinem. Compositum totum est, *quod habet principium, medium, & finem*. Principium est, *quod ex necessitate non est post aliud, coetera verò post ipsum nata sunt esse, aut fieri*. Finis est id, *quod opponitur principio, ita vt ipsum quidem necessario, vel plerumque debeat esse post aliud, at nihil debeat poni post ipsum*. Medium est, *quod & ipsum debet poni post aliud, & aliud quid debet poni post ipsum*. Vt igitur fabula sit tota, non debet incipere temerè, & vnde sors tulit, neque debet vbicunque contingit desinere, sed debet constare ex partibus ita ordinatis, vt aliqua habeat rationem principij, adeoque sit talis, vt ipsa non debeat poni post aliam, sed aliæ post ipsam; aliqua habeat rationem finis, ita vt ipsa debeat poni post alias, at post ipsam non debeat poni alia pars; aliæ sint mediæ, ita vt ipsæ debeant poni post priores, vel post primã, post ipsas verò debeant poni posteriores, vel vltimã.

5 *Ad hæc pulchrum siue animal, siue quodcunque ex aliquibus compositum, non ordine tantum, verum etiam congruenti magnitudine constare debet: siquidem ex magnitudine, ordineque pulchrum oritur. Nam sicuti fieri non potest, vt perexiguum omnino animal, pulchrum appareat: quandoquidem quæ insensibili tempore speculatio fit, confunditur: pari ratione nec illud, quod omnino sit permagnum: ipsa enim speculatio simul fieri non potest: illudque totum, & vnum è contemplantium consideratione potius elabitur: ceu si decem millium stadiorum esset animal. Quapropter sicuti tum in corporibus, tum in animantibus magnitudinem inesse decet, eam dico, quam probè oculis vsurpemus: ita & in fabulis longitudo inerit, quam quidem memoria facile complectamur.*

6 *Longitudinis autem præfinitio, quantum ad ipsos ludos, planèque ad sensum spectat, minimè artis est. Etenim si in ludis haberi centum Tragoedias opus fuerit, vsque ad Clepsydram, vt olim non semel factitatum dicunt, haberi poterunt. Quæ verò secundum actionis naturam fuerit, illa quidem semper, quæ longius protrahetur, donec tota simul in aperto sit, in magnitudine quidem decentior erit. Vt autem simpliciter præfiniamus, quantam esse fabulam, vel deceat, vel necesse sit: eum sanè dicimus legitimum huic fore magnitudinis terminum, cum siue ad commodam fortunam ex incommoda, siue ex commoda ad incommodam perpetua serie mutata fuerit.*

5 Verum ad hoc, vt animal, & vniuersim compositum quodcunque sit pulchrũ, non sufficit, quod sit totum, seu quod habeat partes ita ordinatas, vt in eo detur principium, medium, & finis, sed requiritur præterea, vt habeat magnitudinem conuenientem; adeoque pulchritudo compositi consistit in duobus, nimirum in ordine partium, & in magnitudine conueniente. Ex defectu magnitudinis oritur, vt neque animalia nimis pusilla, neque nimis magna sint pulchra. Ratio est, quia pulchrum est, cuius aspectus est delectabilis; sed aspectus rerum valde pusillarum, & valde magnarum non est delectabilis; ergo &c. Probatur minor, quia delectatio visus resultat ex eo, quod cum res tota sub aspectum cadat, debito spatio temporis percurri-

currimus, ac distinguimus partes, earumque ordinem aduertimus; sed cum res est nimis parua, ita cadit sub aspectum, vt insensibili tempore percurramus omnes partes, adeoque illas confundamus, nec satis ordinem, quem habent, possimus aduertere: cum autem res est nimis magna, non potest sub vnum aspectum cadere, eo pacto, quo animal decem mille stadiorum non posset vnico intuitu cerni; ergo aspectus rerum nimis pusillarum, ac nimis magnarum non est delectabilis. Sicut igitur corpora animalium, & aliarum rerum debent quidem esse magna, sed ita, vt facilè possint circumspici; sic fabula tragica debet esse longa, sed ita, vt facilè possit memoria teneri.

6 Si verò quæratur, vt adhuc magis explicetur, quanta debeat esse longitudo fabulæ, dicendum, quod vel quærimus de longitudine, quæ conuenit fabulæ ex natura rei, vel de longitudine, quæ conuenit fabulæ propter extrinsecas circumstantias. Longitudo, quæ conuenit fabulæ propter extrinsecas circumstantias, non potest cadere sub præcepta artis. Si enim tragoediæ fiant in ordine ad hoc, vt per eas histriones decertent in theatro, adeoque debeant vna die exhibere centum tragoedias, deberent fieri ad Clepsydram, vt aliquando narratur esse factum, ita vt eo temporis spatio durarent, quod fuisset à certantibus, & à spectantibus constitutum. Si verò loquamur de longitudine, quæ conuenit fabulæ ex natura rei, primo illud in vniuersum dici potest, quod fabula, quo est maior, eo est pulchrior, dummodo possit facile memoria retineri. Secundo dicimus, quod tum vnaquæque fabula habet conuenientem magnitudinem, cum tanto durat spatio tẽporis, quanto verisimiliter possit fieri illa ingens mutatio ex prospera fortuna in aduersam, vel ex aduersa in prosperam, seruato necessario, vel verisimili ordine rerum, per quem vna res sequitur ex alia, & post aliam.

De vnitate Fabulæ. Cap. VI.

1 *VNa namque est fabula: * non autem*
2 *(vt nonnulli putant) si circa vnum aliquem sit. Multa enim, minimeque determinata genere accidunt: ex quibus sane quædam nullum constituunt vnum. Simili ratione vnius multæ actiones sunt, ex quibus vna nunquam actio fiet.*

3 *Quapropter omnes hi peccasse videntur poetæ, quicunque vel Heracleida, vel Theseida, cæteraque id genus poemata confinxere: vt qui, vnus cum sit Hercules, vnam quoque ipsius debere esse fabulam existimauerint. Homerum vero, qui vt in alijs etiam excellit, ita in hoc quoque, siue id artis, siue naturæ fuerit, oculatissimum fuisse apparet: quandoquidem Odysseam confingens, non sanè cuncta, quæ Vlyssi acciderunt, in eam compegit: verbi gratia saucium fuisse in Parnaso, & in ducum collectione simulasse insaniam: quorum cum alterum euenerit, minime necessarium fuit, vel verisimile euenisse alterum: quippe qui vnam duntaxat actionem, qualem dicimus, Odysseam videlicet, itemque Iliadem constituit. Decet igitur, quemadmodum vna vnius imitatio est in alijs imitatricibus artibus: ita & fabulam videlicet, quæ actionis imitatio sit, vnius, eiusdemque integræ esse: sicque rerum inter se partes cohærere, vt ne vlla quidem vel transferri, vel subtrahi queat, quin totum illud varietur, planèque immutetur. Quod enim vel additum, vel subtractum, totum non immutare videtur, nulla quoque eius erit pars.*

1 TErtia conditio fabulæ est, vt sit vna. Ratio est, quia in definitione dictum est, quod tragoedia est imitatio actionis in numero singulari, non autem actionum in numero plurali; ergo fabula, siue actio repræsentata debet esse vna.

2 Aliqui existimant ad vnitatem fabulæ sufficere, vt versetur circa vnum hominem. Reijcit Aristoteles hanc sententiam. Cum enim fabula sit actio repræsentata, vt fabula sit vna, actio repræsentata debet esse vna; sed vni, & eidem homini multa, imo infinita genera aliquando eueniunt, quæ sunt ita disparata, vt ex ijs non fiat vnum; multæ etiam actiones eiusdem hominis sæpe sunt ita disiunctæ, vt non coalescant in vnam actionem; ergo ad vnitatem fabulæ non sufficit, vt versetur circa vnum hominem.

3 Hinc infertur peccasse contra vnitatem fabulæ omnes poetas, qui scripserunt Herculeida, Theseida, ac similia poemata, in quibus persecuti sunt actiones vnius hominis, puta Herculis, aut Thesei, falso putantes Herculeida ex. gr. esse vnam fabu-

fabulam, quia Hercules, cuius actiones describuntur, fuit vnus. Homerus è conuerso, sicut in cæteris excelluit, sic vel propter artem, vel propter naturam, vidit ad vnitatem fabulæ non sufficere, vt complectatur quæ vni homini contigerunt, sed requiri, vt repræsentet vnam actionem. Ideo in Odyssea non cecinit omnia, quæ Vlyssi contigerunt, puta quo pacto vulneratus fuerit in Parnasso; quo pacto simulauerit se insanum, cum Græci conspiratione facta in vnum exercitum contra Troianos coirent, quæ ita sunt disparata, vt vnum ex altero neque necessario, neque verisimiliter sequi debeat, sed vnam actionem Vlyssis est persecutus; ac similiter in Iliade non narrauit omnia, quæ ad Achillem spectant, sed vnam eius actionem. Sicut igitur in alijs artibus imitatiuis ad hoc, vt imitatio sit vna, requiritur, vt sit imitatio vnius, sic in tragoedia, vt fabula, quæ est imitatio actionis, sit vna, debet esse imitatio actionis vnius, perfectæ, atque totius, adeoque partes talis actionis debent esse ita ordinatæ, vt vna ablata, vel mutata auferatur, & mutetur totum. Quod enim ita se habet in fabula, vt siue ponatur, siue auferatur, nihil influat ad cætera, propriè non est fabulæ pars.

De Possibilitate, seu verisimilitudine fabulæ. Cap. VII.

1 *SAnè constat ex supradictis, non poetæ esse, facta ipsa propria narrare: sed quemadmodum vel geri quiuerint, vel verisimile, vel omnino necessarium fuerit. Haud enim historicum, atque poetam carmen, & soluta oratio designant. Quippe (quod alioqui facile factu sit) si Herodoti historia carminibus pangatur, æque nihilominus, ac prius sine carmine, erit historia. Sed hoc differunt, quod hic quidem res gestas, ille vt geri potuerunt exponit.*

1 QVarta conditio fabulæ est, vt sit possibilis, seu verisimilis. Ratio est, quia Poesis non est narratio rei factæ, sed imitatio actionis, quæ fieri potuisset; ergo munus poetæ est non quidem narrare quæ acciderunt, sed ea referre, quæ potuissent accidere, & quæ necessario, vel verisimiliter euenissent; sed quod à poeta narratur est fabula; ergo fabula debet esse possibilis, ac verisimilis. Confirmatur, quia poeta non differt ab historico solum per hoc, quod poeta res narrat oratione numeris vincta; Historicus narrat oratione soluta; ideoque si quis carminibus complecteretur ea, quæ habentur apud Herodotum, adhuc talis narratio non esset poesis, sed historia; ergo poeta differt ab Historico per hoc, quod Historicus narrat quæ euenerunt, poeta describit quæ verisimiliter euenire potuissent, ac debuissent, adeoque fabula, seu narratio poetica debet esse possibilis, ac verisimilis.

2 *Quo fit, vt sapientius atque præstantius Poesis historia sit: si quidem illa circa ipsum vniuersale plurimum versatur: hæc vero singulare sectatur. Est autem vniuersale, quæ cui conueniant, dicere vel facere, verisimiliter quidem, seu necessario: id quod spectat Poesis, cum nomina imponat: Contra singulare, quid ipse Alcibiades fecerit, tuleritue. Iam vero & apud comicos id manifestum: vt qui fabulas ex verisimilibus constituentes, nomina interim pro arbitrio comminiscantur: non quidem ipsa singularia, quemadmodum iamborum compositiones facere solent. In Tragoedia autem vera nomina retinentur. Cuius ratio est, quoniam credibile quidem illud est, quod fieri potest: quæ vero nondum facta fuisse scimus, fieri quidem posse parum credimus: quæ vero facta, fieri certo potuisse ambigit nemo. Nam si fieri nequiuissent, nunquam profecto extitissent. Cum tamen Tragoediarum aliquæ sanè ex notis nominibus, vno, vel duobus ad summum assumptis, reliqua deinceps confingant: aliquæ rursus, quemadmodum Agathonis flos, planè omnia, in quo, tametsi cum nominibus res ipsæ pariter confingantur, nihilominus delectant. Quare non omnino quærendum est, vt vulgatæ fabulæ, in quibus Tragoediæ sunt ad vnguem retineantur. Idem quærere ridiculum esset: quandoquidem illæ etiam sic notæ paucis quidem cum notæ sint, iuxta tamen cunctos delectant.*

2 Ex allato discrimine poeseos, & historiæ infertur primo poesim esse affiniorem philosophiæ, ac studijs sciendi, quam historia. Ratio est, quia philosophia, ac scientiæ contemplantur vniuersalia, non autem

autem ſingularia; ſed hiſtoria narrat ſingularia, puta quid Alcibiades fecerit, vel paſſus fuerit; poeſis in vniuerſum contemplatur, quid neceſſarium, aut veriſimile fuerit hominem talis conditionis dicere, aut facere: ex. gr. quid veriſimile ſit dicere, vel facere ſenem auarum, iuuenem incontinentem &c: deinde verò talibus hominibus nomina imponit; ergo poeſis eſt affinior philoſophiæ, ac ſtudijs ſciendi, quam hiſtoria. Et quidem quod poeſis in vniuerſali contempletur, quid veriſimile ſit dicere, vel agere homines talis conditionis, deinde nomina illis imponat, manifeſtum eſt in comoedia, obſcurius in tragoedia. Quod ſit manifeſtum in comoedia, probatur: nam licet priſci Iambici contra certos homines carmina ſciberent, eorumque vitia exagitarent, recentiores comici hunc ſcribendi morem, tanquam à poeſi alienum abiecerunt, ac loco agendi de ſingularibus hominibus, fabulas conſtituunt, in quibus narrant, quid veriſimiliter hominibus variarum conditionum accidere potuerit, deinde verò illis hominibus nomina imponunt. At hoc idem eſt obſcurius in tragoedia. Nam tragici cum vtantur nominibus clarorum hominum, qui iam fuerunt, videntur de talibus ſingularibus hominibus agere. Adhuc tamen etiam ipſi non intendunt narrare, quid illis hominibus euenerit, ſed quid veriſimile ſit euenire hominibus talis conditionis; ſed ſpectatores non crederent poſſibile, & veriſimile viros principes ex ſumma felicitate in maximam miſeriam incidere, niſi ſcirent id factum; quod verò credunt factum, putant poſſibile, & veriſimile; neque enim fuiſſet factum, niſi fuiſſet poſſibile; ergo vt quæ in tragoedijs repræſentantur principum virorum infortunia, cenſeantur à ſpectatoribus veriſimilia, Tragoediarum ſcriptores vtuntur nominibus hominum, quibus ſimilia acciderunt; vtentes tamen talibus hominibus non referunt quid illis acciderit, ſed quid hominibus eius conditionis potuerit euenire. Non deſunt tamen aliquæ tragoediæ, in quibus non ſolum res ſunt fictæ, ſed etiam nomina, excepto vno, vel duobus nominibus notis: imo in tragoedia Agathonis, quæ dicitur *flos*, omnia nomina ſunt ficta ſimul cum rebus, & tamen illa adeo delectat, vt pateat in tragoedijs non eſſe hærendum antiquis, ac notis fabulis, vt quidam putant. Confirmatur hoc ipſum; quia tales fabulæ antiquæ paucis ſpectatoribus ſunt notæ, & tamen tragoediæ antiquis fabulis hærentes delectant omnes ſpectatores, etiam eos, ad quos antiquarum fabularum notitia non peruenit; ergo ad hoc, vt tragoediæ ſint delectabiles, non neceſſario eſt hærendum fabulis, aut hiſtorijs veris; ergo ſufficit, vt poeta referat poſſibilia, ac veriſimilia, ſiquidem per hoc ipſum differt ab hiſtorico.

3 *Ex his igitur patet poetam fabularum magis, quam carminum eſſe poetam, vt qui ſemper circa imitationem verſetur: actiones vero imitatur.*

4 *Si igitur & in ea quoque, quæ vere prius fuere, fingendo incidat, non propterea à poeta diſcedet: quandoquidem ex his, quæ geſta ſunt, aliqua quidem eiuſmodi eſſe nihil prohibet, cuiuſmodi vel extitiſſe veriſimile ſit, vel certe fieri potuerint: ſecundum quæ ſanè horum poeta fuerit.*

3 Infertur ſecundo magis proprium poetæ eſſe, vt ſit inuentor fabularum, quam vt ſit effector carminum. Ratio eſt, quia illud eſt magis proprium poetæ, in quo præcipue differt ab hiſtorico; ſed præcipuum diſcrimen poetæ ab hiſtorico non eſt, quod poeta ſit ſcriptor verſuum, hiſtoricus ſit ſcriptor ſolutæ orationis, ſed quod poeta agit fabulas imitantes, ac repræſentantes quæ potuerunt, ac debuerunt veriſimiliter euenire, hiſtoricus narrat, quæ euenerunt; ergo &c.

4 Infertur tertio, quod ſi contingat id, quod poeta narrat tanquam veriſimile, fuiſſe factum, adhuc poeta exercet munus poetæ. Ratio eſt, quia poetæ munus eſt vt referat veriſimilia, eo modo, quo veriſimile eſt illa fuiſſe facta; ſed nihil prohibet aliquid veriſimile fuiſſe factum, & eo modo fuiſſe factum, quo poeta illud enarrat; ergo poeta dum illum enarrat vt veriſimile, adhuc exercet munus poetæ.

De quinta, & ſexta conditione fabulæ, quæ ſunt, vt non ſit epiſodica, & vt ſit admirabilis. Caput VIII.

1 *Caeterum ſimplicium fabularum, actionumue, Epiſodicæ quidem deterrimæ.*

Epi-

Episodicam appello, in qua non verisimiliter, neque necessario mutua episodia nectantur.

2 *Fiunt autem hæ tum ab ineptis vatibus suo vitio, tum à probatis quoque histrionum gratia. Etenim in huiuscemodi certaminibus, dum fabulas plus æquo sæpenumero producunt, legitimum ordinem peruertere coguntur.*

3 *Quoniam autem imitatio non tantum perfectæ actionis, verum etiam miserabilium, terribiliumue est: hæc autem maxime talia erunt, potissimumque pollebunt, quotiescunque per se ipsa inuicem admiranda illa accident: nimirum hoc pacto admirabile magis sese offert, quam si à casu, vel à fortuna proficisci appareat: siquidem in his etiam, quæ à fortuna proueniunt, illa quidem maximam admirationem præ se ferunt, quæ veluti suopte impulsu prouenire videantur, vt in Argo Mityi statua, quæ super inspectantem collapsa authorem Mityi necis interfecit. Eiusmodi enim hæc sunt, vt non temere facta esse opinentur. Ideoque pulcherrimas tales fabulas euadere necesse est.*

1 QVinta conditio fabulæ est, vt non sit Episodica. Fabula Episodica est, quæ est episodijs referta ita se habentibus, vt licet vnum ponatur post alterum, adhuc vnum neque necessario, neque verisimiliter sequatur ex altero. Quod fabulæ Episodicæ sint pessimæ inter fabulas simplices, probatur, quia non sunt vnæ. Ex dictis enim cap. 6. vnitas fabulæ consistit in hoc, vt actiones sint ita ordinatæ, vt vna sequatur ex altera necessario, vel verisimiliter; sed eo ipso, quod sunt Episodicæ, plura successiuè repræsentantur, quorum vnum neque necessario, neque verisimiliter sequitur ex altero; ergo eo ipso, quod fabulæ sunt Episodicæ non sunt vnæ, adeoque sunt pessimæ.

2 Addit Aristoteles, quod aliquando non solum mali, sed etiam boni poetæ scribunt fabulas episodicas: mali quidem ex proprio defectu, quia non possunt actiones ita ordinare, vt vna sequatur ex alia: boni verò propter histriones. Quia enim histriones decertantes in theatris volunt fabulas longas, poetæ coguntur tragoedias magis producere, quam possint seruando actionum ordinem, ac nexum, adeoque turbant ordinem rerum, ac multa insequunt episodia non bene colligata.

3 Sexta conditio fabulæ est, vt sit admirabilis. Ratio est, quia ex dictis in definitione tragoedia est imitatio miserabilium, ac terribilium; sed quæ ex natura sua sunt terribilia, & miserabilia euadunt terribiliora, & miserabiliora, si sint admirabilia: nam propter hoc ipsum, quia accidunt præter expectationem, magis mouent ad timorem, & ad miserationem; ergo vt fabula sit terribilis, ac miserabilis, debet etiam esse admirabilis, ac plura continere, quæ præter expectationem eueniant; sed ex ijs, quæ accidunt præter expectationem, ea sunt admirabiliora, quæ sunt ita connexa, vt videantur non fortuito, sed certo consilio inter se colligata, ad hoc, vt homini infortunium afferant, ideoque ex ipsis fortuitis, & casualibus ea sunt admirabiliora, quæ videntur accidisse ex consilio: eo pacto, quo valde fuit admirabile, quod Argis statua Mityj cadens interfecerit eum, qui causa fuerat, vt Mityus moreretur, quia statua visa est non fortuito, sed de industria interfecisse interfectorem Mityj; ergo fabulæ tum erunt admirabiliores, ac miserabiliores, & pulchriores, cum non solum infortunia accident præter expectationem, sed res erunt ita inter se connexæ, vt videantur non fortuito, sed certo consilio inter se colligatæ ad hoc, vt infortunium afferant.

De septima, & octaua conditione fabulæ, quæ sunt, vt sit implexa, ac miserabilis; & de peripetia, & agnitione, per quas fabulæ redduntur implexæ. Caput IX.

1 *FAbularum aliæ simplices, aliæ implexæ: quemadmodum & actiones, quarum imitationes sunt ipsæ fabulæ, talem illico speciem præ se ferunt. Simplicem actionem voco, in qua quidem (vt definitum est) continua vna, absque peripetia, agnitioneue, agendo fit mutatio: implexam, qua vel agnitione, vel peripetia, vel etiam vtraque.*

2 *Hæc vero in ipso rerum contextu ita astruenda sunt, vt ex his, quæ prius acta fuerint, necessario sequi, aut certe verisimili-*

militer agi videantur. Multum enim differt, fiant hæc per hæc, an ex his.

3 *Peripetia est eorum, quæ aguntur (quemadmodum dictum est) in contrarium mutatio. Id autem (sicuti docuimus) aut verisimiliter, aut necessario fit: vt in Oedipode. Accessit enim ille delectaturus Oedipodem, eundemque parentis incestandæ timore liberaturus: quis autem esset, vbi ostendit, contrarium efficit. In Lynceo quoque ductus ille quidem est, veluti mox immolandus: Danaus contra subsecutus, vt immolaret: sed accidit ex his, quæ patrata sunt, vt hic necem, ille salutem sit assecutus.*

1 SEptima conditio fabulæ tragicæ est, vt sit implexa. Pro explicatione præmittendum est, quod fabulæ diuiduntur in simplices, & implexas. Ratio est, quia cum fabula sit imitatio actionis humanæ, proportionaliter diuiditur, ac diuidantur actiones humanæ; sed ex actionibus humanis aliæ sunt simplices, aliæ implexæ; ergo &c. Probatur minor: actionem enim simplicem dicimus eam, *quæ cum sit vna, & continua, vt dictum est cap. 6. transit à principio ad finem sine peripetia, vel agnitione, ita vt nulla fiat mutatio ex miseria in felicitatem, vel ex felicitate in miseriam:* Actionem implexam vocamus *in qua cum peripetia, vel agnitione, vel peripetia simul & agnitione fit transitus à principio ad finem, ita vt aliqua interueniat mutatio ex felicitate in miseriam, uel ex miseria in felicitatem;* sed actionum humanarum aliquæ transeunt à principio ad finem sine vllis peripetijs, vel agnitionibus, aliquæ cum peripetijs, & agnitionibus; ergo actionum humanarum aliquæ sunt simplices, eo quod vnus in eis seruetur fortunæ tenor, aliæ sunt varijs fortunis implexæ, adeoque etiam ex fabulis aliquæ sunt simplices, aliæ implexæ.

2 Hoc posito, sic ostenditur fabulam tragicam debere esse implexam: fabula tragica debet mouere ad miserationem, & ad metum; sed isti affectus præcipuè excitantur ex mutatione fortunæ prosperæ in aduersam; ergo fabula tragica non debet esse simplex, sed varijs fortunis implexa. Aduertit autem Aristoteles ita fabulam esse constituendam, vt peripetia, atque agnitio ex ipsa fabulæ constitutione nascantur, ita vt ex antecedentibus necessario, vel verisimiliter sequatur fortunæ mutatio, & agnitio, adeoque peripetia, & agnitio non solum fiant post antecedentia, sed etiam ex antecedentibus. Multum autem differt vtrum aliquid fiat post aliud, vel oriatur ex alio. Primum non sufficit ad vnitatem fabulæ: secundum sufficit.

3 Iam quia dictum est fabulam implexam esse illam, quæ includit peripetiam, vel agnitionem, agendum est de peripetia, & agnitione. Peripetia est *eorum, quæ aguntur, in contrarium mutatio.* Non igitur quæcunque mutatio est peripetia, sed sola mutatio in contrarium, per quam scilicet quis vel ex miseria ad felicitatem, vel ex felicitate mutatur in miseriam. Hæc porro mutatio debet necessario, vel verisimiliter oriri ex ipsa constitutione rerum, vt explicatum est. Duo exempla Peripetiarum factarum ex ipsa rerum constitutione proponit Aristoteles. Primum desumitur ex tragœdia Sophoclis, quæ inscribitur Oedipus Tyrannus. Cum venisset Corintho nuncius, referens Polypum, qui putabatur Oedipi parens, mortuum esse, atque Oedipum à Corinthijs in regnum vocari, Oedipus autem recusaret Corinthiorum regnum capessere, ne se iuxta prædictionem oraculi incestis nuptijs cum Merope, quam putabat matrem, pollueret, nuncius vt hoc timore Oedipum liberaret, aperit Oedipo, qui nam ipse Oedipus foret, atque in causa est, vt Oedipus comperiat se iam dudum parente Laio interfecto, Iocastem matrem in vxorem duxisse: quo cognito sibi præ dolore oculos eruit, ac regno eiectus in maximas miserias incidit. Hæc igitur fabula ita est coagmentata, vt nuncius, dum nouum regnum Oedipo offert, eumque à metu incestarum cum matre nuptiarum liberare conatur, contrarium efficiat, & sit in causa, vt ille comperiat se incestas, iam dudum cum matre nuptias iniuisse, atque oculos sibi eruens, loco acquirendi nouum regnum, quod iam possidebat, amittat, ac miserrimus hominum euadat. Secundum exemplum desumitur ex tragœdia, quæ inscribitur Lynceus, quæ tragœdia non extat. Fabula huius tragœdiæ ita erat constituta, vt dum Danaus persequitur Lynceum, vt ipsum interfecturus, Lynceus verò ducitur vt interficiendus, contrarium accidat, ac Lynceus quidem conseruetur, Danaus interficiatur. Est autem Danaus sæuissimus ille socer, quo au-

ctore filiæ noctu viros suos Danai generos interfecerunt, excepta Hypermnestra, quæ Lynceum virum contra patris iussum seruauit: in cuius fuga Poeta fingit Danaum persequentem loco Lyncei ad necem quæsiti fuisse interfectum.

4 *Agnitio est (vt etiam ex nomine liquet) ex ignoratione in notitiam ad amicitiam, vel inimicitiam illorum mutatio, qui seu felices, seu infelices determinantur. Pulcherrima autem fit, si cum peripetia fuerit: vt in Oedipode. Sunt profecto & aliæ agnitiones. Nam tum inanimatorum, tum quorumcunque, vt accidit, fiunt: si quando (vt dictum est) euenit, vt si quid patrarit quis, vel non patrarit, agnoscamus: illa tamen, quæ potissimum à fabula, quæue ab actione pendet, est, quam diximus. Etenim huiusmodi agnitio, atque peripetia, vel misericordiam, vel metum parabit. Receptum autem est, actionum imitationem esse Tragœdiam: fortunatumque insuper, seu miserum fieri ex his contigerit.*

5 *Quoniam vero agnitio quorundam agnitio est, alia quidem alterius ad alium tantum fit, cum quis hic sit illi notus est: alia rursus mutua indiget notitia. Vt Iphigenia ex epistolæ illius missione ab Oreste quidem agnita: vt tamen ipsum agnosceret, alia quoque agnitione opus fuit. Partes igitur hæ fabulæ duæ habentur, agnitio, & peripetia.*

6 *Tertia superest Perturbatio. Nam de peripetia, & agnitione satis diximus. Perturbatio vero actio est lethifera, seu dolore plena: veluti cum neces, cruciatus, vulnera, cæteraque generis huius palam fiunt.*

4 Agnitio, vt ex ipsa nominis significatione constat, est *mutatio, per quam cum ante ignoraretur, agnoscitur, quæ nam sint illæ personæ, quæ debent ex miseria transire in felicitatem, vel ex felicitate in miseriam, ita vt ex hac notitia sequatur etiam mutatio amoris, aut odij, quo se prosequebantur.* Ex agnitionibus pulcherrimæ sunt illæ, quibus factis, simul fit peripetia, vt in Oedipo Tyranno Sophoclis. Statim enim, ac Oedipus agnoscit se esse filium Iocastis, ex felici euadit miser, & cum ante Iocastem diligeret, incipit & illam, & seipsum odisse. Præter hanc agnitionem personarum principalium, atque in dignitate constitutarum, quæ debent ex felicitate transire in miseriam, dari possunt etiam aliæ agnitiones personarum inferiorum, imo etiam rerum quarumlibet inanimatarum, ac demum potest etiam dari agnitio facti, puta cum quis deprehenditur fecisse aliquid, quod putabatur non fecisse, vel non fecisse aliquid, quod putabatur fecisse. Verum nulla agnitio ita est propria fabulæ, atque actionis tragicæ, ac agnitio personarum primo loco explicata. Ratio est primo, quia tragœdia est imitatio actionum afferentium metum, & misericordiam; sed agnitio personarum habens coniunctam peripetiam maximè mouet ad metum, & ad misericordiam, eo pacto, quo Oedipus maximè mouet ad metum, & ad misericordiam, dum agnoscens, quis esset, ex felici miserrimus euadit; ergo &c. Secunda ratio est, quia nihil est æquè admirabile, ac subita mutatio ex miseria in felicitatem, & ex felicitate in miseriam; sed tales subitæ mutationes præsertim fiunt per agnitionem personarum; ergo &c.

5 Quia agnitio est alicuius agnitio, aliquando sufficit, vt de vno tantum agnoscatur, quis sit, de altero enim supponitur id compertum, & hæc potest dici agnitio simplex: aliquando de vtroque debet agnosci, quis sit. Exemplum primæ agnitionis est in Oedipo Tyranno. Cum enim esset compertum, quæ nam esset Iocasta, ac solum error versaretur circa Oedipum, qui censebatur filius Polypi Regis Corinthiorum, detecto quis esset Oedipus, non opus fuit alia agnitione. Exemplum agnitionis duplicis habetur apud Euripidem in tragœdia, quæ inscribitur Iphigenia in Tauris. Cum enim & Iphigenia ignoraret, quis Orestes esset, & Orestes, quæ nam esset Iphigenia, post primam agnitionem, qua Iphigenia dans epistolam Oresti fratri, quem putabat in Græcia manere, Oresti ipsi deferendam, se manifestauit Oresti, opus fuit alia agnitione, qua Orestes se manifestaret Iphigeniæ.

6 Octaua demum conditio fabulæ tragicæ est, vt sit miserabilis. Ad reddendam fabulam miserabilem tria præcipuè requiruntur; peripetia nimirum, atque agnitio, de quibus iam egimus, & præterea passiones ante oculos positæ. Nomine passionum hic intelligimus actiones mortis, vel magni doloris allatiuas, cuiusmodi sunt cædes, eiulationes, vulnerationes, & alia huiusmodi.

di. Vt igitur Poeta reddat fabulam terribilem, ac miserabilem, debet in scenam producere aliquos homines mortuos, vel vulneribus confossos, ac carissimos, puta parentes, aut filios &c. supra extinctos, vel vulneratos, eiulantes &c.

De partibus, in quas Tragœdia diuiditur secundum quantitatem. Cap. X.

1 *Caeterum Tragœdiæ partes, quibus tanquam formis vti nos oportet, superius exposuimus.*

2 *Secundum vero quantitatem discretam, atque in quas secetur, sigillatim hæ sunt. Prologus, Episodium, Exodus, Choricum. Chorici vero alterum mobile, alterum stabile. Sanè cunctis hæc omnibus communia: propria vero ea, quæ ad scenam pertinent, & commi.*

3 *Prologus est pars Tragœdiæ iusta, ante chori ingressum.*

4 *Episodium pars item iusta Tragœdiæ, inter choricos perpetuos cantus.*

5 *Exodus iusta pars Tragœdiæ, post quam nullus deinceps est chori cantus.*

6 *Chorici vero ingressus, chori integri prima locutio.*

7 *Stabile, sine Trochæo, & Anapæsto cantus.*

8 *Commus, siue planctus, est luctus chori communis cum ijs, qui in scena sunt.*

9 *Partes igitur Tragœdiæ, quæ quasi formæ habendæ sunt, superius explicauimus: rursus secundum quantitatem discretam, & in quas secetur, sigillatim quoque diximus. Deinceps vero, quæ fabulas texentes sectari, contra quæ vitare oporteat, tum vero à quibus locis Tragœdiæ ipsius opus ducatur, supradictis addendum.*

1 POstquam Aristoteles assignauit sex partes tragoediæ, quæ dicuntur qualitatis, & explicauit ordinem earum, atque egit de prima, & præcipua parte, hoc est de fabula, eiusque conditionibus: commodius acturus infra de tribus reliquis partibus qualitatis, circa quas versatur artificium poeticum, hoc est de moribus, de sententia, ac dictione, breuissimè agit de partibus tragoediæ, quæ dicuntur quantitatis, eo quod sint ita separatæ, vt vna ponatur post aliam.

2 Partes quantitatis omnibus tragoedijs communes sunt quinque, quibus potest addi sexta pars aliquarum tragoediarum propria. Ex istis partibus tres spectant ad solos Histriones; duæ ad solum chorum; vna ad histriones simul, & chorum. Ex partibus spectantibus ad solos histriones, prima vocatur prologus, secunda Episodium, tertia Exodus. Ex partibus spectantibus ad chorum, prima vocatur Parodos, seu Chorus ingrediens; secunda Stasimon, seu chorus stabilis. Et hæ quinque partes, nimirum Prologus, Episodium, Exodus, Chorus ingrediens, & chorus stabilis sunt communes omnibus tragoedijs. Sexta pars aliquarum tragoediarum propria, quæ spectat ad Histriones simul & chorum, est eorum, quæ sunt ab scena, & commi, hoc est communis lamentatio, & eiulatus tum histrionum in scena agentium, tum chori extra scenam canentis, vt iam magis explicabitur.

3 Prima igitur pars tragoediæ ad histriones spectans est prologus. Triplex potest distingui prologus. Primus est omnino separatus à fabula, cum scilicet introducitur aliquis exponens populo argumentum fabulæ, qui deinde nullam talis fabulæ partem agit, vti fit apud latinos comicos, Plautum nimirum, & Terentium. Secundus est non omnino separatus à fabula, sed non satis cum illa connexus; cum scilicet aliquis, qui partem aliquam agit in fabula, initio narrat multa, ex quibus dramatis argumentum possit intelligi: à qua tamen narratione non pendent ea, quæ deinde agenda sunt in fabula, vti sæpe apud Græcos Euripides facit. Tertius est omnino connexus cum cæteris fabulæ partibus, cum nimirum fabula ita est constituta, vt ex prima parte fabulæ ita argumentum fabulæ possit intelligi, vt ex ea parte necessario, vel verisimiliter sequantur reliquæ partes. Dum igitur Aristoteles dicit primam partem tragœdiæ esse prologum, loquitur de prologo in hoc tertio sensu, in quo est prima pars fabulæ, ex qua ita intelligi potest argumentum fabulæ, vt sit omnino connexa cum cæteris partibus. Prologus igitur in hoc sensu *est tota illa tragœdiæ pars ad histriones spectans, quæ est ante parodum, seu chorum ingredientem*: Et quia Chorus ingrediens ponitur post primum actum, ideo

ideo Prologus in hoc sensu est primus actus tragœdiæ, qui debet ita constitui, vt cum ex eo pendeant reliqua in cæteris actibus gerenda, possit ex ipso intelligi argumentum totius fabulæ.

4 Secunda pars tragoediæ ad histriones spectans est Episodium. Episodium dicitur tripliciter. Primo Episodia dicuntur digressiones non connexæ cum alijs partibus tragoediæ, de quibus actum est cap. 8. Secundo episodia dicuntur digressiones connexæ, in quibus per nuncios, vel alia ratione exponuntur quæ alio tempore, vel loco acta sunt, aguntur, vel agentur extra scenam, ita tamen, vt sint connexa necessario, vel verisimiliter cum ijs, quæ aguntur in scena. In neutro sensu episodium sumitur hoc loco ab Aristotele. Tertio igitur episodium, prout hoc loco sumitur ab Aristotele, est *tota pars tragoediæ, quæ inter ecta est inter totas Chori cantilenas*. Et quia Chorus totus quater canit, hoc est post primum, secundum, tertium, & quartum actum, ideo pars illa tragoediæ, quæ est post primam, & ante vltimam cantionem chori, nimirum secundus, tertius, & quartus actus vocatur episodium. Quæritur, cur hanc partem Aristoteles vocet episodium? Aliqui dicunt vocari episodium, quia præsertim secundo, tertio, & quarto actu locum habent digressiones, non quidem inconnexæ, sed connexæ cum reliquis partibus tragœdiæ. Ego suspicor non legendum ἐπεισόδιον cum ε, prout legitur in codicibns græcis, & significat digressionem, vel introductionem, sed ἐπῳδιον cum ω, quod potest significare intercantionem, & episodium vocari explicatam partem tragœdiæ, quia intercipitur inter primam, & vltimam cantionem chori.

5 Tertia pars tragœdiæ ad histriones spectans est exodus, siue exitus, & est *illa pars tragoediæ, quæ sequitur post vltimam cantilenam chori, & post quam non sequitur alia cantilena, & in qua tota actio repræsentata perducitur ad exitum, seu finem*.

6 Sequuntur quarta, & quinta pars spectantes ad chorum. Quarta ergo pars est chorus ingrediens, & prima cantio totius chori, quæ ponitur post primum actum.

7 Quinta pars vocatur Stasimon, siue chorus stabilis, & sunt reliquæ cantiones, quæ sunt sine trochæis, & anapæstis, qui sunt pedes valde mobiles, & parum habentes stabilitatis, ac fiunt per alios pedes stabiliores.

8 Sexta demum pars, quæ non est communis omnium tragoediarum, sed aliquarum propria, vocatur commus, & est lamentatio, & eiulatus communis chori, & histrionum manentium in scena. Fortasse enim in quibusdam tragoedijs post vltimum actum, in quo exhibitus fuerat exitus miserrimus aliquarum præcipuarum personarum, ad augendos affectus miserationis, ac metus, inducebantur Histriones in scena, & chorus extra scenam flebilibus eiulatibus, & cantibus aures implentes, & hoc miserabili eiulatu tragoedia absoluebatur.

Ex his patet, quod ex tribus partibus tragoediæ, Prologus est principium tragoediæ, prima nimirum pars, quæ non pendet ex alia parte, & à qua reliquæ pendent: Episodium est medium tragoediæ, illa nimirum pars, quæ pendet ex alia, & ex qua pendet aliqua alia pars, & qua durante omnia quodammodo pendent: Exodus est finis tragoediæ, pars nimirum illa, quæ pendet ex alijs, & à qua non pendet alia pars. Cæteræ partes spectantes ad Chorum sunt veluti diuisiones, & condimenta tragoediæ.

9 Concludit Aristoteles supra esse explicatas partes qualitatis, nunc esse explicatas partes quantitatis. Sequitur, vt ex principijs ante positis indagemus, quæ nam debeant studiosè sectari, & à quibus cauere, qui fabulas constituunt, vt opus tragoediæ bene se habeat, ac ipsa tragoedia pulcherrima euadat.

Qualis debeat esse persona tragica, qualis mutatio, & quæ causa mutationis? Cap.XI. Articulus Primus.

1 *QVoniam igitur Tragœdiæ pulcherrimæ compositio, non quidem simplex esse debet, sed implexa, eademque terribilium, miserabiliumue imitatrix: id quod profecto imitationis huiusce proprium est, primum quidem satis apparet minime decere, bonos, & æquos viros ex felicibus infelices factos in scenam afferre: vt quod terrifici, miserandiue nihil habeat, sed scelesti. Pa-*

rique ratione ab aduersa fortuna ad secundam prouectos, prauos effingere. Hoc enim omnium à Tragœdia maxime alienum, vt quòd rerum, quæ requiruntur, expers omnino sit, humanitatis dico, nedum terrifici, atque miserabilis. Sed nec omnino improbos ex secunda fortuna in aduersam lapsos: quandoquidem talis compositio, quæ alioqui humanitatem præ se ferre potest, miserandi, aut terrifici planè nihil habet. Vt enim immerentis misericordiam excitat, ita terror à simili incutitur. Quocirca cum nec miserandi, nec terrifici quicquam ab his proueniat, reliquum est, vt ad hæc maxime idoneus is habeatur, qui medius inter tales sit. Is autem erit qui nec virtute, nec iustitia antecellat, minimeque per vitium, prauitatemue in ipsam infelicitatem lapsus fuerit; verum humano quodam errore, ex magna quidem existimatione, atque felicitate: quemadmodum Oedipus, Thyestes, cæterique ex huiusmodi generibus illustres viri.

TRadita definitione, & assignatis partibus tragoediæ, tum quæ ad qualitatem spectant, tum quæ ad quantitatem; explicata etiam prima, & præcipua tragoediæ parte, hoc est fabula, eiusque conditionibus, descendit Aristoteles ad examinandum, quænam sint persequenda, vel vitanda ad constituendam optimam, ac pulcherrimam tragoediam. Quia enim primum, & optimum in vnoquoque genere est mensura reliquorum, quæ eatenus sunt meliora, vel deteriora, quatenus magis, aut minus propinqua sunt optimo, qui potuerit de optima tragoedia iudicare, poterit etiam facile statuere de non optimis.

1 Quæritur igitur primo ad pulcherrimam tragoediam constituendam qualis persona Tragica debeat eligi, qualem fortunæ mutationem, & ex qua causa debeat subire?

Dicendum, quod ad pulcherrimam tragoediam cōstituendam debet eligi aliquis, neque virtute, ac iustitia præstans, neque omnino malus, qui cum in magna existimatione, & in abundantia omnium bonorum versetur, non ex vitio, & prauitate, sed ex aliquo errore humano in magnas calamitates incidat, quales fuerunt ex gr. Oedipus, & Thyestes, quorum primus ex ignorantia patrem occidit, ac matrem duxit in vxorem, secundus filios comedit.

Probatur: proprium enim tragoediæ est, vt sit imitatio terribilium, ac miserabilium, vt ex definitione constat; ad pulcherrimam verò tragoediam requiritur, vt sit implexa, continens nimirum mutationem aliquam fortunæ, vt dictum est cap. 9; ergo pulcherrima tragoedia debet repræsentare mutationem fortunæ, quæ sit maximè terribilis, ac miserabilis; sed mutatio fortunæ maximè mouens ad timorem, & miserationem, adeoque maximè terribilis, ac miserabilis est, per quam aliquis, neque virtute, & iustitia præstans, neque omnino malus, non propter prauitatem, sed propter errorem ex magna felicitate incidat in magnam miseriam; ergo &c. Probatur, & explicatur assumptum: possumus enim fingere duas mutationes; prima est ex miseria in felicitatem, secunda ex felicitate in miseriam. Mutatio ex miseria in felicitatem non est miserabilis, neque terribilis, quicunque sit qui mutatur, siue sit probus, siue improbus, siue mediocris. Quod enim probi, & mediocres ex miseria transeant ad felicitatem, non est miserabile, neque terribile, sed iucundum, & gratum: quod improbi ex miseris euadant felices, neque est miserabile, neque terribile, neque gratum, ideoque est alienissimum à tragoedia, cum nihil habeat eorum, quæ tragoedia debet habere; ergo mutatio tragica debet esse secundi generis, hoc est ex felicitate in miseriam; sed mutationum ex felicitate in miseriam aptissimæ ad excitandam miserationem, atque formidinem sunt per quas mediocres in virtute propter errorem in miseriam incidunt; ergo &c. Probatur minor: tria enim hominum genera possunt in miserias incidere: omnino boni, omnino mali, & mediocres; sed quod omnino boni in miserias incidant, non tam est terribile, & miserabile, quam sceleratum, ideoque potius mouet ad indignationem, quam ad miserationem, aut timorem; quod omnino mali euadant miseri, nec est miserabile, neque terribile, sed gratum; miseratio enim oritur, cum quis patitur indigna, timor verò, cum qui patitur, est similis nobis; ergo reliquum est, vt maximè apta ad excitandam miserationem, & formidinem sit mutatio, per quam aliquis mediocris in virtute, non ex prauitate, sed ex errore quodam, & imprudentia incidit in miserias: nam tum miseremur, quia est indignus calamitatibus, quas

quas patitur, timemus, quia cum videamus illum incidere in miseriam ex errore, & imprudentia, putamus nos etiam posse in tales miserias incidere.

Vtrum melior sit fabula simplex, an duplex? Cap. XI. Articulus II.

2 *Necesse est igitur pulchrā fabulam constare magis ex vno hoc genere, quam ex duplici, ut nonnulli putant, cuius quidem ex miseria ad felicitatem mutatio non sit, sed contra ex felicitate ad miseriam, errore sanè non leui, minime vero per dedecus, ex illo quidem virorum, de quo dictum est, genere, quodue potius ad meliores, quam ad deteriores spectet.*

3 *Huius autem rei indicium sit, vsus. Etenim iam inde ab initio poetæ, quascunque nacti essent fabulas, admittebant: nunc autem pulcherrimæ circa paucas omnino familias componuntur, vt sunt Alcmæonis, Oedipodis, Orestis, Meleagri, Thyestis, Telephi, cæterorumque generis huiusmodi: quibus vel facinora quidem grauia perpetrasse, vel ipsos tulisse contigit. Erit igitur pulcherrima illa Tragœdia, quæ ex huiusmodi compositione constiterit.*

2 Quæritur secundo, vtrum ad pulcherrimam tragoediam constituendam potius sit fabula simplex, an duplex? Pro intelligentia quæstionis præmittendum est, quid intelligatur nomine fabulæ duplicis, ac simplicis. Fabula duplex dicitur illa, *in qua dantur duo genera personarum, & hominum; aliqui boni aliqui mali, ac duæ contrariæ mutationes, per quarum alteram boni ex miseria transeunt ad felicitatem, per alteram mali ex felicitate transeunt ad miseriam.* Fabula simplex dicitur hic, non quæ caret peripetia, adeoque non est implexa: (Dictum est enim cap. 15. fabulam tragicam debere habere peripetiam, & esse implexam), sed *quæ continet vnum genus personarum, quæ ex miseria transeunt ad felicitatem.* Quæritur igitur, an melior sit fabula simplex, hoc est habens vnum genus personarum, quæ ex felicitate mutentur in miseriam, an duplex, continens duo genera personarum, quarum aliquæ ex miseria mutentur in felicitatem, aliquæ ex felicitate mutentur in miseriam?

Aliqui præferunt fabulam duplicem. Dicendum tamen, quod ad pulcherrimam tragoediam melior est fabula simplex, in qua personæ vnius generis, hoc est mediocres in virtute, ac potius meliores, quam deteriores, mutentur, non quidem ex miseria in felicitatem, sed ex felicitate in miseriam, non propter prauitatem, sed propter magnum errorem, vt explicatum est articulo superiori.

Probatur primo ex dictis: fabula enim duplex continet duas contrarias mutationes, alteram proborum ex miseria in felicitatem, alteram improborum ex felicitate in miseriam; sed neutra mutatio est terribilis, ac miserabilis; mutatio enim proborum ex miseria in felicitatem nihil repræsentat mali; mutatio improborum ex felicitate in miseriam non repræsentat aliquos patientes mala indignè; ergo neutra mutatio est satis apta ad pulcherrimam tragoediam constituendam; ergo præferenda est fabula simplex, ac continens vnicam mutationem ex felicitate in miseriam, vt explicatum est.

3 Probatur secundo à posteriori ex signo: videmus enim, quod antiqui poetæ indifferenter eligebant fabulas quascunque simplices, aut duplices, continentes quascunque mutationes ex miseria in felicitatem, vel ex felicitate in miseriam: deinde verò experientia edocti, quod illæ tragœdiæ euadebant pulcherrimæ, quæ continebant fabulas simplices illustrium virorum, qui ex quodam culmine felicitatis in maximas miserias prolapsi sunt, has fabulas eligunt. Et quia paucis viris paucarum illustrium familiarum contigit ex culmine felicitatis in magnas miserias labi, ideo tragoedias scribunt circa viros paucarum familiarum, hoc est circa Alcmæonem, Oedipum, Orestem, Meleagrum, Thyestem, Telephum, aliosque similes, quibus contigit atrocia agere, aut pati; ergo ipsa experientia fuit compertum ad pulcherrimas tragoedias requiri fabulas simplices, per quas illustres viri mutentur ex felicitate in miseriam.

4 *Quamobrem illi quidem decipiuntur ob id ipsum, quo Euripidem damnant, vt qui in Tragœdijs suis illud obseruet, earumque plures in infelicitatem terminentur. Id quod omnino, vt diximus, ex arte est. Argu-*

mento vero illud sit maximo, quòd in scenis, atque adeo in certaminibus, hæ si rectè recitentur, maximè quidem tragicæ apparent: Euripidesque ipse, tametsi aliqua parum rectè dispenset, omnium tamen poetarum maximè tragicus videri potest.

5 *Secundo loco sequitur quæ à nonnullis in primo collocatur, illa ex duplici genere compositio. Quo ex ordine Odyssea est: vt quæ diuersa ratione, partim ex præstantioribus personis, partim ex humilioribus constet. Huic sanè primas tribuit theatralis imperitia. Quippe vates hanc auram sequuntur, componentes quidem ad vota spectatorum. Cæterum voluptas illa non Tragœdiæ, sed Comœdiæ propria est. In hac enim si qui, velut Orestes, & Aegisthus, secundum fabulam inimici fuerint, reconciliata tandem inter se amicitia, neuterque ab altero obtruncatus discedet.*

4 Hinc Aristoteles infert malè quosdam Euripidi vitio vertere, quod in tragoedijs constituat fabulas simplices, quarum pleræque in miseriam desinant. Neque enim hoc reprehensione est dignum, sed laude, vt dictum est. Confirmatur ex signo: videmus enim, quod cum in Theatris, & certaminibus exhibentur actiones continentes fabulas simplices, atque habentes exitum infelicem, apparent maximè tragicæ, nisi in ijs agendis histriones peccent; ergo signum est, quod fabulæ simplices, atque habentes exitum infelicem sunt maximè tragicæ. Confirmatur secundo, quia Euripides licet in alijs non omnino bene tragoedias texat, adhuc quia constituit fabulas simplices, & habentes exitum infelicem, apparet maximè tragicus poetarum; ergo &c.

5 Quandoquidem prima, & optima fabula tragica est simplex, vt probatum est, fabula duplex tenebit secundum locum, non autem primum, vt quidam existimant. Exemplum fabulæ duplicis esse potest Odyssea Homeri, quæ repræsentat duo genera personarum, quasdam bonas, quales sunt Vlysses, Penelopes, ac Telemachus; quasdam malas, quales sunt Proci, & ancillæ Penelopis: Vlysses autem, Penelopes, & Telemachus ex miseria transeunt ad felicitatem: Proci, & Ancillæ ex felicitate transeunt in miseriam. Ratio, cur fabula duplex licet sit secunda, quibusdam videatur prima, desumitur ex imperitia spectatorum. Quia enim spectatores non discernentes voluptatem fabulæ Tragicæ debere oriri ex repræsentatione miserabilium, ac terribilium, delectantur cum vident bonos ex miseria transire in felicitatem, malos ex felicitate transire ad miseriam, quæ voluptas non est propria tragoediæ, sed potius comoediæ, ideo poetæ moremgerentes spectatoribus non secundum artem tales fabulas constituunt. At hæc voluptas cum non oritur ex repræsentatione miserabiliũ, ac terribilium, non est propria tragoediæ, sed potius comoediæ, cuius est voluptatem afferre spectatoribus, non ex repræsentatione terribilium, ac miserabilium, sed potius ex eo, quod res habeant eum euentum, quem spectatores vellent habere. Et quia spectatores lætantur, cum vident inimicos reconciliari, ideo in Comoedijs etiamsi aliqui fuerint inimici non minus, quam inimici fuerint Orestes, & Aegisthus, in fine comoediæ redeunt in gratiam, & amicitiam, nec vllus interficitur.

Vtrum melius sit, vt actio tragica terribilis sit, ac miserabilis propter apparatum scenæ, vel propter constitutionem fabulæ? Cap. XI. Articulus III.

6 *Terrificum vero illud, atque miserandum, tum ab apparatu scenæ proficiscitur, tum à rerum compositione: id quod multo præstantius, meliorisque vatis est.*

7 *Sic enim fabulam contexuisse oportet, vt etiam sublato spectaculo quis, quæ geri contigerunt, percipiens planè exhorreat, misereaturue: quibus apprimè duobus qui fabulam Oedipodis cognouerit, afficietur. Illud autem, quod ad spectaculum pertinet, minus sanè operosum est, & impendio indiget.*

8 *Proinde, qui non terrificum illud, sed portentosum duntaxat spectaculo exhibent, alieni prorsus à Tragœdia habendi sunt. Quippe delectatio non omnifariam à Tragœdia, sed quæ tantum propria ei fuerit, quærenda est. Quoniam autem à timore, misericordiaue talem delectationem per imitationem poeta parare debet, satis quidem*

dem apparet in ipsis rebus id esse inserendum.

6 **D**Ictum est voluptatem tragoediæ propriam esse, quæ resultat ex repræsentatione terribilium, ac miserabilium. Iam quia quæ repræsentantur possunt videri terribilia, ac miserabilia, vel propter apparatum scenæ, vel propter constitutionem rerum, quæritur tertio, vtrum ad pulcherrimam tragoediam melius sit, vt quæ representantur sint terribilia, ac miserabilia propter apparatum scenæ, an potius propter constitutionem rerum?

Dicendum, quod melius est, & poetæ melioris, vt quæ repræsentantur sint terribilia, & miserabilia propter constitutionem rerum, quam propter apparatum scenæ.

7 Probatur, quia melius est, ac melioris poetæ, vt tragoedia sit terribilis, & miserabilis propter ea, quæ sunt propria artis poeticæ, ac pendent ab ingenio scribentis, nullosque requirunt sumptus, quam propter ea, quæ non pendent ab artificio poetico, ac magnos requirunt sumptus; sed apparatus scenæ non pendet ab arte poetica, ac magnos requirit sumptus; constitutio rerum vnicè pendet ab arte, ac ingenio poetæ, ac nullos requirit sumptus; ergo &c. Debet igitur poeta sic fabulam constituere, vt qui audit res, quæ fiunt, misericordia, & horrore quodam concutiatur propter ea, quæ audit, eo pacto quo misericordia, & horrore concutimur, cum audimus ea, quæ Oedipo contigisse narrantur in tragoedia Sophoclis, quæ inscribitur Oedipus Tyrannus, cuius argumentum breuiter explicatum est cap. 9. num. 3.

8 Infertur, quod illa voluptas, quæ oritur ex apparatu non solum terribili, sed etiam monstroso, non est propria tragoediæ. Videtur verò Aristoteles hoc loco sugillare Æschylum, qui in tragoedia, quā Eumenides inscripsit, produxit in scenam Eumenides in speciem tam terribiles, ac monstrosas, vt magnum populo, ac præsertim mulieribus terrorem incusserit, ex quo deinde magna voluptas extitit. Verum Poeta non debet quamcumque spectatoribus voluptatem afferre, sed eam tantum, quæ est propria tragoediæ; sed voluptas tragoediæ propria oritur ex repræsentatione rerum ex se terribilium, ac miserabilium; ergo poeta debet voluptatem spectatoribus afferre per repræsentationem rerum terribilium, ac miserabiliū.

Qui nam euentus sint magis, aut minus terribiles, ac miserabiles, adeoque magis, aut minus pulcherrimæ Tragœdiæ accommodati? Cap. XI. Art. IV.

9 **D**E *rebus itaque contingentibus, quæ terrifici, quæue miserabilis speciem allaturæ sint, deinceps dicere aggrediamur.*

10 *Necesse autem est huiusmodi actiones, vel amicorum inuicem, hostium, siue etiam neutrorum esse. Itaque si hostis hostem obtruncet, obtruncaturusue sit, nequaquam miserabile illud, præterquam necis ipso affectu, assequetur: idque sequetur, si inter neutros id accidat. Perturbationes vero ipsæ, quando euenerint inter necessarios, veluti si frater fratrem, filius patrem, mater filium, filius matrem vel necet, vel necaturus sit, aut etiam tale quid facinus patret, patraturusue sit, captanda sunt.*

9 **E**X dictis oritur quarta quæstio. Quia enim Poeta debet ita fabulam texere, vt spectatores moueantur ad misericordiam, & metum, non propter apparatum scenæ, sed propter ea, quæ accidunt, quæritur, qui nam euentus atroces sint magis, aut minus terribiles, ac miserabiles, adeoque magis, aut minus pulcherrimæ tragoediæ accommodati?

10 Dicendum primo, quod cum quis possit atrocia pati, vel ab amicis, vel ab inimicis, vel à neutris, pulcherrimæ tragoediæ maximè sunt accommodati illi euentus, per quos quis patitur ab ijs, cum quibus est necessitudine coniunctus: puta cum frater interficit fratrem, vel filius patrem, aut matrem, vel pater, aut mater filium &c. Ratio est, quia illi euentus magis sunt pulcherrimæ tragoediæ accommodati, qui sunt magis miserabiles; sed magis miserabile est quod quis interficiatur à consanguineis quam ab inimicis, vel neutris; ergo &c. Probatur minor: quod enim quis interficiatur ab inimicis, vel neutris, solum est miserabile propter malum, quod patitur: at quod interficiatur à paren-

parente, non solum est miserabile propter malum, quod patitur, sed etiam quia patitur ab eo, à quo non debuerat.

11 *Proinde receptas fabulas mutare non licet: verbi gratia, Clytæmnestram ab Oreste extinctam, Eriphylen ab Alcmæone: quas sanè inuenire, atque susceptis iam rectè vti oportet.*

12 *Id autem, quod diximus rectè, exactius declarandum. Fit enim interdum sic ipsa actio, quod antiqui obseruabant, perinde ac ab scientibus, & agnoscentibus: vt Euripides fecit, qui filios necantem Medeam induxit. Fit etiam ab ignorantibus quidem vim facinoris, agnituris vero mox necessitudinem, qualis Sophocleus est Oedipus: id quod omnino est extra Tragœdiam. In Tragœdia vero ipsa, vt Alcmæonem Astydamas, Telegonusue in Vlysse vulnerato. Tertius præterea modus est, per ignorantiam: videlicet debere aliquem hæc facinora patrare, inter patrandum vero agnoscere. Præter hos nullus est alius, siquidem quid agi, vel non agi, idque à scientibus, vel nescientibus necesse est.*

11 Dicendum secundo, quod cum in argumentum tragœdiæ sumimus fabulas à maioribus acceptas, ac celebres, quando quidem non licet illas dissoluere, ac totaliter inuertere, debemus ijs rectè vti, ita res constituendo, & ordinando, vt euentus repræsentati maximè miserabiles videantur. Explicatur: qui assumit in argumentum tragoediæ Clytæmnestram matrem occisam ab Oreste filio, vel Eryphilem itidem matrem ab Alcumæone filio interfectam, non potest quoad hæc fabulam inuertere. Reliquum igitur est, vt fabula rectè vtatur, atque ita res disponat, vt ea interfectio maximè miserabilis videatur.

12 Sed vt pateat, quænam dispositio rerum reddat euentum magis miserabilem, adeoque magis tragicum, aduertendum est quadrupliciter posse rem disponi. Primus modus est, cum quis facinus atrox patrat, sciens, & volens, vt fit apud antiquos, & etiam apud Euripidem, apud quem Medea mater occidit filios sciens, & volens. Secundus modus est, cum quis ignorans facinus patrat, puta filius parentem interficit, vel vulnerat, ignorans esse parentem, deinde agnoscit, ac dolet, eo pacto, quo apud Sophoclem Oedipus Laium patrem interficit ignorans, deindè verò agnoscit, ac dolet à se parentem interfectum, vt explicatum est cap. 9. num. 3. Sed quia Oedipus interficit Laium non in ipsa fabula, sed multis annis ante, possemus etiam afferre exempla filiorum, qui in ipsis fabulis ignoranter parentes interficiunt, ac deinde agnoscunt, & dolent. Huiusmodi sunt Alcumæon, qui apud Astydamantē ignoranter interficit Eriphylem matrem; & Telegonus Vlyssis ex Circe filius, qui ignoranter Vlyssem patrem vulnerat. Tertius modus est, in quo quis cum iamiam esset facinus ignoranter patraturus, antequam faciat, agnoscit, ac non facit. Potest his addi quartus modus, cum quis tentat sciēter facinus committere, sed non committit, quia non potest. Alius modus præter hos non est possibilis. Vel enim quis facinus absoluit, vel non: si absoluit, vel absoluit sciens, & est primus modus, vel ignorans, & est secundus modus: si non absoluit, vel non absoluit ignorans, & est tertius modus, vel sciens, & est quartus modus; ergo nullus superest modus, qui non reducatur ad quatuor assignatos. Hoc posito.

13 *E quibus facinus prudentem aggredi, minime vero perficere est absurdum: cum non tragicum quidem, velut perturbationis expers, sed omnino scelerosum præ se ferat. Quo fit, vt huiusmodi actionem sequatur nemo, vel certe rarissima fit inuentu, vt in Antigone Creontem Æmon fecit. Proximum huic erit, scelus patrare. Quo sanè potius est imprudentem quidem patrare, patrantem vero agnoscere. Etenim & a facinore scelus abest, & ipsa plane agnitio stuporis est plena. Nouissimum vero præstantissimum est: exempli gratia in Cresphonte Merope filium interficere debet, non autem interficit: ita etiam & in Iphigenia soror fratrem; in Helle filius matrem abalienaturus agnoscit.*

14 *Quapropter (sicuti iampridem diximus) multarum familiarum Tragœdiæ non sunt. Siquidem quærentes non ab arte quidem, sed à fortuna mutuati sunt ita fabulas contexere. Itaque fit, vt inuiti cogamur ad easdem sæpius familias recidere: quibus videlicet huiusmodi perturbationes contigere. Igitur iam quales esse fabulas oporteat, satis iam dictum.*

Dicen-

13 Dicendum tertio: pessimus modus est, cum quis scienter conatur facinus cõmittere, & iamiam videtur commissurus, sed non committit: minus malus est, cum facinus committit scienter: adhuc melior modus est, cum committit ignoranter, sed post re cognita, sero, ac frustra dolet: optimus omnium modorum, ac pulcherrimæ tragoediæ maximè accommodatus est, cum quis iam facinus propter ignorantiam patraturus, re cognita non facit.

Probatur conclusio per singulas partes, & primo quidem quod pessimus modus est, cum quis scienter conatur facinus patrare, puta parentem interficere, ac deinde non interficit: pessimus enim modus constituendi fabulam tragicam est; qui mouet quidem ad indignationem propter sceleris atrocitatem, at non mouet ad misericordiam, quia non sequitur passio, vel mors; sed cum filius ex. gr. conatur scienter parentem interficere, ac non interficit, quia non potest, scelus filij apparet ita atrox, vt moueat ad indignationem, parens verò, cum mortem effugiat, non mouet ad misericordiam; ergo &c. Confirmatur à posteriori ex signo: videmus enim, quod raro admodum poetæ ita constituerunt fabulam, vt quis conetur scienter facinus patrare, & non patret. Eo tamen modo vsus est Sophocles in Antigone, in qua Aemon filius conatur Creontem Patrem interficere, nec interficit, quia Creon ictum vitat, & fuga sibi consulit. Probatur iam secunda, & tertia pars, quod nimirum minus malus modus sit, cum ita fabula constituitur, vt quis facinus, quod scienter aggreditur, patret, & adhuc melior sit, cum facinus facit ignoranter, deinde agnoscit, & dolet. Cum enim quis facinus atrox facit scienter, puta cum Medea filios interficit scienter, licet sceleris immanitas moueat ad indignationem, passio eius, qui interficitur, puta mors filiorum Medeæ mouet ad misericordiam. Cum verò quis facinus patrat ex ignorantia, abest atrocitas mouens ad indignationem, & miseremur tum eius, qui patitur, & interficitur, tum eius, qui ignoranter interficit, & cum is rem sero cognoscit, ac dolet, accidit stupor, & augetur miseratio. Probatur demum quarta pars, quod nimirum optimus modus sit, cum fabula ita constituitur, vt cum quis iam ex ignorantia facinus est patraturus, re cognita, non patret. Cum enim videmus aliquem ex ignorantia iamiam facinus patraturum, ita vt nulla supersit spes euadendi, timore, ac misericordia incredibiliter concutimur; & ex alia parte si insperato impediatur à facinore, abest omnis atrocitas, & indignatio; ergo hic modus fabulam constituendi est optimus, & ad tragœdiam aptissimus. Tria modi huius exempla Aristoteles affert. Primus desumitur ex Cresphonte Euripidis, quæ tragoedia non extat, in qua Meropes Telephontem filium, quem putat hostem, iamiam interfectura, agnoscit, ac facinus non patrat. Narrat autem Plutarchus in libello secundo de carnibus vorandis, quod cum ea tragœdia haberetur, ac Meropes securim in filium sustulisset; voce etiam edita, qua suum in eum odium significauit, totus populus cohorruit, atque incredibili miseratione est concussus. Secundum exemplum desumitur ex Iphigenia in Tauris eiusdem Euripidis, in qua Iphigenia soror Orestem fratrem, quem non cognoscebat, iam iam immolatura, re cognita seruat incolumem, vt magis explicatur infra cap. 13. num. 3. Tertium desumitur ex quadam tragoedia, quæ inscribebatur Helle, quæ non extat, & cuius auctor ignoratur, in qua filius matrem ex ignorantia interfecturus agnoscit, atque à facinore desistit.

14 Quia pulcherrimæ fabulæ sunt, in quibus viri principes patiuntur à maximè coniunctis, puta à parentibus, vel filijs, paucis verò familijs hoc accidit, ideo præcipuæ tragoediæ versantur circa paucas familias: quærentibus nimirum poetis argumenta tragoediarum à casu magis, quam ab arte. Et hæc de constitutione rerum, ac fabularum ad pulcherrimas tragoedias conficiendas, dicta sufficiant.

Quænam circa mores, ac circa solutionem fabulæ obseruanda sint ad pulcherrimas tragœdias constituendas. Caput XII.

1 *Quantum ad mores, quatuor sane sunt quæ indigent consideratione. Eorum vnum, idque primum est, vt probitatem præ se ferant.*

Vnum-

2 *Vtcumque enim mos inerit, si, quemadmodum dictum est, tum sermo, tum actio animi propositum, qualecunque fuerit, indicauerit: improbus quidem si improbum, probus si probum: id vero inest in vnoquoque genere. Nam & mulier proba est, & seruus: tametsi fortasse hoc deterius, illud omnino improbum sit.*

3 *Secundo loco sequitur, vt conuenientes sint. Fortitudo enim mos est: sed esse, vel fortem, vel prudentem, vtique mulieri non conuenit. Tertio, vt constent sibi. Est enim separatum hoc ab eo, quod est præ se ferre per mores probitatem, conueniensque seruare. Quarto, vt æquali tenore procedant. Quanquam enim histrio, vt qui talem personam induerit, inæqualis appareat, omnino tamen illa inæqualitas æquabiliter perpetuo regenda.*

4 *Exemplum improbi moris sit alioqui minime necessarium, verbi gratia in Oreste Menelaus: indecori, atque inconuenientis, Vlyssis eiulatio in Scylla, Menalippesque sermo: inæquabilis, Iphigenia in Aulide, vt cui posterior supplicatio priori non consonet.*

1 EXplicatis ijs, quæ spectant ad optimam constitutionem rerum, descendit Aristoteles ad explicanda ea, quæ circa mores sunt obseruanda ad hoc, vt tragoedia euadat pulcherrima. Docet ergo circa mores quatuor esse obseruanda, quorum primum est, vt singuli patefaciant mores bonos potius, quam malos. Vt hoc, & alia ad mores spectantia Aristoteles explicet, primo præmittit tria, quæ sunt supponenda: secundo affert quatuor, quæ circa mores sunt obseruanda, ac proponit exempla eorum, qui contra ipsa peccarunt: tertio explicat, quo pacto actiones secundum mores sint ordinandæ: quarto infert qualis debeat esse solutio fabulæ: quinto demum addit alia duo præcepta circa mores.

2 Quoad primum: tria sunt supponenda. Primo supponendum est tragoediam debere esse moratam, ideoque dictum est cap. 4. mores esse secundam tragoediæ partem inter eas, quæ qualitatis dicuntur. Secundo supponendum est, quod tragoediam esse moratam nihil est aliud, quam quod personæ, quæ repræsentantur in scena vt loquentes, & agentes, per orationem, & facta patefaciant electionem animi bonam, vel malam, per quam nimirum honesta, vel inhonesta certo, ac deliberato consilio sectantur. Tragoedia igitur erit bonis moribus imbuta, cum personæ, quæ repræsentantur, per ea, quæ dicunt, ac faciunt, indicant se habere electionem honestam, & bonam: erit malis moribus imbuta, cum indicant se habere electionem inhonestam, ac malam.

Tertio supponendum, quod vnusquisque potest esse bonus, & malus in suo genere: ex gr. non solum vir potest esse bonus, sed etiam mulier, licet sit imperfectior viro: seruus autem licet videatur simpliciter imperfectus, & quodammodo malus, adhuc potest esse bonus in genere serui.

3 Quoad secundum: His suppositis, quatuor circa mores sunt obseruanda ad pulcherrimam tragoediam constituendam. Primum est, vt sicut num. 1. dicebamus, singuli habeant, & patefaciant mores in suo genere bonos potius, quam malos, in quantum fabula fert: imo propter hoc ipsum fabula ita est constituenda, vt singuli possint habere, & exprimere bonos mores potius, quam malos. Ratio est, quia imitatio proborum morum confert plurimum ad bene formandos mores spectatorum. Secundum est, vt singuli exprimant mores ipsis conuenientes, puta mulier exprimat mores conuenientes mulieri &c. Licet enim in viro mos laudabilis sit *esse fortem, atque terribilem*, tamen hic mos non est conueniens mulieri, adeoque non est illi affingendus. Tertium est, vt habeant mores similes, puta si inducitur Græcus, vel barbarus, debet habere mores similes moribus Græcorum, & Barbarorum: si inducitur Achilles, aut Paris, debent habere tales mores, quales homines ex fama persuadent sibi habuisse Achillem, ac Paridem: Ex hoc patet, quod *habere mores similes* aliud est, ac *habere mores bonos, ac conuenientes*. Posset enim Græcus induci habens mores bonos, & conuenientes viro, sed non similes moribus Græcorum. Quartum est, vt habeant mores æquales, ac cohærentes. Si igitur accidat, vt quis personam gerat alicuius in moribus inæqualis, atque inconstantis, in hac ipsa inæqualitate, atque inconstantia fingi debet æqualis, ac constans.

4 Exempla tragoediarum, in quibus peccatum est contra quatuor allatas conditio-

ditio-

ditiones morum possumus afferre præsertim ex Euripide. Hic igitur in Oreste peccauit contra primam conditionem fingendi mores bonos potius, quam malos,quia sine vlla necessitate finxit Menelaum, vt valde improbum: in quo videtur etiam peccasse contra tertiam conditionem,quia affinxit Menelao mores dissimiles, siquidem fama constat Menelaum non fuisse malis,sed bonis potius moribus præditum. Contra secundam conditionem fingendi mores conuenientes peccauit quidam Poeta, qui inducit Vlyssem, dum Scyllam, ac Charibdim præternauigaret, in lamentationem quamdam erumpentem, quæ virum fortem, qualis Vlysses fuit, non decet. Peccauit etiam Euripides,apud quem Menalippes puella duos infantes furtim conceptos, furtim enixa, cum Pater illos in stabulo inuenisset, orationem habet, qua rationibus ex intima philosophia petitis, conatur parenti suadere potuisse illos ex bobus oriri. Demum contra quartam conditionem fingendi mores æquales peccauit Euripides in tragoedia, quæ inscribitur *Iphigenia in Aulide*,apud quem Iphigenia exhibet mores valde inæquales: siquidem illa eadem, quæ initio fingitur valde timida, ac mortem reformidans, ac deprecans, in postrema parte tragoediæ fingitur magna, ac plusquam virili fortitudine, & constantia oppetens mortem.

5 *Et sanè in moribus, sicut in ipsa rerum compositione, tum necessarium, tum verisimile exquirendum est, atque etiam vti necessario, verisimiliue ordine cuncta procedant.*

6 *Quare manifestum est, fabularum solutiones ex ipsismet potissimum fabulis proficisci debere, non autem ab aliquo artificioso: vt in Medea, & in Iliade illa per nauigationem. Quo sanè artificioso vtendum in ijs, quæ extra Tragœdiam sunt: quæcunque videlicet vel prius fuere, quæ neutiquam fieri potest, vt alio pacto ad humanam peruenerint notitiam, vel quæ futura denuntiatione, diuinationeue indigeant: quandoquidem Deos cuncta inspicere, satis quidem apud nos constat. Quodcunque vero rationi consentaneum minus sit, explodendum quidem ab ipsis actionibus: si non prorsus, at à Tragœdia: vt est in Sophoclis Oedipode.*


7 *Cum vero Tragœdia præstantiorum imitatio sit, par fuerit quoque nos ab excellentium pictorum more non discedere, qui dum proprias, verisque simillimas imagines referre student, pulchriores sanè depingunt. Ita etiam poeta, iracundos videlicet, desidesque dum imitatur, huiusmodique alia circa mores habentes, probitatis quidem, atque iracundiæ sibi exemplum proponere debet: velut fortem Achillem, vt ipse Homerus. Hæc profecto seruare oportet, insuperque sensus ipsos, qui Poeticam consequuntur, præter illa, quæ necessaria sunt. Etenim in his fallimur sæpenumero. Sed in sermonibus iam editis satis dictum de his.*

5 Quoad tertium: non solum mores debent esse quales descripsimus, sed etiam debent rectè cum rebus ordinari.Sicut igitur res debent ita constitui, vt ex eo,quod ante factum est,sequatur necessario,vel verisimiliter id,quod nunc fit; sic mores debent ita fingi, & ordinari, vt ex eo, quod quis sit talibus moribus præditus, necessario, vel verisimiliter sequatur, quod talia agat, ac dicat, adeoque necessarium,ac verisimile sit,vt postquam hoc dixit,ac fecit, faciat, ac dicat hoc aliud.

6 Quoad quartum: ex ijs, quæ dicta sunt de ordinatione rerum,ac morum,potest obiter inferri,quid sit dicendum de solutione fabulæ. Sicut res debent ita ordinari, vt ex vna sequatur altera necessario, vel verisimiliter, sic ipsa fabulæ solutio debet sequi ex ijs, quæ aguntur, non autem fabula debet solui per machinam,inducto in scenam aliquo Deo. Duo exempla tragoediarum, in quibus fabulæ nodus per machinam soluitur,Aristoteles affert. Primum est Medeæ Euripidis,in qua Medea, cum de Iasone vltionem suscepisset, ac septa muris Corinthi ex manibus Iasonis effugere non posset, ad hunc nodum soluendum aduocatur machina. Accepto enim à Sole curru, Medea conatus Iasonis eludit, ac fugit. Secundum desumitur ex quadam tragoedia,in qua agebatur de reditu, seu renauigatione Græcorum in patriam,post Troiam expugnatam, in qua similiter nodus soluebatur per machinam: sed quia hæc tragoedia non extat, qui nam esset nodus,& quæ ipsius solutio diuinare non possumus. Aliquando possumus per machinam, vel alia ratione, aliquem Deum inducere ad patefaciendum ali-

aliquid, quod extra fabulam sit, atque ab hominibus sciri nequeat, pum ad reuelandum aliquid occultum multo tempore antea factum, vel quod tempore Dramatis in loco longinquo fieri fingitur, vel ad prænunciandum aliquid futurum, ac post faciendum. Ratio est, quia hæc humanam scientiam superant; ergo non indecorè ad ea patefacienda inducitur aliquis ex Dijs, quos Gentiles censebant omniscios. Secundum est, quod debemus cauere, ne quid quam absurdum, aut inuerisimile fingamus. Si verò aliquid absurdum, aut inuerisimile sit fingendum, curandum, vt sit extra fabulam, eo quod supponatur vt alio tempore gestum. Ita Sophocles quandoquidem minus verisimiliter coactus est fingere, quod Oedipus, qui Laio paulo ante extincto successit in regnum, ignoraret, quo genere mortis, & quo loco Laius fuisset occisus, hanc verisimilitudinem posuit extra fabulam, fingens Oedipum tum cum factus fuit Rex, de nece Laij non interrogasse.

7 Quoad quintum: circa expressionem morum duo præcepta sunt addenda. Primum est, quod quia tragœdia est imitatio meliorum secundum mores, qui spectant ad animum, sequi debemus præstantes pictores, qui imitantur corpora secundum exteriorem speciem, ac formam. Sicut igitur pictores cum alicuius imaginem pingunt, ita conantur facere similem, vt faciant pulchriorem; sic Poeta cum imitatur iracundos, vel mansuetos, & alio modo se habentes in moribus, ita debet facere similes, vt faciat meliores, eo pacto, quo Homerus, & Agathon ita finxerunt Achillem summè iracundum, vt eum in ipsa iracundia bonis moribus præditum expresserint. Secundum est, quod quia tragœdiæ debent in scena sensibus repræsentari, Poeta in tragœdijs pangendis debet curare, vt tali repræsentationi sint accommodatæ, ideoque multi poetarum peccant, quia tragœdias scribunt tales, vt non sint idoneæ, quæ sensibus in scena repræsententur, vt dictum est in alijs libris a nobis editis.



Quot sint modi, seu species agnitionum, & quæ sit pulcherrima agnitio. Cap. XIII.

1 *SAnè quid sit agnitio, superius declarauimus: nunc vero de ipsius generibus.*

2 *Primum quidem, vt est minime artificiosum, ita a plurimis vsurpatum, aut per dubitationem fit, aut per signa. Horum rursus ingenita aliqua: verbi gratia lancea, quam Terrigenæ gestare solent, vel astra, qualia in Thyeste Carcinus: aduentitia aliqua, sed hæc vel in corpore, vt per cicatrices, vel extrinsecus, vt per monilia, per torques, &, vt in Tyro, per scapham. Possumus autem melioribus his vti, itemque deterioribus: verbi gratia ex cicatrice quidem Vlysses agnoscitur, non tamen eodem modo à nutrice, & à subulcis: quandoquidem hæc fidei faciendæ gratia, artificij sunt expertia, cæteraque huiusmodi: quæ vero ex peripetia, qualia in niptris, meliora.*

3 *Ordine huic proxima sunt quæ, quoniam à poetis confinguntur, artificio non carent: qualis in Iphigenia Orestes qui & sororem agnouit, & agnitus ab ea est: agnouit quidem ex epistola, agnitus autem ex indicijs. Hæc itaque pro arbitrio poeta profert, non ipsa fabula, ideoque in peccatum supra dictum facilem lapsum habent. Quippe nonnulla afferre permissum est: vt in Sophoclis Tereo radij vox.*

1 QVia ad pulcherrimam tragœdiam summopere refert, vt in ea detur agnitio personæ, eaque optimo modo fiat, quandoquidem supra cap. 9. num 4. explicauimus, quid sit agnitio, ac quorum sit, proponere hic debemus, quot sint modi, seu species agnitionis personarum, ac deinde examinare, qui modus sit optimus, atque pulcherrimæ tragœdiæ accommodatissimus.

2 Modi, seu species agnitionis personarum reduci possunt ad quinque. Primus, ac maximè expers artis, & quo vtuntur plurimi, quia non occurrit illis modus melior, est per quem quis agnoscitur ex signis. Signa alia sunt innata, alia aduentitia.

tia. Signa innata sunt, cum quibus quis natus est: qualis erat lancea, quam ab ipsa natiuitate impressam in corpore gerebant Thebis, qui dicebantur Terrigenæ, eo quod ex terra censerentur exorti, quippe qui originem trahebant ab aliquo ex ijs, qui orti erant ex dentibus à Cadmo seminatis; & quales erant stellæ, quæ ab ipsa natiuitate apparebant in corpore filiorum Thyestis, vt fingit Carcinus in quadam sua tragœdia, per quas Thyestes filios à se voratos agnouit. Signa aduentitia sunt cum quibus quis natus non est. Ex his quædam sunt in ipso corpore impressa, vt cicatrices: quædam sunt extrinseca, vt monilia, & cunæ, per quas facta fuit quædam agnitio in tragœdia, quæ inscribebatur Tyrus, quæ tragoedia amplius non extat. Possumus his signis ad agnitionem fingendam melius, vel deterius vti. Et quidem melior est agnitio, si quis aliquod signum aduertens, personam agnoscat; est deterior, si quis hæc signa patefaciat, vt agnoscatur. Explicatur exemplo. Fingit Homerus in corpore Vlyssis fuisse cicatricem ex vulnere ab Apro quondam accepto. Ex hoc signo diuersa ratione agnoscitur primo quidem à Subulcis, deinde verò ab Euryclea Vlyssis nutrice. Nam à subulcis agnoscitur Vlysse cicatricem ostendente, vt agnosceretur; ab Euryclea verò agnoscitur casu, dum pedes Vlyssis lauat, in cicatricem oculos conijciente, ideoque hæc agnitio nutricis est multo pulchrior.

3 Secundus modus agnitionis est, cum quis agnoscitur sine signis per ea, quæ Poeta confingit dici, ac fieri ad hoc, vt fiat agnitio, cum alioquin series fabulæ non postulet hæc dici, vel fieri, ideoque est expers artis. Duo huius agnitionis exempla Aristoteles affert. Primum desumitur ex Euripidis Iphigenia in Tauris, in qua postquam Iphigenia fuit agnita ab Oreste fratre ex epistola, & propter ipsam seriem rerum, vt explicabitur paulo post num. 6. cum agemus de quinta specie agnitionis, ipsa agnoscit Orestem per ea, quæ Orestes dicit, vt agnoscatur. Dicit autem Orestes quæ Poeta vult, cum fabulæ series non postulet, vt dicat potius hæc, quam alia, ideoque hæc agnitio affinis est culpæ, cum potuissent æquè benè alia dici. Secundum exemplum desumitur ex Tereo Sophoclis, quæ tragœdia non extat. Fortasse fabula erat ita conficta: Tereus cum vim intulisset Philomelæ, illique linguam abscidisset, ne posset iniuriam acceptam eloqui, duxit illam in Thraciam, eamque tanquam ancillam deposuit apud Lathusam Lyncei regis vxorem, apud quam exercebat opus texendi. Casu accidit, vt Prognes Philomelæ soror ad Lathusam, cui hospitij iure erat coniuncta, diuerteret, ac cum apud ipsam hospitaretur, audiret vocem radij Philomelæ texentis, ac vellet illam videre, ad eamque ducta sororem agnosceret. Prognes igitur sororem agnoscit ex voce radij, quā auditam fingit poeta, vt fiat agnitio, cum posset ad eumdem finem plura alia confingere, siquidem series fabulæ non postulat vnum potius, quam aliud.

4 *Tertium per reminiscentiam fit, dum spectando aliquid, in animum quid reuocamus: quemadmodum in Dicæogenis Cyprijs, picturam quidem ille inspiciens ingemuit: & in sermone apud Alcinoum audiens citharœdum Vlysses, ex recordatione fleuit, vel agnitus est.*

5 *Quartum per syllogismum, vt in Choephoris, quòd similis quidam accessit: similis autem præter Orestem nemo: Orestes ergo accessit. Tum quod Polyidis de Iphigenia est. Verisimile est enim ratiocinatum fuisse Orestem, quòd, cum immolata soror fuerit, sibi quoque vt immoletur contingeret. Tale est illud in Theodectæ Tydeo, veniens ille, quasi natum inuenturus extinguitur: & in Phœnissis, quæ locum conspicatæ, instare sibi fatum propterea commentæ sunt, quoniam in fatis haberent, ibi debere mori: etenim in eo fuerunt exposita. Huic & adiungitur illud, quod in theatro per paralogismum fit: exempli gratia in Vlysse falso nuncio, hic quidem arcum cogniturum se dixit: ille vero tanquam arcu cognoscendo ab eo, propterea paralogismum facit.*

6 *Omnium vero optime ex parte rerum agnitio est: à qua videlicet ex verisimilibus admiratio ipsa paritur: qualis illa in Sophoclis Oedipode, & in Iphigenia. Siquidem verisimile est literas hanc mittere cupiuisse. Huiusmodi enim solæ absque vllo vel impresso signo, aut etiam extrinsecus, vt monile, fiunt. Ab his vero probantur, quæ ex syllogismo.*

4 Tertius modus agnitionis est, cum quis ex eo, quod aliquid videat, vel audiat

diat, recordatus veterum suarum fortunarum, in quosdam actus erumpit, quibus se prodit, ita vt agnoscatur. Duo exempla Aristoteles affert. Primum desumitur ex Cyprijs Dicæogenis, quod opus non extat. In eo quidam cum videret picturam, in qua fortasse representabatur aliquod infortunium ad ipsum spectans, in ploratum erumpit, & agnoscitur. Secundum exemplum desumitur ex Odyssea Homeri, in qua Vlysses naufragus ab Alcinoo-Rege Phæacum hospitio exceptus, audiens Citharœdum canentem fortunas Græcorum apud Troiam, recordatus suarum fortunarum lachrymas nequit continere, & agnoscitur.

5 Quartus modus est, cum ex eo, quod quis aliquid facit, ac dicit, alter syllogizat, & concludens, quis sit, eum agnoscit. Quatuor exempla Aristoteles affert. Primum desumitur ex Chleophoris Aeschyli tragoedia. Orestes cum in patriam rediisset vltionem de Agamemnonis Patris nece sumpturus, diuertit ad Agamemnonis sepulchrum manes parentis placaturus, atque ibi cæsariem ritu Gentilium relinquit. Non multo post Electra soror Orestis ad Agamemnonis bustum accedit cum grege ancillarum, ac cæsarie inuenta, cum aduertisset illam esse similem comæ ipsius Electræ in colore capillorum, syllogizat: *Venit aliquis habens cæsariem similem meæ comæ; non est alius, qui talem habeat cæsariem, nisi Orestes frater meus; ergo venit Orestes frater meus*. Secundum exemplum desumitur ex Iphigenia Polyidis sophistæ, quæ tragoedia non extat. Venerat Orestes cum Pylade amico in Tauros, vbi aduenæ ad ea loca appulsi Dianæ mactabantur ab Iphigenia ijs sacris præposita, & simul capti alteruter eorum destinatur neci. Oritur contentio vter debeat sacrificari. Orestes dicit sibi id fatum deberi, siquidem & ipsius soror iam dudum fuerat immolata. Ex hoc syllogizat Iphigenia: *Hic est Græcus, & soror ipsius fuit immolata; sed ex Græcis nulla alia fuit immolata, nisi ego; ergo hic est frater meus Orestes*, Et sic syllogismo Germanum agnoscit. Tertium exemplum desumitur ex Tydeo Theodectis, quæ tragoedia non extat. Videtur verò fabula ita conficta. Venerat quidam, vt filium, quem amiserat, inueniret, atque eo ex varijs casibus res erat deducta, vt ipse ad mortem damnaretur. Iam ad necem ducendus de suo infortunio conquerens dicit: *Ego veneram vt filium inuenirem, & ecce ipse morti destinor*. Audit filius, qui forte aderat, & ratiocinatur: *Hic filium amisit; sed ego cum essem infans amissus fui à Patre meo; ergo verisimile est hunc esse meum patrem*; & hoc syllogismo parentem agnoscit. Quartum exemplum desumitur ex fabula quadam, quæ inscribebatur Phænissæ, quæ non extat, eiusque autor nescitur. Videtur verò fabula sic se habuisse. Quædam mulieres, quæ ab infantia in quodam loco fuerant expositæ, ex varijs infortunijs eo fuerant deductæ, vt in eodem loco essent necandæ. Cum in conspectum eius loci venissent, dicunt: *Ita in fatis erat, vt hoc loco moreremur. Ab infantia siquidem hic fuimus expositæ, & tum à morte liberatæ, post tot annos in eundem locum reducimur, vt moriamur.* Audit Pater, vel frater, qui præsens aderat, & ratiocinatur: *Istæ fuerunt ab infantia hic expositæ; meæ filiæ, vel meæ sorores fuerunt hic expositæ; ergo verisimile est has esse meas filias, vel sorores*. Addit Aristoteles dari etiam falsam agnitionem factam ex paralogismo, quo etiam decipiatur Theatrum. Exemplum affert ex quadam tragoedia, quæ non extat, & inscribitur falsus de Vlysse nuncius. Fortasse fabula ita fuit confecta. Quia Penelopes existimans Vlyssem adhuc viuere, nullum procorum volebat ducere in maritum, Proci falsum de Vlysis morte nuncium confingunt. Accedit quidam, qui dicit se esse puerum, qui olim Vlyssem ad bellum Troianum fuerat comitatus, ac narrat Vlyssem mortuum. Vt verò persuadeat se esse illum puerum, dicit: *Afferte ad me varios arcus, & inter ipsos arcum Vlyssis; ego illum agnoscam, quia cum essem puer, illum Domino meo gestabam*. Afferuntur arcus: agnoscit illum fortasse ex signo, de quo fuerat à Procis edoctus. Paralogizat Euclya mater Vlyssis: *Hic agnouit arcum; non potuisset agnoscere, nisi esset puer Vlyssis; ergo hic est puer Vlyssis*, ac verum de eius morte nuncium affert, & dolore, ac desperatione correpta se interficit.

6 Quintus, & optimus modus agnitionis est, cum ex ipsis rebus, quæ fiunt necessario, vel verisimiliter postulante fabulæ serie fit agnitio cum quodam stupore omnium. Duo exempla affert. Primum desumitur ex Sophoclis Oedipo Tyranno,

in quo fabula ita est ordinata, vt ex ijs, quæ necessario, vel verisimiliter aguntur, Oedipus deprehendat se esse filium Laij, ac Iocastes, quorum alterum interfecerat, alteram duxerat in vxorem, vt explicatum est cap. 9. num. 3. Secundum exemplum desumitur ex Euripidis Iphigenia in Tauris, in qua sic fabula concinnatur. Orestes cum Pylade defertur in Tauros, vbi aduenæ mactabantur Dianæ, ac Iphigenia præerat infandis sacris. Capiuntur, ac sacrificio destinantur. Iphigenia comperiens illos esse homines Græcos, impetrat vitam alteri, vt ipsum cum epistola in patriam remittat, atque ore tenus etiam mandata dat Oresti fratri deferenda. Audit Orestes, & cum omnium stupore ex ipsa fabulæ serie sororem agnoscit. Hæc igitur, quæ fit ex fabulæ serie sine vllis signis, vel monilibus, vel alijs a Poeta gratis confictis, & additis, est agnitionum pulcherrima, vt patet ex stupore, quo spectatores, & auditores consternantur. Secundum locum tenet agnitio, quæ fit per syllogismum. Quem locum aliæ teneant, Aristoteles non explicat. Videtur, quod tertium locum teneat, quæ fit per memoriam, vt explicatum est nu. 4: quartum locum teneat, quæ fit per ea, quæ sunt à poeta conficta ad hunc finem: vltimum locum teneat, quæ fit per signa.

Traduntur duo præcepta ad seruandum decorum, & ad bene repræsentandos eos, qui affectibus agitantur. Cap. XIV.

1 *CAeterum constituere fabulas oportet, & ita eas elocutione construere, vt quàm maxime rem ante oculos ponant. Sic enim quæ manifestissima fient poeta inspiciens, perinde ac rebus dum aguntur interfit, cum decorum ipsum inuenerit, tum pugnantia minime illum latere poterunt.*

2 *Argumento sit illud, quod Carcino vitio datur. Etenim Amphiaraus è templo exibat: id vero cum non videret spectator, obscurum fuit. Cecidit autem hic à scena, cunctis ob id spectatoribus indignantibus.*

3 *Proinde quantum fieri potest, fingendum illud, quod ex habitibus naturalibus paratur. Quandoquidem hi maxime suapte natura persuadent, qui perturbationibus affecti sunt. Quo fit, vt exagitatus exagitet, perturbetque verissime perturbatus. Quapropter vel versatilis ingenij viri, vel furore perciti Poetica est. Etenim poetarum aliqui ab ipsa natura ad Poeticam bene formati sunt, aliqui autem a mente abstrahuntur.*

NOn potest tragoedia optimè se habere, nisi in ea seruetur decorum, & nisi vitentur contrarietates. Ad tragoediæ etiã pulchritudinem conducit, vt bene repræsententur ij, qui affectibus agitantur, & vt fabula congruis episodijs, seu digressionibus amplificetur. Aristoteles igitur, vt nihil omittat eorum, quæ ad pulcherrimam tragoediam pertinent, tradit tria præcepta circa hæc.

1 Primum præceptum est: vt Poeta in fabula constituenda, & per elocutionem exornanda, decorum seruet, ac contrarietates euitet, debet sibi in quantum potest ponere ob oculos res, ac si in scena agerentur. Ratio est, quia vt Poeta seruet decorum, ac non fingat incohærentia, ac mutuo repugnantia, debet videre, quid deceat, & quid repugnet, minusque cohæreat cæteris, quæ aguntur; sed si res ipsas sibi ponat ob oculos, ac si agerentur in scena, facilius videbit, quid deceat, nec ipsum latebit, si quid repugnet, minusque cohæreat cæteris, quæ aguntur; ergo &c. Probatur minor: nam spectatores etiam indocti, dum tragoedia agitur, vident quid deceat, ac quid repugnet; ergo multo magis Poetæ si rem sibi proponant ob oculos, ac si ageretur, poterunt hæc aduertere.

2 Confirmatur ex signo: Carcinus enim, quia non sibi proposuit ob oculos fabulam, ac si ageretur, lapsus est, ac repugnantia finxit, ideoque cum haberetur tragoedia in theatro, reprehensus, atque explosus est à populo stomachante incohærentiam eorum, quæ repræsentabantur; ergo &c. Quid sit id, in quo lapsus est Carcinus, ita vt repugnantia finxerit, nec potest videri in eius tragoedia, quæ non extat, nec potest diuinari ex verbis Aristotelis, qui solum innuit incohærentiam versari in hoc, quod Amphiaraus exiuit de templo. Fortasse in fabula fingebatur Amphiaraus clam è templo exiens, ac fugiens: in tragoedia verò habenda inductus fuit Amphiaraus exiens, ac fugiens è templo in talibus circumstantijs, vt ea fuga non posset videri clandestina,

stina, & occulta, quam contrarietatem cum spectatores aduertissent, Carcinum exsibilarunt: qui profecto in hanc incohærentiam non incidisset, si tragoediam scribens, Amphiarai fugam furtiuam, ac si repræsentaretur in scena, sibi ob oculos posuisset.

3 Secundnm præceptum est: vt poeta ad viuum exprimat eos, qui affectibus agitantur, conari debet, vt eorum figuras, ac formas induat, puta vt cum exprimere vult iratum, induat figuram, & affectum hominis irati &c. Ratio est, quia qui aliquid sentiunt, & quibusdam perturbationibus agitantur, propter hoc ipsum ex natura rei sunt magis apti ad similes sensus, & affectus in alijs excitandos, persuadendo alijs, quod ipsi sentiunt, atque alios perturbando affectibus, quibus ipsi agitantur: ex.gr. qui fluctuant, aut irascuntur facile alios mouent ad similem fluctuationem, & iram; ergo ad hoc, vt Poeta ita exprimat ad viuum homines affectibus agitatos, vt spectatores perturbet, debet ipse figuras, & affectus perturbatorum induere. Hinc Aristoteles infert illos ad poesim esse maximè aptos ex natura sua, qui vel valde sunt ingeniosi, vel sunt fanatici, ita vt facile affectibus in modum furentium agitentur. Ratio est, quia Poesis est imitatio; sed ad hoc, vt quis sit aptus ad imitandum, requiritur, vt vel facile possit induere affectus, atque habitus eorum, quos debet imitari, quod est proprium fanatici; vel vt licet non induat tales affectus, possit videre, quænam conueniant ijs, qui affectibus agitantur, quod est proprium ingeniosi; ergo ad hoc, vt quis sit naturaliter aptus ad poesim, debet esse vel fanaticus, vel valde ingeniosus.

Traditur tertium præceptum ad fabulam congruis Episodijs, seu digressionibus amplificandam. Cap. XV.

1 *Caeterum confictos sermones oportet etiam confingentem ipsum vniuerse explicare, moxque Episodijs ad hunc modum vti, ac rem deducere. Ad hunc vero modum vniuersale illud speculari oportere dico, verbi gratia Iphigenia. Constituta ad aras quedam virgo, atque ex oculis sacrificantium clam surrepta, delata vero in aliam regionem, in qua Dea hospitum sacrificia ex lege debebantur, eius sacri ministerio ipsa præposita est. Procedente tempore sacerdotis fratri illuc accedere contigit: cur autem contigerit, vt ipsum Deus ob quandam culpam venire illuc impulerit, extra vniuersale est: quorsum vero, extra fabulam. Itaque cum accessisset, captus, immolandusque mox sororem agnouit: siue vt Euripides finxit, siue vt Polyides, ex verisimilibus locutus, quòd non modo sororem, verum & ipsum sacrificari oportebat. Vnde quidem salus parta est. Quo facto, nominibus statim substitutis, Episodia aggredienda. Sed hæc quo pacto legitima sint, sane considerandum: veluti furor in Oreste, propter quem captus est, salusque per expurgationem. In dramatibus itaque, siue actibus Episodia ipsa breuia esse debent: contra in his longior Epopœia fit. Nimirum, Odysseæ longus est sermo.*

2 *Per multos annos peregre quidam cum iret, & à Neptuno obseruatus, & à cunctis relictus, ita rebus ipsius domesticis constitutis, vt fortunæ omnes à procis absumerentur, filioque insidiæ iam instarent, iactatus pelago domum peruenit: cumque aliquos agnouisset, illos aggressus, ipse quidem sospes euasit, inimicos autem perdidit. Hoc itaque proprium eius poematis est. Nam cætera ad Episodia pertinent.*

1 Tertium præceptum est: vt poeta possit fabulam congruis Episodijs, seu digressionibus amplificare, debet prius vniuersalem fabulam struere sine vllis Episodijs, ac sine nominibus personarum, deinde debet nomina imponere, Episodia excogitare, & opportunis locis interere. Explicatur, proponendo exempla duarum vniuersalium fabularum, vnius tragicæ, alterius Epicæ. Vniuersalis fabula Tragica ex Euripidis, ac Polyidis tragoedijs de Iphigenia in Tauris abstracta hæc est. Cum quædam virgo iam esset immolanda, ex oculis immolantium erepta, atque in aliam regionem translata, in qua ex lege Deæ cuidam mactabantur aduenæ, his nefandis sacris præposita est. Post multum temporis accidit, vt frater virginis propter quamdam causam in eam regionem veniret: siquidem Deus aliquis præceperat ei, vt ex quadam causa, quæ ad fabula

læ vniuersalis constitutionem haud pertinet, illas peteret terras. Cum captus fuisset, atque à sorore mactari deberet, facta est agnitio, vel ex epistola, vt fingit Euripides iuxta dicta cap. 13. num. 6. vel vt fingit verisimiliter Polyides iuxta dicta eodẽ cap. num. 5. quia ipse dixit sibi deberi fatum sororis, siquidem etiam ipsa fuerat immolata: ex agnitione verò orta est salus. Constituta hac vniuersali fabula, poeta debet personis nomina imponere, eo pacto, quo Euripides, virginem præpositam sacrificijs aduenarum vocauit Iphigeniam, fratrem eius Orestem: deinde verò debet fabulam Episodijs amplificare, quæ Episodia non debent esse disiuncta, ac communia, sed propria, aptè cum vniuersali fabula cohoerentia. Ita Euripides, vt explicaret, quo pacto Orestes cum Pylade captus fuerit, finxit illum furore agitari coepisse, ac districto gladio impetum fecisse in Greges, ideoque à pastoribus captum, & ad Thoantem regem fuisse perductum, ab eoque destinatum ad sacrificium. Vt verò explicaret, quo pacto per factam agnitionem Orestes fuerit à sorore saluatus, fingit Episodium purgationis. Iphigenia enim, vt fratrem à morte liberaret, atque vna cum eo fugam arriperet, commenta est apud regem expiandum esse simulacrum pollutum aspectu Orestis Matricidæ, atque ipsum Orestem, qui debebat mactari, esse purgandum, adeoque tum simulacrum, tum Orestem abluendum aqua marina. Annuit Rex: simulacrum ab Iphigenia in nauim asportatur, atque omnes vna cum simulacro fugiunt, atque in Græciam redeunt incolumes. Hæc porro Episodia in tragoedia, & vniuersim in quolibet dramate debent esse breuia: in Epopoeia verò, quæ est poema longum, possunt magis produci. Sed iam proponendum est exemplum vniuersalis fabulæ epicæ.

2 Vniuersalis igitur fabula epica abstracta ex Odyssea Homeri est. Cum quidam plures per annos, Neptuno illi infenso, extorris à patria fuisset terris, pelagoque iactatus, ac socijs amissis, remansisset solus: cunque eodem tempore Proci optantes ducere in matrimonium vxorem ipsius, facultates eius absumerent, ac filio insidiarentur, vt eum vita priuarent, in patriam tandem remeauit, & à quibusdam cognitus, alios fallens, inimicos necauit, ipse verò incolumis vxorem, filium, domum, & facultates recepit. Hæc igitur est vniuersalis fabula Homericæ Odysseæ. Reliqua spectant ad Episodia.

De duabus partibus tragœdiæ, quæ sunt nodus, & solutio. Cap. XVI.

1 *Vniuersa vero Tragœdia partim connexione, partim solutione continetur. Quæ extra sunt, & aliqua præterea, quæ intra habentur, plerunque connexio continet: reliqua vero solutio. Connexionem appello totum id, quod à principio ad vltimam vsque pertinet partem, ex qua mutatio fortunæ fit. Solutionem à mutationis principio, ad finem vsque.*

2 *Vt in Lynceo Theodectæ. In quo connexio quidem, acta prius, natique captiuitatem continet: solutio à mortis accusatione ad extremum vsque.*

TRaditurus Aristoteles alia præcepta, quia quædam talium præceptorum non possunt satis percipi, nisi præmittatur, quid sit nodus, & quid solutio, nec non quot, & quæ sint species tragoediæ, ideò hæc præmittit.

1 Quoad primum: cuiuscunque tragoediæ, saltem implexæ, duæ sunt partes, nodus nimirum, & solutio. Nodus est *illa pars tragoediæ, quæ durat ab initio vsque ad illam partem, in qua fit extrema mutatio ex felicitate in miseriam, vel ex miseria in felicitatem*. Solutio est, *altera pars tragoediæ, per quam ab extrema mutatione res ad exitum perducitur.* Nodus solet comprehendere non solum multa, quæ in ipsa tragoedia repræsentantur, ac si tum fierent, sed etiam plura, quæ per Episodia narrantur, vt extra tragoediæ tempus, ac locum alijs temporibus, ac locis facta: & quia hæc continentur prologo, & Episodio, seu primis quatuor actibus, ideo nodus complectitur Prologum, & Episodium, seu primos quatuor actus. Solutio verò coincidit cum exodo, seu cum quinto actu tragoediæ, de quibus actum est supra cap. 10.

2 Proponit Aristoteles exemplum nodi, ac solutionis ex Lynceo Theodectis, quæ tragoedia non extat. Eius autem argumentum erat huiusmodi. Tereus, cum vim

Nnn 2 intu-

intulisset Philomelæ, duxit illam in Thraciam, eamque deposuit apud Lathusam Lyncei Regis vxorem. Ibi cum Prognes Philomelæ soror, quæ ad Lathusam diuerterat, vt dictum est cap.13. num.3. Philomelam agnouisset, ac factum rescisset, vt vindictam de Tereo sumeret, statuit Itym filium Terei epulandum patri apponere, ideoque Itym clam interficit. Tereus, cum filium non inueniret, putat Dryantem fratrem, ad quem Ity sublato Regnum Terei post ipsius Terei mortē peruenisset, auctorem cædis fuisse, ideoque Dryantem interficit, ac non multo post Itym filium à Progne sibi appositum comedit. In hac igitur tragoedia omnia, quæ fiunt antequam Ity capto, & interempto, Tereus ex felicitate mutetur in miseriam, spectant ad nodum: Reliqua à capto Ity vsque ad finem spectant ad solutionem.

De quatuor tragœdiæ speciebus, implexa nimirum, pathetica, morata, & simplici. Cap. XVII. Art. Primus.

1 *QVatuor autem Tragœdiæ sunt genera: totidem quoque & partes dictæ. Quorum sanè complicitum illud dicimus, quod omnino ex peripetia, atque agnitione constat: Patheticum, vt Aiaces, atque Ixiones: Moratum, Phthiotidas, & Peleum: quartum, veluti Phorcidas, & Prometheum: quæcunque insuper, quæ apud inferos sunt.*

2 QVoad secundum: Quatuor sunt tragoediæ species, desumptæ ex quatuor speciebus fabularum, quæ possunt repræsentari, implexa nimirum, Pathetica, morata, & simplex. Tragoedia implexa est, quæ tota pene consistit in eo, vt repræsentet peripetiam, siue ingentem fortunæ mutationem vi agnitionis mirabilis factam. Exemplum potest esse Oedipus Tyramnus Sophoclis, in qua repræsentatur Oedipus ex felicitate in summam miseriam per agnitionem præcipitans. Tragoedia Pathetica est, quæ tota pene consistit in eo, vt repræsentet aliquem magnis affectibus agitatum, qui sint in causa, vt atrocia patiatur, aut agat. Exempla sunt Aiaces, & Ixiones. Plures enim variorum Poetarum tragoediæ, quæ inscribuntur *Aiax*, totæ sunt in repræsentando Aiace ex magnitudine doloris, & iræ in furorem incidente, ac primo gregibus, deinde sibi ipsi manus inferente. Plures tragoediæ, quæ inscribũtur *Ixion*, totæ sunt in repræsentando Ixione, qui sacrilego Iunonis amore agitatus, atrocia audet, deinde patitur, quippe cum in infernum detrudatur, & rotæ affigatur, quæ perpetuo circumagitur. Tragoedia morata est, quæ tota pene consistit in repræsentando aliquo bonis moribus prædito, qui fortunam præsertim aduersam, æquo animo ferat. Exempla sunt Phtiotides, mulieres nimirum quædam à patria Pthio sic dictæ, quæ fortasse cum probis moribus essent prædictæ, in aduersa fortuna egregiè se gesserunt: ac Peleus, qui propter egregiam virtutem Dijs carus fuisse fingitur, ac licet aduersa fortuna diu iactatus, tandem è periculis Deorum auxilio euasisse. Porro hæ tragoediæ non extant, ideoque hæc ex coniectura dixisse sufficiat. Tragœdia simplex est, quæ tota pene consistit in repræsentando aliquo in continua quadam miseria, & assiduis doloribus constituto. Primum exemplum possunt esse Phorcides tragoedia Aeschyli, quæ non extat, in qua Virgines quædam à Patre Phorco Phorcides dictæ, repræsentabantur, vt in continuis miserijs, ac doloribus constitutæ. Secundum exemplnm est Prometheus vinctus eiusdem Aeschyli, quæ pariter tragoedia non extat. Possunt etiam in exemplum adduci omnes illæ tragoediæ, in quibus repræsentãtur supplicia quorumdam apud inferos, puta supplicium Titij, vel Tantali.

Traduntur quatuor præcepta circa species tragœdiæ; circa eiusdem nodum, ac solutionem; circa magnitudinem fabularum; & circa res admirabiles. Cap. XVII. Art. II.

1 *QVare magnopere poetis conandum, vt horum omnium quàm locupletes sint. Quòd si omnium minus queant, saltem principalium, atque quamplurimorum: eoque etiam enixius, quo ad taxandos poetas hac*

ætas

ætas in tantum prona est, vt quos in omnibus his partibus probandos nouerit, in singulis etiam mirum in modum excellere æquum censeat.

3 *Minime vero fortasse conuenit eandem Tragœdiam, siue diuersam appellare à fabula: id quod earum ipsa quidem connexio, atque solutio indicauerit. Cæterum non pauci egregie nectentes, inepte soluunt.*

4 *Oportet autem ab vtraque parte plausum iugiter excitare, illudque cum primis cauere, ne contextum Epopœiæ proprium in Tragœdia confingamus. Talem vero esse dicimus, qui complures contineat fabulas: exempli gratia si quis totum illud Iliadis vnica velit complecti fabula. Ibi etenim propter poematis longitudinem partes ipsæ congruentem suscipiunt magnitudinem: in actibus vero multo præter id, quod susceptum negotium exposcit, longiores euaderent. Cuius rei signum id esse potest, quòd hi, qui totum Ilij excidium simul composuere, ac non potius singulas separatim partes, sicuti Euripides Medeam, vel Niobem (quod Aeschilus minime obseruauit) vel prorsus cadunt, vel certe infeliciter certant: siquidem propter id vnum cecidit Agathon.*

5 *Tametsi tum in peripetijs, tum in simplicibus actionibus, hi quidem suum mirabiliter propositum assequantur. Etenim tragicum, atque humanum est, cum sapiens, idemque prauus, veluti Sisyphus deceptus fuerit: siue fortis, idemque iniustus superatus. Verisimile enim est, vt Agathon asserit: quandoquidem multa præter ipsum verisimile accidere, à verisimili non discrepat.*

ASsignatis speciebus fabularum, & explicato, quid sit nodus, & quid solutio, tradit Aristoteles quinque præcepta ad superiora pertinentia.

2 Primum præceptum ad species tragoediæ spectans est: Poeta debet conari, vt excellat in omnibus tragoediæ partibus, ac speciebus, vel saltem in pluribus, ac præcipuis. Ratio est, quia videmus, quod de facto nostris temporibus homines exigunt, vt cum antiqui excelluerint hic quidem in vno, hic autem in alio, ij, qui nunc tragoedias scribunt, antiquos superent in omnibus, & si in aliquo deficiunt illos calumniantur; ergo poetæ vt hominibus satisfaciant, conari debent, vt in omnibus sint præstantes.

3 Vt proponatur secundum præceptum spectans ad nodum, eiusque solutionem, præmittendum est, quando nam tragoedia sit eadem, vel diuersa. Tragoedia eadem est, *quæ habet eundem nodum, eamdemque solutionem, licet non habeat eamdem fabulam*: è conuerso tragoedia est diuersa, *cum habet diuersum nodum, ac diuersam solutionem, licet habeat eamdem fabulam*: ex. gr. si tractetur eadem fabula Iphigeniæ in Tauris immolaturæ Orestem, sed ita, vt diuerso modo innodetur, & soluatur, erunt diuersæ tragoediæ: è conuerso si alia fabula alterius sororis fratrem immolaturæ tractetur ita, vt sit idem nodus, ac eadem solutio, ac Iphigeniæ in Tauris ab Euripide scriptæ, erit eadem tragoedia. Hoc præmisso, secundum præceptum est: licet quidem poetis circa fabulas antiquas nouas tragoedias scribere, ita vt habeant diuersum nodum, ac diuersam solutionem: at non licet scribere tragoedias etiam circa nouas fabulas, transferendo ad illas nodum, ac solutionem ex alia tragoedia. Præterea quia multi bene fabulas innodãt, sed male soluunt, conandum est poetis, vt non solum bene innodent, sed etiam bene soluant: alioquin plausum non consequentur.

4 Tertium præceptum ad fabulæ magnitudinem spectans est: caueant Poetæ, ne in argumentum tragoediæ assumant fabulam epicam, ex pluribus nimirum fabulis constantem, qualis est fabula Iliados. Ratio est, quia epopoeia est poema longum; ergo si quis fabulam longam epicè describat, poterit singulis partibus conuenientem magnitudinem dare: at cum dramata sint breuia, si quis velit per dramata longam fabulam repræsentare, cogetur singula breuius persequi, quam res postulet, adeoque tragoedia non euadet illi è sententia. Confirmatur ex signo: videmus enim, quod omnes Poetæ, qui vnica tragoedia voluerunt repræsentare totam expugnationem Ilij, & non aliquam solum eius partem, vt fecerunt Euripides, & Æschylus, qui vnam solum partem repræsentarunt, puta quæ ad Hecubam spectant &c. videmus inquam, quod omnes hi lapsi sunt, ac non obtinuerunt plausum; in certaminibus autem fuerunt victi, eo pacto, quo propter hoc vnum lapsus est Agathon; ergo &c.

5 Quartum præceptum est: vt poetæ

finem tragoediæ obtineant, & simul spectatores delectatione afficiant, conari debent, vt tum in fabulis implexis, tum in simplicibus, admirabilia fingant: admirabile siquidem, & tragicum est, & spectatores delectat. Et quia admirabile simul,& gratum hominibus est, cum vir astutus simul, atque improbus comprehenditur in astutia sua, ac decipitur à minus vafro, vel vir magnis viribus præditus,sed iniustus, in pugna vincitur à minus valido,ideo debet Poeta tales euentus confingere. Exemplum potest esse Sisyphus,qui cum esset astutissimus simul, & improbissimus, deceptus fuit ab Autolico, qui Sisipho auferebat armenta, absque eo quod posset vnquam Sisyphus auctorem furti detegere &c. Quia verò posset opponi tales euentus esse quidem admirabiles, sed inuerisimiles,cum raro accidant: respondet Aristoteles, quod cum, vt bene Agatho dicit, verisimile, imo necessarium sit aliquando accidere quædam minus verisimilia, ex hoc capite etiam euentus raro contingentes sunt verisimiles, hoc est similes non quidem ijs, quæ plerumque contingunt, sed ijs, quæ aliquando contingunt.

Traditur quintum præceptum circa chorum. Cap.XVIII.

1 *Chori summam penes vnum duntaxat ex histrionibus esse oportet, totiusque partem esse: vti autem concertationibus, non sicut apud Euripidem, sed sicut apud Sophoclem. Reliquis vero concessa potius ea sint, quæ ad susceptam pertinent fabulam, quàm quæ ad aliam Tragœdiam: quapropter intercalare concinunt. Huiusmodi sanè rei initium primum ab Agathone sumptum. Atqui quidnam differt inter canere intercalare, locutionemue illam, quæ aliud ex alio nectit, integrumque Episodium?*

1 QVintum præceptū spectans ad chorum est: debemus existimare chorum esse vnum ex histrionibus fabulam agentibus, adeoque sicut nullus introducitur histrio dicens quæ ad fabulam non spectant, ita non debet introduci chorus canens quæ ad rem non spectant; & sicut quilibet histrio est pars fabulæ, & cooperatur alijs histrionibus ad repræsentandam fabulam, ita chorus debet esse pars fabulæ, & suo cantu cooperari debet cum histrionibus ad fabulam absoluendam. Non igitur chori debent esse quales sunt apud Euripidem,apud quem pauca canunt spectantia ad res, quæ aguntur, sed quales sunt apud Sophoclem,apud quem ea solum canunt, quæ ad rem spectant, & quæ exprimunt sensus populi circa ea, quæ acciderunt. Chori verò, qui alijs Poetis permissi sunt ex quadam licentia, in quibus canuntur res ad fabulam non pertinentes,videntur potius spectare ad alias fabulas, & ad alias tragoedias, quam ad eam, quæ agitur; ideoque in talibus tragoedijs chori non sunt fabulæ partes, sed embolisma,hoc est carmen aliquod adiectum fabulæ,sed ad illam non spectans, quod est simile, ac si quis tragoediæ interponeret histrionem dicentem aliqua ad rem non spectantia, vel insereret episodium omnino à tragoedia disiunctum. Primus verò,qui inuexit hunc morem introducendi choros canentes quæ ad rem non spectant fuit Agatho Poeta.

De Sententia. Cap. XIX.

1 *IAm vero cum de his omnibus dixerimus, reliquum est, vt de Dictione, at-*
2 *que Sententia agamus. * Tametsi de sententia in ijs, quos de Rhetorica scripsimus libris, vt quod eius viæ, & rationis magis proprium sit, disseruimus. Ad sententiam ea omnia pertinent, quæcunque oratione adstruere oportet. Cuius partes erunt ostendere, soluere, perturbationes præparare, sicuti misericordiam, timorem, iram, cæteraque huius generis: ad hæc, exaggerare, ac diminuere. Constat autem supradictarum partium rebus accommodata afferre oportere: cum videlicet vel miserabilia, vel grauia, vel mira, vel verisimilia adstruenda sunt. In quibus tamen hæc habenda distinctio est, quòd aliqua quidem nullo doctrinæ adminiculo apparere necesse est: aliqua vero sermone ipso dicentem præparari, ac vi etiam sermonis euenire. Quod enim dicentis munus esset, si non quidem sermonis vi, grata esse viderentur.*

1 DIximus cap. 4. sex esse partes tragoediæ, quæ ad qualitatem spectant, nimirum fabulam, mores, sententiam,

tiam, dictionem, melopoeiam, & apparatum scenicum: egimus etiam fusè de fabula, ac de moribus, atque de his agentes disseruimus etiam de partibus quantitatis, ac tradidimus pene omnia, quæ spectant ad pulcherrimam tragoediam construendam. Superest, vt agamus de dictione, vel etiam de sententia.

2 De sententia egimus ex professo lib. 2. Rhetoricorum cap. 22. quia tractatus de sententia est magis proprius Rhetoricæ, quam poeticæ, ideoque hic paucissima tantum sunt delibanda. Ad sententiam spectant ea, ex quibus orator debet sibi comparare copiam dicendi; sed orator vt habeat copiam dicendi, debet scire propositiones, ex quibus possit probare, vel argumenta contraria soluere, excitare in auditoribus affectus, puta misericordiam, metum, iram, ac rursus amplificare, vel diminuere, ostendendo rem esse magnam, vel paruam; ergo omnes propositiones, ac formæ in Rhetoricis allatæ ad probandum, ad soluendum, ad affectus excitandos, & ad amplificandum, ac diminuendum, ad sententias spectant; sed iisdem locis, ac formis debet vti poeta ad hoc, vt faciat res, quæ aguntur in scena, videri miserabiles, vel acerbas, vel magnas, vel verisimiles, quibus debet vti orator; ergo cum tales propositiones, ac loci abundè sint in Rhetoricis explicati, nihil hic est addendum.

3 Aduertendum tamen est, quod licet tum orator, tum poeta debeat facere, vt quæ dicunt, vel agendo repræsentant, videantur auditoribus miserabilia, terribilia, verisimilia &c. nihilominus diuerso modo debent id præstare. Orator enim debet docere, & ostendere illa esse talia: puta cum vult mouere ad miserationem, vel terrorem, debet ostendere aliquid esse miserabile, vel terribile; cum vult persuadere, debet docere, & ostendere aliquid esse verum, aut verisimile. Si enim hoc non est opus oratoris proprium, quod aliud erit opus oratoris? num res tales, puta iucundas, aut verisimiles afferre, quod facit Poeta? E conuerso Poeta non debet per se docere, & ostendere, quæ aguntur esse verisimilia, & miserabilia &c. sed debet ita res concimnare, & exponere, vt res repræsentatæ ex se videantur miserabiles, aut verisimiles.

Quæ circa dictionem sint omittenda in Poetica. Cap. XX. Articulus Primus.

1 *Circa Dictionem vnum quidem speculationis est genus, de figuris videlicet ipsius: quod quidem ad histrionicam, atque ad eum qui huiuscemodi arti præsit, pertinet: Exempli gratia quid sit mandatum, quid preces, quid narratio, quid minæ, quid interrogatio, quid responsio, cæteraque id genus. Quandoquidem præter horum peritiam, ignorationemue nulla quidem accusatio, quæ digna sit studio, ad Poeticam refertur. Nam quis, obsecro, in his peccatum esse suspicetur, quæ Protagoras accusat? si quis videlicet, dum precari se existimet, interim præcipiat? hoc pacto: iram Pande Dea? Quandoquidem (inquit ille) iubere aliquid fieri, vel non fieri, præceptum est. Quapropter facessat hæc consideratio, perinde ac alterius facultatis, non autem Poetica propria.*

1 Breuiter expeditis iis, quæ ad sententiam spectant, fusius agere debemus de dictione, siue elocutione. Non omnia, quæ circa dictionem possunt animaduerti, spectant ad poeticam, sed aliqua spectant ad alias facultates. Explicatur. Non eodem modo debet vultum, gestum, ac vocem conformare quis, dum præcipit, dum precatur, dum narrat, dum minatur, dum interrogat, dum respondet &c; ergo qui agit de dictione, ac de locutione, debet etiam agere de figuris, ac modis loquendi, ac vultum, gestusque conformandi, ac docere figuram loquendi imperatiuè, deprecatiuè, minatiuè &c. explicando etiam, quid sit præceptum, quid preces, quid narratio, quid interrogatio, quid responsio? sed hæc non sunt propria poeticæ; ergo de iis agendum non est à Poetica, sed ab Histrionica, vel ab alia facultate architectonica, à qua possit hæc mutuare. Confirmatur, quia ex horum scientia non potest deriuari aliquid magnopere conducens ad poesim perficiendā, & ex eorumdem ignorantia non potest incurri reprehensio alicuius momenti; ergo non est operæ pretium diuertere ad hæc, cum alioquin non sint propria poeticæ, sed spectent ad alias facul-

facultates. Probatur antecedens: licet enim Protagoras reprehenderit Homerum ex eo, quod loco orandi Deam, vt caneret iram Achillis, præceperit Deæ, dicens *Iram cane Dea*; probauerit autem Homerum præcepisse ex definitione præcepti, quod nihil aliud est, quam *actus, quo dicimus alicui, ut aliquid faciat, uel non faciat*, tamen vt ex se patet, tales accusationes parui sunt momenti, atque omnino contemnendæ; ergo non est in his immorandum, sed ad alia progrediendum, atque explicandum, quot, & quæ sint partes locutionis humanæ.

De octo partibus dictionis, seu locutionis. Cap. XX. Articulus II.

2 *Dictionis vniuersæ partes hæ sunt: elementum, syllaba, coniunctio, nomen, verbum, articulus, casus, oratio. Elementum indiuidua dicitur vox, non quidem omnis, sed illa tantum, ex qua suapte natura intelligibilis vox constitui potest. Quandoquidem & indiuisibiles sunt ferarum voces, quarum sane nullam elementum dicimus.*

3 *Hæc vocalis, siue semiuocalis, aut etiam muta appellatur. Vocalis, quæ sine vlla prorsus adiectione sonum, qui exaudiri possit, reddit. Semiuocalis, quæ non sine adiectione: vt σ, ρ. Muta, quæ cum adiectione per se nullum omnino sonum reddit, adiuncta vero his, quæ aliquam vocem reddunt, exaudiri potest: vt γ, & δ.*

4 *Hæc differunt inter se figuris oris, locis, aspiratione, tenuitate, longitudine, breuitate, acumine præterea, grauitate, inflexione: de quibus sane in his, quæ ad metra pertinent, consideratio propria est.*

2 Partes, ex quibus constat humana locutio sunt octo, nimirum elementum, seu litera, syllaba, coniunctio, nomen, verbum, articulus, casus, oratio. De singulis breuiter est agendum.

Prima igitur pars locutionis est elementum. Ad elementum duæ requiruntur conditiones. Prima conditio est, vt sit vox indiuisibilis, ac simplex. Ratio est, quia sicut omnia corpora composita ex pluribus corporibus specie diuersis resoluuntur tandem in aliqua prima corpora simplicia, quæ non possunt diuidi in alia specie diuersa, quæ communiter assignantur terra, aqua, aer, & ignis: sic omnes voces compositæ resoluuntur in aliquas voces simplices, ac quæ non possunt diuidi in alias voces specie diuersas: ex. gr. Ba diuiditur in B, & A, quæ sunt voces simplices; sed tales voces simplices dicuntur elementa vocum; ergo elementa vocum sunt voces indiuisibiles. Sicut porro dum dicitur elementa corporum esse corpora indiuisibilia, non negatur illa posse diuidi in plura corpora eiusdem rationis: terra enim potest diuidi in plures partes terreas eiusdem rationis, idemque dic de aqua &c, sed solum asseritur elementa corporum non posse diuidi in plura corpora diuersæ rationis, ac speciei: sic dum dicimus elementa vocum esse voces indiuisibiles, negatur solum illa posse diuidi in plures voces diuersæ rationis, at non negatur illa posse diuidi in plures voces eiusdem rationis. Dum enim aliquis diu durat dicendo *A*, proculdubio vox illa *A* potest diuidi in plures similes sonos eiusdem rationis. Licet elementum sit vox indiuisibilis, non omnis vox indiuisibilis est elementum. Dantur enim voces ferarum indiuisibiles, puta mugitus boum &c, quæ non sunt elementa, ideoque secunda conditio ad elementum requisita est, vt sint voces ex natura sua aptæ ad hoc, vt ex ipsis componantur voces intelligibiles, nimirum aptæ ad communicandas mutuo nostras intellectiones. Ex his duabus conditionibus sic explicatis fit integra definitio elementi, quæ est: *elementum est vox indiuisibilis in plures voces diuersæ rationis, ex natura sua apta ad hoc, vt ex ipsa componi possint voces intelligibiles, hoc est aptæ ad communicandas mutuo nostras intellectiones.*

3 Elementa, seu literæ diuiduntur in vocales, semiuocales, & mutas. Vocalis est *vox, quæ habet sonum per se audibilem absque consortio alterius vocis, & absque ictu, per quem impetu quodam dentibus, aut gingiuis allidatur*. Semiuocalis est *vox, quæ habet sonum per se audibilem absque consortio alterius vocis, sed non absque ictu, per quem dentibus, aut gingiuis allidatur*. Muta est *vox, quæ etiam cum ictu non habet sonum, qui possit audiri, sed vt possit audiri, debet proferri cum consortio alterius vocis per se audibilis*, Exemplis res explicabitur. *α*,

& ω

& ω Græcorum, seu a, & o latinorum &c. sunt vocales, quia possunt per se proferri, absque ictu, per quem impetu quodam allidantur dentibus, ac gingiuis. S, & R sunt semiuocales, quia licet sine ictu non possint per se proferri, ita vt audiantur, adhuc cum ictu possunt proferri, vt patet experientia, qua proferimus S per quemdam sibilum, & R, per quemdam quasi rugitum: L etiam cum ictu proferri aliqualiter potest. Demum γ, & δ Græcorum, ac G, & D Latinorum sunt elementa muta, quia etiam cum ictu non possunt proferri, ita vt audiantur, sed debent proferri cum consortio alterius vocis per se audibilis, vt patet experientia.

4 Addit Aristoteles, quod Elementa, seu voces simplices possunt differre ex quinque. Primo possunt differre ex eo, quod os in ijs proferendis debet conformari in diuersam figuram. Patet experientia. Diuerso enim modo figuramus os, vt proferamus A, diuerso vt proferamus E &c. Secundo possunt differre ex eo, quod formentur in diuersis locis. Quatuor sunt præcipua loca, in quibus litteræ formantur: labia nimirum, dentes, lingua, & palatus. In labijs formantur B. P. M. In dentibus formantur S. R. Lingua videntur formari D. T. L. N. In palato formantur G. C &c. Tertio possunt differre tenuitate, ac crassitudine. Quædam enim habent sonum tenuiorem, quædam crassiorem; Ex. gr. T. habet suum sonum tenuiorem, D habet sonum crassiorem &c. Quarto possunt differre longitudine, & breuitate. Quædam enim sunt longæ, quædam breues. Quinto demum possunt differre accentu. Nam quædam proferuntur tono vocis acuto, quædam graui, quædam medio, ideoque apud Græcos tres sunt accentus, acutus, grauis, ac medius, seu circumflexus. Sed sufficit hæc indicasse, siquidem de ijs ex professo agendum est in arte metrica.

5 *Syllaba vox est nihil penitus significans, composita ex muta, & vocem aliquo pacto habente. Nam γρ etiam absque α syllaba est, & cum α, velut γρα. Sed harum differentias examinare, metricæ artis est.*

5 Secunda pars locutionis est syllaba. Syllabam describit Aristoteles dicens: *syllaba est vox non significatiua, composita ex elemento voce carente, seu muto, & ex elemento vocem habente, seu vocali, aut semiuocali.* Exemplum syllabæ compositæ ex littera muta, & semiuocali est syllaba Gr: exemplum syllabæ compositæ ex tribus litteris, muta nimirum, vocali, & semiuocali est syllaba *Gra.* Addit Aristoteles, quod ad artem metricam spectat contemplari differentias syllabarum.

6 *Coniunctio vox est minime significans, quæ nec impedit, nec efficit aliquam vocem significare, apta quidem ex pluribus vocibus componi, extremo atque medio orationis congruens, quam quidem in initio orationis suapte natura poni minime conuenit: vt μὲν, ἤτοι, δή: siue vox per se quidem minime significans ex pluribus vocibus vna, apta vero vocem vnam significantem reddere.*

7 *Articulus vox est minime significans, quæ vel principium orationis, vel finem, vel separationem ostendit, quemadmodum τὸ φημί, τὸ περί, & alia: siue vox minime quidem significans, quæ nec impedit, nec efficit aliquam vocem significare, aptam ex pluribus vocibus componi, tam extremis, quam medijs coherens.*

6 Tertia pars locutionis est coniunctio. Coniunctio est *vox non significatiua, quæ neque impedit, neque facit vocem vnam significatiuam ex pluribus vocibus aptam componi.* Descriptio est obscurissima. Sensus videtur esse, quod coniunctio est vox ex se nihil significans determinatum, sed quæ ordinatur purè ad faciendam ex pluribus vocibus vnam vocem, seu vnam orationem, ita vt illis vocibus neque addat significationem, neque demat. Addit Aristoteles, quod coniunctio potest poni vel in extremo, vel in medio, nisi aliqua postulet poni in principio, & per hoc innuit dari tria genera coniunctionum, quarum quædam præponuntur, quædam postponuntur, quædam ponuntur in medio. Subdit aliam descriptionem breuiorem dicens, quod coniunctio est vox non significatiua, quæ ex pluribus quidem vocibus vnam, & ex significatiuis apta est facere vnam vocem significatiuam. Hæc descriptio debet intelligi sicut præcedens.

7 Quarta pars locutionis est articulus. Articulus est *vox non significatiua, quæ orationis principium, aut finem, aut distinctionem*

nem indicat. Hæc etiam descriptio est obscurissima. Sensus videtur, quod articulus est vox, quæ per se non significat aliquid determinatum, sed purè deseruit ad hoc, vt indicet, ac quodammodo demonstret vocem significatiuam, cui præponitur, vel postponitur, vel quam distinguit à cæteris vocibus: ex. gr. cum dicimus τὸ φημὶ designamus hanc vocem φημὶ, cui articulus præponitur, & illam distinguimus ab alijs vocibus. Addit Aristoteles aliam descriptionem articuli dicens, articulus est vox non significatiua, quæ neque prohibet, neque efficit vnam vocem significatiuam, ex pluribus vocibus naturaliter aptam componi, & in extremo, & in medio. Sensus est, quod articulus est vox non significans aliquid determinatum, quæ purè ordinatur ad hoc, vt indicet, ac demonstret voces significatiuas, quibus significationem neque addit, neque demit, ita vt vocibus designatis aliquando præponatur, aliquando postponatur, aliquando ponatur in medio.

8 ***Nomen composita vox est, significans sine tempore, cuius aliqua per se pars nihil significat. Nam & in compositis sic obseruamus, vt nullum per se separatum significet: vt in θεοδώρῳ, in quo δῶρον minime significat.***

9 ***Verbum composita vox est, significans cum tempore, cuius (quemadmodum de nomine diximus) nulla per se pars separata significat. Etenim homo, siue album, nequaquam cum tempore significat: ambulat vero, vel ambulauit cum tempore significat, illud quidem præsens, hoc præteritum.***

10 *Casuum, qui tum ad nomen, tum ad verbum pertinent, hic quidem significans est secundum huius, vel huic, & quæcunque talia: ille vero secundum vnum, vel plura, vt homines, vel homo: itemque alius secundum personarum modos, quatenus interrogant, siue iubent: verbi gratia, ambulauit, & ambula, quæ quidem eiusdem generis sunt casus verbi.*

11 *Oratio vox est significans, composita, cuius partes quædam separatæ aliquid omnino significant. Quanquam enim non omnis oratio ex nominibus, & verbis constat, vt hominis ipsius definitio, siquidem sine verbis etiam constare potest, omnino tamen aliquas significantes partes habebit: Vt in hac oratione, ambulat Cleon, illud Cleon significans est. Duobus vero modis vna dicitur oratio. Aut enim significans vnum per se est, aut additis coniunctionibus: verbi gratia Ilias quidem vna erit coniunctionibus oratio: hominis vero definitio vnum significat.*

8 Quinta pars locutionis est nomen. Nomen descibitur *vox composita significatiua sine tempore, cuius nulla pars significat separata*. Quia verò videtur, quod partes nominum compositorum significent separatæ, eo pacto, quo in hoc nomine Theodorus Græcè θεόδωρος, θεὸς significat Deum & δῶρον significat donum, ideo Aristoteles tacitè huic difficultati satisfaciens dicit, quod licet partes nominum compositorum ex se sint significatiuæ, tamen in quantum vtimur ipsis vt partibus non significant. Neque enim dum dicimus Theodorus per ly θεὸς significamus Deum, per ly δῶρον significamus donum, sed per totum nomen significamus hominem quemdam, qui vocatur hoc nomine. Videri possunt, quæ de nomine dicta sunt lib. primo Periherm. cap. 2. vbi ex professo de ipso est actum.

9 Sexta pars orationis est verbum: Verbum describitur *vox composita significatiua cum tempore, cuius nulla pars separata significat*. Conuenit igitur verbum cum nomine in hoc, quod sit vox composita significatiua, cuius nulla pars separata significat: differt in hoc, quod nomen non adsignificat tempus: ex. gr. hæc nomina *Homo albus* non significant potius album tempore præsenti, quam præterito, vel futuro: at verbum adsignificat tempus: ex. gr. *ambulat* adsignificat tempus præsens, *ambulauit* adsignificat tempus præteritum &c. Videri possunt quæ de verbo dicta sunt lib. primo Periherm. cap. 3.

10 Septima pars locutionis est casus. Casus sunt *per quos nomina, vel verba variantur, ita vt secundum diuersas desinentias diuersimodè significent*. Tres modos casuum assignat Aristoteles. Primus est per quem nomen rectum ducitur in varios casus obliquos per se significantes diuersum ordinem ad rectum: ex. gr. *Socrates*, quod est rectum, potest variari per casus obliquos, qui sunt *Socratis, Socrati &c.* qui per se significant diuersum ordinem ad rectum.

ctum. Secundus eſt, per quem nomina, vel verba variantur ad ſignificandum vnum, aut plura, eo pacto, quo *Homo* ſignificat vnum, *homines* ſignificat plures homines. Tertius eſt, per quem verba variantur ſecundum modos, qui regulariter debent proferri diuerſo vultu, ac geſtu: diuerſo enim geſtu, ac vultu exprimimus modum optatiuum, diuerſo interrogatiuum, imperatiuum, vel indicatiuum &c. Exempla ſunt, *Ambulauit, ambula*: *Ambulauit* enim ſignificat modum indicatiuum: *ambula* ſignificat modum imperatiuum. Poſſent etiam addi caſus, per quos verba ducuntur per diuerſa tempora, præſens, præteritum, aut futurum &c. Videri poſſunt quæ de caſibus dicta ſunt lib. primo Periherm. cap. 2. num. 13. 14. & 15.

11 Octaua pars locutionis eſt oratio. Oratio decribitur *vox compoſita ſignificatiua, cuius quædam partes per ſe ſignificant aliquid*. Differentia igitur orationis à verbo, & nomine eſt, quod partes orationis ſeparatæ ſignificant: ex. gr. partes huius orationis *Cleon ambulat* ſeparatæ ſignificant; at partes nominis, ac verbi ſeparatæ non ſignificant, vt explicatum eſt num. 13. & 14. Neque verò neceſſe eſt, vt omnis oratio conſtet ex nomine, ac verbo, ſed poteſt dari oratio ſine verbo. Definitio enim hominis ex. gr. quæ eſt *animal rationale* eſt oratio ſine verbo. Oratio poteſt eſſe vna dupliciter; primo per hoc, quod ſignificet vnum. Ita oratio, qua homo definitur *animal rationale* eſt vna quia ſignificat hominem, qui eſt aliquid vnum per ſe. Secundo oratio poteſt eſſe vna coniunctione: ex. gr. Ilias Homeri eſt vna oratio, quia licet ſignificet plura, adhuc vna eſt coniunctione. Videri poſſunt quæ de oratione dicta ſunt lib. 1. Periherm. cap. 4. & initio 5. vbi explicata eſt differentia inter enunciationem vnam ſimpliciter, vel coniunctione.

De varijs ſpeciebus nominum. Cap. XX. Articulus III.

12 *NOminis generum al. quod eſt ſimplex: ſimplex autem voco, quod ex minime ſignificatiuis conſtituitur: aliquod duplex, cuius aliud quidem ex ſignificantibus, ac minime ſignificantibus componitur, aliud ex ſignificantibus omnino. Triplex inſuper, ac quadruplex nomen eſſe poteſt, quemadmodum multa Megaliotorum, ἑρμοκαϊκόξανθος.*

13 *Omne autem nomen, aut eſt proprium, aut ab alia lingua, aut tranſlatio, aut ornatus, aut fictum, aut productum, aut ſubtractum, aut commutatum.*

14 *Proprium voco, quod omnibus in vſu eſt: Ab alia lingua, quod aliquibus duntaxat. Ex quo patet, huiuſmodi atque proprium fieri poſſe, vt in idem quandoque recidant, minime tamen eiſdem. Vt σίγυννον, id eſt lanceola, quod Cyprijs quidem proprium, nobis vero ab illorum lingua.*

12 PLures ſunt nominum ſpecies. Primo ergo nomen diuiditur in ſimplex, & duplex, ſiue multiplex. Nomen ſimplex eſt, *quod non componitur ex pluribus uocibus ſignificatiuis ſimpliciter, uel ſecundum quid.* Voces ſignificatiuæ ſimpliciter ſunt nomina &c. voces ſignificatiuæ ſecundum quid ſunt coniunctiones, & articuli. Ad nomen igitur ſimplex requiritur, vt neque componatur ex pluribus nominibus, neque ex nomine, & coniunctione, vel articulo: ex. gr. Terra, Cœlum &c. ſunt nomina ſimplicia. Neque verò obſtat nomini ſimplici, vt vna eius pars ſit ſignificatiua, dummodo alia non ſit ſignificatiua vllo pacto: ex. gr. hæc nomina *Paternus, maternus &c.* ſunt ſimplicia, quia licet primæ partes eorum, quæ ſunt *Pater*, & *Mater* ſint ſignificatiuæ, adhuc altera pars, quæ eſt *nus* non eſt ſignificatiua, ſed eſt pura ſyllaba, & pura deſinentia. Nomen duplex, ſeu multiplex eſt, *quod conſtat ex pluribus vocibus ſignificatiuis ſimpliciter, vel ſecundum quid*. Nomen igitur multiplex vel conſtat ex voce ſignificatiua ſimpliciter, & ex voce ſignificatiua ſecundum quid, hoc eſt ex nomine, & coniunctione, ſeu articulo; vel conſtat ex pluribus vocibus ſignificatiuis ſimpliciter, hoc eſt ex pluribus nominibus. Exemplum nominis conſtantis ex pluribus nominibus eſt *terraqueus*, quod eſt compoſitum ex nominibus terræ, & aquæ. Exemplum nominis conſtantis ex nomine, & coniunctione eſt *coniunctus*, quod conſtat ex *cum*, & *iunctus*. Ex nominibus multiplicibus aliqua ſunt duplicia, ita vt conſtent ex duobus nominibus; aliqua ſunt triplicia, vel quadruplicia &c. ita vt conſtent ex tribus, vel

vel quatuor nominibus &c. Horum nominum exempla inueniuntur apud Megaliotas, quale est *HermoCaicoXanthus*, quod est nomen compositum ex tribus nominibus fluuiorum, qui sunt Hermus, Caicus, & Xanthus. Qui nam fuerint Megaliotæ, quorum hic mentionem facit Aristoteles, incertum est. Quidam enim putant Megaliotas fuisse quosdam populos; alij existimant Megaliotas dictos fuisse Poetas Dithyrambicos.

13 Secundo nomen diuiditur in octo species, seu classes. In prima specie, seu classe continentur nomina propria; in secunda nomina linguarum diuersarum; in tertia nomina translata; in quarta nomina spectantia ad ornatum; in quinta nomina ficta; in sexta nomina protracta; in septima nomina contracta; in octaua demum nomina immutata. De singulis breuiter est agendum.

14 Nomina propria, & linguarum dicuntur non absolutè, sed relatiuè ad gentes, aut linguas. Nomina igitur propria vniuscunque gentis, aut linguæ sunt, *quibus utuntur singuli ex tali gente, ac lingua.* Nomina linguarum sunt, *quibus non utuntur singuli ex aliqua gente, & lingua, sed accipiuntur ab aliquibus ex alia gente, & lingua.* Hinc patet primo idem nomen non posse apud eamdem gentem esse proprium simul, & linguam, apud diuersas posse: ex gr. nomen σίγυνον, quod apud Cyprios erat proprium, & significabat quoddam genus Iaculi, apud Græcos erat lingua. Patet secundo rursus aliqua nomina, quæ ab initio apud aliquam gentem non sunt propria, sed peregrina, si deinde communi vsu recipiantur, euadere propria. Patet tertio posse aliqua nomina esse propria plurium linguarum, si sint communi vsu recepta in pluribus linguis.

15 *Translatio est nominis alieni illatio, vel a genere ad speciem, vel à specie ad genus, vel à specie ad speciem, aut etiam secundum aliquod, quod proportione respondeat. A genere ad speciem voco, vt, Stetit hæc mihi nauis: etenim in portu esse, stare aliquod est. A specie ad genus, vt, Ipse decem peperit iam millia commoda Vlysses: decem millia enim multa sunt: quo sanè vocabulo pro multo vtuntur. A specie ad speciem: Abstulit ære animam, immiti ære abscidit. Hoc enim loco auferre pro abscindere, & abscindere pro auferre, vsurpauit: quod vtrunque subtrahere aliquod sit.*

16 *Proportione vero respondens dixerim, quando aliquod secundum ad primum simili ratione se habeat, qua quartum ad tertium. Sumit enim vel loco secundi quartum, vel quarti secundum: interdumque addunt, pro quo dicitur, ad quod est. Exempli causa: simili ratione se habet phiala ad Bacchum, qua scutum ad Martem. Dicet igitur & phialam scutum Bacchi, & scutum phialam Martis: rursus ad diem vespera pari ratione se habet, qua ad vitam senium: itaque dicet, vesperam diei senium, & senium vesperam vitæ, vel, sicut Empedocles, occasum vitæ. Licet autem quibusdam nomen proportione respondens inditum non sit, nihilo tamen secius simili ratione dicetur: quemadmodum frugem quidem proijcere serere dicimus: proijci vero à Sole flammam nominis est expers, cum tamen ita ad Solis flammam hoc se habeat, quemadmodum serere ad frugem, Ideoque Sol dictus, sator diuinitus ignis. Licet autem huiusmodi translationis modo vti, & alio quoque, cum videlicet nominauerimus alienum quippiam, aliquid eius proprium ab eodem remouentes: vt si quis appellare volens phialam, dixerit scutum, non Martis, sed Bacchi.*

15 Nomina metaphorica, seu translata sunt, *quæ cum sint imposita ad significandum unum, trasferuntur ad significandum aliud.* Quatuor sunt nominum translatorum modi. Primus est, per quem nomen transfertur à genere ad speciem: secundus per transfertur à specie ad genus: tertius per quem transfertur à specie ad speciem: quartus per quem transfertur ab aliquo proportionali ad aliud, cum quo habet proportionem. Exemplum nominis translati à genere ad significandam speciem potest esse illud Vlyssis apud Homerum lib. vlt. Odysseæ; *nauis autem mihi stetit.* Stare enim significat genus standi: stare autem nauis in portu græcè dicitur ὁρμεῖν: cum igitur dicatur stare loco ὁρμεῖν ponitur genus loco speciei. Exemplum nominis translati à specie ad genus est illud eiusdem Homeri lib. 2. Iliados vbi de Vlysse dicitur: *Certè decem millia bona iam fecit Vlysses.* Cum enim ponatur numerus speci-

specificus *decem millia* loco numeri generici *multa*, ac loco dicendi, *Vlysses multa bona fecit*, dicatur, *Vlysses decem millia bona fecit*, species ponitur loco generis. Exempla nominis translati à genere ad speciem sunt illa, de quibus non satis constat, an desumpta sint ex Homero, vel ex alio: *aere animum cum hausisset, incidit indefesso aere*. Exempla sunt obscurissima, ac censentur corrupta. Vis eorum videtur consistere in hoc. *Auferre* est nomen genericum, sub quo duæ sunt species, altera hauriendi, altera incidendi, seu amputandi. Haurire propriè significat ablationem partis liquidæ à liquida: Amputare significat ablationem partis solidæ à solida. Si igitur quis dicat: *Ferro haurit ex arbore; situla aquam amputauit ex puteo*; nomina hauriendi, & amputandi transferuntur à specie ad speciem.

16 Vt afferamus exempla nominum translatorũ ab vno proportionali ad aliud, præmittendum est, quid sit proportionalitas, à qua dicitur aliquid proportionale. Proportionalitas requirit saltem quatuor terminos, & consistit in hoc, vt sicut secundus se habet ad primum, ita quartus se habeat ad tertium: ex. gr. inter istos quatuor numeros 2. 4. 3. 6. datur proportionalitas, quia sicut se habent quatuor ad duo, ita se habent sex ad tria: sicut enim quatuor sunt duplum duorum, sic sex sunt duplum trium. Cum verò quartum ita se habet ad tertium, sicut secundum ad primum, quartum dicitur esse proportionale tertio: ex. gr. quia numerus senarius ita se habet ad ternarium, sicut quaternarius ad binarium, numerus senarius dicitur esse proportionalis quaternario. Translatio igitur proportionalitatis consistit in hoc, vt quando quartum ita se habet ad tertium, sicut secundum ad primum, nomen quarti transferatur ad secundum, vel nomen secundi ad quartum. Ex. gr. sicut se habet Clypeus ad Martem, ita se habet poculum ad Bacchum: potest igitur per translationem Clypeus vocari *Poculum Martis*: Poculum vocari *Clypeus Bacchi*. Rursus sicut se habet vesper ad diem, ita se habet senectus ad vitam: potest igitur per translationem vesper vocari *senectus diei*, senectus vocari *Vesper uitæ*, vel *occasus uitæ*, vt dixit Empedocles. Cum vtimur tali translatione, aliquando apponimus particulam *ceu*, vel aliam æquiualentem, dicendo ex. gr. quod poculum est ceu clypeus Bacchi; aliquando non addimus talem particulam, vt cum absolutè loco nominandi poculum, dicimus *Clypeum Bacchi*. Addit Aristoteles primo, quod translatione proportionalitatis possumus vti etiam, cum alteri ex duabus proportionalibus nõ est impositum nomen. Ex. gr. datur proportionalitas inter lucem diffusam à sole, & semina sparsa ab agricolis: attamen actio spargendi semina habet nomen proprium, quod est serere; at actio diffundendi lucem non habet proprium nomen. Adhuc tamen nomen serendi possumus ad solem transferre, vnde quidam dixit, quod *Sol serit diuinam lucem, seu flammam*. Addit secundo, quod aliquando possumus ita hoc genere translationis vti, vt nomen transferendo, negemus de eo, quod proprium est talis nominis: ex. gr. loco nominandi Clypeum poculum Martis, possumus illum vocare poculum sine vino, adeoque ita Clypeum vocare poculum, vt de eo negemus *habere uinum*, quod proprium est poculi.

Quid sint nomina spectantia ad ornatum Aristoteles vel non explicauit, vel si explicauit, talis explicatio amissa est iniuria temporis, vel incuria librariorum. Videntur verò hæc nomina esse, quæ vocantur Epitheta, siue adiuncta, ac maximè ornant orationem, de iisque actum est lib.3. Rhet. cap.2. num.12.

17 *Fictum est, quod à nemine vsurpatum, à poeta ponitur: cuiusmodi hæc esse apparent: vt Cornua ramos, & sacerdotem custodem.*

18 *Productum, atque subtractum. Productum videlicet, quod longiore vocali vtatur, quam sit eius propria, siue etiam adiectam syllabam asciuerit.*

19 *Subtractum, quod aliquo siue peculiari, siue adiecto mutilum sit: exempli gratia productum πόλεως πόληος, πηλείδου πηληϊάδεω dicimus: subtractum, vt κρῖ δῶ, atque etiam, cum vna ex geminis fit, vt per ὄψ ὄψ, id est, fuæ.*

20 *Commutatum, cuius in denominatione aliqua quidem remanet pars, aliqua vero additur: velut, Dexteriorem secundum mammam, pro dextram.*

17 Nomina ficta, seu facta sunt, *quæ ipse poeta quibusdam rebus de nouo imponit, cum antea à nemine fuerint usurpata*. Solent

lent autem hæc nomina fingi ex aliquo nomine antea vsitato. Ita ex hoc nomine ἔρνος, quod significabat ramum, fictum est nomen ἐρνύτης ad significandum cornua præsertim ceruorum, quæ pullulant ad modum ramorum. Similiter ex hoc nomine ἀρὰ, quod significat preces, finxit Homerus nomen ἀρητήρ, eoque vocauit sacerdotes, sicut si nos sacerdotem vocaremus preculum.

18 Nomen protractum est, *quod augetur, & fit longius*. Duobus modis potest aliquod nomen augeri, ac fieri longius. Primo potest augeri, mutando vocalem breuem in longam, puta mutando ε in η, vel ο, in ω, vt cum Homerus loco dicendi πόλιος dicit πόληος, ac mutat ι in η. Secundo potest nomen augeri addendo aliquam litteram, vel syllabam, vt cum loco dicendi πηλείδου, dicitur πηληιάδεω.

19 Nomen contractum est, *quod imminuitur, & fit breuius detracta aliqua littera, vel syllaba ab ipso, vel à nomine protracto*. Tria exempla affert Aristoteles. Primum est apud Homerum lib. 5. Iliados, vbi ex κρίμνον, quod significat furfur, facit κρῖ. Secundum ex eodem libro Iliados est, cum loco dicendi δῶμα, quod significat domum, dicit δῶ. Tertium est Empedoclis, qui loco dicendi ὄψις, quod significat visum, dicit ὄψ'.

20 Demum nomen immutatum est, *cum Poeta ita aliquod nomen immutat, vt parte eius relicta, alteram partem de nouo fingat*, vt cum loco dicendi δεξιὸν, quod significat dexterum, retenta prima parte δεξ, secundam, quæ est ον mutat in ιτερον, & dicit δεξιτερὸν, vnde Homerus lib. 5. Iliados dixit δεξιτερὸν κατὰ μαζόν, hoc est in dextera mamilla.

Debet autem aduerti, quod cum nomen aliquando sumatur strictè, prout opponitur verbo, aliquando sumatur latè, prout comprehendit verbum, hoc loco ab Aristotele videtur sumi latè, siquidem etiam verba diuiduntur in propria, in linguas, in translata &c. vt patet etiam ex eo, quod numero 5. in exemplum nominum translatorum affert etiam verba.

21 *Nominum præterea sunt aliqua mascula, aliqua fæminea, aliqua media. Mascula, quæcunque in ν, & ρ desinunt, & in cunctas, quæ à π & κ mutis componuntur. Sunt enim omnino duæ, ψ & ξ. Fæminea, quæcunque in vocales suapte natura longas, quales sunt η & ω, desinunt: productas insuper in α, quo fit, vt hæc numero sint æquales illis, in quas mascula, & fæminea desinunt. ψ enim & ξ non diuersæ sunt. Sanè nullum nomen in mutam desinit, sed nec in vocalem breuem: in ι vero tria tantum μέλι, κόμμι, πέπερι: in υ quinque, πῶυ, νάπυ, γόνυ, δόρυ, ἄστυ. Media in hæc, insuperque in ν & σ.*

21 Tertio demum nomina diuiduntur in masculina, fæminina, & media, quæ vocari solent neutra. Nomina masculina desinunt in ν, & ρ, & in duas duplices ψ, & ξ. Non tamen negat Aristoteles in litteras enumeratas posse etiam desinere nomina aliorum generum: & præterea non negat posse nomina masculina desinere etiam in alias litteras, cum multa desinant in σ. Nomina fæminina desinunt vel in duas vocales longas, quæ sunt ω, & η, vel etiam in vocalem ancipitem α, & præterea quædam desinunt in ψ, & χ, quæ sunt litteræ communes desinentijs masculinorum, & fæmininorum. Hinc sequitur in tot litteras desinere nomina masculina, ac nomina fæminina: masculina enim desinunt in quinque, quæ sunt ν, ρ, σ, ψ, & ξ; fæminina desinunt in totidem quinque quæ sunt ω, η, α, ψ, & ξ. In litteras mutas, & in vocales breues, quæ sunt ε, ο, nullum nomen Græcum desinit: in ι, desinunt tria solum, quæ sunt μέλι, κόμμι, & πέπερι. In υ desinunt quinque, nimirum πῶυ, νάπυ, γόνυ, δόρυ, ἄστυ. Nomina neutra desinunt in ν, ρ, σ. Tota hæc doctrina spectat potius ad Grammaticam, quam ad philosophiam, vel poeticam, & est valde mutila, & imperfecta; ideoque interpretes suspicantur textum esse corruptum. Sed non est immorandum.

Quibus nominibus, & quo pacto sit vtendum ad reddendam locutionem poeticam perspicuam, & non humilem. Caput XXI.

1 *Dictionis autem virtus, vt perspicua sit, non tamen humilis.*

2 *Quæ igitur ex proprijs nominibus constabit, maxime perspicua erit, humilis tamen.*

men. Exemplum sit, Cleophontis, Stheneliique poesis. Illa veneranda, & omne prorsus plebeium excludens, quæ peregrinis vtetur vocabulis. Peregrinum voco varietatem linguarum, translationem, extensionem, tum quodcunque à proprio alienum est.

1 Distinctis speciebus nominum, examinandum est, quibus nominibus sit vtendum ad hoc, vt locutio poetica bene se habeat: & quia non potest locutio poetica bene se habere, nisi habeat duas virtutes, quarum altera est, vt sit perspicua, altera vt non sit humilis, sed grandis, ideo primo est explicandum, quænam nomina faciant locutionem perspicuam, quæ faciant non humilem, sed grandem: secundo explicandum est, qua temperantia in vsu talium nominum sit vtendum, ne dum conamur efficere locutionem perspicuam, faciamus humilem, & dum conamur facere grandem, faciamus obscuram: tertio refellendæ sunt duæ accusationes contra locutionem, qua vtuntur poetæ Epici, ac Tragici: quarto explicandum est, quorum nominum vsus sit præ cæteris laudabilis: quinto demum statuendum est, quæ præcipuè nomina conueniant poesi Dithyrambicæ, quæ Epicæ, vel Iambicæ.

2 Quoad primum: maximè perspicua locutio est, quæ vtitur nominibus proprijs, atque vsu vulgi protritis, sed propter hoc ipsum est humilis. Exemplum esse potest poesis Cleophontis, ac Stheneli, quæ quia ex proprijs nominibus constat, ita est dilucida, vt sit humilis. E conuerso illa locutio est grandis, & à consuetudine vulgi recedens, quæ nominibus vtitur peregrinis. Peregrina verò nomina dicimus nomina linguarum, nomina translata, protracta, contracta, & vniuersim omnia, de quibus egimus cap. superiori, exceptis proprijs. Ratio, cur nomina peregrina faciant locutionem grandem, allata est à nobis lib. 3. Rhet. cap. 2. num. 2. ideoque non est hic repetenda.

3 *Verum, si quis hæc omnia simul congerat, vel ænigma efficiet, vel barbarismum: ænigma quidem, si translationes: barbarismum vero, si linguas. Aenigmatis forma ea erit, oratio scilicet, quæ ex minime congruentibus inter se constet. Hoc itaque per nominum compositionem effici minime potest, per translationem vero potest: vt, Vidi igne, atque are virum viro inhærentem vnum, cæteraque id genus, quemadmodum quoque ex linguarum varietate barbarismus. Quapropter aliquo pacto hic admiscetur. Proinde sicut illud non triuiale, ac minime humile, lingua, translatio, ornatus, cæteraque dictæ species pariunt: ita proprium perspicuitatem. Cæterum non minimam conferre videntur partem ad dictionis perspicuitatem, & ad vulgare excludendum, productiones, concisiones, nominumque immutationes. Quandoquidem id, quod præter vsum communem sit, quatenus à proprio diuersum est, illud minime plebeium efficit: quatenus vero cum vsu communi conuenit, claritatem.*

3 Quoad secundum: licet nomina translata, & nomina linguarum valde conferant ad efficiendam orationem peregrinam, tamen si tota locutio constet ex nominibus translatis, euadet ita obscura, vt degeneret in ænygma; si tota constet ex nominibus linguarum, barbarum quid sonabit, ac degenerabit in barbarismum. Ratio, cur locutio constans ex nominibus linguarum degeneret in barbaram est, quia nomine locutionis barbaræ hic intelligimus eam, quæ sapit aliam linguam diuersam ab ea, qua loquimur; sed locutio tota pene constans ex nominibus diuersarum linguarum, eo ipso sapit aliam linguam diuersam ab ea, qua loquimur; ergo &c. Ratio, cur locutio constans ex nominibus translatis degeneret in ænygma est, quia forma, ac definitio ænygmatis est, vt sit oratio, per quam dicentes quæ rei insunt, videmur impossibilia coniungere, ac de re enunciare; sed si explicemus, quæ rei insunt per nomina propria, nunquam videmur impossibilia coniungere, & enunciare; si verò explicemus, quæ rei insunt per nomina translata, tum videmur impossibilia coniungere, & enunciare; ergo &c. Exemplum potest esse illud celebre ænygma, in quo de chirurgo, qui applicauerat ægroto cucurbiculas ignitas, vulgo *le coppe*, dictum est: vidi virum igne æs viro agglutinantem. Hoc ænigma cum enunciet aliquid verum, videtur enunciare aliquid impossibile, siquidem primo aspectu videtur impossibile, quod igne agglutinetur æs viro.

viro. Ratio, cur videatur enunciare aliquid impossibile est, quia totum constat ex translatis. Chirurgum enim vocat nomine generico viri; cucurbiculam æneam vocat nomine æris; stupam ignitam vocat ignem; ægrotum vocat nomine generico viri; applicationem demum cucurbiculæ vocat agglutinationem; ergo patet orationem constantem ex translatis degenerare in ænigma. Ne igitur locutio poetica videatur ænigmatica, vel barbara, temperatè vtendum est tum nominibus translatis, tum nominibus linguarum, eaque sunt miscenda cum proprijs. Ita enim fiet, vt locutio per nomina translata, per nomina linguarum, & per epitheta spectantia ad ornatum, euadat non humilis, ac non vulgaris: à nominibus verò proprijs perspicuitatem acquirat. Addit Aristoteles, quod ad reddendam elocutionem poeticam perspicuam simul, & peregrinam, valde conferunt nomina protracta, contracta, & commutata. Ratio est, quia cum hæc nomina sint communia, & vsitata, sed præter vulgarem vsum prolata, quia sunt communia, facile percipiuntur, adeoque reddunt locutionem perspicuam; quia præter vsum communem proferuntur, reddunt eamdem non vulgarem, sed peregrinam.

4 *Quapropter errant non parum, qui huiusmodi dictionis genus accusant, quique Poetam ipsum incessere audent: id quod priscus Euclides fecit, quasi facile quis confingat, si ei, dum iambos conscribat, in ipsa dictione nomina quantumlibet extendere liceat. Quemadmodum, ἠτίχαριν εἶδον μαραθῶνα δὲ βαδίζοντα. & ἐκ ἂν γευάμενος τὸν ἐκείνου ἔξελε βορὸν. Itaque ridiculus esse apparet, qui hoc dicendi modo vsus est. Atqui mensura æque omnibus partibus regula est. Nam si quis translationibus, linguis, cæterisque huius generis, vel indecenter, vel affectate vsus fuerit, pari ratione ridicula struxerit.*

4 Quoad tertium: ex dictis refelli possunt duæ accusationes, quarum altera proposita fuit contra poetas Epicos, altera contra Tragicos. Prima accusatio est quorumdam, qui reprobant vsum nominum immutatorum, contractorum, & protractorum, ac maledictis vexant Homerum, quod eum vsum introduxerit. Et quidem Euclides priscus, qui censetur fuisse Grammaticus, contra hanc nomina immutandi licentiam obiecit, quia si liceat poetæ Epico nomina immutare, producere, ac contrahere prout voluerit, facile erit versus scribere: ex. gr. si liceat litteram breuem producere, facile poterit quis vtens pede Iambo, primam eius syllabam breuem producendo mutare in spondæum, adeoque carmen hexametrum cõponere, vt fecit ille, qui hac licentia vtens scripsit duos versus sequentes. Primus est:

ἠτίχαριν εἶδον μαραθῶνα δὲ βαδίζοντα

in quo secundus pes ριν ι est iambus, cum syllaba ριν sit breuis, & tamen efficiendo syllabam ριν longam, Iambus mutatur in spondæum. Secundus versus est

ἐκ ἂν γευάμενος τὸν ἐκείνου ἔξελε βορὸν

in quo sextus pes βορὸν est iambus, cum prima eius syllaba βο sit breuis, & tamen per licentiam poeticam mutando illam in longam, Iambus mutatur in spondæum. Respondet Aristoteles huic Euclidis obiectioni, in aperto esse, quod si quis malè, & sine modo vtatur nominibus contractis, protractis, & immutatis, efficiet orationem ridiculam; at ex hoc non probatur vniuersim esse reprehendendum vsum talium nominum, sed solum ostenditur iis temperatè, & cum quadam mensura vtendum. Confirmatur, quia omnibus nominibus vtendum est cum quadam mensura, & modo, ideoque si quis sine modo vtatur translationibus, linguis, alijsque formis loquendi, peccabit, & efficiet orationem ridiculam; & tamen non est vniuersim reprehendendus vsus translationum, sed solus abusus; ergo licet possit quis sine modo vti nominibus immutatis &c. adhuc non est reprehendendus vsus, sed abusus talium nominum.

5 *Quantum vero concinnitas in carmine polleat, vel ex eo consideretur, quod loco nominum ad mensuram in oratione comparatorum à varietate linguarum, translationum, cæterorumque generis huiusmodi, si quis proprias appellationes posuerit, veram nos attulisse rationem inficias non iuerit. Id quod Aeschili, atque Euripidis in eodem faciendo iambo pariter versantium, exemplo apparet. Nam cum hic vnum duntaxat nomen lingua non trita loco*

loco proprij immutauerit, tam pulcher apparuit, quam ille abiectus est visus. Etenim in Philoctete Aeschylus sic locutus est: Mei pedis carnem exedit phagedana: ipse vero Euripides loco exedit, epulatur apposuit. Ad hac: Nunc autem paruus me existens, turpis, ineptus: verbi gratia si quis afferens magis propria, id ineptus immutauerit, hoc pacto: Debilis, informis me existens, exiguusque: itemque, indignum currum, & exiguas dapes: dicatque currum prauum, & paruas dapes: rursusque pro Iones vociferantur, Iones clamant.

5 Addit Aristoteles, quod vt videamus, quantũ splendoris addat carminibus, præsertim epicis, congruus vsus nominum peregrinorum, translatorum nimirum, atque ex linguis desumptorum &c. debemus considerare versus, in quibus nomina peregrina sunt congruè posita, ac deinde loco nominum peregrinorum ponere nomina propria, & vulgaria: statim enim apparebit versus illos ablatis nominibus peregrinis omnem penè dignitatem amittere, adeoque magnam ijs carminibus ex peregrinis nominibus dignitatem accessisse. Explicatur, proponendo nobis ob oculos exempla quatuor versuum, quorum primus est Iambus, tres vltimi sunt hexametri. Primum exemplum est versus Iambus, qui idem inuenitur apud Aeschylum, & apud Euripidem, vno tantum nomine immutato. Versus Aeschyli in Philoctete, qui morsus à serpente, atque ex vulnere orta in pede Phagedæna, hoc est Cancrena quadam incurabili, lamentabatur, est: *Phagedæna, quæ mei carnes comedit pedis*: Versus Eurypidis est: *Phagedæna, quæ mei carnes epulatur pedes*; sed versus Aeschyli quia vtitur verbo consueto *comedit*, est humilis; versus Euripidis quia vtitur verbo quodam peregrino, atque ex alia lingua desumpto, quod nos vertimus *epulatur*, est grandis, ac dignitate plenus; ergo ex vsu nominis peregrini magna dignitas illi carmini accedit. Secundum exemplum est carmen Hexametrum, quo apud Homerum lib. 9. Odyss. Polyphemus ab Vlysse excæcatus conqueritur, quod ab homine paruo, imbecilli, ac turpi fuisset orbatus visu, dicens: *Nunc autem hic paucus, nullius pretij, atque informis &c.* Hoc carmen magnam habet dignitatem propter nomina translata, quæ si mutentur in propria, dignitatem amittit. Primo enim loco vocandi Vlyssem *paruum* vocat *paucum*, adeoque transfert nomen à quantitate discreta ad continuam. Secundo loco vocandi *imbecillum* vocat *nullius pretij*, adeoque nomen transfert à mercibus, quæ venduntur, ad hominem. Tertio loco vocandi Vlyssem turpem, vocat nomine metaphorico turpitudinem exprimente. Tertium exemplum desumitur ex 21. Odysseæ, vbi narrans Homerus, quo pacto Telemachus apposuerit Vlyssi vile quoddam sedile, & paruam mensam, dicit:

δίφρον ἀεικέλιον καταθεὶς ὀλίγην τε τράπεζαν

Sedem vilem constituens, paucamque mensam.

in quo carmine ad significandam sedem vilem, vocat illam nomine peregrino ἀεικέλιον, non autem nomine vsitato μοχθηρὸν, & mensam non vocat paruam, sed paucam, atque eorum nominum vsu magnam carmini dignitatem addit. Quartum exemplum desumitur ex 17. Iliados, in quo Homerus describens strepitum, quem edunt vndæ maritimæ, dum magno impetu littoribus alliduntur, loco dicendi ἠιόνες κράζουσι, hoc est *littora perstrepunt*, dicit ἠιόνες βοόωσιν, hoc est littora clamant, & ita transferens verbum clamandi, quod est proprium animatorum, ad littora inanimata, carmen pulcherrimum efficit. Patet ergo ex dictis nomina peregrina congruè, ac cum modo adhibita magnam carminibus dignitatem adiungere.

6 *Ariphrades præterea carpebat tragœdos, perinde ac in Tragœdijs suis his vterentur, quæ in communi sermone diceret nemo: vt δωμάτων ἄπο pro ἀπὸ δωμάτων, id est domibus ab, pro ab domibus: & σέθεν pro σοῦ, id est sui: & νιν pro αὐτὸν, id est ipsum: & ἀχιλλέως πέρι pro περὶ ἀχιλλέως, id est Achille de, pro de Achille, cæteraque huiusmodi prorsus ignorans, quod hæc omnia, dum proprium vitant, plebeiam interim dictionem effugiunt.*

6 Secunda accusatio est cuiusdam Ariphradis fortasse grammatici, qui Poetas Tragicos irridebat, quod vterentur quibusdam nominibus, ac modis loquendi, quibus in familiari sermone nemo vsus fuisset

fine derisu. Quatuor exempla nominum, vel modorum loquendi, quæ ab Ariphrade deridebantur, Aristoteles affert. Prima duo consistunt in inusitato ordine vocum. Cum enim in sermone communi dicamus ἀπὸ δωμάτων, à domibus, Tragici dicunt δωμάτων ἀπό; & cum dicamus περὶ Ἀχιλλέως, circa Achillem, Tragici dicunt Ἀχιλλέως περὶ, Achillem circa. Duo posteriora exempla consistunt in vsu vocum in communi sermone inusitatarum. Cum enim in communi sermone dicamus σοῦ, quod significat sui, Tragici dicunt σέθεν; & cum dicamus ἐγὼ δὲ αὐτὸν ego autem eum, Tragici dicunt ἐγὼ δέ νιν, ponentes νιν, quod est doricũ loco αὐτόν. Respondet Aristoteles, quod tales modi loquendi propter hoc ipsum, quod recedunt à consuetudine vulgi, efficiunt locutionem magnificam, ac minimè vulgarem; sed ea, quæ conferunt ad efficiendam locutionem minimè vulgarem, laudanda sunt, non reprehendenda; ergo Poetæ tragici ex hoc capite sunt laudandi, licet Ariphrades hæc non aduertens, illos reprehenderit.

7 *Cæterum magni negotij est, in supradictis singulis à decenti non discedere, minimeque abuti compositis nominibus, linguisque: cum primis vero decenter vti translationibus, maxime est arduum. Id quod vnum non aliunde quæsitum sit oportet, versatilisque ingenij indolem præ se ferat. Etenim recte quid transferre, simile aliquod illius contemplari est.*

8 *Duplicia vero nomina, vt maximum in modum Dithyrambis quadrant, sic Heroicis linguarum varietas, Iambicisque translationes. Quanquam Heroicis quidem supradicta omnia ualde usui sunt: Iambicis uero, quod maxime colloquia æmulentur, cuncta illa conueniunt nomina, quibus rite quis in ipso sermone utatur. Sunt autem hæc, propria, metaphorica, ornata. De Tragœdia igitur, deque ad actionem accommodata imitatione, satis hactenus a nobis hæc dicta sint.*

7 Quoad quartum: licet magnum, ac laude dignum sit, vti conuenienter nominibus compositis, nominibus ex linguis desumptis, alijsque generibus nominum peregrinorum, adhuc multo maximum, ac laudabilissimum est conuenienter vti nominibus translatis. Ratio est, quia maiorem laudem meretur poeta propter ea, quæ non debet ab alijs accipere, sed debet proprio ingenio excogitare, quam propter ea, quæ potest ab alijs accipere; sed alia genera nominum possumus, ac plerumque debemus ab alijs accipere, nomina translata debemus proprio ingenio excogitare; ergo &c. Confirmatur, quia congruæ translationes inueniri nequeunt sine magno ingenij acumine; ergo cum sint ingenij signum, maximè sunt laudandæ. Probatur antecedens: translationes enim congruæ fundantur in similitudine, ac proportione rerum; sed videre similitudinem, ac proportionem rerum opus est ingenij; ergo &c.

8 Quoad quintum: ex enumeratis generibus nominum aliqua præcipuè conueniunt vni poematum generi, alia alteri. Primo ergo nomina multiplicia, ac composita præcipuè conueniunt carmini Dithyrambico. Ratio est, quia carmen Dithyrambicum debet esse valde sonorum, ac magni spiritus plenum; sed nomina multiplicia, & composita valde conferunt ad reddendum carmen sonorum, ac magni spiritus plenum; ergo &c. Secundo nomina linguarum diuersarum præcipuè conueniũt carmini Epico, siue Heroico. Ratio est, quia carmen heroicum debet esse maiestatis plenũ, ac valde recedere à vulgari modo loquendi; sed per nomina diuersarum linguarum valde recedit à vulgari modo loquendi; ergo &c. Tertio nomina translata præcipuè conueniunt carmini Iambico, seu Tragico. Ratio est, quia cum locutio tragica ita debeat esse magnifica, vt imitetur familiares sermones, ijs præsertim nominibus debet vti, quibus homines etiam in familiari sermone vtuntur ad reddendam locutionem magnificam; sed homines in familiaribus sermonibus ad reddendam locutionem magnificam vtuntur pene vnicè nominibus translatis, non autem compositis, aut linguarum &c; ergo &c. Addit Aristoteles, quod in carmine epico possumus vti omnibus explicatis generibus carminum; at in Iambicis solum ijs, quæ sunt vsitata in familiari sermone, cuiusmodi sunt nomina propria, translata, & epitheta, seu nomina ad ornatum spectantia. Atque hæc de tragœdia, ac de imitatione, per quam poeta imitatur, non narrando, sed agendo dixisse sufficiat.

De

De Epopœia; in quibusnam Epopœia conueniat cum tragœdia? Cap. XXII. Articulus Primus.

1 *DE narratiua uero, & per numeros imitatione, quòd ipsæ quoque fabulæ, non secus, ac in Tragœdijs actus, consi-*
2 *stere debeant;* * *pariterque circa unam, eamque integram, atque perfectam actionem uersari, principio scilicet, medio, fineque constantem, à qua sanè, uelut ab integro quopiam animali, uolupias quædam peculiaris proficiscatur, omnino manifestum est.*

3 *Itemque quòd historijs usitatis dissimiles esse debeant, quæ quidem non unius tantum actionis præbeant notitiam necesse est, sed temporis unius, omnium sanè, quæcunque in eo tam circa unum, quam plures contigere, eodem scilicet modo, quo singula quæque inter se (ut casu euenit) se habent: verbi causa circa idem tempus nauale bellum in Salamine, præliumque Carthaginiensium in Sicilia, quæ minime quidem in eundem exitum spectant: itaquoque in insequentibus temporibus, dum alterum interdum post alterum fit, quibus unus non est exitus.*

EX dictis cap. 2. num. 3. Epopœia nihil pene habet, quod tragœdia non habeat, adeoque pene totaliter continetur in tragœdia, ergo tractatus de tragœdia continet pene totaliter tractatum de Epopœia. Aristoteles igitur postquam fusissimè disputauit de tragœdia, breuiter agit de epopœia: & primo quidem explicat in quibusnam epopœia conueniat cum tragœdia: secundo explicat, in quibus epopœia differat à tragœdia: tertio tradit quædam præcepta circa ea, quæ sunt propria epopœiæ: hæc autem tribus articulis proponemus.

1 Quoad primum igitur, epopœia, hoc est poesis, quæ imitatur narratione metrica, in pluribus conuenit cum tragœdia. Primo conuenit in hoc, quod debet constituere fabulas dramaticas, per quas nimirum describat homines negotiantes, & aliquid agentes.

2 Secundo conuenit in hoc, quod fabula epica, sicut etiam tragica versari debet circa aliquam actionem vnam, & perfectam, quæ proinde, habeat principium, medium, & finem. Sicut igitur animal ita constat ex pluribus partibus, vt tales partes constituant vnum totum, sic actio epica debet constare ex pluribus partibus coalescentibus in vnam actionem, quæ vna actio per fabulam repræsentata, habeat vim efficiendi voluptatem, non qualemcunque, sed eam, quæ est propria tragœdiæ.

3 Tertio fabula epica conuenit cum tragica etiam in hoc, quod vtraque debet habere maiorem vnitatem, quam vt plurimum habeant historiæ. Explicatur. Ad historiam non requiritur, vt narret vnam actionem, cuius partes sint ita ordinatæ, vt ex prima pendeat secunda, ex secunda tertia &c. sed sufficit, vt narret quæ acciderunt eodem tempore, vel ijsdem personis, etiam si talia sint, vt vnum non pendeat ex alio, sed omnino per accidens se habeat ad illud. Ex. gr. Herodotus narrat plura eodem tempore gesta, quorum vnum non solum non pendebat ex alio, sed neque tendebant ad eumdem finem; puta lib. 7. narrat pugnam naualem, in qua Athenienses, ac Lacedæmonij in Salamina victoriam de Persis retulerunt, & prælium terrestre, in quo Gelon in Sicilia vicit Carthaginenses, quæ duo prælia casu, & non in ordine ad eumdem finem, gesta fuerunt eodem pene tempore. E conuerso per fabulam epicam debet narrari actio vna, non ex eo tantum, quod eius partes eodem tempore, vel ab ijsdem personis sint gestæ, sed etiam ex eo, quod vna pars pendeat ex alia, vt de actione tragica explicatum est supra cap. 6.

4 *Id, quod ferè poetarum non pauci efficere solent. Quamobrem quemadmodum superius diximus, ob id etiam præ cæteris diuinus Homerus uideri iure debet, quòd bellum quidem aliqui principio, medio, fineque constans, totum scribere minime est aggressus: siquidem uel nimis magnum euasurum, atque adeo perceptu difficile existimauit: uel, si ad iustam magnitudinem perstrinxisset, inculcatum nimia uarietate futurum. Nunc uero eius rectè una duntaxat parte suscepta, pluribus in ea Episodijs usus est: sicuti nauium catalogo, alijsque Episodijs, quibus Poesim ipsam locupletissimam reddit. Alij uero circa uirum unum, tempusq; duntaxat unum*

uersantur, sed actionem ipsam multimembrem constituunt: quemadmodum qui Cyprica, & Iliadem paruam conscripsit. Verum enimuero Ilias simul, atque Odyssea una tantum Tragœdia, duabus ad summum claudi possunt: contra Cyprica non nisi pluribus. Tum parua Ilias ex octo amplius constat: ut sunt armorum iudicium, Philoctetes, Neoptolemus, Eurypilus, Emendicatio, Lacæna, Ilij excidium, Reditus, Sinon, Troades.

4 Addit Aristoteles, quod multi poetarum contra vnitatem fabulæ peccant, dum loco scribendi fabulam vnam vnitate actionis, scribunt fabulam vnam vnitate temporis, vel personæ, cuius res gestas persequuntur: Homerus è conuerso etiam ex hoc capite præter cæteros diuinus est censendus, quia in hoc vitium non incidit, sed cecinit actionem maximè vnam. Non solum enim in Iliade non aggressus est canere omnia spectantia ad vnum hominem, puta ad Achillem, quippe quæ non constituissent vnam actionem, sed neque aggressus est canere totum bellum Troianum, licet videretur esse vna actio, vtpote habens principium, medium, & finem. Ratio est, quia fabula non solum debet esse vna, sed debet habere conuenientem magnitudinem, per quam possit tota perspici, ac sub memoriam cadere, ac præterea debet posse varijs Episodijs exornari, ac distingui; sed bellum Troianum licet admittatur, quod sit vna actio, adhuc est ita magnum, vt præsertim si Episodijs varijs exornetur, non possit totum perspici, ac sub memoriam cadere; ergo sapienter Homerus aggressus est canere non totum bellum Troianum, sed vnam eius partem, eamque catalogo nauium, alijsque episodijs exornauit. E conuerso alij Poetæ peccarunt, quia vel aggressi sunt canere vnum virum, & omnia spectantia ad ipsum, vt qui scripserunt Herculeica, Theseida &c. vt dictum est etiam cap. 6. num. 2. vel quæ gesta sunt vno tempore; vel vnam actionem constantem ex pluribus partibus, vt qui scripsit Cyprica, & qui fecit paruam Iliadem, in qua complexus est totum bellum Troianum. Hinc ortum est, vt horum poemata contineant fabulas minus vnas, quam Poemata Homeri. Probatur: nam illæ fabulæ ex quibus possunt confici pauciores tragoediæ, sunt magis vnæ, quam eæ, ex quibus possunt confici plures tragoediæ; sed ex Iliade Homeri potest confici vnica tragoedia, vel ad summum duæ, idemque dic de Odyssea &c: e conuerso ex Cyprijs possunt confici multæ tragoediæ, ex parua Iliade plusquam octo: de facto siquidem decem tragoediæ conscriptæ sunt circa ea quæ continentur in parua Iliade, quarum inscriptiones sunt, Armorum iudicium, Philoctetes, Neoptolemus, Eurypilus, Mendicatio, Lacæna, Ilij depopulatio, Reditus Classis, Sinon, & Troades. Ex his tragoedijs duæ tantum extant, Philoctetes nimirum Sophoclis, & Troades Euripidis; aliæ octo non extant.

5 *Iisdem præterea generibus Epopœia, quibus Tragœdia constet, est necesse. Etenim uel simplicem, uel complicitam, uel moralem, uel patheticam hanc esse oportet. Cui totidem, eædemque partes, præter harmoniam, & apparatum respondent: ut quæ peripetijs, agnitionibus, affectibus, adhuc etiam sententia, & dictione, egregijs quidem omnibus indigere uideatur. Quibus sanè cunctis & ante alios, & plenissime Homerus uates utitur, siquidem utroque poemate hæc omnia complexus est. Vt enim Ilias simplex, atque patheticum continet genus, sic Odyssea complicitum, ut quæ agnitionibus constet, & per totum morata sit. Ad hæc quoque dictione, atque sententia, cæteris mirum in modum uatibus antecellit.*

5 Quarto Epopoeia conuenit cum tragoedia in speciebus, atque in plerisque partibus. Sicut ergo ex dictis cap. 17. num. 1. quatuor sunt tragoediæ species, simplex nimirum, implexa, pathetica, & moralis, sic totidem sunt species Epopoeiæ. Rursus ex sex partibus qualitatis, quæ vt dictum est cap. 4. conueniunt tragoediæ, quæ partes sunt Apparatus scenicus, Melopoeia, dictio, mores, sententia, & fabula, exceptis duabus, apparatu nimirum scenico, & melopoeia, reliquæ quatuor conueniunt etiam Epopoeiæ; siquidem & epopoeia debet enarrare fabulam, in qua sint peripetiæ, agnitiones, & passiones: ac præterea debet rectè se habere quoad dictionem, sententiam, atque expressionem morum. Homerus porro omnibus his speciebus, & partibus vsus est

primus,

primus, & tam bene, vt possit reliquis proponi in exemplum. Scripsit enim Iliadem, quæ est poema simplex, & Patheticum: scripsit Odysseã, quæ est poema implexum. Vtrumque poema agnitionibus est refertum, atque egregiè mores exprimit. In elocutione verò, & sententia ita excelluit, vt omnes superarit.

Quo pacto Epopœia differat à Tragœdia in magnitudine, ac metro. Capitis XXII. Articulus II.

6 *Differt autem Epopœia contextus à Tragico, longitudine, metroque. Itaque longitudinis præfinitio sit, de qua nobis satis est dictum vt principium, simulque finis conspici queat. Hoc autem fuerit, si contextus ipsi, veteribus quidem minores erunt, plures vero Tragœdias ad vnam auditionem dispositas complectentur.*

7. *Quippe proprium Epopœia est, posse plurimum in magnitudinem excrescere: id quod assequi Tragœdia non potest. Quandoquidem hæc plura simul facta imitari nequit, sed id solummodo, quod in scena tunc, atque adeo penes histriones est: contra in Epopœia, vt quæ mera enarratio sit, plures veluti partes transactas conglutinari permissum est: quibus sanè perinde, ac sibi proprijs, poematis ipsius quasi grauidus augetur vterus. Quapropter hac prærogatiua cum polleat, tum facilem ad magnificentiam aditum habet, tum ad auditorem subinde leuandum, neque non dissimilibus Episodijs cuncta ad peragendum. Etenim Episodiorum vniformitas, vt quæ cito satietatem afferre soleat, in causa est, cur Tragœdia ad finem festinet.*

6 Explicatis ijs, in quibus Epopoeia conuenit cum tragoedia, explicanda sunt ea, in quibus differt. Epopoeia differt à tragoedia præsertim in duobus, primo in magnitudine, secundo in metro. Primo igitur differt in magnitudine. Cum enim tragoedia debeat repræsentare actionem, quæ potuerit perfici vnius circiter diei spatio; epopoeia possit narrare actionem, quæ non nisi pluribus diebus, mensibus, vel etiam annis potuerit absolui, potest Epopoeia esse longior tragoedia. Si verò quæratur, intra quem terminum debeat Epopoeiæ longitudo consistere, dicendum, quod Epopoeia debet esse tanta, vt possit tota in memoriam cadere, per quam vno pene aspectu videatur eius principium, medium, & finis. Videtur igitur, quod epopoeia debeat esse minor epopoeijs ab antiquis conscriptis, cuiusmodi sunt Ciprica, & Parua Ilias, quæ non possunt totæ in memoriam cadere, ac videtur posse continere multas tragoedias ita ordinatas, vt debeant ijsdem Auditoribus exhiberi, eo quod repræsentent fabulas ita connexas, vt secunda pendeat ex prima, quales sunt aliquæ antiquorum Tragoediæ.

7 Sicut porro Epopoeia debet esse longior tragoedia, sic habet aliquid, quod valde conferat ad Epopoeias producendas, quod non habet tragoedia. Explicatur: Ad fabulam producendam multum confert repræsentare, quæ eodem tempore diuersis in locis fiunt, si sint ita connexa, vt ad eumdem finem conferant; sed tragoedia cum debeat per se repræsentare personas in scena negotiantes, & agentes, non potest repræsentare, quæ eodem tempore fiunt in diuersis locis, sed solum quæ fiunt in vno loco: E conuerso epopoeia cum repræsentet narrando, potest narrare quæ eodem tempore fiunt in diuersis locis, & sunt ita connexa, vt conducant ad eumdem finem; ergo Epopoeia habet præ tragoedia aliquid, quod valde confert ad producendas Epopoeias. Hæc facultas producendi Epopoeiam, narrando quæ eodem tempore fiunt in diuersis locis, multum confert tum ad magnificentiam, tum ad recreandum animum Auditoris varietate rerum, tum ad Epicum poema dissimilibus Episodijs exornandum. Episodia verò debent dissimilia constitui, quia similitudo rerum repræsentatarũ cito affert satietatem, & fastidium, ideoque ex hac similitudine oritur, vt multæ tragoediæ excidant à suo fine, nec plausum ab Auditoribus consequantur.

8 *Heroicum vero carmen ex ipsa quidem experientia congruens esse apparuit. Etenim, si quis alio quolibet metri genere, pluribusue inter se mixtis, enarratiuam facere imitationem aggressus fuerit, præter ipsum decens factum videri poterit, quandoquidem numerorum omnium stabilissi*

lissimum, atque turgidissimum Heroicum est, quo sanè fit, vt linguas, atque translationes potissimum admittat. Nam modus ipse enarratiuus præ cunctis alijs excellens est. Iambi vero, atque octonarij mobiles quidem sunt: verum vt hi saltationibus, sic agendis rebus illi aptissimi sunt. Ad hæc illud etiam magis absurdum, si quis, vt ipse Chæremon, hos miscuerit. Quare longum contextum alio, præter quam heroico metro rite panget nemo. Nimirum id congruere (sicuti diximus) natura docet.

8 Secundo Epopoeia differt à tragoedia in metro. Cum enim tragoediæ conueniat Iambus, experientia compertum est Epopoeiæ cõuenire carmen Heroicum, siue hexametrum: ideoque si quis imitationem narratiuam faceret alio metro, quam Hexametro, vel pluribus metris simul coniunctis, videretur facere aliquid indecorum. Ratio, cur imitationi narratiuæ conueniat carmen Hexametrum est, quia imitationi grauissimæ simul, ac maximè æquali, ac stabili, conuenit metrum grauissimum, maximè æquale, ac stabile; sed imitatio narratiua est grauissima, maximè æqualis, ac maximè stabilis; ergo imitationi narratiuæ, qualis est Epica, conuenit metrum grauissimum, maximè æquale, ac stabile; sed metrum hexametrum est grauissimum, maximè æquale, ac stabile, vt dictum est lib.3. Rhet. cap.8.num.4; ergo imitationi narratiuæ, siue Epicæ maximè congruit carmen hexametrum. Iambi verò, ac Tetrametri constantes trochæis, quia sunt valde mobiles, non congruunt imitationi Epicæ: sed Iambi conueniunt poesi Dramaticæ, in qua repræsentantur homines agentes, & loquentes: Tetrametri conueniunt saltationibus, vt dictum est 8. cap. cit.3. Rhet. num.5. Quia verò imitatio Epica debet esse grauissima, & maximè æqualis, multo absurdius esset, si quis ex pluribus carminum generibus poema Epicum conficeret, eo pacto, quo Chæremon ex pluribus carminum generibus Centaurum poema conscripsit. Confirmatur, quia Epopœia debet esse poema longum; sed videmus, quod hactenus nemo vllum poema longum scripsit, nisi carmine hexametro; ergo ipsa natura nos docet Epopœiæ non aliud carmen conuenire, quam hexametrum.

Traduntur quædam præcepta circa ea, quæ sunt propria Epopœiæ. Cap. XXII. Articulus III.

9 *PRoin vates Homerus in hoc quoque, quemadmodum & in cæteris, præcipua laude dignus est: quandoquidem omnium vnus, quid ipsum deceat poetam, minime ignorat. Decet autem hunc ex persona sua pauca dicere, quòd in eo imitator non sit. Itaque vates alij, dum hoc studio semper certant, pauca interim, paucisque in locis imitatione assequuntur: contra Homerus pauca admodum præfatus, modo virum, modo mulierem, interdum mores aliquos inducit. Nihil enim vnquam non moratum, at semper moribus præpollens, quodcunque confingit.*

10 *Sanè conuenit Tragœdiæ ipsum præbere mirandum, magis autem Epopœiæ, quod videlicet proportione respondeat. Ideoque mirandum maxime huic conuenit: quoniam in ea ad ipsum agentem minime respicimus. Porrò, si quis illa, quæ de persecutione in Hectorem sunt, in scenam afferat, vtique ridicula apparere fecerit. Nam & illos stare, & hunc abnuere videre esset: id quod prorsus in ipsis carminibus latet. Cæterum mirandum ipsum per se esse gratum, argumento sit, quòd omnes huiusmodi aliquod, dum nunciant, veluti dicturi in gratiam, id semper exaggerant.*

EXplicatis ijs, in quibus Epopœia conuenit cum tragœdia, & ijs, in quibus ab eadem differt, tradit Aristoteles aliqua præcepta propria Epopœiæ.

9 Primum præceptum, quod ab Homero tantum videtur fuisse obseruatum, qui proinde etiam ex hoc capite summam laudem meretur, est, vt Poeta Epicus paucissima dicat ex propria persona, ac pene semper loquatur ex persona aliorum, qui sermonibus moratis vtantur. Ratio est, quia Poeta debet esse maximè imitator; sed dum loquitur ex aliena persona, tum maximè est imitator, dum loquitur ex propria persona, non tam est imitator, quam narrator; ergo &c. Cæteri igitur Epicorum Poetarum, cum pene omnia dicant ex propria

propria

pria persona, pleraque narrant, raro, & pauca imitantur: Homerus è cõuerso postquam pauca exorsus est dicere ex propria persona, statim inducit loquentem aliquem virum, vel mulierem, nec vllum inducit loquentem, qui non egregiè exprimat mores, quibus est præditus.

10 Secundum præceptum est: licet fabula Tragica debeat esse admirabilis, vt dictum est cap. 14. num. 3. tamen fabula Epica debet esse proportionaliter admirabilior. Ratio est, quia fabula Tragica admirabilia debet in scena ob oculos ponere: Fabula Epica admirabilia solum narrat, & auribus subijcit; sed multa admirabilia, si in scena ponantur ob oculos, eo ipso videntur irrationalia, ideoque mouent potius ad risum, quam ad admirationem; si verò narratione solum auribus subijciantur, non videntur irrationalia, ideoque mouent ad admirationem; ergo fabula epica potest esse multo admirabilior, quam tragica; sed posito, quod fabula epica possit esse admirabilior, poeta debet illam constituere admirabiliorem: sic enim constituet illam iucundiorem, siquidem admirabile est iucundum, vt patet ex eo, quod qui narrant semper addunt aliquid, vt narratio euadat admirabilior, adeoque iucundior; ergo fabula epica debet esse admirabilior, quam tragica. Quod autem quædam admirabilia in scena ob oculos posita videantur ridicula, narrata autem non videantur ridicula, confirmat Aristoteles exemplo. Homerus lib. 10. Iliad. describit Achillem in campo insequentem Hectora, & capite innuentẽ exercitui Græcorum, vt consisterent, ac nullum telum in Hectorem iacerent. Hoc factum ab Homero narratum est admirabile. Si verò quis in scena exhiberet Achillem, qui solus insequeretur Hectorem, & capite innueret Græcis, vt consisterent, ac totum Græcorum exercitum consistentem, & ociantem, videretur aliquid ridiculum.

11 *Homerus vero præcipue alios docuit, quo pacto mendacium ipsum dici oporteret: quod profecto paralogismus est. Existimant enim homines, cum hoc ipso existente, siue facto, hoc ipsum fiat, si posterius sit, etiam prius esse, vel fieri: quod quidem mendacium est: sed ob id sane mendacium primum est, quod alio quopiam existente, hoc idem esse, vel fieri necesse sit: siquidem cùm hoc esse verum sciat, anima nostra paralogismo colligit, etiam primum esse verum. Cuius exemplum ex Nipitris sumi potest.*

12 *Itemque fieri quæ neutiquam possunt, modo verisimilia sint, potius quidem eligenda esse, quam quæ minime verisimilia, licet fieri possint.*

11 Tertium præceptum est: Poeta epicus cum narrat falsa, debet illa narrare, vt oportet, ita vt videantur verisimilia, & in hoc debet imitari Homerum, qui artem narrandi falsa, vt oportet, suo docuit exẽplo. Sed explicandum est, quænam sit ars narrandi falsa, vt oportet, & ita vt videantur verisimilia. Dicendum, quod ars dicendi falsa verisimiliter, & vt oportet, reducitur ad fallaciam consequentis. Fallacia consequentis fundatur in hoc, quod cũ ex antecedenti sequitur consequens, homines putant consequentiam conuerti, & ex consequenti sequi antecedens: ex. gr. quia ex pluuia sequitur terram madefieri, homines putant ex madefactione terræ sequi, quod pluerit, ac sæpe in tali illatione decipiuntur. Vt igitur narremus falsa verisimiliter, debemus ita illa ordinare, vt ex ijs sequatur aliquod verum. Cum enim homines vident id, quod sequitur, esse verum, capiuntur fallacia consequentis, per quam videntur etiam vera, quæ ex ipsis sequuntur: ex. gr. quia homines sciebant Hectorem ab Achille occisum, Homerus narrando multa falsa, ex quibus sequebatur verisimiliter hoc verum, quod Hector occisus fuerit ab Achille, fecit vt hominibus deceptis fallacia consequentis illa omnia viderentur vera. Ars igitur narrandi falsa, vt oportet, ex Homero desumpta, est narrare ea, ex quibus sequantur, quæ homines sciunt esse vera.

12 Quartum præceptum est: si poeta non possit narrare, quæ simul sint possibilia, ac verisimilia, potius debet fingere impossibilia verisimilia, quam possibilia inuerisimilia. Ratio est, quia sicut poeta non debet narrare vera, sed verisimilia, sic non debet narrare possibilia, sed verisimilia; ergo si non possit fingere verisimile simul, & possibile, debet potius fingere impossibile verisimile, quam possibile inuerisimile.

13 *Sermones quoque ipsos adeo non ex parte rationis expertium constitui debere, vt*

etiam nihil, quod non summa ratione praditum sit, contineant: si vero secus fiat, extra ipsam fabulationem saltem sit: Exempli gratia ignoratio Oedipodis, quo pacto Laius occubuerit, non autem in actibus: sicut in Electra Pythicorum nunciatio: itemque in Mysis, ex Tegea mutus, vt loqueretur, profectus in Mysiam est: quapropter locutum fuisse dicere, fabula quidem ridicula esset. Etenim a principio eiusmodi constituenda non sunt.

14 *At si semel constituta fuerint, & ita sint recepta, eas admitti quamuis absurdas, probabilius erit. Quandoquidem illa etiam in Odyssea circa Vlyssis expositionem rationis expertia sunt: quæ quidem nullo pacto toleranda apparerent, si hæc eadem non bonus aliquis poeta confinxisset. Nunc vero diuersis bonis absurdum illustrans, suaue ipsum poeta reddit.*

15 *Cæterum in dictione, ociosis in partibus maxime elaborandum: secus autem in his, quæ moribus, quæque sententia polleant. Quandoquidem ipsa valde luminosa dictio, tum mores, tum sententiam quæ quidem per se satis conspicua sunt, obumbrare solet.*

13 Quintum præceptum est: Poeta in fabula constituenda nullam eius partem fingere debet irrationabilem: si verò non possit fabulam constituere, nisi fingat aliquid irrationale, debet curare, vt illud non spectet ad fabulam, sed tanquam antea factum supponatur. Explicatur exemplis. Sophocles non potuit constituere fabulam Oedipi Tyramni, nisi fingeret aliquid irrationabile, & inuerisimile, quod nimirum Oedipus, qui in Thebarum Regno successerat Laio tum occiso, per multos annos non interrogauerit, neque sciuerit, quo pacto Laius fuerit occisus. Sed quandoquidem coactus est hoc inuerisimile fingere, supponit illud vt antea factum, non autem repræsentat in fabula, ideoque leuius peccat. At idem Sophocles grauius peccat in Electra. Inducit enim intra ipsam fabulam nuncium narrantem Orestem occisum fuisse in ludis Pythijs modo quodam parum verisimili, adeoque non solum fingit aliquid irrationabile, sed constituit illud partem fabulæ. In idem peccatum incidit Autor tragoediæ, quæ inscribitur Mysis, in qua fingitur vt pars fabulæ quędam venisse ex Tegea in Mysiam itinere tantis longo, absque eo quod in itinere fueris locutus, quod est irrationabile. Posset quis respondere has inuerisimilitudines esse dignas excusatione, quia sine ipsis tales fabulæ non potuissent constitui. Sed contra, quia hoc ipsum est reprehendendum, quod quis constituat fabulas, quæ ita includant aliquid inuerisimile, vt sine ipso stare nequeant; ergo ridicula est excusatio ex eo, quod sine talibus inuerisimilibus fabula stare non possit.

14 Sextum præceptum est: si quis velit in fabulas admittere aliqua inuerisimilia, & irrationabilia, debet illa inuerisimilia tot bonis, quasi quibusdam condimentis aspergere, vt quodammodo non appareant. Explicatur exemplo Homeri. Hic in Odyssea circa expositionem, qua Vlysses à Phæacibus expositus est in littore Ithacæ, quædam narrat inuerisimilia. Inuerisimile enim est Phæaces, qui tanta beneuolentia Vlyssem exceperant, ac tanto honore fuerant prosecuti, illum deinde dormientem, ac solum, in littore Ithacæ exposuisse, ac reliquisse. Homerus igitur hanc inuerisimilitudinem aduertens, fabulam de Vlyssis expositione in littore Ithacensi, quæ si à malo poeta descripta fuisset, intolerabilis videretur, ita ornauit, vt inuerisimilitudo non appareat.

15 Septimum præceptum est: Poeta debet locutionis luminibus ornare præsertim partes otiosas poematis, & morum expressione, ac sententiarum acumine vacuas. Ratio est, quia lumina locutionis obscurant quodammodo sententias, & mores, ita vt non satis appareant; ergo in ijs orationis partibus, quæ sunt moratæ, ac sententijs refertæ, à splendidiori locutione est abstinendum, eaque vtendum in alijs partibus, quæ cum non sint moratæ, nec sententijs refertæ, indigent luminibus verborum.

De Accusationibus, quæ afferuntur contra poetas, ac de modo illos defendendi, atque excusandi. Cap. XXIII.

1 *CAeterum dubitationes, ac solutiones, ex quot videlicet, quibusue generibus constent, ita considerantibus manifesta fient. Etenim cum imitator poeta sit, sicuti quo-*

quoque pictor, vel alius imaginum designator, eorum semper vnum aliquod, quæ tria numero sunt, imitetur necesse est: qualia videlicet fuerunt, siue sunt: vel qualia dicuntur, videnturue: vel qualia esse oportet. Hæc autem dictione tum per linguas, tum per translationes ennunciantur. Multa enim dictionis ipsius affectiones sunt, quas poetis indulgemus. Ad hæc non eadem est rectitudo Ciuilis facultatis, quæ Poeticæ: sed nec alterius vllius artis, præterquam Poeticæ. Huius vero peccatum omnino duplex est, alterum per se, alterum per accidens. Itaque quod ad imitandum non imitabile sibi proposuerit, per se huius peccatum erit: proponere vero non recte, per accidens: quemadmodum vtrunque dextrum latus equum promouentem, aut secundum vnamquanque artem peccatum, verbi gratia secundum medicinam, aliamue quamlibet artem, aut etiam, si quæ fieri nequeunt, confinguntur.

2 *Qualiacunque igitur hæc fuerint, minime quidem per se huius peccata dicimus. Quo fit, vt obiectiones in quæstionibus, si quis ad hæc respexerit, soluturus sit.*

POstquam Aristoteles egit de tragoédia, ac de Epopoeia, proponit accusationes, quæ afferuntur contra poetas, ac docet modum poetas defendendi, vel excusandi à talibus accusationibus. Primo ergo affert tria capita, ex quibus possunt poetæ excusari, ac defendi: secundo descendit ad proponendas magis in particulari obiectiones contra poetas, earumque solutiones.

1 Quoad primum: Antequam proponamus obiectiones contra poetas, earumque solutiones, considerare debemus tria, ex quibus possunt solui, quæ contra poetas obijciuntur. Primum est: quandoquidem poeta conuenit cum pictoribus, alijsque imaginum expressoribus in hoc, quod sit imitator, necesse est, vt imitetur, ac repræsentet res, vel quales sunt, aut fuerunt secundum veritatem; vel quales sunt, aut fuerunt secundum opinionem, hoc est quales dicuntur, & videntur esse; vel quales esse deberent. Secundum est: poeta imitatur locutione, & hac vel propria, vel ex diuersis linguis desumpta, vel translata. Plures etiam sunt locutionis passiones; siquidem quædam nomina sunt protracta, quædam contracta; quædam proferuntur cum vno accentu, quædam cum alio. Permittitur verò poetis vti vocibus diuerso modo affectis. Tertium est: sicut alia est rectitudo propria poeticæ, alia est rectitudo propria politicæ, vel aliarum artium, sic aliud est peccatum, quo poeta peccat contra artem poeticam, aliud est peccatum, quo peccat contra politicam, vel contra alias artes, quas non tenetur scire. Potest igitur poeta peccare vel per se, vel per accidens. Tum peccat per se, quando peccat contra ipsam artem poeticam: & quia poetica est ars imitandi, tum per se peccat, quando cum proposuerit sibi aliquid imitandum, non potest consequi suum finem, adeoque non bene illud imitatur; puta cum proponit sibi imitandum equum currentem, nec bene imitatur equum currentem. Tum peccat per accidens, quando errat circa id, quod sibi proponit imitandum, sed posito, quod illud sibi proposuerit, bene illud imitatur: ex. gr. si poeta describens equum currentem, repræsentet illum vt eodem tempore mouentem, ac proijcientem vtrumque dextrum crus, ac pedem, errat, quia equus non potest eodem tempore proijcere vtrumque dextrum crus, alioquin caderet in partem dextram, sed proijcit anteriorem dextrum, posteriorem sinistrum &c. Quia tamen poeta errat, putando equum simul proijcere vtrumque dextum crus, quod scire non spectat ad poesim, si posito hoc errore, bene imitetur equum vtrumque crus proijcientem, peccat solum per accidens, non per se. Rursus peccat per accidens, cum errat circa ea, quorum cognitio non est propria poeticæ, sed aliarum artium, puta dicens aliquid contra Medicinam, contra Astronomiam &c. vel cum dicit aliqua impossibilia, non tamen inuerisimilia. Neque enim ad poeticam spectat scire de omnibus, vtrum sint possibilia, vel impossibilia?

2 Ex his capitibus desumi possunt duodecim modi, ac formæ soluendi, quæ contra poetas obijciuntur. Si enim obijciatur, quod poeta non imitatus est benè, possumus ex primo capite desumere quinque modos soluendi. Primo possumus dicere, quod licet non imitatus sit res, quales nunc sunt, imitatus est res, quales erant ijs temporibus, de quibus agit. Secundo possumus dicere, quod non imitatus est res, quales tunc erant, sed quales

nunc sunt. Tertio, quod imitatus est res non quales fuerunt, sed quales fama est illas fuisse. Quarto, quod imitatus est res quales potuissent esse. Quinto, quod imitatus est res quales esse deberent. Si objiciatur aliquid contra voces, quibus vsus est poeta, possumus ex secundo capite desumere quatuor modos soluendi. Primus desumitur ex significatione propria vocis; secundus ex significatione, quam vox illa habet apud aliam gentem; tertius ex significatione metaphorica; quartus ex passione vocis, puta ex accentu &c. Demum si afferatur aliquid, in quo Poeta peccauit, possumus ex tertio capite deducere tres solutiones, seu excusationes. Prima est, quod peccauit per accidens, errans circa id, quod sibi proposuit imitandum, sed bene imitatus est id, quod imitandum sibi proposuit. Secunda est, quod non peccauit contra poeticam, sed contra aliam artem, quam non tenebatur scire. Tertia est, quod finxit quidem aliquid impossibile, sed per id consecutus est aliquod magnum bonum, quod intendit. Sed hæc melius patebūt obiectiones in particulari soluendo.

3 *Ac primum quidem, tametsi peccemus semper in his, quæ secundum artem sunt, si qua fieri nequeunt, confingamus, rectè tum id factum se habebit, si propterea eiusdem finem assecuti fuerimus. Dictus est enim eius finis: verbi causa, si hoc pacto, vel id magis stupendum fuerit, vel aliqua ipsius pars huiusmodi reddatur. Exemplum sit, illa in Hectorem persecutio. Si ergo finem magis, minusue assequi contigerit, peccatum vero in his, quæ circa artem sunt, fuerit, nequaquam satis rectè id fiet. Quippe si fieri potest, nullo pacto peccandum est.*

4 *Præterea vel est in his peccatum, quæ secundum artem sunt, vel quæ secundum aliquod accidens. Leuius enim fuerit, si ceruam cornua non habere ignorauerit, quàm si non bona imitatione descripserit.*

5 *Ad hæc, si quis ex parum veris arguatur, at certè qualia esse decet, solutio sit: id quod Sophocles dixit, se quidem homines, quales esse oporteret effingere, Euripidem autem, quales essent.*

3 Quoad secundum: præmissis capitibus, ex quibus possunt desumi solutiones, atque indicatis modis soluendi, debemus obiectiones proponere, ac soluere. Primo ergo si objiciatur poetam finxisse aliquid impossibile secundum aliquam artem, possumus dicere, quod licet finxerit aliquid impossibile, adhuc per id consecutus est aliquod bonum tanti momenti, vt expedierit illud impossibile fingere, siquidem per id consecutus est suum finem. Exemplum desumitur ex Homero, qui lib. 10. Iliad. finxit, quod cum Achilles Hectorem fugientem persequeretur, nutu Achillis totus exercitus Græcorum constiterit versus in spectatorem, quod est impossibile. Verum Homerus fingendo hoc impossibile consecutus est aliquod bonum tanti momenti, vt expedierit illud fingere. Ex ea enim narratione consternantur animi, ac stupore quodam de Achillis fortitudine, ac de pugnæ illius exitu suspenduntur. Quod si Poeta potuisset eumdem finem paulo magis, ac minus consequi, nullum impossibile fingendo, tum peccasset, fingens illud impossibile, ac proinde non esset à reprehensione immunis.

4 Secundo si objiciatur aliquid, in quo poeta peccauerit, considerandum est, an peccauerit contra artem poeticam, an contra aliam artem. Si enim peccauit contra aliam artem, quam non tenetur scire, dignus est venia: si verò peccauit contra artem poeticam, non meretur veniam. Ex hoc loco possunt excusari Pindarus, Callimachus, & alij, qui Ceruæ cornua affinxerunt, cum inter Ceruos fæminæ sint sine cornibus. Peccarunt enim non contra Poeticam, sed contra naturalem Historiã, quam scire non tenebantur, ideoque excusatione sunt digni. Si verò malè imitati fuissent, tum per se peccassent contra poeticam, nec mererentur excusationem.

5 Tertio si opponatur, quod non imitetur res, vt verè sunt, potest responderi, quod illas repræsentat tales, quales deberent esse: hoc autem est laude dignum, ideoque laudi vertitur Sophocli, quod cum Euripides faciat personas tales, quales sunt, Sophocles faciat tales, quales deberent esse.

6 *Quod si neutro soluendum sit modo, at certe ita esse dicuntur, respondendum erit, velut in ijs, quæ ad ipsos pertinent Deos. Fortasse enim sic dicere, neque meliorem in modum, neque secundum veritatem fuerit.*

Sed

7 *Sed tamen ita contigit, vt Xenophanes, ait, ferunt hæc. Quanquam non meliorem fortasse in modum, nihilominus ita se habuere: velut illud, quod de armis perhibetur. Rectèque solo præfixa hastæ. Sic enim eo tempore moris erat, vt nunc etiam apud Illyrios. An vero rectè, uel non rectè à quoquam siue dicatur, siue fiat, si quis inquirere uelit, non modo idipsum factum, dictumue considerare debet, utrum laudabile, an prauum sit, uerumetiam ad agentem, dicentemue respicere, ad quem uidelicet, uel quando, uel cui, uel gratia cuius: uerbi causa boni maioris gratia ut fiat, mali maioris, ne fiat.*

6 Quarto si obijciatur, quod neque repræsentet res tales, quales sunt, neque quales deberent esse, responderi potest, quod illas repræsentat tales, quales à vulgo dicuntur esse. Ex. gr. cum obijcitur Homero, quod neque descripserit Deos tales, quales sunt, neque tales, quales esse deberent, responderi potest, quod descripsit illos tales, quales à vulgo dicebantur esse.

7 Quinto si obijciatur, quod non repræsentat res tales, quales dicuntur esse, neque tales, quales deberent esse, potest responderi, vt dicebat Xenophanes, quod repræsentat tales, quales ijs temporibus cōtigit esse. Ex. gr. Homerus narrat Diomedem cum copijs noctu ita dormisse, vt haberent omnia parata, & expedita ad pugnandum, si hostes illum aggrederentur, atque ad hunc finem lanceas humi, vel in quodam instrumento, quod vocabant *sauroteres* defixas habuisse, vt erectæ starent. Contra hanc Homeri narrationem obijcitur, quod melius sit ad pugnandum contra hostes, si forte aggrediantur, hastas non humi defigere, sed ita disponere, vt cuspide sint obuersæ ad eam partem, vnde periculum est, ne hostes aggrediantur; ergo &c. Responderi potest, quod Homerus narrauit Diomedem, & socios ita hastas disposuisse, non vt melius erat, sed vt verè ijs temporibus solebant Græci illas disponere; sed Græci solebant hastas humi figere, vt patet, quia hic vsus adhuc retinetur apud Illyricos; ergo &c. Iam quia qui poetas accusant, aut defendunt, sæpe vocant in controuersiam, vtrum aliquid, quod à poeta narratur tanquam dictum, vel factum, rectè, vel non rectè fuerit dictum, vel factum? aduertit Aristoteles, quod ad iudicandum rectè ne aliquid dictum fuerit, aut factum, non solum est considerandum, quid sit dictum, aut factum, sed etiam in quibus circumstantijs fuerit dictum, aut factum: ex. gr. considerandum est, quis dixerit, aut fecerit, cui dixerit, aut fecerit, quando dixerit, aut fecerit, quo modo, vel quo instrumento sit vsus, propter quem finem dixerit, vel fecerit? ex. gr. an dixerit gratia maioris boni efficiendi, an gratia maioris mali vitandi? &c.

8 *Sunt etiam aliqua, quæ si ad dictionem ipsam respexeris, licet soluere.*

9 *Verbi gratia lingua, vt principio sanè οὐρῆας. Nam ea vox οὐρῆας fortè non mulos, sed custodes significat. Ac de Dolone: turpis erat specie: non, quòd esset corpore male compacto, verum turpi facie. Nam vocabulum εὐειδὲς pulchra facie aliquid Cretenses vocant. Et illud ζωρότερον propinabant. Haud enim ζωρότερον eo in loco pro mero, quo ebriosi gaudent, sed pro frequenter accipitur.*

10 *Per translationem insuper: vt,*

Iamque Deos alios pernox, hominesque tenebat
Insignes galea somnus. *Tum illud quoque:*
Si quando Troiæ ad campos sua lumina vertant:

Vt etiam tibiarum, fistularumque vocem. Sane pro multis, omnes per translationem dicimus. Omne enim aliquod multum est. Et, οἴη δ' ἄμμορος: id est, sola expers, similiter per translationem. Illud enim, quod notissimum est, vnicum, & solum dicimus.

8 Sequuntur rationes, ac modi soluendi ex locutione, atque ex diuersa vocum significatione. Sexto igitur si opponatur, quod Poeta dixerit aliquid incongruum, possumus respondere, quod id, quod sumendo voces in significatione, quam habent in vna lingua, vel dialecto, videtur incongruum, sumendo easdem voces in significatione, quam habent in alia lingua, vel dialecto, est congruum.

9 Tria huius solutionis exempla affert Aristoteles. Primum est: Homerus lib. 1. Iliados describens pestilentiam, quam Apollo immisit in exercitum Græcorum dicit, quod pestis primum inuasit οὐρῆας, quod iuxta linguam communem Græcorum significat mulos. Hinc aliqui Homerum car-

carpunt, quia videtur sine vlla ratione finxisse, quod pestis primo inuaserit mulos. Responderi potest, quod nomen οὐρῆας iuxta quamdam dialectum significat custodes; non est autem irrationabile, quod Apollo pestilentia primo percusserit custodes. Secundum exemplum est Homerus lib. 2. Iliad. agens de Dolone Troiano dicit, quod forma corporis erat malus, sed cursor velox. Opponunt aliqui: qui corpus habet improportionatum, ac malè cõstitutum, non potest esse velox ad currendum; ergo Homerus sibi ipsi contrarius est. Responderi potest, quod licet εἶδος, quo vocabulo vtitur Homerus, secundum linguam communem Græcorum significet figuram totius corporis, attamen iuxta dialectum Cretensium significat faciem, vt patet ex eo, quod apud Cretenses εὐειδὴς significat pulchritudinem faciei. Homerus igitur dicit, quod Dolon erat quidem turpis facie, sed reliquo corpore erat proportionatus, adeoque aptus ad currendum, quod non repugnat. Tertium exemplum est: lib. 9. Iliados Achilles excipiens legatos Agamemnonis mandat Patroclo, vt legatis ministret vinum ζωρότερον, hoc est purum. Hinc aliqui obijciunt, quod fuerit inconueniens legatis quasi temulentis ministrari vinum purum. Responderi potest, quod ζωρότερον iuxta quamdam dialectum idem significat, ac citius. Præcepit ergo Achilles Patroclo, vt legatis vinum, quam citissimè ministraret, quod non est inconueniens.

10 Septimo possunt similes obiectiones solui ex eo, quod id, quod sumendo voces in propria significatione videtur inconueniens, sumendo easdem in significatione metaphorica, non est inconueniens. Quatuor exempla Aristoteles affert. Primum est: Homerus lib. 2. Iliad. dicit: *Alij quidem Dij, & homines dormiebant per totam noctem*. Opponunt aliqui, quod absurde Homerus canat Deos, qui somno nõ indigent, dormisse per totam noctem. Responderi potest, quod Homerus dicẽs Deos dormisse, metaphoricè significauit Deos ita ab agendo cessasse, ac si somno indulgerent: dum etiam dicit Deos, & homines dormisse per totam noctem, metaphoricè significat homines dormisse per multam noctem, ponens *omnem* loco *multam*. Sæpe enim dicendo *omnes* significamus *multos*, quia omne videtur esse multum. Secundum exemplum est: Homerus lib. 10. Iliad. narrat Agamemnonem noctu, cum magnis curis conflictaretur, respexisse campum Troianum &c. Dicendum, quod Homerus dicens Agamemnonem respexisse campum Troianum, metaphoricè significauit eum non oculos corporeos, sed oculos mentis in campum Troianum intendisse. Tertium exemplum est: Homerus ibidem dicit Agamemnonem miratum esse audita voce tibiarum, ac fistularum. Opponunt aliqui, quia vox est propria animalium; ergo absurdè tribuitur tibijs, ac fistulis, quæ sunt inanimata. Responderi potest, quod tribuitur non in sensu proprio, sed metaphorico. Quartum exemplum est Homerus lib. 19. Iliad. & lib. 5. Odysseæ loquens de Vrsa dicit, quod inter sidera sola Vrsa non occidit, adeoque non lauatur oceano. Obijcitur, quia hoc est falsum, cum præter Vrsam dentur alia sidera, quæ non occidunt, adeoque non merguntur oceano. Respõderi potest, quod metaphoricè id, quod est maximè notum, dicitur solum comparatiuè ad minus notum; sed de Vrsa est maximè notum, quod non occidit: illam enim vnicè contemplantur nautæ: de alijs sideribus, præsertim tempore Homeri hoc non erat ita notum; ergo merito Homerus potuit dicere, quod Vrsa sola non lauatur oceano.

11 *Soluimus præterea ratione accentus: vt Hippias Thasius illud, δίδομεν δέ οἱ: id est, nos vero damus. οἱ enim articulus est: cui circumflexum addideris accentum, pronomen sibi, significat. Quin & illud quoque, οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ: id est, imbre minus marcet. οὐ enim, quæ negatiua particula est, si circumflexum cum aspiratione sumpserit, aliud sonat.*

12 *Per diuisionem quoque, quemadmodum apud Empedoclem: nata sed hæc subito mortali corpore vidi, ante immortali, quã animantia seligerentur.*

13 *Item per Amphibologiam: plurima præterijt nox. Illud enim πλέων amphibologicum est.*

14 *Per consuetudinem quoque dictionis: vt illud κεκραμένον, id est, mixtum: quod ad vinum pertinere receptum est. Vnde & illud, Ocrea, quæ fuerat stanno confecta recenti. Et χαλκέας, quæ vox alioqui fabros ærarios significans, pro ferrarijs sumitur, Iuxta quod etiam Ganymedes à*

vino

vino minister Iouis appellatur, cùm tamen Dÿ ipsi vinum non bibant: id quod per translationem dici neutiquam potest?

11 Octauo quædam obiectiones possunt solui ex quibusdam passionibus vocum, puta ex accentu; ex diuisione, siue interpunctione; ex amphibologia &c. Primo igitur affert Aristoteles duo exempla obiectionum contra Homerum, quas Hippias Thasius soluit ex accentu, quæ duo exempla allata sunt etiam lib. 1. Elench. cap. 3. num. 17. Primum est: lib. 2. Iliad. circa initium, vbi Iupiter præcipiens somno, vt decipiat Agamemnonem, in versione, qua Aristoteles vtebatur, profert hunc versum δίδομεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι, vt quidam legebant, hoc est *damus ipsi Agamemnoni, vt gloriam reportet*. Hunc locum quidam reprehendunt, quia Iupiter inducitur mentiens, ac promittens Agamemnoni gloriam ex pugna, cum tamen Agamemnon in ea pugna esset vincẽdus, adeoque non esset reportaturus gloriam, sed ignominiam. Hæc reprehensio est sophistica ex fallacia accentus. Neque enim debet legi δίδομεν cum accentu in antepenultima, ita vt significet *damus*, sed διδόμεν cum accentu in penultima, ita vt sit infinitum ionicum, & significet *dare*. Non igitur Iupiter dicit *damus Agamemnoni gloriam*, sed præcipit somno *dare, seu promittere Agamemnoni gloriam*; ergo non Iupiter mentitur, sed mittit somnum mentientem, & sic hanc reprehensionem soluit Hippias Thasius. Secundum exemplum est libro 23. Iliad. vers. 328, in quo Nestor loquens de quadam quercu dicit, vt quidam legunt οὗ καταπύθεται ὄμβρῳ, *vbi putrescit imbre*. & reprehendunt Homerum, quia quercus imbre non putrescit, sed duratur. Hæc reprehensio est sophistica, & ex fallacia accentus. Neque enim debet legi οὗ cum spiritu aspero, & accentu circumflexo, ita vt significet vbi, sed οὔ cum accentu acuto, & spiritu leni, ita vt significet *non*, & sensus sit, quod quercus non putrescit imbre.

12 Secundo Aristoteles affert exemplum obiectionis contra Empedoclem factæ, quæ soluitur diuisione, siue interpunctione. Empedocles describens conuersionem rerum, per quam præualente lite supra amicitiam, ea, quæ per amicitiam fuerant coniuncta, & confusa in massam quamdam immortalem, per litem separantur in corpora mortalia, dicit: *Extemplo autem mortalia facta sunt, quæ prius didicerant immortalia esse; & confusa, quæ prius erant distincta*. Opponunt aliqui, quia Empedocles loquitur de lite, quæ præualendo separat, ac distinguit. Quo pacto ergo asserit à lite fuisse confusa, quæ erant distincta? Responderi potest non esse legendum *confusa, quæ prius erant distincta* ponendo virgulam post *confusa*, sed legendum *confusa quæ prius, distincta erant*, ponendo virgulam post *prius*, ita vt sensus sit per litem fuisse distincta, quæ per amicitiam fuerant confusa.

13 Tertio affert Aristoteles exemplum obiectionis contra Homerum lib. 10. Iliad. quæ obiectio soluitur amphibologia. Vlysses socius Diomedis in nocturna quadam expeditione hortatur Diomedem, vt properet, ac dicit: *Abÿt enim nox plus duabus partibus; & adhuc superest tertia pars*. Opponitur, quia si transactæ erant plusquam duæ partes noctis, quo pacto poterat adhuc superesse tertia pars? Responderi potest orationem esse ambiguam. Potest enim significari, vel quod transacta fuerit nox secundum duas partes, & plus, & tum non posset superesse tertia pars: vel potest significari, quod nox transacta fuerit secundum plus duarum partium, ita vt aliquid adhuc supersit duarum partium, adeoque possit superesse tota tertia pars: & si in hoc sensu intelligatur nulla est contradictio.

14 Quarto affert Aristoteles exempla quarumdam obiectionum, quæ solui possunt ex recepta consuetudine sermonis. Prima est: si quis vinum aqua dilutum, vocet vinum, posset reprehendi, quia nomen vini primo impositum est ad significandum vinum purum; ergo abutitur nomine vini, dum vinum vocat vinum aqua dilutum. Responderi potest, quod iam ex consuetudine sermonis receptum est, vt nomen vini tribuatur etiam vino aqua diluto. Secundum exemplum est: Homerus lib. 2. Iliad. narrat Agenorem percussisse iaculo Tibiam Achillis, ita vt Ocrea recens fabrefacti stanni sonum ingentem ediderint. Obÿcitur, quia Ocrea Achillis non erant stannea; ergo &c. Responderi potest, quod iam ex consuetudine est receptum, vt ocrea dicantur stannea, licet constent ex alio metallo. Confirmatur, quia

quia ij, qui ferrum exercent, dicuntur fabri ærarij, licet non versentur circa æs, sed circa ferrum. Tertium exemplum est: Homerus dicit, Ganymedem vinum Ioui ministrare; sed Iupiter, ac Dij non bibunt vinum, sed Ambrosiam; ergo abutitur nomine vini. Responderi potest, quod οἰνοχόειν licet ex prima impositione significet hoc, quod est vinum ministrare, tamen iam ex consuetudine obtinuit, vt significet hoc, quod est ministrare potum quemcumque; sed Ganymedes ministrat Ioui Ambrosiam; ergo bene dicitur οἰνοχόειν. Potest verò hæc consuetudo fundari in translatione, per quam nomen transfertur à specie ad speciē &c.

15 *Quando autem in nomine contrarietas inesse significationis videtur, considerandum sanè, quotuplex est eius circa id, de quo agitur, significatio. Quemadmodum: huic spicula ferrea cum prohibebat. Etenim eo in loco ἔσχετο, quod alioqui inhærebat, significat, pro prohibebat, accipitur. Quotuplex vero illud, expenditur hoc fermè pacto, maxime vero, si quis contraria, è regione disposita suscipiat: siue, vt inquit Glauco, quoniam sine ratione aliqua præsumunt, ipsi quidem veluti iamiam pronunciaturi ratiocinantur: quosique pro arbitrio locuti, tametsi eorum opinioni contrarium insit, redarguunt. Quo in genere sunt illa, quæ de Icario perhibentur. Siquidem Laconem hunc extitisse existimant, ideoque sequi absurdum, euntem quidem Lacedæmona Telemachum in eum minime incidisse: cùm tamen id fortasse se habeat, quemadmodum Cephalenses dicunt, qui quidem duxisse apud se vxorem Vlyssem dictitant, Icadiumque esse, non Icarium. Hoc autem in genere peccatum est, verisimilis dubitatio.*

15 Quinto affert Aristoteles exempla obiectionum, quæ soluuntur, distinguendo plures significationes alicuius nominis. Aliquando opponitur, quod poeta dixerit aliquid subcontrarium alteri, quod alio loco dicit. Tum ergo distinguendo plures nominis significationes, possumus obiectionem soluere. Exemplum est: Homerus lib. 20. Iliados describens pugnam Aeneæ cum Achille dicit, quod lancea Aeneæ δύο μὲν ἔλασσε πτύχας, hoc est duas laminas perforauit ex quinque, quibus contextus erat Clypeus Achillis; Lamina verò aurea prohibuit lanceam, ne vlterius transiret. Obijcitur, quia Homerus describens clypeum Achillis, dicit illum ita fuisse à Vulcano constructum, vt ab homine mortali perforari non posset; ergo Homerus dicens lanceam Aeneæ duas laminas perforasse, sibi ipsi contradicit. Responderi potest quod illud ἔλασσε πτύχας potest significare, vel quod duas laminas perforauerit, vel quod duas laminas inflexerit; sed si intelligamus in secundo sensu, quod hasta Aeneæ duas laminas inflexerit, atque à lamina aurea, quæ erat prima, prohibita fuerit, ne perforaret, nulla est contradictio; ergo &c. Addit Aristoteles, quod plures obiectiones possunt solui distinguendo plures opiniones contrarias, quas poeta potuit sequi. Multi enim sequuntur opinionem contrariam ei, quam secutus est poeta, vel quædam sine vlla ratione supponunt, cum poeta supposuerit contrarium: his vero suppositis syllogizant, ac concludunt aliquid, ex quo poetam reprehendunt. Hæ autem obiectiones vno verbo soluuntur, dicendo poetam secutum fuisse opinionem contrariam. Exemplum est: Multi supponunt Icarium Patrem Penelopis, ac proinde socerum Vlyssis, atque Auum maternum Telemachi fuisse Lacedæmonium. Hinc reprehendunt Homerum, quod cum narrat Telemachum profectum fuisse Lacedæmona, non fecerit illum ad Icarium auum diuertere. Solutio potest desumi ex eo, quod Homerus censuerit Vlyssem vxorem duxisse non ex Lacedæmonijs, sed ex Cephalenijs, vt etiam Cephalenij dicunt: Patrem verò Penelopis fuisse non Icarium Lacedæmonem, sed Icadium Cephalænium. In hoc igitur errore circa patrem Penelopes fundatur quæstio, qua quæritur, cur Telemachus Lacedæmonem profectus non diuerterit ad auum maternum Icarium? talis enim quæstio est de subiecto non supponente.

16 *In summa, quod fieri nequit, vel ad ipsam Poesim, vel ad meliorem eius modum, siue etiam ad famam referendū est. Quantum vero ad Poesim attinet, credibile potius, licet fieri non queat, eligendum est, quàm incredibile, licet queat. Huiusmodi autem sint, cuiusmodi pinxit Zeuxis: potiusque in melius declinent. Exemplar*

enim

enim ipsum superare oportet.

17 *Et ad illa, quæ præter rationem dicunt esse, sic respondendum: tum quòd aliquando sine ratione non sunt. Verisimile enim fieri aliqua præter id, quod verisimile est.*

18 *Cæterum ita dicta contraria sic exploranda, quemadmodum in sermonibus elenchi, si idem, & ad idem, & eodem modo: sicuti dicentem ipsum, aut ad ea, quæ ipse dicit, aut quæ prudens aliquis supponeret.*

19 *Rectè enim id increpatur, quod siue rationis est expers, siue probitatis, cùm videlicet nulla necessitate cogente, præter rationem aliquo quis vtatur: sicut Euripides Aegisthi nequitia, & in Oreste Menelai.*

20 *Tales itaque obiectiones ex quinque generibus proueniunt. Etenim vel sicut illa, quæ fieri nequeunt, vel quæ rationis expertia, vel quæ lædentia, vel quæ contraria, vel quæ præter artis rectam normam existunt. Solutiones autem ex dictis iam enumeratis considerandæ sũt omnino duodecim.*

16 Concludit Aristoteles epilogando, & magis explicando hactenus dicta de obiectionibus, quæ afferuntur contra poetas, earumque solutionibus. Primo obiectiones, in quibus opponitur poetam dixisse aliquid impossibile, possunt solui tripliciter. Prima solutio desumpta ex ipsa natura poeseos est, quod poeta præferre debet impossibilia verisimilia possibilibus inuerisimilibus; sed hoc impossibile, quod finxit, est verisimile; ergo &c. Secunda solutio desumpta ex opinione communi est: Poeta potest narrare, quæ secundum opinionem communem censentur possibilia; sed hoc, quod narrauit, licet verè sit impossibile, secundum opinionem communem censetur possibile; ergo &c. Tertia solutio desumpta ex eo, quod est melius, est: poeta potest res imitari non vt sunt, sed vt melius est illas esse, licet moraliter non possint esse tales, eo pacto, quo Zeuxis pinxit Helenam pulchriorem, quam fuerit, & quam moraliter esse potuerit; sed licet non expresserit res vt sunt, & vt moraliter possunt esse, fecit illas meliores; ergo &c. Ratio verò, cur poetæ liceat res exprimere vt meliores, quam possint moraliter esse, ea est, quia debet imitando sibi proponere ideam, siue exemplar perfectissimum rei; sed exemplar est melius, ac perfectius rebus, quæ sunt, atque moraliter possunt esse; ergo poeta potest res exprimere vt meliores, quam sint, & quam moraliter possint esse.

17 Secundo obiectiones, in quibus opponitur aliquid esse irrationabile, possunt solui dupliciter. Primo potest responderi, quod licet sit irrationabile, adhuc est conforme ijs, quæ communiter dicuntur, & hoc pacto possunt saluari ea, quæ poetæ narrant de Dijs. Secundo possumus cum Agathone respondere, quod sicut verisimile est aliquando, licet raro, accidere aliquid inuerisimile, ita poeta potest verisimiliter fingere hoc ipsum, quod nimirum aliquando, sed raro, euenerit aliquid inuerisimile.

18 Tertio obiectiones, in quibus opponitur poetam dixisse aliqua inuicem contraria, possunt solui ex ijs, ex quibus in disputationibus soluuntur argumenta probantia nos dixisse contraria, vel contradictoria. Sicut igitur argumenta probantia nos dixisse contraria, vel contradictoria, soluuntur ex definitione contradictionis, quæ est, vt sit *affirmatio, ac negatio eiusdem de eodem, secundum idem &c.* sic eodem pacto soluuntur similes obiectiones, cum contra poetas fiunt. Considerandum est igitur primo, vtrum idem affirmetur, & negetur. Si enim non sit idem, non est contradictio. Secundo considerandum est, vtrum idem affirmetur, ac negetur respectu eiusdem, vel respectu diuersi. Si enim sit respectu diuersi, non est contradictio. Tertio vtrum affirmetur, ac negetur eodem modo. Quarto vtrum idem sit, qui affirmat, ac negat. Si enim poeta vnum affirmet ex propria persona, idemque neget ex persona, & opinione alterius, non dicit contraria. Demum vtrum loquatur ex propria opinione, vel supponens opinionem alterius prudentis &c.

19 Quarto explicatis modis, ex quibus possunt Poetæ reprehendi non rectè, explicat Aristoteles, quid, & quotuplex sit recta reprehensio Poetarum. Est igitur recta poetarum reprehensio, per quam ostenditur illos sine vlla necessitate finxisse aliquid irrationabile, vel prauum, adeoque per rectam reprehensionem potest poetis opponi, vel irrationabilitas, vel prauitas. Exemplum irrationabilis est, quod de Ægistho fingit Euripides in quadã tragœdia,

quæ

quæ quia non extat, diuinari non potest in quo consisteret. Exemplum prauitatis desumitur ex Oreste tragœdia eiusdem Euripidis, in qua sine vlla necessitate describitur Menelaus, vt valdè prauis moribus præditus, vt dictum est etiam supra cap. 12.

20 Concludit Aristoteles obiectiones contra poetas desumi posse ex quinque capitibus. Primo ex eo, quod dicat impossibilia: secundo ex eo, quod dicat irrationabilia: tertio ex eo, quod dixerit perniciosa auditoribus: quarto ex eo, quod dixerit repugnantia: quinto demum, quod peccauerit contra rationem, ac contra præcepta artis poeticæ. Solutiones obiectionum desumi possunt ex duodecim enumeratis num. 12.

Vtrum melior sit Epopœia, an Tragœdia? Caput XXIV. & vltimum.

1 *VTrum vero melior Epopœica imitatio sit, an tragica, dubitare aliquis poterit. Etenim si illa melior, quæ minus inuidiosa: cuiusmodi sanè est, quæ ad meliores fit spectatores, manifestum quidem, quod illa, quæ cuncta imitari vult, magis inuidiosa est: vt quæ parum sentientes, nisi multo motu moueantur, excitare debeat. Id quod inepti tibicines efficere solent: qui cum discum imitari oporteat, seipsos in gyrum agunt: Scyllamque dum modulantur, chori principem trahunt. Itaque tragœdia talis est: vnde priores illi iuniores se pro histrionibus habeant, siquidem Myniscus velut in eo nimium Callippidem, simiam appellabat: talisque propemodum de Pindaro opinio erat. Vt autem hi ad illos se habent, ita quoque integra ars ad Epopœiā. Hanc igitur sicuti præstantiorum spectatorum esse dicunt, histrionica arte minime indigentium, ita ignarorum tragœdiam, quæ, quoniam inuidiosa, ideo deterior esse apparet.*

1 COmparat demum Aristoteles tragœdiam cum epopœia, & examinat, vtra in genere poeseos sit melior, ac perfectior? Ex vna igitur parte videtur epopoeia esse præferenda tragoediæ. Illa enim imitatio est melior, quæ minus est importuna, ac minus molesta spectatoribus melioribus; sed imitatio epica minus est importuna, minusque molesta spectatoribus melioribus; ergo &c. Probatur minor: imitatio, quæ cuncta gestibus, ac motibus conatur exprimere, magis est importuna, atque molesta spectatoribus melioribus, quam imitatio, quæ non cuncta gestibus conatur exprimere; sed imitatio tragica cuncta gestibus, ac motibus conatur exprimere, secus imitatio epica; ergo &c. Probatur maior: nam imitatio, quæ cuncta gestibus, ac motibus conatur exprimere, supponit auditores esse quodammodo insensatos, ac non percipere, nisi cuncta, quæ dicuntur, motibus, ac gestibus exprimantur; sed spectatoribus valde est molestum, quod cum ipsis agatur quasi cum insensatis, ac non percipientibus; ergo &c. Confirmatur primo: nam tibicines, qui dum sono tibiarum aliquid imitantur, conantur etiam illud exprimere gestibus, ac motibus, adeoque dum imitantur discum, qui circumuoluitur, se ipsos versant in gyrum, & dum canunt Scyllam trahentem naues, apprehendunt, ac trahunt Corypheum, seu ductorem chori, molesti sunt spectatoribus melioribus, licet fortasse placeant hominibus ex vulgo; sed imitatio tragica est similis imitationi talium tibicinum; ergo molestiam affert spectatoribus melioribus, ac magis expolitis. Confirmatur secundo, quia histriones primæ notæ pauca gestibus, ac motibus exprimunt: histriones secundæ notæ omnia pene gestibus, ac motibus exprimunt, ideoque Myniscus optimus histrio per contemptum vocabat Callipedem histrionem malum nomine simiæ, eo quod cum omnia gestibus exprimeret, videbatur similis simiæ; atque in eamdem etiam reprehensionem incidit Pindarus histrio; sed ita videtur epopoeia se habere ad tragoediam, sicut optimus histrio ad histrionem malum, & omnia gestibus exprimentem; ergo epopoeia est præferenda tragoediæ. Videtur enim epopoeia non indigere tot gestibus, ac motibus, quia ordinatur ad spectatores doctrinis, ac moribus expolitos, adeoque percipientes, etiamsi quæ dicuntur, gestibus non exprimantur: Tragedia verò videtur indigere tot gestibus, ac motibus, quia ordinatur ad vulgus hominum non percipientium.

2 *Primum igitur huiusmodi accusatio non*

Poeti-

Poeticæ, sed Histrionicæ est. Nam & indiciorum opificio, tum qui hexametros recitat, quod Sosistratus faciebat, vtitur: tum qui hos concinit, quod Mnasitheus Opuntius. Deinde non omnes motus sunt improbandi, sicuti nec saltationes, sed imperitorum tantum, quibus & ipse tunc arguebatur Callippides, & nunc etiam aliqui: perinde ac minime liberales fœminas imitentur. Ad hæc tragœdia sine motu, quemadmodum & epopœia conficitur, vt quæ ex lectione quoque, qualis omnino sit, manifesto apparet. Itaque si in cæteris est præstantior, illud sibi quasi minus necessarium esse planè dicimus.

2 Dicendum tamen, quod tragoedia est præferenda epopoeiæ. Probatur primo, quia rationes allatæ pro epopoeia non concludunt; ergo &c. Probatur antecedens: Tragoedia enim postponebatur epopoeiæ, quia histriones tragoedias repræsentantes, cuncta quæ dicunt, gestibus exprimunt, adeoque molestiam afferunt spectatoribus melioribus, dum agunt cum ipsis, quasi cum insensatis; sed hoc non est vitium tragoediæ, sed histrionum, & potest etiam conuenire epopoeiæ: nam etiam qui carmen epicum recitat, potest esse molestus spectatoribus, eo quod omnia velit gestibus exprimere, vt faciebat Sosistratus, vel ex eo, quod recitatio nimis accedat ad cantum, vt faciebat Mnasitheus Opuntius; ergo ex hoc capite non ostenditur tragoediam esse postponendam epopoeiæ. Confirmatur primo, quia non omnis gestus, ac motus est improbandus, sicut non omnis saltatio, sed solum motus, ac gestus non decentes, qualibus vtebatur Callipedes, & qualibus vtuntur alij, qui idcirco dicuntur imitari gestus mulierum non liberalium; ergo cum possint auctores tragoediarum vti gestibus, ac motibus laudabilibus, tragoedia non est postponenda epopoeiæ ex eo, quod aliqui actores peccent in motu, ac gestu. Confirmatur secundo, quia sicut epopoeia, sic etiam tragoedia potest legi, & causare delectationem propriam poeseos sine vllo motu, ac gestu; ergo si ex alijs capitibus præstat epopoeiæ, non est postponenda propter motus, ac gestus, qui non sunt ad tragoediam necessarij.

3 *Omnibus insuper, quæcunque epopœia continet, abunde pollet. Nam & numeris*


vtitur, & quæ non modica pars habenda est, musicæ quoque, & apparatu: ex quibus sanè voluptates ipsæ manifestissime percipiuntur. Nec non in agnitione, cæterisque actionibus euidentissima est, & ambitu minori poeticæ imitationis finem assequitur. Id enim vberiorem voluptatē præbet, quod quæ per longam temporis periodum sparsa habentur, breuiori collecta gyro perstringit: Exempli gratia si quis Sophocleum Oedipodem tot in carmina, quot Ilias continet, distribuerit. Ad hæc epopœicam imitationem qualiscunque fuerit, non vnam omnino esse argumento sit, quod ex hac, qualiscunque fuerit, tragœdiæ semper plures exeunt: Quare si vnam isti fabulam composuerint, necesse est eam vel breuem nimis, instarque muris caudæ apparere, vel, si ad iustæ mensuræ longitudinem produxerint, quasi vinum dilutissimum. Quod si plures, verbi gratia si ex pluribus actionibus commixtam, profecto non vnam qualem Iliadem, & Odysseam, plures quidem huiusmodi continens partes, quæ alioqui per se ipsas etiam magnitudinem habent: tametsi huiusmodi poemata tum optime quantum fieri potest constituta sint, tum etiam quam maxime vnius actionis imitatio. Si igitur tragœdia non modo in his omnibus præcellit, sed artis quoque opificio (quippe non quamlibet voluptatem, verum quam diximus, præstare debet) sanè liquet meliorem hanc esse, multò quidem perfectius epopœia finem assequentem. De tragœdia igitur, & epopœia, deque earum generibus atque partibus, quot etiam, quibusque differant, de causis insuper, cur hæ meritò probentur, reprobenturvè, tum de obiectionibus, ac solutionibus, satis hactenus à nobis hæc dicta sint.

3 Secundo positiuè probatur tragoediam esse præferendam epopoeiæ. Si enim tragoedia haberet omnia, quæ habet epopoeia, & quædam alia, ac præterea in aliquibus, in quibus conuenit cum epopoeia, melius se haberet, ac præstaret epopoeiæ in eo, quod est proprium artis poeticæ, procul dubio esset præferenda epopoeiæ; sed tragoedia est talis; ergo &c. Probatur minor per singulas partes: & primo ostenditur tragoediam habere omnia, quæ habet epopoeia, & quædam alia: epopoeia enim habet fabulam, mores, sententiam, ac dictionem metricam; sed tragoedia habet

has

has omnes partes, & præterea apparatum scenicum spectantem ad visum, & melopoeiam, quæ manifestissimè maximam afferunt voluptatem; ergo tragoedia habet omnia, quæ habet epopoeia, & quædam alia. Secundo probatur secunda pars, quod nimirum tragoedia in quibusdam, in quibus conuenit cum epopoeia, melius se habeat: primo enim tragoedia conuenit cum epopoeia in hoc, quod imitetur actionem grauem, perfectam, & magnitudinem habentem &c.; sed tragoedia hanc imitationem citius perducit ad finem; imitatio autem actionis perfectæ, si citius ad finem perducatur, est iucundior, quam si longius producatur: sicut enim vinum aqua dilutum amittit vigorem, sic imitatio longitudine euadit minus iucunda; ergo &c. Confirmatur, quia si quis Oedipum Sophoclis produceret ita, vt euaderet ita longus, ac sit Ilias Homeri, procul dubio redderet illam fabulam minus iucundam; ergo &c. Secundo tragoedia conuenit cum epopoeia in hoc, quod debet continere fabulam vnam, adeoque imitari actionem vnam; sed fabula epica minus est vna, quam tragica, vt patet ex signo, quia ex vna epopoeia possunt confici multæ tragoediæ; ergo &c. Confirmatur primo, quia si qui scribit carmen epicum, eligat fabulam perfectè vnam, vel illam cito absoluit, & Poema epicum videbitur nimis breue; vel illam producit, vsque dum poema habeat conuenientem magnitudinem, & eo ipso poema erit languidum, vt pote breuiori fabula animatum, quam tam longo poemati conueniret: si autem plures fabulas coniungat in vnam fabulam, iam fabula non erit perfectè vna, quippe quæ poterit diuidi in plures fabulas habentes sufficientem magnitudinem ad plures tragoedias constituendas. Confirmatur secundo, quia Ilias, & Odyssea sunt poemata optimè constructa; sed adhuc non continét fabulam ita vnam, sicut tragoediæ, ideoque ex ijs possunt fieri plures tragoediæ; ergo signum est, quod fabula epica ex sua natura minus est vna, quam fabula tragica. Tertio probatur tertia pars conclusionis, quod nimirum tragoedia præstet epopoeiæ in eo, quod est proprium artis poeticæ: nam maximè proprium artis poeticæ est imitari; sed tragoedia magis imitatur, quam epopoeia, siquidem imitatur non solum narrando, sed agendo; ergo tragoedia præstat epopoeiæ in eo, quod est maximè proprium artis poeticæ, adeoque simpliciter præferenda est epopoeiæ. Debet autem aduerti, quod dum asseritur tragoediam esse meliorem epopoeia, non est intelligendum, quod quælibet tragoedia sit melior qualibet epopoeia: nam tragoedia mala, adeoque non consequens suum finem deterior est epopoeia bene facta, adeoque consequente suum finem. Sensus igitur est, quod optima tragoedia, adeoque consequens suum finem, est melior optima epopoeia, quæque suum finem assequatur. Hæc igitur de tragoedia, & epopoeia, earumque speciebus, ac partibus, ac de numero partium, nec non de differentijs, ac de causis, propter quas bene, vel malè se habent; ac demum de obiectionibus contra poetas, earumque solutionibus dicta sufficiant. Videbatur superesse, vt ageretur de comædia, iuxta ea, quæ Aristoteles proposuit cap. 2. num. 9. Sed hæc tractatio non extat, adeoque hoc opus videtur imperfectum, vel quia Aristoteles ipsum non absoluit, vel quia vltima eius pars iniuria temporum perijt.

FINIS.



REGESTVM.

† a b

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii KKK Lll Mmm Nnn Ooo.

Omnes ſunt duerniones, præter O o o, quod eſt duernio cum folij dimidio, & a b, quæ ſunt folia ſimplicia.



